UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Liber Secvndus, de Deo vno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82291

Visual Library

COMMENTATIONVM THEOLOGICARVM, LIBER SECVNDVS.

DE ESSENTIA ET VNITATE Dei, & attributis ad vnitatem pertinentibus.

PRAEFATIO.



TRactatu vltimo superioris libri iactum est fundamentum, tum fidei, tum verò doctrinæ Theologicæ, quæ ex fide pendet: accedentem enim ad Deum oportet credere quod est, vt ait Apostolus ad Hebræos 11. Quam suppositionē ex ratione naturali, & cōmuni omnium gentium existimatione breuiter ostendi. Nunc verò incipiam super hoc fundamentum Theologicæ speculationis fabricam construere. Quoniam vero ordo doctrinæ, via accuratæ cognitionis postulat, vt à communioribus incipiamus, quamuis Deus sit vnica natura simplicissima, & singularis nulli prorsus naturæ communi subiecta, tamen ex conuenientia ipsius cum rebus creatis in ratione aliqua communi analogica possumus aliquo modo distinguere in ipso prædicata quædam magis, quædam minus communia, vt ab illis incipientes ad hæc seruato ordine deueniamus. Vt autem docent communiter Doctores, tres omninò sunt gradus entitatis, ad quos omnia prorsus rerum genera reducuntur, scilicet esse, viuere, ac intelligere: quorum is ordo est, vt priores magis late pateant, quam posteriores. Esse .n. competit rebus omnibus, viuere solis substantijs animatis, intelligere ijs solum, quæ mente præditæ sunt. Est vero inter cætera omnia prædicata ipsum esse magis commune, qua de causa, vt obseruat Richar. in 1. d. 2. ar. 1. q. 4. priùs nostro modo intelligendi concipiuntur in Deo perfectiones, quæ respiciunt Deum inquantum essentia est, quam inquantum vita. Atque ita se habet essentia ad esse, sicut lux ad lucere, vt ait Anselm, in monolog. c. 5. dicam inprimis breuiter de essentia diuina, quatenus nostro intelligēdi modo est forma adæquata Dei: & indagabo notionē ipsius, qua secernitur ab omnibus rebus creatis: iuxta, quā acceptionem cōplectitur non solum esse, verū etiam viuere, intelligere, & cæteras oēs perfectiones, quæ cum his necessariò cohærent. Deinde vero omissa hac ampla acceptione cōsiderabo eandem essentiam diuinam, quatenus præcisè concipitur, vt forma ipsius esse cū præcisione à vita & intellectione. & statuam discrimen inter ipsam, & attributa diuina, eorumq; ordinem ad inuicē, explicabo. Subinde autem, quoniā vnitas est prima, inter omnes entis proprietates de ipsa disputabo, & quatenus Deo cōueniat, ostendā. Sunt autem nonnulla attributa diuina, quæ vel sunt modi quidā vnitatis, vt simplicitas: vel in ipsa fundantur, vt idēitas: vel eidē opponūtur, vt distinctio, & multiplicitas: vel quouis alio modo ad ipsam reuocantur, vt immutabilitas, immensitas, & æternitas: Et de his omnibus agendum est hoc libro, vt constet exacta ratio vnitatis diuinæ.

ad Hebr. 11.

Richardus.

Anselm.

TRACTATVS PRIMVS DE ESSENTIA DEI IN SE.

ESsentiam diuinam, vtpote infinitum pelagus perfectionis, vt vocat Sanctus Damascenus lib.1. de fide cap. 12. diffinitiue cognoscere solus intellect⁹ diuinus potest; humanus, *vbi ad diuina peruentum est*, vt ait August. libr.1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 1. *auertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis, ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed defatigatione conuertitur*: impar nimirum tantæ luci contuendæ; sed, ne fructu scientiæ Dei frustrarentur homines, eadem lux veritatis nube obscuræ reuelationis opacata contemplandam sese nobis exhibet: *ergo*, subdit idem August. in. *refugere ad tenebrosa incipientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ nobis illa opacitas, authoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibusque librorum, veluti signis temperatoriis veritatis, vmbris q̃, blandiatur*, vt nimirum, qui solo lumine naturali intellectus, & propria industria, atque discursu quid Deus sit, assequi non possumus, eius magisterio ex parte saltem addiscamus. Deus autem, sicut compositionis expers est, ita & diffinitionis propriè dictæ, qualis in Philosophorũ scholis vsurpatur. Quo sensu rectè dixit Philosophus 7. Metaph. text. 15. diffinire in perpetuis, atque vnicis non licet: ob quam etiam rationẽ Deum posse diffiniri negant S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 5. li. 1. contra Gentes cap. 25. & q. 7. de potentia ar. 3. Henr. in sum. ar. 24. qu. 1. & cæteri communiter, sed tamen hoc nõ tollit quo minus eius quidditatem vteunque describere possimus, vt notauit Aug. lib. de cognit. verę vitæ cap. 7. initio, & bene probat Henric. in sum. ar. 24. qu. 1. Richard. in 1. d. 3. ar. 2. q. 1. Ocham. dist. 8. q. 5. & Gabr. ibidem q. 5. art. 2. conclus. 2. non quidem ita, vt essentiam ipsius adæquatè, & comprehensiuè finiamus, sed breui circunloquio à rebus cæteris distinguamus, & confusè, atq; in adæquatis conceptibus explicemus, tractatio. n. omnis à natura rei exordium sumere debet, & ita de Deo acturus Gregorius Theol. ad Euagr. Monachum de diuinitate sic ait: *Primum itaque quid Deus sit constituamus, atq; ita deinde ad responsiones, demonstrationesq; veniemus*. In diffinitionibus autem primo indagantur communia, deinde vero propria rei diffinitæ.

Damascen. *August.* *Arist.* *S. Thom.* *Henricus.* *August.* *Henricus.* *Richard.* *Ocham.* *Gabriel.* *Nazianz.*

Deus est ens non in alio, neque sub alio.

CAPVT I.

DIffinitionẽ inuestigandi modũ ꝓponit Philosoph. li. 2. Post. c. 14. per cõuenientiam, & diuisionẽ: cõuenientia quidem inseruit ad venenda communia prædicata: diuisio vero ad propria: diuidendo enim, & ex oppositis differentijs alteram negãdo, alterã vero affirmãdo de diffinito eo vsq; peruenimus, vt ꝓpriã, & adęquatã ipsius rationẽ inueniamus. In quo ꝓgressu versus superiora sistendũ est in ratione aliqua omnino simplici communi omnibus eiusdẽ generis, non habente mẽbra alia sibi directè opposita sub alia ratione cõmuni: versus speciem vero atomam sistendum in ratione aliqua propria, & indiuisibili per oppositas differentias essentiales: itaq;, vt notat D. Tho. lib. 1. contr. Gen. cap. 14. res primo sub communi genere collocamus, deinde differentias addimus, quib⁹ à rebus alijs secernimus, & ita completur essentialis cognitio rei. Ex quo patet etiã in indaganda essentia rerũ creatarum procedere intellectum per viam remotionis, & affirmationis: nã remouendo differentias oppositas venitur in notitiam propriarum, vel saltem vtcumq; percipitur essentia latens per negationem differentiarum ipsi repugnantium. Hoc modo rationem entis spiritualis intelligimus per negationem materiæ, & per negationem potentiæ ad corruptionem, gradum essentialem, quo substantiæ incorruptibiles, distinguuntur à corruptibilibus. In his tamen, cum sint quoad essentiam finitæ, & capacitati intellectus humani magis proportionatę, magis proprius modus sciendi est per affirmationes, queis & ipsarum essentia finiri, & ab intellectu viatoris quoad ipsum quidquid est capi potest. At vero in inquisitione naturæ, essentiæq; diuinæ aptior modus procedendi est per remotionem, quam per affirmationem, vt ex sent. Magni Dionys. & communi postẽdam secunda parte huius operis. Procedendo autẽm via remotionis, vt à magis communibus exordiar, non incipiam ab ijs, quibus Deus ab omni creatura separatur, sed à communibus ipsi, ac perfectioribus creaturis. Deinde vero accedam ad eas, queis remouentur imperfectiones creaturis omnibus communes. I.

Aristoteles. *S. Thom.*

II. Ens ab alio, siue per participationem diuiditur immediatè in ens per se, & ens in alio, siue in substantiam, & accidens.

Vt autem

Vt autem ambiguitatis occasio tollatur, substantia apud Patres, ac Theologos, imo & Philosophos sumitur pro essentia, vnde Aristoteles in Anteprædicam. rationē substantiæ pro diffinitione, & essentia accepit, & li. 7. Met. t. 7. inter acceptiones substantiæ primo loco numerat illam, qua significatur quod quid erat esse, sed de hac acceptione non est hic sermo, sed solum de ea, qua substantia dicitur ens per se existens, & ab accidente distinguitur, in quo sensu substantia, & accidens diuidunt adæquate ens, & in vtroque membro est aliqua imperfectio à Deo remouenda, sed prius quam remoueatur id, quod imperfectionis est, inquirendum vtrum in ijs secundum propriam rationem, qua mutuo distinguuntur, aliquid veræ perfectionis insit, quæ retineatur secluſa imperfectione adiuncta. Et quidem accidenti considerata solum ratione, qua distinguitur à substantia, nihil omnino perfectionis simpliciter inest. Etenim secundum propriam rationē nihil aliud intelligitur addere rationi communi entis, quam modum essendi dependenter à substantia, tamquam à subiecto, quam Metaphysici appellant inhærentiam aptitudinalem: dependentia vero omnis, præsertim materialis, non est vlla perfectio: Et idcirco Philosoph. lib. 7. Metaph. text. 2. ait accidens esse magis entis, quam ens: quoniam, vt explicat Diuus Thomas 1. p. quæst. 90. art. 2. non habet esse, sed eo aliquid est, verbi gratia, ignis calore calidus, nix candore alba. In substantia vero etiam secundum propriam rationem obiectiuam, qua ab accidente secernitur, est perfectio aliqua simpliciter: nempe modus existendi per se independenter à subiecto inhæsionis, non quidem eo solum, quo continet negationem accidentis, cuius existendi modus nihil perfectionis includit: hoc enim non sufficit ad rationem perfectionis simpliciter, vt dicam 2. p. libr. 2. in tractatu de perfectione Dei: sed quatenus proprius eius modus existendi positiue sumptus habet rationem excellentiæ, & perfectionis, quam melius est inesse cuiuis enti, quam eius oppositum: cuiuis autem rei, multo melius est esse per se independenter à subiecto, quam ei inesse: & ab hac perfectione pei se subsistendi dictam substantiam existimat Isidorus lib. secund. Ethymolog. capit. vigesimoseptimo, Bonau. & Richard. infra referendi. itaque perfectio substantiæ est, vt sit ens per se, & non per attributionem ad subiectum: imperfectio accidentis, vt sit ens alterius, vel in altero, hoc est in substantia, à qua pendet in genere causæ materialis.

Aristoteles.

Aristot.

S. Thom.

Isidor.

S. Bonau. Richardus.

III.

Verum ratio substantiæ creatæ cum hac perfectione habet admistam imperfectionem maximam secundum proprium conceptum: nempe, vt substet accidenti. Et hanc rationem substantiæ tradit Aristoteles libr. 5. Metaphys. text. 15. & libr. 7. text. 7. in 4. acceptione, quem sequuntur Patres, & Scholastici referendi numero 10. Nam, quamuis actualis sustentatio non sit intrinseca substantiæ, tamen habere rationem formalem entitatiuam, cui non repugnet substare accidentibus, pertinet ad intrinsecam, & essentialem rationem substantiæ creatæ, quæ in ratione existendi per se conuenit cum increata: atque adeo aliquid intrinsecum habet, ratione cuius illi non repugnet substerni accidentibus. Hoc autem secundum eam præcisè rationem non habet rationem perfectionis simpliciter, sed imperfectionis, quandoquidem arguit in subiecto limitationem essentię, potentialitatem, participationem, ac dependentiam ab externo principio: limitationem essentiæ, quoniam eius essentia restringitur ad certum genus, & gradum essendi, & consequenter excluditur à perfectionibus generum reliquorum: ex quo prouenit, vt substantia creata in suo conceptu formali intrinseco non includat perfectiones potentiarum, habituum, & operationum. Arguit item potentialitatem, quoniam subiectum aptum sustentare formam accidentalem suapte natura est in potentia ad illam; nam cum non sit actu idem, quod illa, nec habeat repugnantiam cum illa, necessario erit potentia receptiua illius: cum vero non includat ipsam essentialiter, habebit perfectionem eius per participationem. Deniq; quoniam nulla potentia passiua potest à se ipsa reduci ad actum, indigebit actione agentis extrinseci inducentis formam accidentalem: quæ quidem ratio manifesta est in accidentibus separabilibus: at in ijs, quæ per modum proprietatis fluunt à subiecto, non est ita euidens: namque illa non indigent vlla actione agentis extrinseci distincta ab ea, qua producitur subiectum, cuius productione ponitur causa sufficiēs, & adæquata ipsorum. Verum in his quoq; vim habet argumentum, nam in emanatione passionum propria causa efficiens non est natura, à qua emanant, sed ipsummet agens à quo producitur subiectum constans ea natura: semper enim primum agens distingui aliquo modo debet à patiente, & in ijs natura habet se per modum instrumenti primi generantis, sicut forma grauium,

Aristot.

ac leuium motus ipsorũ naturalis: & consequenter omne subiectũ habens proprietates accidentales non potest esse à se, sed à principio extrinseco, quod & sit auctor naturæ, & proprietatũ ad illã cõsequentium.

Ex dictis primo cõstat Deum nõ esse ens in alio, siue accidens, sed per se existens, siue substantiam. Hoc ex professo probant Alensis. Aegyd. Bonauent. Henricus. Richard. Mayron. Alensis. 1. p. q. 48. memb. 4. art. 3. §. 1. Ægyd. in 1. d. 8. 2. p. distinctionis, q. 1. art. 1. & d. 23. q. 2. quæstiunc. 2. Bonau. in 1. d. 23. art. 1. q. 2. Henr. in sum. art. 26. q. 2. Rich. in 1. d. 23. art. 1. q. 2. Mayr. d. 3. q. 1. art. 2. & est communis sententia nõ solùm Christianorum, sed etiã Philosophorum: nec enim curanda est insania Idololatrarum, qui, vt auctor est Augustinus. Augustin. lib. 4. de Ciuitate, cap. 15. & 23. febrim, pallorem, pauorem, & alia accidentia in Deorum numerum retulerunt, & quidẽ ex fide constat omnibus ijs locis, quibus Deus creare, aut aliquid eiusmodi operari dicitur: nam iuxta Philosophum, Aristot. lib. 1. Met. c. 1. actiones sunt suppositorum, hoc est per se existentium: quare si Deus agit, per se existat necesse est. Item idipsum sonant verba illa Dei ad Moysen, Exod. 3. *Ego sum qui sum*: nã vt ait Philosophus, Aristoteles. lib. 7. Met. text. 4. *Quod primo est ens, & non aliquod ens, sed simpliciter ens substantia*: cùm igitur Deus aliquam sui notionem Moysi explicare intendens ait: *Ego sum qui sum*, profecto significat se esse simpliciter per se, absque adminiculo alterius: quod nonnisi in substantiam cadere potest: Id vero facilè demonstratur ex ratione entis à se, & accidentis, etenim, quod est à se, est ens simpliciter, accidens vero secundum quid, quod est à se est primum inter omnia entia, accidenti autem repugnat, vt sit primum ens, quandoquidem ens per attributionem est posterius ente per se, ad quod habet attributionem, accidens vero est ens per attributionem ad substantiam: quapropter repugnat vt sit prius substantia. Deus autem, vt ostendam, cap. 3. est ens primum, per essentiam, & à se: ergo fieri nequit, vt sit accidens. Deinde primum ens est causa cæterorum, quæ proinde continere debet formaliter, aut virtute: inter entia vero à prima causa producta sunt substantiæ, hæ non cõtinentur formaliter in accidente, vt euidens est: non virtute completa, hoc enim modo nihil minus perfectum cõtinet magis perfectum: ergo cum Deus sit prima omnium rerũ causa, nequit esse ens in alio, siue accidens. Denique ne in re perspicua pluribus immoremur, prima causa est id, quod simpliciter agit, accidens vero, quemadmodum non est id, quod simpliciter est, sed quo alia sunt, ita neque est id, quod agit, sed quo res subsistens agit: quare ratio accidentis pugnat omnino cum primæ causæ ratione, hoc est Dei.

V.

Ex quibus deinde consequenter efficitur rationem hanc existendi per se, & non in alio conuenire omnibus omnino attributis diuinis positiuis secundum proprios conceptus, & consequenter omnia, & singula esse substantiam. Ita docent communiter scholastici Altisiodorens. libr. 1. capit. 6. qu. 5. Alens. art. citato. §. 2. & 4. Albert. in sum. tract. 4. q. 20. m. 3. ad sextum, & tract. 14. qu. 56. ad secundum, & qu. 57. ad primum in contrarium. Bonaue. in 1. d. 22. q. 4. & d. 34. q. 2. in corpore, S. Thom. in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. ad vltimum, & alij communiter. Probatur ex cõmuni consensu sanctorum Patrum, qui diuersis loquẽdi formis hanc veritatem tradiderunt. Alij dicunt omnia, quæ sunt in Deo, per se existere, quos refert Ioan. Cyparissiota decade 9. cap. 8. ipse vero ita concludit. *Ex quibus sit manifestum, quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, quod per se non est substantia, & per se non existit, eiectum, & exclusum est.* Alij, omnia, quæ de Deo dicutur, dici substantialiter, ita Aug. li. 5. de Trinitate cap. 8. Boetius lib. 1. commentariorum in librum Aristotelis de interpret. cap. de signis editione 2. & libr. 2. de Trinitate ad Ioannem Diaconum. Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 14. Alcuin. libr. 1. de Trinitate cap. 4. Alij omnia dici secundum substantiam. Augustinus. lib. 15. de Trinitate cap. 5. Boetius libr. 1. de Trinitate, & Hugo de sancto Victore in sum. sent. tract. 1. cap. 9. & 10. Alij esse, prædicare, vel significare substantiam diuinitatis, ita Aug. li. 6. de Trinitate cap. 4. & libr. 15. cap. 17. Alcuinus lib. 1. de Trinitate cap. 4. Bernard. tractatu de diligendo Deo versus finem. Boetius libr. 1. & 2. de Trinitate cum Gilberto ibidem, & autore commentarij, qui habetur in tomo 8. Bedæ column. 1107. Ioannes Cyparissiota decade 10. cap. 6. in fine, & cap. 8. in fine, & apud eundem ca. 4. Basilius & Theodorus docent eandem esse rationem substantiæ, & energiæ, vel operationis diuinæ, & Marius Victor libr. 1. aduersus Arium paulo post medium: *vna*, inquit, *potentia, hoc est vna substãtia existit*, nẽpe pater & filius, *ibi n. potentia substantia, non enim aliud potẽtia, aliud substantia.* Alij non esse extra substantiã, vt Aug. li. 12. confess. c. 15. & pertinere ad illam li. 11. c. 11. nempe intrinsece, inde n. probat, si voluntas Dei mutaretur, substantiam ipsius nõ fore æternam. Tandẽ Orig. lib. 1. Periar. c. 2. *substãtiale*, inquit, *in eo oẽ bonũ est*,

Altisiodor. Alensis. Albertus. Bonauent. S. Thom. Cyparissio. Augustin. Boet. Rupert. Alcuinus. Augustin. Boet. Hugo Victor. Augustin. Alcuin. Bernard. Boet. Gilbert. Autor. com. Cyparissio. Basilius. Theodorus. Marius Vict. Augustin. Origen.

Ratione

VI. Ratio vero probatur: quoniam perfectiones omnes diuinæ sunt entia à se, & per essentiam, vt ostendam inferius: nullum autem ens à se potest esse accidens, nulla ergo perfectio diuina intrinseca est accidens. Assumptio est euidens, quoniam esse ens per essentiam, & per participationem, sunt opposita: omne accidens est ens per participationem & attributionem ad subsantiam: ergo repugnat, vt ens à se sit accidens. Præterea de essentia substantiæ non potest esse accidens: perfectiones omnes diuinæ, vt ostendã ca. 6. sunt de essentia Dei: ergo non sunt accidentia. Maior propositio est euidens, quoniam rationes formales oppositæ habentes annexam contradictionem, non possunt cohærere in vnam essentiam: substantia vero, & accidens ita se habent, diuiduntur enim per esse, ac non esse in subiecto: & ita nec substantia potest esse de essentia vllius accidentis, neque hoc de essentia substantiæ.

VII. Nonnulli admittunt quidẽ perfectiones oẽs diuinas esse substantias, non tamen formaliter vnamquamq; secundu proprũ cõceptũ, sed identice rõe essentiæ, cũ qua sunt omnino idẽ actu ex natura rei. Quod à simili ostenditur: quoniã non opus est, vt ratio formalis vnius perfectionis simpliciter in Deo includat alterã: sed solũ requirit, vt in suo genere nihil imperfectionis admittat, verbi gratia, sapientia diuina, quatenus sapientia, nõ claudit intrinsece rõem iustitiæ, sed sat est, vt nihil illi desit perfectionis in genere sapientiæ: nam de rõe perfectionis formalis simpliciter solũ est, vt in quolibet sit melior ipsa, q̃ nõ ipsa: atq; adeo, vt nihil imperfectionis includat, q̃uis non includat omnẽ omnino perfectionẽ, sed secundũ propriũ conceptũ abstrahat ab ea, & ab imperfectione opposita, qua rõe sapientia, etsi non includat rationẽ formalẽ iustitiæ, secundũ propriũ tamen conceptũ abstrahit à ratione iustitiæ, & iniustitiæ. Eodem igitur modo eadẽ sapientia non desinet esse perfectio simpliciter digna Deo, quamuis in sua ratione formali, non claudat rationem substantiæ, dummodo non excludat, sed abstrahat à ratione accidentis, sit autem identice substantia ratione essentiæ, in cuius formali conceptu substantia intrinsece continetur.

VIII. Dicendũ nihilominus rationẽ entis per se, siue substãtiæ, includi formaliter, ac intrinsece in cõceptibus proprijs singularum perfectionũ diuinarum, & non conuenire illis solum identice. Is vero est sensus Patrum, quos retuli, volunt. n. vt perfectiones attributales sint substantiales, & intrinsecæ Deo: quod fieri non posset, si solũ attributa essent idem realiter cum substantia diuina: qua ratione differentiæ, quibus cõstituuntur species subalternæ inter hominẽ, & genus summũ secundũ proprios conceptus, necessario sunt substãtię, hoc est entia nõ existẽtia in subiecto, ne demus accidẽs esse de essentia hominis, ex quo suadẽt eadẽ veritas, quoniã nõ repugnat plures rões formales eiusdẽ subiecti in vnã ipsi' essentiã cõcurrentes secundũ proprios cõceptus, quib. adinuicem distinguuntur, includere formaliter, atq; intrinsece rationem vnam formalẽ, vt videre est in gradibus Metaphysicis, ac differentijs prædictis, q̃ secundum proprios cõceptus includunt rationẽ substantię, non quidẽ eius, q̃ est genus summum, sed eius, quæ contra distinguitur ab accidẽte, & describitur ens per se existens, hoc est, non in subiecto inhæsionis: hæc enim, vt ait Diuus Thomas, non solum dicitur de substantijs prędicamentalibus, sed etiam de ipsarũ partibus, & omni eo, quod habet esse, non in subiecto inhæsionis, & ita rationalitas secundum propriam rationem formalem, sicut intrinsece est ens, est etiam substantia, idem q̃; dicendum de cæteris differentijs essentialibus substantiarum, ergo etiam non repugnabit plures rationes formales attributorum diuinorũ, secundum proprios conceptus includere eandem rationem substantiæ. Verum non quidquid non repugnat, hoc ipso est: & ideo probari debet ita de facto esse. Probatur autem, quoniam quidquid continetur sub ratione communi sibi essentiali, atque intrinseca, contineri etiam debet formaliter ac rõe sui sub altero ex membris diuisionis adæquatæ per differentias essentiales: quęuis perfectio diuina positiua secundum proprium conceptum formalẽ continetur essentialiter sub ente secũdũ communissimam eius abstractionem, hęc enim prædicatio: *Sapientia diuina est ens*, essentialis omnino est: ergo necessario contineri debet sub altero membro eius diuisionis, qua ens diuiditur in substantiã, & accidens: non continetur autem sub accidente, ergo sub substantia. Maior propositio, quæ est fundamẽtũ totius discursus, sumitur ex regulis bonæ & adæquatæ diuisionis, quæ & talis esse debet, vt quidquid continetur sub diuiso, contineatur sub membris diuidentibus: ad quod non est satis, vt sub his identice solum contineatur: nam si secundum propriam rationem formalem includit diuisum, secundum eãdem vel est illi proximum atq; immediatũ, vel remotum: si remotum, necessario debet etiam includere

formaliter aliquid illi proximum, ratione cuius includat remotum, illud vero nequit esse aliud, quam aliquod ex membris primæ diuisionis: si vero est immediatum, iam diuisio tradita per membra, sub quibus hoc formaliter non continetur, adæquata minime est, quandoquidem prætermittit aliquid secundum propriam rationem formalem immediate contentum sub diuiso. Porro diuisionem entis in substantiam & accidens esse adæquatam, & per membra essentialiter opposita perspicuū est, vt in Logica, & Metaphysica probari solet, quapropter sapientia diuina, cum secundum propriam rationem formalem sit ens, secundū eandem quoq; est substantia: ita vt entitas diuina, quatenus præcisè est cōceptus obiectiuus eius intentionis, quam formamus de sapientia diuina, non solum dicat perfectionē agnitionis communem sapientiæ creatæ, & increatæ, verum etiam perfectionem propriam, & indiuidualem sapientiæ diuinæ, qua excludit inhærentiā quæ est imperfectio creata: ea vero non excluditur nisi per oppositum modū substantialem existendi per se. Et cōfirmatur: quoniam quoties duo aliqua conueniunt in communi aliqua ratione, aliquid supra eam includere debent in proprijs cōceptibus, quo mutuo formaliter, atq; intrinsece distinguantur, sapientia autem creata, atq; increata conueniunt in ratione communi sapientiæ, quæ præscindit ab esse per se, & esse in alio; & sapientia creata vendicat modum inhærendi: ergo increata vendicat modum per se existendi. Accedit quod esse in alio, & non esse in alio sunt modi essendi immediate oppositi, respectu cuiusuis conceptus formalis entitatiui, quare necessario alter eorum inerit cuiuis perfectioni diuinæ secundum se præcisè consideratæ: repugnat autem, vt conueniat inhærentia, ergo necessario conueniet formaliter, atq; intrinsece mod' essendi per se, & nō in alio.

IX. Ad argumentum in oppositum respondetur, non idcirco omnes, ac singulas perfectiones diuinas positiuas includere rationem substantiæ, quoniam hęc est perfectio simpliciter, sed quoniam est perfectio simpliciter eius generis, vt eius negatio respectu cuiusq; non solum subiecti, sed etiam rationis formalis necessario supponat imperfectionem. Id vero, vt intelligatur, obseruandum, perfectiones simpliciter secūdum proprias rationes formales considerabiles cōparari posse cum subiectis, vel cum alijs perfectionibus secūdum rationes formales singulorū, si cōparētur cū subiectis, ita se habere debent, vt ipsarum negatio inducat, aut supponat in ijs imperfectionē, nam, si sit substantia non intelligens, erit vtiq; imperfecta, vel propter solā priuationē intellectus: sin vero cōparentur cum alijs rationib. formalibus, nō necessario in ipsis includi debent, nec mutua negatio inclusionis arguit vllā imperfectionē in ipsis nisi talis negatio fundet in aliquo modo entitatiuo essendi, q abstrahi nequeat ab imperfectione. Primū patet, nam negatio inclusionis vnius perfectionis simpliciter in alia nō necessario infert ipsam secūdū propriā rationē includere imperfectionē, aut habere modū essendi imperfectum, in quo fundet ea negatio: exēpli gratia ex eo, quod iustitia secundū propriam rōem iustitię non includat rationē misericordiæ, non propterea ipsa imperfecta est, aut habet modū entitatiuū repugnantē perfectioni misericordiæ, siquidē simul cum illa cohæret in eodē subiecto, & negatio secundū reduplicationē rationum formaliū non necessario admittit negationem simpliciter, & secundū rē, etenim homo, secundū q est animal, non est rationalis, & tamen falsum erit, si quis simpliciter dicat, homo non est rationalis: Hoc vero non habere locum, quando perfectio est eiusmodi; vt negatio ipsius necessario fundetur in modo essendi imperfecto, perspicuū est: nam perfectio simplicicer in indiuiduo, & nō solū secūdū rōem cōmunē analogicā debet esse expers omnis prorsus imperfectionis, si vero negatio alterius perfectionis necessario habet annexā imperfectionē, vnū è duob. est necessario admittēdu, nēpe aut id, cui talis negatio cōuenit, nō esse perfectionē simpliciter, q repugnat hypothesi: aut perfectionē negatā ad illud necessario pertinere: negatio vero existēdi per se necessario adhæret modo imperfecto existendi in alio: & respectu cuiusq; rationis formalis alterum ipsorū necessario cōuenire debet, nā considerata precisè rōe sapientiæ, aut cuiusuis alterius perfectionis in singulari, aut vendicat modū existēdi per se, aut in alio: quare cū mod' existēdi in alio sit imperfectio, necessario includitur modus substantiæ in quauis rē formali indiuidualis perfectionis simpliciter, ex quo patet, licet nōnullæ perfectiones sint eiusmodi, vt reliq; secundum rationes formales proprias abstrahere ab illis possint, easque proinde formaliter non includant, nihilominus substantię rationem necessario includi in quauis perfectione simpliciter in indiuiduo, dixi in inuiduo, quoniam perfectiones in communi secundum rationem analogicā cōmunē Deo & creaturis nō necessario

inclu-

includunt substantiam, sed abstrahunt a ratione substantiæ, & accidentis: verum singulares necessariò includunt modum entitatiuum, cui per se cõuenit existentia per se, vel inhærentia: & ideò sicut sapientia singularis creata necessariò includit modum inhæsionis, ita sapientia increata, quæ ipsa singularis est, includit modum substantialem.

X. Per negationẽ itaque existendi in alio remouetur à ratione formali intrinseca Deitatis natura, & imperfectio accidẽtis, & includitur ratio per se existendi: quæ secundum analogiam est illi cõmunis cum substantijs creatis. Quoniam vero hæc perfectio in creatis, non est pura ab omni labe imperfectionis, substant enim accidẽtibus: hanc quoque remouere oportet, & ita dicendum est Deum nullo modo esse ens sub alio, siue subiectum inhæsionis, vt vocant, quidquid impij Mahometani fabulentur, qui, vt auctor est Auerr. lib. 12. Met. com. 39. dispositiones hoc est accidentia in Deo admittunt: falso tamẽ, vt mox patebit. Vera enim, & Catholica doctrina Deo negat substandi rationẽ, & cõsequenter docet nõ esse propriè substantiam, vt hæc dicitur à substãdo accidentibus: Ita tradunt cõmuniter Scholastici, & expressè Alens. vbi supra. §. 1. S. Thom. in 1. dist. 8. q. 4. art. 2. ad primum, Bonau. in 1. d. 23. ar. 1. q. 2. Ægyd. in 1. d. 23. q. 2. quæstiunc. 2. Rich. art. 1. q. 2. Durand. q. 2. num. 7. idem docent Patres Cyrillus lib. 1. thesauri, cap. 4. Rich. de S. Victore, lib. 2. de Trinitate, cap. 22. *Quia*, inquit, *contra substantiarum naturam nihil ei velut in subiecto inhærere deprehenditur, nõtam substantia, quam supersubstantialis esse conuincitur.* Aug. de cognitione veræ vitæ, cap. 3. & lib. 7. de Trinitate, cap. 5. vbi cum dixisset substantiam rectè de ijs rebus intelligi, in quibus subiectis sunt ea, quæ in aliquo subiecto esse dicuntur, subiungit: *Deus autem si subsistit, vt substantia propriè dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subiecto, & non est simpliciter, cui hoc sit esse, quod illi est.* Et paulò post inquit: *Vndè manifestum est Deum abusiuè substantiam vocari.* Præter rationem vero, quam hic tangit Augustinus hoc facit conuincitur: nam, vt initio capitis octaui, ratio entitatis aptæ substare accidentibus est necessariò coniuncta cum limitatione perfectionis, cùm potentialitate, participatione, ac dependẽtia ab extrinseco principio: hæc vero omnia sunt aliena à natura primi entis, & à se: quare repugnat Deo ratio substandi, siue subiecti inhæsionis; & confirmatur ratione sumpta ex causalitate primi entis: quod continere debet perfectius, atque eminentius omnem modũ essendi perfectum, quã contineant effectus: perfectiones vero simpliciter non aliàs melius continentur, quam si conueniant formaliter propriè, atque intrinsecè, nõ autem solùm virtute, & causaliter: meliùs est enim esse sapientiam, quam continere illã virtute, & esse vitam, quam esse causam illius: si vero eiusmodi perfectiones essent accidentia, quibus Deus substaret: ratio propria perfectionis ipsarum excellentius esset in ipsis quam in Deo: nimirum in Deo solùm causaliter, & ipsarum participatione accidentaliter, in illis autem formaliter intrinsecè, atque essentialiter, repugnat ergo primæ causæ ratio substandi, quæ supponit in subiecto limitationem, & participationẽ perfectionum extrinsecarum essentiæ ipsius.

Auerr.

Alens. S. Thom. Bonauent. Ægyd. Richard. Durand. Cyrill. Alex. Richard.

Aug.

Deus est substantia completa, incorporea, incorruptibilis, viuens & intelligens.

Caput II.

I. REmota imperfectione accidentis intrinseca, itemque substantiæ creatæ secundum conceptũ eius maximè communem & abstractum, indaganti primam eius diuisionẽ occurrit ea, qua secatur in completam, atque incompletam. Quæ duo membra imperfectionem includunt cum aliqua perfectione: nam substantia creata completa compositionem, incompleta defectum, & appetitum ad complementum inuoluit. compositionem vero defectum, & appetitum ad esse perfectius, quis non videt imperfectiones esse. Contra vero completa, quatenus habent esse perfectum in suo genere, excludunt imperfectionem incompletorum: hæc vero, quatenus sunt compositionis expertia, habent modum alium perfectionis, nempè simplicitatem. Deus autem, cuius naturam inuestigamus, ita in ratione perfectionis completæ conuenit cum substantijs completis, vt tamen excludat compositionem: ita vero excludit incompletarum defectum, vt cum ijs in simplicitate conueniat. Vtriusque vero imperfectionis remotio facilè ex dictis ostenditur: omnis namque compositio fit ex actu, & potentia, vt ostendam ex doctrina Philosophi, tractatu de simplicitate, c. 2. & ratio ipsa demonstrat: compositio enim fit ex coniunctione partium ad vnũ esse perfectum, quod integrant: nõ possunt autem plura mutuo copulari, & concurrere in vnũ esse simpliciter, nisi ex appetitu innato

ad eiusmodi coniunctionem: omnis autem appetitus ad aliquod esse intrinsecum radicatur in potentia passiua ad illud: nõ enim est appetitus ad id, quod res in se claudit. vel habere nequit: sed ad id, quod secundum se considerata nõ habet, potest tamen habere, ex his autẽ duobus coalescit potentia passiua. Ex quo efficitur non solam materiam, quatenus appetit formã, habere rationẽ potentiæ passiuæ, sed ipsam quoque formã in ordine ad esse totius, omnis enim pars est in potẽtia respectu totius, vt ait D. Thom. lib. 1. contra gentes, cap. 27. & ideò Arist. lib. 2. Phys. t. 31. & lib. 5. Met. text. 2. partes appellat materiam totius. Et ita si Deus esset substãtia cõposita, nõ esset actus purus, quoniam cõstaret actu, & potentia: similiter etiam si esset incompleta, quoniam haberet appetitum ad alteram partem, vt ab ea actuaretur, vel vt cum ea integraret totũ, cuius esse, vtpote perfectioris, particeps eo modo fieret. Verùm de his susius in tractatu de simplicitate Dei.

S. Thom. Aristot.

II. Excluſa imperfectione entis incompleti, quatenus habet rationẽ totius, atq; compositi, habemus rationẽ substãtiæ completæ, & minimè cõpositæ: sequuntur deinde aliæ diuisiones substãtiæ completæ per oppositas differẽtias: quarũ altera saltẽ analogicè est perfectio simpliciter, altera habet annexã priuationẽ illius. Eæ vero sunt corporeum & incorporeum, corruptibile & incorruptibile, viuum & expers vitæ, intellectiuum & mente carens. Hæ nãque diuisiones traduntur à Philosophis ad varios substãtiæ gradus indicãdos, & singulæ totũ substãtiæ ambitũ comprehendunt: nec est alia, quæ substantiã adequatè diuidat essentialiter, & cõtineat perfectionẽ simpliciter: quamuis enim ex his differentijs, quæ perfectionẽ sonant, reperiantur omnes in primo genere subalterno substãtiæ, nempè in spiritu, tamẽ ex speciebus corporis colligimus eas, vel esse, vel indicare distinctos essentiæ gradus substantiales: substãtiæ enim nõnisi p substãtiales differentias essentialiter distinguuntur: inter corpora vero, corruptibile atque incorruptibile essentialiter differũt: quare differẽtiæ illæ vel ipsæ sunt gradus substãtiales, vel latẽtes indicant; idẽ dicẽdũ de duab⁹ alijs, viuẽte. s. ac intellectiuo, quãdoquidẽ substãtiæ viuæ à nõ viuentib⁹ solo vitæ discrimine essẽtialiter distinguuntur, sicut intelligentes ab intellectus expertib. Complecti vero singulas has diuisiones totã latitudinem substãtiæ, cõstat, quandoquidẽ membra habent annexã mutuam negationem. Nõ dari vero alias perfectiones simpliciter vniuersales, quæ cum priuatione opposita substantiam adæquatè diuidant, patebit intuenti totã seriem prædicamenti substantiæ à genere summo per species intermedias vsque ad infimas: nihil enim aliud occurret, quod habeat rationem perfectionis simpliciter, & non includatur in aliqua ex his diuisionibus.

III. Porrò ex quatuor his differentiarũ complicationibus excludendæ sunt à Deo illæ, quæ imperfectionẽ ex propria ratione includunt. Inprimis autẽ ratio corporei: hoc enim vel cõstat materia & forma, vt est S. Thomæ 1. p. q. 66. art. 2. & aliorũ grauium Philosophorũ sentẽtia, vel saltẽ est substantia quædã capax quãtitatis, & extẽsionis, vt philosophatur Auerroes, li. 1. de cœlo com. 20. & alij, qui cœlũ negant cõstare materia prima, & nihilominus corpus simplex appellant cum Aristotele; si corpus cõstet ex materia & forma, compositũ erit: compositionem vero repugnare Deo ostendã in tractatu de simplicitate Dei: sin autẽ sit corpus simplex, repugnat, quoniã corpus omne mobile est, prima autẽ causa est immobilis: nã vel à se, vel ab alio moueretur: si ab alio, nõ esset prima causa: si à se cõstare debet diuersis partib⁹ altera, quę sit causa, & principium motus, altera, quę moueatur: & cõsequenter secundũ se totã non est in actu, sed partim in potẽtia: quod repugnat cũ ente p essentiam: fieri ergo nequit, vt prima causa sit corpus: si quis autẽ neget corpus moueri, nõ à Theologo, sed à Philosopho redarguendus est, qui primã, ac potissimã passionẽ corporis naturalis astruit esse motũ. Dicere vero Deũ esse corpus mathematicum est euertere rationẽ causæ primæ, quæ, vt iam probaui, per se existens, ac substãtia est: corpus autẽ mathematicum accidens, vt ait Philosophus, lib. 3. Met. text. 17. & ab omni virtute agẽdi nudum. Præterea de ratione corporis est extensio, ac diuisibilitas, cũ his vero necessariò nectitur diuersitas, ac potẽtialitas: diuersitas saltẽ secundũ potẽtiam talis, quę sit satis ad negãdũ vnã partẽ de altera, ita vt pars superior non sit idẽ cũ inferiore: potẽtialitas vero, quoniã diuisio facit, vt sint plura actu ea, q̃ in toto erant vnũ actu, & plura potẽtia, & idcirco id, q̃ diuisibile est, necessariò est in potentia. At, inquies, nõ omne corpus physicũ est diuisibile, ideoq; ex hoc capite nõ colligitur potẽtialitas. Verũ hęc responsio nõ infringit argumẽti vim, partes. n. cõtinui, siue id ratione corporis physici queat actu diuidi, siue nõ, nequaquã sunt actu, sed potẽtia in toto, & ita ratio corporis absolui nequit à potentialitate, hanc vero non cadere in primam causam dictum sæpè est. Repugnare

Aristot. *S. Thom.* *Auerr.* *Aristot.*

vero

vero Deo etiam diuersitatem partium integrantium ostenditur: nam in ente per essentiam idem omninò est esse, & quod est: at diuersitas partium integrantium est in causa, vt ipsum totum non sit suum esse: ergo cohærere nequit cum Deo, qui est ens per essentiam. Assumptio ostenditur: namque, vt res sit suum esse, requiritur, vt nihil intrinsecè includat, quod nõ sit ipsum esse, partes autem materialiter se habent ad totum, & ipsæ nõ sunt ipsum esse actuale, sed participãt esse totius: ergo ipsarũ diuersitas tollit omninò rationẽ entis per essentiam.

IV. Remota ratione corporis, restat, vt Deus sit incorporeus: ex quo mox sequitur, vt sit incorporea incorruptibilis est, corruptibilitas enim prouenit ex dissolutione materiæ, ac formæ, vel ex diuisione partium integrantium vsque ad tã exiguam quantitatem, vt substantia in ea conseruari non possit, spirituales vero substantiæ vtriusque compositionis expertes à corruptione immunes sunt. Ex quo fundamẽto à posteriore colligit Greg. Nazianzen. oratione 2. de Theologia, Deum esse corpus, aut compositũ, nè concedatur esse corruptibilis: *compositio*, inquiens, *pugnæ principium est, pugna autem diſsidij, diſsidium solutionis, & interitus, solutio vero nullo modo in Deum, ac primã illam naturam cadit: quocirca in Deo nullum diſsidium est, ne solutio consequatur, nec pugna, nè diſsidium oriatur, nec cõpositio, nè pugna existat, ac proinde nec corpus est Deus, nè aliundè compositio oriatur, sic ab extremis ad prima peruecta ratiocinatio conquiescit*, quo discursu satis indicat idcirco non esse concedendũ Deum esse corporeum, aut compositum, ne solutioni obnoxius concedatur: atque adeò, si simplex sit, & incorporeus, consequenter incorruptibilem concedi debere, verum quoniam corruptio latè sumpta, vt quamuis desitionẽ complectitur, potest etiam competere rebus immaterialibus, vt excludamus à Deo omnem prorsus modum corruptibilitatis, recurrendũ est ad rationem actus puri, qua excluditur omnis potentialitas, quæ est radix corruptionis, vt patebit in tractatu de immutabilitate Dei; idẽ ex fundamento inferiùs stabiliendæ, nõ sequitur: nam de ratione primæ causæ est, vt sit ens per essentiam, & suummet esse, nihil autẽ intelligi potest absque sua essentia, etiã abstractione præcisionis: ergo multo minùs abstractione negationis, quare sicut homo semper est animal rationale, ita Deus semper est. Præterea omnis corruptio, vel prouenit ab intrinseco, vel ab extrinseco, Deo neutro modo potest aduenire: est igitur à corruptione immunis. Assumptio ostẽditur, inprimis autẽ quoad corruptionem ab extrinseco, hæc enim duobus modis fingi potest, vel per actionem agentis contrarij, vel per suspensionẽ influxus causæ conseruantis: Deus est causa prima, & à se, ideò corrumpi nequit ex eo, quod conseruari desinat, quia sicut non indiguit causa producente, vt esset, ita neque vt semper sit, indiget conseruante: Deus item est ens per essentiam absque vlla potentialitate, & incapax omnis omninò formæ extraneæ: ergo pati nequit violentiam ab agẽte contrario: violentũ enim semper est extra naturam eius, cui accidit: quare cum Deus nõ sit capax vllius formæ accidẽtalis, vel substantialis extraneæ, corrumpi haudquaquã potest virtute contrarij agentis. Non posse autem corrumpi ab extrinseco, ex dictis infertur, omnis enim corruptio ab extrinseco oritur ex disidio, & inæqualitate partium, hoc autem disidium, & inæqualitas nõ cadit in Deum, quoniã supponit potentialitatem. Quare abhorret à natura Dei, vt sit obnoxius corruptioni, & ita remouetur ab ipso imperfectio corruptibilitatis.

Nazianzen.

V. Sed enim cum immunitate à corruptione cernimus in creaturis priuationem vitæ: cœli enim, quos incorruptibiles Philosophia docet, vitæ expertes sunt. Quæ imperfectio à primi agentis ratione, & natura longè est aliena, vt ex instituto probat Henricus in summa art. 27. quæst. 2. & facilè patet, quoniam de ratione eius est, vt agat, & non agatur, moueat, & non moueatur; inter agentia verò ea quæ vitæ expertia sunt nequaquam mouent, nisi moueantur, hoc enim principium supponitur in discursu Arist. lib. 8. Phys. quo ex motus perpetuitate colligit mouens immobile, & incorporeum, quoniam mouens corporeum diuturnitate temporis lassatur, ac deficit in mouendo: quæ ratio nihil concludit, si de motore inanimato sermo sit: nã si manus mouens baculum non lassetur, ipse nequaquam defatigatur: neque modo est minor vis in primo mobili ad trahendum inferiores orbes, quam fuerit ab initio mundi, supponebat itaque Philosophus primũ motorem nõ debere esse vitæ exortem, quoniam non viuentia, nonnisi mota mouent. Accedit quod nihil inferioris ordinis quoad essentiã potest esse sufficiens, & completa causa rerum naturæ præstantioris, viuentia longo interuallo superant non viuentia: cùm ergo inter effectus causæ primæ sint plurima viuentia, remoueri ab ipsa debet imperfectio priuationis vitæ. Verùm enimuero quamuis gradus

Henric.

Aristot.

vitæ sit perfectio simpliciter, non tamen quoad omnes eius modos: nam vita vegetabilis ac sensitiua, quoad proprias rationes inuoluunt imperfectionem: tum quia vtraque est actus compositi, atq; adeò supponit corpus, sine quo proprias functiones exercere nequit, tum quia vegetabilis supponit defectum viuentis perducendi per augmentationem ad iustã magnitudinem naturæ debitam, & passibilitatem inter humidum & calidum, & continuam humidi dissolutionem, quod nutritionis beneficio reparari debet, sensitiua vero potentiam passiuam, vt moueatur ab extrinseco obiecto, & alias imperfectiones, quę, vt cõstat ex superioribus, abesse debent à causa prima, solus itaque gradus vitæ intellectiuus ex propria ratione addit perfectionẽ simpliciter: intelligere enim secundum præcisam rationem intelligendi, nihil imperfectionis includit, sed puram actualitatem cognitionis sine materia, ac potentialitate, vel saltem cum abstractione præcisionis ab illa, vt fusius ostendam in tractatu de perfectione Dei. Hunc autem vitæ gradum necessariò admittendum in causa prima, constat, quoniam omnis causa efficiens agit propter finem intentum per se vel ab ipsa, vel à superiore causa dirigente, causa prima non habet superiorem, à qua dirigatur: ergo ipsa cognoscere debet finem, & habitudinem mediorum ad ipsum: atque adeò particeps esse gradus substantialis vitæ intellectricis, sine quo dari nequit cognitio ordinis mediorum ad finem.

Deus est ens à se.

Caput III.

I. EX remotione imperfectionũ substantialium plerisque creaturis cõmunium coalescit cõiunctum graduum substantialium secundum conceptum communem analogicum habentium rationẽ perfectionis simpliciter, nempè substantia incorruptibilis, viuens, intelligens, quod vnico nomine Spiritum appellamus. Et idcirco *Augustin.* D. August. lib. 15. de Trinitate, cap. 6. inter pleraque nomina Deo tribui solita, hoc solùm videri, ait, significare substantiam: quia, quamuis cætera, cùm Deo tribuuntur, eandẽ significent, vt cõstabit inferiùs, multa tamen significant per modum qualitatis, hoc vero etiam ex modo significandi dicit substantiam. Verùm ipsa quoque ratio Spiritus, si nihil addatur, non secernit Deum à creaturis, nec cum eo solum recurrit: nã Spiritus ad laudem Dei inuitat, Psalmographus, Psalm. 150. supponens vtique spiritus esse alios à Deo, scilicet animas rationales, & Angelos, à quibus essentia Dei, vtpote superexcellens vniuersa, essentiali discrimine dissidet. Id vero indagandum est remouendo imperfectiones eas, quæ creatis spiritibus annexæ sunt. *Psal. 150.*

II. Prima vero imperfectio spiritus creati, immò, & vniuersæ creaturæ est essentialis dependentia à causa, ratione cuius dicitur ens ab alio: nam, si à cõmunissima ratione entis analoga Deo, & creaturis descendamus per modos entis creaturis communes, primum se offeret ratio entis dependentis, in qua conueniunt res omnes, quæ à Deo distinguuntur: & ita D. Augustinus, *Augustin.* lib. de cognitione veræ vitæ, c. 7. Anselm. *Anselm.* in monolog. à cap. 1. Richard. de Sancto *Richar. Vict.* Victore, lib. 1. de Trinitate, c. 12. & Alens. *Alensis.* 1. p. q. 48. m. 4. art. 3. §. 2. ad secundum ad Deitatis indagationem tamquam primam diuisionem entis proponunt eam, qua partitur in ens à se, & ab alio. Ex quo patet primum, quo Deus à creatura secernitur, esse rationem entis increati, quod dicitur ens à se: rectè enim D. Gregor. Nyssen. lib. de *Nyssen.* hominis opificio, cap. 16. *Quid igitur*, inquit, *in quo naturæ diuinæ, & eius, quæ ad diuinam est conformata, discrimen perspici potest? Illud vero in eo perspicies, quod Dei natura extitit increata, hominum vero per creationem orta: hoc deinde discrimen alia quædã consequuntur.* Primum inter omnia discrimen penes creatum, & increatum agnoscens: idque adeò verum credidit Cyrillus Alexand. vt ipsam diui- *Cyrill. Alex.* nitatem contraponat rationi esse creati, sic enim ait, lib. 3. de Trinitate versus finem, *diuinitas proprietas Dei est, quemadmodum & creatum esse creaturæ*, quasi propria, ac prima ratio diuinitatis sit ipsum esse increatum, sicut prima ratio creaturæ est ipsum esse creatum. Si quis autem obijciat esse increatum propriè in negatione consistit: omnis autè negatio supponit rationẽ positiuam: ergo ratio esse increati non est prima in Deo: respondeo ipsam negationem non esse primam, quoniam ens verum non differt primum ab alijs entibus per negationem, sed negatione aliqua positiua essentiali, & intrinseca. Verùm, quia nos latet particularis ille modus essendi, quo primum Deus secernitur à creatura, explicamus eum per negationem, quæ ad illũ proximè sequitur; & ita quod primum Deo tribuimus, est ens non ab alio, siue à se, queis verbis describimus positiuum essendi modũ Deo proprium.

III. Porrò ens à se dupliciter fingi potest, vel ita vt illud, *à se*, explicetur negatiuè,

hoc

hoc est nõ ab alio: vel ita, vt accipiatur positiuè, quasi ipsius à se sit aliquis progressus secundum rationem causalitatis. Esse vero ab alio dupliciter accipitur, vel tamquam ex termino à quo, vel tamquam à causa ipsius esse: terminus autem aut est priuatio coniuncta subiecto, aut pura negatio, & ipsum nihil. Et omnes hi tres modi essendi ab alio, excluduntur à Deo cum dicitur esse à se. Quam veritatem probat Anselm. in Monolog. cap. 5. & 6. Richard. de sancto Vict. lib. 2. de Trinitate, cap. 11. 12. & 13. & D. Bernard. lib. 5. de consideratione, cap. 6. ex illa Christi Domini responsione ad Iudæos interrogantes, Ioan. 8. *Tu quis es*, nempè, *principium, qui & loquor vobis*: nam solùm, id est, verè principium, à quo cætera incipiunt, & ipsum à nullo omninò est: vt patet ex definitione Arist. 1. Physicor. cap. 5. dicentis principia esse, *quæ nec ex se ipsis, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia sunt*: inter principia vero Aristotel. ipsam quoque priuationem recensет, sicut reuera est omnis terminus à quo. Et ideò quidquid habet causam, & terminum à quo, principium habet, & ipsum non est simpliciter, & absolutè principium: quare Deus ita est à se, vt nec à causa extrinseca dependeat, nec à termino extrinseco originem habeat. Ratione vero sic ostenditur: ante causam primam non est alia, ante vltimi finis causalitatem nullus alius potest mouere efficiens ad agendum. Est vero probatum supra, ex creaturis Deum esse primam causam efficientem, & vltimum finem: ergo ante ipsum non est alius finis, propter quem sit, nec alia causa efficiens, à qua sit. Ex hoc autem planè conuincitur, neque esse ab vllo termino, à quo: non à priuatiuo, quoniam priuatio coniuncta est cum potentia passiua subiecti, cui ineſt: non potest autem concipi potentia passiua absque ordine ad actiuam: ergo si ante Deum non est vlla potentia actiua, neque erit passiua: & consequenter neque priuatio illius comes indiuisa: Denique neque esse ex pura negatione, hoc est ex nihilo, probat Anselm. in Monolog. cap. 5. quoniam venit per nihil, aut per aliquid: per nihil enim ves non potest; quia quod nihil est nequit esse causa, vt quidpiam sit. Si per aliquid, aut per se, aut per aliud à se: si per aliud, iam id, quod fit, non erit summum, ac primum ens, sed posterius, & inferius eo, à quo fit: per se esse non potest, quia repugnat eandem rem esse priorem se ipsa. Itaque, cùm Deus dicitur ens à se, excluditur ab eo omnis omninò ratio principij extrinseci, & ita est à se, vt non sit ex nihilo, non ex aliquo, non ab aliquo, aut propter aliquid.

Anselm. Richar. à Vict. Bernard. Ioan. 8. Aristot. Anselm.

Restat videndum an Deus sit à se ipso positiuè, hoc est modo aliquo originis, aut causalitatis. Pro parte affirmante adducuntur à recentioribus aliqui Patres, qui interdũ aiunt Deum fuisse sibi causam, vt sit: nam Hieron. in id ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas, &c. Deus*, inquit, *sui origo est, suæq; causa substantiæ*, similiter ferè loquitur August. lib. 83. quæstionum, quæst. 17. & lib. 7. de Trinitate, cap. 1. ad finem, & Lactantius, lib. 1. instit. cap. 7. quã opinionem ex parte tenuit Henric. in sum. art. 21. quæst. 5. vbi præmissa distinctione causæ agentis, siue efficientis & formalis, respondet, Deum primo modo non habere esse à se, neque ab alio: secundo verò modo habere esse à se, non ab alio. Probat autẽ quoniam Deus habet esse ex eo, q̃ est forma, & actus purus, quæ est ipsum esse: atque adeò ratio actus puri, est causa formalis esse diuini. In cuius sententiæ confirmationẽ adducit idem Henr. art. 30. q. 1. verba Anselmi in Monolog. c. 5. vbi hanc quæstionem tractans in hunc modum interrogat. *Quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se, & ex se*, nimirum summa substantia, *si nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quomodolibet, vt quod non erat, esset, aduuit?* Et subdit solutionem sumpto exemplo, à luce, quæ est forma lucentis, in hunc modum, *nisi fortè eo modo intelligendum videtur, quod dicitur: quia lux lucet, vel lucens est per se ipsam, & ex se ipsa: quemadmodum enim sese habent ad inuicem, lux, & lucere, & lucens, sic sunt ad inuicem essentia, esse, & ens.* Lux autem ad lucere, siue ad lucens habet rationẽ causæ formalis: quare si Deus ita est à se, sicut lux lucet à se, erit à se tamquam à causa formali.

Hieronym. August. Lactant. Henric. Anselm.

IV.

Dico nihilominus. Deus non est à se causaliter, vllo genere causalitatis, assertio est certa, & euidens, eam probat Anselm. in Monolog. cap. 5. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 6. Nam nihil potest esse sibi causa essendi, omnis quippe causa est prior causato, at idem se ipso prius, & posterius esse repugnat. Cùm igitur in Deo nihil fingi possit prius eius existentia, fieri nequit, vt ipse sibi sit causa essendi: cùm enim existit, iam est, & non eget causalitate: vt autem seipsum causaret, existentia opus erat: omnis enim causalitatis fundamentum est existentia: nam ipsa quoque causa finalis, nisi saltem intentionaliter præexistat, nõ potest allicere efficiens ad operandum propter ipsam. Itaque repugnat Deum esse à se in omni genere causæ, quo-

Anselm. Bernard.

V.

niam

niam omnis causa habet prioritatem respectu effectus. Hoc fundamentum attigit D. Anselm. & D. Bernard. vbi supra ad hoc ipsum institutum. *A se*, inquiens, *cœpit nihil, nisi fortè quis putauerit, quod non erat, dare sibi potuisse, vt esse inciperet, aut fuisse aliquid antequam esset: quod vtrumq; quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium.* Ex quibus apparet quomodo sit intelligendum id, quod ipsomet cap. dixerat, tã nihil posse esse sine Deo, quam nec ipse sine se esse potest; nam licet vtrumque repugnet, nempè & esse aliquid sine Deo, & Deum ipsum sine se: diuersa tamen est ratio repugnantiæ: nam primum repugnat ob dependentiam creaturæ à Creatore, secundum ob vnitatem Dei, & identitatem cum se ipso: Bernard. vero solùm attendit repugnantiam ipsam, non eius rationem: siquidem cum paulò pòst probauerit Deum non esse principium sui, non ideò putandus est dixisse Deum non posse sine se esse, quia sit originaliter à se, sed quia, vnus idemq; Deus nõ potest esse, ac non esse. Ipsi vero peculiares modi causandi singulorum generum, habent quoque specialem repugnantiam cum Deo: nam efficiens differt re ab effectu; finis est secundum esse intentionale prior effectu, & secundum reale posterior efficiente; materia est informis de se, atque imperfecta indigens ope & ornamento alieno. At impossibile est Deum à se differre, quia vnus est: habere priùs esse intentionale, quam reale, quia primus intellectus est, cuius existentia est saltem ratione prior omni esse intentionali; esse posteriorem vlla re, secundum esse reale, quia primum ens est: denique pendere quoad esse, immò, & includere in suo esse rerũ omnium abiectissimam materiam, quia summum bonum est. Repugnantia vero, cur sit à se positiuè in genere causæ formalis, in eo sita est, quod causa formalis, si propriè sumatur, differt ab effectu, quo prior, abstractior, & independentior est: Deus autem se ipso, neque prior, neque abstractior, neque vllo modo independentior esse potest.

VI. Hæc dixerim verè ac propriè loquendo, quomodo dicendum non est Deum esse à se positiuè, tamquam à causa, sed solùm negatiuè, ita, vt idem sit esse à se, ac esse non ab alio, quibus verbis exprimitur omnimoda independentia diuini esse ab omni alia re, quæ ipse non sit: nam, quod se ipso non dependeat, planum est. Verùm nostro intelligendi modo non repugnat, vt dicamus Deum esse à se, tamquam à ratione formali, quemadmodum ea, quæ pertinent intrinsecè ad essentiam, concipere ac nominare solemus per modum formæ: & diuinitatem Dei formam appellauit Paulus Apostolus ad Philipp. 2. & quemadmodum Socrates ab humanitate tamquam à causa formali habet, vt sit homo, ita essentiam Dei concipimus vt causam formalẽ ipsius esse: quoniam, sicut se habet vita ad viuere & lux ad lucere, ita essentia ad esse. Verùm enimuero est discrimen inter hæc, cùm modò creaturis, modò Deo ascribuntur: in creaturis enim ipsum viuere à vita, lucere à luce, & esse distinguitur ab essentia: in Deo autem nulla est inter ea distinctio: & ita non admittitur in diuinis vera ratio causæ formalis, sed solùm metaphorica, & nostro intelligendi modo, quo res dicuntur esse à se, ac per se, cùm prædicatur de ipsis aliquid pertinens intrinsecè ad essentiam: qua ratione homo dicitur rationalis à se, & per se, quia rationalitas est quasi forma intrinseca essentiæ. Et hoc credo intellexisse Hieronymum, cùm dixit, Deum sibi esse causam, vt sit, hoc est, quia intrinsecè, & ab essentia sua habet, vt sit: quod patet ex similitudine ignis, qua vtitur: nam ait ignem à se esse calidum, alia non à se, sed ab igne: quia ignis per naturam suam, & non alterius extranei participatione calidus est, *cætera, qua ex igne calefiunt, calorem illius mutuantur.* & in hoc sensu concedi potest Deum esse à se positiuè, non ita vt verba illa, *à se*, indicent causalitatem, vel originem, sed rationem formalem intrinsecam, qua Deus nostro intelligendi modo est ipsum ens. Et hoc solùm probat ratio Henr. & ad hoc solùm tendit similitudo Anselmi sumpta à luce, quæ dicitur lucens à se, præuidens enim non esse adæquatam similitudinem in rebus creatis ad exprimenda diuina, statim initio præmisit, vndè id conijci possit, *nisi fortè*, inquiens, *eo modo intelligendum videtur, quod dicitur, quia lux lucet, vel lucens est per se ipsam.* Itaque solùm vult, quemadmodum lux est formalis ratio intrinsecè lucentis, ita essentiam Dei esse rationem formalem intrinsecam eius, quod est, & in hunc sensum dixit Richard. lib. 1. de Trinitate cap. 12. & 13. quod essentia diuina *à semetipsa habet totum, quod habet*, testimonia Augustini nõ fauent oppositæ sententiæ: nam quæstione illa 17. loquitur de sapientia genita, cuius causa dicitur Deus Pater, quo sensu sæpè Patres præsertim Græci loqui solent de vna persona producente respectu alterius; In secundo loco potius asserit oppositum: probat enim sapientiam genitam non posse esse Patri causam,

Ad Philip. 2.

Hieronym.

Anselm.

Richar Vict.

Augustin.

vt sa-

vt sapiens sit, quia esset causa, vt sit, quod fieri non posset, nisi gignendo, aut faciendo Patrem, quod tamen concedere est absurdum. Lactantius non admittit expositionem, nam vt patet ex verbis ipsius, quæ sic habent: *Quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit, cõsequens est, vt quando nihil antè illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus*, verbum procreatus, veram causalitatem significat, quod apertius constat ex verbis Senecæ, quæ subdit & approbat, *Nos*, inquit, *aliunde pendemus, itaque ad aliquem respicimus, cui, quod est optimum in nobis, debeamus, alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit.* Quæ verba planè sonant Dei à se ipso progressionem, & causalitatem. Vnde inter alios Lactantij errores hic numeratur ab autoribus.

VII. Restat explicandum, vtrum hæc conueniant soli essentiæ diuinæ, vt forma substantialis est, an verò omnibus, quæ quoquo modo sunt formaliter in Deo, & quidem conuenire soli essentiæ videbitur. Primo, quoniam quidquid supponit aliud ad sui intelligentiam, & existentiam aliquam dependentiam ex ipso habet: atqui diuina attributa supponunt vtroque modo essentiam diuinam, neque enim sapientia, iustitia, æternitas, & similia, esse, aut intelligi possunt sine substantia, cuius propriæ sunt: ergò ab illa sunt: deinde quoniam vt docent Theologi, ipsa est fundamentum & radix cæterarum perfectionum essentialium, quæ per ipsam à priore demonstrantur: itemque relationum diuinarum, propter quod Magnus Dionysius cap. 2. de diuinis nominibus parte secunda, filium, & Spiritum sanctum vocat fœcundæ Deitatis germina plantata diuinitus, & veluti flores, & Cyrill. lib. 13. Thesaur. cap. 3. Spiritum sanctum fructum diuinæ essentiæ, & Patres referri soliti in materia de Trinitate sæpè vocant Patrem causam filij, & Spiritus sancti; Ex quo sumitur tertiũ argumentũ, nam filius æternus verè est à Patre: ipse enim de se fatetur Ioan. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, cuius dicti priorem partem de generatione æterna Patres intelligunt: & de Spiritu diuino dicitur Ioan. 15. *Spiritus qui a Patre procedit*, itaque de fide est filium esse à Patre, Spiritum sanctum ab vtroque: quod autem ab alio est, à semetipso non est: quare esse ab alio soli essentiæ conuenit.

Magnus Dion. *Cyrill. Alex.* *Ioan. 16.* *Ioan. 15.*

VIII. Pro solutione suppono dupliciter esse aliquid ab alio positiuo, nempe tanquam à principio producente, & tanquam à forma intrinseca: tanquam à principio item tripliciter, aut tanquam ab extraneo natura, & suppositalitate distincto, aut tãquam à coniuncto secundùm eiusdem essentiæ vnitatem, & sola personalitate distincto, aut à coniuncto secundùm eandem suppositalitatem, formaliter tamen diuerso. Hoc posito dico, omnia, quæ sunt in Deo, sunt simpliciter à se. Fundamentum est, quoniã esse à se, & ab alio, diuidunt ens in creatorem, & creaturam, ita vt quidquid est ab alio, sit creatura: quidquid non est ab alio, sit creator ac Deus: quidquid autem in Deo est, Deus est, vt docent Patres: Et ita non minus est à se sapientia diuina, quam Deitas: nec minus paternitas, quàm essentia: nec minus filiatio, quàm paternitas, & hoc nomine non benè audit opinio Scotistarum distinguentium ex natura rei perfectiones diuinas ab essentia tanquam proprietates à subiecto, à quo suo modo emanant, & in quo radicantur, & ideò cæteri Theologi arguunt contra eam, quoniam ex ipsa sequitur attributa non esse Deum, sed creaturas: cui argumento, etsi Scotistæ respondere conentur, non tamen possunt se facilè expedire: maximè ij, qui singulis perfectionibus singulas tribuunt existentias à re distinctas, vt Lychetus in 1. d. 8. q. 3. §. *Occurrit tamen difficultas*, in fine: nam, si sapientia, verbi gratia, secundùm suam rationem formalem non est idem ex natura rei cum diuina essentia, habetque peculiarem existentiam nõ à se, sed ab illa, quomodo quod est, à se ipsa est? & hoc sanè voluit Richard. de sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 13. cùm ex eo, quod Deus sit, & habeat à se, quidquid habet, concludit sapientiam, & potentiam non esse aliud omninò, quàm diuinam substãtiam, quoniam alioquin, cùm sine sapientia sapiens, sine potentia potens esse nequeat, quod ab ipsis habet, non tam à se, quam aliunde habet. Verùm possunt se tueri sumpto exemplo à personis diuinis, si quidem filius est à Patre, & nihilominus dicitur esse à se: sed adhuc est discrimen, quoniam filius non est ab alio neutraliter, & substantiuè, sed masculinè, & adiectiuè solum per communicationem eiusdem naturæ secundùm omnem suam perfectionem, & modum habendi ipsam, præter habitudinem Patris, & idcircò Christus dixit Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit filio habere vitam in semetipso*, hoc est vitam non pendentem à causa extrinseca, aut à forma distincta, sed vitam, quæ sit ipsemet filius, cui data est: At perfectiones attributales, si distinguãtur ex natura rei ab essentia, in qua radicantur, sanè sunt ab alio neutraliter & substantiuè: nam alietas adiectiua exigit

Lychet. *Richard.* *Ioan. 5.*

distinctionem suppositalem : hæc autem non est inter attributa & essentiam. Item Deus non diceretur tũc à se sapiens, iustus aut misericors, sed à sapientia, iustitia, ac misericordia, tanquàm à formis distinctis, & ita Deus ipse non esset simpliciter ens à se, quod est absurdum.

IX. Porrò personæ diuinæ etiam, quæ ab alijs procedunt, dicuntur simpliciter à se, quoniam, etsi sint à principio originis, tamen non sunt à principio factionis per veram rationem causalitatis, neque per formam à se distinctam, quæ duo inferunt rationem entis creati : & ideò Anselm. in Monolog. cap. 5. & 6. vbi inuestigat vtrum diuina natura sit ex se, an ab alio, vel ex nihilo: semper ea, quæ à se non sunt, dicit facta per aliud, indicans sola factione, qua faciens est aliud à facto, tolli rationem eius, quod est à se. At singulæ personæ diuinæ non sunt aliud, & aliud : sed alius, & alius: nec factæ per participationem ipsius esse secundùm analogiam, sd productæ per communicationem eiusdemmet essentiæ diuinæ indiuiduæ, à qua non distinguuntur, & ita non est aliud filius æternus, qui sapiens dicitur, & aliud sapientia, qua sapiens dicitur, sed ipse est sua sapientia, ipse sua æternitas: & caret omni ratione essendi ex alio, siue tanquam ex termino, siue tanquam ex materia, siue tanquam ex causa efficiente. Sola restat ratio essendi ab alio dicto masculinè, tanquàm à principio originis in eadem natura.

Anselm.

X. Ex dictis patet solutio ad rationes dubitandi. Nam ad priores duas, quæ procedunt de attributis dicendum, vt aliquid dicatur esse, non à se, sed ab alio, opus in primis esse, vt sit aliud, & aliud, perfectiones autẽ attributales, vt constabit tract. 5. non distinguuntur ex natura rei, & ita non sunt aliud, & aliud: atque adeò inter ipsa, & essentiam, nulla est ratio prioris secundùm esse: & consequenter neq; attributa sunt ab alio, sed à se: quoniam sunt ipsamet Deitas, & sicut hæc est à se, & non ab alio, ita & ipsa. Tamen propter virtualem distinctionem admittunt nostro intelligendi modo prioritatem secundùm intelligentiam, ratione cuius alia per alia demonstrantur: sed ex hoc non sequitur, vt sint ab alio, & non à se; & ita patet solutio ad priores duas rationes, quatenus loquuntur de attributis. Eadamque ratio est de relationib. comparatis cum essentia, à qua quia non distinguuntur ex natura rei, non dicuntur esse, quamuis à Theologis metaphoricè dicatur ipsarum radix, quatenus ob immẽsam eius fœcunditatem pullulant relationes. Si verò personæ procedentes comparẽtur cum ijs, à quibus procedunt, sunt ab alio masculinè, tanquam à principio originis, non factionis, vt explicatum est, quod solum voluerunt Patres accipientes nomen causæ latè pro principio: de quo fusius in materia de Trinitate,

Deus est ens necessarium, & per essentiam.

CAPVT IV.

ALia imperfectio cõmunis omni creaturæ est possibilitas, voco autẽ possibilitatem presse, quatenus dicit aptitudinem ad essendum cum indifferẽtia ad esse, vel non esse: nam ea, qua quidquid aliquo modo est, dicitur possibile, & opponitur impossibilitati, de se nõ dicit imperfectionem, negatio enim impossibilitatis aliqualis perfectio est. Possibilitas autem presse, quatenus recurrit cum contingentia, & opponitur necessitati simpliciter, est maxima imperfectio omnis creaturæ. Omnis quippe defectus aut deficiendi periculum est alienum à perfectione, melius enim est cuius enti, vt nequeat deficere, quàm vt deficiendi periculo sit expositum. Hic autem defectus prouenit creaturæ ex eo, quod sit ab alio, hoc est à prima causa: nam cùm hęc sit libera in operando, vt habetur ex fide, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Psal. 113. Ex ipsius arbitrio pẽdet omnis rerum existentia, siue quoad inceptionem, siue quoad permanentiam, aut desitionem: atque adeò cùm res creatæ non habeãt esse à se, sed à Deo, habent illud ad modum, quo emanant à Deo, ab ipso autem liberè, & non necessariò emanant: quare non habent absolutam necessitatem, sed contingentiam. Et quanquam Philosophi disputent, an res quæ non est à se, necessariò sit, & nonnulli dicant nõ repugnare ex terminis, vt sit necesse esse ex alio, qua ratione sentiũt plerique substantias immateriales, & cælum de sententia Philosophi esse à Deo, & tamen necessariò. Nihilominus omnimoda necessitas dari potest cum origine ab alio sola personalitate distincto, vt patet in personis diuinis: non verò cum emanatione ab alio natura distincto: nam si creatura possit esse hoc modo necessaria, aut Deus à se illam necessario effundit, aut ab extrinseco principio, vel motiuo impulsus: à se non potest necessario determiuari ad operationem externam, quia & omnipotentia subest eius voluntati, & voluntas non mouetur necessario, nisi à bono necessario ad suã

I.

per-

perfectionem & felicitatem, quale solum est bonum ipsum diuinum, non creatum. Ex quo etiam patet non esse motiuum externum, necessario impellens Deũ ad productionem entis creati. Multo minus etiam potest esse principium mouens: nam prima causa nõ est subordinata actioni alterius, nec potest pati vim aut violentiam ab extrinseco. Et ita repugnat esse creaturam, & esse simpliciter necessariam. Sed de his fusius in materia de processione creaturarum à Deo. Nunc hoc tãquam certum sit, nõ posse esse ens ab alio simpliciter necessarium, vt ex Auicenna, Auerr. & alijs probat Henric. quodlib. 8. q. 9.

Henricus. II. licat.

Ex contrario principio ostenditur cum Scoto tractatu de primo principio cap. 3. conclusione 5. Deum esse ens necessarium. Quoniam Deus est: & non ex alio: ergò est ens omninò necessarium. Consequentia patet, quoniam ens, cui est intrinseca ratio essendi, non habet possibilitatem, vt sit, & vt non sit, sed solum determinatur ad esse; quidquid est enti à se: est intrinseca ratio essendi: ergò non habet indifferentiam, vt non sit, sed determinationem, vt sit; atque adeò Deus, cùm sit ens non ab alio, sed à se, est ens omninò simpliciter & absolutè necessarium, immò ipsum necesse esse, vt Theologi loquuntur. Assumptio ostenditur, quoniam ens à se non habet vllam causam sui esse, sed nostro intelligendi modo ipsum est quasi causa formalis sui esse; sed nihil est magis intrinsecum rei, quàm ipsa sibi: ergò ab intrinseco habet vt sit. Et quemadmodum August. lib. 12. de Ciuitate cap. 1. ex eo arguit Deum nõ posse esse miserum, quia se ipso beatus est, & nõ potest se amittere, ita quoq; ex eo ostẽdi potest nõ posse nõ esse, quia seipso est, & seipsum nõ potest amittere. Et cõfirmatur quia nihil est à se, vt à causa, sicut iam dictum est; ergò neque à se per modum voluntatis, quæ enim per voluntatem sunt ab aliquo, causaliter ab eo sunt: restat ergò, vt sit per modum naturæ: quæ verò ita sunt, necessariò sunt: ergò Deus necessariò omninò est. Denique quæ contingenter sunt, possunt incipere ac desinere: Deo vtrumque repugnat, vt constat ex sacris literis, quoniã ipse est qui est, vt dixit Exod. 3. & ratione, quoniam de non esse ad esse transitus non nisi per potentiam actiuam fit, antè Deum verò non est vlla potentia actiua, ergò non potuit incipere: nec verò desinere, quoniam desitio aut est per actionem contrarij agentis, aut per suspensionem causæ conseruantis: enti à se nihil est contrarium, à quo corrumpatur, nihil superius, à quo conseruetur, & quo deserente deficiat. Ergò Deus non habet possibilitatem, vt non sit.

August.

Exod. 3.

III.

Ex eo quod Deus sit ens à se necessarium, consequitur alia eius perfectio: quia scilicet solus ipse est ens per essentiã. Nam quidquid habet, non aliunde habet, quàm à se tanquam à causa formali & necessaria: quod autem est à ratione formali intrinseca, per essentiam, & non per accidens conuenit. Verùm vt constet quid sit esse ens per essentiam, obseruandum est cum Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 102. §. *Respondetur*, modo accipi, vt contradiuiditur ab ente per accidens, hoc est, quod non est de intrinseca ratione formali essentiæ, qua ratione accipit Boetius lib. de hebdomad. vt notat Diuus Thom. ibidem lect. 3. modo vt contraponitur enti per participationem in tota sua latitudine, quo sensu locutus Diuus Augustin. libr. 2. de moribus Manich. cap. 4. dixit Deum per se summè bonum, non participatione alicuius boni, sed propria natura & essentia, hi duo verò modi non conuertuntur, nam vt notat Diuus Thomas vbi proximè, & Ferrar. 1. contra Gent. cap. 22. circa sextam rationem, aliquid potest esse tale per essentiam priore modo, non secundo, vt patet in homine, qui est animal per essentiam, id est, non ex accidente, & tamen est animal per participationem communem sibi cum omnibus participantibus naturam animalis. Ens verò per essentiam in secunda acceptione totidem dicitur modis, quot ens per participationem illi oppositũ. Ideoq; præmittenda huius explicatio, vt quid sit illud, innotescat. Ens verò per participationem dicitur participatione alicuius formæ conferentis esse, quæ non est id ipsum, quod accipit eiusmodi esse: exempli causa, homo est sapiens participatione sapientiæ, quæ non est id ipsum, quod homo sapiens: quod autem semper differant participans, & participatum, docet Sanctus Thomas quodlibet. 2. quæst. 2. ar. 1. & Diuus Cyrill. lib. 1. in Euangel. Ioann. cap. 6. & 7. vbi ait id, quod vitam participat, non esse propriè vitam, & nihil se ipso participare. Debere autem participari aliqua forma perspicuum est; quoniam id, quod particeps dicitur, est id, quod est, forma verò est id, quo participat, & est; verbi gratia, homo participans sapientiam, sapiens est; sapientia verò ipsa est forma, qua homo participat, & qua sapiens est. Itaque cùm participare sit partialiter accipere, vt notat Diuus Thomas lib. 2. de cælo lect. 18. & opuscul. 69. super Boe-

Ferrar.

Boetius.

S. Thomas.

Augustinus.

S. Thomas. Ferrarien.

S. Thom. Cyrill. Alex.

S. Thomas.

tium

Scotus. *Athanas.* tium de hebdom. lect. 2. & Scot. in 1. dist. 8. quæst. 2. & sumitur ex Diuo Athanasio oratione contra idola prope finem, quod dupliciter intelligi potest, velut explicat Sanctus Thomas, vt forma participata sit totum aliquid, quod inadæquatè participetur, qua ratione sapientia diuina partialiter, hoc est, inadæquatè, & imperfectè participatur à creatura, & genera, & species, quatenus sunt totum vniuersale, inadæquatè participantur ab inferioribus, qua ratione species participant communem rationem generis, & individua speciei, vt *Porphyr.* patet ex Porphyrio cap. de specie asserente plures homines participatione speciei esse vnum hominem, & subiectum participat accidens, & materia formam, quia forma substantialis vel accidentalis, quæ de ratione sua communis est, determinatur ad hoc, vel ad illud subiectum, vel intelligi potest, ita vt forma ipsa participata sit pars, aut quasi pars participantis, qua ratione homo participatione animæ dicitur animatus, & participatione rationis rationalis; forma verò aut participatur formaliter, aut exemplariter: formaliter participatur lux à sole, qui est lucidus non per essentiam, sed participatione lucis sibi formaliter inhærentis: exemplariter autem participatur rosa vera à picta, quæ ad illius similitudinem formata est. Priore modo locutus est Porphyrius, cùm dixit plura individua hominis participatione *Aristoteles.* speciei esse vnum hominem; Posteriore Philosophus cùm loquens de ijs, quæ non sunt ipsum optimum libr. secundo de cælo text. sexagesimoquarto, *Hoc igitur,* inquiens, *habet, & particeps est optimi,* quod *D. Thomas.* Diuus Thomas ibi lect. decimaoctaua intelligit de substantijs separatis, quæ esse, & bonum habent ex alio, hoc est ex participatione primæ causæ. Semper autem est vtraque participatio coniuncta, non enim subiectum dicitur participare formam extrinsecam, nisi habendo formaliter intrinsecam ab illa deriuatam, verbi gratia, homo particeps sapientiæ diuinæ habendo formaliter sapientiam creatam exemplatam à diuina, forma verò formaliter participata diuiditur à Diuo Thoma opuscul. *S. Thomas.* supra Boetium de hebdomad. lect secunda & tertia, in accidentariam, & essentialem, communem tamen subiecto participato, qua ratione se habet natura generis ad species. Verùm ad rationem participationis oppositam enti per essentiam, de quo modo agimus, non opus est, vt forma participata sit communis, sed sat est, vt sit singularis distincta à parte rei ab eo, quod per illam est, nam diuinitas est forma singularis, & tamen sancti contendunt non esse aliud Deum, aliud eius diuinitatem, quia alioquin esset ens per participationem.

IV. Ex hoc facilè sumitur notio entis per essentiam, est autem id, quod quidquid est à se ipso, & se ipso est: dicitur quidquid est, quoniam vt notat Ferrarien. vbi supra, *Ferrar.* ad rationem entis per essentiam, non sat est vt seipso sit aliquid sui, nam licet sit aliquid sui, si aliquid sui non est, iam differt in ipso, quod est, & quo est: & consequenter quoad id est tale participatione formæ, qua est. Et hoc voluit Scotus in *Scot.* primo dist. secunda, quæst. tertia ad tertium princip. cùm rationem entis per participationem constituit in eo, quod non sit totum ens integrum ac perfectum, sed tantum pars ipsius: ens verò per essentiam id, quod est infinitum ac illimitatum, & consequenter perfectum in ratione entis simpliciter, quod reuera non aliud, quàm Deus est. Sed ne videamur supponere quod inuestigatur, sat est, vt ens per essentiam sit totum, quod est, nec sit in ipso aliud, quod est, & quo est. Neque doctrinam Scoti hoc modo explicatam meritò impugnat Caietanus prima par. quæstion. *Caietan.* quadragesimaquarta, artic. primo, §. *Circa minorem,* quin verò ipse eandem indicauerat eodem articul. §. *Circa hanc rationem,* statuens tres conditiones ad rationem entis per essentiam, scilicet, vt sit forma ipsa, non contracta, & in se naturaliter subsistens, & per secundam intelligit quasi restrictionem latitudinis alicuius rationis formalis, siue gradualiter, siue vniuersaliter, siue quouis alio modo, quomodocunque enim ratio formalis contrahatur, iam non remanet ens per essentiam, & hoc ipsum est, quod Scot. indicat, & paulò antè explicatum est, scilicet, vt ens per essentiam non sit ex parte, sed sit totum, quod est: quo etiam modo vsurpat ens per essentiam, Diuus Thomas libro secundo *S. Thomas.* contra Gentes cap. decimoquinto, argum. 4. vt ibidem obseruat Ferrarien. qui & *Ferrar.* ipse Scotum carpit. Additur, *à seipso,* ad excludendam rationem participationis à forma, & causa extrinseca, quidquid enim aliunde aliquid habet, per participationem id habet, vt colligitur ex doctrina Diui Augustin. in illa verba Psalm. 134. *Augustin.* *Laudate Dominũ, quoniã bonus Dominus.* Nam vbicunque est causa exemplaris, debet quoque dari efficiens imprimens effectui, quasi figillum exemplaris, qua similitu- *Dionysius.* dine vtitur Dionysius cap. secundo de di-

uinis

uinis nominibus 1. part. ad explicandum actionem Dei ad extra, qua se communicauit creaturis, & vice versa vbi non est causa efficiens, neque exemplaris, & ita quod à seipso habet esse, non habet illud per participationem formæ extrinsecæ; tandem subditur, *& seipso*, ad remouendam participationem à forma subiecto formaliter inexistente: quod enim se ipso est tale, non habet formam à se distinctam, qua tale sit: sed ipsum est forma subsistens, ipsum quod est, & quo est: & consequenter ens non per participationem formæ sibi formaliter inexistentis.

V. His præmissis dico. Solus Deus est ens per essentiam. Hæc est communis Patrum, & Scholasticorum, vt affirmat Herueus in primo dist. octaua, quæstion. prima, articul. secundo, citato §. *Circa minorem*, & potest colligi ex illo Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, addito discursu D. Augustin. citato loco Psalm. 134. in simili ferè materia, agit enim ibi de bono: eadem verò est ratio entis, nam creatura non dicitur simpliciter ipsum quod est, sed alia dicitur esse homo, alia Angelus, alia lapis, alia sapiens, & cætera. At Deus solus est ipsum quod est, quia non ex parte, sed ex toto est. Sed assertionem exclusiuam in suas exponentes distinctam oportet ostendere: sunt autem exponentes: Deus est ens per essentiam, & nihil aliud ab ipso est tale, cùm verò præter Deum non sit aliud ens, quàm creatura, vt secunda illa exponens sit vera, probandum est creaturam non esse ens per essentiam, sed per participationem. Id verò facilè colligitur ex dictis; quoniam creatura non est totum, quod est: nam saltem de omni creatura verè dixeris, quod non sit totum suum esse, vt probat Diuus Thomas libro secundo contra Gentes capit. quinquagesimo secundo, item non est à se ipsa, sed à causa prima, non est suamet forma, sed id, quod constituitur per formam. Non enim Angelus est vita, aut sapientia, sed vita viuens, & sapientia sapiens.

VI. Altera exponens ostendetur discurrendo per singulas proprietates entis per essentiam, primo ex Patribus, deinde ratione. Inprimis esse totum, quod est, habemus ex Magno Dionysio cap. tertio de diuinis nominibus. *Nam Deus*, inquit, *non quoquopacto est ens, sed simpliciter, & incircumscripte totum in se esse pariter ambit, & præambit super apprehendens.* Ob eandem causam Athanas. oratione contra idola satis post medium, Deum vocat ipsam essentiam his verbis. *Deus autem, qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit, quapropter & eius ratio ipsum esse est*, quasi dicat, non est in eo vlla ratio formalis, qua sit, quæ non sit ipsum esse ipsius: & proinde, quia partes non habet, totum suum esse est. Et Philo libro primo allegori. sacræ legis, *Sibi ipsi locus est, & ipse se ipso plenus, sibique sufficiens, vtpote vnus, & totus ipse ens.* Si quid in creatura maximè non est ipsa, locus eius est, qui illam ambit extrinsecus, & ideò Philo, vt ostenderet Deum esse maximè eundem sibi, & totum, quod est, etiam sibi locum esse dixit: & Bernard. sermon. de triplici cohærentia vinculorū ex illis verbis, Exod. 3. *Ego sum qui sum.* colligit Deum solum veraciter esse, & subdit causam, *cui est esse, quod est*, scilicet, quia nihil ipsius est, quod ipse non sit, atque adeò est totum, quod est; Illustris locus est apud eundem Bernardum libro quinto de considerarione, capit. sexto, vbi sic habet: *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur quod est, est, nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, si & centum alia addas, non recessisti ab esse, si ea dixeris, nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisti, si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse, quàm esse?*

VII. Solum Deum esse à se, & non ab alio docuit Diuus Gregorius libro decimosexto Moral. cap. decimosexto, super illa verba, *Ipse enim solus est*: quærit, cur cùm tot aliæ res sint, Deus solus esse dicatur: Respondet autem, *Sunt hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt, & nigubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt*; ideò non sunt simpliciter creaturæ, quia non à se ipsis, sed ab alio sunt, hocidem docent Hieronymus super illud ad Ephesios 3. *Propterea curuo, &c.* Augustin. libro de cognitione veræ vitæ, cap. septimo. Anselmus in monolog. cap. vigesimoseptimo, Bernard. libro quinto de consideratione cap. sexto, idem clarius Damascenus libro primo, capit. octauo, appellans Deum ipsammet essentiam, & causam subdit, *vtpote quæ, nec esse suum, nec quidquam eorum, quæ est ab alio, habeat: verum ipsa potius ijs, quæ sunt essentiæ: ijs, quæ vitam habent vitæ, ijs, quæ ratione vtuntur, rationis scaturigo sit.* Id ipsum volunt ij, qui idcircò Deum propriè, ac simpliciter appellari volunt ens, quod ipse semper sit

Philo. Bernard. Gregor. Mag. Hieronym. August. Anselm. Bernard. Damascen.

Hermans. Caietan. Exod. 3. August. D. Thomas. Magn. Dionys. Athanas.

Anastas. ens in se, cætera eius participatione, ita Anastasius Synaita libro secundo de fidei dogm. *Deus sanè solus est ens propriè sumptum, quod pari modo se semper habeat, nec mutetur: si quid præterea in eius participium venit, vt vocetur ens, non statim primitiuè est ens, sed participio eius, qui propriè, & primitiuè, fortè autem singulariter, & solitariè est ens*, itaque contraponit ens per participationem enti, quod propriè & primitiuè est ens, quod Gregor. vbi supra appellat ens principaliter: id verò solum est, quod non habet esse ab alio, sed à se: nam si ab alio habet, id vtique est primitiuè ac principaliter ens: vt enim ait Augustinus libro octuagesimotertio quæstionum, quæstione secunda, non est intelligibile, quod causa excedat suum effectum in entitate, ac perfectione, & ita excluditur à Deo participatio formæ extrinsecæ.

Augustin.

VIII. Deinde Deus se ipso est quidquid est: atque adeò non per participationem formæ intrinsecæ: illud asserunt frequenter Patres, quos referam capit. octauo. Idem sumitur ex alio modo loquendi Patrum, dicunt enim, quidquid in Deo est, esse ipsum Deum. Ita Augustinus libro de triplici habitaculo cap sexto. Hilarius libro septimo de Trinitate inter med. ac finem, & libro octauo ante medium. Cyrillus Alexandrin. libro nono de Adorat. in spiritu & verit. inter principium & medium, Bernardus sermon. octuages. in Cant. libro quinto de considerat. cap. septimo, & tractat. de diligendo Deo versus finem, & Hugo Victorinus quæstion. trigesimatertia in Epistol. ad Romanos, Augustin. in particulari excludit à Deo hunc modum participationis libro vndecimo de Ciuitate cap. decimo, nam cùm dixisset ens per participationem id, quod est per formam, quæ non est, quod ipsum concludit in hunc modum: *Secundum hoc ergò dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, verèque diuina sunt, quod non est aliud in eis qualitas, aliud substantia, nec aliorum participatione, vel diuina, vel sapientia, vel beata sunt*; institutum Augustin. eo loco est ostendere Deum esse simplicem, nec in ipso differre quod est, & quo est, quoniam alias esset ens per participationem, & ideò colligit non esse diuinum, sapientem, aut beatum participatione diuinitatis, sapientiæ, aut beatitudinis, quæ non sit ipsemet. Eodem modo Diuus Athanasius oratione contra idola prope finem explicans, quomodo verbum sit ipsa sapientia, *Non ex eo*, inquit, *quod aliqua ex parte istarum communionem adipiscatur, aut ista aliunde aduentitia, aut superuentitia, eius naturam ambiant, quales sunt, qui istarum rerum participes fiunt, ac propterea sapientes, fortes, rationales efficiuntur, sed quod per se sit ipsissima sapientia, ipsissima ratio.* Itaque de mente Athanas. ex eo verbum diuinum non est sapiens per participationem, quia est ipsamet sapientia per se ipsum, non participatione formalis scientiæ, tanquam formæ à se distinctæ. Similiter Diuus Cyrillus libro nono thesaur. cap. vltimo, Spiritum diuinum probat esse sanctum per essentiam, non participatione formæ extrinsecus à Deo collatæ, & ita vtramque remouet imperfectionem participationis.

Augustin. Hilarius. Cyrill. Alex. Bernard. Hugo. Augustin. Athanas. Cyrill. Alex.

IX. Omissa authoritate idem ratione conuincitur per singulas partes. In primis verò quoad primam. Etenim Deus est expers causalitatis passiuæ, ergò est totum quod est. Antecedens patet, quia est ens à se, & necessarium, vt probatum est, consequentia ostenditur, quoniam ex oppositio consequentis sequitur oppositum antecedentis, quod enim non est totum, quod est, secundum aliquid sui est subiectum causalitati alicuius agentis. Id verò patet, quoniam ens, quod non est totum suum esse, est compositum, vbi autem compositio, ibi actus, & potentia passiua: hæc verò vbi datur, coniuncta est cum subordinatione ad actiuam: ergò de primo ad vltimum, id, quod non est totum, quod est, subest causalitati passiuæ: contra verò, quod huic non subest, necessariò est totum, quod est. Quoad alias verò partes probatum est superius: sed breuiter ostenditur, quod est primum ens, & optimum, non est ens per participationem, aut attributionem ad aliud, nec per actionem alterius agentis, quod docuit Aristoteles libro secundo de cælo, text. sexagesimotertio, his verbis: *Et autem quod optimè se habet, nihil actione opus est: est enim ipsum [illegible] cuius gratia*: Deus autem, vt const[illegible] ex libro primo, est ens primum, & optimum, quoniam est causa prima efficiens, cuius est primitas in essendo, & vltimus finis, cuius est summa perfectio, & excellentia bonitatis: Ex quo sequitur Deum non esse ens per attributionem ad formam extrinsecam exemplarem, aut per actionem agentis externi, & consequenter neque ens per participationem for-

Aristoteles.

mæ ex-

mæ extrinsecæ. Denique Deus nullam omninò causam habet intrinsecam, neque est causaliter à se ipso, vel aliquo sui, sed tota ratio causalitatis formalis reducitur ad nostrum modum intelligendi, quo eundem concipimus, vt formam, & perfectum forma, vt quod est, & quo est, vt patet ex superiore cap. quare non aliud est, & alio est, sed ipse est, quod est, & quo est; atque adeò quidquid est, se ipso est, & consequenter non est ens participatione formæ formaliter habitæ.

X. Aduersus hæc vna occurrit obiectio. Nempè quod ad rationem entis per participationem, sat est, vt subiectum denominatum ab aliqua forma non vendicet ipsam per se primo, & in quantum ipsum, sed simul cum alijs in ea conueniat; qua ratione homo, & brutum dicuntur participare naturam animalis. Deus autem conuenit cum creatis in ratione entis, & aliarum perfectionum simpliciter vt potè vitæ, sapientiæ, ac similium: atque adeò erit ens, viuus, & sapiens per participationem. Respondeo tamen ad rationem participationis non sat esse quamuis conuenientiam sub aliquo communi, sed sub vniuoco. Nam cum ratio vniuoca in sua præcisa abstractione sumpta sit vna per se indifferens ad plura, quorum singulis inexistit, non secundùm totam suam amplitudinem, sed diuersimodè contracta, in omnibus seorsim sumptis est in adæquatè, & ex parte tantum; exempli causa, animal secundùm virtualem extensionem ambit terminos omnium suarum specierum, & est homo, equus, leo, aquila, delphinus, & cæt. & ita, quia singulæ species vendicant rationem animalis, non secundùm totam eam extensionem, sed ad se contractam, ipsam participare dicuntur, & propter hanc rationem probat Sanctus Thom. lib. 1. contra gentes cap. 32. in 3. ratione nihil esse vniuocum Deo, & creaturis, quia nihil in eo est per participationem. At in analogis aliter se res habet, non enim habent vnam aliquam naturam omnibus communem, sed analogata omnia, secundùm quod conueniunt, subeunt vicem vnius obiecti, & quoniam in analogis per attributionem vnius ad alterum, sicut sunt Deus & creatura, semper est aliquid natura prius, per attributionem ad quod cætera dicuntur, hoc est simpliciter primum, & ab alijs participatum: ipsum verò nequaquam dicitur participare cum cæteris: nam reipsa ipsum non est posterius ratione communi analogi, imò prius: quoniam ratio illa, quatenus communis, & analoga est, supponit pro omnibus analogatis confusè acceptis: At primum analogatum est prius collectione omnium analogatorum, quandoquidem est prius alijs à se confluentibus ad eiusmodi collectionem: & proindè, cùm nihil dici queat ens per participationem à ratione, quæ est ipso posterius, nunquam primum analogatum dicitur simul cum alijs analogatis participare rationem communem analogam. Quod intelligendum est per se primo: nam si inter membra analogata vnum participet formaliter perfectionem alterius, dicetur quoad hoc ens per participationem, quomodo substantia quamuis sit præcipuum analogum entis creati, tamen quia participat rationem sapientiæ, iustitiæ, & similium formarum sibi inhærentium, verè dicitur sapiens, & ens per participationem. At Deus Optimus Maximus est primum, ac præcipuum entis analogatum, & ita præcisè ratione conuenientiæ in ente, non est ens per participationem. Deindè verò, quia præhabet omnem perfectionem entis simpliciter, nec formaliter participat vllam rationem entis, aut perfectionis à se diuersam, rationem entis non ex parte vendicat. Atque adeò est ens per essentiam.

Deo per essentiam conuenit ipsum esse actualis existentiæ.

Caput V.

I. NVnc videndum, vtrum Deus sit ens per essentiam in primo modo dicendi per se, & quoniam vt ait Henric. in summ. articul. vigesimo octauo quæstione quarta, & quodlibet. primo quæstione nona, ens à duplici forma denominatur, scilicet ab essentia, & ab existentia; Nunc dicendum de ente, quatenus dicitur ab existentia. Id verò si comparetur cùm creaturis, nullo modo pertinet ad rationem essentialem ipsarum, vt est communis Theologorum sententia, quos deinceps referam. Etenim quamuis sit controuersia, vtrum in rebus

Henric.

creatis existentia distinguatur ex natura rei ab essentia, omnes tamen, etiam qui negant distingui, aiunt eam non pertinere ad essentiam creaturæ. Fundamentum est, quoniam creatura nõ est ens necessarium, aut à se imò potentiale, & subordinatum liberæ voluntati primæ causæ: atque adeò nulla creatura est ens, siue existens per essentiam: hoc enim ipso per se, & à se necessariò esset absque dependentia à causa prima. An verò Deus sit ipsum esse, siue existentia per essentiam in primo modo dicendi per se, nunc examinandum.

II. Partem negantem tenuerunt quidam apud Bassol. in 1. d. 8. q. 1. art. 2. & expresse docuit Mayron. in 1. d. 2. qu. 1. art. 2. qui censet esse, siue existentiam non esse de ratione formali, & essentiali Dei, sed modum intrinsecum, cuius sententiam defendit Picus Mirandulanus conclusione 8. ex ijs, quas defendit iuxta mentem eiusdem Mayronis: consentit Bargius eadem dist. §. *Quia illa*, & Trombeta, quem ibidem refert. Continetur autem sententia Mayronis duobus pronuntiatis. Primum est, ipsum esse, siue existentia non est de intrinseca, & essentiali ratione Dei. Secundum, esse conuenit Deo in secundo modo dicendi per se, tanquam modus eius intrinsecus. Hoc secundum probat argumento sumpto ex creaturis: nam quoties aliquid adueniens alicui non variat rationem eius formalem, est modus intrinsecus: existentia verò ita se habet: nam homo potentia, & homo actu existens est idem homo formaliter: & simili modo essentia diuina considerata cũ abstractione ab existentia, & cõiuncta cum existentia, est eadẽ omninò formaliter: ergò existentia non mutat rationem formalem, atq; adeò est modus essentiæ. Primum verò ostenditur primo, quoniam alia est quæstio, an est, alia quid est: & proindè alia est forma, qua res est, siue existit, & alia, qua est hoc aliquid, ad quod alluſit Boët. lib. de hebdom. cũ dixit, *omne, quod est, participat eo, quod est esse, vt sit, alio verò participat, vt aliquid sit*: censens non eodem rem esse, siue existere, & esse hoc aliquid: qua propter, cùm Deum esse multi sciant, quid autem sit, omnes ignorent, ratio formalis, qua est distinguitur ab ea, qua est hoc aliquid: & consequenter ipsum esse, non erit ratio per se constitutiua essentiæ. Deindè arguit Mayron. primo ipsum esse est commune Deo, & creaturis: sed nullum prædicatum essentiale Deo potest illi commune esse cũ creatis: quia deitas est ratio simplex, ac primo diuersa, cui repugnat habere prædicatum essentiale commune. Secundo si ob aliquam rationem ipsum esse includeretur quidditatiuè in Deitate, maximè, quia Deus dicitur ipsum esse: nullum verò abstractũ non essentiale prædicatur de eo, ad cuius essentiam non pertinet: item quia Deus est ipsum necesse esse, & actus purus, quæ non possunt intelligi absq; actuali existentia; hæ verò rationes non cogunt, quandoquidem eadem ratione intellectus, sapientia, & alia attributa includerẽt esse, quod est falsum: ergò non est dicendum esse pertinere intrinsece ad essentiam Dei. Assumptionem probat, quoniam quidquid dicitur essentialiter de vno eorum, quæ sunt eiusdem rationis formalis, dicitur etiam de altero: intellectus autem diuinus, atque humanis sunt eiusdẽ rationis formalis, & consequenter etiam de humano prædicaretur ipsum esse per essentiam, quod est apertè falsum. Denique si esse foret de intrinseca ratione Dei essentiali, attributa in Deo distinguerentur secundùm existentiam, sicut distinguntur formaliter.

III. Dico primum. Ipsum esse est de intrinseca ratione formali Dei. Sensus est si daretur nomen proprium Dei, secundum quod substantialiter, & essentialiter est, contineri debere ipsum esse in formali eius significato. Est communis sententia scholasticorum: Alberti in sum. tractat. 4. q. 19. m. 3. & 4. & in 1. d. 2. art. 13. & d. 8. art. 3. S. Thom. lib. 1. contra gentes cap. 22. cum Ferrar. 1. p. q. 3. art. 4. cum Caiet. & sæpè alibi, Bonauent. in 1. d. 8. art. 1. q. 2. Ægid. in 1. d. 3. 1. p. primæ partis principalis q. 2. & d. 8. 1. p. distinctionis. q. 1. & d. 22. q. 4. & 23. quæst. 2. quæstiuncula 4. Henrici in sum. art. 21. qu. 4. art 24. q. 3. & art. 26. q. 1. Richard. in 1. d. 22. art. 1. q. 6. & d. 23. art. 1. q. 3. ad primum, & tertium, Scot. quodlib. qu. 1. §. *De primo*. Torrens. 1. p. qu. 28. artic. 2. disput. 2. dub. 5. Hispalens. in 1. d. 8. q. 2. art. 4. ad quartum, contra quartam conclusionem. Soncinas q. 3. conclus. 4. Bassolis. q. 1. art. 2. & 3. & omnium Doctorum, quos citaui lib. 1. tract. vlti. cap. 3. asserentium hanc propositionẽ, *Deus est*, esse per se notam, vel nobis, vel saltem secũdùm se, quia existentia includitur in ratione quidditatiua ipsius, hoc sumitur ex verbis Dei Exod. 3. ad Moysen rogantem, *quod tibi nomen est*, respondit enim, *ego sum qui sum*. Ex qua responsione patet ipsum esse pertinere intrinsece ad rationem formalem Dei, quod indicauit Athanas. oratione contra Idola, satis post medium his verbis: *Deus autem, qui est ipsa essentia, nullis partibus coaluit, quapropter & eius ratio ipsum esse est*. rationem Dei ipsum esse vocat alludens credo, ad dictum

Philoso-

Mayron. *Mirandul.* *Bargius.* *Trombeta.* *Boetius.* *Albert.* *S. Thom.* *Ferrariens.* *Caietan.* *Bonauent.* *Ægid.* *Henricus.* *Richard.* *Scotus.* *Torrens.* *Hispalens.* *Soncin.* *Bassol.* *Exod. 3.* *Athanas.*

Philosophi lib. 4. metaphys. text. 28. *ratio, quam nomen significat, est definitio.* Deindè verò suadetur, quoniam si ipsum esse non esset intrinsecum rationi formali diuinæ essentiæ, sed modus eius, Deus esset causaliter à se, & formaliter non à se ipso, sed alio: vtrumq; in superioribus impugnatum est: ergò esse pertinet ad rationem formalem intrinsecam diuinæ essentiæ. Ostenditur Maior propositio quo ad priorem partem, quoniam id, quod conuenit alicui in secundo modo dicendi per se, conuenit illi à se causaliter, non formaliter: at ipsum esse conuenit Deo hoc ipso, quod est Deus, vel ergò in primo modo dicendi per se, & tunc pertinebit intrinsece ad rationem formalem essentiæ diuinæ, vel in secundo, & tunc Deus erit à se causaliter. Et confirmatur quoniam quidquid est aliquid non ab alio, sed à se, aut est à se formaliter, vel quasi formaliter, aut causaliter: non enim est medium inter hæc duo: Deus est à se, si verò ipsum esse non sit intrinsecum rationi formali essentiæ, non erit à se formaliter: denominatio enim formalis non sumitur à re, cui non est intrinseca forma denominans: ergò erit à se causaliter. Ostenditur deindè posterior pars eiusdem maioris, quoniam ipsum esse iuxta sententiam oppositam, est aliquid à parte rei distinctum ab essentia, tanquam modus eius, sed cum res habet denominationem à forma extrinseca ipsius essentiæ, ab eaque distincta non est se ipso formaliter id, quod denominatur, sed vt tale sit, habet formaliter à forma illa distincta, qua ratione homo non habet formaliter à se, sed ab intellectu, vt sit discursiuus, à se autem habet causaliter, quoniam est radix, & fundamentum intellectus.

IV. Dico secundum. Deus est ens per essentiam, non verò accidentaliter. Hæc est communis Theologorum, quos pro prima assertione citaui. Indicatur ab Hilar. lib. 7. de Trinitate non longè à principio cum ait, *esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas*, non loquitur autem de accidente, pro vt solùm opponitur substantiæ: nam hoc modo etiam in substantijs creatis non est accidens, sed modus quidam substantialis, sed pro vt opponitur essentiæ, qua ratione soli Deo non est accidens; idem asserit Nicetas in orationem 32. Nazianz. habitam in præsentia 60. Episcoporum. num. 53. vbi sic ait: *essentia Dei ipsum esse eius est.* Facilè verò colligitur ex priore assertione. Nihil enim eorum, quæ includuntur in ratione formali, essentiæ conuenit accidentaliter: ipsum verò esse includitur formaliter, & intrinsece in ratione formali essentiæ diuinæ. Ergò non conuenit Deo accidentaliter, sed essentialiter. Secundo omnis ratio, quæ est prior cæteris inclusis in essentia, ad easque supponitur, est etiam de essentia: ipsum esse est prius ratione substantiæ, vitæ, & similium prædicatorum substantialium, quæ omnium confessione pertinent ad essentiam Dei: ergò ipsum quoque est de essentia: distingui potest assumptio, dicendo esse essentiæ, præsupponi ad rationem substantiæ, ac vitæ, nõ autem esse existentiæ, & ideò non sequi hoc esse intimum essentiæ. Verùm non soluitur, quoniam substantia, & vita conueniens Deo est actualis, non potentialis, aut abstrahens ab actu: ergò & esse, quod ad hanc rationem substantiæ, & vitæ supponitur, debet esse actuale: patet consequentia, quoniam ita se habet esse existentiæ ad rationem substantiæ, & vitæ actualis, sicut esse essentiæ ad rationem substantiæ, & vitæ abstrahentis ab esse actuali: ergò sicut hoc supponitur ad hanc, ita & illud ad illam. Et confirmatur, quoniam actu subsistere, aut viuere, est actu esse. Antecedens ostẽditur, quoniam Sancti, & Doctores aiunt Deũ esse ipsum subsistere, & ipsam vitam, quod non dicitur de essentia abstrahente ab actuali subsistẽtia, & vita. Deindè quoniam si substistentia, & vita abstraherent ab actuali substistentia & vita, indigerent aliquo alio, quo determinarentur, ac reducerentur ad actum, hoc verò est absurdum, ergò & illud.

V. Eandem assertionem probat Diuus Thomas frequenter ex illo principio, quoniam rebus omnibus creatis aduenit esse à Deo, cuius participatione, & actione illud habent; quotiescunque verò plurima conueniunt in vno effectu, oportet assignare primam, & vnicam causam eius effectus, & ita dare esse per se primo, ac propriè pertinebit ad Deum; atque adeò ipsum erit esse per essentiam. Hoc fundamentum impugnat Ægidius in 1. dist. 8. part. 2. princ. quæst. 2. quoniam ex eo, quod aliquis effectus reducatur in aliquam causam primam, rectè quidem colligitur conuenire illi per se primo, non tamen essentialiter, ita vt non faciat compositionem cum illa, vt videre est in ipso exemplo, quo vtitur D. Thomas quæst. 7. de potentia artic. 2. & alibi ad hoc ipsum institutum, nempè quia esse calidum reducitur in ignem tanquam propriam causam, rectè concluditur ipsum esse per se primo calidum, non tamen

in pri-

Aristot. *S. Thom.* *Hilarius.* *Nicetas.* *Ægid.* *S. Thom.*

in primo modo dicendi per se: nam verè facit compositionem cum igne, ad cuius essentiam intrinsece non pertinet. Hæc obiectio, si de alijs perfectionibus sermo esset, forsan eluderet vim argumenti allati: verùm loquendo de ipso esse nihil probat. Ratio verò est, quam indicat D. Thomas lib.1.contra gentes cap. 22. quoniam ea, quæ conueniunt per se primo, non formaliter, sed in secundo modo dicendi per se, sunt causaliter à subiecto, cui ita conueniunt, non enim aliter forma dici potest per se primo conuenire subiecto, nisi vel quia est illi intrinseca, vel ab eius natura emanat; quæ conueniunt in secundo modo per se, non sunt intrinseca: ergò emanant à natura subiecti: quæ in eo priore, secùndum quod concipitur solùm sub rationibus formalibus intrinsecis, non continet formaliter ea, quæ conueniunt per se secundo modo: ergò virtute, & causaliter. Patet consequentia, quoniam alioquin non poterit ea habere p se, & à se, sed ab extrinseco. Ipsum verò esse primũ, ad quod omnia deducuntur, tanquam ad principiũ, non potest vllo modo esse causaliter: ergò nequit conuenire in secundo modo dicendi per se. Antecedens est manifestum: nam omne esse virtuale fundatur in actuali, à quo procedit, neque fieri potest, vt aliquid sit causaliter in eo, quod non est actu: nihil enim, quod actu non est, habet causandi vim reducibilem ad actum, priusquam ipsum sit actu: at verò antè ipsum esse primum non est aliud esse actuale, vt patet, ergò ipsum non est causaliter in vllo, atque adeò causa cuius propriè est dare esse, & in quam reducitur omne esse, vendicat illud non in secundo, sed in primo modo dicendi per se: & consequenter formaliter, atque essentialiter. At in igne calido, & in similibus est alia ratio, quandoquidem, cùm esse calidum, aut esse lucidum non sit esse simpliciter, sed esse determinatum, antè illud potest esse aliud esse actuale, in quo causaliter sit calor: vt reuera est natura ignis, quæ virtute continet calorem, & ideò non oportet, vt ea omnia, ad quæ hoc modo reuocantur cætera, tanquam ad prima in determinato genere, conueniant in primo modo dicendi per se.

VI. Dico tertium. ipsum esse non est modus essentiæ diuinæ: intellige de modo secundùm mentem Mayronis illum inducentis, qui non est intrinsecus essentiæ, sed aduenit illi completę, atque perfectæ in ratione essentiali intrinseca. Hæc assertio ita explicata est de mente. Autorum, qui sunt adducti, pro prima & secunda, & ex ipsis facile deducitur: si enim est de intrinseca ratione essentiali, non potest esse modus aduenies essentiæ completæ secũdum esse substantiale. Breui etiam ratione ostenditur, quoniã modus, vt ex ipsius Mayronis sententia dicam in tractatu de identitate perfectionum diuinarum, & posterior re, cuius est modus: ipsum verò esse actuale, est primum, quod se offert in conceptu Dei: namq; si indagemus primum discrimẽ positiuum Dei à creaturis, sub ratione entis in communi abstrahentis ab esse potẽtiali, & actuali, non occurret aliud, quam ratio entis actualis: eo enim distinguitur ab omni creatura, & ita prius nostro intelligẽdi modo distinguitur Deus à quauis re creata, ratione actualis existentiæ, quam alijs particularibus rationibus excludentib. imperfectiones singulorum generum: nam verbi gratia ratione substantię distinguitur solùm ab accidentibus, vita à nõ viuentibus, intellectu ab ijs, quæ non sunt mente prædita: spiritualitate à corporeis: ab omnibus autem ipsa existendi actualitate: quapropter, cùm rationes secernentes subiectum à pluribus generibus sint priores in creaturis, in Deo quoque nostro intelligendi modo erit prior ratio actualis existentiæ; quam vlla alia perfectio: & consequenter non poterit esse modus reliquarum.

VII. Ad argumentum Mayronis, quo probat primum pronunciatum. Respondeo non eandem esse rationem in Deo, & creaturis: nam sapientia, iustitia, & aliæ perfectiones sunt in nobis accidentia, in Deo substantia: ita etiam existentia in nobis est modus accidentalis, in Deo ratio essentialis intrinseca. Ratio discriminis est, quoniam essentia creaturæ est in potentia ad esse, vel non esse, & idcircò existentia est extra intrinsecum conceptum eius: cumque non adueniat ipsi per modum formæ extrinsecæ absolutè, habet se instar modi actualis intrinsece actuantis rationem formalem, siue essentiam rei, cui aduenit: Deus autem, quia est ens à se, & sine potentialitate ad esse, non potest abstrahi à ratione ipsius esse, quia tunc non ex[illegible] haberet esse, sed per participationem ipsius esse, quod est falsum. Porrò esse, aut sumitur concrete, & adiectiuè, aut abstracte; si concrete sumatur, indifferenter dicitur de ijs, quæ sunt accidentaliter, vel essentialiter, & hoc modo non variat rationem formalem, si verò sumatur abstractè, & copuletur cũ quauis alia ratione formali, necessariò inducit distinctionem formalem: nam

sapien-

sapientia, quæ est suum esse, & iustitia, quæ est suum esse, distinguitur essentialiter à sapientia, ac iustitia, quæ non est suum esse, sed accidentaliter existit.

VIII. Ad primum, quo probatur secundum pronunciatum, respondetur ideò simpliciter distingui quæstionem, an est, & quid est, quoniam in creaturis, de quibus Philosophi disputant, distinguitur esse, & id, quod est: præterea etiam in Deo distingui potest, quatenus esse significat ipsam affirmationem, vel negationem, siue veritatem intellectus, vt ait Philosophus in Aristot. Metaph. lib. 10. cap. 13. & 14. & dicitur tam de ijs, quæ habent veram existentiam, quam de ijs, quæ non habent, qua ratione dicitur cæcitas est, & hoc modo cum quæritur de Deo, an sit, est quæstio distincta ab ea, qua quæritur, quid sit. Vide Diuum Thom. de potentia, quæst. 7. art. 2. ad primum. Porrò dictum Boëtij, vt ait Diuus Thomas vbi proximè ad 8. intelligitur de creaturis, quæ sunt entia per participationem. Ad confirmationem respondetur antecedens esse falsum, si sumatur essentia adæquatè: & ad probationem prioris partis patet responsio ex solutione ad argumentum pro primo pronunciato adductum. Ad secundum, quo vtitur Mayronius respondetur, quamuis esse, quatenus abstrahit à necessariò, & contingenti, prædicetur de Deo, & creaturis, aliter tamen dici de his, ac de Deo: nam de Deo prædicatur in abstracto, siue per modum nominis, de creaturis autem in concreto, & per modum formæ participatæ: nam Deus est ipsum esse, creatura verò nequaquam, sed est res existens: præterea negatur assumptio: nam quamuis rebus simplicibus, ac primo diuersis, non possit conuenire vnum per se, & vniuocum prædicatum essentiale, potest tamen analogum, vt patet in generibus summis, de quib. cùm tamen sint simplicia, ac primo diuersa, ratio entis essentialiter prædicatur. Ad tertium respondeo, rationes illas esse idoneas, quas affert Scotus & alij, ad impugnationem verò ipsarum, respondeo concedendo primam consequentiam, verè enim sapientia diuina, iustitia, & cæteræ perfectiones includunt ipsum esse; nam sapientia est essentialiter ipsum sapere, intellectio ipsum intelligere, & sic in cæteris. ad huius autem redargutionem dicendum est ea, quæ adæquatè, & completè conueniunt in aliqua ratione formali, ita vt secundùm proprias rationes formales illi nihil essentiale addant, sed solam contractionem singularem, & indiuisionem, ita se habere, vt quidquid essentialiter dicitur de vno ipsorum, dicatur de altero: quomodo se habent ea, quæ solo numero differunt: quando verò addunt rationem aliquam essentialem propriam, nequaquam, vt constat in exemplis, quibus vtitur Mayron. nam de essentia intellectus creati, est ratio accidentis, & qualitatis, quæ tamen repugnat intellectui diuino, eodem modo, quamuis de essentia intellectus diuini sit ipsum esse, non proindè erit de essentia creati, quoniam differunt essentialiter, & ex ratione propriæ rationis formalis cuiusque proueniat, vt aliquid sit de essentia vnius, & non alterius.

IX. Vltimum argumentum habet difficultatem apud Scotistas, qui inter perfectiones diuinas admittunt distinctionem formalem ex natura rei, vndè Lychetus in 1. *Lychet.* d. 8. qu. 3. §. *Occurrit tamen facultas* concedit diuinas perfectiones habere diuersas existentias; nulla tamen est difficultas, in sententia quam docet in tractatu de identitate perfectionum diuinarum: nam sicut essentia diuina est vnica simplicissima ratio ex natura rei cum sola distinctione virtuali, ita erit etiam vnica simplex ratio existentiæ. At, inquiret aliquis, vtrum quemadmodum ipsum esse est de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, sit etiam de ratione sapientiæ, iustitiæ, & cæterarum perfectionum: respondendum affirmatiuè, cùm Henric. in sum. artic. 24. quæst. 3. versus fi- *Henricus.* nem corporis, & Bassol. in 1. d. 8. quæst. 1. *Bassol.* art. 2. §. *Ad primum*, in solutione quarti argumenti, ob easdem ferè rationes, maximè, quia sapientia diuina est à se, & non causaliter ab alio, quod idem locum habet in cæteris perfectionibus diuinis, non potest autem esse non ab alio, quin ipsum esse actuale intrinsece, & essentialiter vendicet, verum ipsum esse actuale sapientiæ, est sapere, esse actuale charitatis est amare, & sic in cæteris: & quemadmodum essentia diuina significata per modum formæ quiescentis, adæquatè considerata quoad omnes suas rationes formales intrinsecas, continet plurimas perfectiones virtute distinctas, ita ipsum esse consideratum per modum actus eiusdem essentiæ continet plures rationes essendi virtute distinctas, & vt est actus substantiæ, dicitur subsistere, vt est actus vitæ, dicitur viuere, vt est actus intelligentiæ, dicitur intelligere & sic in cæteris.

Omnis

Omnis perfectio absoluta est de intrinseca ratione formali essentiæ diuinæ.

Caput VI

I. Substantiæ creatæ non eo solùm imperfectæ sunt, quia creatę & indifferẽtes ad actualem existentiam, verùm etiam, quia limitatæ sunt, cui imperfectioni natura subuenit accessu perfectionum accidentalium, vt quod deerat essentiæ, siue rationi formali intrinsecæ, supplerent formæ eidem extrinsecæ. Porrò, vt à Deo hæc imperfectio remoueatur, duo necessariò requiruntur: alterum est, vt nulla perfectio simpliciter absoluta illi desit, alterum, vt omnis, quæ conuenit, sit de intrinseca ratione formali ipsius. Primum ostendere non spectat ex instituto ad hunc locum, sed ad tractatum de perfectione, & infinitudine Dei, de quibus lib. 4. sermo erit: interim tamen breui ratione cõcluditur ex principijs iam suppositis, vel ostensis in hunc modũ. Omnis pfectio simpliciter possibilis præexistit formaliter in causa prima: Deus est causa prima: ergò præhabet omnem prorsus perfectionem simpliciter: Maior propositio est euidens, quandoquidem causa omnis principalis continere debet effectũ, si non perfectius, saltem æquè perfectè, ac ipse est in se: At perfectiones simpliciter perfectiore modo sunt secundùm esse formale, quam solùm secundùm esse virtuale: perfectius enim est vita in planta, & animali, quam in semine, quo virtute solùm cõtinetur: ergò omnes præexistere debent formaliter in causa prima. Et hoc solũ probatur ex causalitate, & eminentia diuini esse. An verò omnis perfectio Deo formaliter conueniens, quod erat alterum requisitum ad remouendum à Deo imperfectionem cõmunem omni essentiæ creatæ, pertineat ad rationem formalem intrinsecam essentiæ diuinæ, ex hoc solo principio non conuincitur, quoniam sat est causam continere effectus eminẽter in essentia mediatè, quatenus scilicet ab essentia emanãt passiones, & virtutes agendi, quibus effectus continẽtur: vt patet in sole, qui eminenter cõtinet calorem, nõ ratione propriæ substantiæ immediatè, sed ratione virtutis illuminatricis, qua illuminãdo calefacit, item homo virtute continet actus vitales ratione potentiarum vitalium, quæ radicantur in ipsa natura hominis, quæ in tantum potentias omnes suas, & actus continet, quatenus est quædam substantia viuens, à qua potentiæ illæ germinantur, ita responderet aliquis Deum continere creaturas eminenter ratione omnipotentiæ, & aliarum perfectionum, quæ sint proprietates naturæ diuinæ ad eius rationem formalem intrinsecam minimè pertinentes, & ita non opus esse, vt in ipsa essentia sit ratio intrinseca eminentiæ.

II. His præmissis, restat examinanda præcipua difficultas huius loci. Eius negantem partem sequitur Scot. eiusque discipuli, quos referam infrà, qui existimant essentiam diuinam formaliter, & intrinsece solùm includere gradus substantiales, de quibus suprà dictum est; perfectiones verò alias, quas Theologi attributales vocant, distingui ex natura rei ab essentia, in eaque radicari instar proprietatum, atque adeò non pertinere formaliter, & intrinsece ad rationem formalem essentiæ. Pleraque argumenta, quibus Scotistæ vtuntur ad confirmationem suæ sententiæ, eò tendunt, vt probent distinctionem ex natura rei formalem inter essentiam, & attributa; quæ meo quidem iudicio, non faciunt ad præsens institutum, sed ad materiam de identitate diuina, vbi expendentur. Nam licet attributa ab essentia distinguantur, non proindè necessariò erunt extra rationem formalem intrinsecam illius. Pleriq; enim Philosophi ac Theologi censent gradus metaphysicos distingui ex natura rei inter se, & nihilominùs superiores sunt de essentia inferiorum: &, quod clarius est, anima rationalis ab homine re, & ratione distinguitur, & tamen pertinet intrinsecè ad essentiam ipsius. Contra verò neque omnimoda identitas ex natura rei est infallibile argumentum ad conuincendam essentialẽ inclusionem vnius in altero, quandoquidem pleriq; Philosophi, ac Theologi censent existentiam, non distingui vllo modo ab essentia, & nihilominùs negant existentiam esse de intrinseca ratione essentiæ. Itẽ diuinæ relationes sunt idem cum essentia diuina, nec tamen in illa formaliter, & essentialiter includuntur, quare ratione idẽtitatis, non requiritur, vt perfectiones omnes diuinæ includantur in essentia.

III. Suadetur autem sententia Scoti primo, quoniam nõ est vlla ratio, cur potiùs attributa diuina sint de ratione formali intrinseca essentię, quam relationes: hæ verò non sunt: ergò neq; illa. Maior propositio ostẽditur: nã præcipua ratio, cur attributa sint de essentia est, quoniam Deus est ens per essentiam, & non per participationẽ, at Deus etiam est pater non per participationem; præterea si nõ repugnat paternitatem con-

uenire Deo, & non intrinsece, neque ex eo sequitur potentialitas in essentia: cur repugnabit attributa cõuenire quidẽ Deo, per se, ac necessariò, non tamen intrinsece, quin arguatur potentialitas diuinæ essentiæ. Secundo attributa demonstrantur à Theologis per essentiam, ergò nõ includuntur in ipsa. Patet consequentia, quoniam medium debet esse causa, siue ratio, cur passio insit subiecto, at attributa, si includuntur formaliter in essentia, habent potiùs respectu eius rationem causę formalis nostro intelligendi modo, quam essentia respectu ipsorũ, quare non possent includi in essentia. Tertio rationes aliorum prædicamentorum non possunt intrinsece pertinere ad rationem substantiæ: nam, quæ sunt primo diuersa, vel sub primo diuersis cõtinentur, habent rationes formales oppositas minimè capaces, vt in vnam, eandemque cogant: Deo autem, autore Augustin. serm. 38. de tempore, q. est tertius infrà Octauã Epiphanię, & sæpè alibi, propriè conuenit non solùm ratio prædicamenti substantiæ, sed etiam relationis, & actionis: quare, si hæ conuenire nequeunt cum substãtia in vnicam rationem formalem, consequens est, vt si cõueniunt Deitati, habeant se ad illam tanquam proprietates, & accidentia.

Augustin.

IV. Essentia hoc loco accipitur pro vt est forma adęquata Dei, non autem pro vt nostro intelligendi modo concipitur sub hac, vel illa ratione perfectionis, sed quatenus est id, quo Deus est Deus secundùm perfectam, & completam rationem essentialem clausam conceptu quidditatiuo, quem Deus habet de se ipso; quemadmodum essentia hominis intelligitur tota ratio ipsius quidditatiua, comprehensa eius diffinitione, & formaliter significata nomine, *homo*, quamuis autem Dei non sit proprium nomen essentiam eius totam perfectè, & adæquatè significans; agimus tamẽ de ipso, ac si haberemus nomen vnum adæquatè, & formaliter significans Deitatem, prout est forma Dei essentialis: & inuestigamus, vtrum ad ipsam ptineant perfectiones omnes absolutæ, an verò solæ eæ, quę respondent pfectionib. simpliciter creatis, quæ sunt substantiæ: illę verò, quæ respondent accidentalibus, verbi gratia, sapientiæ, iustitiæ, & similibus, non pertineant ad essentiam, sed sint instar proprietatum.

V. Dico primum. Deus est ens per essentiã. Appello autẽ ens per essentiã, quatenus distinguitur ab ente per accidẽs, siue per formam extrinsecam essentiæ. Assertio est expressa Altisiodorens. lib. 1. 2. p. capitis primi alias 1. p. c. 2. Henr. art. 23. q. 2. Hispalẽs. in 1. d. 3. q. 1. ar. 3. Notabil. 4. & 5. & est de mente omniũ, quos referã nu. sequenti. Probatur autem primo, quoniã nullum ens per essentiam, hoc est non per participationem, est ens per formam accidẽtariam, siue extrinsecam essentię. Deus autem, vt ostendi c. 4. est ens non per participationem, ergò non est ens per formam extrinsecam essentiæ. Maior propositio, qua nititur argumentũ, ostẽditur, quoniam vt ibidem patuit, subiectum habens formam extrinsecam suæ quidditati participatione eius habet esse: exempli causa, homo participatione sapiẽtię habet, vt sit sapiens, participatione iustitiæ, vt sit iustus. Et ita Autor cõmentar. super lib. primũ Boëtij de Trinitate apud Bedam tom. 8. pag. 1112. in fine, inquit, *dicitur Deus, est à Deitate Deus, vel bonus à bonitate, tunc propositio non significat causam, vel participationem, imò significat essentiam. & est talis sensus; Deus est Deus à Deitate, id est, ita Deus quod est ipsa Deitas, sicut vnitas est vnitas vna, & bonitas est bona, & super singula attendẽdum est, quia hoc modo de Deo dicitur*, vbi cõuenire p essentiã opponit cõuenientiæ p participationẽ. Respondebitur, principium hoc esse verũ, quando formę distinguũtur realiter à subiecto: non autem cum sunt idem, quoniam eiusdem ad se, non est participatio: atq; adeò, cùm essentia sit idem realiter cum attributis, etiamsi Deus sit sapiens sapientia extrinseca rationi formali essentiæ, non propterea Deus desinet esse sapiens p participationem. Et cõfirmatur, quoniam aliud est, esse simpliciter ens per essentiam, aliud esse hoc, vel illud: nec sat est esse verbi gratia hominem, aut spiritum per essentiam, vt aliquid dicatur simpliciter ens per essentiam, sed opus est, vt, quidquid est, sit per essentiam. Etenim ens per essentiam dicit ipsum esse purum, absolutum, & non contractum ad aliquod genus essendi, si enim contrahatur, iam non erit ipsum esse, sed hoc, vel illud esse, vt rectè notat Ægidius in 1. d. 8. 1. p. distinctionis. q. 1. At verò Deus est ipsum esse, & ens per essentiam; ergò quidquid habet, nõ aliundè, quam à se formaliter habet, atq; adeò non potest denominari, ab vlla forma reali absoluta, quę si extrinseca rationi essentiali ipsius. Secũd

Auto. Cõmen.

Altisiodorens. Henricus. Hispalens.

Ægid.

ens non per essentiam est aliquo modo per accidens; Deo autem repugnat, vt sit ens p accidens, ergò est per essentiam. Assumptio est euidens, quoniã omne ens per accidens est quid imperfectum, & multò excellentior est ratio entis per se, quã per accidens, atq; adeò cum Autore Augustin. & alijs Patribus, Deo sit tribuendum id, quod perfectius est, non est admittendum, Deum esse ens per accidens. Maior propositio ostenditur, quoniam omne ens non per essentiã habet annexam formã, aut quasi formam, cùm qua habet rationem aliquam vnitatis, hæc non potest esse per se, quoniã ex essentia, & ijs, quæ aduenium ipsi completæ secundùm rationem formalem intrinsecam, nõ coalescit vnum per se, sed per accidens, ergò omne ens non per essentiam subit rationem entis per accidens.

VI. Dico secundum. Perfectio omnis realis absoluta est de essentia Dei. Hæc est communis Doctorum asserentium omnia attributa esse de essentia, dici essentialiter, significare essentiam, vel naturam Dei. Ita Magister in 1.d.8.lit.F. Altisiodorens.lib.1. c.5.q.5. S. Thom. lib.1. contra gentes ca. 23. & 45. Albert. in 1. d.8.art.3. & 4. & in sum. tract.14.q.57. Durand. in 1. d.3.q.3.num.8. Heruæus. q.1. §. *Quantum ad tertium*, & qu.2. dum agit contra primam opinionem. Bachon. d.2.q.1.ar.1. conclusione 2. Capreol. d.8.q.4.art.2. ad 11. Aureoli contra secundã conclusionem. Dionys. Cistercien. d. 22.q.vn.ar.2. conclusione 1. Torrens. 1.p.q. 28.artic.2. disput.2. dub.5. Hispalens. in 1.d. 8.q.4.ar.3. notabil.1. & 3. Franciscus à Christo in 1.d.2.q.3. Abulens. q.2. in c.20. Exod. S. Anton. n.3.p.titul.30.cap.2.§.2. Caietan. de ente, & essentia q.12. Ferrarien. 1. cõtra gent. cap.24. §. *dicitur ergò*. & ca.31. §. *Aduertendum*, est etiam omnium asserentium sapientiam diuinam, (& sic de reliquis attributis) omnibus modis esse eandem cum essentia diuina, qnibus hæc est eadem sibi ipsi. Ita verò docent Ocham. in 1.d.2.q.1. litera F. Adam d.6.qu.1.3. conclusione, Andreas de Nouo Castro d.32.q.2.§. *Notandũ*. Marsil. q.12.art.3. conclusione 3. Capreol. d.8.q.4.ar.2. ad decimumquintum contra primam conclusionem, & Hispalens. art.4. ad idem argumentum. Alliacens. q.6.ar.2. litera l. conclusione 3. & Gabr. d.2.q.1.art. 2. & lect. 49. in can. litera M. & patet ex dictis. Etenim ens per essentiam, & nullo modo per accidens, non admittit vllam formã perfectiuam extrinsecam propriæ rationi formali: Deus autem est ens per essentiam: quare forma omnis realis absoluta conueniens ipsi, est de essentia ipsius. Secundo in Deo nõ est accidens, prout opponitur substantiæ: ergò neq; prout opponitur essentiæ. Antecedens demonstratum est suprà cap.1. consequentia ostenditur: nam quidquid accidit subiecto, ipsi secundum accidens copulatur. Plures autem substantiæ copulari nequeunt aliter, quam ad constituendam vnam naturam, vel ad subsistentiam eiusdẽ suppositi, vtraq; verò harum coniunctionũ est substantialis, & ex vtraq; resultat vnum per se essentialiter includẽs substantias eas, quæ ad ipsius constitutionẽ concurrunt. Ergò Deo non conuenit vllũ accidens absolutum. Vltima pars assumptionis constat inductione cõpositionis physicæ, ac metaphysicæ: nam est ex partibus substantialibus coëuntibus, in vnam rationem essentialem, & intrinsecam speciei, item compositionis ineffabilis ex humana; diuinaq; natura in vna verbi subsistẽtia, cõueniunt enim duæ naturæ substantiales cõpletæ in verbi hypostasim, non accidentaliter, sed substantialiter: atq; adeò componunt vnum per se vtramque in sua ratione formali intrinseca includens, vt fusius in materia de incarnatione explicatur, neque est vllus modus alius, quo substantiæ inuicem copulentur, nisi ad constituendum vnum in genere naturæ, vel suppositi; perfectiones substantiales absolutæ per se solæ non faciunt ad cõstituendum vnum in genere suppositi, ergò, si vniuntur Deitati, & inter se, necessariò coëunt ad constitutionem vnius naturæ perfectæ, eas omnes intrinsece includentis. Respondeti potest, significatum termini *accidentaliter*, pro vt distinguitur *ab essentialiter*, non opponi significato termini *substantialiter*, atque adeò non repugnare, vt vna substantia vniatur alteri substantialiter, & simul accidentaliter, hoc est non essentialiter, qua ratione natura humana vnitur diuinæ substantialiter quidem, sed non essentialiter, imò & differentiæ generi, & forma materiæ. Eodemque modo fingi posse connexionem perfectionum diuinarum cum essentia identicè per modum substantiæ, non tamen per modum essentiæ. Verùm hac responsione minimè tollitur argumẽti vis: nam ex coniunctione substantiali colligitur, ea quæ connectuntur, essentialiter conuenire, non quidem mutuò sibi ipsis, sed constituto: vt constat ex ipso exemplo cõpositi ineffabilis, ad cuius intrinsecam, formalemque rationem pertinet vtraque natura, quamuis altera alteri non essentialiter conueniat: itemque in composito ex genere, ac differentia, & ex materia, & forma. Quare si accidentis, pro vt importat

inhæ-

Magister. Altisiod. S. Thom. Albert. Durand. Heruæus. Bachonius. Capreol. Cistercien.

Torrens. Hispalens. Francis. à Christo. Abulens. S. Antonin. Caietan. Ferrarien.

Ocham. Adam. Andr. de Nouo Castro. Capreol.

Hispalens. Alliacensis. Gabriel

inhærentiam, Deus non est capax, & perfectiones eius absolutæ sunt substantiæ, non possunt aliter conuenire Deo, quam per substantialem vnionẽ in ratione vnius per se, non in genere suppositi: ergò in genere naturæ: omnia verò, quæ conſtuunt ad cõstitutionem vnius in genere naturæ, sunt de essentia ipsius: quare perfectiones omnes simpliciter absolutæ pertinent intrinsece ad essentiam naturæ diuinæ. Non coalescere verò ex ijs vnum in genere suppositi, sed naturæ, non est huius loci fusè ostendere, breuiter tamen confirmatur, quoniam plures pfectiones singulares communicabiles pluribus suppositis nõ constituunt vnum in genere suppositi: perfectiones diuinæ absolutæ, & essentia sunt in tribus personis diuinis, ergò non constituunt vnum in genere suppositi: ergò omnes simul sumptæ nostro intelligendi modo constituunt vnum in genere naturæ, hoc est essentiam diuinam, ad cuius rationem formalem intrinsecam omnes pertinent.

VII. Ex dictis elucet quid sit ens per essentiam, nempè id, quod omnem perfectionem simpliciter includit intrinsece in propria ratione formali, & quidquid ad se est, non accidentaliter, sed essentialiter est. Nam substantiæ omnes creatæ includunt essentialiter aliqua prædicata, nec tamen idcircò dicuntur simpliciter entia per essentiam; non enim homo, aut angelus est absolutè ens per essentiam. Sed cum determinatione ad particularem rationem essentiæ; nempè homo secundùm essentiam rationalis, Angelus secundùm essentiam intellectualis. Deus autem absque determinatione, aut contractione est simpliciter ens per essentiam, quia omnis ratio entis simpliciter, & absolutè perfecta est de intrinseca ratione ipsius: nam si solæ perfectiones, quæ in creaturis sunt substantiales, essent de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, & attributales extrinsecæ, non magis diceretur Deus in hoc sensu ens per essentiam, quam Angelus, quod absurdum omninò esset: itaque quidquid reale absolutum conuenit Deo, non per extrinsecam denominationem, est de ipsius essentia. Dico *non per extrinsecam denominationem*, quoniam posita sententia, quæ astruit actionem transeuntem realiter esse in subiecto patiente, actiones Dei ad extra, non opus est, vt sint de essentia ipsius. Dico *ens reale*, quoniam pleræque proprietates negatiuæ conueniunt Deo, verbi gratia, vnitas, infinitas, impassibilitas, quas repugnat esse de essentia, item plurimæ rationes respectiuæ conueniunt Deo, nec sunt intrinsecæ rationi essentiali ipsius, verbi gratia, veritas, dominium, & similes respectus rationis. Denique addidi *absolutum*, propter quatuor relationes diuinas, quæ non includuntur formaliter in essentia diuina, vt est sententia multorum, quod ex instituto ostendere pertinet ad materiam de Trinitate. Difficultas verò, quæ nascitur ex actibus diuinis liberis, qui Deo conueniunt, & non essentialiter, spectat ad alium locum. Hìc breuiter dici potest eos, quo ad id, quod addunt suprà necessarios, non dicere formaliter perfectionem, & ideò mirum non esse si quoad id non sint essentiales Deo. Verùm in reddenda ratione cur Deus sit ens per essentiam, & relationes essentialiter non includat, non leuis est difficultas in solutione primi argumenti expedienda.

VIII. Pro solutione primi obseruandum est, ens per essentinm solùm vendicare intrinsece, & essentialiter rationem omnem perfectionis simpliciter, id verò patet, quoniam Deus non includit plurimas rationes entis in creaturis repertas, verbi gratia, æquitatem, candorem, & id genus alias, quæ non sunt perfectiones simpliciter. Huius verò ratio est, quoniam solæ perfectiones simpliciter possunt conuenire in vnam naturam simpliciter perfectam: nam cæteræ includunt rationes oppositas: perfectiones verò simpliciter, licet secundùm modum, quo participantur à creaturis, specie differant, atque adeò impossibile sit, vt conueniant in vnam numero naturam, exutæ tamen ab imperfectionibus omnibus, & solùm sumptæ secundùm rationes formales abstractas non habent repugnantiam, & quoniam in Deo remotis omnibus imperfectionibus perfectiones puræ, atq; integræ manent, conueniunt in vnicam numero perfectionem infinitã, quæ est essentia diuina: & idcircò ad rationem essentialem ipsius pertinent omnes perfectiones diuinæ absolutæ: quæ duæ rationes deficiunt in relationibus, inprimis, quia licet idẽticè sint eadem perfectio cum essentia diuina, formaliter tamen secundùm proprias rationes relatiuas nõ dicunt perfectionem simpliciter, vt est cõmunis sententia Theologorum, quos referam lib. 4. in tractatu de perfectionibus diuinis: & ideò ex eo, quod Deus sit ens per essentiam, nõ sequitur, vt sit Pater, aut Filius per essentiam; deindè, quia terminus naturæ reddens illam incommunicabiliter subsistentem non potest intrinsece pertinere ad essentiam ipsius naturæ, maximè si sit communicabilis pluribus: natura enim in se est semper eadem,

quomodocunque terminetur, vt enim fide constat, eadem prorsus natura diuina est in omnibus, ac singulis personis, & tamen in vnaquaq; terminatur diuersa subsistentia, & personalitate: præterea ad rationem intrinsecam naturæ communicabilis pertinere nequit subsistentia incommunicabilis: at terminus naturæ quoad subsistentiam reddit incommunicabiliter subsistens id, ad cuius rationem formalem intrinsecam pertinet, vt videre est in ipsis relationibus diuinis, quæ pertinent ad rationem formalem, atque intrinsecam personarum, & reddunt eas incommunicabiliter subsistentes. Deniq; ea, quæ necessariò inducunt distinctionem realem, secũdùm diuersas subsistentias, cõcurrere nequeunt ad constituendam intrinsecè vnam numero naturam: vna enim natura non constat intrinsece pluribus subsistentijs completis, atque perfectis, relationes verò diuinæ important distinctionem realem, secundũ diuersas subsistentias completas, atq; perfectas: & ita nequeunt coalescere in vnam rationem formalem intrinsecam vnius naturæ. Ex quo patet negandam esse maiorem primi argumẽti quoniam est diuersa ratio, cur attributa sint de essentia, non relationes. Ad eius confirmationem respondeo propriam rationem entis per essentiam, non consistere in eo, vt quidquid naturæ conuenit essentialiter conueniat, sed in eo, vt quidquid non est naturæ terminus intrinsece, ac essentialiter cõueniat secundum esse existentiæ, terminus autem simul cum natura intrinsece etiam conueniunt constituto ex vtroque, non solùm secundùm connexionem terminorum, sed etiam secundùm esse existentiæ, at perfectiones absolutæ non sunt neque esse possunt terminus naturæ, neque cum ipsa constituere vnum per se, vt per se patet, atque adeò, vt Deus dicatur ens per essentiã, perfectiones absolutæ debent intrinsece claudi in essentia, alias erunt simpliciter extrinsecæ, at subsistentia personalis, quamuis sit terminus naturæ, cùm ea simul constituit personã, ad cuius intrinsecã rationẽ pertinet: non solùm per modum conuenientiæ, sicut humanitas est de intrinseca ratiõe hominis, sed secundùm esse actuale, ita vt prima persona sit essentialiter ipsum esse Paternitatis. Et ita cum nomine, *Deus*, adequate sumpto contineatur quidquid diuinum est, si Pater est ipsum esse paternitatis per essentiam, Deus etiam ratione eiusdem Patris est verè ipsum esse paternitatis per essentiam: quæ ratio non militat in absolutis: nam, vt iam dixi, si non includuntur in essentia, non habent vnde Deo conueniant per essentiam, sed solùm per causalitatem ipsarum ab essentia, & participationem extrinsecam.

IX. Ad secundum respondeo in primis supponere falsum, scilicet nihil essentiale demonstrari posse de subiecto per naturam subiecti, vel aliquid ipsi intrinsecum. Etenim gradus Metaphysici superiores demonstrantur de inferioribus per intermedios, exempli causa viuens, & sensitiuum de homine per animal, & tamen id, quod demonstratur, includitur formaliter, & essentialiter in medio termino, hoc est viuens, ac sensitiuum in animali, fieri verò huiusmodi demonstrationes patet ex Aristotele in lib. poster. cap. 18. vbi ex eo probat inter prædicata infima, & suprema in recta serie esse certam, ac finitam latitudinem graduum essentialium, quia aliter nihil sciretur. Respondeo præterea Theologos, cùm demonstrant attributa de Deo per eius essentiam, nõ concipere illam adæquatè, prout est in re, quomodo nunc de ipsa loquimur, sed inadæquatè, prout solùm æquipollet perfectionibus creatis substantialibus, ex quibus coalescit natura, siue essentia substantiæ creatæ: nam, cùm diuina nostro modo concipiamus, non includimus in eiusmodi conceptu perfectiones alias æquipollentes perfectionibus creatis accidentalibus, quas apprehendimus instar proprietatum, & ideò vtimur conceptu essentiæ ita sumptæ, ad demonstrandas perfectiones attributales. Quæ duo non repugnant: repugnaret autem, si essentia adæquate sumpta conciperetur, vt subiectum perfectionum attributalium: non debet autem ita concipi, sed tanquam natura integra, atque perfecta coalescens ex pluribus rationibus essentialibus virtute distinctis. Aristot.

X. Ad tertium, respondeo rationes proprias diuersorum prædicamentorum secundùm adæquatas rationes formales ipsorum esse oppositas, neque posse conuenire in vnam rationem formalem, si tamen abstrahantur à particularibus imperfectionibus, non repugnare: hoc enim est proprium perfectionis simpliciter, vt si pura sit, non opponatur alteri perfectioni simpliciter: in Deo autem non reperiuntur rationes prædicamentales secundùm proprias, & adæquatas rationes, hæ enim, vt constat ex dictis, sunt imperfectionibus admistæ, & repugnant Deo, sed solùm secundùm rationes communes analogicas, secundùm quas licet in abstracto habeant distinctionem rationis, ita vt ratio substã-

tiæ,

stantiæ, non sit ratio relationis, nec ratio iustitiæ, ratio sapientiæ, tamen possunt omnes in vnam perfectam rationem conuenire, quod indicauit Philosophus lib.5. Metaphys.cap.21. cum dixit esse ens quoddam perfectum vniuersali perfectione habens in se perfectiões omnium generum, quemadmodum in creatis, quamuis ratio animalitatis, non sit ratio rationalitatis, aut viceuersa, vtraque tamen concurrit ad constitutionem hominis. Porrò Diuus August. cum dixit in Deo esse rationem propriam relationis, & actionis, non locutus est de ijs contractè sumptis ad genera prædicamentorum, sunt enim accidentia, quæ eodem August. teste, repugnant Deitati, sed solùm attendit præcisam rationem habitudinis ad terminum, & progressionem ab agente, quæ verè conueniunt Deo. Sed quænam rationes prædicamentorum, & quomodo conueniant Deo, accuratius explicabo 2.parte.lib.2. in tractatu de perfectione Dei.

Aristot.

Ex infinitate Diuina ostenditur omnem perfectionem includi in ratione Deitatis.

Caput VII.

I.

Aliud caput, ex quo sumitur diuinas perfectiones esse de conceptu essentiali Deitatis, est infinitas simpliciter essentiæ diuinæ; quod benè vrget Alphonsus de Toleto in 1. d.8.q.vn.artic.2. conclusione 2. Porrò non est hoc loco immorandum in ostendenda, & fusius explicanda infinitudine simpliciter essentiæ diuinæ: hoc enim fauente Deo præstabo 2.par.lib. 2.tractat.5. Nunc solùm est obseruandum non esse idem rem esse simpliciter infinite perfectam, ac esse perfectionem infinitam simpliciter. Nam ad primum sat est, vt res nulla pefectione simpliciter careat. Ad secundum verò requiritur, vt formaliter, & intrinsecè includat omnem proprium rationem perfectionis; quemadmodum vt aliquid sit infinitè sapiens, sat est, vt habeat quidquid pertinet ad rationem sapientiæ, siue id vendicet intrinsece, siue extrinsece, siue essentialiter, siue accidentaliter, siue distincte, siue indistincte: nam si per impossibile Paulus haberet formam aliquam sapientiæ accidentariam, qua attingeret omne intelligibile omnimodo, quo intelligibile est, sanè esset simpliciter infinitè sapiens, non tamen esset infinita sapientia, quoniam modus cadens suprà aliquam entitatem, vel rationem formalem, non conuenit ijs, quibus entitas ipsa, aut ratio formalis minimè competit: infinitas est modus quidam, & consequenter addita alicui rationi formali, cóuenire nequit ijs, quibus ea non conuenit: Paulus autem, si esset imbutus sapientię habitu distincto ab ipso, à parte rei, nequaquã esset sapientia, & consequenter, neque esset infinita sapientia.

Toletum.

His positis ostenditur institutum. Essentia diuina non solùm est simpliciter infinite perfecta, sed etiam perfectio infinita simpliciter: non erit autem, si non includat intrinsece, & essentialiter attributa: quare illa necessariò includit. Maior est euidens, neque ab vllo cordato negari potest, idcircò enim, vt notat Ocham. in 1.distinct. 2. quæstion.1.litera R. essentia appellatur immensum pelagus substantiæ à Damascen. lib. 1. de fide cap.12. Assumptio ostenditur, quoniam perfectioni infinitæ simpliciter repugnat non includere in sua ratione formali aliquam perfectionem simpliciter, attributa verò diuina, saltem positiua realia sunt perfectiones simpliciter, ergò si ipsa non includuntur ab essentia in suo quidditatiuo conceptu, essentia non erit perfectio infinita simpliciter. Principium assumptum in maiore propositione ostenditur. Primo, quoniam perfectio infinita simpliciter est talis secundùm proprium conceptum ipsi adæquatum, præcisis omnibus, quæ non sunt de intrinseca ratione ipsius, nam si non esset talis formaliter ab intrinseco ratione propriæ quidditatis, sed ratione conceptus, & quidditatis extrinsecæ, proprio eius conceptui obiectiuo, iam ipsa non esset perfectio sed perfectum, vt constat ex paulò antè dictis: ideoque vt sit perfectio infinita simpliciter, debet in proprio conceptu includere rationem omnem perfectionis simpliciter, si verò distinguatur ex natura rei formaliter ab aliqua perfectione simpliciter, tanquam à proprietate, iam non est perfectio infinita simpliciter secundùm proprium, ac præcisum conceptum, quandoquidem in eo non includuntur perfectiones ex natura rei distinctæ, contentæ solùm radicaliter, & non formaliter in essentia. *Ocham.* *Damascen.*

II.

Secundo ostenditur idem principium, quoniam perfectio infinita simpliciter reddit subiectum, cui inest, formali-

III.

ter infinitum simpliciter, sicut candor infinite intensus reddit subiectum infinite candidum, & sapientia infinita, intellectum infinitè sapientem : non potest autem id præstare si distinguitur ex natura rei ab aliqua perfectione simpliciter, tanquam natura à proprietate, ergò non distinguitur. Maior est euidens : nam à forma trahitur denominatio ad subiectum, cui inest : hoc enim ipso, quo inexistit, communicat ipsi suum effectum formalem cum eo modo, quo continetur in ipsa forma : & ita perfectio infinita simpliciter non solùm reddit subiectum perfectum, sed infinite simpliciter perfectum : Assumptio quoque euidenter patet. Nulla enim forma confert subiecto denominationem formalem eius esse, quod in suo conceptu præciso non formaliter, sed virtute tantum, ac radicaliter continet ; non enim dicitur homo formaliter risibilis, aut admiratiuus ab humanitate, quamuis ea contineat virtute, ac radicaliter potentias ridendi & admirandi : quod si perfectio distinguitur à parte rei formaliter, ab alijs perfectionibus simpliciter, tanquam natura à proprietatibus, iam non continet illas formaliter, atque intrinsece in suo conceptu præciso ; atque adeò nequit formaliter communicare subiecto earum propriam, & formalem denominationem. Ex quibus deducitur essentiam diuinam secundùm proprium conceptum, non esse perfectionem infinitam simpliciter absolutè, & in omni genere, sed solùm in genere naturæ, & prædicatorum substantialium, verbi gratia in genere substantiæ, spiritualis, viuentis, intellectualis ; quandoquidem hæc sola includit formaliter, atque intrinsece in suo conceptu quidditatiuo ; sed enim hoc ipsum absurdum est : Namque essentia non minùs includit formaliter, atque intrinsece rationem entis, quam rationem substantiæ, & vitæ, quare si conceditur esse infinita in genere vitæ, & in genere substantiæ, concedi etiam debet infinita simpliciter in genere entis : At perfectio infinita in genere entis includere debet necessariò omnem rationem perfectionis simpliciter : nam si quæ desit : iam non est infinita in genere entis, quoniam habet terminum, quo excluditur à participatione illius perfectionis simpliciter : quapropter essentia diuina in suo conceptu quidditatiuo formali includet omnem rationem perfectionis simpliciter. Namque, vt benè notat Caietanus libro de ente, & essentia, quæstione duodecima, hoc est discrimen inter infinitum in certo aliquo genere, & infinitum simpliciter : quod illud non identificat sibi, neque includit omnem rationem perfectionis simpliciter, sed solùm eius generis, in quo est infinitum : exempli causa infinita sapientia in genere sapientiæ non includit, aut identificat sibi necessariò rationem iustitiæ. Infinitum verò simpliciter, absolutè, & absque termino identificat sibi, & includit omnem rationem, ac modum perfectionis. Quod explicari potest similitudine sumpta ab infinitate corporis : nam quia sunt plures differentiæ magnitudinis, ac loci, scilicet longitudo, latitudo, profunditas, antè, retrò, sursum, deorsum, & cæt. Si sit infinitas secundùm vnam differentiam, non proindè erit secundùm alias : & ita si esset corpus infinitum secundùm longitudinem, non proindè erit secundùm profunditatem ; sed sat erit, vt careat termino longitudinis, & sic in cæteris. At si corpus sit infinitum simpliciter, opus est, vt sit tale secundùm omnes differentias magnitudinis, ac loci absque vllo termino longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, versus omnem differentiam loci.

IV. Non debet autem ex hac similitudine formari argumentum ad eum modum, quo proponitur à Mayron. in 1. dist. 8. qu. 7. artic. 4. nempè, sicut infinitum corpus non admittit secum aliud corpus : ita neque infinita entitas vllam aliam à se distinctam : nam, vt benè respondet idem Mayron. hoc argumento non minùs oppugnatur distinctio Dei à creatura, quam attributorum ab essentia : si enim valet, colligi potest, sicut corpus infinitum non reliquit locum vlli corpori extra se : ita neque diuinitas patitur creaturas à se distinctas. Et ideò sicut hîc non habet uim, ita neque ibi : Vim tamen habet, si ita proponatur. Sicut corpus absolutè, & simpliciter infinitum caret omni termino magnitudinis, versus omnem differentiam loci, ita perfectio simpliciter infinita in genere entis, caret termino magnitudinis, secundùm omnem modum perfectionis simpliciter intra latitudinem entis : essentia verò diuina est perfectio simpliciter infinita : ergò caret termino magnitudinis secundùm omnem rationem perfectionis simpliciter in genere entis : sin verò distinguatur ex natura rei formaliter ab attributis, eaq;

Mayron.

non

non claudat intrinsece in proprio conceptu, habebit terminum : ergò & claudit, & identificat ea sibi per omnem modum : Assumptio ostenditur, quoniam terminus perfectionis propriæ & intrinsecæ cuiusque rei continetur eius definitione : aut in ijs, quæ non habent propriè definitionem proprio, & adæquato conceptu quidditatiuo ipsorum : nam diffinitione res circumscribitur, & ab alijs secernitur : atque adeò si extra definitionem mentalem, vel conceptum quidditatiuum, & adæquatum rei remanet aliqua perfectio, simpliciter res concepta, vel definita habet terminum magnitudinis perfectionis in genere entis. Si verò perfectiones attributales distinguuntur ab essentia, tanquam passiones extrinsecæ formali conceptui naturæ, relinquuntur extra proprium, & adæquatum conceptum quidditatiuum ipsius : quare, cùm sint perfectiones simpliciter in genere entis, essentia, quæ termino suæ quidditatis ab illis formaliter excluditur, habet terminum magnitudinis in genere entis, atque adeò non est perfectio simpliciter, & absolutè infinita.

V. Mayron. Ad hoc argumentum Mayron. in primo dist. octaua, quæstion. tertia, §. *Sed hic sunt*, ad primam, & quintam instantiam, & quæstion. septima, articul. quarto, ad primum & secundum respondet dupliciter, inprimis non requiri ad ens simpliciter & infinitè perfectum, vt habeat omnem perfectionem intrinsecè & quidditatiue, sed sat esse, vt aliquo modo vendicet : deinde verò essentiam, sicut & attributa habere eandem numero infinitatem, & ratione eius esse æquè perfecta, quoniam vbi non est quantitas molis, magis ac minus respiciunt quantitatem virtutis : at infinitas in diuinis habet rationem quantitatis virtualis : & ita si est eadem in essentia, & attributis, nequeunt dici magis vel minus perfecta, quod si considerentur cum præcisione ab infinitate, non est ibi perfectius, nec imperfectius. Neutra tamen solutio satisfacit, non prima, quoniam, vt initio dixi, aliud est loqui de ente infinitè perfecto, aliud de perfectione simpliciter infinita, illud enim denominatur à perfectione, quam habet, siue intrinsecè & quidditatiuè, siue non, & ideò quamuis non intrinsecè omnes vendicet, si tamen eas habeat, potest dici simpliciter infinitè perfectum. At perfectio cùm sumatur abstracte à quouis alio sibi extrinseco, non potest dici infinita simpliciter, si est aliquod genus perfectionis simpliciter non clausum formaliter, & intrinsecè in eius quidditate : Ex quo patet frustra Scotistas recurrere ad continentiam secundùm esse reale : nam hæc sola præcisa ratione formali non excludit carentiam intrinsecam formæ ipsius in abstracto sumptæ : etsi per impossibile fingeretur Deum, seruata eadem realitate, non habere rationem formalem iustitiæ, ac prudentiæ, sanè non esset summè perfectus, ergò quamuis essentia diuina contineat reliquas perfectiones quoad realitatem, quia tamen in sua quidditate formaliter non includit, dici non poterit perfectio summa, & infinita simpliciter, quoniam licet plura extendantur eadem quantitate, non proinde singula vendicant propriam perfectionem aliorum, sed vnumquodque extenditur secundùm propriam rationem formalem : Verbi gratia, quantitate ignis extenditur calor eius & fulgor, nec tamen fulgor vendicat perfectionem ignis, aut vice versa, & quamuis non dicatur vnus maior alio extensiuè secundùm quantitatem continuam, vterque tamen simul sumptus est aliquid maius alterutro secundùm quantitatem discretam. Similiter Deitas habet vnicam infinitatem, quia vnica omninò, ac simplicissima res est. Verùm si ipsa supponatur distingui ex natura rei ab attributis, & hæc inter se, quod attinet ad infinitatem, quasi continuam, non erit inæqualitas, quoniam adhuc essentia erit infinita in genere substantiæ, & sapientia in genere sapientiæ, necessariò tamen erit inæqualitas secundùm quantitatem virtualem discretam, quoniam singulæ perfectiones continentur terminis suæ rationis formalis, & plus perfectionis est in pluribus, quàm in vna ; quidquid autem continetur terminis, habet infinitudinem, neque modus infinitudinis superueniens extendere poterit attributa vltra terminos propriæ rationis formalis : Atque adeò si essentia non includit intrinsecè omnes perfectiones simpliciter, erit finita, ac limitata in ratione entis. Quandoquidem sub propria ratione formali secernitur, ac distinguitur à multis perfectionibus simpliciter.

VI. Aliter ad hoc ipsum, aut ferè simile argumentum inductum à Caietano

Lychet.

circa infinitudinem sapientiæ diuinæ, respondet Lychetus in primo dist. octaua, quæstion. tertia, §. *Respondeo per ordinem,* in solutione ad secundum, supponit autem infinitum dupliciter conuenire: primo quidem ita, vt infinitas simpliciter sit de formalitate, siue de ratione quidditatiua illius, cuius est. Secundo ita, vt tantum insit formaliter, & denominatiua prædicatione, accipiendo terminum *denominatiuam*, prout distinguitur à quidditatiua, ita tamen, vt sit gradus intrinsecus illius, cuius est; Hoc posito respondet sapientiam abstractam maxima abstractione præcisionis, non esse formaliter infinitam primo modo, quoniam infinitas non est de ratione quidditatiua sapientiæ. Nec item secundo, quia, vt sic tantum includit prædicata essentialia formaliter. Addit tamen sapientiam, vt diuinam, esse formaliter infinitam secundo modo, quasi dicat, non verò primo; nam cùm vtrumque negauerit de sapientia secundùm se, tribuens vnum sapientiæ diuinæ, censetur negare alterum; secundo præmittit, sicut ad naturam consequitur propria passio, ita necessariò ad quamuis entitatem sequi proprium gradum intrinsecum: atque adeò, sicut ad humanitatem sequitur tanta perfectio intrinseca, ita ad diuinam sapientiam, tanquam gradus intrinsecus, consequitur infinitas intensiua: ita, vt nihil ei perfectionis in entitate deficiat, cùm perfectionem infinitam includat. Veruntamen eadem sapientia quidditatiuè accepta, vt tantum includens prædicata essentialia, siue quidditatiua, non includit formaliter infinitatem. Impossibile est tamen poni in esse, quin necessario sit infinita actu, & intrinsecè, concludit itaque sapientiam esse formaliter infinitam hoc secundo modo, quia scilicet ratione suæ infinitatis, omnem entis perfectionem simpliciter includit realiter, non verò primo modo, quia non includit formaliter, hoc est, quidditatiuè, omnem entis perfectionem simpliciter, neque absurdum esse, vt hoc modo coarctetur, ac reponatur intra entis latitudinem.

VII. Hæc Lychetus ferè in terminis, & quamuis non loquatur de essentia, sed de sapientia, eadem est ratio, quoniam sicut existimat sapientiam Dei non includere in suo conceptu quidditatiuo perfectiones alias à se formaliter distinctas, ita sentit de essentia, atque adeò, sicut ob eam causam negat sapientiam esse infinitè perfectam formaliter primo modo, ita etiam negabit essentiam, & idcircò dissoluenda sunt eius fundamenta; & quamuis in dictis multa contineantur, quæ redargui possent, cæteris tamen omissis ea solum prosequar, quæ faciunt ad institutum. In primis verò non est facienda vis in eo, in quo ipse constituit fundamentum suæ responsionis, nimirum vtrum infinitas ipsa sit de ratione formali intrinseca sapientiæ, vel scientiæ diuinæ, an non: sed vtrum omnes rationes perfectionis simpliciter, quæ infinitæ dicuntur, verè, ac formaliter sint de intrinseca ratione essentiæ. Ratio est, quoniam infinitas, vel est solum negatio termini, siue finis, vel, vt volunt Scotistæ, est modus intrinsecus rei, quæ dicitur infinita, si sit negatio, pertinere nequit intrinsecè ad rationem formalem rei positiuæ, & id parum facit ad hoc, vt illa sit simpliciter infinita nec nè. Si verò sit modus, cùm is non modificet, nisi id, quod illi supponitur, & quasi substernitur, non poterit extendere illud vltra suam rationem formalem, modi enim, vt Sirectus in formalitatibus articul. secundo partiali, & alij Scotistæ concedunt, non inducunt vllam rationem formalem per se, atque adeò infinitas, quam ait per modum proprietatis sequi essentiam, non extendet illam vltra essentiam, aut vltra rationem formalem, quam reperit: de sententia verò Scotistarum solam reperit rationem formalem essentiæ, vt essentia sit distincta formaliter à reliquis perfectionibus, ergò non reddit illam formaliter infinitam simpliciter, sed solum in ratione essentiæ. Respondebunt, hunc modum reperire realitatem essentiæ, eamque reddere infinitam in genere realitatis: non posse verò esse talem, nisi contineat realitatem omnis perfectionis simpliciter: ex eoque prouenire, vt identificet sibi realiter omnem perfectionem simpliciter, seruata distinctione formali. Verum hæc responsio defendit quidem essentiam esse infinitam simpliciter in genere realitatis, non verò in genere perfectionis formalis; ad hanc enim non sat est inclusio totius realitatis, sed omnium rationum formalium, quæ in illa identificantur: nam realitas, prout nostro modo intelligendi subest diuersis rationibus formalibus, est vnica perfectio infinita simpliciter à parte rei, multiplex tamen virtute: ideoque si non pertinet intrinsecè ad essen-

Sirectus.

tiam

tiam Dei secundùm omnes rationes formales virtute distinctas, iam essentia secundùm suum præcisè conceptum non includit omnem perfectionem simpliciter: & consequenter non est perfectio infinita simpliciter in genere entis.

VIII. Id verò etiam, quod facilè ita concedit, nempe non esse absurdum, vt sapientia vel essentia diuina, eadem quippe apud Scotistas est vtriusque ratio, non sit formaliter, & simpliciter infinitè perfecta in omni genere, hoc est secundùm rationem quidditatiuam intrinsecam, nequaquam admittendum est: nam infinitas secundùm realitatem, & infinitas secundùm quid, infinitas autem secundùm rationes formales est, à qua sumitur vera ratio perfectionis. Nam realitas confusè sumpta absque ratione formali, est perfectio quædam informis, vt ita dicam, & indeterminata: eadem verò sub peculiaribus rationibus formalibus singularum perfectionum est multo perfectior atque excellentior, quàm nude sumpta. Ea propter, cùm Deitati intrinsecè debeatur maxima perfectio, quæ cogitari potest, ea erit infinita non solum realiter atque identicè, sed etiam formaliter, hoc est, includet formaliter omnem rationem formalem perfectionis simpliciter. Et quidem Scotistæ hoc argumento conuicti negare nequeunt deberi diuinitati intrinsecè, ac formaliter maximam perfectionem simpliciter infinitam possibilem, aiunt tamen impossibilem esse infinitatem secundùm rationes omnes perfectionis simpliciter intrinsecè clausas in vna aliqua quidditate, vt videre est apud Scotum in primo dist. octaua, quæst. quarta, §. *Ad quæstionem*, Mayron. quæst. tertia, §. vltim. Ad quintam instantiam, & quæst. septima, art. quarto ad tertium, impossibilitatem verò probant argumentis tractatu sexto examinandis, quæ sanè nullam impossibilitatem arguunt, vt ex ipsorum solutione patebit. Sed nunc positiuè ostendam non esse impossibilitatem vllam in eo, quod asseritur ab alijs Theologis cõcedentibus Deo vnam simplicem, & indistinctam omninò rationem formalem intrinsecè atque formaliter includentem perfectiones omnes simpliciter.

Scot. Mayron.

IX. Vna ratio formalis infinita simpliciter modo explicato, aut repugnat, quoniam rationes perfectionum simpliciter sumptæ in maximè præcisa abstractione communi creatis, & increatis differunt ex natura rei formaliter, aut quia licet in communi non ita differant, habent tamen in Deo repugnantiam particularem, ne coalescant in vnam rationem formalem simplicem, & adæquatam: aut denique, quia cùm in creatis formaliter differant, & in Deo seruent eandem rationem formalem, in ipso quoque retinebunt eundem modum distinctionis. Nulla ex his causis sufficit, aut interuenit: ergò non est vlla impossibilitas. Assumptio ostenditur incipiendo ab vltimo membro disiunctionis. Etenim licet rationes formales perfectionum simpliciter repertæ in creaturis sint etiam in Deo, non tamen quoad omnia, quæ vendicant in creaturis, sed solum secundùm rationes analogicas maximè abstractas: quare cùm distinctio actualis mutuò præcisa, inter creatas possit referri in particulares rationes ipsarum, quibus à diuinis distinguuntur: non est cur ex distinctione formali actuali perfectionum creatarum colligatur similis distinctio inter diuinas, alioquin, sicut creatæ distinguuntur realiter, distinguerentur etiam diuinæ. Dicet enim aliquis ex ipsis rationibus formalibus prouenire distinctionem realem in creatis, ideoque cùm sint eædem in diuinis, in his quoque dandam realem distinctionem, quod tamen salua fide dici non potest. Sicut ergò hîc distinctio realis prouenit ex proprijs rationibus ipsarum creaturarum, ita quoque distinctio formalis ex ijsdem prouenire dicenda est. Non etiam prouenit ex propria ratione Dei: nam est ens maximè vnum continens vnitissimè, quidquid in creaturis dispersum est, & quemadmodum vna simplici realitate continet perfectiones in creaturis re ipsa diuersas, ita vna quoque simplici atque indistincta formalitate continebit rationes formales omnium in creaturis ex natura Dei distinctas. Denique neque ex communibus rationibus perfectionum prouenit ista distinctio: nam sicut secundùm eas nec vendicant identitatem, nec distinctionem realem, sed abstrahunt ab vtraque, ita etiam non vendicant identitatem, aut distinctionem formalem ex natura rei, sed abstrahunt ab vtraque. Cur enim potius vendicent distinctionem formalem, quàm realem? siquidem non solum significant rationem formalem, sed etiam realitatem, qui enim sapientiam dicit, rem aliquam dicit. Et tamen secundùm præcisum conceptum sapientiæ non restringitur ita secundùm rem, quin maneat indifferens, vt pro

varie-

varietate analogatorum sit eadem, vel distincta realiter ab alijs perfectionibus simpliciter, ergò etiam secundùm eundem conceptum non ita restringi debet, quin pro varietate analogatorum possit esse formaliter eadem, vel distincta ab alijs.

Ostenditur ex Patrum dictis attributa esse de ratione intrinseca, & essentiali Dei.

CAPVT VIII.

I. HÆC eadem veritas constat ex varijs dictis, ac modis loquendi Sanctorum Patrum, quos ad certa capita reducam. Primum est quidquid prædicatur de Deo esse essentiale, aut dici essentialiter, ita Anselm. in Monolog. cap. decimosexto, Anselm. August. August. lib. septimo de Trinitate cap. secundo, *Sapientia*, inquit, *essentialiter intelligitur* de cognitione veræ vitæ cap. septimo, *Deus spiritus est, essentialis, inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem, simul essentialiter possidens.* Idem docet capite octauo & capite tertio eiusdem libri. *Cum ratio*, inquit, *astruat nihil Deo accidentale, sed totum, quod prædicatur de eo, et esse essentiale.* Isidor. Isidorus. libro septimo origin. cap. primo, *Proinde Deus simplex est, quia non in eo aliquid accidentis est: sed quod est, & quod in ipso est, essentialiter est.* Elias Cretens. Elias Cretensis in oratiõem vigesimamtertiam, quæ est in laudem Heronis satis post medium loquens de Spiritu sancto. *Nec ex profectu*, inquit, *vt alijs, sanctitas est, nec per participationem, sed essentiali modo.* Guliel. Paris. Gulielmus Parisiensis secunda parte secundæ partis de vniuerso cap. 129. *Ipse Deus caritas est, id est, ipsa dilectio, qua diligit, non enim alieno, vel vllo modorum aduentitio calore calet in ea, quæ diligit, sed proprio, & essentiali.*

II. Ad hæc testimonia afferri potest solutio ex doctrina Scoti quæst. prima quodlibet. artic. primo §. *De altero*, vbi docet terminum *essentiale* aliter accipi à Philosophis, aliter à Theologis, præsertim cùm loquuntur de diuinis: nam apud Philosophos essentiale sumitur, prout distinguitur ab accidentali, quod continet sub se omne accidens alicui subiecto, siue sit accidens commune, siue per se, hoc est necessarium, ac proprium: in qua acceptione essentiale dicitur id, quod includitur in essentia, quemadmodum materia & forma sunt essentiales composito physico, genus ac differentia metaphysico. At verò apud Theologos essentiale vsurpatur, prout contraponitur notionali: nam, cùm essentia sit omnium primum, quod est in diuinis, & commune omnibus personis communitate reali, dicitur enim de singulis, & omnibus tribus singulariter, perfectiones omnes, quæ eadem ratione conueniunt personis, dicuntur essentiales, quia sunt similes essentiæ in modo prædicandi, & communitate reali: contra verò notionale dicitur, quod hoc modo non prædicatur, sed pertinet ad distinctionem personarum. Quam doctrinam colligit ex Diuo Augustino libro quinto de Trinitate cap. quinto. *In rebus creatis, ac mutabilibus, quod non secundùm substantiam dicitur, restat vt secundum accidens dicatur: in Deo autem nihil secundum accidens, nec tamen omne, quod dicitur, secundùm substantiam dicitur, dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium, & filius ad patrem.* Ex quibus constat quidquid in creaturis non secundùm essentiam, siue substantiam dicitur, esse accidens, in Deo verò non contradiuidi essentiale atque accidentale, sed essentiale ac notionale, siue relatiuum, vt loquitur Augustinus. Ex qua doctrina explicari possunt omnes autoritates Patrum asserentium omnia de Deo dici essentialiter, scilicet ad se, & non relatiuè, & communitate reali respectu omnium personarum. Augustin.

III. Verum hanc solutionem nulla ratione admittunt allata testimonia, nam vt ex ipsis patet, essentialiter & essentiale non opponitur notionalibus, sed accidentibus aduentitijs, & ijs, quæ per participationem dicuntur, ijs verò, ex ipsius Scoti sententia, solum opponuntur ea, quæ pertinent ad intrinsecam, & quidditatiuam rationem rei. Scotus contendit apud Augustinum substantiale, vel essentiale contraponi præcisè, & adæquatè notionali, Augustin. relatiuo: nam sumitur, vt opponitur relatiuo, siue sit notionale, siue de tribus personis prædicetur, vt est Dominus, & similia: quod expressè docuit idem Augustinus eodem lib. capit. vndecimo, & libro septimo, capit. primo & quarto. Vnde constat Augustin. opponere prædicata essentialia, & substantialia illis omnibus positiuis, quæ de Deo prædicantur, nec tamen sunt de ratione quidditatiua, & intrinseca Deitatis, qualia

sunt

sunt omnia, & sola relatiua, siue notionalia, siue communia: quod manifestè constat in exemplis, quibus vtitur cap.1. citato, nempe hominis & serui, nummi, & arrhæ, quemadmodum enim homo, & nummus sunt nomina essentiæ, seruus, & arrha relationis, quæ sunt extra rationem essentiæ, eodem modo se habere docet prædicata absoluta, & relatiua in Deo.

IV.

Scotus §. citato post medium probat vitam esse de essentia Dei, quia Augustin. lib.15. de Trinitat. *Quæ*, inquit, *vita dicitur in Deo ipsa est essentia eius atque natura, & meritò*, non enim alijs verbis clarius significari potest aliquid esse de quidditate alicuius, at Patres sæpè dicunt omnia, quæ dicuntur de Deo, esse ipsius essentiam. Ita Leo Papa Epistola decretali nonagesima tertia, alias nonagesima prima ad Turibium Episcopum cap.quinto, vbi *de Deo*, inquit, *quidquid dignè vtcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Quid clarius dici potuit? non contraponit essentiam prædicato notionali, aut relatiuo, sed qualitati, quæ est absolutum: nec solummodo qualitati prædicamentali, sed omni prædicato dicto per modum qualitatis in quale, & non in quid. Augustinus libro septimo de Trinitate cap.primo ante medium, *Eadem eius magnitudo, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo*, & in fine. *Eadem ibi sapientia est, quæ essentia.* Cyrillus Alexandrin. libro decimotertio thesauri cap. quarto, *Scriptura Spiritum Dei sanctum appellat, vnde ostenditur non accidens aliquod, sed ipsam essentiam Spiritus sancti significari, sanctus enim Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est*, per sanctitatem Spiritus sancti essentiam significari docet, Basilius libro de Spiritu sancto cap. decimonono, *Cui bonitas est ipsa essentia.* Nyssenus apud Cypariſſiotam Decad.10.cap.sexto, *Cuius*, inquit, *essentia, sapientia est.* Fulgentius quæst. secunda ad Ferrandum diacon. *Claret*, inquit, *hoc esse Catholicæ veritatis, vt cùm in Deo diuinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia, in his quæ ad se prop[illegible] dicuntur, nominamus, non in ist[illegible]is diuersis nomin[illegible]bus quædam diuersa, sicut in homine, qui subiacet qualitati, sed vnum illud, quod est essentia vel natura certissimè nouerimus.* Hugo Victor. in sum. sentent. tract. primo, cap. vndecimo, *Hoc est Deo essentia, quod sapientia.* Nicolaus Cardinalis Cusanus lib. de visione Dei capit. decimo septimo, *Nihil inte est, quod non sit ipsa essentia tua.* Gilbertus Pictauiensis Episcopus in comment. super primum librum Boetij de Trinitat. ad finem dicit, *Hæc nomina Deus, Bonus, Magnus, essentiam prædicare*: & super secundum librum de Trinitat. §. *Idque signi erit*, veritatem, & similes perfectiones, *esse personarum essentiam, nec aliam, quàm diuinitatem*, similia dicit §. *Nam qui*, & Autor commentar. super librum primum Boetij de Trinitate, apud Bedam Tomo octauo, columna 1112. in fine. Ad eundem sensum loquitur Philo in lib. *Quod Deus sit immutabilis: Deus*, inquit, *non est sicut homo, nec sicut cælum, nec sicut mundus, nam hæ species habent qualitates suas, & percipiuntur sensibus, at ille nec mente quidem comprehenditur, nisi hactenus quod sit, est enim essentia, quod in eo intelligitur.* Itaque de mente Philonis ea, quæ à nobis de Deo intelliguntur, ac dicuntur, essentia ipsius sunt, & consequenter perfectiones absolutæ, quas Deo tribuimus, essentia Dei sunt.

Aug. Leo Papa. Augustin. Cyrill. Alex. Basilius. Nyssenus. Fulgentius. Hugo Victor. Nicol. Cusan. Gilbert. *Autor comm.* *Philo.*

V.

Huic est similis alter loquendi modus Patrum asserentium, omnia dici in Deo secundùm substantiam, vel substantialiter, quos retuli capit. primo, numer. quinto, quod idem est, ac dici essentialiter, sed ad autoritatem Anselmi lib. de incarnatione verbi cap. quarto dicentis, potestatem Dei esse substantialem, respondet Lychet. in primo dist. octaua. quæst. tertia, §. *Quarto principaliter ad tertium*, dici substantiale, prout distinguitur contra accidentale, propriè, non autem prout est idem, atque essentiale, & distinguitur ab eo, quod est extra quidditatiuam rationem alterius, idque colligit ex ratione, qua vtitur Anselm. nempe si est accidentale, potest separari, & ideò attributa dicuntur substantialia Deo, non quod sint de eius essentia, sed quod ab ipso separari nequeunt. Hæc Lychet. qui similiter exponit alias Patrum autoritates. Verùm ipse omisit nonnihil ad rem maximè pertinens, Anselm. enim non ex eo solùm probat potestatem non esse accidentalem Deo, quia vtcumque separari ab eo nequit, sed quia, cùm subiectum sine accidente aut esse, aut intelligi possit, Deus sine potestate nec esse, nec intelligi potest, quod solis ijs conuenit, quæ sunt de intrinseca ratione essentiæ: nam sine ijs, quæ habent modum substantiæ, hoc est, per se existendi, si non sunt de intrinseca ratione essentiæ, subiectum potest intelligi: quare cùm Anselm. ideò dicat potestatem esse Deo substantialem, quia sine illa intelligi nequit, profectò sentit esse de intrinseca ratione Dei: quod

Anselm. *Lychet.*

etiam

etiam sumitur ex progressu discursus, subdit enim, *Si verò substantialis est Deo potestas, aut est pars eius essentiæ, aut est id ipsum, quod est tota eius essentia.* Quæ disiunctio minimè quadrat, si nomen *substantialis* sumatur pro vt solum opponitur accidenti separabili & inhærenti: nam differentiæ diuisiuæ sunt eiusdem generis, & ordinis cum diuiso: eius autem quod est substantiale, hoc est per se existens, sunt alij modi, secundùm quos diuidi queat, eius verò, quod est essentiale, sunt tantum duo illi modi, nempe tanquam pars essentiæ, vel tanquam id, quod est tota essentia. Accedit quod substantiale, prout dicitur per se existens, est ens ad se, & absolutum, nec dicitur esse huic, vel illi substantiale, sed hoc, vel illud substantiale: prout autem dicitur ab essentia, & contra diuiditur ab accidentali, habet modum ad aliquid, & dicitur huic, vel illi substantiale, hoc est essentiale. Anselm. autem ex prius dictis intulit. *Si verò substantialis est Deo potestas*, quasi probatum reliquerit esse vere de essentia ipsius: ex quo tandem concludit, cùm sit substantialis, & non pars, esse idem quod tota ipsius essentia. Quæ etiam illatio vim non habet ex eo, quod esset substantialis, hoc est per se existens. Hæc quoad testimonium Anselmi; Alij verò Patres semper accipiunt nomen substantiæ, non solum prout opponitur accidenti, sed etiam, vt significat essentiam: vt *Augustin.* constat ex Augustin. lib. 15. de Trinitate cap. 5. *Quidquid secundùm qualitates illic dici videtur, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum,* & quæstiuncula 6. de Trinitate, *quia Deus, & omnipotens, & magnus, & bonus, & æternus, substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur, ideò non licet ea plurali numero dicere, sed singulari, & omne nomen, quod substantiam, vel essentiam Dei significat, semper singulari numero proferendum est*, & *Gilbert.* Gilbertus §. citato. *Vna veritas horum si est (vt vtique est) in his vna substantia, hoc est essentia, necesse est eandem veritatem de ipsis substantialiter prædicare.* Et hic est communis vsus Patrum, vt essentia, quæ apud Græcos dicitur οὐσία, apud Latinos dicatur substantia, vt notauit Augustin. lib. 5. de Trinitate cap. 8. & *Augustin. Mar. Victori.* 9. & Marius Victorinus lib. 2. aduersus Arium à principio docet, quod est Deo esse substantiam iure dici. Itaque quando Patres dicunt attributa esse substantialia, dici secundùm substantiam, vel substantialiter, significant esse de ratione essentiæ, quā nomine substantię intelligunt. Idque multo euidentius apparet, cùm aiunt, omnia, quæ in diuinis ad se dicuntur, esse, vel significare substantiam diuinitatis: nam id, quod nullo modo est intrinsecum rationi formali alicuius entis, non significat eius substantiam, quantumuis alioquin sit idem realiter cum illo: ita præter alios citatos cap. 1. num. 5. loquitur Augustin. quæstiuncul. citata, & lib. 6. de Trinitate cap. 4. *Deo hoc est esse, quod est fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur*, & lib. 7. cap. primo post medium de magnitudine, & virtute, *vtrumque substantia, & vtrumque vna substantia*, & lib. 15. cap. 17. *Vt in illa Trinitatis simplici, summaq; natura non sit aliud substantia, & aliud charitas, sed substantia ipsa sit caritas, & caritas ipsa substantia.* Nec verò hæc repugnant dictis cap. 1. huius tractatus: vbi ex eodem loquendi modo ostendi perfectiones omnes attributales positiuas esse substantias: nam cùm de essentia substantiæ nil nisi substantia possit esse, Patres cùm aiunt, omnia, quæ dicuntur de Deo, significare substantiam, non solum volunt, vt significent ipsam essentiam, sed etiam rationem substantiæ, prout ab accidente distinguitur. *Augustin.*

VI. Aliud fundamentum sumitur ex dictis Patrum asserentium perfectiones singulas dicere ipsum quid est Dei. Gregorius Nyssenus oratione 7. in Cantica initio, *Dominus*, inquit, *natura sua, id ipsum quod est veritatis, sapientiæ, potestatis essentia est.* Et aptè responderi ad quæstionem quid est, Diuus Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 13. *Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Hugo Victor. lib. de sapientia animæ Christi. *Quid enim est diuinitas Christi nisi sapientia Dei?* inepte sanè responderet, nisi crederet, sapientiam esse intimam essentiæ: idem rursus quæst. 34. in Epistola ad Roman. discrimen statuens inter nomina, quæ dicuntur de Deo, *Quædam*, inquit, *significant quid non sit Deus, vt immortalis; quædam notant quid sit in Deo, vt sapiens, bonus: quædā insinuāt sua prædicatione quid sit Deus, vt bonitas ac sapientia.* Ex quibus elicitur attributa hæc pertinere ad ipsam quidditatem Dei. Sed clarius hoc ipsum expressit Anselm. in monologio cap. 15. vbi sic ait: *Si quæratur quid sit ipsa summa natura, quid verius respondetur, quàm iustitia?* ne cui relinqueretur locus dicendi Anselm. impropriè loqui, *quid verius respondetur*, inquit, *quàm iustitia?* quia scilicet ad quæstionem quid est Deus, aptissimè responderetur dicendo, iustitia, misericordia, sapientia, & cætera, quę à nobis Dei attributa nuncupantur; sunt tamen de ratione formali eius intrinseca: & quod de vna iustitia expressit, de reli- *Nyssenus.* *Bernard.* *Hugo Victor.* *Anselm.*

quis

quis vult intelligi, *quod vero*, inquiens, *in exemplo iustitiæ ratum esse conspicitur, hoc de omnibus, quæ similiter de ipsa natura dicuntur, intellectus sentire per rationem constringitur.* Vndè patet non satisfacere responsionem Scoti in 1. d. 8. quæst. 3. alias 4. §. *Ad quæstionem*, dicentis Anselmum intelligendum esse de quid est per identitatem, non formaliter: nam ad quæstionem quid est non respondetur nisi per ea, quæ sunt de ratione formali intrinseca, & quamuis posset responderi per ea, quæ solùm sunt idem re, tamen verior responsio esset in sensu formali, quam proinde Anselm. intellexisse necessariò fatendum est.

VII. Alius modus crebro à Patribus vsurpatus est, hoc illi esse, viuere, intelligere, posse, beatum ac magnum esse, quod est esse, ita D. Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 4. *Deo*, inquit, *hoc est esse, quod est fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, &c.* idem docet, cap. 10. & lib. 7. cap. 1. 2. 4. & 6. & lib. 8. cap. 1. & lib. 15. cap. 6. & lib. de speculo, cap. 33. & lib. 8. de Ciuit. cap. 6. & ex ipso Beda in illud ad Roman. 1. *Inuisibilia enim ipsius*, & lib. 1. de elementis philosophiæ parum à principio, Fulgent. lib. 2. ad Trasimund. paulò ante medium, & in responsione 7. contra Arianos. Rich. de Sancto Victore, lib. 3. de Trinitate, cap. 22. & lib. 5. cap. 1. Boëtius, lib. 1. de Trinit. Hugo de Sancto Victore in sum. sentent. tract. 1. cap. 11. Nicolaus Cardinalis Cusanus, lib. de docta ignorantia, cap. 3. Marius Victorinus, lib. 1. aduersus Arium à med. & lib. 3. ante medium D. Bernardus serm. 81. in Cantica in principio, & lib. 5. de considerat. cap. 6. cuius verba, quia rem dilucide explicant, libet annectere. *Si bonum*, inquit, *si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo, dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse: si & centum talia addas, non recessisti ab esse, si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris nihil minuisti.* Similia dixit Gilbertus super Boëtium de hebdomadibus regula 7. ex hoc loquendi modo perspicuè colligitur institutum: nam Dei essentia est ipsum esse infinitum, ac illimitatum: sed ex sententia Patrum intelligere, velle, bonum, magnum, ac iustum esse, & cæteræ perfectiones absolutæ sunt Deo ipsum esse: & idem est illi intelligere, ac bonum esse, quod esse: ergo illa omnia pertinent ad eius essentiam. patet consequentia, quoniam cum perfectiones aliquæ extrinsecæ rationi formali, & essentiali subiecti eidem conueniunt, non est illi idem suum esse, ac esse illarum: Verbi gratia, extra essentiam hominis est risibilitas, sapientia, iustitia: ideoque non idem ipsi est esse, ac risibilem, sapientem, & iustum esse, quia vero rationalitas est ratio quidditatiua ipsius, idem est homini esse, ac rationalem esse, vndè Hugo vbi proximè cum dixisset, *hoc est Deo esse quod sapere*, subdit, *& illi essentia quod sapientia*, quasi explicans priorem loquendi modum per alium magis clarum. Quod etiam fecit Augustin. lib. 7. de Trinitate, cap. 1. ad finem. *Quid enim*, inquiens, *aliud dicimus, cùm dicimus, hoc illi est esse, quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est:* nihil vero dicitur simpliciter esse illo, quod non pertinet ad ipsius essentiam, vt rectè docuit Boëtius in lib. de hebdomadibus regula 5. & benè explicat Sanct. Thomas ibidem. Et Gilbertus Pictauiensis Episcopus super eundem librum Boëtij. §. *Non igitur*, explicans eundem loquendi modum dicit, *quod, cùm id, quod prædicatur, illius est esse, de quo prædicatur*, verbi gratia, æreum respectu operis, dici posse, *non modo opus est æreum in eo quod est, sed etiam operi idem est esse, quod æreum esse*, cùm ergo Patres vtuntur hoc loquendi modo, planè significant omnia prædicata absoluta dicta de Deo pertinere intrinsecè ad illius essentiam.

Hugo Victor. *Augustin.* *Boet.* *S. Thom.* *Gilbert.*

VIII. Ad hunc etiam modum reuocari possunt duo alij ferè similes: alter est, cùm Deus dicitur eo Deus, quo magnus, aut sapiens, & non aliundè bonus aut iustus, quam vndè Deus. Hi enim duo modi significant nostro modo intelligendi rationem quandam veluti causæ formalis: & ideò vt arguit Adamus in 1. d. 6. quæst. 1. post tertiam Conclusionem, si Deus eo est Deus, quo magnus, bonus, ac sapiens, formæ, quibus magnus, bonus, ac sapiens est, non extraneæ, sed intrinsecæ sunt ipsi, qua Deus est: magnus autem est magnitudine, bonus bonitate, sapiens sapientia: ergo magnitudo, bonitas, sapientia sunt illi intrinseca, & essentialia: Idem similiter concludi potest ex illis altero modo: nam terminus, *vndè*, non dicit vllam aliam habitudinem, quam veluti causæ, seu potius rationis formalis: atque adeò si inde bonus, vndè Deus, ac viceuersa, vna, atque eadem est ratio formalis intrinseca, à qua formaliter est bonus, sapiens, ac Deus: ergo cum sapiens sit à sapientia, bonus à bonitate, hæ duæ sunt intrinsecæ rationi essentiali Dei. Priore ratio-

Adamus.

Augustin. ne vtitur Augustinus in quæstiunculis de Trinitate vbi ad quæstionem, *an aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse,* respondet non differre, *quia Deus eo ipso, quo est, viuit, & eo, quo viuit, intelligit, & eo, quo intelligit, potest, & eo, quo potest, est,* similiter loquitur, lib. 7. de Trinitate, cap. 1. & 2. ex quo etiam loco magis corroboratur institutum, vt benè vrget Toletan. *Toletan.* in 1. d. 8. quæst. vnica, art. 2. conclusione 2. & Andreas de Nouo Castro d. 32. *Andr. de Nouocastro.* quæst. 1. §. *Notandum:* nam statuit ibi Augustin. discrimen inter absoluta, & relatiua, & ait, *propterea non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiuè ad eum, cuius Verbum est, sicut filius ad patrem, sapientia vero eo, quo essentia,* & cap. 4. dicit, *aliud est Deo esse, aliud patrem esse.* Per quæ verba non inducitur distinctio realis, quæ non est inter Deum & patrem: non formalis, nam hæc etiam est inter attributa de mente Scotistarum: atque adeò ratione eius non minus verè diceretur, aliud esse Deum esse, aliud bonum, ac sapientem esse, quod negat Augustinus: debet ergo intelligi aliquid conueniens solis relationibus, non vero perfectionibus absolutis, id vero non est aliud, quam alietas rationis formalis extrinsecæ, quæ conuenit relationibus: non sunt enim de intima ratione Deitatis, sicut absoluta.

IX. Ad has auctoritates respondet Scotus, *Scotus.* in 1. d. 8. quæst. 3. alias 4. §. *Contra istam,* *Mayronius.* ad secundum dub. Mayron. quæst. 5. §. *Bassol.* *His visis,* ad quartam dubit. Bassol. d. 22. *Lychet.* quæst. 4. art. 3. §. *Ad primam,* & Lychet. d. 8. quæst. 3. §. *Quarto principaliter,* ad quartum, Deum dici ab Augustin. eodem esse Deum, magnum, ac sapientem, non vero patrem propter tres rationes conuenientiæ perfectionum absolutarum inter se, quæ non competunt relationibus: nam sapientia, & magnitudo sunt perfectiones eiusdem rationis, hoc est absolutæ, paternitas vero nequaquam, item sunt perfectiones simpliciter, non vero paternitas: denique sunt eædem identitate mutua, quoniam magnitudo est idem realiter sapientiæ, & hæc magnitudini, Deitas vero, & paternitas non habent mutuam identitatem: nam quamuis essentia ratione suæ infinitudinis indentificet sibi paternitatem, hæc tamen, cùm non sit formaliter infinita, non identificat sibi essentiam: & ideò in rigore essentia non dicitur idem cum paternitate, sed è conuerso. Hæc tamen solutio non satisfacit: nam, cùm dicitur Deus eo magnus, aut sapiens, quo Deus, non tamen eo pater, quo Deus, sensus est Deum ex vna, eademque ratione habere vndè sit Deus, magnus, ac sapiens, & non habere ex eadem, vt sit pater, quod necessariò intelligendum est formaliter, non radicaliter: nam ex essentia radicaliter pater habet vt sit pater, essentia enim, vt in materia de Trinitate fusius explicandum est, dicitur radix relationum diuinarum, eo vero sensu, quo Augustin. negat Deum eodem esse patrem, quo Deus, vel sapiens est, concedit eodem esse sapientem, quo Deus, vel magnus est: negat autem illud in sensu proprio, ac formali, quare hoc etiam concedit in eodem sensu: atque adeò, cùm sit Deus per rationem formalem intrinsecam, & essentialem, per eandem erit magnus, sapiens & potens: ad hoc autem parum conducunt tres illæ conuenientiæ inter essentiam, & perfectiones absolutas, & differentiæ inter eandem, & relationes: nam ad hoc per se solùm requiritur, vt sit eadem ratio formalis, à qua omnes illæ denominationes desumantur: quapropter siue in alijs sit conuenientia, siue non, si hæc adsit, verum erit dicere eodem Deum esse Deum, bonum, ac sapientem, si non adsit, non erit verum: & ideò de mente Augustini, ab eadem ratione formali intrinseca, Deus habet formaliter esse Deum, iustum, magnum, ac sapientem; Quo argumento refellitur quoque tertia differentia, quæ præterea in se continet causam redargutionis: nam si mutua identitas, Verbi gratia, inter Deitatem ac sapientiam est in causa, vt Deus, quo est Deus, sit sapiens, & quo sapiens, Deus, quia nimirum eo ipso, quo Deitas est simpliciter infinita, identificat sibi sapientiam, & ideò dicitur eo Deus, quo sapiens, & eadem ratione ex parte sapientiæ: etiam identitas non mutua erit in causa, vt ex altera saltem parte dicatur eo hoc, quo illud, nempè ex ea, quæ sibi identificat alteram, & ita cum essentia identificet sibi relationem, verum erit dicere eo pater, quo Deus: nam si identitas mutua admittit ex vtraque parte hunc loquendi modum, cur non mutua non admittet saltem ex altera? & tamen Augustin. hoc ipsum negat. Eodem loquendi modo vtitur Gilbert. super lib. 1. Boëtij de Trinitate, §. *Neque enim, &c.* & §. *Sed hæc,* vbi sic habet, *cum dicitur Deus est iustus, toto eo, quo ipse est,*

dicitur

dicitur iustus: Nec aliquid prorsus, quo ipse sit, dictio hæc dimittit. Nam Deus idem ipsum est, quod est iustum, id est eodem, quo est Deus, est iustus. quæ adeò manifestè prædictam veritatem continent, vt commentatione non egeant.

X. Bernard.

Altero modo vtitur Bernard. serm. 80. in Cant. post medium: nam, cùm dixisset quædam attributa idem esse in Deo, subdit: *Nec enim aliundè bonus, quam vndè magnus, nec aliundè iustus ac sapiens, quam vndè magnus ac bonus: nec aliundè denique simul hæc omnia, quam vndè Deus, & hæc quoque nonnisi seipso.* Sanè si vndè bonus, magnus, sapiens, ac iustus, vndè Deus, eadem omninò, atque intrinseca est ipsi forma, à qua bonus, magnus, sapiens, ac iustus est: quia est eadem ipsa, qua Deus est. Et ne intorqueri posset in alium sensum, vltimis verbis explicauit illud, *vndè*, significare rationem formalem intrinsecam: nihil enim dicitur esse aliquid se ipso, nisi includat intrinsecè rationem formalem illius esse, vt ex doctrina Hugonis docet Bonauentura in 1. d. 32. art. 1. quæst. 2. Non enim homo seipso est bonus, aut intelligens, sed bonus bonitate, intellectione intelligens. Ex quibus vsurpatis ab alijs quoque patribus sumitur aliud nostræ sententiæ fundamentum: nempè nihil dicitur tale seipso, nisi ratio formalis eius sit sibi intrinseca, Deus dicitur seipso, vel per seipsum sapiens, iustus, ac bonus: ergo sapientia, iustitia, & bonitas, à quibus formaliter sumuntur eæ denominationes, sunt intrinsecæ Deo, siue essentiæ diuinæ. Ita loquitur Anselm. cap. 15. monolog. his verbis. *Si igitur non est iusta, nimirum summa essentia, nisi per iustitiam, nec summa potest esse, nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quam quod eadem natura est ipsa iustitia? &, cum iusta per se dicitur esse, non aliud intelligitur, quam per iustitiam,* cuius discursus hic est sensus, essentia diuina nonnisi per iustitiam potest esse iusta, nec potest aliter esse iusta, quam per se ipsam, alioquin non erit summa iustitia, quare ipsam est iustitia, per quam est, ac dicitur iusta: hîc vero loquitur de forma, qua est formaliter iusta: quare, cùm dicat esse iustam per se, ac per ipsam iustitiam, censet iustitiam esse intimam, atque intrinsecam rationem essentiæ: alioquin hæc non esset formaliter iusta per se ipsam, sed per formam à se distinctam. Idem in prosologio, cap. 12. *Certè*, inquit, *quidquid es, non per aliud es, quam per te ipsum, tu es igitur ipsa vita, qua viuis, & sapientia, qua sapis, &c.* Quemadmodum ergo Deus per se, id est, per essentiam viuere intelligitur, ita per essentiam habere omnes alias perfectiones intelligendus est. Similia ferè habentur apud Richardum de Sancto Victor. lib. 1. de Trinitate, cap. 13. *Vt igitur habeat nonnisi à semetipsa, quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia, necesse est, vt illæ omninò non sint aliud aliquid, quam ipsa: alioqui sine potentia atque sapientia, potens, vel sapiens esse non valet, quod ab ipsis habet, non tam à se, quam aliundè habet.* vbi apertè docet essentiam diuinam à semetipsa formaliter, & non solùm radicaliter esse potentiam, & sapientiam. & cap. 18. ex eo probat perfectiones omnes diuinas esse æquales, & infinitas, quoniam alioquin essentia se ipsa esset maior, ac minor: *Nam quantum*, inquit, *ad perfectionis culmen, si aliquid per intelligentiam attingeret, quod per efficaciam apprehendere non posset, iam se procul dubio magnificentius per sapientiam, quam per potentiam extenderet, esset vna, eademq; substantia, & se ipsa maior, & se ipsa minor.* Similia dicit lib. 2. de Trinit. cap. 5. qui discursus vim non habet, si potentia & sapientia non sunt de ratione intrinseca substantiæ diuinæ: nam tunc, sicut non esset se ipsa sapiens, ac potens, sed per sapientiam, ac potentiam extrinsecam suæ rationi formali: ita non esset se ipsa maior, ac minor, sed secundum aliam, atque aliam formam, quod non est absurdum; cùm igitur ex inæqualitate penes potentiam, & sapientiam concludat fore diuinam substantiam se ipsa maiorem, ac minorem, supponit vtique se ipsa formaliter esse potentiam, ac sapientiam: quod aliter esse nequit, quam si earum rationes essentialiter includat. Eadem ratione, lib. 1. cap. 23. probat Deum habere sapientiæ plenitudinem, *quis ergo*, inquiens, *nisi demens dicat, quod Dei substantia sapientiam quidem, (hoc est se ipsam) ex parte habeat, ex parte non habeat, & plenitudinem sui ipsius habere non valeat? Quam igitur non potest Dei substantia, se totam non habere, tam non potest plenitudine carere.* Quo discursu quis non videt manifeste supponi sapientiam esse de substantia, & essentia Dei? alioqui qui negaret in Deo sapientiæ plenitudinem, non negaret formaliter substantiæ plenitudinem, quod tamen contendit Richardus illis verbis, *(hoc est se ipsam.)* Idem docuit Concilium Rhemense, cuius verba referam, cap. sequente. Tandem Gilbertus super lib. 1.

Bonauent.

Anselm.

Richard.

Concil. Rhem.

Gilbert.

Boëtij de Trinitate, §. *sed hæc*, ponit distinctionem in prædicationibus de rebus creatis, & diuinis, quod in illis nulla prædicatio substantialis, vel accidentalis dicit totum, quod in re est, non enim cum homo dicitur substantia, prædicatum, *substantia*, significat totum, quod in homine est, deinde subdit: *Ille vero, de quo dicitur Deus, est perfectè hoc ipsum, quod dicitur esse, scilicet Deus: id est, nihil prorsus, quo ipse sit, de ipso adhuc dicendum relinquit: ipse enim nihil aliud est prorsus, nisi id solum singulare, & simplex, quod ipse est: nihil scilicet, quo ipse sit, habet, nisi singularem, simplicemq́, essentiam, ea namque & est, & Deus est.* Deinde de prædicatis accidentalibus, *cùm dicitur homo est iustus, non dicitur esse iustus toto, quo ipse est, sed diuisè iustitia sola dicitur esse iustus: cùm vero dicitur Deus est iustus, toto eo, quo ipse est, dicitur esse iustus: nec aliquid prorsus, quo ipse sit, dictio hæc dimittit: nam Deus idem ipsum est, quod est iustum: id est eodem, quo est Deus, est iustus.* Deinde similia dicit de magno, quæ adeò manifestè continent prędictam veritatem, vt nihil addere opus sit.

Deus est forma non formata, neque formabilis, immunis à priuatione propriè dicta.

Caput IX.

I. EX eo, quod creaturæ non sunt entia per essentiam vtroque modo explicato, habent annexam priuationem, & potentiam, quæ duo teste Auerr. in Epitome metaph. tract. 3. mutuo cohærent, opponunturque formæ, & actui. Prius autem agam de forma, & priuatione, posterius de actu, & potentia. Non conuenire autem Deo rationem formæ probatur primo, quoniam, vt colligitur ex lib. 2. physi. text. 26. forma est relatiua ad materiam; in Deo autem non est materia, cuius actus sit forma: ergo neque forma. Secundo vbi forma, ibi formatum: in Deo nihil est formatum; ergo neque forma. Maior patet, primo quoniam forma dicitur relatiuè ad formatum. Secundo, quoniam ita se habet forma ad formatum, sicut sapientia ad sapientem, vita ad viuens, & sicut causa formalis ad effectum formalem: repugnat autem esse causam formalem sine suo effectu: ergo & esse formam, quin sit formatum. Assumptio vero patet, quoniam omne formatum est prius formabile. Deus autem non est formabilis, non à se, quoniam vt ait Diuus August. lib. 2. de libero arbitrio cap. 17. *nulla res formare se ipsam potest, quia nulla res potest dare sibi, quod non habet:* non ab alio, quoniam ante ipsum non est alia forma: quare nec formabilis, nec formatus est: & consequenter neque habet formam.

Auerr. *Aristot.* *Augustin.*

II. Pro solutione quæstionis præmittenda formæ & priuationis descriptio, ac diuisio: & quoniam priuationes per habitus agnoscuntur, prius de forma, quam de priuatione dicendum. Forma itaque multipliciter dicitur, neque potest vniuoca finitione describi: partitur autem inprimis in exemplarem extrinsecam, & in eam, quæ formaliter inexistit; de hac secunda est modo sermo: nam prior non pertinet ad tractatum, quo inuestigatur quid res in se sit, sed ad eum, in quo explicatur quid sit ad aliud. Porrò nomen formæ, vt notat Porphyr. cap. de specie, primo acceptum est pro externa corporis specie: at vero apud Philosophos per se, ac propriè intelligitur forma naturalis, quæ est pars compositi physici, & habet habitudinem ad materiam, eamque nudam, & informem accessu suo format, ac vestit, & ex vaga, indeterminataque potentia ad certum, ac determinatum esse perducit. Ex huius autem definitione potest formæ in communi descriptio elici, resecatis ijs, quæ formæ physicæ propria sunt. Definitur autem à Philosopho lib. 8. metaphys. text. 3. ratio, & quod quid ratione separabile: dicitur ratio, & quod quid, quoniam ratio essentialis cuiusuis rei est à forma, & ab ea res est id, quod est, non à subiecto, vt ait Themistius lib. 2. Physic. text. 11. & sumitur ex lib. 2. de anima text. 8. & ex Auerr. lib. 1. de anima comment. 90. quod in vna forma hominis videre licet: nam, cùm secundum materiam conueniat cum cæteris animalibus, ratione formæ vendicat naturam rationalem, qua homo est: ait autem Philosophus esse ratione separabilem, quoniam formæ physicæ, anima rationali excepta, non re, sed sola cogitatione sunt à materia separabiles. Porrò vniuersim complectendo proprietates formæ physicæ ad tres reduci possunt: prima est, vt sit informans subiectum, secunda vt sit pars compositi, tertia vt sit ratio, qua ens est id, quod est. Ex qui-

Porphyr. *Aristot.* *Themist.* *Aristot.* *Auerr.*

bus,

bus, vt tradit Scotus in 1. d. 8. quæst. 3. aliàs q. 4. §. *Contra istam solutionem:* priores duæ sonant imperfectionem, neque congruere possunt vlli formæ separatæ: tertia non habet vllam imperfectionem, neque restringitur ad vllum speciale genus formæ. Et ita per eam describi potest forma in tota sua latitudine, forma est ratio, qua aliquid est id, quod est: quæcumque enim res habet esse, id habet à forma, hac ratione sapientia est forma sapientis, vita viuentis, lux lucentis: qua de causa, vt rectè ait Philosophus lib. 2. de anima text. 37. forma est causa ipsius esse omnibus: & vt Boëtius lib. de vnitate, & vno, omne esse est à forma: intellige proportionaliter, scilicet in ijs, quæ ex natura rei distinguuntur à forma per veram rationem causalitatis: in ijs autem, quæ non distinguuntur, solo modo intelligendi nostro.

III. Ex dictis constat formam latissimè fundi, & reperiri in omni re quæ habet aliquod esse: nam si omne esse est à forma, repugnat vt sit aliquid sine forma: & sicut ens diuiditur in substantiam & accidens, ita forma in substantialem & accidentalem. Hanc diuisionem indicat Diuus Thomas 1. p. quæst. 76. art. 8. lib. 2. de anima lect. 2. & sæpè alibi, & sicut ens aliud est corporeum, aliud expers corporis, ita forma alia est materialis, alia immaterialis: hanc attigit Alens. 1. p. quæst. 1. m. 1. ad vltimum argumentum, D. Thom. in 1. d. 8. quæst. 5. art. 2. & sicut ens aliud est totum, aliud pars, ita & alia est forma totius, alia partis: huius meminit Diuus Thomas quodlibet. 9. quæstion. 2. art. 1. ad 4. Diu. Bonauent. in 1. d. 18. art. 1. quæst. 3. num. 21. à diuersitate vero actuandi admittit aliam diuisionem: nam vel est ratio essendi subiecto à se diuerso, & ita est forma coniuncta, siue inhærens: vel non habet subiectum, cui insit, sed per semetipsam existit, & dicitur forma subsistens, siue separata. Hæc sumitur ex Diuo Thoma multis in locis, maximè in 4. d. 49. quæst. 2. art. 3. ad 6. & art. 2. in corpore, & quæst. 2. de potentia art. 1. in quibus diuisionibus semper alterum membrum diuidens habet annexam imperfectionem, alterum illa caret: & ita si coniunxeris quatuor, quæ imperfectione carent, emerget perfecta ratio formæ, nempè forma totius, substantialis, immaterialis, subsistens: nomine totius non intelligi debet propriè ratio totius, hoc est compositi, sed integri, atque perfecti, quo excluditur imperfectio formæ, quæ est pars: deinde remouetur imperfectio formæ accidentalis & corporeæ, tandem imperfectio inhæsionis: nam forma subsistens, non inexistit alteri, nec actuat vllum subiectum.

IV. Expositа ratione formæ facilè dignoscitur priuatio, quæ est negatio formæ in subiecto. de qua fusè Logici, ac Philosophi, illud vnum obseruandum est nomine subiecti non intelligi subiectum inhæsionis, sed denominationis, neque nomine formæ intelligendam solam accidentariam, ac physicam: non accidentariam, quoniam diuisiones generum fiunt per differentias habentes priuatiuam oppositionem, quomodo diuiditur animal per rationale, ac irrationale; non physicam, quandoquidem etiam in abstractis à materia sunt nonnullæ priuationes formarum separatarum à materia: sumenda est igitur forma in tota sua latitudine, prout est ratio essendi. Priuatio vero, vt docet Aristoteles lib. 5. *Aristot.* metaph. text. 27. Auerr. Epitome met. tract. 3. cap. de actu, Diuus Thomas *S. Thom.* 1. p. quæst. 33. art. 4. ad secundum, & q. 9. de potentia art. 7. ad vndecimum, Sco- *Scotus.* tus in 1. d. 8. quæst. 2. & alij communiter, dupliciter vsurpatur: primum quidem propriè & hoc modo definitur à Philosopho in postprædicamentis cap. de *Aristot.* oppositis cum dicitur: *negatio formæ in subiecto apto, & in tempore à natura constituto,* impropriè vero cum est negatio formæ in subiecto minimè apto secundum propriam speciem, apto tamen secundum rationem communem genericam, vel analogicam: hoc modo brutum dicitur priuatiuè irrationale, talpa cæca, non secundum aptitudinem propriam talpæ ad visum, bruti ad rationalitatem, sed ratione capacitatis naturæ genericæ, quæ de se est apta nata perfici omnibus formis suorum inferiorum: hic vero secundus modus bifariam diuiditur, nam alter est minus improprius, cùm priuationes dicuntur ratione generis proximi, vt patet in exemplis adductis: alter vero est valdè improprius, cùm dicuntur ratione generis remotissimi, vel etiam ipsius entis communissime sumpti: nam, vt ait Auerr. *Auerr.* citatus, hoc ipso, quod forma conuenit enti alicui, potest eius negatio respectu reliquorum subire rationem priuationis, atque patet in ipso vno, quod priuatiuè dicitur, nec tamen diuisio, quam negat, est apta nata conuenire pluribus ratione

propriæ speciei, aut etiam generis proximi, sed solùm ratione entis: quoniam sunt aliqua entia, quibus non repugnat diuidi; quare immerito Sylvester in conflat. quæst. 3. art. 1. §. 2. ratione 2. super illa verba, *Nullo modo in potentia*, cauillatur Scotum, eo quod hoc genus priuationis inuexerit, non enim primus Scotus illud adinuenit, sed Aristot. Auerr. & ipse Diuus Thom. pro quo Sylvester eo loco pugnare se putat. *Sylvest.*

V.

His præmissis dico primum, Deo conuenit ratio formæ. Hæc sumitur ex verbis Apostoli ad Philippens. 2. *Cùm in forma Dei esset.* Quem locum de perfecta essentia diuinitatis, siue de natura Dei interpretantur ibidem Chrysostom. Ambros. Anselm. Theophyl. Diuus Thomas, & cæteri communiter. Nec opus est recurrere ad locutionem metaphoricam: nam quando sapientes vtuntur aliquo nomine indifferenter ad plura habentia aliquam analogiam, concedendum est illud nomen ex communi vsu iam propriè, & non metaphoricè pro ijs accipi, at Philosophi, ac Theologi communiter formas alias dicunt coniunctas, alias separatas, & has ipsas subsistentes vocant: cur ergo in hoc sensu proprio non accipiatur dictum Apostoli? nam sicut sapientiam ac iustitiam concedimus propriè dici de Deo propter rationem communem analogicam, quamuis in creaturis sint imperfectionibus admixtæ, ita quamuis forma physica, imò cæteræ creatæ imperfectionem inuoluant, concedenda est in Deo ratio formæ propter rationem communem formæ, quæ, vt patet ex dictis, potest exui ab omni ratione imperfectionis. Et hoc modo loquitur Auerr. lib. 12. metaph. comment. 24. cùm appellat formam primi mouentis, quod apud Philosophos Deus est, imò Patres frequenter vtuntur nomine formæ, cùm de Deo loquuntur, August. lib. de fide ad Petrum, Hilar. lib. 12. de Trinitate, quos refert Magister in 3. d. 5. vbi ex eorundem auctoritate locum illum Pauli, *qui cum in forma Dei esset*, intelligit de natura diuina, qua ratione idem communiter intelligunt Theologi. Ostenditur autem breuiter ex dictis. Forma est id, quo res est, ita vt quidquid est, hoc ipsum, quod est, sit per formam modo superius explicato, at Deus est: ergo in ipso est forma: vel potius ipse est forma, quoniam inter ipsum, & eius naturam non est vlla ex natura rei distinctio, & hoc modo formam in Deo agnoscit Ambros. & Diuus Thomas ad citatum locum Pauli, qui expresse notant formam Dei non esse aliud ab ipso Deo. *Ad Philip. 2.* *Chrysost.* *Ambros.* *Anselm.* *Theophyl.* *S. Thom.* *Auerr.* *August.* *Hilarius.* *Magister.* *Ambros.* *S. Thom.*

VI.

Dico secundum, Deus est forma subsistens nulli materialitati annexa. Hæc asseritur à Diuo Augustino lib. de speculo, cap. 21. vbi. *Tua*, inquit, *diuina substantia semper caruit, ac caret materia, licet non careat forma.* Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 14. his verbis: *Dei substantia forma simplex est sine vlla materia, ac proinde est, quod est.* Boët. lib. 1. de Trinitate, cùm Deum vocat formam sine materia, hoc est sine subiecto vel hypostasi, cui innitatur, quod ex ipso vsurpat Bernard. lib. 5. de consideral. cap. 7. Idem etiam indicauit Boëtius paulò post: nam cum probasset Deum esse totum hoc, hoc est totum, quod est, non vero hoc, & hoc, subdit: *illud vero est id, quod est pulcherrimum fortissimumq;, quia nullo nititur.* Idipsum docet Gilbert. in commentarijs eiusdem loci: suadetur etiam ex modo loquendi sanctorum Patrum crebro dicentium verè & propriè dici, *Deitas est Deus, & Deus est Deitas*, vt videre est apud Bernard. serm. 80. in Cantica, Fulgentium responsione 2. ad Ferrandum diaconum, & definitum fuit in Concilio Rhemensi canone 1. quod refert Otho Episcopus Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici primi imperatoris, cap. 57. Nam forma non subsistens nō est idem cum habente ipsam: propterea enim dixit Philosophus lib. 9. Metaph. text. 12. quod homo est albus, non albedo, quoniam subiectum subsistens sub forma est aliud ab ipsa: & ideò semper in his est falsa prædicatio abstracti de concreto, contra vero quia forma diuina non est concreta cum materia, in Deo idem est habens & habitum, & propterea, vt benè notat Diuus Thomas quæst. 2. de potentia art. 1. & 1. p. quæst. 40. art. 1. ad primum, in Deo verè prædicantur abstracta de concretis, & concreta de abstractis. Ratione breui ostenditur. forma non subsistens dependet quoad esse à subiecto subsistente: Deus non pendet ab vlla omninò re: quare est forma subsistens. *Augustin.* *Rupert.* *Boetius.* *Bernard.* *Gilbert.* *Bernard.* *Fulgentius.* *Concil. Rhem.* *Otho Fris.* *Aristot.* *S. Thom.*

VII.

Dico tertium, Deus est forma non formata, aut formabilis. Hæc est de mente Boëtij, & Gilberti loco inferius citando, & traditur ab Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 16. dicente: *Sed forma neque informis, neque formata ipsa ibi aterna est, incommutabilisq; substantia*, & de verbis Domini in Euang. secundum Ioan.

sermon.

sermon. trigesim. octau. vbi sic ait, *Est enim forma quædam forma non formata, sed forma omniũ formatorum, forma incõmutabilis, sine lapsu, sine defectu.* Ex quibus possumus elicere tres proprietates formæ Dei, prima est, vt non sit formata, secunda, vt non sit formabilis, tertia, vt sit omniũ formarum forma: q̃ opponuntur trib. imperfectionibus formarũ creatarum. Etenim, vt bene notat D. Bonau. in 3. d. 36. qu. 6. ad pen. licet omnis forma, ac perfectio, secũdum quod forma est præcisè, formari nequeat, non enim anima rationalis in ratione rationalis formari potest per aliam formam, neque sapientia, quatenus sapientia, formabilis est ab alia forma, quod indicat Boet. libr. prim. de Trinitate asserens formas non posse esse subiecta, tamen quatenus habet in se aliquam informitatem & imperfectionem, perfici adhuc & formari potest: omnis autem forma creata considerata secundum suam præcisè rationem, vt ait Auerr. libr. de anima infra citando, habet aliquam informitatem, & ita est formata & formabilis: quædam enim sunt formatæ, quandoquidem in suo genere non sunt vltimæ atq; completæ: qua ratione in sententia eorum, qui concedunt in eodem composito Physico plures formas, forma corporeitatis se habet ad animam vegetatiuam, & hæc ad sensitiuam & rationalem, formantut enim priores per posteriores: & natura generis, quæ est forma Metaphysica & vniuersalis, formatur per differentias contrahentes, quæ sunt formæ magis particulares. Hanc imperfectionem remouet Augustin. à Deo, cum ait *forma non formata*, & hoc ipso excluditur à Deo ratio incõpleti & imperfecti, quæ semper est coniuncta cum formis formatis. Aliæ vero creatæ formæ, licet non sint substantialiter formatæ, quia in genere formæ substantialis sunt vltimæ & completæ: vt se habet anima hominis, & Angelus, non enim formari substantialiter possunt, sunt tamen formabiles accidentaliter per accessum perfectionum accidentalium supplentium finitudinem perfectionis substantiæ. Deus autem non est formabilis, quoniam non caret vlla perfectione, ideoque nequit ex informi reddi formatus, esset enim motui subiectus: vtramque rationem attigit Augustinus illis verbis, *forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu*, sine defectu, quia præhabet omnem rationem perfectam formæ, propter quod dixit Auerr. libr. 12. Metaphys. comment. 24. formam primi mouentis esse quodammodo omnem formam: *incommutabilis & sine lapsu*, quia non potest in ipsa fieri transitus de priuatione ad habitum, vel è contra, ideoque recte dixit Auerr. libr. tert. de anima comment. quint. nullam reperiri formam abstractam, quæ sit simpliciter & penitus expers alicuius potentiæ præter primam formam. Quæ omnia expressit Boctius libr. 1. de Trinitate, cum Deum appellauit formam sine materia, intellige potentialitate extrinseca, vel intrinseca: extrinseca, in qua sit, intrinseca, ex qua sit, quoniam neque est forma informans, neque formata aut formabilis, quod optime explicauit Gilbertus ad eum locum his verbis: *Reuera diuina substantia est forma sine materia, nam neque ὕλην tanquam principium sui, & materiam, in qua eam esse necesse sit, habere potest, οὐσίαν principii neque sic ineſt principio, id est Deo, vt posterioris rationis naturas aliquas vel se componentes, vel sibi adiacentes habeat in illo, ex quibus ipse sit, & quarum ex causa prioris, ad cuius pertineant potestatem, materia esse possit.* Denique formæ omnes creatæ saltem extrinsecus formantur ab exemplari diuino, & accipiunt esse à forma Dei, non quidem actuante, sed instar sigilli omnibus propriam rationem imprimentis, vt ait Augustinus li. de speculo capit. 21. & ea de causa eam vocat formam omnium rerum, & lib. 2. de libero arbitrio cap. 17. *conficitur itaque*, ait, *vt & corpus & animus forma quadam incommutabili, & semper manente formetur*, quam mox explicat esse Deum. Itaque diuinitas, cum omnia formet, ipsa à nulla alia forma intrinsecus, aut extrinsecus formatur: & idcirco est forma omnium perfectissima & absolutissima, habens esse in omnimoda actualitate & completione, vt ait Diuus Bonauentur. in 2. d. 12. artic. 1. quæst. 1. ad penultimum.

Auerr. Boet. Gilbert. Augustin. Bonauent.

VIII.

Hæc veritas confirmatur ex illo modo loquendi Patrũ, quo sæpe asserunt in Deo idem esse habere aliq̃ perfectionem, & esse illam: vel non esse aliud esse & habere: vel deniq; non esse aliud habens, & aliud quod habetur, ita D. Aug. li. 11. de ciuitat. c. 10. & sententia 366. quę decerpta est ex tract. 99. in Ioan. quæ sic habet: *diuina substantia id, quod habet, est: & per hoc non sic habet scientiam, vt aliud sit scientia qua sit, aliud essentia qua est*: eodem modo loquitur li. 15. de Trinit. c. 17. D. Hilar. lib. 8. de Trinit. inter medium ac finem, Iustin. respons. 144. ad Orthod. Greg. li. 16. moral. cap. 20. super illa verba: *Qui autem non nouerunt eum, ignorant dies illius*, & libr. 18. capit. 27. super illa, *Non commemorabuntur*, &c. Diu. Bernard. libr. 5.

Augustinus. Hilar. Augustinus. Gregorius. Bernard.

de consideratione capit. 7. & serm. 80. in Cantic. Hugo Victor. libr. de sacr. p. tert. capit. 27. Diuus Prosper. libr. contra Collatorem post medium: *Virtus*, inquiens, *principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem*, idem docet Richardus de Sancto Victor. libro tert. de Trinitate capit. 22. & Marius Victor. libr. prim. aduersus Arium inter principium & medium, vbi docet ipsum *habet*, cum de Deo dicitur, secundum intellectum accipi debere, quoniam non habet, sed ipsum est quidquid habere dicitur. Quod adeò verum est, vt si proprie loquendum sit, non dici debeat Deus habere virtutem, aut sapientiam: quoniam hic loquendi modus indicat Deum non esse ipsam virtutem, aut sapientiam subsistentem, sed esse sapientem, aut bonum participatione virtutis, aut bonitatis à se distinctæ, & ita æque improprie dictum putat idem Richardus libr. secund. de Trinitat. capit. 13. ac si dicamus Alexandrum habere hominem, sic enim ait, *dicimus item ipsum hominem, dicimus nihilominus Deum sapientiam habere, & videtur enunciatio æquiuoca esse, sed de Deo non dicitur, nisi abusiue, nec minor abusio videtur, quam si Abraham non homo esse, sed hominem habere diceretur.* Concinit Anselmus in Monolog. capit. decimo quinto, quo loco, *quoniam*, inquit, *summa natura non proprie dicitur iusta quia habet iustitiam, sed existit iustitia: cum dicitur iusta, proprie intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam.* Et ideo Ioannes Cyparissiota notauit decad. 10. capi. 7. in fine non putandum in natura diuina aliud esse cognitionem, aliud caritatem, & cætera, quia illa habere dicitur, sed potius esse ipsam substantiam & existentiam: quæ cum illa omnia sit, ea, vt se ipsam habet. Ex hoc Patrum dogmate sic probatur intentum. Omne subiectum, cui vere conuenit perfectio ab ipso ex natura rei distincta, per quam formatur, atque perficitur, potest vere ac proprie dici habens illam, & illa habita, & non esse idem habere & esse, sed distingui: nam subiectum dicitur habere, forma autem dicitur esse: exempli causa homo dicitur habere animam, non vero esse: ipsa vero anima est, non habet: corpus dicitur habere, non tamen esse figura: figura vero est, non habet se. De mente vero Patrum in Deo non aliud est habere, ac esse: imo potius non vere dicitur habere, sed esse: ergo est forma non formata.

IX. Dico tertiùm. Deo repugnat priuatio proprie dicta, improprie vero dicta nequaquam. Prior pars est cómunis Theologorum D. Thom. 1. p. q. 49. art. 3. ad secundum in 1. d. 43. q. 1. art. 1. in corp. & in 2. d. 34. art. 1. ad tertium. Heruæi in 1. d. 24. q. vn. §. *quantum ad secundum*. Bassol. d. 22. q. 3. ar. 2. §. 1. Ægid. in li. de caus. propos. 21. lit. G. & Henr. in sum. ar. 74. q. 5. & facile ex superioribus colligitur. Quoniam quidquid est capax priuationis proprie dictæ, est formabile per habitum, seu formã oppositam, vt patet ex definitione ipsius priuationis, Deus est forma non formabilis: ergo non est capax priuationis proprie dictæ. Secundo nulla forma Deo naturaliter debita abesse ab eo potest, ergo nulla priuatio adesse. Patet consequentia ex oppositione formæ, ac priuationis. Antecedens suadetur: id, quod est ipsum necesse esse, & quidquid habet à se non aliunde habet, nó admittit absentiam formæ sibi naturaliter debitę: Deus est, vt supra ostensum est, à se, & ipsum necesse esse: ergo nulla forma naturaliter debita abesse ab illo potest. Maior propositio est euidens, nam adesse, & abesse est proprium accidentis contradiuisi à necessario, vt patet ex Isagoge Porphyriana cap. de accidente, item forma debita naturaliter non abest, nisi aut ex defectu causæ, aut ex vi contrarij agentis: in Deo non potest deficere causa, siue ratio vt forma insit, quoniam quidquid est, à se habet: is vero idem semper est: contrarium non habet, neq; est vlla vis illi superior, aut æqualis: quare fieri nequit, vt vlla forma naturaliter ei debita possit abesse, & consequenter repugnat, vt sit capax priuationis proprie dictæ. Posterior pars traditur à D. Thom. cit. n. 4. Henrico & Heruæo vbi supra: ostenditur vero, quoniam priuatio improprie dicta non necessario importat imperfectionem, imo interdum, si nõ formaliter, saltem connotatiue perfectionem significat, quando scilicet remouet à subiecto formas ex propria ratione imperfectas, qua rõe incorruptibilitas, & immaterialitas priuationes sunt. Præterea Deo nõ conuenit omnis modus, ac ratio formæ conueniens creaturæ, vt patet, non. n. habet formam cõpositionis, nõ figuram, non circũscriptionem, non finitudinẽ, non sexcentos alios modos formarũ imperfectarũ: ergo habet negationem ipsarum. Hæc autem sumpta cum connotatione subiecti, non est pura negatio, sed aliquo modo priuatio. Eo enim differt pura negatio à priuatione, quod est subiectum, connotat illa nequaquam: de Deo vero enunciantur plures negationes connotando subiectum, dicitur enim simplex, infiguratus, incircumscriptus, infinitus, & cætera: quæ

prædicta

Hugo Victor. Prosper. Richar. Vict. Mar. Vict. Richar. Vict. Anselm. Cyparissio. S. Thom. Heruæus. Bassol. Ægyd. Henricus. Porphyr. S. Thom. Henricus. Heruæus.

prædicta sunt negatiua, & tamen connectant subiectum, saltem ens: non enim entia ficta dicuntur simplicia, infinita, incorruptibilia: Quapropter Deo non repugnat priuatio improprie dicta. Itaque habet quod optimum est formæ, ac priuationis: ex forma habet, vt sit se ipso & non alio quidquid est melius esse, quam non esse: ex priuatione vero, vt non sit id, quod simpliciter & absolutè loquendo, non vero comparate ad aliquod subiectum determinatum est melius non esse, quam esse.

X. Ex his facilè diluuntur rationes dubitandi initio propositæ. Ad primum dicendum in primis eo loco non dici ab Aristotele formam esse relatiuum, sed materiam, ait enim, *eorum, quæ ad aliquid materia est*: nam si forma in tota sua latitudine esset relatiuum ad materiam, neque cogitatione separari ab ea posset, quod tamen concedit Philosophus in 8. Metaphys. text. tert. neque concederentur formæ abstractæ à materia, quas tamen idem Philosophus, & alij admittunt: quod si aliquis contendat formam esse relatiuum ad materiam, admitti potest, dummodo intelligatur de forma Physica, siue coniuncta, de qua ibi sermo erat: hæc enim, cum sit pars compositi, & actus subiecti, intelligi nequit aliter, quam in ordine ad illud: formæ vero separatæ, quæ non sunt actus materiæ, non habent habitudinem ad ipsam: & ita cum Deus sit maxime abstractus ab omni materialitate, absque vlla imperfectione potest dici forma nempe separata. Ad secundum respondetur solum concludere de forma distincta ab eo, quod est per formam, hoc enim est vere, ac proprie per illam formatum. Deus autem non est forma huiuscemodi, sed ipse est sua forma, ipse est, quod est, & quo est, ipse Deus deitate, hoc est se ipso. Maior itaque propositi argumenti distinguenda est, & si intelligatur vbicumque est forma ibidem esse formatum proprie dictum, quod à forma distinguatur, neganda est: si vero intelligatur de formato improprie, & solo nostro modo intelligendi, concedi potest: nam, sicut Deus est sapiens sapientia, quæ ipse est: ita quoque dici potest formatus forma, quæ ipse est. Verum quia, vt indicat Augustin. in argumento relatus, formatum videtur supponere in subiecto secundum se informitatem, quæ nullo modo est in Deo, non erit ita loquendum, sed simpliciter dicendum, Deum esse formam non formatam ad modum explicatum. Ad primam confirmationem eiusdem maioris respondeti inprimis potest cum Bonauentura in prim. d. trigesf. quart. quæstion. secund. ad penult. formam non dici de Deo quatenus est relatiuum ad formatum, sed quatenus est ratio essendi cum negatione materiæ, vel etiam admittendo esse relatiuum, non secundum esse, sed secundum dici, quod non repugnat Deo. Et cum Diu. Thom. quæstion. 3. de veritate artic. 3. ait formam semper importare respectum ad formatum, intelligendus est de hoc respectu secundum dici.

Bonauent.

Explicatur ratio actus puri.

Caput X.

I. QVoniam forma est actus, vt ait Philosophus libr. 9. Metaphys. text. 17. Deus cum sit forma, actus quoque est, sed an sit mistus, an simplex, ac purus disputandum. Præmittenda est descriptio actus puri, ne hæreamus in terminis, quoniam vero actus, & potentia sunt opposita, nempe relatiua, vt notat Auerr. lib. 9. Metaphys. comment. 11. & Epitom. Metaphys. tractat. 3. capit. de actu, & vnum per alterum definitur, prius dicam quid sit potentia, deinde quid actus: postremo quid actus purus. Potentia vero, vt docet Aristoteles libr. 9. Metaph. text. 2. Auerr. & alij, multipliciter accipitur, nec potest vna descriptione explicari: nisi forte dicatur ordo ad actum. Omissis autem varijs eius acceptionibus, duæ sunt præcipuæ, quas tradit Philosophus loco citato, nempe potentia actiua, & passiua. Actiua est vis siue facultas productiua actus, & ideo definitur ab Aristotele *Principium transmutandi aliud, in quantum aliud*, passiua autem est vis, siue aptitudo recipiendi actum: & definitur à Philosopho vbi supra, *principium transmutandi ab alio, in quantum aliud*. Nam duo sunt de ratione potentiæ, alterum est negatio actus, ad quem dicitur potentia: alterum vero aptitudo ad eum recipiendum, & habendum: cum vero, vt ait Aristotel. libro 9. Metaphys. text. 7. 8. & 9. id, quod possibile est fieri, reduci possit ad actum, & omne ens in potentia reducatur ad actum ab ente actu, fit vt omnis potentia passiua sit principiū transmutandi ab alio, in quantum aliud: qua de

Aristoteles. *Auerroes.* *Aristot.* *Auerr.* *Aristot.*

causa

S. Thom. causa Diu. Thom. q. 1. de mal. art. 2. dixit esse in potentia non esse aliud, quam ordinari ad actum: est enim actus tanquam finis, & perfectio potentiæ, & proinde quidquid est in potentia, est in via, & ordine ad actum. Ex quo patet potentiam passiuam habere duplicem habitudinem, alteram ad actiuam, alteram ad actum: Ad actiuam quidem tanquam ad principium efficiens transmutationis, qui respectus indicatur cum dicitur, est principium transmutandi ab alio, scilicet tanquam à causa mouente. Ad actum vero cum dicitur principium transmutandi, non enim est transmutatio, nisi secundum aliquod esse: omne autem esse est actus. Cum vero dicitur potentiam includere habitudinem ad actum, subintelligendum est, vel ad eius priuationem: Aristot. nam, cum teste Aristotele libr. 9. met. c. 9. tex. 17 potentia omnis passiua sit contradictionis, si est potentia ad actum, siue ad esse, est etiam potentia ad non esse.

II. Quanquam vero ad rationem potentiæ passiuæ requiratur carentia actus, & aptitudo ad illum, verti tamen in dubium potest, vtrum potentia passiua contra actum distincta latius pateat, ita vt non requiratur ex parte eius prioritas temporis respectu actus, sed sit satis prioritas naturæ. Pars negans probatur: quoniam quotiescunque est potentia passiua, debet esse aliquid in potentia ad actum, ad quem est illa potentia: cum vero adest actus nihil est in potentia ad ipsum, sed est actu per ipsum: aer enim perfusus luce non est in potentia, vt sit lucidus, sed est actu lucidus. Idem confirmatur ex eo, quod possibile dictum à potentia passiua habet pro æquipollentibus non necesse esse, & non impossibile esse: nam per non impossibile importatur aptitudo vt sit, per non necesse aptitudo vt non sit, & consequenter indifferentia ad esse, ac non esse.

III. Nihilominus oppositum est dicendum S. Thom. cum Diu. Thom. quæstion. vn. de spiritu art. 1. vbi in omni forma creata, etiam Angelica, ponit potentiam passiuam ad esse, & subdit eam potentiam non esse separabilem ab actu, sed quam suus actus semper comitatur. Probatur, quoniam ex subiecto, & proprietatibus necessarijs est compositio per accidens: in omni autem compositione, vt infra dicam in tractat. de simplicitate, intercedit ratio potentiæ, & actus: atque adeo subiectum cõparatione proprietatis habet rationem potentiæ, cum tamen illam semper habeat coniunctam necessario: ergo ad rationem potentiæ passiuæ contradistinctæ ab actu non requiritur, vt tempore antecedat actum. Præterea quidquid distinguitur ab actu secundum suam formam consideratum vel est potentia respectu illius, vel impotentia: omnis natura præcedens proprietates annexas sibi necessario distinguitur suapte natura ab actu: non est impotentia comparatione ipsarum, vt patet: ergo potentia non solum actiua, quatenus illas ex se effundit, sed etiam passiua, quatenus recipit. Maior propositio constat, quoniam res distincta ab actu non est formaliter ipse actus: vel ergo habet ad illum habitudinem repugnantiæ, & sic dici potest impotentia, vel aptitudinis, & sic est potentia destruens naturam actus puri, in quo non est nisi actus, vbi autem est potentia, saltem in priori naturæ, est aliquid aliud ab actu. Denique ad rationem potentiæ actiuæ sat est prioritas naturæ inter potentiam, & actum: ergo etiam ad rationem potentiæ passiuæ eadem sufficiet. Vtrumque patet, si fingamus solem, & aerem absque intermedio obstaculo fuisse simul creatos: nam in primo instanti creationis sol illuminaret, & aer illuminaretur: & in priore naturæ eiusdem instantis absque prioritate temporis sol esset in potentia actiua ad illuminandum, aer autem in passiua. Idem constat in cælo, posita sententia, quæ asserit illud corruptibile, & compositum ex materia, & forma: nam materia est vere potentia opposita actui, & nihilominus est necessario copulata formæ, nec eam tempore antecessit.

IV. Ad rationem contrariam respondetur, sicut non quidquid est actu, est actus, quoniam homo est actu sapiens per sapiẽtiam, nec tamen est sapientia, ita non quidquid est actu desinere esse potentiam: hæc enim solũ excluditur per actum: atq; adeo fieri posse, vt res, quæ est actu per aliquam formam, sit potentia ad ipsam, quéadmodũ materia prima est actu viuens per animam, & tamen secundũ se consideratа est potentia respectu illius. Hoc posito respondeo, ex vsu Philosophorum non dici aliquid in potentia respectu formæ, secundum quam est actu: quãdoquidẽ esse in potẽtia importat negationẽ actualitatis, quam confert actus. At potentia in recto secundum se abstrahit ab actu, & eius absentia: & potest cũ vtroq; cohærere: dũmodo ipsa nõ sit act⁹, sed per illum formata, vel formabilis: ita vt considerata præcisè secundũ suã rationẽ formalem actum non includat, sit tamen capax eius: quemadmodum ergo Philoso-

phus lib.

phus lib. 9. Metaphys. text. 12. de hac materia loquens distinguit actum ab eo, quod est actu per ipsum, quoniam, inquit, *homo non est albedo, sed album.* Ita quotiescunque id, quod est actu, nec est ipse actus, sed ab eo distinguitur, & habet respectu eius prioritatem secundum esse naturæ, necessario habet rationem potentiæ oppositæ actui. Ad confirmationem respondeo possibile vsurpatum à Philosopho in æquipollentibus modalibus non esse dictum à potentia passiua, sed à sola aptitudine essendi, siue necessario, siue contingenter: æquè enim vere dicitur eo sensu possibile est hominem esse animal, ac possibile est hominem sedere, vt videre est apud Fonsec. in instit. dialect. li. 3. cap. 1.

V. Ex præmissis constat potentiam passiuam ab actu contra diuisam latissime sumi pro omni eo, quod habet, vel est aptitudo ad formam à se distinctam ex natura rei, & non inclusam in sua ratione formali intrinseca, ita vero sumpta diuiditur in realem, & obiectiuam realis est, quę supponit aliquam entitatem, seu potius, quæ nititur entitate actu existente, qualis est potentia aeris, vt illuminetur, de qua locutus est Diuus Thomas, quæstione de spirituali creatura artic. 1. cum dixit, nullam potentiam esse posse sine actu: obiectiua, quæ non fundatur in re aliqua existente, sed solum in esse obiecto rei, quæ dicitur possibilis in ordine ad potentiam actiuam agentis, quod potest rem de nihilo traducere ad actum. Hæc posterior est tantum potentia ad esse, quomodo creaturæ antequam Deus orbem conderet, erant in potentia obiectiua, quoniam extra primam causam non erat vlla res, aut subiectum, cui potentialitas ipsarum ad esse innitantur. Prior autem bifariam diuiditur, quædam enim est ad corruptionem in priuatiuas dispositiones, vt calidum est in potentia, vt fiat frigidum, quædam vero est ad rei perfectionem: seu potius quædam est ad aliquod esse, quædam ad non esse: hæc rursus vel est ad non esse simpliciter, qualis est in omni creatura subordinata omnipotentiæ diuinæ: qua sicut res traductæ sunt de nihilo ad esse, ita ex ipso redigi iterũ possunt in nihil, vel ad non esse huic vndum quid, verbi gratia, homo sanus est in potentia ad non esse sanum, aër lucidus ad tenebras.

VI. Explicata ratione potentiæ, sequitur vt dicam de actu. Cum vero Aristotel. lib. 9. Metaphys. text. 11. describit per negationem potentiæ, *est autem actus*, inquit, *rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate:* Exempli causa habens scientiam habitualem est potentia sciens, non tamen actu, cum vero obiecta, quorum habet scientiam habitualem, actu speculatur, est actu sciens; sed actum in abstracto sumptũ possumus describere in hunc modum: *actus est forma, qua aliquid est actu, & formaliter.* Dicitur forma, quoniam, sicut potentia proprie pertinet ad subiectum, cui est ratio recipiendi formas, ita actus proprie se habet ex parte formæ, & ideo Philosophus lib. 9. Metaphys. text. 17. inquit, *forma actus est:* nam sicut forma, quatenus forma non actuatur, sed actuat, non accipit esse, sed confert: vt notat Diu. Bonauent. in 3. d. 36. quæstion. 6. ad penult. argumentum, ita proprium est actus, vt per illum res sint actu, ipse vero se ipso, & non alio sit actu: verbi causa, luce est aer lucidus, homo sapientia sapiens, ipsa vero lux se ipsa est lux, non vero alio à se distincto, nec sapientia est sapientia per aliquid aliud, sed per semetipsam. Additur autẽ, *qua aliquid est actu, & formaliter*, non quidem ita vt semper opus sit ad rationem actus, vt sit aliquid per modum subiecti distinctum ab ipso actu, verum vt sit aliquid subsistens, quod sit formaliter per actum, siue distinguatur ex natura rei ab ipso actu, siue non: repugnat enim esse actum, quin sit ens actu. Dictum est, vt sit *actu* ad excludendum ea, quibus res sunt in potentia, exempli causa: aër per rationem diaphani est quidem actu transparens, non tamen lucidus, sed solum in potentia, & ideo perspicuitas non est actus lucentis. Additur autem, *& formaliter*, quoniam dupliciter res est actu per aliquam formam, nempe efficienter, vel formaliter: ad rationem vero formæ, quæ dicitur esse actus entis in actu, non sat est, vt res sit actu per illam efficienter, sed formaliter vt patet in homine, qui est actu intelligens per intellectum, non tamen formaliter, quasi per formam ipsam intelligendi, sed efficienter, quasi per potentiam vitalem actiuam, quæ est principium elicitiuum intellectionis: & ita non intellectus, sed intellectio est actus intelligentis, quatenus intelligens est.

VII. Diuiditur autem actus in purum & mistum. Mistus est, cui admiscetur aliqd potentiæ, purus, qui ab omni labe potẽtialitatis immunis est. Itaque ad raõem actus misti sat est q̃cunq; tenuissima ratio potentialitatis ex ijs, quas superi[us] numeraui, siue sit solũ obiectiua, siue obediẽtialis, siue Physica, siue Logica. Nã tametsi Philosoph. li. 11. Met. c. 10. asserat formas ipsas, secũdũ quas

subiecta

subiecta mutantur, non mutari, ex quo videtur sequi esse ab omni potentialitatis fece immunes, quoniam ibi non est mutabilitas, neque ratio potentiæ. Intelligi tamen debet de Physica mutatione, siue motu, qui dicitur actus entis, & supponit existentiam eius, quod mutatur. Non vero de quauis mutatione, quæ est transitus inter terminos contradictorios: nam hoc modo nō solū subiecta ipsa mutantur, sed etiā formæ, & actus, secundum quos subiecta mutantur: transeunt. n. de esse ad nō esse, aut de non esse ad esse, non quidē distincta mutatione ab ea, qua subiecta mutantur, sed eadem: Porro actus purus, aut est secundum quid, & in aliquo genere, verbi gratia, in genere substantiæ, aut est actus purus simpliciter, & in omni genere, quod caret omni prorsus potētia passiua ad esse: & huius propria ratio indagatur.

VIII. Definiri itaque potest actus purus in hunc modum, est forma non informans, neque informabilis, seu potius actualitas formæ: definitur vero per formam, quoniam, vt docet Auerr. in paraphrasi metaph. tractat. 3. titul. de potentia & actu, sicut potentia est consequens materiæ, & velut vmbra ipsius: ita quoque actus est consequens formæ, & vmbra ipsius, quod est verum saltem nostro modo intelligendi, nam actus dicitur per modum verbi, formę autem per modum quiescentis, verbi gratia, essentia est forma ipsius esse, lux forma ipsius lucere, esse vero est actus essentiæ, & lucere lucis. Nam sola lux, aut essentia, si abstrahat ab ipso lucere vel esse, non est actus simpliciter, sed forma ipsius. Additum vero est quod forma non sit informans, quoniam hæc licet non sit in potentia ad aliud esse formæ partialis, est tamen quodammodo in potentia ad esse formale totius, quod est perfectius ipso esse cuiusuis partis: qua de causa Philosophus libr. 2. phys. text. 31. & alibi dixit partes habere rationem materiæ respectu totius, hoc vero respectu illarum habere rationem formæ, & ita forma informans, quæ est forma partis, nunquam est in vltima actualitate: atque adeo non est actus purus, quia habet rationem potentiæ, namque, vt docet Auerr. vbi proxime, omnia illa, quæ interiacent inter primam materiam, siue subiectum, & actum vltimum, sunt mista ex potentia & actu. Denique additum est, *neque formabilis*, quoniam quamuis forma non sit informans, sed subsistens, si tamen sit adhuc formabilis per aliam formam, non est actus purus: quidquid enim formabile est, habet informitatem & potentiam ad esse accipiendum à forma, qua formabilis est: omnis enim forma dat esse, vt constat ex cap. præced. ideoque quod est formabile, est in potentia ad esse formale, qui est effectus formæ, atq; adeo non est actus purus.

Auerroes. *Aristot.* *Auerroes.*

IX. Quæret aliquis vtrum ad rationem actus puri sat sit immunitas ab omni potentialitate, an vero requiratur præterea aliud, Scot. in 1. d. 8. quæstion. 2. requirit præterea, vt sit immunis ab omni priuatione, siue negatione actus: nam quemadmodum pura lux est immunis ab omni ratione tenebrarum, & non est lux pura, quæ caret aliquo gradu lucis, quamuis cum ea non misceatur aliqua alia entitas positiua, sed tantum carentia perfectioris gradus lucis: ita non est actus purus, qui caret aliquo gradu actualitatis. Quæ videtur sententia Auerrois in paraphrast. Metaphys. tractat. tert. titul. de actu: nam cum tradidisset duplex genus priuationis, alterum cum est priuatio formæ aptæ inesse subiecto, alterum cum est ablatio rei ab eo, quod est aptum reperiri in alio, subdit, *secundum talem priuationem comprehenditur actus in rebus æternis*, quasi dicat rationem actus in perpetuis excludere etiam hoc genus priuationis.

Scotus. *Auerroes.*

X. Hæc sententia Scoti materialiter quidem est vera, non autem formaliter, etenim actus purus habet omnem modum actualitatis: verum eius ratio non consistit formaliter in habendo omnem rationem actualitatis, sed in habendo actualitatem sine mistura illius potentialitatis; quamuis enim prius sit entitas, quam priuatio, & ideo infinitas diuinæ actualitatis sit ratio & fundamentum, cur non sit in potentia passiua. Nihilominus actum purum intelligimus cum est actus sine mistura potentiæ, quemadmodum vinum purum sine mistura aquæ, calorem purum sine mistura frigoris, & formaliter loquendo prior est in subiecto potentia ad formā, q̄ priuatio ipsius: quādoquidē in definitione priuationis intelligitur potentia, cum dicitur *in subiecto apto*, & hīc̄ quicunq; negat potentiam, negat etiam priuationem propriedictam, hæc enim sola opponitur actui puro, & ita non est opus ad rationem actus puri expresse dicere, vt non habeat priuationem, quoniam excluſa potentia, simul excluditur priuatio. Nec fundamentum Scoti valet, nam lux remissa, non propterea primo ac per se desinit esse pura, quia est permista priuationi, sed potentialiter ati, nisi enim esset in potentia, ad maiorem perfectionem & intensionem esset vltimo

actuata,

actuata, & non amplius actuabilis in ratione lucis, quia vero cum hac potentia coniunctus est aliquis modus priuationis, etiam ex priuatione colligitur non esse puram lucem, non tamen per se primo, si obijcias, etiamsi per impossibile esset res aliqua carens omni potentia, & nihilominus carens etiam nonnullis perfectionib. simpliciter, quarum non esset capax, eiusmodi rem non fore actum purum simpliciter, hic enim claudit omnem perfectionem: ergo ad rationem actus puri non sat est carere potentialitate, sed requiritur præterea, vt non adsit vlla priuatio. Respondeo, sicut in ea re non esset propria priuatio, sed late sumpta, ita esse modum aliquem potentiæ, non secundum propriam speciem, sed secundum illud genus, ratione cuius conuenit priuatio, & ita semper cuiuis priuationi substernitur aliquis modus potētiæ passiuæ, cuius negatione definit actus. Autoritas Auerr. nō est ad institutū Scoti. Vt vero hoc pateat, cōsiderari debet institutum Auer. eo loco, erat autem explicare naturam actus, definierat autē illū in hunc modum: *actus est quando res existit, non eo modo, quo dicitur, quod est in potentia*, & quoniam actum diffiniebat per priuationē potentiæ, poterat aliquis dubitare, quomodo in perpetuis, in quib. non est priuatio, debeat sumi actus per oppositionem, siue priuationē potentiæ: & ideò tradit duplicem modum priuationis, scilicet proprie, & improprie dictæ: Et tunc subdit verba allegata in argumento. Cuius sensus non est is, qui in argumento inducitur, manifeste enim repugnat textui, aliud enim est dicere, ratio actus in perpetuis excludit omnem priuationem, etiā impropriam, quod vult Scot. aliud vero, secundum priuationem improprie dictam cōprehenditur actus in rebus æternis, quod ait Auerr. hoc enim potius exigit hanc priuationem ad rationem eius actus, quem excludit, sensus itaque est, in perpetuis non potest innotescere ratio actus per priuationem potentię proprie dictæ, quoniam tunc illa essent capacia potentiæ passiuæ, quod est falsum: sed comprehendi debet per impropriā priuationem potentiæ, ita vt æterna non ideo dicantur actu, quoniam carent potentia, cuius ipsa sint capacia, sed quia carent potentia, quæ reperitur in temporalibus, quia enim non sunt instar horum in potentia ad actum, ideo sunt actu.

Deus est actus purus.

Caput XI.

EXplicata ratione potentię & actus, explicandum est, vtrum & quomodo in Deo locum habeant. Non esse vero Deum actum purū probari potest primo, quoniā Philosophus, & Auerr. lib. 9. met. initio omnia decem rerum genera distingui dicūt per actum & potentiam, ita vt quandoq; sint in actu, quandoque in potentia, inter quæ numerant actionem, secundum quam substantia modo est potentia, modo actu agens: hæc autem vicissitudo secundum agere, ac non agere cernitur in Deo: ergo quemadmodum est actu agens per actionem, ita prius quam agat est agens potentia, & consequenter non est actus purus. Secundo in Deo est aliquid, quod non sit actus, ergo non est actus purus. Patet consequentia, quoniam actus purus non est aliud, quam actus. Antecedens ostenditur, quoniam actus & forma idem sunt, sed nō quidquid est in Deo est forma: ergo neque actus. Assumptio probatur, quoniam relationes diuinæ non sunt formæ: namque vt ait D. Tho. 1. p. q. 31. ar. 2. ad secundum, & colligitur ex Paul. ad Philip. *Qui cum in forma Dei esset*, in Deo est vna forma tantum: si vero relationes essent formæ, non vna tantum esset, sed quatuor. Tertio in Deo est priuatio multarum formarum, atq; adeo actuū; nam singulæ formæ sunt actus. At vero purus actus continet formaliter omnem rationem actus, sicut pura lux omnem rationem lucis, non enim lux pura est, cui aliqua ex parte miscentur tenebræ. I.

Aristot. Auerr.

S. Thom. ad Phil 2.

Dico primum, potentia actiua conuenit Deo, neque habet repugnantiam cum actu puro. Primum cōstat, quoniam Deus, vt demonstratum est supra, est prima causa efficiens, hæc autem necessario vendicat agendi vim, in qua cōsistit potentia actiua. Secundum ostenditur, quoniam actus purus solum includit omnem actualitatē essendi in se, non vero extrinsecam subiecto, non enim ex eo, quod res agit extra se, perfectior est, quam si non ageret: itaq; vt ait D. Tho. 1. p. q. 25. ar. 1. ad 1. potentia actiua non contradiuiditur ab actu essendi, & ideo per se loquendo actus, quem respicit, nō necessario est esse agētis, sed acti. Quod est intelligendum de potentia actiua, quatenus actiua est: nam, si coincidat cum passiua, ex ea parte habet imperfectionem, cuiusmodi sunt potentiæ elicitiuæ operationum immanentium, respectu quarum habent ra- II.

S. Thom.

bent rationem potentiæ passiuæ. Ex quo patet rationem potentiæ præcisè non repugnare cum actu puro: & proinde ex eo, quod Deus habeat omnipotentiam, nō deficere à ratione actus puri, quandoquidem operationes à dextra, quæ sunt actus omnipotentiæ, non sunt vllo modo esse ipsius Dei, sed actus ab eo procedentes extrinsecus eum denominantes. Quamuis autē non desint aliquæ obiectiones, contra prędicta: tamen, quia hic non agitur ex instituto de potentia actiua, sed de passiua, illas interim omitto proprijs locis explicandas. Sicut autem Deo conuenit potentia actiua, ita repugnat ratio actus respondentis eidem: quoniam actus omnis potentiæ actiuæ est vere effectus ipsius, in Deum autem nō cadit ratio effectus. Præterea, quoniam potentia actiua Dei habet pro obiecto creaturas, repugnat autem Deum, vel aliquid eius esse creaturam: quare fieri nequit, vt in Deo sint proprie actus potentiæ actiuæ.

III. Priusquam vero dicam, an Deus sit actus purus, oportet obseruare discrimen inter formam & actum: nam quamuis forma, & actus interdum coincidere videantur, atq; ideò dicat Arist. lib. 9. Met. tex. 17. formā esse actum, q̄ idem docet D. Tho. q. vn. de spir. creat. ar. 1. ad 1. & alij, & ratio est, quoniā actus est id, quo aliquid est, per formam vero res sunt: Tamen quoniā perfecta ratio actus cōsistit in ipso esse, & formæ in abstracto significatę non important esse, quoniam sicut autore Auicen. 5. Met. equinitas est tantum equinitas, & abstrahit ab esse, & non esse, & omni eo, quod nō est intrinsece cū rationi eius formali, ita quoque se habent humanitas, lux, sapientia, & cæteræ formæ in abstracto significatæ: qua de causa quamuis comparatæ ad ea, quæ ipsis constituūtur inesse, habeant rationem actus, simpliciter tamen in se nō sunt actus quandoquidē nō sunt ipsum esse, quo præcipue consistit ratio actus, & ita vt notat Henr. in sum. ar. 28. q. 6. forma se habet per modū habit⁹ quiescētis, actus per modum fluxus, siue motus emanantis à forma, & ideo forma significatur per nomina in abstracto, actus vero per verba, vt se habet lux & lucere, essentia & esse, sapientia & sapere: & quoniam in formis cum subiecto concretis non est proprium esse ipsarum, sed subsistentis sub illis, vt fusè probat D. Tho. q. vn. de spir. creat. ar. 1. idcirco formæ ipsæ non sunt propriè & completè actus: hic enim præter formam includit cōiunctionem cum subiecto, non enim sapientia ipsa inhęrens est sapere, sed sapere est habere sapientiam, qui est actus sapientiæ, vt formæ, non vt subiecti. At si forma esset separata, nec potentialis ad esse, non solum esset forma intrinseca actui, sed esset ipse actus, verbi gratia, lux separata esset ipsum lucere, quia actualitas, siue esse ipsius non alij, sed luci adesset. Quod indicauit Arist. lib. 8. Met. tex. 16. cū dixit, si qua forma est sine materia, statim est ens, & vnum, & non est ei alia causa, vt sit ens, quia scilicet vt explicat D. Tho. q. vn. de spir. art. 1. ad 3. se ipsa formaliter absque adminiculo alterius est actus, atque adeo tunc esset forma & actus: ad cuius rationem intrinsecam pertinet ipsum esse actuale, & hoc proprie addit supra rationem formæ.

Aristot. S. Thom.

IV. Dico secundum, Deus est actus purus. Id ex instituto probant Henr. in sum. artic. 28. q. 6. & Abulens. q. 8. in ca. 28. Deut. non est opus singulos doctores scholasticos referre, quia id passim asserunt: plura Philosophorū testimonia in huius rei cōfirmationem affert Carpentarius digressione 3. in ca. 9. Alcinor. ostenditur primo ex modo loquendi Patrū, qui frequenter aiunt Deū esse id, quod est, quomodo loquendi vtitur Rupert. libr. 1. in Exod. cap. 14. Richard. de sancto Victore lib. 2. de Trinit. cap. 17. *Quidquid*, inquit, *in summo bono est, vere & summe vnum est, nec vbi aliud, & aliud esse potest, sed idem ipsum est totum quod est*, idem repetit cap. 19. in fine, & ca. 20. initio. Boetius libr. de Trinit. & vnitate Dei ad sym. *Diuina*, inquit, *substantia sine materia forma est, atque ideo vnum, & est id, quod est, reliqua enim non sunt id, quod sunt*: quo loco nomine materiæ non intelligit solam veram materiam: siquidem Angeli non habent veram materiam: & tamen de sententia Boetij non sunt id, quod sunt, vt patet ex illis verbis, *reliqua*, nempe omnia præter Deum, *non sunt id, quod sunt*, intelligit itaque ens potentiale habens similitudinem cum potentialitate materiæ, hoc enim non est quod est: nam per id, quod est, intelligit Boetius totum quod est, vt ex verbis sequentibus, *vnumquodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, id est, ex partibus suis, & est hoc atque hoc, id est partes suæ coniunctæ sed non hoc, vel hoc singulariter, vt cum homo temporalis constet ex anima & corpore, corpus & anima est, non vel corpus, vel anima, igitur in parte non est id, quod est, quod vero non est ex hoc, atque hoc, sed tantum est hoc*; Ex quo discursu constat hominem, quia non est anima, vel corpus seorsim sumpta, non esse quod est, nempe totum quod est. Nec vero audiendus est Gilbert. in commentarijs eius loci contendens hominem vere dici corpus, & animam, & Boet. solum velle,

Henricus. Abulens. Carpentar. Rupert. Richar. Vict. Boet. Gilbert.

vt quid-

vt quidditas hominis, non sit adæquate corpus, vel anima: Etenim Boet. ex eo probat hominem non esse totum quod est, quia ad eius esse pertinent anima, & corpus, & tamen ipse non est anima, nec item corpus si seorsim prædicentur. Cum itaque solus Deus dicitur esse, quod est, quoniam est forma sine materia, nomine materiæ intelligitur omne ens potentiale capax alterius actus, vt bene explicat Gilbert. ibidem idcirco docens naturam diuinam vocari à Boetio formam sine materia, quoniam nec est in materia, nec ipsa potest esse subiectum illius alterius formæ: & cõsequenter est actus purus. Itaque eum Patres dicunt Deum esse quod est, vel totum quod est, satis significant esse totum actum, & actu absque vlla mistione potentialitatis. Idem sumitur ex alia loquendi forma, quam vsurpant ijdem Patres, dicunt enim in Deo idem esse, quod est, & quo est. Ita loquitur Gilbert. in libr. 1. Boetij, de Trinit. §. *Sed hæc nihil*, inquiens, *quo ipse sit habet, niſi ſingularem, ſimplicemque eſſentiam, ea namque, & eſt, & Deus eſt*, item cum aiunt Deum esse omnia se ipso, vel per semetipsum, quos retuli capit. 8. numer. 8. & 10. Nam vbicumque interuenit mistio actus, & potentiæ, distinguitur quod est, & quo est: ens enim potentiale non est actu se ipso, nihil enim est potentia ad se sub eo modo, ac ratione, qua est actu: alioquin nõ differret esse actu, & esse potentia: est ergo in potentia vel ad se sub alia ratione, aut dispositione, vel ad aliud à se: atque adeò ens potentiale, non est actu se ipso: Deus vero est se ipso Deus, sapiens, iustus, & q. d. quid est: ergo est actus purus. Hoc ipsum indicant Patres referendi tract. 4. cap. 4. in fine, qui dicunt solum Deum esse simpliciter incorporeum, & immaterialem: nam cum materia sit pura potentia, omnia, quæ habent rationem potentiæ passiuæ, & subiecti, licet verè spiritualia sint, & expertia materiæ Physicæ, dici interdum solent materia, vt ait Diuus Thomas citata quæst. de spirit. ar. 1.

Probatur deinde ratione, primo quoniam Deus, vt patet ex capit. 10. est forma non informans, nec formata, aut formabilis: in hoc autem consistit ratio actus puri. Vnde Patres pro illa assertione citati hanc eandem confirmant; Secundo, quoniam nihil est potentia respectu eorum, quæ includit in essentia, vel eorum à quibus impossibile est, vt actuetur: Deus autem includit in sua essentia perfectiones omnes simpliciter: impossibile autem est vt actuetur ab vlla forma habente annexam imperfectionem: ergo nullo modo est in potentia. Maior propositio quoad posteriorem partem est euidens, nam impossibilitas tollit possibilitatem, & consequenter potentiam, quæ nequit esse sine illa. Quoad primam vero ostenditur, quoniam semper in actu misto ratio actus præcedit rationem potentiæ, hæc enim in illo fundatur: at nulla res præcedit ea, ex quibus essentialiter constituitur: ideoque respectu ipsorum non est potentia. Respondeti potest, etsi nihil sit potentia ad ea, quæ essentialiter includit, fieri tamen posse, vt eadem inter se habeant rationem actus, & potentiæ: nam homo essentialiter includit corpus, & animam, ad quæ non est in potentia: & tamen corpus est in potentia respectu animæ: quod sufficit, vt homo non sit actus purus etiam secundum essentialia: Et ita non recte colligi Deum esse actum purum ex eo, quod essentialiter includat omnem perfectionem simpliciter. Verum solutio non est adæquata, nam si perfectiones simpliciter essentialiter inclusæ in essentia diuina essent instar earum, quæ includuntur in creata, cum distinctione, dependentia, & causalitate, qualis reperitur inter materiam, & formam, tunc ex inclusione essentiali minime sequeretur ratio actus puri, at quando nulla est distinctio, dependentia, & causalitas, vt reuera non est in diuinis, ex inclusione recte sequitur pura actualitas; & confirmatur, quoniam rationes essentiales coeuntes in vnum præcedunt ipsum, & consequenter, si inter se habent rationem potentiæ, & actus ad existentiam constituti ex illis, necesse est vt præcedat causa actiua, quæ passiuam reducat ad actum: impossibile est autem, vt ante Deum sit vlla potentia actiua: ergo repugnat rationes eius essentiales habere mutuo rationem actus, & potentiæ. Tertio ens primum non potest vllo modo habere vllam potentialitatem: Deus est ens primum: ergo expers potentialitatis. Maior propositio patet, quoniam inter actum, & potentiam, est ordo prioris, ac posterioris, ita vt respectu eiusdem sit prior potentia, quam actus, vt docet Philosophus libr. prim. de cælo text. 132. prius enim est potentia ad esse, quam esse: nam prius est vita in potentia in semine, quam sit actu in planta: absolutè vero sit prior actus, quam potentia: nam hæc dicit ordinem essentialem ad potentiam actiuam, à qua existente actu reducantur ad actum: & ita ante ipsum semen præcessit aliquid actu viuens, à quo de-

Aristot.

quo decisum est: ex quibus sequitur id, quod aliquo modo est in potentia, vel includit potentiam, non esse primum ens, nam si est in potentia, præcedat oportet aliud ens actu, à quo traducatur de potentia ad actum: si includit potentiam, cum ea supponat aliud ens actu, & sit prior includente, fieri nequit, vt hoc sit primum ens.

VI. Hoc ipsum constat discurrendo per singula genera, & modos potentiæ passiuę, non enim in Deo est potentia obiectiua, quoniam non potest non esse: non realis, quoniam non admittit priuationem proprie dictam, quæ necessario illã comitatur: non obedientialis, quoniam non est vlla causa superior, cui subordinetur: non naturalis, quoniam est perfectus in omnibus sibi debitis ex natura, non supernaturalis, quoniam ipse est summa essentia, ac natura, supra quam nihil est, ad quod possit eleuari: non Physica, quoniam est spiritualis, & incapax formæ Physicæ; non Metaphysica, quoniam est ipsum esse per essentiam, & consequenter nõ est actu per vllam formam à se distinctam: sed totum, quod est, à se ipso, & se ipso formaliter est, vt superius ostendi: nihil autem quod est potentia, est à se ipso, vel se ipso formaliter: sed vel causaliter, & formaliter simul ab alio, sicut aqua est calida causaliter ab igne, formaliter à calore: vel saltẽ causaliter ab alio, vt existẽtia creaturæ à Deo. Ex quo patet Deum non solum esse simpliciter actu, & nullo modo in potẽtia: sed esse ipsummet actum purum, ac syncerum ab omni etiam minimæ potẽtialitatis labe immunem. Deniq;, vt supra ostendi, Deus est ipsum esse per essentiam, ipsi vero esse nil admisceri potest: ergo Deus est actus absq; vlla permistione potentiæ. Assumptio asseritur à Boetio lib. de hebdom. vbi, quamuis concedat ipsum, quod est, posse habere aliquid admistum, negat tamẽ ipsi esse posse aliquid aliud admisceri. Ratio vero est, quoniam ipsum esse est vltima actualitas, quæ formari, aut perfici amplius nequit vlla noua actualitate: quemadmodum enim differentiæ vltimę non admittunt additamentũ in eodem genere: & ideo species specialissimæ diuidi vlterius nequeunt in alias species, ita etiam vltima actualitas actuari amplius nequit. Et in hoc consistit præcipuum discrimen inter Deum & creaturas quoad rationem actus puri: vt enim recte docet D. Thomas q. vn. de spirituali creatura art. 1. Nulla forma, aut natura creata, quantumcumq; spiritualis, & simplex, eo peruenit, vt sit suum esse: & ideo, quãuis nõ sit in potẽtia passiua ad alias formas à se distinctas, necessario est in potentia ad propriũ esse, cum quo non necessario cõiuncta est: quapropter non est purus actus: Deus autem non solum non est in potentia ad vllã formam, secũdum quam sit, sed nec ad ipsum esse: hoc enim est de eius essentia, non solũ quatenus substantia est, sed quatenus est sapientia, iustitia, & deniq; omnia, quæcumque est: non enim in eo est aliud subsistens, & forma, qua subsistit, nec aliud forma, & esse per formam, sed est ipsum actuale esse omnium perfectionum simpliciter. Et hoc intelligunt Doctores, cum Deum vocant actum purum.

Boet.

S. Thom.

VII. Ad primum respondeo, quando Philosophus, & eius cõment. distinguunt decẽ genera per potentiam & actum, sumere ea latè, nempe potentiam pro actiua, vel passiua, & actum prout est actus essendi, vel operandi: ex carentia vero actus, prout est actio ad extra, non inducitur potentia passiua, neq; violatur syncritas actꝰ puri. Ad secundum negandum est antecedens, & ad eius probationem neganda est assumptio, nam relationes diuinæ vere sunt actus, non tamen distincti ab essentia: nam actus, vt dixi, consideratur secũdum id, quod res est in se, & ad se: & ideo, cum relationes quoad hoc conueniant in essentia, quãuis ipsæ sint quatuor, non tamen proinde sunt quatuor actus, aut formæ: nisi quis abutendo vocabulis, dicat esse quatuor actus, aut formas relatiuas. Ad tertium dicendum est solam priuationem proprie dictam supponere potentiam, & dissoluere rationem actus puri: non autem priuationem impropriè dictã, nisi sit negatio perfectionis simpliciter, quę longe abest à Deitate: negatio vero cuiusuis alterius formæ non opponitur actui puro, nam de ratione eius non est, vt sit quomodocunq; omnis actus possibilis reperiri in vno sine mistione potentiæ, quales sunt ij, quos Deus vendicat, non vero alij, quorum habet priuationem impropriè dictam: nam ij, vt discurrenti patebit, permisti sunt plurimis imperfectionibus, & alij alios mutuo excludunt: & ideo potius dissentiunt, quam perficiunt rationem actus puri: contra vero ipsorum negatio illam indicat, & commendat.

Ratio

Ratio constituens per se primo, & completè essentiam in ratione essentiæ non est intellectio diuina.

CAPVT XII.

I. HActenus egi de ijs, quæ pertinent intrinsece ad essentiam Dei; superest explicandum quodnam ex illis vltimò, & completè constituat essentiam in ratione essentiæ. Nonnulli recentiores censent intellectionem actualem: fundamentum est: quoniam natura diuina formaliter, & essentialiter est viuens in determinato gradu vitæ, nempe perfectissimo, qui est gradus vitæ intellectualis: nam, quæ essentialiter vendicant gradum aliquem sub ratione communi, vendicare debent determinatũ modum illius: quemadmodum itaque natura omnis creata intellectualis formaliter constituitur in propria specie secundum differentiam intellectualem, ita, licet Deus non sit in genere, aut specie, aut per differentiam constituatur, tamen nostro intelligendi modo constitui debet in sua propria ratione formali & essentiali: non est alia prior, aut formalior ratio essentialis, quã gradus vitæ intellectualis. Hoc tamen differt inter creaturas ac Deum, q Deus est intellectualis per essentiam, atque adeo ipsummet intelligere: creaturæ vero sunt intellectuales per participationem: & ideò non sunt ipsa actualitas intellectionis, sed dicuntur intellectuales per habitudinem ad illam, tanquam propria eius subiecta: at diuina natura est intellectualis per perfectam intellectionis actualitatem, nõ autem per habitudinem ad ipsam: idcirco nihil est, quod sit substantialiter viuens ex habitudine ad intellectionem diuinam, sed per eam Deus primo constituitur in ratione substantiæ viuentis. Hac sententia tria potissimum continentur: primum est vitam intellectualem esse quodam modo primam, ac per se rationem essentialem constitutiuam essentiæ diuinæ in ratione essentiæ, seu formæ substantialis, secundum est huiusmodi rationem non accipi secundum gradum aliquem, siue rationem intellectualitatis radicalis, hoc est, non sub esse nostro modo intelligendi gradum aliquem perfectionis substantialis, à quo secundum rationem concipiatur emanare intellectio diuina, nec potentialis respondentis potentiæ nostræ intellectiuæ: ex quibus tandem infertur tertium, scilicet intellectionem ipsam sub ratione actuali esse rationem per se primo constitutiuam essentiæ in ratione essentiæ. De secundo non est hic agendi locus, dicetur autem secunda parte, in li. de vita Dei: duo alia hic expendenda.

II. Primum ostendunt inprimis, quoniam homo ideo dicitur conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, quia est natura intellectualis. Ad rationem vero imaginis requiritur similitudo secundum speciem, vel saltem secundum rationem propriam speciei: ergo ratio nostro modo constituens Deum in proprio esse substantiali est vita intellectualis. Maior propositio habetur ex Diuo Augustin. lib. 83. quæstionum, q. 51. ad med. & li. 14. de Trinitate capit. 8. ad initium, quo loco gradum intellectiuum vocat principale hominis, & in ipso docet esse imaginem Dei, non quia sit eiusdem naturæ cum Deo, sed quia natura nostra in eo quo nihil habet melius, hoc est in ratione intellectionis est imago naturæ diuinæ, qua nulla melior, idem docet Diuus Thomas 1.p.q.33.art.3.& q.93.art.2.& lib. 4. contra Gentes, cap. 42. quibus etiam locis asserit id, quod in minore assumitur, maximè qu. 93. vbi docet similitudinem speciei attendi secundum vltimam differentiam, ex eoque colligit naturam intellectualem esse imaginem Dei, ex quo eius discursu constat mentem ipsius esse, quod gradus intellectualitatis sit quasi vltima differentia constituens essentiam diuinam, quod etiam docet Caietan. ibidem, Capreolus in 1.d.3.q.2.art.1.ad tertium, Durand. in 2.d.16.q.1. num. 5. Lyran. in illud Psal. 17. *Viuit Dominus.* Secundò inter gradus substantiales Deo conuenientes nullus est suapte natura perfectior gradu vitæ intellectualis, nullus magis remotus ab vniuersalitate, ac indeterminatione: nullus in singulari suapte natura prior cæteris, nullum supponens, & ab omnib. suppositus: quod autem huiusmodi est, habet rationem gradus per se primo constitutiui naturæ secundum propriam rationem, ac speciem: nam per determinationem præfertur gradibus indeterminatis, per prioritatẽ proprietatibus aduenientibus naturæ constitutæ in suo esse substantiali: quare essentia diuina in ratione essentiæ per se primo cõstituitur gradu vitæ. Maior quoad rationem perfectionis est per se nota, nam quamuis in Deo nõ sit diuersitas, aut inæqualitas in perfectionibus essentialibus, tamen nostro modo intelligendi, quatenus concipiuntur sub ratione communi analogica possunt concipi sub virtuali diuersitate

Augustin.

S. Thom.

Caietan.
Capreolus.
Durand.
Lyran.

sitate perfectionis quoad rationes formales. Et ob hanc causam, quoniã actio intellectus est perfectissima omniũ, Arist. li. 12. Metaph. t. 39. docet beatitudinẽ Dei consistere in ipsius intellectione, idemq; probat D. Tho. 1. p. q. 26. ar. 2. itaq; gradus intellectualis euidẽter est excellentior omni alio vitæ, aut essendi gradu: est vero magis remotus ab indeterminatione, & vniuersalitate, q̃ ratio substãtiæ, ac vitæ: si vero cõpareꝛ cũ volũtate, & eius actibus, itẽq; cũ omnipotẽtia, & alijs, supponiꝫ ab ijs ipse nihil supponẽs. Deniq; cæteræ perfectiones diuinæ reducũtur ad ipsũ gradũ vitæ intellectualis, is vero ad nullũ reuocaꝛ: nõ. n. Deꝰ ideo intelligit, q̃a vult, aut quia est omnipotẽs: sed hæc, & similia cõueniũt ipsi, quia est ipsũ intelligere actuale: is aũt est gradus per se primo cõstitutiuꝰ essentię, cuiꝰ nõ est alia ratio prior, ꝓpter quid, ipse vero est ratio, & quasi radix reliquorum à priori.

Aristot.

S. Thom.

III. Tertium dictum probatur quoniam intellectio diuina est de essentia naturæ diuinæ formaliter: & hæc supponit cæteras perfectiones essentiales, & post ipsam nulla omnino intelligitur, sed solum perfectiones aliæ per modum proprietatum: ergo est ratio essentialis nostro intelligendi modo per se primo constituens essentiam diuinam in esse huius naturæ. Primã partẽ huius discursus ostendunt autoritate, ac ratione. Inprimis multa accumulant testimonia scholasticorum, philosophorum, & patrum, quibus asserunt intellectionem actualem esse de ratione intrinseca Deitatis. Deinde probant ratione ex primo, & secundo dicto. Si enim natura diuina est essentialiter intellectiua non secundum rationem radicalis, aut potentialis intellectualitatis, erit secundum rationem actualis intellectionis: præterea, quia maxima perfectio est Deum esse beatum essentialiter, & non solum identice: cum ergo beatitudo consistat in actuali visione ipsius Dei, intellectio actualis erit de essentia illius: Secunda pars facile probatur, inprimis enim intellectio diuina includit essentialiter ipsam existentiam à se, quæ est veluti transcendens, & de essentia cuiuscunque perfectionis diuinæ: hæc aũt eo ipso, ꝙ est existentia à se, includit existẽtiam per se, ac proinde rõem substantiæ & substãtiæ spiritualis: quia, vt sic, est fundamẽtũ negationis corporis, & dependẽtiæ ab eodem: & denique cum ex se sit vita intellectualis, & non per modũ principij intellectiui, sed intellectionis actualis, eo ipso est quidquid est de essentia diuinæ naturæ. Tertia pars ostenditur, quoniã discurrẽdo per gradus substãtiales nobis notos nullus, qui in Deũ cadat, est posterior gradu vitæ intellectualis, nã intellectualitas, q̃ in nobis est quodãmodo cõtractiua intellectualitatis analogicę communis nobis & Angelis, non cadit in Deũ, atq; ita vltimus quasi gradꝰ substantialis Deo ꝓprius per nullũ aliũ determinatus est intellectualitas actualis. Ex ea vero tanq̃ radice intelligitur procedere tanquam proprietas perfectio volũtatis diuinæ, & cæteræ, q̃ actualẽ intellectionẽ consequuntur. Hanc etiã opinionẽ ex eo verã esse contendunt, quoniã ea posita facile, & expedite redditur ratio, cur verbi diuini processio, non aũt Spiritus S. sit generatio, quia scilicet natura diuina communicatur verbo per modũ sapientiæ, quæ est ipsa ratio formalis essentię diuinæ, spiritui autem sancto per modum amoris, qui est perfectio attributalis nostro intelligendi modo posterior essentia, vt essentia est.

IV. Huius opinionis Autores diuersimode opinantur de rõe intrinseca essentiæ diuinæ. Alij. n. dicunt vendicare essentialiter omnes perfectiones diuinas absolutas: alij vero, qui cõgruentius loquuntur, negant. Et primi quidem nõ videntur sibi cõstare, nã cõcipi nullo modo potest essentiã per se primo specifice, & cõpletè constitui per aliquam rationẽ formalẽ exclusis alijs, quæ sunt etiam intrinsecæ: at si cæteræ perfectiones sunt de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, repugnat omnino, vt ijs non intellectis constituatur complete essentia in suo esse: at vero in eo priore, quo intelligitur actualitas intellectionis diuinæ, nondũ intelligitur actualitas volitionis, & cæterarũ perfectionũ, q̃ cõsequuntur: ergo fieri nequit, vt per se primo cõstituatur essentia in rõe huius naturę per intellectionem: vel, si hoc cõceditur, necessario negãdũ est perfectiones alias intrinsecè pertinere ad rõem essentię, vt essentia est. Quod si dicant, vt re vera dicũt, intellectionẽ ipsã intrinsece vẽdicare perfectiones alias, atq; adeo eas hoc ipso, quo essentia diuina dicitur cõstituí in rõe essentiæ per intellectionẽ actualẽ, non excludi ab ipsa intrinseca cõstitutione essentię, fateantur necesse est non solã rõem intellectionis, sed cæterarũ quoq; perfectionum singulariter cõstituere hanc essentiã in rõe essentiæ, & proinde inter eas illã habẽdam esse loco vltimæ differẽtiæ, si ita loqui fas est, q̃ nostro intelligẽdi modo vltima cõcipitur: ex pluribus. n. rõibus formalibus intrinsecis illa merito dici potest cõpletè, & per se cõstituere essentiã in sua rõe formali, q̃ vltimo cõcipitur illi cõuenire: quandoquidẽ cũ ipsa sit de essentia, & si reliquæ

intelli-

intelligantur adesse, quamdiu ipsa non intelligitur, concipi nequit essentia integra, atque perfecta in suo esse, ea vero intellecta statim cõcipitur, quoniam ad sunt omnia, quę sunt de ratione illius. Si rursus respondeatur, perfectiones oẽs cõtineri in actuali intellectione p̃ modũ ipsius, hoc est secundum esse intellectionis, nõ expeditur difficultas: nã vel continentur secundũ esse formale, & obiectiuum ipsarum, vel tantũ secundũ esse intellectũ: si priori modo, sunt posteriores intellectione, quã supponunt secundũ esse proprium, ac formale ipsarũ, formalis enim ratio volitionis nostro intelligẽdi modo posterior est intellectione: si vero posteriore, ipsæ secundũ suum esse formale, nõ pertinẽt intrinsecè ad essentiã, sed solũ secundũ esse repræsentatum, & intellectũ, quod est omninò idẽ ratione cùm esse ipsius intellectionis, atq; ita repugnat omninò, vt perfectiones oẽs diuinæ sint de intrinseca ratione formali essentiæ diuinæ, & nihilominus intellectio sit vltima, & quasi completa ratio constituens essentiam in ratione essentiæ.

V. Priusquam satisfiat quæstioni, oportet statuere in quonam cõsistat ratio differentiæ, seu quasi differentiæ essentialis per se primo cõstituentis vltimo aliquam essentiam; quantũ vero ex creatis colligi potest, tres potissimum conditiones exigit, prima est, vt conueniat per se primo, & quatenus ipsum; secunda vt formaliter, & nõ solùm idẽticè includat omnia, quę intrinsecè vendicat essentia cõstituta, quatenus hęc est; vltima, vt sit perfectissima ratio essentiæ cõstitutæ. Quę oẽs euidẽter cõstant ex Philosophia: nam, quæ nõ cõueniunt alicui, quatenus ipsum, vel cõueniunt per accidens, & ita pertinere nequeunt ad intrinsecã cõstitutionẽ essentiæ, vel sunt cũ alijs cõmunia, & competunt ratione gradus superioris, & sic cõstituere nequeunt essentiam, secundũ quod est hæc, & à cæteris omnib⁹ distincta: vel ratione inferiorũ, & sine his intelligitur complete cõstituta essentia cõmunior: quare necesse est, v[illegible]erentia cõstituens cõueniat constituto per se pri[illegible], & quatenus ipsum. Secunda cõstat, quando quidem nõ potest intelligi essentia vltimo constituta, nisi ea omnia, quæ sunt de ratione eius formali intrinseca intelligãtur eidẽ formaliter, atq; intrinsecè inesse: atque adeò, nisi differentia includat formaliter ea, quæ essentia vendicat in quantũ ipsa, non poterit intelligi cõstituta in suo esse: Vltima etiam cõstat, quoniam differẽtiæ, quo magis particulares, eo magis actuales, & perfectiores sunt: semper enim in creatis differentiæ se habent per modũ actus respectu graduum superiorum, quod determinãt, & per modum causæ, atque principij respectu proprietatum, quæ fluunt à subiecto: & idcirco sunt his, & illis perfectiores.

VI. Hoc posito dico. Vita diuina intellectualis neque secundum gradũ vitæ substantialis, neque secundum rationẽ intellectionis est differentia vltimo, & complete constitutiua essentiæ diuinæ. Loquor vero de essentia secundum se, nõ vero pro vt nostro modo intelligendi cõcipitur virtute distincta ab attributis, & prior illis. Quæ assertio ita explicata est de mente omnium Scholasticorum, quos retuli cap. 6. n. 6. asserentium omnia attributa esse de ratione quidditatiua Deitatis, vndè quando aliquando dicunt specialiter intellectionem esse de essentia Deitatis, alia attributa nostro intelligendi modo posteriora non excludunt, imò sæpè expresè includunt. Idem iudicium est de Patribus, quamuis enim sæpè dicant sapientiam, & intellectionẽ esse de essentia diuinitatis, ijdem tamen, vt videre est cap. 8. sæpè docent omnia, quæ de Deo dicuntur esse de illius essentia, & plerique idem docent specialiter de magnitudine, bonitate, sanctitate, voluntate, potestate, fortitudine, iustitia, & similibus attributis: quę tamen oppositæ sentẽtiæ auctores censent nõ pertinere ad rationẽ vltimo cõstitutiuam Deitatis, sed esse illa posteriora. Ostenditur autẽ primũ ratione, quoniam in vnica illa entitate, & ratione formali adæquata, quam nomine essentiæ diuinæ intendimus significare; & ab Apostolo Paulo ad Philipp. 2. dicitur *forma Dei*, à Theologis natura diuina, nõ est vllus ordo prioritatis, aut dignitatis secundum rem: sed est vnica actualitas, vna forma infinitè perfecta per modum vnionis includens perfectiones omnes simpliciter: ita vt singulis nominib⁹ perfectionũ absolutarũ significemus eandẽ ipsam rationẽ formalem inadæquate tamen, & ita secundum se nõ magis conuenit Deo vna, quã alia: & nõ magis cõstituitur vna, quã alia, complete tamen, & vltimo ex nulla per se seorsim sumpta: sed ex vnica ratione completa ex omnibus coalescente. Et hoc est maximè mirabile in natura diuina, quod ratio ipsius propria, & secundũ quod ipsum nõ determinat solùm vnũ genus rerũ, Verbi gratia substantiam, vitã, intellectualitatẽ ad suam peculiarẽ essentiã, sed genera omnia perfectionũ simpliciter, verbi gratia intellectionẽ, volitiõnẽ, potentiã actiuam, & similia, quæ omnia vnica illa ratione Deitatis determinantur ad constituendam naturam Dei. Et ita nor *Ad Philip. 2.*

oportet exquirere particularem aliquam rationem virtute distinctam à cæteris, vltimo constituentē Deitatem, namque ratio vltimo cōstituens determinat omnia prædicata communia essentialia: at verbi gratia, propria ratio intellectionis diuinæ determinat quidem intellectionem in communi, non tamen iustitiam, misericordiam & alia prædicata essentialia: ergo non est ratio vltimo constituens.

VII. Idem suadetur ex defectu primæ, & secundæ proprietatis differētiæ per se primo cōstituentis. Defectu primæ, quoniam etsi re ipsa non sit vlla prioritas inter diuinas perfectiones, tamen quia auctores oppositæ sentētiæ ex virtuali sumunt argumenta, etiam ratio q̄ellectualitatis substātialis est virtute prior ratione intellectionis. Nec soluitur si dicatur rationē vitæ substātialis esse communē Deo cū alijs rebus: nā etiam intellectio cōmunis est: & quemadmodū intellectio diuina nō est cōmunis, ita neq; vita intellectualis diuina substātialis. Non item si dicatur vitā intellectualem Dei esse idem, ac intellectionem: nā si sit sermo de identitate ex natura rei, etiam volitio est idē cum eadē vita substantiali, virtute autē non minus distinguitur ab ea intellectio, quā volitio, vt suo loco ostendam: si ergo ratione distinctionis virtualis volitio dicitur posterior vita substātiali nostro modo intelligēdi, etiam intellectio dicetur: & ita non conuenit ipsi prima ratio differentiæ primo cōstituentis. Ex defectu vero secundæ, tā intellectualitas substantialis, quā intellectio ipsa nō possunt esse differētiæ per se primo cōstitutiuæ, quoniā neutra includit intrinsecè omnia, quæ per se primo, & quatenus ipsum cōueniunt Deo essentialiter, vt enim cap. 6. ostēsum est, omnis omninò perfectio absoluta est de intrinseca, & essentiali ratione Dei: intellectio vero diuina nō includit omnē perfectionē absolutam: quare nequit esse differentia vltimo constitutiua Deitatis: si quis autē dicat oēs includi intellectione, cōcedat oportet oēs etiam includi quauis alia perfectione diuina, & ita ex hac parte nō minus cęteræ, quā intellectio erunt primo constitutiuæ. Præterea in ipsorū sententia perfectiones cęteræ sunt posteriores intellectione: nihil autē posterius includitur essentialiter in priore. Si respondeant de ratione differentiæ vltimo cōstituentis nō esse, vt includat omnia essentialia: nā rationale nō includit animal, & est de essentia hominis, non satisfaciunt: nā differentia vltimo constituens nō opus est, vt includat omnia essentialia, sed ea, quæ cōueniunt cōstituto quatenus ipsum: hęc.n. nō aliundè habentur, quā ex ipso primo cōstituente: at Deo essentialiter, & quatenus ipsum cōuenit iustitia, misericordia, omnipotentia, & pleræque aliæ perfectiones, q̄ oēs in Deo habēt aliquid proprium, & essentiale, quo distinguūtur à perfectionibus creatis: ergo secundū id, quo Deus p̄ eas distinguitur à creatis, cōtineri debēt in gradu essentiali p̄ se primo cōstituente naturā diuinā: nō cōtinētur autē in intellectione, vt ab eis virtute distinguitur, vt auctores oppositæ sentētiæ fatētur, & ostendam tractatu sequente, ergo ea non est ratio per se primo adæquatè constitutiua Deitatis.

Ad primum, quo suadebatur primum dictū, respondetur, ad rationē imaginis nō requiri perfectā similitudinē in omnibus, q̄ per se primo sunt de ratione obiecti imaginis: alioquin homo non esset imago Dei, cùm careat innumeris perfectionibus Deo essentialibus: sed sat esse, vt habeat similitudinē secundū rationē formæ propriæ etiam inadęquate, quo pacto effigies solius figuræ externæ dicuntur imagines hominū, licet nō sint similes, quoad præcipuam rationē hominis. Et hoc modo dicitur homo imago Dei, quoniam habet similitudinē ad Deum secundum gradū intellectualitatis, qui nostro modo intelligēdi, si nō ex toto & adæquate, ex parte tamē cōplet essentiā diuinam. Neque vero hæc similitudo consistit in gradu intellectualitatis, vt præcisè dicit ordinē ad actualē intellectionem, vt in argumento supponitur, sed quatenus est substātia intellectualis cōstans intellectu & voluntate, hæc enim ingreditur etiā rationē imaginis, imò Damasc. lib. 2. de fide, c. 12. Bernard. serm. 1. de Annunciat. & tract. de libero arbit. & alij in potestate liberi arbitrij, quod formaliter in voluntate consistit, rationē imaginis constituunt. Et ita nō opus est ad singulas auctoritates respondere, sat est responsio cōmunis dicendo rationē imaginis, quæ cōpetit homini respectu Dei, consistere in similitudine secundū gradū intellectualitatis adæquate sumptū, quomodo nō cōtingit [illegible] sola intellectionem, sed etiā volitionē, qui in Deo, si nō ex toto, ex parte [illegible] est differentia cōstitutiua essentiæ. Pro solutione secundi notādū, prioritatē inter aliqua prædicata essentialia cōsiderari, vel secundū rationē vniuersalitatis, vel secundum rationē suppositionis inter ea ipsa, quæ per se primo cōueniunt eidem speciei, vel indiuiduo: exempli causa in homine via vniuersalitatis prior est ratio substantiæ, quam vitæ, & ratio vitæ, quam ratio sensitiui, & hæc prior quam rationalitas, via autem suppositionis prius

VIII.

Damascen. Bernard.

est cor-

est corpus humanum secundum solam rationem corporis, quam anima: quæ est actus corporis organici, & tamen vtriusque ratio per se primo, atque intrinsecè pertinet ad differentiam cõstitutiuam hominis: nec ex eo, quod secundum aliquem modum prioritatis ratio corporis supponatur ab anima, sequitur corpus humanum esse differentiam adæquatè, & vltimo constitutiuam hominis: hoc posito quidquid sit de ratione perfectionis de quo dicam cap. 15. ostendens ipsum esse perfectius esse, quã viuere, & quoduis aliud esse determinatum, negandum est nullũ gradum substantialem Dei esse magis remotũ ab vniuersalitate, ac indeterminatione: nam, licet sola ratio substantiæ, ac vitæ secundum rationem communem sit magis vniuersalis, tamen perfectio substantialis immensitatis, æternitatis, omnipotentiæ, ac voluntatis diuinæ æquè repugnant cum vniuersalitate & indeterminatione, ac gradus intellectualis, quatenus præcisè respicit perfectionẽ intellectionis. Et ita constat prioritate vniuersalitatis, quæ tollit rationẽ vltimæ differentiæ, nõ omnia esse priora gradu intellectiuo. Si vero loquamur de prioritate suppositionis, ipse quidem est prior gradu volitiui, sed hęc prioritas, vt ex dictis constat, nõ est satis ad rationẽ vltimæ differentiæ, quãdo ea cõflatur etiã intrinsecè ex ijs, quæ sunt eodẽ modo posteriora. Cùm vero obijcitur voluntatem & omnipotentiam habere se per modũ proprietatum, & idcirco intellecto gradu substantiali intellectualitatis, non superesse aliquid aliud nostro modo intelligendi intrinsecum essentiæ, responderi debet perfectionẽ voluntatis, & quamuis aliam nõ minus pertinere intrinsecè, & essentialiter ad gradum substãtialem proprium essentiæ diuinæ secundum se sumptæ, quã intellectionẽ, siue sapientiam. Si vero loquamur de essentia prout à nobis cõcipitur virtute distincta ab attributis, & prior illis, nõ minus habet rationem attributi intellectio, quã volitio, & ita quoad hoc nulla est diuersitas. Ad vltimũ respondeo ex natura rei nõ esse rationem propter quid vllius perfectionis diuinæ, nostro autẽ modo intelligẽdi etiam ipsum intelligere actuale habere rationem illa prior, cur Deus sit ipsum intelligere actuale.

IX. Primam partem argumenti, quo suadetur tertium dictũ, facilè cõcedo, neque ad eam suadendã opus erat longa probatione. Ex eo vero, quod intellectio sit de essentia, nõ sequitur vt sit per se primo cõstitutiua ipsius: nam etiam aliæ perfectiones sunt de essentia, & à Patribus similiter dicitur idẽ esse singula ipsorum, quod essentia: nec tamen proinde sunt per se primo cõstitutiuæ illius. Secunda, & tertia eiusdẽ antecedentis pars est absolutè neganda: quandoquidẽ perfectio substantialis volitionis diuinæ, quatenus ipsius est, non continetur formaliter, aut supponitur ab intellectione. Ad probationem vero, vt omittã plures in ea cõsequẽtias inuolui minimè aptas, respondeo tamen prædicata essentialia Deo quædam cõcipi secundũ rationẽ communem, quædã secundum rationẽ particularem: & priora quidẽ nostro modo intelligendi dici posse contineri in ratione intellectionis, verbi gratia, quod sit ens substantiale, viuens, intellectuale: non tamen secundum omnẽ rationem, qua hæc prędicata conueniunt Deo, sed inadæquatè solùm quatenus identificantur intellectioni: posteriora vero non contineri formaliter, sed solùm identicè: nã intellectio non est formaliter, & intrinsecè ipsum esse substãtiale immensitatis, æternitatis, & volitionis diuinæ, quod est de intrinseca ratione essentiæ. Vt autem ratio aliqua dicatur per se primo, & vltimo constitutiua essentiæ, non sat est, vt contineat, vel supponat gradus superiores inadæquatè: sed omninò requiritur, vt ipsos supponat, vel contineat adæquatè, & insuper rationẽ omnẽ particularem per se primo pertinentẽ intrinsecè ad essentiam, qua ratione anima rationalis inadæquatè cõtinet gradꝰ oẽs essentiales hominis, quatenus ex ipsa sumuntur, qui tamen suo modo desumuntur ex materia, quatenus est capax formæ, & proinde sola anima secundũ se non est ratio formalis adæquata constituens intrinsecè essentiã humanitatis, sed ipsa simul cum corpore. Ad probationem quartæ respondeo, etsi in creaturis non occurreret alius gradus substantialis, qui secundum rationẽ communẽ analogicam sit formaliter in Deo, cõtractior & perfectior gradu intellectualitatis, tamen in Deo vel hunc ipsum latius patere, quã in creaturis, & intelligi multiplici ratione distinctum: vel dari alium posteriorẽ virtute distinctũ impossibilem creaturis: ratio discriminis est, quoniã in creaturis gradus intellectualitatis substantialis non extenditur ad perfectiones aliorum prædicamentorum, in Deo vero maximè: nam vt ait Boëtius lib. 1. de Trinitate, cætera prædicamenta ad Deum translata substantia sunt, & idcirco vel gradus intellectualitatis substantialis in Deo vendicat etiam intrinsecè esse substantiale volitionis diuinæ, & tunc eiusmodi gradus, quatenus præcisè continet intellectionẽ actualem, nõ est vltima ratio *Boetius.*

essentia-

essentialis naturæ diuinæ: vel concedi debent duo gradus substantialis, ac essentialis Deo virtute distincti, nempè substantialitas intellectualis respondens perfectioni substantiali creaturæ spiritualis, & substantialitas voluntatis, ac bonitatis diuinæ. Et cum hic secundum rationem sit posterior illo, non poterit ille per se solus habere rationē rationis formalis per se primo constituentis vltimo essentiam in ratione essentiæ; Cùm vero obijcitur voluntatem intelligi procedere ab intellectione instar proprietatis, respondeo voluntatem, aut quamuis aliam perfectionē diuinam, quatenus substantia est, non concipi per modū proprietatis, sed per modum rationis substantialis, & essentialis inadæquatæ: quatenus vero sumitur vt perfectio adueniens essentiæ, concipi quasi proprietatem radicatam in essentia interuentu intellectionis, quæ cōcipitur vt prima proprietas essentiæ diuinæ, quatenus est substantia intellectualis. Vltima ratio prima specie cōciliare videtur probabilitatem opinioni contrariæ: verum non est hic locus ipsam ex professo declarandi, sed in materia de Trinitate. Sat mihi est quod in re tam graui sit noua, nec ab antiquis tradita, quia scilicet existimant naturam diuinam essentialiter includere non solùm intellectionem, sed omnes alias perfectiones.

Infinitudo, prout distinguitur ab alijs attributis, non est ratio vltimo constitutiua Deitatis.

Caput XIII.

I. *Toletan. Argentin.* Toletan. quæst. 6. prolog. art. 2. conclusione 3. & Argent. quæst. 1. existimant infinitatem esse de per se primo conceptu quidditatiuo Deitatis, ita vt sola hac intellecta, & circumscripta quauis alia perfectione, intelligatur ratio Deitatis. Tolet. probat in primis auctoritate Anselmi in prosologio, cap. 2. & 3. dicentis Deum esse id, quo maius cogitari nō potest, item Damasceni lib. 1. cap. 1. explicantis responsionem Dei ad Moysen, Exod. 3. *Ego sum, qui sum,* vbi de ipso esse Dei loquens, *totum,* inquit, *in se comprehendens velut quoddā pelagus substantiæ infinitæ,* itemque Richardi lib. 2. de Trinit. c. 5. 6. & 7. in quo concludit his verbis, *iam de superioribus habuimus, & pro certo habemus, quod substantia diuina non sit aliud aliquid quam immensitas sua.* Ex quorū dictis Tolet. infert infinitatem esse ipsam rationem formalem propriam, & quidditatiuam Dei. Deinde probat ratione primo, quoniam Deitas se ipsa formaliter est perfectissima, nō est autem præcisa infinitate, ea vero solùm intellecta maximè: ergo infinitas est de per se prima ratione quidditatiua Deitatis. Assumptio constat, quoniam infinitas amplectitur omnem aliam perfectionem, atque adeò ea posita nihil deerit diuinitati, sublata vero manet imperfecta, atque finita: Confirmat autem, quoniam natura diuina concepta secundū propriam rationem formalem, qua per se primo cōstituitur in esse essentiæ, vel est finita, vel infinita, vel neutra. Primum, ac tertium nō debet admitti, si detur secundum, habetur intentum: ergo, &c. Non esse admittendū primum ostendit: tū quia Deus nō esset id, quo maius cogitari non potest: nam quouis ente finito secundum rationes formales, maius aliquid excogitari potest: tum quia nō esset incomprehensibilis creaturæ, omne enim finitū comprehendi potest: Addit Argent. quoniam aliàs daretur aliqua ratio formalis nobilior ratione formali intrinseca Dei, nimirū ipsa ratio infinitatis, quæ in ratione perfectionis est nobilior. Nō posse vero dari tertium probat quoniam, sicut se habet ens vniuersaliter sumptum ad finitum & infinitum, ita conceptus entis vniuersaliter sumpti ad conceptū finitum, vel infinitum: repugnat autem dari ens aliquod in particulari, quod non sit finitum, vel infinitum: ergo similiter repugnat dari conceptum determinatum, qui nō sit finitus, vel infinitus. Secundo id, quod se ipso formaliter circumscriptis omnibus, quæ nō sunt ipsum, continet perfectiones infinitas, se ipso formaliter est infinitum: atque adeò infinitas est de per se prima ratione formali ipsius: essentia vero diuina ita se habet: ergo. probatur assumptio, quoniā essentia diuina continet formaliter perfectiones infinitas producibiles ab omni potentia. Ratio est, quoniam continet eas virtualiter primo, id vero est nō dependere ab alio in continendo, ita vt secundum solam rationē formalem præcisis cæteris contineat, & nihil ex alijs habeat vt continendi, nisi ratione primi: ergo debet formaliter cōtinere perfectiones infinitas, atq; adeò esse formaliter infinita. Tertiò perfectiones attributales sunt infinitæ ratione identitatis, quam habent cum essentia, vt probat Argent. vbi supra, quoniam sapientia Dei non est infinita in quantum sapientia, alioquin omnis sapientia esset infinita: ergo essentia se ipsa formaliter est infinita, patet consequentia, quoniam nihil est infinitum ratione eius.

Anselm. *Damascen.* *Richard. Victor.*

quod

quod non est se ipso formaliter infinitum. Denique illud est primum in ratione formali, atque intrinseca naturæ diuinæ, ad quod vltimo terminatur progressus demonstratiuus à posteriori, hic enim incipit ab vltimis effectibus sensu, atque experientia notioribus, tandemque per causas intermedias ascendens finitur reperta prima causa, quę est notior suapte natura: atqui in progressu demonstratiuo ex creaturis ad Deum cessat indagatio, reperto ente infinito: in eo conquiescit intellectus, non vero in quocunque alio diuino attributo, hoc igitur est prima ratio, ac forma substantialis Dei.

II. Infinitas vel sumi potest negatiuè, vel positiuè: si negatiuè sumatur, planum est non pertinere intrinsecè ad essentiam, & consequenter non esse rationem per se primo constitutiuam illius. Si positiuè sumatur, est controuersia: sed enim hoc modo sumpta vel consideratur materialiter pro omni prorsus perfectione diuina, quæ denominatur infinita, vel formaliter pro ipsa ratione infinitatis, prout est modus quidam afficiens omnes perfectiones diuinas: quemadmodum si concipiamus in magnitudine creata finitatem, vel infinitatem, inueniemus aliquid substans alterutri, Verbi gratia denarium finitati, multitudinem carentem termino infinitati, in quibus materiale finitudinis, vel infinitudinis est ipsa quantitas: formale vero est ipsa ratio illarum, quæ est modus quantitatis, & proprietas disiunctiua illius: finitum enim, vel infinitū auctore Philosopho, lib. 1. Physic. t. 15. & lib. 3. t. 24. est passio quantitatis. Si infinitas sumatur materialiter, continet adæquatè totam essentiam, ac perfectionem Dei, sed non magis vnam, quam aliam, & hoc modo nō sumitur secundum suam rationem formalem, sed secundum rationem formalem omnium: quare non proinde dici debet infinitas esse ratio quidditatiua per se primo constituens essentiam: nam, vt cap. precedente suppositi, ratio per se primo constituens essentiam debet formaliter includere omnia intrinseca pertinentia ad essentiam, in quātum talia. Restat vero difficultas de ipsa infinitudine formaliter sumpta, quatenus concipitur à nobis

III. vt modus quantitatis diuinæ virtualis.

Hoc posito dico. Infinitudo sumpta formaliter, prout distinguitur ab alijs perfectionibus diuinis, non est ratio constituens per se primo essentiam diuinam. Fundamentum est, quoniam infinitudo sumpta formaliter non est forma, qua aliquid est simpliciter, sed secundum aliquē modum: Deus autem est ens simpliciter, imò ipsa quidditas, & essentia: ergo ratio per se primo constitutiua eius nō est infinitas. Patet cōsequentia, quoniam ipsum quid est præcedit modum, quo est: Ideoque ratio propria veræ, & perfectissimæ quidditatis nō potest esse forma, qua aliquid secundum aliquem modum est, qualis est infinitas. Maior propositio ostenditur, quoniam licet in Deo propter summam eius actualitatem, & simplicitatem eadem sit essentia, quæ magnitudo, & infinitas, tamen magnitudo, & infinitas secundum proprias rationes formales virtute distinctas ab alijs perfectionibus, non dicunt per se ipsum quid, sed quantum, aut quomodo est. Idque perspicuum fit ex eo, quod infinitas addita cuiuis rationi formali non mutat ipsum quid, sed modificat: nam, si dicamus sapientiam infinitam, iustitiam infinitam, non mutatur ratio iustitiæ, aut sapientiæ: sed quanta sit vtriusque perfectio indicatur: at ratio quidditatiua per se primo constituens essentiam aliquam habet se tamquam vnitas: & sicut hæc addita cuiuis numero mutat eius speciem, ita illa cuicumque addatur, affert distinctam rationem quidditatiuam ab ea, quæ præerat: & reponit rem in alia specie. Secundo suadetur idem ex proprietatibus differentiæ per se primo constitutiuæ: quarum vna est, vt nihil prius illa competat rei quatenus ipsa est, altera vero, vt includat formaliter omnia, quæ hoc modo conueniunt. Vtraque vero desideratur in infinitate: prior quidem quoniam infinitas secundum distinctionem virtualem supponit vitam, sapientiam, iustitiam, & cæteras perfectiones, quæ infinitæ dicuntur, modus enim supponit id, quod modificat: posterior autem, quoniam modus nō includit essentialiter rationem formalem eius, cuius est modus: est autem infinitas modus quidā vitæ, sapientiæ, iustitiæ, & cæterarum perfectionum diuinarum: ergo non includit eas formaliter: atque adeò nequit esse differentia per se primo adæquatè constituens diuinam essentiam.

Auctoritates sanctorum Patrum in IV.
contrarium adductæ non conuincunt: solùm enim probant infinitatem sumptam pro ratione positiua esse de essentia, quod admitto: non tamen esse differentiam per se primo constitutiuam, de quo est controuersia. Quin vero ex ijsdem Patrum testimonijs ex æquo idem colligi potest de omnibus perfectionibus diuinis:

diuinis: si enim Deus non sit sapiens, iustus, misericors, & habuerit cæteras omnes, ac singulas perfectiones, non erit immensum pelagus essentiæ, aut id, quo maius cogitari nequit: nec tamen proinde sequitur sapientiam, iustitiam, aut quamuis aliam perfectionem per se sumptam esse rationem formalem per se primo constitutiuam essentiæ diuinæ.

V. Primum argumentum, si vim habet, etiam probaret cæteras omnes perfectiones Dei, verbi gratia, sapientiam esse primam rationem: nam Deitas se ipsa formaliter est perfectissima, non est autem, si non sit formaliter, & intrinsecè sapiens: sicut ergo non probat de sapientia, ita neque de infinitate. In forma autē distinguenda est posterior pars assumptionis. Etenim infinitas, vt supra notaui, aut sumi potest formaliter pro modo diuinæ magnitudinis, aut materialiter & cōnotatiuè pro ijs omnibus, quibus ille modus conuenit, si priore modo accipiatur, nō hoc ipso, quod ponitur, aut intelligitur infinitas, ponitur formaliter omnis perfectio simpliciter, sed tātum modus quidā interminatus, quo sensu neganda est secunda pars assumptionis; si vero posteriore sumatur, infinitate importatur omnis perfectio: & in hoc sensu concedenda est. Verùm ex ea sic posita non sequitur conclusio: nam ad rationem formalem per se primo constituentem, nō satis est vt importet omnia de connotato, aut in materiali significato; sed requiritur, vt includat in formali, quod non habet infinitas diuina, vt patet ex dictis. Ad probationem assumptionis respondetur eadem distinctione, dicendo infinitatē secundum suum formale significatum non includere omnē omninò perfectionem diuinam, sed solùm ex connotato. Ad confirmationem respondeo essentiam diuinā secundū suam rationē formalem adæquatā esse infinitam, imò includere essentialiter, & intrinsecè infinitatem: ex eo tamen non sequitur eam esse rationē per se primo constitutiuam essentiæ: quoniam eodē modo includuntur aliæ perfectiones, quę tamē nō sunt prima, & adæquata ratio cōstitutiua. Et ita sat erat negare consequentiam. Verùm quia rationes, quibus probatur essentiam esse formaliter infinitam, eò tendunt, vt concedatur ipsam infinitatē esse rationē per se primo constituentem, respondendū est ad singulas. Ad primam respondetur, vt Deus sit incomprehensibilis, & id, quo maius cogitari nequit, non requiri, vt infinitas sit prima ratio eius cōstitutiua, quemadmodum vt magnitudo, aut numerus sit tantus, quo maior cogitari nō possit, nō est opus, vt infinitas ipsa sit ratio formalis ipsius cōstitutiua, sed sat est si magnitudo, vel numerus sint eius rationis, vt infinitatem necessariò vendicent. Ad secundam, quæ est Argentinatis, respondetur primo quidē negādo sequelam: nam, cùm essentia diuina includat intrinsecè infinitatem, licet hæc nō sit ratio per se primo illius constitutiua, nō proinde erit nobilior, quam essentia: siquidē essentia non solùm est infinitas, sed etiam sapientia, iustitia, & cęteræ omnes perfectiones formales, quas includit, infinitas autem præcisè sumpta est tantum infinitas: atque adeò nō erit perfectior ratio, quam essentia. Deinde respondetur in diuinis omnes perfectiones re ipsa esse æquales, vt docet Richard. de S. Victore, lib. 1. de Trinit. cap. 18. quod si loquamur nostro intelligendi modo sumpta similitudine à creaturis, in quibus perfectiones simpliciter sunt aliæ alijs præstantiores, infinitas præcisè sumpta nō est præstantior; quoniam excellentiam sumit à re, cuius est modus, verbi gratia lux finita adhuc esset præstantior infinita grauitate, & intellectus finitus excellentior potentia sensitiua, etiam si hæc infinitè intensa fingeretur. Et ita purus modus infinitatis secundum suum pręcisum conceptum non est excellentior quauis alia perfectione; sed solùm auget illam, cui additur, sub eadem tamen ratione formali. Ratio vero, qua suadetur rationem formalem essentiæ non posse pręscindi ab infinitate, solùm concludit hanc pertinere ad rationem eius intrinsecam, non tamen esse rationem per se primo constituentem: nō enim omnis ratio, à qua essentia pręscindi nequit, est per se primo constitutiua illius, vt per se patet.

VI. Ad secundum argumentum respondeo maiorem propositionem esse veram de infinitate materiali, non formali, vt patet in magnitudine infinita: nam ipsa seclusis omnibus, quæ non sunt ipsa, continet infinitas partes: per integritatē quippe suæ entitatis est materialiter infinita, nō tamen formaliter, quasi ratio formalis ipsius sit infinitas; hoc enim esset falsum, siquidē est tātum modus ipsius. Et ita, quamuis essentia diuina circumscriptis omnibus, quæ nō sunt ipsa, contineat infinitas perfectiones ex vi illius principij, non sequitur eam esse formaliter, & intrinsecè infinitam: atque adeò non opus est soluere rationes quibus ostenditur ipsam continere perfectiones infinitas, quamuis non sint adeò firmæ. Quin vero, vt sæpè dixi, quamuis infinitas intrinsecè pertineat ad essentiam,

non

nó proinde erit ratio per se primo constitutiua. Ad tertium respondeo perfectiones attributales dupliciter posse dici infinitas, scilicet absolutè, & in omni genere, vel singulas in proprio: & priorem modũ infinitatis habere ex identitate cum essentia, & secum inuicem: posteriorem ex se ipsis. Ad impugnationem verò huius respondeo negando consequentiam: nam eodem argumento probari posse essentiam non esse infinitam, quoniam alioquin omnis essentia esset infinita, quæ collectio est inepta, sicut ergò ad hoc respondebitur, quamuis essentia secundùm rationem communem non sit infinita, tamen hanc essentiam, nempe diuinam, ex se ipsa vendicare infinitatem, similiter respondeo, quamuis sapientia, vt abstrahit à creata & increata, non sit infinita, hanc tamen, nempe diuinam, ex sua propria ratione, quatenus sapientia est, habere infinitatem. Ad vltimum respondeo, si formaliter loquendum sit, discursum ex creaturis atque effectibus non terminari ad Deum sub ratione infiniti, sed sub ratione entis, quod habet ex se, atque independenter esse, & ita Diuus Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 6. proponens discursum Platonicorum ex effectibus creatis, illum terminat ad notitiam entis à se, & incommutabilis, quia intellexerunt creaturas non posse esse nisi ab illo, qui verè, & ex se ipso incommutabiliter est. Et in fine cap. ait, *ibi esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent.* Ecce philosophicus discursus ex creaturis terminatus ad Deum non sub ratione infiniti, sed eius, quod est ex se. Et meritò quidem: nam si demus ex creaturis cognosci aliquod infinitum, de quo nondum constet vtrum ex se, an verò ex alio sit, non quiescet intelligens, sed vlterius quæret, vtrum id sit ex se, an ex alio: nec erit finis huius discursus, donec agnoscat illud ex se, & non ex alio esse: contra verò si animus vllo discursu perueniat ad agnitionem vnius entis primi, quod ex se ipso est, quamuis ignoret, an sit infinitum, non manebit vlterius sollicitus: si verò vlterius progredi velit indagando an sit infinitum, tum talis progressus non erit ab effectibus ad causas, sed ab vna ratione formali ipsius primi entis ad aliam.

Augustin.

Ipsum esse simpliciter est ratio per se primo constitutiua essentiæ diuinæ.

CAPVT XIV.

I. INter alias perfectiones diuinas nulla se offert, quæ per se primo sit constitutiua essentiæ præter ipsum esse: quoniam reliquæ præcisè sumptæ non includunt omnia, quæ Deus, quatenus ipse, vendicat essentialiter, vt per se patet: sapientia enim sub ratione sapientiæ non includit iustitiã, misericordiam, omnipotentiam: neque hæ sub proprijs rationibus præcisè conceptæ includunt se mutuo. De solo esse potest dubitari: id verò non constituere essentiam per se primo censent ijdem, qui affirmant de infinitate. Quæ positio suadetur primo, quoniam nihil posterius constituto potest esse ratio per se primo cõstitutiua illius: esse verò est posterius essentia: ergo non est ratio constitutiua. Assumptio ostẽditur, quoniam actus omnis est posterior forma, cuius est actus, verbi gratia, lucere est posterius quàm lux, viuere quàm vita, sapere quàm sapientia. Sed vt ait Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 2. & Anselm. in Monologio cap. 5. ita se habet essentia ad esse, sicut lux ad lucere, viuere ad vitam, sapere ad sapientiam, ergò ipsum esse est posterius essentia. Et confirmatur, quoniam formæ habẽt ad actus rationem causæ formalis: omnis autẽ causa formalis est prior effectu formali. Quod si respondeatur in Deo non esse causam, aut effectum formalem, sed solum nostro concipiendi modo, non satisfit argumento: nam ratio intrinseca non potest accommodatè intelligi tanquã effectus formalis constituti per ipsam, cùm omnis causa formalis sit intrinseca effectui. Secunda ratio per se primo constituens debet esse propria: hoc est non communis, aut solum appropriata, formę enim appropriatæ, quamuis aliquid cõferant ad dignoscendum propriam rationem subiecti, sicut attributum sapientiæ ad cognoscendam proprietatem verbi diuini, non tamen formaliter significãt quod quid est subiecti: nec cõueniunt ei, quatenus ipsum: Ipsum verò esse commune est rebus omnibus, dicitur verò de Deo antonomasticè & appropriatè, quia cõuenit illi per excellentiam in gradu perfectissimo: non ergo poterit esse propria & formalis ratio constitutiua essentię diuinę. Maior propositio est per se nota, quoniam ratio constitutiua

Augustin. Anselm.

determinat, & cõtrahit rationes alias communiores ad esse speciale, & id à quouis alio distinguit: per rationem verò communem, & solum appropriatam non fit contractio ad esse speciale: neque resultat distinctio ab alijs conuenientibus in eadẽ ratione communi: & hac de causa dixit Philosophus lib. 3. metaphys. tex. 10. & 11. ens non debere poni in definitione, quia per illud definitũ à nullo distingueretur. Tertio ratio per se primo constitutiua substãtiæ continere debet vel formaliter, vel radicaliter cætera omnia, quæ per se dicũtur de constituto per talem formam: primum enim, quod alicui conuenit, est ratio cæterorum, quæ per se conueniunt: nam si nullam rationis habitudinem ad illa habeat, non est cur primũ dicatur, ipsum verò esse neutro modo cætera continet: non formaliter, quoniam esse solum dicit actualitatẽ substantiæ, cætera verò alias perfectiones diuinas, quæ non includuntur formaliter in huiusmodi actualitate, non enim infinitas, æternitas, iustitia, aut sapientia sunt de conceptu formali actualitatis diuinæ substantiæ, deinde verò neque continet radicaliter, Deus enim ex eo, quod est actu, nõ est sapiens, bonus, infinitus, æternus, nõ apparet enim quomodo ipsum esse nudè cõsideratum possit esse radix perfectionum infinitarũ, cùm nudè sumptũ in creaturis nullius proprietatis positiuæ realis causa sit. *Aristot.*

II. In Deo propter omnimodam eius actualitatem & simplicitatem, non est aliud constituens & constitutum, neq; aliud ipsum esse, quo est, & quod est: sed est mera & perfecta vnitas. Nõ item est in ipso differentia seu diuersitas, quoniam est simplicissima essentia eadẽ omninò ratione conueniens cum reliquis entibus, eadem ab illis dissentiẽs. Et ita cùm rationem formalem inuestigamus, non quærimus rationem aliquam præcisam in re, qua ens determinetur ad esse Dei, ita vt in ipso sit aliud ratio determinãs, aliud ratio communis determinata. Sed quemadmodum in generibus summis, quæ inter se nõ propriè differunt, sed sunt diuersa, quærimus rationem aliquam formalem, seu modũ essendi, quo sunt id, quod sunt in se, & ab alijs distincta, ita in Deo quærimus quidnam sit id, quo primũ est Deus, & distinguitur à creaturis, à quibus separatur per suam propriam rationem formalem adæquatam. Hæc verò ratio, vt iam superius dixi, debet cõuenire constituto per illam ante omnem aliam particularem rationem, & debet includere omnia, quæ propriè, & in quãtum ipsum conueniunt essentialiter constituto: si enim altera ex his conditionibus desit, non erit adæquatè constitutiua: Quoniam si aliquid per se pertinens ad essentiam cõstituti, inquantum ipsum, non includatur in particulari aliqua ratione, siue id sit prius, siue posterius, illa ratio non est adęquatè constitutiua, posita enim ratione per se primo constitutiua, eo ipso ponitur cõstitutum: quando verò desideratur aliquid ipsi essentiale intrinsecum, non potest poni: ergò ratio constituens debet per se primo conuenire constituto in quantum ipsum, & includere omnia, quæ ita conueniunt.

III. Dico itaque ad quæstionem. Ipsum esse interminatum est ratio per se primo cõstituens naturam diuinam. Hæc est de mente Athanasij orat. contra idola satis post med. *Deus autem,* inquit, *qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit, quapropter & eius ratio ipsum esse est.* Ratio simpliciter dicta sumitur pro ea, qua aliquid constituitur vltimo in propria essentia: & hæc respectu Dei iuxta sententiam Athanasij est ipsum esse, idẽ docet Nicetas in scholijs ad orationem 32. Nazianzeni nu. 53. *Essentia,* inquiens, *Dei ipsum eius esse est:* & Boet. lib. 1. de Trinit. vbi sic habet: *Deus verò hoc ipsum, quod est, Deus est, nec enim aliud est nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus est.* Verba ipsa, *per hoc ipsum,* nõ possunt aliter intelligi, nisi ad modum causæ formalis, quasi dicat Deum esse formaliter Deum per hoc ipsum, quod est. Cùm verò ait, *nec enim aliud est, nisi quod est,* significat quidquid illud sit, quod Deus est, contineri ipso esse, verbi gratia, si dicatur sapiens aut iustus esse, non aliud dicitur, quàm ipsum esse: quod commẽtator ipsius Gilbertus optimè declarat lib. de hebdomad. in commentario ad septimam regulam: ait enim cæteras res non quidquid sunt, esse ipsum, quod sunt: nam homo vel Angelus est iustus, sapiens, potens, verũ secundùm hæc est aliquid, non tamen est ipsum quod est, quasi ipsi, idem sit sapientem esse, quod esse, subdit, *ipse verò,* nempe Deus, *eodem, quo est, aliquid est.* Et [illegible] post hoc ipsum exponens sic [illegible] *est, si quis de eo, quod verè est simplex dicat est, & item dicat est aliquid, nullus intelligere debet, quod secunda oratione prædicauerit de ipso aliquid proprietate aliqua diuersum ab eo, quod prædicauerat in prima.* Itaq; censet per alia nomina de Deo dicta nihil diuersum prædicari ab ipso esse, idque declarat exemplis, *nam si,* inquit, *dicatur pater est, aut filius, & Spiritus sanctus est, & postea dicatur, pater est potens, filius est potens, spiritus est potens, nulla ratione intelligi debet aliud esse, quo est & aliud, quo potẽs est.* accedit Plotinus Ennead. 6. *Athanasius.* *Nicetas.* *Boetius.* *Gilbertus.*

head.6.lib.7.cap.38. vbi ait esse significare ipsum quid est Deus. Ad idem facit communis modus loquendi Patrum, quos retuli cap.8. cùm aiunt, Deo idem est esse, ac magnum, sapientem aut iustum esse: & hoc ipso, quo est, esse magnum, iustum, potentem, quibus satis indicant, ipso *esse* contineri omnes omninò perfectiones Deo proprias & essentiales. Quod eleganter suo more docet Bernard. lib.5. de consideratione cap.6. *Si bonum*, inquit, *si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est est: nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse: si & centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris nihil addidisti, si non dixeris nihil imminuisti.* Ex quibus verbis aperte deducitur assertio proposita. Illud, quod recurrit cum subiecto, & continet omnia, quæ conueniunt illi, quatenus ipsum est ratio per se primo constitutiua ipsius; de essentia Bernardi ita se habet ipsum esse, quoniam si cætera non important aliud ab ipso esse, si addita, vel detracta non addunt, vel imminuunt, profectò ipso esse continentur omnia, eoque posito cætera inuoluuntur: Recurrere autem ipsum esse cum Deo constabit numero sequenti.

IV. Idem verò suadetur ratione, quoniam ipsum esse est primum inter omnia prædicata absoluta & essentialia, quæ conueniunt Deo, quatenus ipsum: & includit reliqua: ergo esse est ratio per se primo constitutiua. Consequentia patet ex conditionibus requisitis ad rationem per se primo constitutiuam suprapositis. Antecedens vnum supponit, & asserit duo: supponit ipsum *esse* recurrere cum Deo: & asserit esse primum, quod inter cætera conuenit: deinde verò omnia illa continere. Quæ tria eodem ordine sunt probanda. Primum ostenditur ex responso Dei ad Moysen eius nomen scire optantem, dixit enim Exod.3. *Ego sum, qui sum*; ex quo sic ostenditur institutum, nomen proprium rei debet cum ipsa recurrere, [illegible]oprium nomen Dei est, *qui est*: ergò ipsum [illegible]um Deo recurrit: quod argumentum indica[illegible] Thom. q. 2. de potētia ar.1. vbi ipsum esse ait esse formam & naturam Dei, [illegible] nomen *qui est*, sumptum est à propria eius forma. Idem colligitur ex Diuo Augustino de fide & symbol. cap.4. agens enim de verbis illis Exodi, *Qui est misit me ad vos, de solo Deo*, inquit, *propriè dici potest hoc verbum*, idem docet lib.5. de Trinitat. cap.2. & lib.2. de moribus Manich. cap.1. Similiter loquuntur alij Patres citati c.4.n.7. qui etiam addunt creaturas Deo comparatas non esse: quod non est intelligendum, quasi nullo modo sint, sunt enim accidentaliter, ac denominatiuè: sed quia *esse* non conuenit illis sicut Deo, nec eiusdem rationis cum eo, quod conuenit Deo. Et confirmatur ratione, quoniam summa, atque vltima actualitas soli Deo conuenit: hæc autem præcipuè consistit in eo, vt ipsum *esse*, non accidentaliter, aut participatiuè ab extrinseco, sed per essentiam illi conueniat: ergò ratio ipsius *esse* per essentiam soli Deo conuenit: ex quo prouenit, vt ipsum *esse* in abstracto de solo Deo prædicetur, quia est forma essentialis naturæ simplicis. Nec verò ex eo, quod res creatæ dicantur esse, idcircò ipsum *esse* desinet reciprocari cum essentia diuina, nam prædicatio denominatiua, & per participationem alicuius formæ, quāuis extendatur ad plura subiecta, non impedit quo minus differentia ipsius essentialis conueniat per se primo, & quatenus ipsa, formæ eidem, verbi gratia, disgregatiuum visus, quod Philosophi vsurpant loco differentiæ candoris, per se primo illi conuenit, quamuis per denominationem prædicetur de subiectis participantibus cādorem, quia scilicet de his denominatiuè & accidentaliter dicitur, candori autē conuenit essentialiter. Quamuis autem similitudo non sit omninò adæquata, quoniam idem omninò est disgregatiuū visus, quod conuenit essentialiter candori; & accidentaliter subiectis, non tamen est idem esse, quod conuenit Deo & creaturis: tamen quod attinet ad institutum, sufficiens est: nam si ex eo, quod idem prædicatum conuenit duobus vniuersaliter, alteri accidentaliter, non tollitur, quo minus, quatenus essentiale est, sit differentia specifica reciproca cum sua specie, multo minus erit impedimento, si conuenit vni essentialiter, sit longè diuersum ab eo, quod conuenit alijs accidentaliter, vt se res habet in Deo.

V. Secundum ostenditur: quoniam constitutio rei coniuncta est cum distinctione ab alijs: & proindè ratio, qua constitutum primò, & essentialiter distinguitur ab alijs, conuenit prius, quàm aliæ, quibus non primò distinguitur: atqui Deus ipso *esse* primum distinguitur à creaturis: ergò hoc ipsi primo conuenit. Assumptio patet inductione, nam per rationem vitæ distinguitur solum à non viuentibus, per rationem spiritus solum à rebus corporeis, per rationem substantiæ à solis accidentibus, per rationem verò actus puri, siue ipsius esse actualis ab omni prorsus ente distinguitur. Si quis respōdet etiam per alias perfectio-

nes, verbi gratia simplicitatem, infinitatem, immensitatem, & similes distingui ab omni ente creato, nec tamen his nostro intelligendi modo cõstitui in ratione essentiæ, non soluit argumẽtum: quoniam perfectiones illæ, & aliæ similes sunt vel negationes, vel modi eius, quod est. Et consequenter supponunt ipsum *esse*, negatio enim nulli enti per se primo conuenit, sed ratione formæ positiuæ repugnantis cum forma negata: modus autem in suo formali conceptu saltem in obliquo includit id, cuius est modus, tanquam fundamentum sui, atque adeò res nunquã primo differt ab alia per modũ sui esse, sed per ipsum *esse*: imò prædicta prędicata, vt non habent admistam imperfectiouem, debent includere ipsum esse, à quo si abstrahunt, non possunt essentiam Dei constituere; quoniam sine *esse* actuali non potest concipi essentia, quæ est suum *esse*. Et ita perfectio omnis diuina supponit esse, tanquam primum.

VI. Tertium denique ostenditur, quoniam ipsum *esse* est omnium actualissimũ, excludens omnem potentialitatẽ, & consequenter includens omnem perfectionem: cæteræ verò, quamuis sint actus puri, & identicè sint omnis perfectio diuina, non tamen secundùm proprias rationes formales virtute distinctas, nam secundùm proprios & præcisos conceptus intelliguntur sub determinata ratione, & consequenter sub determinato esse: si enim concipiatur sapientia, inuoluetur quidem esse, sed determinatum, quo subiectum non dicitur absolutè esse, sed esse sapiens, si dicatur vita, exprimitur quidem aliquid esse, sed ad certam rationem formalem contractum, qua res non dicitur absolutè esse, sed esse viuens: at cùm dicitur *esse*, totum dicitur, totum includitur, nihil omittitur, nam quidquid in particulari dicatur, ipso esse continetur: nam si sapiens, si iustus, si viuẽs, si substantia quis dicatur, his omnibus *esse* dicitur, quandoquidem sapientem ac iustum esse, est aliquid esse, quod includitur in ipso esse. Et confirmatur, quoniam implicat contradictionem dari aliquid præcisum ab ipso esse, imò quæcunq; tandem perfectio sit actuatur, ac complectitur ipso *esse*, forma enim abstracta ab esse non simpliciter, sed inchoatiuè est actus: cùm verò Deus sit actus purus, ratio eius prima & vltima contineri debet ipso *esse*, quod est actualissimum. Ex quo patet *esse* non solum continere omnia, & esse primum inter diuina prædicata, sed etiam vltimum, quia post ipsum nihil omninò Deo conuenit.

VII. Verùm obijciet aliquis rationem formalem essentialem vltimo constitutiuam essentię, non sat esse, si cõtineat omnes perfectiões essentiales per modum cuiusdam vniuersalitatis, quasi partes subiectas: hoc enim modo ratio communis substãtiæ esset ratio constitutiua cuiusuis speciei subiectæ, siquidem omnes gradus eius essentiales sunt substantia: sed requiri, vt contineat per modum totius includentis intrinsecè singulas, qua ratione se habet rationale includens propriam differentiam corporis humani, & animæ rationalis: at ipsum *esse* perfectiones alias ambitu suo coercere per modum vniuersalis, nõ per modum totius integralis: nam, quemadmodum homo est quædam substantia, & leo est quædam substãtia, & sic in cæteris, ita sapere est quoddã esse, & viuere est quoddam *esse*: quare quẽadmodũ, ex eo quod singulæ species substantiales sint quædam substantia, non benè concluditur substantiam continere formaliter perfectiones omnium suarum specierum, ita etiam ex eo, quod esse singularum perfectionum sit quoddam *esse*, non sequitur ipsum *esse*, continere formaliter, atque intrinsecè esse illarum. Secundo magis vniuersalia non sunt perfectiora inferioribus, non vltima constitutione rei, vt per se patet, non magis actualia, quoniam determinantur, & contrahuntur per particulares formas: *esse* verò est magis vniuersale, quam sapientia, aut vita: atq; adeò per eas determinatur ad sapere ac viuere: ergò non est perfectius, nec actualius, quam ipsæ, nec vltimum, quod competit Deo.

VIII. Vt satisfiat his obiectionibus, opus est explicare quid intelligam per *esse* interminatum, vel etiam indeterminatu. Pro quo obseruandum duobus modis dici aliquid indeterminatum, vel ratione vniuersalitatis, vel ratione infinitudinis ac perfectionis: primus modus opponitur determinationi, ac certitudini rei in specie, vel indiuiduo: qua ratione animal secundùm se nõ est determinatum ad certam aliquam differentiam contrahentem, aut speciem subiectam: secundus opponitur termino, ac definitioni, qua ratione numerus infinitus nõ est determinatus ad centenarium, millenarium, aut quamuis aliam speciem numeri: Cùm verò esse diuinum dicitur indeterminatum, non debet intelligi priore modo, vt rectè notat D. Thomas q. 7. de potentia art. 2. ad 5. & 6. quandoquidem est esse certum atq; indiuiduum distinctũ à quouis esse alterius entis: vt enim dicitur In lib. de causis propositione 4. ipsum esse Dei distinguitur, & indiuiduatur à quouis alio esse per hoc ipsum, quod est esse subsistens, S. Thomas.

sistens,& non adueniens alicui naturæ,quę sit aliud ab esse:omne verò aliud esse,quod non est subsistens, oportet,vt indiuiduetur per naturam & substantiam,quæ in tali esse subsistit: superest igitur vt esse diuinum sit indeterminatum posteriore modo, hoc est non finitum, aut limitatum in genere essendi. Et hoc modo dixit Diu. Thom.q.vn. de spirituali creatura, art.1. primum ens habere in se totam essendi plenitudinem,non cõtractam ad aliquam naturam generis,vel speciei, neque esse receptum,hoc enim ipsa receptione contrahitur atque finitur. Esse autem diuinum non est determinatũ ad certum genus,aut modum essendi; sed sicut sapientia Dei in genere sapientiæ est infinita:ideoque vendicat intrinsecè omnem perfectionem sapiẽtiæ,ita vt cõcipi nequeat vlla ratio sapientiæ, quæ excludatur ab intrinseco conceptu sapientiæ diuinæ: similiter esse diuinum est infinitum in suo genere,neque concipi potest ratio aliqua, aut perfectio essendi Deo conueniens, quæ non contineatur intrinsecè ipso esse: atque adeò si esse sapientiæ est esse,continetur in ratione absoluta ipsius esse,si esse vitæ est aliquod esse, eodem continetur,& sic in cæteris: quapropter singula *esse* perfectionum determinatarum,verbi gratia,vitæ,sapientiæ, iustitiæ,non se habent ad totum,ac interminatum esse Dei, tanquam inferiora ad superius, sed tanquam partes virtuales ad totum integrum atque perfectum,si ita loqui licet,quod nostro intelligendi modo coalescit ex *esse* omnium,ac singularum perfectionum diuinarum.

S.Thomas.

IX. Ex his patet solutio ad primum,negandum est enim ipsum esse, habere respectu Dei rationem vniuersalis in prædicando, cùm potius habeat in essendo, nec se habet ad cæteras diuinas perfectiones, sicut ratio substantiæ ad esse hominis, vel leonis, sed sicut ratio hominis ad esse corporis,& animæ. Eadem solutione satisfit secundo, non enim esse est interminatum per modum indeterminatiõis & informitatis:nam cùm sit vltima actualitas, fingi nequit per modum potentiæ determinabilis per actum,imò potiùs est actus determinatiuus potentiæ: & ita cùm particulares formæ adduntur ipsi esse, non putandum est addi tanquam actus determinantes:quandoquidem forma quæuis præcisa ab ipso *esse* non est actu,sed potentia,ideoque coniunctio ipsius cum *esse* est quædam veluti positio potentiæ sub actu, sine quo non esset actu:quapropter ipsa quoq; vita, iustitia,sapientia, & quæuis alia perfectio simpliciter considerata sub præcisione ab ipso esse,est minus actualis, & habet se per modum potentiæ ad illud, vt docet Diu. Thom.q.7. de potentia ar.2.ad nonum,& ita ipsum esse non determinatur per alias perfectiones,tanquam materia per formã, vel potentia per actum,sed tanquam actus per potentiam. Quod est cõforme doctrinæ Aristot.de cuius mente ipsum *esse* est actus essentiæ,vt docet D. Tho.eodem loco: determinari autem suo modo formas per materiam suadet, quoniam in definitionibus formarum ponitur materia loco differentiæ, vt patet in diffinitione animæ traditæ ab Aristot.est actus primus corporis organici,&c. & ita concludit iuxta sententiam Dionysij cap.4. de diuinis nominibus non longè à principio,quãuis viuentia nobiliora sint, quàm existentia,tamen ipsum *esse* nobilius esse,quàm viuere, viuẽtia enim non tantum habẽt vitam,sed cum vita simul habent *esse*. Obijcies responsionem satisfacere argumento,si vita accipiatur pro forma in abstracto, qua res viuit, non verò si quis consideret ipsum viuere, quatenus est actualitas vitæ: quomodo habet se per modum actus perfectioris ipso esse:nam autore D.Augustino, sicut se habet esse ad essentiam,ita viuere ad vitam:& consequenter,si vita est forma perfectior, quam essentia,viuere quoq; erit actus perfectior,quàm esse: & confirmatur,quoniã hæc propositio est vera & essentialis,viuere est esse: quapropter cùm superaddat illi aliquid,necessario erit perfectius, siquidẽ omne inferius,ac minꝰ vniuersale est perfectius magis vniuersali. Non tamen conuincit obiectio, nam ipsum esse nunc accipitur per modum vniuersalis in prædicando, nunc per modum vniuersalis in essendo,vel simpliciter,vt cũ dicitur ipsum esse Dei,vel secundùm quid,vt cùm dicitur esse Socratis aut Platonis,accipitur enim pro tota atque integra actualitate essentiæ, cui tribuitur: quod est longè alienum à ratione vniuersalis,nam animal nõ dicit formaliter totam essentiam hominis: at qui dicit esse Socratis aut Platonis, hoc ipso includit omnem actualitatẽ essendi, qua est Socrates vel Plato,non ita verò si dicat ipsum viuere,aut cuiusuis alterius formæ actualitatem determinatam: propositæ verò obiectiones procedunt secundùm priorẽ sensum,non secundùm posteriorem, in quo loquimur,nam ipsum esse Dei est actus adæquatus totius entitatis diuinæ,non autem viuere quatenus præscindit ab alijs perfectionibus:&ita *esse* dictum absoluta ex propria ratione inuoluit formaliter, & intrin-

S.Thomas.

Aristot.

Magn.Diony.

secè omnem actualitatem Dei, viuere verò solam actualitatem vitæ, sapere solam actualitatem sapientiæ, & sic in cæteris. Et ita ipsum *esse* nec est indeterminatum, hoc est potentiale, nec imperfectum, sed interminatum, hoc est non limitatum, quia est tota essendi plenitudo.

X. Ex ijsdem principijs diluuntur facilè argumenta initio proposita. Ad primum non ineptè ibidem respondetur, nam in solo Deo ipsum *esse* nullo modo distinguitur à subsistente, aut à forma, qua est, imò ipsum esse Dei, est eadem forma subsistés. Ad obiectionem verò ex nostro modo cõcipiendi respondetur, conceptiones nostras non adæquari rebus diuinis, quas concipimus ex creaturis, & quia nulla creatura est suum esse, meritò esse concipitur posterius vt actus eius, quo etiam modo nos concipimus essentiam diuinam quasi formam suppositam ipsi esse: cùm tamen res non ita se habeat, sed ipsum *esse* sit forma subsistés. Responderi etiam potest ipsum esse sumi posse adiectiuè & substantiuè, & sumptum adiectiuè concipi, vt superadueniens formæ, vel vt effectum formalem eius: hic autem modus est communis Deo, & creaturis, nec esse hoc modo sumptum est forma Dei, sed substantiuè sumptum, qua ratione nõ supponit essentiam, vt formam sui, sed est ipsa essentia subsistens. Ad secundũ respondeo, cùm esse dicitur ratio formalis per se primo constitutiua Dei, non sumi communiter aut appropriatè: sed propriè modo explicato: non enim audiendus est *Duran.* Durandus in 1. d. 8. q. 1. asserens ipsum esse non esse simpliciter Deo proprium, quatenus proprium distinguitur à communi, sed solum appropriatum. Cùm verò Philosophus ait ens non debere poni in definitione, loquitur de ente, vt est quid commune & indeterminatum, non autem de ipso *esse* interminato, & maximè actuali. Ad tertium negãda est assumptio. Vt enim patet ex dictis, esse diuinum continet formaliter omnes perfectiones diuinas reales absolutas, negatiuas autem, & relatiuas radicaliter: nam, vt in ipso progressu operis constabit, ex ipsa summa actualitate diuini *esse* cõsequuntur omnes proprietates Dei. Dixi omnes reales absolutas cõtineri formaliter: quoniam cùm omnes sint de essentia, nisi contineantur in ipso *esse*, iam hoc non erit ratio adæquata Dei. An verò saltem nostro intelligendi modo contineantur radicaliter, dicam tractatu sequente.

Perfectiones attributales, prout sunt in re, & essentiam diuinam, & se mutuo vendicant.

Caput XV.

I. HActenus dictum est de ratione adæquata essentiæ diuinæ secundùm se, nunc agendum de attributis, & exquirenda adequata ratio substantialis ipsorum secundùm esse, quod habent in re. Primum verò comparanda sunt attributa cum essentia: deinde inter se: non esse verò essentiam de ratione attributorum, nec attributa omnia de ratione singulorum censent Scotistę referendi tract. 5. cap. 5. quorũ argumenta eo tendunt, vt astruant inter ea distinctionẽ ex natura rei formalẽ. Nũc ea tantũ perstringẽda, quæ faciunt ad institutum. In primis verò non contineri essentiã in attributis essentialiter & intrinsecè, probatur primo, quoniam attributa sunt de ratione formali, & intrinseca essentiæ; ergò hæc non est de ratione illorũ. Patet consequẽtia, quoniam nihil respectu eiusdem potest esse simul prius ac posterius in eodem genere: erit autem, si essentia, quæ intrinsecè vendicat attributa, eodem modo vendicetur ab eis, quoniã omnis ratio formalis intrinseca est saltem secũdùm intellectum prior re, cuius est ratio: atq; adeò, si attributa sunt de ratione essentiæ erũt priora; posteriora verò, si essentia est de ratione intrinseca ipsorum. Hoc argumentum accommodari etiam potest attributis mutuo comparatis; de quibus idem probatur secũdo, quoniã rationes attributales in cõmune sumptę sunt disparatę, vt patet, alioquin in creatis nõ possent esse separatæ: ex propria determinatione ad esse diuinũ nihil habent, cur se mutuo includant: ergò non includũt. Assumptio ostenditur, quoniam solum occurrit perfecta identitas singulorum cum essentia & esse, infinitas & actualitas. Exhinc verò non necessario sequitur mutua inclusio, nõ ex identitate, quoniam inter rationem inferiorem ac superiorem est omnimoda identitas ex natura rei, nec tamen se inuicem includunt essentialiter: non ex infinitate, quoniam hæc est modus rei, & solum modificat id, cui apponitur, nec affert illi nouã rationem formalem: vt patet in luce infinita, & in corpore infinito, si darẽtur, nõ enim propterea lux esset particeps alterius rationis formalis specificę, nec corpus haberet nouam rationem

for-

formale extehonis, nō deniq; ex actualitate, quoniā actualitas essendi, siue esse actuale habet se per modū effectus formalis ad rationem, secundùm quam est: nam esse album est effectus formalis albedinis, viuere effectus formalis vitæ; eodemque modo esse est effectus formalis essentiæ: nullus autem effectus formalis transcendit limites suæ causæ formalis, sed intra eius terminos continetur: ergò ex eo, quod rationi communi iustitiæ, aut sapientiæ accedat actualitas essendi, iustitia, aut sapientia, non includent alias rationes formales, quas in sua abstractione non includebant. Patet consequentia, quoniam accessio actualitatis ad formam solùm est in causa, vt sit actu, cùm secundùm se abstrahat ab actuali existentia. Tertio attributa secundùm se, & à parte rei, habent virtualem distinctionem: ergò non se mutuo includunt. Antecedens admittitur à Caietan. in cap. 6. de ente & essentia qu. 12. & Thomistis communiter: consequentia verò ostenditur, quoniam ea, quæ quomodolibet distinguuntur, non possunt se mutuo includere: nam semper opus est, vt vni conueniat aliqua ratio actualis, vel virtualis, quæ non conueniat alteri: si enim vtrumque eandem omninò rationem adæquatam vendicet, non distinguentur virtute, nec ratione cum fundamento in re, sed solū penes modū concipiēdi, at vbi est mutua inclusio vtriusque, est eadem ratio formalis adæquata solùm differens penes modum concipiendi implicitè, vel explicitè.

Caietan.

II.

Communis tamen sententia reliquorum Theologorum, tam recentium, quam antiquorum, & sanctorum Patrum astruit omnia hæc mutuo contineri. Inprimis Patres varijs loquendi formis hanc veritatem manifestè testantur; ex quibus Augustin. in quæstiuncul. de Trinitate, vbi ad quæstionem, an aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse, respondet non differre, *quia Deus eo ipso, quo est, viuit; & eo, quo viuit, intelligit, eo, quo intelligit, potest, & eo, quo potest, est*, nisi [illegible] vtique non esse differentem, sed eandem rationem formalem, qua est, viuit, intelligit, ac potest: atque adeò, si omnipotentia potest, eadem viuit & intelligit, & cōsequenter in se includit vitam & intellectionem, sine quibus Deus non potest viuere, aut intelligere. Bernard. serm. 80. in cant. post medium. *Nec enim aliundè bonus, quam vndè magnus, nec aliundè iustus, ac sapiens, quam vndè magnus, ac bonus, nec aliunde denique simul hæc omnia, quam vndè Deus, & hæc quoque non nisi se ipso,* Deus est bonus bonitate, magnitudine magnus, sapientia sapiens; ergò si non aliundè bonus, iustus, ac sapiens, quam vndè magnus, profectò magnitudo includit bonitatem, iustitiam, & sapientiam: alioquin Deus non posset ex eodem, quo est magnus, esse bonus, iustus, ac sapiens. Gregor. homil. 17. in Ezechiel. paulò antè medium, *Omnipotens Deus, quia sibimetipsi similis, ea virtute videt, qua audit, omnia ea virtute creat, qua iudicat creata*, non posset ea virtute videre, qua creat, nisi virtus creandi includatur in virtute videndi.

Augustinus.

Bernard.

Gregorius.

III.

Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 1. *Si hæc omnia*, inquit, nempè magnitudo, bonitas, & iustitia, *pluribus vocabulis in eadem sapientia, & virtute intelliguntur, vt ea sit magnitudo, quæ virtus, ea bonitas, quæ sapientia, & ea rursus sapientia, quæ virtus, sicut iam tractauimus, meminerimus, cùm aliquid horum omninò, sic accipiendum esse, ac si omnia commemorem.* Non possunt vno nominato intelligi cætera connumerata, nisi illo vno claudantur: necpotest eadem esse magnitudo, quæ virtus, ac sapientia, nisi eadem sit vtriusque ratio formalis, & sermon. 40. de tempore post medium, *in Deo omne, quod dicitur, id ipsum est*, & infrà, *hoc est in Domino virtus, quod iustitia, quidquid de illo dixeris, hoc idem dicis:* fieri non potest, vt quidquid de Deo dicitur, idem dicatur, quod virtus, ac iustitia, nisi hæ in omni diuino prædicato contineantur, Gilbertus in lib. 1. Boëtij de Trinitate. §. *Sed hæc*, agens de nomine, *Iustus nec aliquid*, ait, *quo ipse*, hoc est Deus *sit, dictio hæc dimittit*, quod similiter intelligendum vult de nominibus aliorum attributorum. Cùm rationes formales secundùm se non importentur de materiali significato, si nomen *iustus*, nihil omittit, quo Deus sit, hoc est nullam rationem formalem, qua dicatur esse bonus, sapiens, & cætera, oportet, vt formaliter illo significentur: id verò solùm conuenit ijs, quæ sunt de ratione intrinseca significati, Anselm. in monologio cap. 16. *Cùm igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omni modo tot illa bona sit, necesse, vt illa omnia non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula, vt cùm dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula*, hæc clariora sunt, quàm, vt commentatione indigeant: si enim vnumquodlibet diuinorum attributorum est, ac significat idem, quod cætera, vel singulatim, vel simul

Augustin.

Gilbertus.

Anselm.

sumpta, necesse est, vt omnium rationes vendicent intrinsece.

IV. Plotinus. Plotin. Enneade 6. lib. 7. cap. 1. *Si fas*, inquit, *non est penes Deum esse aliquid, quod non sit totum, & vniuersum, profecto necessarium est, in vnoquoque eorum, quæ Dei ipsius propria sunt, omnia contineri.* hic Philosophus expressis verbis tradit sententiam Theologorum, & simul indicat argumentum, quo colligere possumus eandem esse communem Patrum sententiam, qui asserunt in Deo omnia esse vnum, ac totum, quod alia, ita Anselm. in prosologio c. 18. *Vita & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum, & vnumquodque horum est totum, quod est, & quod sunt reliqua omnia,* qui etiam expresse fatetur vnumquodque esse totum, quod omnia. Anselm. similem ferè loquendi modum seruat Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 13. agens de latitudine, longitudine, altitudine, ac profunditate. *Hoc singulum*, inquit, *horum in Deo, quod quatuor simul, hæc quatuor ipsa, quod singulum est*; & paulò pòst, *vides tantam esse latitudinem*, scilicet caritatem, *quantam longitudinem*, nempè æternitatem, *vtinam sic videas non tantam esse, sed ipsam id esse vnam, quod alteram, non minùs vnam, quam duas, nec plus duas, quam vnam.* Si idem est vna, quod altera, nihil habet vna, quo careat altera, si non minùs vna, quam duæ, nec sint plus duæ, quam vna, profecto in vna vtriusque ratio formalis debet intrinsece reperiri, alioquin carebit vna eo, quod habet altera: & plus erunt duæ, quam vna. Idem manifeste docent Augustin. lib. de triplici habitaculo cap. 6. & Richard. lib. 2. de Trinitate cap. 18. quatenus dicunt eandem identitatem habere vnum attributum cum alijs omnibus, quam habet cum se ipso, identitas vnius ad se est formalissima, & intrinseca: quare, si aliquid includat vnum attributum, quod non aliud, iam non erit eadem identitas vnius cum alijs, ac cum se ipso.

Bernard. Augustin. Richard.

V. Franc. à Christo. Torres. Molin. Ocham. Alliacens. Gabriel Marsil. Capreol. Hispalens. And. de Nou. Castr.

Eadem est sententia Scholasticorum, in primis essentiam diuinam esse de ratione intrinseca omnium attributorum docet Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. conclusione 3. Torres 1. p. q. 28. arti. 2. d. 2. dub. vlt. Molin. dist. 4. & antea docuerunt veteres scholastici, Ocham. in 1. d. 2. quæst. 2. lit. F. Alliacens. quæst. 6. art. 2. lit. L. conclusione 3. Gabriel. d. 2. quæst. 1. art. 2. & lect. 49. in can. lit. M. Marsil. in 1. quæst. 12. art. 3. conclusione 3. Capreol. dist. 8. quæst. 4. artic. 2. ad 15. contra primam conclusionem, Hispalens. ibidem, Andreas de Nouo Castro dist. 32. quæst. 1. §. *Notandum*, qui omnes dicunt singula, & omnia attributa ita esse eadem essentiæ diuinæ, atque hæc sibi ipsi. Quod verò attributa se inuicem includant docent Frãciscus à Christo, Torres, & Molina citati; & censent illi omnes, qui docent, si attributa definiantur definitione quid rei, omnia debere poni in definitione vniuscuiusque tanquam de ratione eius intrinseca. Ita Durand. in 1. dist. 2. quæst. 2. numero 7. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 3. §. vltim. ad quintum. Adam. in 1. d. 6. q. 1. ad secundum contra 3. conclusionem Hispalens. d. 8. q. 4. art. 4. ad 3. principale Aureoli contra 2. conclusionẽ, Clypeus Thomistar. quæst. 10. super Porphyr. ar. 1. ad 4. Scoti, idem censent Andreas de Nouo Castro, Gabriel vbi proximè, & Soncinas in 1. dist. 8. q. 4. ad 11. & 4. conclusione, dicentes diuina attributa ita esse idem cum alijs, atque cum se ipsis, & in eadem sententia sunt Ocham. & Toletan. infrà citandi.

Franc. à Christo. Torres. Molin. Durand. Heruæus. Adam. Hispalens. Clypeus. Andr. de No. Gabriel Soncin. Ocham. Toletan.

VI. Vt autem ad rationem veniamus in primis probandum est essentiam esse de intrinseca ratione attributorum, cui rei probandæ Torres vbi suprà præmittit hoc fundamentum, quemadmodum se habet ens ad omnes res, ita essentia increata ad omnia diuina, illud includitur essentialiter, & intrinsece in rebus omnibus: ergò & essentia in omnibus perfectionibus diuinis, & confirmatur, quoniam nihil est in Deo, quod non sit formaliter, & intrinsece Deus: cri tautem, si perfectiones attributales non vendicent essentialiter, & intrinsece essentiam. Maior patet, quoniam inter Deum, & creaturam nihil est medium: quare, cùm blasphemum sit admittere aliquid creatum esse in Deo, necessariò sequitur esse formaliter, & intrinsece Deum, quidquid in illo est. Mihi autem hoc argumentum videtur petere principium: nam controuersia est vtrum essentia sit de intrinseca ratione perfectionum diuinarum: & assumitur pro medio, sicut ens se habet ad omnes res, ita essentia diuina ad omnia attributa: quod est [illegible] dubium, & ignotum ac id, de quo est controuersia, seu potius idem, quod illud. Nec confirmatio est efficax: non enim necesse est, vt ex duobus oppositis immediatis alterum necessariò conueniat essentialiter, & intrinsece cuiuis rationi formali subiecti; etenim rationale, & irrationale sunt contraria immediata sub animali, nec tamen ad excludendam rationalitatem à prædicatis essentialibus hominis, opus est, vt, quidquid est in illo,

sit

sit formaliter, & intrinsece rationale, sed sat est, vt sit identice: quo pacto animalitas, & ratio substantiæ in homine non est irrationalis, nec tamen proindè est essentialiter rationalis. Eodem modo, licet aliquis concederet non omnes perfectiones diuinas esse intrinsece, & essentialiter Deum, non propterea sequitur fore essentialiter, aut quouis alio modo creaturas; nam ad remouendam rationem vnius cõtrarij à subiecto, sat est in existentia, seu conuenientia alterius, etiam non essentialis; & quia perfectiones omnes diuinæ ratione omnimodæ identitatis sunt Deus; hoc ipso excluderetur ab eis ratio creaturæ.

VII. Accommodatius aptari potest argumẽtum ad hunc modum. Perfectiones omnes diuinæ habent rationem entis: ergò vel sunt essentialiter ens creatum, vel ens à se, & increatum: non sunt ens creatum: ergò increatum: cumq; hoc recurrat cum essentia diuina, hanc etiam essentialiter includent. Prima consequentia est euidens: nam quidquid essentialiter includit diuisum, continere debet essentialiter alterum ex membris essentialis diuisionis: diuisio verò entis in ens à se, & ab alio, siue in creatum & increatum est essentialis: ergò si quæuis diuina perfectio habet rationem entis, erit essentialiter creatum vel increatum: & consequenter, cùm non sit creatum, erit increatum. Respondebitur tamen non esse verum, quod deinde assumitur, nempè ens increatum recurrere cum essentia diuina: quandoquidem hæc, non includitur essentialiter in diuinis relationibus: & tamen paternitas, & quæuis alia relatio diuina est intrinsece, & essentialiter ens increatum. Hæc tamen responsio non satisfacit: nam omnis ratio essentialis conuenit per se primo alicui, & ratione huius cæteris, quibus conuenit: ratio entis à se est essentialis essentiæ diuinæ, ac relationibus: non vtrisque per se primo: ergò vel his, vel illi, non relationibus, quoniam essentia sumpta in abtractione præcisa ab illis habet [illegible]em perfectionem absolutam, maximè ver[illegible] dependentiam, à quouis alio, & rationem ent[illegible]se: ergò ratio entis à se per se primo essentialiter conuenit essentiæ, & ratione eius relationibus: nihil autem essentialiter conuenit vni mediante alio, nisi ipsum etiam essentialiter competat: ergò essentia est de ratione intrinseca, & essentiali non minus relationum, quam attributorum. Sed adhuc responderi poterit minimè requiri, vt ratio essentialis conueniat per se primo vni solùm: siquidem intellectiuum conuenit essentialiter Deo, Angelo, & homini non subordinate, sed omnibus immediatè, vt per se patet; Non soluitur tamen argumentum: nam aliud est loqui de prædicato essentiali analogo, aliud de vniuoco, vel vno simpliciter: ratio enim analoga non est simpliciter vna, sed multiplex: Et ideò potest etiam per se primo conuenire multis immediatè: ratio verò vna simpliciter per se primo vẽdicat vnum subiectum: Et quidem in vniuocis res est perspicua, semper enim præcedit gradus vnus, cui per se primo conuenit ratio essentialis, & interuentu ipsius reliquis: quod multò magis cerni debet, quãdo ratio essentialis est omninò, vel simpliciter vna: qualis est ratio entis à se: quæ non alij, quam essentiæ diuinæ per se primo competit, & ratione eius cæteris perfectionibus tam absolutis, quam relatiuis.

Quod attinet ad mutuam inclusionem attributorum Torr. idem facilè probat ex eo, quod ea includantur in essentia: hęc autem includitur in omnibus, vt patet ex dictis: ergò omnia in omnibus. Quæ ratio vim suam habet, quamuis non sit negandũ etiam ex alijs fundamentis idem posse colligi. Quidam cum Caietano in ca.6. de ente, & essentia, qu.12. colligunt ex infinitate simpliciter; alij ex omnimoda identitate: sed vtrum hæ rationes valeant, in solutione argumentorum patebit. Mihi ea maximè probatur, quæ sumitur ex ratione actus puri, & entis à se: nam de ratione actus puri, vt dictũ est in præcedẽtib. est summa, ac perfecta actualitas, cum negatione omnis prorsus imperfectionis, limitationis, & potentialitatis: hæc verò stare nequit, nisi rei, quæ est actus purus, insit formaliter, & intrinsece omnis ratio perfectionis possibilis in eodem subiecto; quare, cùm ratio actus puri conueniat per se omnibus perfectonibus diuinis, omnes intrinsece, & essentialiter includunt reliquas. Assumptionem ostendo; nam, si perfectio aliqua secundùm suam rationem intrinsecam non habet summam actualitatem, estque secundùm propriam sibi essentiam limitata, & caret aliqua perfectiõe simpliciter, aut sub ea consideratione, est in potentia ad illam, aut non: si est, hoc ipso definit esse actus purus, cùm admittat potentiam passiuam; si non est, eo ipso quoque non est actus purus, cui nõ repugnat vlla perfectio simpliciter. Ex ratione verò entis à se idem concluditur, quoniam id, quod est à se, & non ex alio, seipso, ac per suã essentiam est formaliter, quidquid est: perfectio omnis diuina est ens à se: & vna est, ac dicitur alia,

VII. Torr.

Caietan.

vt pa-

vt patet ex dictis sanctorum Patrum, hoc ipso cap. & alibi citatis : ergò per suam essentiam cæteras formaliter includit. Maior est euidens, quoniam in ente à se, quod primum se offert, est essentia, qua formaliter est totum, quod est: nam, si partim esset à se, partim ex alio: iam ipsum non esset à se, sed solùm partialis illa perfectio, ratione cuius non est ex alio: atque adeò repugnat, vt aliquid sit à se, & non sit essentialiter totum, quod est, esse verò perfectiones omnes diuinas ens à se constat, quoniam non sunt ex alio, tanquam à causa extrinseca, nec tanquam à ratione formali ex natura rei distincta : ergò se ipsis immediatè, & intrinsecè sunt quidquid sunt.

VIII. Hæc dixi, vt me accommodarem communi sententiæ, & modo loquendi doctorum, cæterum, si propriè loquendum sit, alijs terminis vtendum est. Doctores enim attendentes id, quod est in re, & per singula nomina attributalia significatur, non verò rationem, ex qua significatur, asserunt simpliciter omnia esse de essentia singulorum. Veruntamen aut loquuntur de ijs secundùm distinctionem virtualem, sub qua possunt terminare distinctos conceptus, aut secundùm omnimodam identitatem : si priore modo loquantur, non rectè dicitur vnum includere cætera, vt ostendam tracta. sequent. cap. 8. Si verò posteriore, impropriè admodũ loquuntur, non enim perfectiones eiusmodi secundùm se sumptæ includunt aliorum rationes intrinsecè, vt benè notauit Molina vbi suprà, sed enim in idem inconueniens recidit, quod vitare contendit, admittit enim de ratione cuiusque attributi esse cætera, vel omnia esse rationem, aut essentiam cuiusque reliquorum : nam, cùm plura ad inuicem comparantur, ita, vt quædam sint, aut dicantur ratio aliorum, necessariò inuoluitur distinctio inter ea : attributa verò, quatenus distincta, non sunt mutuo alia de ratione aliorum, omnis enim distinctio, sicut excludit mutuam inclusionem, ita respuit mutuam rationem essentialem vnius de alio : siquidem distinctio aliquid exigit in vno distinctorum, quod non sit in alio : nam, si omnia ex æquo sunt in vtroq;, mera identitas est, non distinctio, vbi verò nihil omninò est de ratione vnius, quod non sit etiam de ratione alterius, non est vndè sumatur distinctio : quapropter non propriè dicitur attributa se inuicem includere, aut esse mutuo alia de ratione aliorum, vt ctè docent Ochamus in 1. dist. 2. quæst. 1. ad secundam rationem, & Toletan. dist. 8. quæst. vn. artic. 4. ad secundum Scoti contra secundam conclusionem, & ideò magis mihi probatur modus loquendi ipsorum, qui aiunt, si attributa definiantur, prout sunt à parte rei, omnia habitura vnam, eandemque definitionem, quia scilicet viatores, dum non habent nomen quo perfectam illam Dei essentiam expresse significent, illam varijs nominibus vtcunque designant, intendentes tamen rem ipsam in se designare : cumque res varijs his nominibus & conceptibus respondens in se ipsa sit simplicissima, & vna adæquata ratione contineat perfectiones omnes, quæ sunt sparsæ per creaturas, quocunque nomine significatur, est id, quod in se claudit omnes eiusmodi perfectiones: non quatenus præcisè hoc, aut illo nomine significatur, vel huic, aut illi perfectioni creatæ respondet, hoc enim modo, & distinguitur, & præscindit ab alijs perfectionibus, sed quatenus re ipsa est plenitudo omnis perfectionis, quæ non solùm hoc aut illo, sed omnibus nominibus significatur; ita, vt verùm sit dicere, id quod à parte rei respondet in Deo significationi huius nominis, *iustitia*, respondet etiam significationi cæterorum nominum attributalium ; & hoc solùm intendunt doctores dum aiunt perfectiones diuinas secundùm se sumptas omnes, ac singulas includere cæteras, vel esse de ratione ipsarum, non verò quasi sub conceptu præcisiuo id vendicent, quanquam & hoc ipsum quidam recentiores velint, quorum sententiam tractat. seq. cap. 8. in examen adducam.

Ochamus. Toletan.

Molin.

IX. Nec verò Patrum dicta superiùs relata huic interpretationi aduersantur : nam, quamuis interdum faueant communi modo loquendi, si tamen rectè perpendantur, ad hunc adaptari rectè possunt : Nam quod ait Augustinus Deum eo ipso [illegible] quo est viuere, & eo ipso, qu[illegible] intelligere, & eo, quo [illegible]ligit, posse, & eo, quo potest, esse, nihil aliud probat, quam non esse in Deo plures rationes, à quarum alia habeat viuere, ab alia intelligere, ab alia posse, ab alia esse : Sed vnam, & eandem, à qua habeat hæc omnia simul : quemadmodum si quis diceret intellectum eo, quo apprehendit, iudicare : & eo, quo iudicat, discurrere : & eo, quo discurrit, apprehendere, ac iudicare, non significaret potentiam apprehendendi reduplicatiuè sum-

ptam

ptam secundùm hanc precisè rationem includere formaliter potentiam iudicandi, aut discurrendi, sed esse vnam, eandemque potentiam, cui secundùm se sint rationes illę intrinsecæ. Eundem sensum habent verba Bernardi, indicant enim non ex alia forma habere Deum, vt sit iustus: & ex alia, vt sit sapiens, &cæt. nempè quia omnia hæc habet ab vna forma, à qua habet, vt sit Deus, quæ non est alia, quam ipsemet Deus. Cætera ad eundem ferè modum exponi possunt. Quod si aliquid non ita facilè hanc expositionem admittunt, danda est venia imbecillitati nostri intellectus, qui de diuinis intelligit, ac loquitur ad eum modũ quo creata percipit, ac significat: & ideò Patres dum volunt explicare amplitudinem, & eminentiam eius, quod singulis illis nominibus inadęquatè significatur, dicunt omnia contineri, aut significari vno.

X. Torr. Primùm argumentum difficile fatetur Torr. vbi suprà, & recurrit ad eminentiam intelligibilitatis diuinæ, quæ superat vim nostri intellectus: ideoque nihil mirum, si hoc singulare sit in Deo, quod non reperitur in creaturis: nempè, vt plures perfectiones se mutuo essentialiter, & intrinsece includant. Deindè verò respondet negando id esse inconueniens, idq; ostendit adductis instantijs, inprimis diuinarum personarum, quæ in se mutuo sunt, & passionum entis: nam verum, inquit, bonum, vnum se inuicem formaliter includũt, quod in opusc. ul. q. 15. se probasse dicit. Idq; præterea declarat facta quadam hypothesi: nimirum, si animal esset infinitæ perfectionis, perfectio hominis & equi se inuicem includerent: nam homo includit animal, hoc verò si esset infinitæ perfectionis simpliciter, includeret intrinsecus perfectionẽ equi, & consequenter homo eandem includere eodemque modo ostenditur equum factailla hypothesi debere intrinsecus includere perfectionem hominis: & hoc modo, inquit, ideæ diuinæ, quæ sunt creaturarum perfectio[illegible] se inuicem includunt, quia quælibet inclu[illegible]entiam diuinam: itaque in Deo eminenter [illegible]s continet, intrinsece eminenter hominem mediatè ratione diuinæ essentiæ, quam essentialiter vendicat. Et hoc ipsum conatur ostendere exemplis petitis à rebus creatis, quoniam de sententia quorundam Philosophorum, actio & passio se mutuo includunt, siquidem vt ait Philosophus 3. Physic. tex. 28. & seq. actio & passio sunt motus, qui suscipitur in mobili, qui est actio inquantum à mouente dimanat, passio quatenus recipitur in passo, ipse verò motus sicut essentialiter est ens, & accidens, ita essentialiter est actio; & passio respectu diuersorum; Ex quo planè sequitur motum essentialiter includere actionem & passionem, & mutuo ab illis includi: ac proindè non esse absurdum, quod aliqua se mutuo, & essentialiter includant.

Aristot.

Nihil tamen horum satisfacit argumento. Et inprimis instantia de motu, actione, ac passione nullam habet probabilitatem: quomodo enim fieri potest, vt motus includat essentialiter rationes oppositas, ac primo diuersas, quales sunt rationes generum summorum, sed eius impugnationem Philosophis relinquo: siquidem nec ipsi Torrensi placet, ideoque in fine fetetur eam doctrinam sibi non arridere, ac sine illa satisfactum esse argumento, falsò tamen id asserit: nam inprimis, vt à prima solutione exordiar, quando in assertione, quam alioquin defendere non cogimur ex principijs fidei, ex vi rationis naturalis sese offert contradictio; non est recurrendum ad incomprehensibilitatem rerum diuinarum, hoc enim pacto facilè eludentur omnia argumenta, nec erit vllus locus Theologicè disputandi. Deindè mutua inexistentiæ diuinarum personarum in alijs, non tollit difficultatem argumenti, non enim se intrinsece, & essentialiter includunt, sed ratione eiusdem naturæ singularis, quam communicant, dicuntur per circuminsessionem esse aliæ in alijs, quod totum reducitur ad communicabilitatem naturæ diuinæ, quæ necessaria omninò est, & absque vllo absurdo, aut contradictione. At mutua inclusio essentialis necessariò importat ordinem prioris, ac posterioris vnius ad aliud in eodem genere, qui est omninò impossibilis: quomodo verò ipse probet vnum, verum, & bonum se mutuo includere, non est huius loci disquirere, illud certum est apud omnes, quamuis de ratione entis sit controuersia, quam alij volunt in omnibus transcendentibus formaliter includi, alij verò negant solumque volunt dici de connotato, illud inquam certum est, vnum, verum, & bonum, quo ad rationes, quas singula supperaddunt enti, non se mutuo includere: quod necessarium erat ad mutuam inclusionem: nam inclusio partialis quoad aliquid secundùm rem communem, multis non est impossibilis, sed solùm totalis, qua quidquid formaliter est in vno, reperitur in altero, & vice versa: tunc enim, vt iam dixi, non duo, sed vnum omninò est. Iam verò suppositio illa impossibilis se seipsam destruit:

XI.

truit: nam si animal esset infinitæ perfectionis simpliciter, non esset animal, sed Deus: quod si solùm vult, vt esset infinitæ perfectionis in genere animalis, ita vt intrinsece vendicaret omnem perfectionem animalitatis possibilem, iam homo, & equus nó essent species animalis, repugnat enim genus includere intrinsece perfectionem speciei, atque adeò facta ea suppositione esset tantum quoddam animal singulare coalitum ex omnibus perfectionibus possibilibus sub ratione animalis, & quemadmodum nunc constitutum aliquod ex pluribus rationibus vendicat quidem illas intrinsece, ipsæ verò nequaquam se mutuo vendicant, sed realiter propter identitatẽ in toto, ita facta illa hypothesi animal quidem includeret perfectionem equi, & hominis, homo verò nequaquam includeret rationem equi, aut vice versa, & ita similitudo sumpta ex hypothesi illa non est ad rem, neque illa etiam, quæ sumitur ex ideis diuinis: nam ideæ sunt plures, ac distinctæ: & quatenus distinctæ, non se mutuo includunt, quamuis enim essentia adequate sumpta sit idea rerum omnium, tamen quatenus subit rationem plurium idearum, admittit virtualem distinctionem: nec sub ea ratione, sub qua est imitabilis ab equo, est exemplar hominis, aut vice versa: illa quidem in se est vna omnium rerum idea perfectissima includens singulas rationes ideales, verum sub hac amplitudine non continetur in singulis, & consequenter nec singulæ in alijs.

XII. Itaque omissis his, & alijs solutionibus supponentibus mutuam inclusionem facilè diluitur argumentum, ex tradita explicatione communis doctrinæ, dicendo in perfectionibus diuinis secũdùm rem sumptis, non esse distinctionem, & consequenter nec mutuam inclusionem, sed vnicam rationem essentialem significatam inadæquatè nominibus singulorum attributorum: quæ quidẽ in se est omnis perfectio, non tamen prout hoc, vel illo nomine significatur: & ita secundùm se sumpta abstrahendo ab hoc, vel illo nomine includit perfectiones omnes, quas nos distinctis conceptibus percipimus, ac significamus, & quoniam ratio illa adæquata concipitur, vt essentia, ac natura Dei, idcircò essentia non ineptè dici potest includere alias perfectiones, hæ verò quia iam concipiuntur, vt distinctæ, & præcisæ ab inuicem, & secundùm quid ab essentia, & veluti proprietates ipsius, eam non propriè dicuntur includere.

XIII. Ad secundum argumentum neganda est maior propositio: nam, quia secundùm cõmunem rationem disparata sunt, semper talia sunt, nec possunt in vnam rationem formalem conuenire, vt re ipsa cõueniunt rationes attributales in Deo: ex eo vero, quod in creaturis disparatæ sint, nõ sequitur secundùm rationem communem analogicam tales esse; sed sat est, si nec sint disparatæ, nec necessariò vendicent identitatem, aut vnitatem, ita vt in inferioribus ꝓ ipsorum diuersitate modo sint disparatæ, modo non: Quia tamen hæc indifferentia sufficit, vt ex parte inferiorum necessariò sit assignanda ratio, cur in his sint disparatæ, in illis verò nõ, neganda est assumptio. Ad cuius impugnationem dicendum omnes rationes ibi assignatas habere vim, non quidem ad arguendam propriam inclusionem attributorum adinuicem, quatenus distincta sunt, aut concipiuntur, sed in vna illa ratione formali adæquata, & in re illa simplicissima, quæ à parte rei respõdet singulis nominibus, & conceptibus attributalibus. Inprimis enim ad id sufficit omnimoda identitas ex vtraq; parte: nam, quorum re ipsa est maxima identitas, ac vnitas, est etiam vna simplex ratio adæquatè continens omnem perfectionem sibi debitam, quæ respondet nominibus singularum rationum inadæquatarum, & quia ipsa secundùm se claudit omnes, abusiue quoque dici potest singulas claudi in omnibus, quia saltem inadæquatè significant id, quo continentur omnes. Nec exemplum rationis inferioris, ac superioris, conuincit: nam eiusmodi nomina significant intellectum, non secundùm quod est omninò idem in re secundùm vtramque rationem, sed secundùm quod sub earũ conceptibus à se ipso distinguitur, & ideò ratio superior non dicitur includere inferiorẽ, ac vice versa: sin autem vtrumque nomen supponat pro intellectu secundùm se, cùm is vtramq; rationem formaliter includat, iam verè dici poterit eas se mutuo includere, quia tamen non ita sumitur, sed prout præcisè stat sub [illegible] rationibus, non debet admitti [illegible]em quoque ex infinitate colligit Caietan. & Molin. vbi suprà. Ad impug[illegible]tionem verò respondet Caietan. infinitatem in certò genere non traducere subiectum ad aliam rationem formalẽ, vt rectè concludit argumentum, infinitatẽ verò simpliciter maximè, quoniam non continetur vllis terminis essentiæ: at verò singulas perfectiones diuinas reipsa, secundùm quem modum de ijs loquimur, propter identitatem cum essentia diuina esse simpliciter infinitas: atque adeò secundùm

Caietan. Molin.

se non

se non abesse vllam perfectionem alicuius à reliquis. Quæ responsio bona est accepta ad sensum iam explicatum, non verò quasi singula attributa secundùm suas rationes formales præcisas sint formaliter infinitæ simpliciter in omni genere, aut includant reliqua. Denique ex pura actualitate idem rectè colligitur, vt patet ex dictis. Ad argumentum, quo id impugnatur, respondeo aliud esse loqui de solo esse existentię, prout abstrahit à ratione actus puri, aliud de esse actuali puro, & essentiali: nam illud nihil inuehit præter actualitatem formæ, cuius est, vt probat argumentum, hoc autem inuehit omnem formam, quæ sit perfectio simpliciter, sine qua non constat ratio actus puri: perfectiones verò diuinæ omnes secundùm proprium esse reale, quod habent in re, sunt actus purus: atque adeò sunt omnis perfectiò simpliciter, & re ipsa omnes sunt vnica, & adæquata perfectio simpliciter infinita.

XIV. Ad tertium neganda est consequentia, quoniam virtualis distinctio non tollit omnimodam identitatem mutuam, quæ est in re, imò ex ea sequitur conceptibus singulorum virtute distinctorum respondere obiectum, quod re ipsa singula includit. Ad probationem consequentiæ dicendum est rectè probari, si plures rationes formales eiusdem obiecti virtute distinctæ comparentur inter se, quatenus distinctæ sunt, non se mutuo includere, quod admitto: non tamen conuincit singulas spectatas secundùm esse, quod habent in re, secundùm omnimodam identitatem, & vnitatem cũ alijs, non habere omnimodam perfectionem rationis adæquatæ totius virtualis, quod in re respondet conceptibus, ac nominibus singularum, quamuis si præcisè sumatur sub ratione obiectiua singularum, quia iam sumitur vt virtute distinctum, cæteras minimè includat.

TRACTATVS SECVNDVS DE ESSENTIA DIVINA, ET ATTRIBVTIS prout à nobis concipiuntur.

Tametsi diuinitas sit summa, ac perfecta vnitas continens omnem perfectionẽ simpliciter vnica simplici ratione formali adæquata, tamen propter imbecillitatem intellectus nostri illam, sicuti est, nõ possumus apprehendere, sed distinctis rationibus, modo vt essentiam, modo vt essentię proprietatẽ cõcipimus: ideò oportet indagare rationes obiectiuas eius vt cõcipitur à nobis per modum essentiæ, & proprietatis. Simulque videre quæ sit ratio attributi, itemq; dignoscere habitudinem attributorum ad essentiam, & ordinem inter se: vt deindè incipiã de singulis seorsim agere.

Ratio formalis obiectiua essentię diuinæ prout à nobis concipitur, includit existentiam.

CAPVT I.

Essentiam diuinã mortales concipimus ex habitudine ad nostram, & quoniam hæc præscindit ab omnibus suis perfectionibus accidẽtalibus diuinam, intelligimus etiam sub præcisione ab ijs attributis, quæ nominamus per modum accidentium adiacẽtium Deitati, & adiectiuè accepta Deo tribuimus: vt cum Deum vocamus sapientem, iustum, omnipotentem, concipimus enim sapientiam iustitiam, & omnipotentiam, tanquam perfectiones superadditas essentiæ. Ex quo colligitur essentiam diuinam, vt à nobis concipitur, includere perfectiones quasdam substãtiales, quas etiam in substãtijs creatis agnoscimus, nempè rationẽ entis, substantiæ, viuẽtis, intellectualis: non includere verò cæteras, quæ apud nos habent rationem accidentis. Verùm de hoc, quoniam non est ita certum apud omnes, agam capitibus sequentibus. I.

Nunc in dubium vocatur, an essentia quatenus ita à nobis concipitur, includat ipsum esse actuale nec ne? Nam quamuis re ipsa illud includat, non est impedimentum quo minùs concipi possit cum præcisione ab illo: quemadmodum, licet includat perfectiones attributales, concipitur à nobis II.

cum præcisione ab illis. Hanc sententiam sequitur Heruæus in 1.d.3.quæst.2.dum agit contra primam opinionem, Ferrarienſ. lib.1. cont.gent.c.12. §. *Sciendũ etiam*, & indicat D.Tho.in 1.dist.19.q.2.ar.1. ad primum, vbi ait essentiam diuinam secundùm intellectum esse priorem suo esse: nihil autem est prius secundum intellectum ratione formali, quam intrinsece includit: nam quod est prius secundùm intellectum, concipi potest abstractum à posteriore, nihil autem præscindi potest per intellectum à propria ratione formali intrinseca & clarius art.2. in fine corporis ait esse diuinum quamuis nõ re, ratione tamen differre à diuina quidditate, quẽ sequitur Ægid. eadem d.2.p.q.2.ar.2. Probatur verò primo, quoniam quidquid concipi potest per modum habitus quiescentis ab operatione, & iterum per modum operationis, & esse fluentis, concipi potest etiã per modum essentiæ & esse, at verò entitas diuina concipitur per modum habitus & quietis, vt cum dicitur Deus, item per modum operationis & actus, vt cum dicitur, Deus actualissimus est: ergò essentia, & esse in Deo differunt ratione. Posse verò concipi per modum essentię non concepto actu probatur, quoniam vt ait Cõmen. lib.5. Physic. com. 9. nomina significant per modum habitus, Deus autẽ significatur nominaliter, & consequenter cum apprehenditur eo cõceptu, quem per nomen exprimimus, non concipitur per modum actus, siue operationis, & confirmatur, quoniã etsi à parte rei summæ perfectioni repugnet modus habitus, & otij, quatenus actui contraponitur, non tamen repugnat vt res, quæ est secundùm se perfecta, & idem prorsus cum actu, concipiatur cum abstractione ab actu: hæc enim imperfectio non redundat in rem ipsam, sed in conceptionem nostram, quæ non adæquatur obiecto secundùm eius omnimodam perfectionem. Secundo essentiam diuinam concipimus ad modum, quo intelligimus creatas: has autem concipimus cum præcisione ab esse actuali: ergò & diuinam. Tertio essentia est perfectio simpliciter distincta ab ipso esse, ac prior illo: ergò hoc nostro modo intelligendi non potest esse de ratione formali constitutiua illius. Patet consequentia, quoniam ratio formalis cõstitutiua essentiæ est illi intrinseca: nihil autem posterius potest esse intrinsecum priori. Antecedens quoad primum partẽ ostenditur: nam in rebus creatis essentia est perfectio distincta ab ipso esse: perfectio verò diuina, quatenus respondet distinctis perfectionibus creatis, est multiplex ratione secundùm distinctionem virtualem: ergò quatenus respondet essentijs creatis, distinguitur ratione à se, quatenus respondet esse creato: quoad posteriorem patet, quoniam essentia cõcipitur vt causa formalis ipsius esse, vt enim ait Anselm. in monolog. cap. 5. vt se habet lucere ad lucem, ita esse ad essentiam: concipitur item vt fundamentum actus.

Heruæus. Ferrarienſ. *S. Thom.* *Ægid.* *Anerroes.* *Anſelm.*

III. Quicunque concipiunt essentiam alicuius, conantur, ac putant se concipere id, sine quo subiectum illius essentiæ non potest distingui essentialiter à reliquis omnibus, loquimur enim de conceptu essentiæ, quæ est ratio formalis adæquata constituti per essentiam, & ideò quãtumuis aliquis concipiat nonnulla prædicata essentialia hominis, non dicitur habere conceptum essentiæ, quamdiu non attingit rationalitatem, qua est differentia specifica ipsius separans illum essentialiter à reliquis omnibus. Cum verò essentiam accipimus nostro intelligendi modo, iam non consideramus omnes perfectiones, quæ suaptè natura sunt illi intrinsecæ, sed quæ sunt per modum substantiæ. Et quidem ipsum esse comparatum substantijs creatis non est intrinsecũ essentiæ: imò ex modo significandi concipitur vt quid extrinsecum, importatur enim tãquam actus essentiæ, sicut lucere est actus lucis: nullus verò actus pertinet intrinsece ad formam, cuius est actus, imò vice versa illa pertinet intrinsece ad actũ: sicut se habet candor ad candicare, lux ad lucere: tamen si mens nostra volens distinguere Deum à creaturis nõ reperit aliquod prædicatum substantiale præter ipsum esse, profectò illud etiam nostro modo intelligendi pertinet ad essentiam diuinam, ptout à nobis concipitur, si verò sit aliud, cuius ratione possit à nobis concipi ratio substantialis recurrens cum Deo, iam essentia diuina potest abstrahi à nobis ab ipso esse actuali.

IV. Hoc posito dico, essentia diuina, etiam quatenus à nobis concipitur, vendicat essentialiter, & in[illegible] ipsum esse actuale. Ita sentiũt Henric. in summa ar.21. quæst. 4. & ar.26. q.1. Richard. in 1.d.23.ar.1.q.3. ad 1. & Bassolis dist.8.q.1. in fine, Aureol. qu.etiam 1.artic.4. & est de mente Doctorum, quos retuli lib. 1. tracta. vltimo, cap. 3. numer.7. asserentium hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam nobis: quia in conceptu nominis, *Deus*, includitur ipsa existentia. Suadetur autem primo quoniam de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, vt à nobis concipitur, est illud, quo primum intelligitur à nobis distingui essentialiter

Henric. Richard. Bassol. Aureol.

tialiter à quouis ente creato: nam per formam minimè essentialem nihil intelligi potest essentialiter distingui: sed hoc præstat ipsum esse: ergò est essentiale. Assumptionem ostendo, quoniam prima diuisio entis in creatum & increatum tota cõsistit in differentia ipsius esse secundùm actum, aut potentiam: nam imperfectiones aliæ, quę competũt enti creato: nempè quod sit ens ab alio contingens, ac dependens, omnes reducuntur ad hanc radicem, nimirum quia est ens potentiale, & per participationem: contra verò perfectiones oppositæ, quæ Deo competunt, scilicet quod sit ens à se, necessarium & independens, reducuntur ad hoc principium, quia est ens actuale per essentiam, etenim nostro intelligendi modo perfectiones illæ habent rationem à priore: non est alia, quam ipsum esse per essentiam, ex quo cætera necessariò consequuntur: nam si ipsum esse competit essentialiter, non habetur ex causa extrinseca, nec cum indifferentia ad non esse: si verò ipsum esse præscindatur ab essentia: intelligi nequit quo modo in ipsa, vel ex ipsa pullulet: siquidem, quod nondum intelligitur esse, non potest concipi vt radix ipsius esse, atque adeò, vt cum ipso copuletur, indigebit alio principio præexistente, quod repugnat rationi primi entis à se.

V. Secundo omnis essentia entis determinati, ac certi consistit in ratione peculiari, ac determinata, quæ per se primo illi conueniat, eamque separet à reliquis, cùm quibus secundùm aliquid conuenit: non verò in conceptu confuso, ac indeterminato: ergò essentia diuina, cùm sit maximè determinata, vtpotè singularis, debet etiam consistere per se primo in ratione aliqua certa, ac determinata, & sub ea à nobis concipi: nam sicut essentias alias tum maximè putamus nos apprehendere cum specificas differentias earum attingimus, ita cum nostro modo intelligendi concipimus, & nominamus essentiam [illegible], debemus ipsam apprehendere sub illa [illegible]ne formali, quæ nostro intelligendi modo illam per se primo separat à rebus creatis. Hæc verò non est alia, quàm actualitas ipsius esse: ergò hæc nostro modo intelligendi clauditur intrinsece in conceptu, & significato nominis, *essentia diuina*, communiter vsurpato: totus discursus est euidens, sola assumptio vltima indiget probatione. Ostenditur verò, quoniam inter ea, quæ Deo tribuimus, quædam sunt ipsi propria, quædam cum alijs communia: hæc non possunt per se primo constituere essentiam distinctam ab alijs rebus, vt per se patet, quoniam ratio communis non potest esse principium diuersitatis. Inter propria verò primum locum habet actualitas ipsius esse: ergò sine hac à nullo prorsus intellectu concipi potest ratio essentiæ diuinæ. Assumptio ostenditur quoniam ipsum esse etiam nostro modo intelligendi non habet vllam rationem à priore, per quam de Deo demonstretur, haberet autem si nostro modo intelligendi relinqueretur extra terminos essentiæ tanquam proprietas, aut perfectio illi necessariò connexa, per essentiam enim solemus demonstrare de subiecto perfectiones cum eo necessariò connexas. Iam verò ipsum esse non habere rationem à priore constat ex principio perstricto in primo argumento: siquidem nihil non existens potest esse ratio ipsius esse: reliqua verò omnia præciso esse non existunt: ergò nulla perfectio concepta sub abstractione præcisionis ab esse potest esse causa, vel ratio actualitatis essendi: sicut autem non est vlla ratio Deo propria nostro modo intelligendi prior ipso esse, ita hoc cæteris perfectionibus est prius secundùm intellectum: nam illæ concipiuntur per modum proprietatum aduenientium essentiæ; esse verò vt actualitas ipsius: actualitas verò cuiusuis rei semper est prior ijs, quæ aduenium rei in suo esse constitutæ. Denique id nostro modo intelligẽdi clauditur in essentia, quod necessariò adhibetur à nobis ad explicãdam rationem, quam habemus talis essentiæ, si quis autem velit describere essentiam diuinam iuxta rationem eius, quam animo effingit, necessariò debet adducere ipsum esse actuale.

VI. Ad autoritatem Diui Thomæ respondeo ipsum accepisse essentiam prout præcisè æquipollet creatis, quo modo non includit ipsum esse, nec est ratio quidditatiua adæquata Dei, vt substantia est, sed inadæquatè concepta, & eundem sensum habuerunt doctores alij, vt videre est apud Ferrariensem. Ad primum argumentum respondeo actum significari posse per modum habitus quiescentis, & per modum operationis absque distinctione virtuali, aut diuersa conceptibilitate obiectiua: nam vt colligitur ex commentatore citato, verba, cum loco nominum vsurpãtur significant per modum habitus, & nihilominus idem met actus significatur per verbum, siue significatur per modum verbi, siue per modum nominis, idem enim actus videndi significatur cum dicitur, *Videre est opera vita-*

lis, & cum dicitur, *homo videt:* & priore modo significatur visio vt habitus per modũ nominis : posteriore vt actus per modum verbi. Eodem modo licet essentia diuina significetur per modum habitus , & esse per modum actus, non est distinctio in significato, sed solùm penes modum significandi, vel concipiendi: quæ est distinctio pura rationis non requirens virtualem ex parte obiecti, qua ratione, si comparetur sapientia cum sapere diuino, & amor cum amore, non est distinctio virtualis ex parte obiecti, quia in Deo ratio obiectiua sapientiæ , vel amoris non est nisi actualis, eodem modo se res habet in ipso esse, ac essentia. Ad confirmationem respondeo non repugnare quidem vt res in se perfecta concipiatur à nobis imperfectè ob defectum intellectus nostri. Neque ob hanc causam nego posse concipi essentiam diuinam cum præcisione ab actu essendi: sed quia nihil concipi potest cum præcisione ab ijs, quæ intrinsece vendicat: essentia verò diuina debet esse perfecta in genere essentię sub proprio conceptu, quo distinguitur à creatis: hic verò necessariò vendicat ipsum esse, sine quo dissoluitur ratio essentię infinitę in genere essentiæ. Ad secundùm respondetur maiorem non esse veram quoad omnia , sed solùm quoad præcisionem ab ijs perfectionibus , quæ differunt prædicamento à substantia, sicut enim substantia creata est fundamentum ipsarum sine illis completa in ratione substantiæ , ita naturam diuinam concipimus sub ratione essentiæ substantialis, tanquam radicem perfectionum attributalium cum præcisione ab eijsdem. In ipso verò esse est diuersa ratio , licet enim esse actuale non sit de ratione intrinseca creaturæ, est tamen aptitudinale: nam si ratio completa cuiusuis creaturæ resoluatur in omnes rationes partiales , tandem explicari debet per ipsum esse , saltem aptitudinale: hoc autem repugnat Deo , & idcircò in cõceptu eius substantiali necessariò includi debet esse actuale, & si definiatur sub ea ratione, qua p se primo differt à creatura, necessariò adhiberi debet ratio ipsius esse.

VII. Ad tertium respondetur essentiam posse concipi sub ratione communi, & indeterminata: aut sub ratione propria , ac determinata, qua est hæc singularis essentia, siue natura diuina: si priore modo concipiatur , concedi potest antecedens, sed ex illo minimè infertur consequens: nam hoc etiam modo differunt ratio entitatis, ac ratio sapientiæ diuinæ: est enim ratio entitatis ratio communis comparata cum sapientia, nec tamen propterea ratio entitatis est extrinseca rationi sapientiæ: si verò antecedens posteriore modo accipiatur, negandum est: nam ratio essentiæ diuinæ determinata, & singularis non est fundamentum ipsius esse , aut prior illo quemadmodum ratio huius certæ, & indiuiduæ entitatis non est prior ratione sapientiæ, quia non est hæc, nisi per propriam rationem formalem sapientiæ , & quemadmodum licet in sapientia diuina concipiamus rationem entitatis, & sapientiæ , non propterea sapientia constituitur in ratione sapientiæ per rationem entitatis: quoniam ad id opus erat vt concideretur sub determinata ratione huius entitatis , quæ necessariò inuolueret ipsam sapientiam: similiter quamuis in Deo concipiatur essentia vt ratione distincta ab esse, non tamen concipi potest vt hæc essentia absque ipso esse : etenim hæc essentia non intelligitur integre, & perfectè constituta per communem, & indeterminatam rationem essentiæ , sed per rationem aliquam singularem atque indiuiduam, qua per se primo differat ab essentia creata: hæc verò non est aliud, quam esse actu, ita vt essentia creata sit potentialis, increata verò actualis: actualitas autem necessariò inuoluit ipsum esse. Ad confirmationem verò antecedentis respondeo non quamuis distinctionem realem perfectionum in creaturis arguere distinctionem virtualem in diuinis quasi duarum perfectionum in sua ratione completarum : enimuerò in creaturis esse, viuere, ac intelligere , quatenus significant gradus substantiales entium disparatorum, sunt tres perfectiones realiter distinctæ : & tamen in Deo omnes coadunantur in vnam rationem essendi substantialiter, nec in eo est assignabilis vlla perfectio determinata in genere substantiæ, quæ tria illa formaliter non includat: similiter quamuis essentia diuina vnica sua petfectione æquipolleat rerum creatarum essentijs & exijstentijs, hoc ipsum præstat [illegible] ratione formali, quæ ita respo[illegible]entijs creatis, vt etiam quatenus essentia est, intrinsece vendicet actualitatem , qua excluditur imperfecti potentialitatis annexa essentijs creatis. Ad rationem verò, qua probatur essentiam esse priorem ipso esse, respondetur in ijs, in quibus idem est, quod est, & quo est, non habere locum, aut fundamentum in re, rationem causæ, & effectus formalis: in Deo verò idem omninò nõ solùm re, sed etiam formaliter est esse, atque essentia: & idcò modus concipiendi illam, vt formam, ipsum

sum verò esse, tanquam effectum formalem, est in solis nudisque conceptibus ex similitudine concipiendi res creatas. Eodemque modo negandum est essentiam diuinam esse fundamentum ipsius esse: quin verò non est aliud, quam purum esse: & ideò concipi nequit cum præcisione ab esse: nam si ita concipiatur, iam non est essentia diuina, sed essentia communis analogica abstrahens à creata & increata: & quemadmodum creata in ratione sua peculiari includit potentialitatem, à qua non potest abstrahi, ita vt maneat essentia creata, sic etiam ab increata præscindi nequit actualitas, ita vt maneat sub ratione hùius essentiæ substantialis secundùm totam suam rationem intrinsecam, qua ea intelligitur constitui, ac distingui ab increata.

Ostenditur de sententia Patrum diuinam essentiam, vt à nobis concipitur, non includere formaliter attributa.

Caput II.

I. NVnc expendendum vtrum perfectiones attributales sint de intrinseca ratione essentiæ, prout à viatoribus concipitur: in primis autem hoc cap. quid ex Patribus circa hanc materiam colligi possit, aperiam, deindè verò cap. sequenti scholasticorum placita, & meam de tota re sententiam proponam. Quod attinet ad Patres non opus erit expendere pleraque ipsorum dicta relata tractatu. 1. cap. 8. quibus significant perfectiones omnes attributales ad essentiam pertinere. Nam quamuis ex eo quod vtantur nominibus essentiæ, sapientiæ, ac reliquarum perfectionum inter homines vsurpatis, indicare fortè videantur se loqui de ipsis non secundùm se solùm, sed etiam quatenus à nobis concipiuntur, ac nominantur, nihilominus quia similia [illegible] ad ostendendam summam vnitatem & identitatem essentiæ, ac perfectionum diuinarum, quæ competit ex natura rei, ita sunt explicandi, vt intelligantur loqui de natura diuina, & attributis secundùm quod sunt à parte rei: nam per intellectum sortiuntur distinctionem, ratione cuius præscindi possunt, ita vt attributa non necessariò concipiantur intrinseca essentiæ.

II. Duo se offerunt testimonia quæ videntur accipienda secundùm modum intelligendi nostrum. Primum est Diui Augustini serm. 38. de tempore, qui est de Trinitate, & columna ad finem vbi sic ait: *Dei idem ipsum est & potentia, & substantia, & diuinitas: & hæc omnia vnum, & hoc vnum simplex de Dei filio Doctor egregius Beatus Paulus Apostolus dicit cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* si potentiam, substantiam, ac diuinitatem vno solo nomine significauit Apostolus dicens: *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* etiam nostro modo intelligendi potentia, quæ est perfectio attributalis includitur intrinsece in diuinitate ipsa, quæ est forma Dei. Hoc testimonium non conuincit, in primis enim Augustinus non dicit Diuum Paulum illa omnia vnico solùm nomine significasse; sed tota illa oratione: intelliguntur autem diuinitas, ac substantia nomine formæ, potentia verò nomine æqualitatis: nam æqualitas non propriè fundatur in substantia, imò neque in qualitate, sed in quantitate: quæ suo modo cernitur in potentia, quatenus comparatur secundùm magis, ac minùs, & ideò Athanasius in Symbolo cum dixisset *in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus,* subdit *sed totæ tres personæ coæternæ sunt, & coæquales,* ex eo coæquales dicens, quia non est in ipsis maius, aut minus: similiter Paulus, cùm filium dixit æqualem Deo, significauit omnipotentem, sicut est pater; & ita patres communiter æqualitatem filij ad patrem præcipuè per omnipotentiam declarant. Respondetur secundo Augustinum non expressisse omnia illa dicta à Paulo formaliter, sed quædam potuerunt dici formaliter, quædam concomitanter, aut consecutiuè: quo pacto dicta natura consequenter dicuntur proprietates ipsius; Eodem modo explicari potest secundum testimonium sumptum ex Irenæ. lib. 2. cap. 18. vbi sic ait: *Appellatione Dei eo obaudierit sensus, & verbum, & vita, & incorruptela, & veritas, & sapientia, & bonitas, & omnia talia.* Nam cum inter alia in corruptelam adhibuerit, ea verò vtpotè negatio, pertinere non possit intrinsece ad rationem formalem Deitatis, consequens est ipsum minimè existimare illa omnia formaliter significari nomine Dei: quod etiam colligitur, quia ipsum quoque verbum diuinum nomine Dei censuit obaudiri; at verbum diuinum non significatur nomine Dei formaliter ac determinatè, sed materialiter & indeterminatè, quasi vnum ex suppositis, in quibus Deitas subsistit: planum itaque est non loqui Irenæ. de sola significatione formali,

August.

Athanas.

Irenæus.

sed de omni ea, qua aliquid quomodocunque importatur.

III. Pro sententia negante includi attributa in essentia concepta nostro intelligendi modo nonnulla Patrum testimonia referuntur à recentioribus, quibus tamen id minimè ostenditur: proferam tamen aliqua: quæ id planè significant, primum verò referam, & interpretabor ea, quæ videntur facere pro hac sententia, nec faciunt, deindè ea, quæ vim habent, in primis autem adduci possunt verba Diui Cyrill. lib. 11. thesauri vbi post longum discursum contra Anomæos sic concludit: *non omnia ergò, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant; reliquum est igitur vt voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus, non enim potest humana natura, maius aliquid, quam ipsa concipere possit, de Deo dicere: nostro enim proprio modo intelligimus, & loquimur ex ijs, quæ in nobis sunt, quasi per exempla maiora, hoc est, diuina intelligentes.* Ex his verbis habemus non omnia, quæ dicuntur de Deo, substantiam ipsius significare, & quædam dici eius accidentia more loquendi nostri, non autem re ipsa: nihil est autem quod solùm nostro intelligendi modo sit accidens, quam perfectiones positiuæ attributales: & ita de essentia Diui Cyrilli non pertinent ad rationem intrinsecam essentiæ diuinæ. Verùm, si attendatur discursus totius libri, quo disputatur contra Anomœos contendentes ingenitum dicere substantiam, siue essentiam Dei, facilè deprehendetur hunc locum nihil conducere ad huius sententiæ confirmationem: nam hæc sententia agit de ijs, quæ re quidem ipsa sunt de intrinseca ratione Dei, concipiuntur autem à nobis tanquam proprietates: at verò ingenitum, de quo est ibi disputatio, nullo modo à parte rei pertinet ad integritatem essentiæ, cùm sit negatio, vt ibidem ostendit Cyrill. nec Anomæi curarent de nostro modo intelligendi, si ipsis daretur ingenitum re ipsa significare substantiam Dei. Quod colligitur ex argumento ipsorum relato ibi à Cyrillo, aiunt enim, licet nos propter imperfectum modum cognoscendi ingenitum tanquam accidens Dei intelligamus, tamen Deum optimè naturam suam, substantiamque cognoscere, ex quo sequitur si ingenitum solùm nostro modo loquendi est accidens, cognosci à Deo tanquam substantiam, & ideò Cyrill. ad hanc obiectionem respondens ait: Quædam nomina dicta de Deo significare negationem, quædam relationem: negatio verò non inest, quia nos intelligimus, sed quia non adest forma negata; denique toto illo libro non adducit vllum nomen absolutù dictù de Deo positiuè, sed omnia negationem significant, vel ad summum relationem. Ex eo verò quod ait quædam modo loquendi nostro prædicari accidentaliter de Deo, non colligitur secundum se ad essentiam pertinere, sed solùm non habere propriam rationem accidentis, cuius accessu, vel recessu subiectum mutatur, quod ex ipsius verbis constat: *Sapienter certè dicitur nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est.* cù ideò reijcit accidens à Deo, quia Deitas in se ipsa perfecta est, planè ostendit accidens propriè dici de formis, quæ ea, quibus accidunt, subiecta perficiunt, & consequenter transmutant: & inferius agens quomodo nostro intelligẽdi modo acciderit Deo vt sit creator, id monet nullã Dei mutatione factum, quia nempè credit propriam rationem accidentis importare aliquam mutationem subiecti: & quia hæc longè abest à Deo, solùm nostro modo intelligẽdi accidens illi tribuit, idque duas ob causas: vel quia de nouo illi adest, vt actualis relatio creatoris ac Domini: vel quia non est de intrinseca ratione formali essentiæ, vt negationes omnes, ac relationes.

Cyrill. Alex.

IV. Pro eadem sententia refertur Gregorius Nyssenus lib. de sancta Trinitate ad finem, vbi sic habet: *Nam cum benefactorem & iudicem, bonumque & iustum, & quotquot sunt alia talia nomina didicerimus, operationum differentias didicimus, eius autem, qui operatur, naturam nihilo magis per efficaciarum, & operationum animaduersionem agnoscere possumus: cum enim aliquis & vniuscuiusq; horum nominum, & ipsius naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac diffinitionem, non eandem reddit vtrorumque rationem: quorum autem ratio diffinitione diuersa, eorum natura quoq; differens est:* vbi planè asserit non esse eandem naturæ & attributorum rationem, ac diffinitionem; item illa vocat nomina circa naturam, quę autem intrinsece claudun-tur in essentia, no[illegible]tur esse circa naturam. Si[illegible]rerè repetit lib. quod non sit putandum tres esse Deos. Verùm ex his locis nihil prorsus elicitur faciens ad institutum. Nam controuersia est vtrum nostro modo intelligendi, cùm essentiam concipimus, & eiusmodi conceptu claudantur intrinsece significata omnium attributorum: ad hoc verò necessarium erat, vt de sententia Nysseni nos haberemus nomen designans ipsam Dei naturam, & conceptum ad ipsam terminatum, cuius con-

Nyssenus.

trarium

trarium ille vtrobique asserit: nam primo loco sic ait: *Diuina natura in omnibus, quæ excogitantur, nominibus, sicut est, ita manet eius conditionis, vt nulla significatione exprimi, aut efferri possit*: & lib. quod non sit putandum tres esse Deos, expressè ait nullum omninò nomen, siue ab hominibus inuentum, siue ab scripturis traditum continere significationem diuinæ naturæ: sed habere vim denotandi aliquid eorum, quæ circa diuinam naturam esse intelliguntur: & sententiam, quæ asserit nomen Deitatis impositum peculiariter diuinæ naturę tanquam vulgi opinionem reijcit, & vtroque loco contendit hoc ipsum nomẽ inditum ab aliqua energia vel operatione: & ita non significare ipsam naturam, sed ea quæ sunt circa naturam: lib. verò de Trinitate asserit nondum inuentam, aut excogitatam rationem, quæ sit index essentiæ. Itaque institutum Nysseni est ostendere nullum prorsus nomẽ esse propriè significatiuum essentiæ diuinæ: vtrum verò perfectiones alijs nominibus significatæ concipiantur, vt intrinsecæ ipsi essentiæ, non curat: imò neque apud ipsum hæc quæstio habet locum, quandoquidem sentit non dari in nobis proprium conceptum naturæ. At inquies idem ait, si quis reddiderit rationem cæterorum nominum, & naturæ ipsius, circa quam illa intelliguntur, redditurum non eandem, sed diuersam: quod fieri nequit absque propria ratione eius, cuius ratio redditur. Respondeo rationem plurium reddi, vel positiuè simul ex vtraque parte, vel positiuè ex vna, negatiuè ex altera, hoc est reddendo simul propriam rationem vnius, ac negando illam esse propriam alterius, cuius tamen propria ratio non redditur. Et hoc secundo modo, non autem primo potest à nobis reddi diuersa ratio alicuius nominis diuini, & ipsius essentiæ, vt colligitur ex ipso Nysseno, nam statim post illa verba addit, nondum excogitatam aut inuentam rationem, quæ sit index essentiæ.

V. Damas.

Similia fer[illegible] habentur apud Damascen. lib. 1. fid. cap. [illegible] *iustum, si bonum, si quid tale dixeris, nõ naturam dicis Dei, sed quæ iuxta naturã sunt.* Hæc etiã verba eodẽ modo explicantur, etenim institutum Damasceni eo cap. non est aliud, quàm ostendere Deum non esse comprehensibilem à nobis, nec cognoscibilem conceptu quidditatiuo: quod in primis ostendit in cognitione, quæ habetur per Theologiam negatiuam: deinde verò in ea, quæ habetur per affirmatiuam: & concludit melius innotescere per negationem, maximè per eam, quæ est per excellentiam, vt in commentarijs eiusdem cap. explicat Clichtoueus: Verba verò illa in argumentum adducta sumpta sunt ex eo loco, quo docet nihil eorũ, quæ dicuntur de Deo per Theologiam affirmatiuam, eius quidditatem explicare: & antè illa præmiserat hæc verba: *Quæcunque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant*, at per affirmatiuam Theologiam dicimus Deum esse substantiam, vitam intellectualem, quæ de sententia Damasc. non significant Dei naturam, sed ea, quæ circa naturam sunt: non quasi ratio substantiæ, vitæ, & intellectualitatis ad naturam Dei minimè pertineãt: sed quia, prout à nobis intelliguntur, & ipsi applicantur, potius ab ijs, quæ circa naturam sunt, quam ab ipsa natura sumuntur, & ideò cùm post hæc verba subdit: *Nam etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quiduis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ circa naturam*, eodem modo intelligendum est, maximè quia ait, *Si quiduis aliud dixeris*, queis verbis indicat nihil omninò eorum, quæ à nobis affirmatiuè dicuntur, naturam Dei dicere, sed ea, quæ circa naturam. Nam sicut ex hoc nemo sapiens dixerit Damascenum existimare vitam, & quędum alia prędicata substantialia etiam nostro modo intelligendi non esse de intima ratione Dei, ita neque rectè colligitur mentem ipsius esse, quod bonitas, iustitia, & similes aliæ perfectiones eodem modo sumptę non sint de intrinseca ratione Deitatis: sensus igitur est, nullum nomen à nobis vsurpatum perfectè exprimere quid est Deus, sed eum significare imperfectè sicut creaturæ, à quibus nomina sumuntur, eundem imperfectè repræsentant. Ad hunc modum Damascenum explicat D. Thom. 1. par. quæst. decimatertia, art. secundo ad primum, & quæstion. septima de potentia, artic. tertio ad primum. Henric. in sum. art. 24. quæst. 6. Ocham. in 1. d. 2. quæst. 1. lit. R. Adam. d. 6. quæst. 1. ad testimonium Damasc. contra tertiam conclusionem, & Turrianus noster in comment. ad cap. 1. decad. 10. Ioan. Cypariss. quæ expositio corroboratur ex cap. 12. eiusdem libri, vbi de simplicitate Dei agens idem principium supponit his verbis: *Par est igitur vnumquodque eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est secundum substantiam arbitari significare, sed quid non est ostendere, aut habitudinem quandam ad aliquid eorum, quæ ab eo distinguuntur, aut eorum, quæ assequuntur naturam aut operationem.* Et per singula discurrendo docet, nec ipsum nomen, *qui*

Clichtoueus.

S. Thomas.

Henricus. Ocham. Adam. Turrianus.

est nec nomen *Deus*,nec vllum aliud significare quid sit, & inter cætera repetit similia verba ijs,quæ ex cap.quarto adducta sunt, nimirum,*bonum,iustum,sanctum, & id genus talia naturam consequuntur,non autem substantiam ostendunt*. Sicut ergò ex doctrina huius cap. 12. non rectè colligitur existentiam, aut Deitatem nostro modo intelligendi non esse rationem formalem intrinsecam Dei,ita neque colligi debet bonitatem, iustitiam,& sanctitatem non esse illi intimam, sed solum hæc omnia, prout à nobis concipiuntur,nullo modo attingere ipsum quid est Dei, quoniam nõ intelligimus ea,sicuti sunt in Deo, sed sicut ex creaturis percipimus : & hoc est, quod Damascen. indicauit, cùm dixit quædam ostendere habitudinem quandam ad aliquid eorum, quæ assequuntur naturam, quia nimirum sub his omnibus designamus Deitatem sub habitudine analogiæ, quam habet cum illis perfectionibus creatis, quæ sunt proprietates substantiarum creatarum : & hac ratione explicant Damascenum Ægidius in primo, dist. vigesimasecunda,quæst.quarta, Richard. dist. tertia,art.secundo, quæst. prima ad primum, Toletan. dist. 8. quæst. vn. art. 4. ad argumenta Aureoli contra tertiam conclusionem.

Ægidius. Richard. Toletan.

VI. Eodem ferè modo exponi possunt alij Patres, qui vtuntur eodem loquendi modo, distinguentes naturam diuinam ab alijs,quæ circa ipsam sunt, vt Nazianzen. orat. 38. quæ est panegyrica in Christi natiuitatem inter principium & medium, vbi de Deo loquens,*Omnem*,inquit,*cognitionem superans mente sola adumbratus is, & quidem perexiguè,ac perobscurè, non ex his, quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum*, eadem repetit orat. 42. quæ est 2. in Pascha circa principium: nam vel Patres, qui ita loquuntur, per ea,quæ circa naturam Dei sunt,intelligunt eius operationes & effecta, ex quibus Deum agnoscimus in via,vt expressè Nicetas interpretatur Nazianzenum, vel agunt de cognitione quidditatiua essentiæ,quam nobis in via negant, & solum volunt haberi notitiam quandam per habitudinem ad perfectiones creatas : & quia hæ omnes non attingunt ipsum quid est Dei, cognitionem per eas habitam vocant, non per naturam ac diffinitionem, sed per ea quæ circa naturam sunt, quod apertè significauit Theophylactus, qui cap. 1. epistolæ ad Roman. in illa verba: *Quod notum est Dei, manifestum est illis*, inter ea, quæ circa essentiam sunt, recenset ipsammet diuinitatẽ,scilicet quia is ipse conceptus, quem exprimimus voce Dei,non est quidditatiuus, aut attingens ipsam essentiam in se,sed per negationem, aut habitudinem aliquam ad creaturas, & hunc esse communem loquẽdi modum sanctorum Patrum colligitur ex Thalassio hecatonde 4. sent. 90. & habetur Tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum, cùm enim superius nomen *Deitas,essentia*,& alia multa,quæ Deo attribuuntur retulisset illa sent. 90. subdit : *Verbis insuper & nominibus vsi sunt*,nempe Patres, *ad declarandas rationes,quibus ea,quæ circa essentiam sunt sanctæ Trinitatis, considerantur: non vt ea, quæ ipsius sunt essentiæ,declararent, eiusmodi enim nulla mente cognosci, nulloq; sermone eloqui possunt, sed soli Trinitati sunt cognita*, si Deitas,essentia,& omnia nomina, quibus Patres vtuntur,cùm de Deo agunt, non ipsam naturam,sed ea,quæ circa naturam sunt, ostendunt,sanè non est, vnde ex ipsorum sententijs colligatur in essentia, prout à nobis concipitur, non includi attributa, cum nec essentiam à nobis concipi velint. *Thalassius.*

Nazianz. *Nicetas.* *Theophylact.*

VII. Quamuis hæc ita sint, nec ex allatis sententijs, aut alijs eiusdem generis constet eam esse mentem Patrum, vt existiment à nobis concipi essentiam conceptu quodam præciso ab attributis, ita vt hæc,prout à nobis concipiuntur, illo non includantur : quandoquidem,cùm negent nobis proprium essentiæ conceptum, consequenter negabunt id, ad quod ille supponitur. Nihilominus, inquiet aliquis, nonnihil huic sententiæ fauere, quatenus inter ea,quæ vocant circa naturam, vel essentiam quædam numerant, quæ à Theologis in attributorum albo referuntur, nempe bonum, iustum,sapiens : nam vel his nominibus intelligunt solas creaturas, vel perfectiones ipsas diuinas : non solas creaturas,vt patet:nam licet hæ significentur in obliquo, in recto tamen denotatur ipsa diuina perfectio : hanc ergò volunt Patres esse circa naturam vel essentiam nobis incognitam:at quæ circa essentiam sunt, non claudunt intrinsecè intra terminos illius: ergò manent perfectiones attributales : prout à nobis intelliguntur,non esse intrinsecas essentiæ: de qua tanquam incognita loquuntur. Hoc argumentum si vim habet, probat etiam attributa non pertinere intrinsecè ad essentiam secundùm se sumptam : de hac enim agunt Patres,cùm dicunt esse incomprehensibilem, & innominabilem, quod tamen ascribendum ipsis non est, cùm sit contra communem Patrum sententiam, quam etiam tenent

Cyril-

Cyrillus & Gregorius Nyssen. vt constat ex tractatu superiore capit. octauo, & ita per ea, quæ circa naturam sunt, intelligenda sunt omnia prædicata positiua, quæ Deo tribuimus, siue significentur per modum naturæ, siue non: quæ sicut non attingunt ipsum quid est essentiæ, quatenus essentia est, ita quoque non attingunt quod quid est ipsius, quatenus sapientia, ac iustitia est: & idcircò omnia; quæ ita de Deo cognoscimus, dicuntur esse circa naturam.

VIII. Ex citatis Patribus habetur tria genera nominũ dici de Deo negatiua, relatiua & absoluta, & priorũ significata non pertinere ad essentiam planum est, & apertè tradunt Cyrill. Damascen. & alij: ex positiuis autem absolutis quædam conueniunt necessario, quædam minimè, vt prædestinatio, & alij actus liberi Dei, tam ad voluntatem, quàm ad intellectum spectantes: quos etiam nõ pertinere ad essentiam perspicuum est: quoniam abesse potuissent à Deo, si is aliud liberè statuisset: quo argumento ad hoc ostendendum vtitur D. Iustinus in confutatione responsionis q. 3. gentilium, ex quo etiam loco colligi videtur etiam perfectiones absolutas non intelligi à nobis intrinsecas essentiæ, sed ratione differentes, & quasi aliud ab illa, sic enim ait: *Dei essentia non potest inesse, Dei autem voluntas non velle potest, veluti volebat Deus solem vnum creare, alterum solem creare noluit, propterea quod quemadmodum eorum, quæ sunt, intererat vnum esse solem, sic non expediebat ijsdem alterum solem fieri: quod vtile erat, volebat, quod non expediebat non volebat. Quod si est, alia est Dei essentia, alia voluntas.* Ex eo quod essentia non possit non esse, voluntas autem possit non velle, arguit alietatem inter ipsas: quæ argumentatio nõ potest intelligi de voluntate quatenus actus est, nam huius non est velle, sed quatenus à nobis concipitur, vt potentia vitalis, quam ab essentia præcisa, & quasi aliam, & consequenter in ea minimè inclusam recognoi[illegible]

IX. Clarius eadem doctrina sumitur ex verbis Magni Basilij, nam libro primo contra Eunom. inter principium & medium, *Quonam pacto*, inquit, *non dei dendus, si creandi virtutem substantiam esse dicat, si prouidentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidem operationem substantiam putet?* Creandi virtus perfectio diuina est, non in negatione, aut pura relatione consistens: quod si hæc non pertinet ad substantiam, hoc est essentiam, planum est de mente Basilij perfectiones, quæ à nobis instar proprietatum tribuuntur Deo, non intelligi à nobis quasi intrinsecas Deitati, & paulò post docet nomina attributorum *ponere aliquid eorum, quæ Deo insunt, & circa eum inspiciuntur, si insunt & circa eum inspiciuntur*, non quasi intima essentiæ intelliguntur. Idem tractatu de fide ad med. *Proinde*, ait, *nec vnum aliquod nomen ad exprimendam vniuersam Dei gloriam idoneum est: nam si quis Deum dicat, nondum patrem significauit, & Patris dictione non comprehenditur conditor, rursus & in ijs desideratur bonitas, potentia, & quæ in scriptura sacra reliqua feruntur.* Ecce quomodo distinctionem agnoscit in significatis nominum illorum, quorum singula ita proprias significationes vendicant, vt aliorum significata minimè includant: atque adeò, cùm inter ea nomina sit nomen Dei, ipso non significatur bonitas, potentia, & cæteræ perfectiones, quæ de Deo dicuntur in sacris literis.

X. Idem apertius docuit Marius Victorin. libro secundo aduersus Arium, his verbis: *Nempe dicitis Deum, & eundem dicitis lumen, quid dicit ista?* nempe vox *substantiam dicit Dei, nam quæ dicit Patrem, vel omnipotentem, vel bonum, vel infinitum, vel talia, non substantiam, sed qualitatem dicit.* Non adeò desipuisse credendus est Victorinus, vt attributa illa veras qualitates esse putauerit: cùm ergò asserat nomen, *Deus*, dicere substantiam Dei, cætera qualitates, ea in substantiæ diuinæ conceptu nequaquam claudi censuit, quod clarius expressit Ioannes Cyparissiota decad. 10. cap. 1. in fine, *ex quibus*, inquiens, *fit manifestum, quod in vnitate, quæ supra substantiam est, non oportet quærere habitus, & dispositiones, nec an sint circa ipsum aliqua naturalia, & substantiæ propria ad complendam substantiam ipsam: nisi fortè à nobis sic dicuntur consuetudine intelligentiæ nostræ: & quia non possumus aliter intelligere, qui nunc vitam per speculum, & in ænigmate transigimus.* In hanc etiam partem adduci potest Nicetas in comment. ad concionem quadragesimam secundam Gregor. Nazianzen. cit. quatenus ait nomen, *qui est*, ipsam quidem essentiam indicare, non autem quid ea sit: ex quo colligitur hoc nomen ex modo significandi, ac intentione nostra supponere pro natura diuina: bonum verò, iustum, & sanctum, dicit comitari naturam non aperire, nempe quia ad modum proprietatum, quæ non explicant ipsum quid est, sed naturæ perpetuo adhærent tanquam extrinsecæ eius proprio, & formali significato.

Mar. Victor. *Cyparissiota.* *Nicetas.*

Hæc

XI. Hæc ex Patribus occurrerunt in vtramque partem controuersiæ: ex quibus constat de sententia ipsorum minimè colligi attributa, prout à nobis intelliguntur, pertinere intrinsecè ad essentiam, vt à nobis cõcipitur, quin potius intelligi à nobis per modum qualitatum ac proprietatum diuinæ naturæ: ac si illi essent extrinsecæ. Verùm quia hæc quæstio est magis celebris inter Theologos: iam ipsorum sententias & rationes Theologicas expendere oportet, id verò fiet cap. seq.

Idem confirmatur ratione, & Scholasticorum autoritate.

Caput III.

I. NOnnulli recentiores existimant attributa omnia pertinere intrinsecè ad rationem formalem Deitatis, etiam prout à nobis concipitur. Præcipuum fundamentum est, quoniam essentia diuina, quatenus essentia, per se, ac ratione sui est formaliter infinita, & pelagus omniũ perfectionum. Nam si esset solum infinita secundùm quid, daretur aliquid perfectius ea, quod potius esset forma atque essentia Dei, non erit autem hoc modo infinita, si secundùm propriam rationem non vendicet intrinsecè, ac essentialiter omnes perfectiones diuinas: ergò necessariò illas ita vendicat. Maior propositio patet: nã quidquid necessariò conuenit primo enti, conuenit per se primo, & quatenus ipsum, non enim habet aliud prius, ratione cuius conueniat: & ita repugnat, vt non sit per se primo quidquid est: ergò essentia diuina per se primo est simpliciter, & in omni genere infinita. Assumptio verò eiusdem syllogismi ostenditur, quoniam formaliter loquendo perfectio propria, atque intrinseca solum consistit in ijs, quæ intrinsecè pertinent ad rationem formalem, & essentialem rei: non enim perfectio formalis humanitatis consistit in proprietatibus, & accidentibus, quæ aduenium ipsi substantialiter constitutæ: sed solum in principijs intrinsecis essentiæ: si verò perfectiones attributales nõ sint de ratione formali intrinseca essentiæ, quatenus essentia est, ipsa secundùm suam præcisam rationem formalem, qua ab ipsis distinguitur, non erit infinita in omni genere: siquidem non erit sapientia, non iustitia, non cæterę perfectiones, quæ per modum attributorum dicũtur de Deo. Secundo, essentia est veluti forma ipsius esse, ita vt teste Diuo Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. ita se habeat essentia ad esse, sicut sapientia ad sapere, sed sapere includit sapientiã, & tam latè patet, atque illa, & vice versa: ergò essentia vendicat intrinsecè eadem, quæ vendicat ipsum esse diuinum: hoc autem vendicat intrinsecè & essentialiter esse omnium perfectionum diuinarum: ergò & essentia eodem modo vendicat easdem perfectiones. Et confirmatur, quoniam ad rationem essentiæ, vt essentia est, pertinet omne esse diuinum substantiale, hoc enim non potest concipi per modum attributi radicati in substantia essentiæ, sed tanquam ratio formalis intrinseca illius, vt patet ex capite primo huius tractatus. At, vt tract. 1. cap. 1. dictum est, omnes perfectiones diuinæ secundùm proprios conceptus intimè vendicant esse substantiale: in diuinis autẽ forma, & esse eiusdem sunt idem omninò absque vlla distinctione: exempli causa idem est iustitia, & iustum esse, sapientia, & sapere, siue sapientem esse: ergò concedendum necessariò est perfectiones omnes simpliciter esse de intrinseca, & essentiali ratione formali essentiæ diuinæ, quatenus concipitur vt forma substantialis Dei. Vltimo id, quod re ipsa est de intrinseca, & essentiali ratione alicuius, non potest commodè, aut cum fundamento in re concipi tanquam aliquid extrinsecum ipsi, quanuis concipi possit abstractione præcisionis absque illo; exempli gratia animal concipi potest absque homine, non tamen homo absque animali: si quis enim concipiat hominem hoc ipso confusè, saltem concipit animal, sine quo non constat ratio hominis: vt autem constat ex tractatu superiore, perfectiones omnes diuinæ sunt de ratione formali intrinseca Deitatis: ergò quomodocunque concipiantur distinctæ, non possunt extrahi ab illa, ita vt non includantur formaliter in conceptu illius, vt essentia est.

II. Contra verò alij absolutè negant perfectiones attributales vllo modo pertinere intrinsecè ad rationem [illegible] formalem essentiæ, vt essentia est: [illegible] enim hanc secundùm suam [illegible]em formalem, sub qua concipitur à nobis, vt essentia distincta ab attributis, solum vendicare perfectionem substantialem Dei, quatenus intelligitur à nobis ex perfectione substantiali creaturarum gradus quidã entitatiuus substãtialis: cui attributa extrinseca concipiũtur ad modum, quo nos perfectiones essentijs creatis additas intelligimus. Itaq; essentia includit omnia, quæ respondent perfectionibus substantialibus in creaturis, nõ tamen perfectiones, quæ respondent perfectionibus

Augustin.

acci-

accidentalibus creaturarum. Ostenditur verò hęc sententia quoniam nominibus vtimur, sicut ea ex creaturis accipimus, non enim, quãdo ea ad Deum transferimus, alios conceptus animo effingimus, vt quiuis aduertere facilè potest, cùm loquitur, aut cogitat de Deo: nomen autem *essentia* apud nos significat propriè naturam substantiæ secundùm propriam rationem, ac perfectionem substantiæ, non inclusis, sed exclusis abstractione præcisionis perfectionibus cæteris, quæ substantiæ adduntur: ergo quando nomen essentiæ attribuimus Deo, eamq; concipimus tanquam fundamẽtum perfectionum attributalium, nihil aliud concipimus, quàm perfectionem Dei sub ratione substantiæ præcisis cęteris perfectionibus, & consequenter cõceptus obiectiuus respondens huic cõceptui formali, non vendicat intrinsecè rationem perfectionum attributalium. Patet consequentia, quoniam impossibile est, vt conceptus formalis non contineat intrinsecè secundũ esse cognitum id quod continet obiectiuus secundum esse cognoscibile, mutuo enim sibi respondent conceptus formalis & obiectiuus, tãquam imago & terminus ipsius: non enim conceptus obiectiuus dicitur totum esse reale ac formale rei, quæ intelligitur, sed solùm res sub ea præcisè ratione, qua obijcitur intellectui: quare conceptus obiectiuus respondens formali, quem exprimimus per hanc vocem, *essentia diuina* est Deitas sub ratione perfectionis substãtialis, qua intelligimus Deum constitui in ratione substantiæ per se subsistentis, non autem sub ratione sapientiæ, iustitiæ, aut alterius perfectionis attributalis. Secundo, nihil nostro modo intelligendi prius alio, & habens se ad illud tãquam forma intrinseca atque essentialis, potest aptè & cum fundamento in re concipi vt posterius, & proprietas consequens ad ipsum: sed iuxta oppositam sententiam perfectiones omnes attributales, prout à nobis intelliguntur ac nominantur, [illegible] secundùm rationẽ priores essentia diuina, [illegible]pertinent intrinsecè ad ipsam: ergò inceptè, & [illegible] fundamento in re concipiuntur vt proprietates radicatæ in ipsa essentia, atque adeò repugnantia loquuntur ij, qui essentiam concipiunt per modum naturæ substantialis, & perfectiones alias per modum proprietatũ, & nihilominus volunt eas ad illam essentialiter atque intrinsecè pertinere. Neque hic locum habet solutio, quæ adhiberi solet ad alia huius generis argumenta, nimirum nequaquam repugnare, vt duo inuicem comparata habeant rationem prioris & posterioris sub diuersis rationibus: nam quando diuersæ rationes sunt eiusmodi, vt vna nõ destruat alteram, locum habet solutio: exempli gratia, cùm duæ res sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, dependentia vnius ab altera in genere vnius causæ, verbi gratia formalis, non tollit dependentiam alterius ab ipsa in genere alterius causæ, verbi gratia materialis, & consequenter potest simul cohærere ratio prioris, ac posterioris in diuerso genere: at ratio proprietatis necessariò dissoluit rationem formæ essentialis intrinsecæ: quod si essentia, vt ijdem autores volunt, dicatur esse de intrinseca ratione attributorum, iam dabitur ratio prioris, ac posterioris in eodem genere, quod omninò repugnat. Nec verò alia solutio, quam prætendunt, est idonea, aiunt enim non esse absurdum, vt duo mutuo sibi intima sint, & vnum in alio: quemadmodum æternus Pater est in Filio, & is in Patre iuxta sententiam eiusdem Christi Domini, Ioann. 10. *Pater in me est, & ego in Patre.* Nam, licet vberior huius rei explicatio pertineat ad materiam de Trinitate, breuiter reddi nunc potest ratio diuersitatis, diuinæ siquidem personæ duplici de causa dicuntur inuicem esse aliæ in alijs, nempe ratione naturæ & propriæ rationis, & ita si consideretur modus, quo ratione naturæ in se mutuo sunt, est longè diuersa ratio: nam ex hoc solum sequitur vnam, eandemque naturam singularem esse intrinsecam, & essentialem pluribus personis: quæ ratione identitatis in natura in se mutuo sunt: non ita tamen, vt vna secundùm propriam rationem, qua distinguitur ab alijs, intrinsecè, aut essentialiter insit: at in materia, de qua agimus, iuxta opinionem oppositam necessariò est admittendum, duas rationes formales esse sibi mutuo intrinsecas & essentiales, & in eodem genere priores ac posteriores: si verò consideretur modus, quo personæ diuinæ ratione proprietatum personalium in se mutuo sunt, est etiam longè diuersus: nam Pater est in Filio tanquam in sua imagine, Filius autem in Patre tanquam in suo principio, & neuter in alio essentialiter: at si essentia vendicat essentialiter attributa, & hæc essentiam, eodem modo ac genere sunt inuicem sibi intrinseca priora, ac posteriora. *Ioan. 10.*

His pro vtraque quæstionis parte positis ipse mediam sententiam amplectar præmittens id, quod infra cap. 7. ex professo ostendam, nimirum in quauis perfectione III.

fectione diuina absoluta esse verã, ac propriam rationem substantiæ: ita vt si vnico nomine significaremus iustitiam, aut sapientiam diuinam, aut quoduis aliud attributum reale, id significaret iustitiam, aut sapientiam per se existentem, ex quo vlterius sequitur quoduis attributum vendicare intrinsecè duas quasi rationes seu modos perfectionis simpliciter, qui non reperiuntur coniuncti, sed diuisi in creaturis: verbi gratia, sapientia diuina vendicat rationem substantiæ ac sapientiæ, quæ in creaturis re ipsa distinguuntur: ac proinde in vnoquoque attributo concipi possunt, vt ratione distincta ratio substantiæ, quæ conuenit cum cæteris: & ratio peculiaris perfectionis alterius repertæ in creaturis seorsim à ratione substantiæ.

IV. His præmissis dico primum, essentiam diuinam, etiam vt à nobis concipitur per modũ naturæ substantialis, & formæ constituentis Deum in esse huius substantiæ, vendicare essentialiter perfectiones omnes absolutas, quoad priorem illam rationem perfectionis substantialis, quatenus purè substãtialis est, quam ipsæ de sua propria ac formali ratione vendicant. Hanc sententiam ita explicatam efficaciter confirmant argumenta initio proposita: etenim essentia diuina etiam secundùm præcisam rationem essentiæ, vt à nobis intelligitur, est infinitè perfecta, saltem in ratione perfectionis substantialis, ita vt essentialiter vendicet omnem prorsus perfectionem substantialiter essendi: nisi autem contineat intrinsecè perfectiones alias diuinas secundùm rationem substantialiter essendi: non erit infinita simpliciter in genere perfectionis substantialis: ergò necessariò illas vendicat. Assumptio patet, quoniam, si Deo conueniret aliqua ratio cognoscendi non contenta formaliter in scientia diuina, hęc non esset infinita in genere sapientiæ, quod similiter patet discurrendo per cæteras perfectiones: ergò si detur aliqua ratio perfectionis substantialis non contenta formaliter, atque intrinsecè in ratione essentiæ, hæc non erit infinita in genere perfectionis substantialis. Secundo esse substantiale perfectionum attributalium conuenit Deo non per accidens, sed per se aliquo ex quatuor modis numeratis *Aristoteles.* à Philosopho lib. 1. poster. tex. 9. non in quarto, quoniam non habet causam: non in tertio, quoniam est substantia, non in secundo, quoniam in diffinitione substantialis perfectionis non ponitur alia substãtia tanquam subiectum ipsius, & ideò esse substantiale perfectionum attributalium ad sui definitionem non requireret aliud esse substantiale tanquam subiectum: repugnat enim vt substantia sit in substantia tanquam in subiecto: ergò necessariò conueniet per se primo modo, hoc est intrinsecè atque essentialiter. Denique in Deo perfectiones eiusdem generis ac rationis formalis, quamuis forsan æquipolleant pluribus perfectionibus creatis, omnes cõueniunt in vnam rationem formalem perfectam: verbi gratia, omnis ratio virtutis operatricis pertinet ad vnicam rationem omnipotentiæ, & omnis modus sciendi ad vnicam sapiẽtiam: ergò & omnis ratio substantialiter existendi ad vnicam rationem substantiæ siue essentiæ diuinæ: quapropter ratio substantialiter existendi perfectionum attributalium, quatenus præcisè æquipollet perfectioni substantiæ creatæ, pertinet ad intrinsecam rationem essentiæ diuinæ, prout à nobis concipitur per modum formæ substantialis Dei.

V. Itaque attributa quatenus substantia sunt intrinsecè, pertinent ad conceptum quidditatiuum essentiæ diuinæ secundùm præcisum conceptum essentiæ: ad quod parum refert vtrum habeant inter se, & ab essentia distinctionem ex natura rei an nõ: in creatis enim pleraque distincta realiter inter se, & à toto includuntur intrinsecè in essentia ipsius, vt patet in materia & forma respectu compositi physici, ex alia verò parte iuxta probabilem sententiam inter gradus metaphysicos, non est distinctio realis, & nihilominus genus & differentia sunt de intrinseca ratione formali speciei: quomodocunque itaque se habeant, quoad distinctionem attributa inter se, & ab essentia, tamen secundùm rationem substantiæ singulis ex proprio conceptu debitam intrinsecè pertinent ad conceptum quidditatiuum essentiæ: & secundùm hanc precise considerationem nõ habent se per modum proprietatum, sed potius, si ita loqui licet, per modum plu[illegible] rationum formalium integrã[illegible]nicam & perfectam rationem i[illegible]ere substantiæ infinitæ, nam licet in Deo nec sit pars, nec totum, nec di[illegible]ctio ex natura rei actualis, tamen sicut rem illam simplicissimam sub distinctis rationibus concipimus, ita dum has ipsas rationes in vna, eademque perfectione substantiali intrinsecè includi concipimus nostro intelligendi modo, apprehendimus eas, quasi partiales rationes formales vnius essentiæ. Contra sententiam affirmantem hoc modo explicatam non habent vllam vim argumenta secundo lo-

co in-

coinducta. Ad primum enim concedendum est essentiam diuinam concipi à nobis solùm sub ratione perfectionis substantialis: cùm vero ex hoc deinde absolutè infertur essentiam, prout à nobis concipitur, non includere perfectiones attributales, distinguendum est: nam si intelligatur ita vt essentia nõ vendicet perfectiones attributales secundum eam præcisè perfectionem, qua æquipollent perfectionibus alijs creatis, quæ in nobis sunt accidentia, concedendum est, vt mox ostendam: negandum vero, si intelligatur de perfectione substantiali ipsarum: nã hæc nõ potest concipi vt adueniens substantiæ diuinæ, sed tamquam ad integritatem illius pertinens: argumentum vero, quo ostenditur secunda consequentia, nihil aliud probat quam hoc ipsum, quod concedo. Secundum etiam argumentum idem solummodo concludit: etenim perfectiones attributales secundũ eam præcisè rationem, qua concipiuntur sub esse substantiali, nõ intelliguntur vt proprietates, sed vt rationes essentiales intrinsecæ essentiæ diuinæ, quatenus concipitur per modum formæ substantialis: & ideò argumentum, quod sumitur à repugnantia, quę est vt aliquid concipiatur tamquam ratio formalis intrinseca, & tamquam passio fundata in eadem essentia, nõ impugnat propositam assertionem: qua solùm dicitur, perfectiones diuinas secundũ rationem substantialem, quam vendicant, pertinere intrinsecè ad essentiam.

VI. Dico secundum essentia secundum eandem acceptionem non vendicat intrinsecè attributa, quatenus præcisè concipiuntur sub perfectionibus, quæ in creaturis accidunt substantiæ. Verbi gratia nõ vendicat sapientiam sub præcisa ratione sapientiæ, nec iustitiam sub precisa ratione iustitiæ, & sic de reliquis: hæc est communis sententia veterum Scholasticorum Alens. 1. p. q. 49. initio, Albert. in 1. d. 8. art. 3. & 4. Richardi d. 3. art. 2. q. 1. ad 1. Ferrarien. lib. 1. contra Gentes cap. 24. §. *Dicitur ergo*: Capreol. in 1. d. 8. q. 1. 4. art. 2. ad 11. 12. 13. & 14. Aureoli contra rec[illegible]dam conclusionem. Caietan. in commentar. super illud Genes. 21. *Et inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni*, Abulens. q. 1. in cap. 6. Exod. eiusdem sententiæ sunt omnes Scholastici referendi tract. 7. cap. 14. num. 6. qui aiunt prędicationem attributorum de essentia in abstracto solùm esse veram identice, non formaliter: si enim in illa sic accepta formaliter includerentur, formaliter quoque verè de ipsa prędicarentur. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex modo concipiendi nostro, vt tactum est in secundæ sententiæ probatione: quæ est efficax, si procedat iuxta sensum secundæ assertionis. Nam repugnat vt animus eandem rem sub eadem prorsus ratione formali concipiat sub conditionibus oppositis, & omninò repugnantibus: at conceptio alicuius perfectionis sub eadem prorsus ratione tamquam formæ intrinsecæ essentiæ, & tamquam proprietatis ab essentia dimanantis inuoluit conditiones oppositas: nimirum, quod sit intrinseca, & extrinseca, quod sit principium emanationis, & quod emanet: si enim pertinet ad rationem formalem essentialem diuinæ naturæ, vt præcisè intelligitur essentia, necessariò est illi intrinseca, si intelligitur adiacere per modum passionis, concipitur vt extrinseca: si essentia est radix proprietatum, omnia illa, quæ ad eius rationem intrinsecam spectant, habebunt etiam rationem principij, ac radicis respectu earundem: & consequenter hoc ipsum vendicabunt perfectiones omnes diuinæ, quæ iuxta oppositam sententiam pertinent ad intrinsecam rationem essentiæ: contra vero si eædem proprietates radicantur in essentia, & ab ipsa pullulare intelliguntur, concipiuntur vt germina à radice nascentia, atque adeò concipiuntur vt intrinsecæ, atque extrinsecæ essentiæ, vt principium emanationis, & vt id, quod emanat.

VII. Nonnulli oppositæ sententiæ assertores hoc arg. facilè euitant dicendo, non eo modo, quo in creaturis essentia solet esse principium proprietatũ, cõcipi à nobis essentiam diuinam tamquam rationem suorũ attributorũ, sed solùm quia in sua simplici ratione, quæ à nobis cõfusè cõcipitur, necessariò continetur quidquid perfectionis per varios conceptus de eadẽ cognoscimus: idque declarant exemplo sumpto ex creaturis, rationale, inquiunt, est vna, & indiuisibilis differentia essentialis, qua concepta vt adiuncta generi tota hominis essentia concipitur, quam nos possumus in plures conceptus diuidere: considerando scilicet hominem discursiuum, nõ vt dicitur à principio proximo, scilicet ab intellectu, sed à radice essentiali, siue natura humana, prout vendicat habitudinem ad tertiam operationẽ intellectus, & eodẽ modo concipiendo præcisè hominẽ esse iudicatiuum & apprehensiuum: etenim hi omnes conceptus nihil aliud explicant, nisi quod formaliter continebatur in rationali: sed explicãt quasi per partes, quod in rationali est vnũ, & simplex, declarantq; distinctè quod à nobis confusè vno conceptu apprehenditur:

henditur: quod satis est, vt vnum ex alio per discursum colligamus. Hac eadem ratione censent fieri à nobis præcisionē essentiæ ab attributis, & viceuersa: quia scilicet qui essentiam, aut iustitiam apprehendit, nihil aliud expresse cogitat, quam rationem essentiæ, vel iustitiæ, à cæteris vero attributis nō ita præcisiuè abstrahit, quin in conceptu essentiæ, vel iustitiæ includantur implicite, concipitur quippe essentia per communem conceptum entis, vel essentiæ adiungendo aliquam negationem, vel perfectionem, qua cōceptus eiusmodi fiat proprius Dei, verbi gratia infinitatē, aut summam actualitatem, quo conceptu nō consideratur distinctè quænam perfectiones, sint de essentia talis naturæ, & ideò dicuntur præscindi, tamen implicitè, siue confusè non possunt præscindi, vel excludi, quoniam in perfectione illius rei conceptæ essentialiter continentur.

VIII. Hic modus dicendi subtilis, & forsan possibilis est. Dixi forsan possibilis, quoniam tametsi non repugnet vno conceptu contineri plura, vnū implicitè, reliqua implicitè, tamen opus est, vt is conceptus designetur per conceptus particulares intrinsecos, qui simul sumpti adequent saltē confusè omnē rationē intelligibilitatis: ex quo fit vt cōceptus naturæ specificæ ex genere & proprietate coalescens non includat intrinsecè in ratione obiectiua omnia quæ sunt de intrinseca ratione speciei, si quis enim iungens cōceptui viuentis, aut animalis conceptū risibilitatis per vtrumque designet hominē, nō attinget formaliter explicitè, nec implicitè omnia p̄dicata essentialia hominis: & multo minus si designatio fiat per genus remotum, & proprietatem: ergo cū designatur essentia diuina per conceptū entis, vel essentiæ, & per additionem negationis, aut perfectionis propriæ Dei, non clauduntur in significato formali omnia, quæ pertinent intrinsecè ad essentiam naturæ diuinæ secundum se. Si vero designatio hęc per cōceptus adæquatos fieri posset, nō repugnat eandem rem significari explicitè quoad rationem aliquā ipsi intrinsecam, implicitè vero quoad alias: nam intellectus re ipsa indistinctus dicitur ratio superior & inferior, practicus, ac speculatiuus: quæ omnes rationes formaliter, implicitè tamen significantur solo nomine intellectus, eodem modo nisi aliud obstaret, fieri potuit, vt nomen *essentia*, imponeretur ad significandas omnes perfectiones diuinas, ita vt sola ratio per se essendi concepta per modum substantiæ significaretur explicitè, cæteræ vero implicitè. Cæterum reuera non ita se res habet in nominibus diuinis, quæ imponuntur ad modum, quo nos diuina concipimus, nos vero vno conceptu nequaquā attingimus etiam confusè perfectiones omnes diuinas. Neque hic modus dicendi est necessarius ad tuendam identitatē essentiæ cum attributis, neque est aptus ad explicandam prioritatem secundum intellectum inter essentiam & attributa: imò nec est tā conformis modo intelligendi nostro, ac est communis modus ab antiquis Doctoribus assignatus, quoniam Theologi communiter attributa concipiunt, & nominant ad modum proprietatū, & aiunt pullulare ab essentia, radicari & fundari in ipsa, & sexcenta eiusmodi, quæ cadere non possunt in rationes formales intrinsecas, vt tales conceptas, nil enim intrinsecum dicitur pullulare à re, cui est intrinsecum, aut in ipsa radicari. Non enim rectè quis dixerit intellectum practicum radicari in intellectu, quoniam illum intrinsecè inuoluit, aut rationem superiorem, vel inferiorem in ratione fundari ob eandem causam. Præterea ipse quoque modus præcisionis est nouus: nunquam enim est auditum hominem abstrahere ab animali, aut vllam speciem à rationibus sibi intrinsecis, & tamen conceptus hominis solùm explicitè terminatur ad gradum specificum, ad generícos autem, & ad differentias essentiales confusè & implicitè: quapropter, si conceptus, quem viatores formamus de essentia, includit intrinsecè in sua ratione formali obiectiua perfectiones omnes diuinas, dici non potest essentiam ita conceptam abstrahere à perfectionibus attributalibus, quæ tamen est communis sententia Doctorum.

IX. Non est autem necessarius ad tuendam identitatem, quoniam non repugnat eandem rem suaptè natura indistinctam apprehendere sub vna tantum ratione formali abstrahendo à reliquis, sicut concipitur rationalitas non concepta animalitate, ac viceuersa. At ineptes exemplum non esse accommodatum: nam animalitas non includitur in rationalitate, aut viceuersa: & idcirco non repugnat concipi alteram sine altera, attributa vero includuntur in essentia secundum se sumpta, vt dictum est tractatu superiore; ideoque repugnat hanc ab illis abstrahi. Rectè quidem concludit argumentum, si conceptus noster attingeret essentiam quatenus nostro intelligendi modo est constitutum virtuale ex omnibus perfectionibus diuinis. Verùm de hoc ipso est controuersia: & ita non consideranda est essentia

ad eum

ad eum modum, sed quatenus nostro intelligendi modo æquipollet essentiæ substantiarum creatarum per analogiam, ad quam viatores diuinam concipimus apprehendentes formaliter solas rationes substantiales, quarum similes in creaturis cognoscimus: & ideò sicut harum essentias intelligimus non cognita vllo modo formaliter nec implicitè, nec explicitè sapientia, iustitia, aut alia perfectione accidentali, ita diuinam essentiam apprehendimus sub præcisa ratione perfectionis substantialis abstrahentes à reliquis, quæ secundum conceptus analogicos sunt indifferentes ad esse substantiale & accidentale. Item quod non sit aptus ad explicandum modum prioritatis constat, quoniam Doctores communiter hanc prioritatem secundum intellectum cum fundamento in re tribuunt essentiæ respectu attributorum: at vero, vt superius dicebam, si hæc considerantur vt rationes formales intrinsecæ, essentia vero vt constitutum quoddam ex omnibus coalescens, necessario attributa erunt priora secundum intellectum, sicut sunt omnia, quę se habent per modum formæ essentialis intrinsecæ.

X. Denique magis aptum esse modum concipiendi essentiam per modum fundamenti, ac subiecti, attributa per modum qualitatis, & proprietatum constat: quoniam nos hæc intelligimus in diuinis ad modum, quo ex creaturis agnoscimus, in creaturis autem essentia rerum intellectualium est sola substantia, perfectiones aliæ inseparabiles sunt proprietates: ex his vero ad diuina imperfectè percipienda traducti essentiam concipimus quasi perfectionem substantialem ex gradibus substantialibus constitutam, perfectiones alias, vt proprietates ipsius, quo nomine à pluribus non solùm Theologis, sed etiam patribus censentur, qui eas etiam interdum appellant qualitates. Et hic est modus accipiendi communis, & notus omnibus. Ille vero, quem auctores oppositæ sententiæ [illegible]gunt, est satis absconditus, ac retrusus: nam modus concipiendi naturam humanam, vel rationalitatem, vt ipsi loquuntur, quatenus est radicaliter discursiua, apprehensiua, iudicatiua, est parum vsitatus, & fortè sine fundamento diuersitatis: nam quando res aliqua habet habitudinem radicalem ad plura ordinata, non concipitur vt plura ratione distincta cum fundamento in re, sed solùm vt vnum, non enim radix quatenus concipitur vt principium trunci, ramorum ac frondium, habet distinctas rationes obiectiuas, sed vnam, qua per truncum concipitur vt radix cæterorum: & idcirco cum apprehendere, iudicare, ac discurrere sint actus subordinati, non opus est vt anima, quatenus est radix singulorum, habeat peculiarem rationem formalem. Adhuc tamen responderi potest assignando diuersam rationem: quoniam radix non habet aliam causalitatem respectu ramorum, quam interuentu trunci, animus autem respectu operationum sequentium habet etiam immediatum concursum, & consequenter immediatam rationem formalem radicalem. Quod licet admittamus, nondum restat modus demonstrandi vnum per aliud: etenim ad medium demonstrationis requiritur distinctio, & causalitas, saltem quoad esse intellectum, eiusmodi rationes obiectiuæ, quatenus distinguuntur, non habent vllam causalitatem etiam respectu intellectus: quatenus vero hanc habent, carent distinctione habente fundamentum in re, & proinde licet modus ille concipiendi non sit impossibilis, est tamen ineptus ad vsum demonstrationis.

XI. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur, si sermo sit de essentia secundum se, rectè concludere, si vero ad modum, quo concipitur à nobis sub præcisa perfectione substantiali, nequaquam: nam hoc modo est quidem realiter, ac identicè perfectio infinita simpliciter, formaliter autem secundum suum præcisum conceptum est infinita absolutè in genere perfectionis substantialis, non autem in omni genere, sed radicaliter, ac denominatiuè: radicaliter, quatenus concipitur vt radix perfectionum attributalium, quibus additis rationi substantiali continetur omnis perfectio simpliciter: denominatiuè autem, quatenus denominatur formaliter ab ijsdem tanquam à proprijs passionibus. Neque ex hoc sequitur dari posse nostro intelligendi modo formam aliquam conceptam solùm per modum perfectionis substantialis perfectiorem essentia: nam ex perfectionibus conceptis per modum plurium, & per modum subiecti, ac proprietatum, non potest concipi vna forma per modum essentiæ: itaque sicut natura diuina secundum se est omnium formarum perfectissima, ita quatenus concipitur sub ratione essentiæ, est omnium essentiarum perfectissima, nec requiritur vt sub eo conceptu contineat omnem omninò per-

fectionem formaliter, sed identicè radicaliter, ac denominatiuè. Ad confirmationem maioris in hoc secundo sensu respondendum est cum distinctione: nam si per se primo, & quatenus ipsum extenditur ad primum, ac secundum modum per se, hoc est siue tanquam intrinsecum essentiæ, siue cum illa necessario connexum, concedenda est: si vero restringatur ad primum modum per se, neganda: quamuis primum ens secundum se non habeat aliud prius, ratione cuius ipsi conuenit aliqua perfectio, tamen ipsum, quatenus concipitur sub ratione solùm essentiæ distinctæ ab attributis, hoc ipso concipitur tanquam radix ipsorum, & ratio cur ea sibi conueniant. Ad secundum respondeo essentiam secundum se intrinsecè continere quidquid continet ipsum esse diuinum, vt tamen à nobis concipitur per modum formæ substantialis, vendicare etiam totum esse diuinum sub præcisa ratione perfectionis substantialis, vt dictum est in prima assertione, non autem sub ratione aliarum perfectionum secundum se præcisè abstrahentium à ratione substantiæ & accidentis, quales sunt perfectiones attributales secundum id, quo differunt ab inuicem. Ad confirmationem distinguenda est illa propositio. Ad rationem essentiæ, vt essentia est pertinet omne esse diuinum substantiale: nam si intelligatur reduplicatiuè, vera est, quoniam omne esse diuinum substantiale, quatenus substantiale, pertinet intrinsecè ad rationem essentiæ, vt à nobis concipitur, si vero accipiatur specificatiuè, est falsa, non enim omne esse substantiale sub ratione cuiusuis alterius perfectionis ratione distinctæ pertinet intrinsecè ad essentiam, vt explicatum est: cùm vero superius dixi perfectiones omnes diuinas secundũ proprios conceptus vendicare esse substantiale, locutus sum de conceptibus ipsarum secundum totam rationem, qua nostro modo intelligendi conueniunt inter se in ratione per se existendi, & differunt secundum rationes peculiares: nunc autẽ quoad rationem attributalem cõsiderantur solùm secundum rationes proprias, queis distinguuntur: quemadmodum quando consideramus potentias animæ vt distinguuntur, non curamus de ratione cõmuni accidentis, qualitatis, aut naturalis potentiæ, in qua conueniunt, quamuis re vera eiusmodi ratio illis insit: similiter quando iustitiam, sapientiam, omnipotẽtiam, & similia distinguimus ratione, vt diuersa attributa Deitatis, solùm attendimus ad rationes, quibus inuicem inter se, & ab essentia differunt, quas si non re, ratione tamen præscindendo abstrahere possumus à ratione substantiæ. Neque huic repugnat id, quod eodem argumento dicitur, nimirũ in diuinis idem omninò esse formam, & esse eiusdem absque vlla distinctione: quamuis enim id verum sit ex natura rei, nihil impedit, quo minus ipsum esse sub ratione perfectionis substantialis concipiatur vt ratione distinctum à singulis perfectionibus diuinis, quę secundum conceptus analogicos cõmunes Deo & creaturis abstrahunt ab esse substantiali & accidentali: qua distinctione rationis admissa, non necessario sequitur, vt si ipsum esse intrinsecè pertinet ad rationem essentiæ, perfectiones etiam ipsæ secundum diuersos conceptus ad eandem intrinsecè pertinere intelligantur: quoniam vt sic non sunt formæ intrinsecæ ipsius esse absolutè, & substantialiter sumpti, sed singulæ cum determinatione ad proprium effectum formalem: Verbi gratia, sapientia est forma intrinseca eius quod est sapientem esse, iustitia eius, quod est iustum esse: & quamuis esse horum pertineat ad rationem intrinsecam essentiæ, quatenus præcisè est esse, non tamen quatenus determinatè concipitur sub ratione totius coniuncti ex vtraque ratione: verbi gratia esse sapiens, esse iustum. Ad vltimum respondetur non repugnare, vt res perfectissima eminenter continens multas rationes, & perfectiones omnes simpliciter intrinsecè vendicans præcisè concepta sub vna, vel altera ipsarum ab alijs ratione præscindat: hoc enim admisso nõ sequitur idem secundum idem vendicare intrinsecè, & essentialiter rationes aliquas, & simul abstrahere ab illis posse: sed solùm idem secundum vnam rationem formalem conceptum vendicare intrinsecè aliquas rationes formales, & secundum aliam abstrahere ab ijsdem, quod non est absurdum: nam eadem realitas humanitatis concepta sub ratione formali hominis includit intrinsecè rationale: & gradus omnes genericos inferiores hominem, ac substantiam generalissimum, concepta vero sub ratione viuentis præcisè non includit gradum rationalitatis, ac sensitiui, ad eundem fere modum, si magna licet cõponere paruis, eadem met entitas diuina concepta secundũ se prout est in re, vendicat intrinsecè, & essentialiter omnes perfectiones diuinas, concepta tamen solùm per modum essentiæ, ac formæ substantialis, & táquam radix perfectionum attributalium non ita illas vendicat. Itaque id, quod secundum vnam rationem includit intrinsecè per-

fectiones

sectiones aliquas, nō potest secundum eandem ab illis abstrahere, potest autem, si sub vna alia ratione concipiatur: & hoc posteriore modo se res habet in essentia diuina, quatenus absolutè concipitur vt forma, ac perfectio substantialis Dei.

Nec infinitas, nec intellectio est ratio per se primo, & completè constitutiua essentiæ, prout à nobis intelligitur, sed actualitas ipsius esse substantialis.

CAPVT IV.

I. OMnis natura substantialis habet propriam rationem essentialem, qua per se primo constituitur, & ab alijs distinguitur. Cùm ergo concipimus naturam diuinam per modum huius essentiæ substantialis, aliquam rationem Deo propriam concipimus: quæ vero hæc sit nondum explicatum est: sed solummodo sunt exclusæ ab eadem perfectiones attributales conceptæ per modū proprietatum, Tolet. & Argent. relati tract. superiore, cap. 14. existimant infinitatem esse rationem formalem quidditatiuam, quæ essentiam etiam nostro modo conceptam per se vltimo constituat in sua propria ratione singulari: ex ijs tamen, quæ ibidem dicta sunt, facilè conuincitur ipsorum opinio: nam quamuis infinitas simpliciter addita enti constituat conceptum complexum Deo proprium, non tamen quidditatiuum, sed tanquam ex genere remoto, ac proprietate, qualis est infinitas. Accedit quod nostro modo intelligendi prius concipimus rationem intrinsecam substantiæ, quam eiusdem quantitatem: infinitas autem diuina concipitur à nobis vt quantitas Deitatis, aut modus ipsius: quare concipi nequit, vt forma substantialis intrinseca: atque adeò alia perfectio est, quam nos intelligimus instar differentiæ substantialis per se primo, & completè constitutiuam essentiæ, vt est natura substantialis.

Tolet. Argent.

II. Alij, quorum eodem tractatu cap. 13. facta est mentio, censent intellectionem actualem esse primo constitutiuam essentiæ. Et quoniam ibi expendi aliqua ipsorum fundamenta, & ostendi intellectionem actualem non esse vltimo constitutiuam essentiæ secundum se sumptæ, nunc alia proferam, & exquiram vtrum saltem nostro modo intelligendi id verū sit. Præcipuum ipsorum fundamentum est, quoniam Deus est substantia intellectualis, & nostro modo intelligendi constitui debet in suo esse per formam, ac rationem formalem pertinentem ad genus intellectualitatis: non est alia, quam intellectio actualis, ergo per hanc constituitur. Maior quoad priorem partem est manifesta: quoad posteriorem probatur, quia differentiæ constitutiuæ non transcendunt genus, sub quo constitutum continetur. Assumptio ostenditur, quoniam in Deo non est intellectualitas radicalis, aut potentialis: ergo sola actualis. Antecedens est de mente D. Thomæ 1. p. q. 41. art. 4. ad 3. & lib. 1. contra gentes, cap. 45. & 56. & alibi, vbi concedens in Deo potentiam respectu actuum notionalium, negat respectu essentialium, quem sequuntur Thomistæ, & alij doctores. Fundamentum sumitur à diuersitate, qua gradus intellectualis competit Deo, & creaturis: hæ enim propter sui imperfectionem constituuntur in gradu intellectuali per intellectiuum potentiale, vel radicale Deus autē per ipsam completam & actualem rationē intelligendi: ita vt cōceptu obiectiuo intellectualitatis diuinæ nequeat habere locum vlla ex illis imperfectionibus, quib⁹ sublatis nihil supereſt pertinens ad rationē intellectualitatis diuinæ nisi ipsa actualis, & substantialis ratio intellectionis: nam cum intellectus per modū potentiæ sit veluti somnus, per modū vero actus sit instar vigiliæ auctore Philosopho lib. 12. Metaph. text. 39. iuxta interpretationē D. Thomæ ibid. lect. 8. semper in cōceptu gradus intellectualis abstrahētis ab actuali intellectione includitur imperfectio: quare nō est in Deo alia ratio intellectualitatis, etiā virtute distincta à ratione actualis intellectionis. Nam q̄ attinet ad rationē potentiæ vitalis, res est per se nota, hæc enim abstrahi nequit à distinctione reali, emanatione, ac potentialitate: quoniam ratio potētiæ actiuę cōsistit in vi productiua actus: productio vero nō intelligitur sine distinctione producētis, ac producti, neque sine reali emanatione huius ab illo, nec denique sine potentia passiua huius ad illud: nā potentiæ vitales respectu suorū actuum simul sunt actiuæ producendo, & passiuæ recipiendo. Quod vero attinet ad rationē gradus intellectiui radicalis, ostenditur nō esse in Deo: nam si concipiatur vt distincta, ac præcisa ab intellectione actuali, si nō realiter, formaliter tamen est imperfecta, ac limitata in ratione intellectualitatis quasi inchoata in eo genere, & cum habitudine ad actualem intellectionem, huiusmodi vero imperfectiones repugnant essentiæ diuinæ:

S. Thom.

Aristot:

S. Thom.

diuinæ: quare admitti nō debet gradus intellectualitatis radicalis. Et confirmatur quoniā ratio entitatis, siue essentiæ præcisa ab omni existētia etiā sola ratione distincta repugnat naturæ diuinæ, quia sic esset potentialis, atque imperfecta formaliter perfacienda, & actuanda per existentiam, ergo etiā ratio intellectiua radicalis præcisa ab intellectione ob eandē rationē erit imperfecta, & aliena ab essentia diuina. Si quis respondeat nō opus esse, vt ratio omnis diuina secundum se contineat omnem perfectionē, dummodo actu nō includat imperfectionē, facilè impugnatur: quoniam carentia ipsa actualitatis intellectionis diuinæ est quędā potētialitas, & imperfectio, quæ non cadit in vllam rationē formalem perfectionum diuinarum: propterea enim *D. Thom.* D. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. & communis sentētia reijcit à Deo rationē generis, quia hoc habet se tanquam potentia respectu differentiæ, quæ est tanquam actus perficiens: nam vbi primum admittitur actus, etiam sola ratione distinctus, inuoluitur ratio potentiæ, quæ est imperfectio. Huius vero ratio est quoniam sicut natura diuina propter infinitatē perfectionis suæ existit in se perfectissimo modo possibili, ita etiā postulat, vt concipiatur à nobis perfectissimo modo possibili: is vero est si concipiatur constitui per ipsam infinitam rationem intelligendi substantialem & actualem, nō vero per solam substantialem præscindentem ab intellectione. Denique nulla qualitas creata est simplicior, aut purior quam intellectualitas, vel intellectio diuina: alioquin aliqua perfectio simpliciter esset excellentiore modo in creatura, quā in Deo, quod repugnat: at qualitas, quę est intellectio, ita est pure intelligere, vt non sit resolubilis intrinsecè in duplicem rationē nempè intellectualitatis, & intellectionis: ergo neque intellectio diuina resolui potest in has duas rationes: quare sicut ea qualitas poneretur ens à se, ac subsistēs, absque vlla mistura potentiæ intellectiuæ, ita concipi debet ipsum diuinū intelligere; & confirmatur quoniam intellectus non potest resoluere rem aliquā etiam secundum rationem in suum oppositum: sed actus purus opponitur potentiæ: ergo diuinum intelligere, quod est actus purus, concipi nequit sub ratione potentiæ.

III. Quoniam præcipuum fundamentū oppositæ sententiæ est non competere Deo vllam rationem intellectualitatis ab intellectione distinctam, hoc primo expendi debet, vt deinde vera quæstionis resolutio tradatur; & vero cum ratio omnis intellectualitatis tria solùm complectatur, nimirum intellectionē ipsam, potentiam intellectricem, & gradum substantialem, qui est ipsa radicalis intellectualitas, & in creaturis principium potentiæ, & actus, de primo, ac secundo cōuenit mihi cum aduersarijs: nam intellectionē vtrique Deo tribuimus, potētiam vero negamus, vt enim alibi ostendā Deo nō competit adæquata ratio intellectus quatenus potētia vitalis est, quia inuoluit rationē potētiæ passiuæ, quæ Deo repugnat: vtrū vero sub aliqua ratione inadæquata cōueniat ratio intellectus distincta virtute ab ipsa intellectione, dicam in materia de vita Dei. Nunc vero cōtrouersia est de tertio, quod illi Deo negant, ego tribuendū cōtendo. Pro quo suppono gradū substantialē intellectualitatis, quatenus distinguitur ab intellectione, formaliter sumptū esse perfectionē simpliciter. Id vero probo quoniam secundū se nō includit imperfectionem, & in quouis melius est ipsum, quā nō ipsum. Nō includit imperfectionem: quoniā quatenus substātia, illā nō includit; nō itē quatenus intellectualitas, vt patet: etenim in Angelo, atq; homine, quatenus analogicè conueniunt in gradu substātiali intellectiuo, est aliqua perfectio simpliciter, qua carent brutæ animātes: hęc vero nō est alia, quā intellectualitas substātialis: nā potētialis, & actualis nō includuntur intrinsecè in gradu illo analogico. Respondebunt hunc gradū inuoluere habitudinē ad intellectionē actualem, & negationem ipsius, quæ sunt maximè imperfectiones: sed sine fundamēto ita respōdebunt: nā etsi id daremus substantiæ intellectuali creatæ, nō est vndè cogamur cōcedere gradui analogico cōmuni Deo, & creaturis: sicut enim intellectio creata, quia accidens imperfectionē includit, & nihilominus ab ea abstrahimus rationē intellectionis cōmunem Deo, & creaturis sine vlla mistura imperfectionis, sic etiā à substātia intellectuali abstrahimus communē rationē intellectualitatis substātialis absque vlla imperfectionis: quæ secundū se præcisum conceptū intellectionem actualem nec includit, nec excludit, sed abstrahit ab ea, & negatione ipsius. Ex quo planè sequitur ipsam esse perfectionem simpliciter: & à perfectione actualis intellectionis. Saltem ratione distinctam, quandoquidem abstrahit ab illa, & potest interdum absque illa cohærere, vt contingit puero recens concepto: cui ineſt ratio intellectualitatis substantialis cum negatione intellectionis actualis. Porrò is gradus in suis analogatis re ipsa est, vel cum negatione actualis intellectionis

saltem

saltem secundum partem, & cum capacitate, & habitudine ad illam, vt in creatura, vel cum intellectione necessario coniunctus, separabilis tamen abstractione præcisionis, vt in Deo: & sub priore quidem consideratione potest dici actualis quidem in genere substantiæ, radicalis vero in ordine ad intellectionem actualem: quandoquidem in genere substantiæ est actu completus, ad actualem vero intellectionem est in potentia: sub posteriore vero dici potest gradus intellectualitatis actualis in genere substantiæ, radicalis autem in ordine ad intellectionem, non re ipsa, sed solum secundum nostrum modū intelligendi. Ratio est, quoniam ratio intellectualitatis substantialis conuenit ipsi per se essentialiter, quę vero, ita conueniunt, sunt actu, non potentia: ratio vero intellectionis actualis, ratione conceptus præcisiui, nec conuenit, nec repugnat: & pro ratione subiecti, vel ab eo distinguitur ex natura rei, illique accidit, vel est idem cum illo, nec accidit, & consequenter non supponit eius ad se potentialitatem: sed solummodo nostro modo intelligendi concipitur, vt perfectio non intrinseca gradui illi substantiali, quatenus substantialis est; quomodo se habet in Deo. Vt enim gradus aliquis re ipsa sit radicalis in ordine ad aliquam perfectionem, opus est, vt à parte rei sit in ipso vera ratio principij, ac potentiæ in ordine ad illam: cum vero gradus intellectualitatis substantialis consideratur solum secundum rationem perfectionis suæ substantialis abstrahendo à distinctione, vel identitate cum intellectione actuali, non necessario inuoluitur distinctio actualis ab intellectione, aut priuatio ipsius, sed potest admitti omnimoda identitas cum ipsa: ergo in ratione gradus intellectualitatis substantialis non necessario includitur ratio principij, aut potentiæ in ordine ad illam: nec proinde secundum rem dici debet radicalis, sed solum nostro modo intelligendi. Eam quemadmodum Theologi concipiunt eius actum, vt radicem perfectionum attributalium, cum quibus est omnino idem, quatenus intelligunt eam sub ratione perfectionis substantialis priorem ijs perfectionibus, quæ in creaturis habent modum proprietatum, & accidentium, ita gradus substantialis intellectualitatis concipi potest, vt radix actualis perfectionis.

IV. His præmissis ostendo institutum, perfectiones, quæ sunt in creaturis dispersæ, sunt in Deo vnitæ, seu potius vnum secundum rem, distinctæ tamen ratione, ita vt alia sit ratio, sub qua essentia diuina respondet vni, & altera sub qua respondet alteri: in creaturis autem diuersa est perfectio intellectualitatis, quatenus est gradus substantialis, & quatenus est ipsamet intellectio actualis: ergo entitas diuina respondet vtrique sub diuersa ratione formali virtuali: & ita ratio gradus substantialis intellectualitatis est in Deo perfectio ratione distincta à ratione intellectionis actualis: & confirmatur quoniam, si quid obstaret, vel esset aliqua imperfectio gradus huius substantialis, vel identitas eius cum intellectione diuina, quæ dicit esse substantiale. Primum non obstat: nam quamuis gradus ciusmodi, quatenus in creatura habet annexam priuationem, ac potentiam, non sit perfectio simpliciter, est tamen secundum rationem communem analogicam abstrahentem à creatura, & creatore, vt explicatum est: non item secundum, nam etiam volitio in Deo est substantia, nec tamen propterea definit habere rationem perfectionis virtualiter distinctæ ab essentia, quatenus substantia est: quia scilicet in creaturis alia est perfectio substantiæ, alia volitionis: ergo ob eandem causam ratio gradus vitæ, & intellectualitatis substantialis, est perfectio ratione distincta ab intellectione actuali. Secūdo Deo, qui est summa perfectio, deesse non potest excellentissima perfectio: inter omnes autē perfectiones naturales gradus substantialis intellectualitatis est omnium perfectissimus, perfectior enim est gradus vitæ intellectiuæ substantialis intrinsecus, & essentialis Angelo, q̄ vita intellectualis accidentalis eidē, quare, si in Deo est formaliter perfectio respōdens vitæ accidētali, erit etiā perfectio respōdens vitæ intellectiuæ substātiali. Maior ꝓpositio sumit̄ ex cōmuni sanctorū Patrum sententia, qui docēt tribuendū Deo, quod perfectius est, & ex ratione ipsa, quoniam perfectiones creaturarū præexistere debent in Deo, qui est principium ipsarum: ꝙ si secundum rationē formalem non inuoluunt perfectionem, secundū hanc ineſſe debent. Non solum autem is gradus in Deo est virtualiter distinctus ab actuali intellectione, sed etiam nostro modo intelligendi prior, ratio est, quoniam sicut in creaturis prior est ratio substantiæ, q̄ proprietatum, ita nostro intelligendi modo prius cōcipitur in Deo ratio substantiæ, quam proprietatum, & consequenter prius concipitur in Deo ratio vitæ substantialis, q̄ intellectio actua-

lis, quæ intelligitur, tanquam operatio ipsius.

V. Dico primum, intellectio diuina secundum adæquatum conceptum non est forma per se primo constitutiua essentiæ diuinæ, quatenus à nobis intelligitur in genere naturæ substantialis; est communis sententia Theologorum quos citaui capit. proximo asserentium diuina attributa non contineri nostro modo intelligendi in rõe formali diuinæ essentiæ: nã inter alia numerant diuinã sapientiam. Ratione vero suadetur: quoniam, vt paulo ante ostendi, in Deo est gradus substantialis intellectualitatis virtute distinctus ab intellectione, qui si consideretur secundũ vltimam determinationem, & actualitatẽ cum abstractione à propria ratione intellectionis, necessario intelligetur substantia q̃dam immaterialis per se existens, & cõpleta in genere substantiæ: ergo intellectio adæquate sumpta non est forma vltimo constitutiua essentiæ vt à nobis concipitur. Assumptio patet, nam p̃cisio formę conceptæ per modum perfectionis extrinsecæ substantiæ, quatenus substantia est, non impedit cõstitutionẽ essentialẽ ipsius: at si concipiatur gradus intellectualitatis substantialis virtute distinctus à propria ratione formali intellectionis, qua intellectio est, hæc concipitur per modum formæ extrinsecæ illi gradui: atque adeo non intelligitur vt forma per se, & essentialiter constituens essentiam diuinam. Accedit quod intellectio concipitur per modum actus vitalis, essentia per modum formæ intrinsecæ, actus autem vitalis in nobis supponit subiectum constitutũ per essentiam, & ab eo vitaliter emanat: & ideo cum diuina per modum humanorum concipiamus, apprehendimus intellectionem quasi actum vitalem Dei posteriorem nostro modo intelligendi Deo ipso, & essentia, qua formaliter constituitur. Dixi vero secundum adæquatum conceptum, quoniam, vt iam dixi, intellectio diuina, & cætera attributa in sua ratione includunt rationem substantiæ, qua excluditur imperfectio inhæsionis propria perfectionũ creatarum secundarum, & præterea ipsam formalem rationem intellectionis: & secundum hanc nostro intelligendi modo non constituitur essentia quatenus sumitur vt forma substantialis Dei, secundum priorem vero non obstat, quo minus inadæquate saltem constituatur vt mox dicam.

VI. Dico secundum: gradus substantialis intellectualitatis, prout solum respondet intellectioni, aut cuiuis alij perfectioni intellectus nostro modo intelligendi, non est adæquata ratio constitutiua essentiæ. fundamentum est quoniam essentia diuina quatenus forma substantialis, est infinite perfecta, & infinita in genere substantiæ, ita vt nulla omnino ratio substantiæ absolutæ sit illi extrinseca: at vero gradus substantialis intellectualitatis, quatenus præcisè respondet perfectionibus intellectus, non includit formaliter omnem perfectionem substantialem Dei, qui non solum est substantialiter intelligens, sed etiam substantialiter iustus, omnipotens, immensus, æternus, quæ substantialitates, vt ita loquar, non includuntur in præciso conceptu intellectualitatis substantialis. Quemadmodum igitur si daretur differentia aliqua vltimo constitutiua habens plures rationes formales virtute distinctas quamuis inter ipsas daretur aliqua ratione prior cæteris, non proinde esset adæquate constitutiua essentiæ, quoniam alijs nondum intellectis non est completa, & perfecta, ita quamuis gradus substantialis sumptus à perfectione intellectuali sit prior alijs, ijs tamen non intellectis, adhuc essentia diuina non intelligitur infinite perfecta in genere perfectionis substantialis: sed debet accipi quasi integrata ex omnibus rationibus per se existendi, quæ coalescunt in vnum gradum infinitum substantialitatis diuinæ: & ita ea prioritas habet secundum intellectum adiunctam negationem aliarum rationum extrinsecarum, quibus non intellectis concipi nequit essentia vltimo constituta. Quod intelligi vtcumque potest similitudine compositi Physici: nam supposito quod Socrates substantialiter coalescat ex hac materia organica, ex his carnibus, & ossibus: itemque ex animo rationali, quamuis inter animum, & materiam organizatam sit aliquis ordo prioritatis, non intelligitur adæquate constitutus in ratione [illegible] hominis in illo priore, qua corpus, & anima se mutuo præcedunt, sed in termino vnionis vtrumque inter se, in hoc enim iam non intelligitur prioritas, sed simultas: ita quamuis nostro modo intelligendi sit prioritas inter esse substantiale intellectionis diuinæ, & reliquarum perfectionum: tamen, quia adæquata ratio substantialis Deitatis non est solum ea, qua intellectio subsistens est, sed qua omnes omnino perfectiones diuinæ subsistunt, forma per se primo, & completè

constitutiua essentiæ non est subsistentia præcisè intellectionis, sed omnium perfectionum diuinarum: illa vero concipi potest vt ratio inadæquatè, & incompletè constitutiua.

VII. At vero intellectualitas substantialis accipi potest, vel præcisè quatenus est subsistentia intellectionis actualis, vel quatenus est ratio substantialis omnium perfectionum, quæ quoquo modo pertinent ad gradū intellectualem, verbi gratia, volitionis diuinæ, & omniū perfectionū spectantiū ad intellectū, & voluntatē: nam sicut in nobis vnus est gradus substantialis intellectiuus, cuius passiones, vel accidentia sunt perfectiones superadditæ supponētes eiusmodi gradū, propter q̄ causā ipsæ quoq; dicunt vitales, ac intellectuales, ita in Deo perfectiones conuenientes analogice cum nostris intellectualibus pertinent ad gradū intellectualitatis substantialis: ita vt volitio diuina sit substantia intellectualis, & sic in cæteris: & ratio adæquata intellectualitatis hoc modo sumptæ habet in Deo nostro modo intelligendi vicem gradus vitalis, & intellectualis integri, & completi. Et quidem assertio secunda verissima est si intelligatur de gradu substantiali intellectualitatis primo modo sumpto, quatenus præcisè est ratio substantialis perfectionum ad intellectū pertinētium. Interrogabit vero aliquis vtrum etiam intelligatur de eodem si sumatur secundo modo; non esse intelligendam patet, quoniā post gradū intellectualitatis integre & cōpletè acceptum nō est vlla alia ratio substantialis intrinseca Deitati: sicut. n. in nobis, à quibus transfertur ratio intelligendi ad diuina, vltimus gradus essentialis est rationalitas, quæ non ampliùs essentialiter determinatur, ita in diuinis post gradum intellectualitatis non intelligitur vllus essentialis: atq; adeo per illum integre & completè modo nostro intelligendi constituitur essentia diuina in suo esse substantiali intrinseco.

VIII. Dico tertiùm. Non gradus intellectualitatis adæquatè sumptus, sed pura actualitas ipsius esse substantialis nostro modo intelligendi constituit integre, & complete essentiam diuinam in ratione naturæ substantialis. Est de mente Henrici in summa artic. 24. quæst. 3. lit. Y. Prior pars facilè ostenditur, quoniam gradus per se primo, & integre constituens aliquam naturam debet esse ratio distinctionis eius à reliqs omnib. à quibus, quatenus talis, essētialiter separatur: hoc aūt nō cadit in gradū intellectualitatis: ergo is non est adæquate cōstitutiuus essentiæ. Assumptionē probo: quoniā essentia diuina quatenus ipsa, separatur per se primo, & immediate, & essentialiter ab omni essentia, ita vt habeat in se peculiares rationes essentiales nō cōmunes solum, sed singulares, quibus secernit immediate à quouis rerū genere, cū quo alioquin cōuenit in ratione aliqua cōmuni analogica. Hanc vero diuersitatem non gignit sola ratio substantialis intellectualitatis: quare hæc nō separat essentialiter per se primo, & quatenus ipsum, naturā diuinā à quouis rerū genere. Assumptio ostenditur, quoniā Deus cōuenit analogice cū Angelis, & hominibus in gradu substantiæ intellectualis: ergo nō separatur per illum ab omnib. rebus creatis. Secunda pars assertionis ostenditur in hunc modū, actualitas esse substātialis est id, quo nostro modo intelligendi essentia diuina, quatenus à nobis cōcipitur vt natura substātialis Dei, primo per se, & quatenus ipsa differt essentialiter ab omni creatura: ergo hæc est vltima, & cōpleta ratio cōstitutiua illius secundū intellectū. Consequētia patet, antecedens facilè suadetur, nam ratio vltimo cōstitutiua nō debet esse cōmunis cū alijs, sed propria cōstituto debet includere omnia, quib. cōstitutū, quatenus ipsum essentialiter differt ab alijs: hoc aūt cōuenit actualitati substātialis esse respectu essentiæ: nam ratio actus puri substantialis soli Deo cōuenit: cumq; sit actus purus in genere substātiæ, includit omnē perfectionem substantialiter essendi: quare nostro intelligēdi modo esse substantiale actuale, est completa & adæquata ratio per se primo, & vltimo constitutiua essentiæ, prout à nobis cōcipitur tanquam forma substantialis Dei.

IX. Autoritates Diui Thomæ, & aliorum non agunt de gradu intellectualitatis secundum esse substantiale, sed solum secundum rationem potentiæ veræ, ac propriæ, in quo sensu veritatem continent, & recipiendæ sunt. Quod vero attinet ad rationem gradus intellectualitatis substantialis, negandum est in suo conceptu includere imperfectionem, cum vero re ipsa sit coniunctus cum intellectione, & abstrahat ab illa solum secundum rōem formalem, nequaquam est per modum somni: quemadmodū. n. vt intellectus sit per modū vigiliæ, non requiritur, vt ipsemet sit intellectio, sed vt ne sine intellectione sit, vt patet in nostro quando actu intelligit, ita vt gradus intellectualitatis sit per modū vigiliæ, non somni, non opus est, vt sua ratione formali intrinsece contineat intellectionem, sed sat est ne re ipsa abstrahat ab ea. Et ita Philosophus eo argumēto solum

inten-

intendebat probare Deum non esse ociosum absque operatione intellectuali, non vero vtrum hæc pertineret intrinsece ad essentiam Dei,aut esset vltima eius forma essentialis. Cum vero Diuus Thomas ait in gradu intellectualitatis abstrahentis ab actuali intellectione includi imperfectionem, intelligendus est de abstractione secundum rem, non secundum rationem formalem. Ad rationem, qua hoc impugnatur, respondeo abstractionem præcisionis vnius perfectionis ab altera non arguere imperfectionem formalem in re ipsa, sed in modo concipiendi: alioquin etiam ipsa intellectio, quippe quæ secundum propriam rationem abstrahit à cæteris attributis, esset formaliter imperfecta, quod absurdum est: sed ea sola abstractio imperfectionem inuoluit, qua præscinditur res à perfectione eiusdem generis, verbi gratia, si sapientia abstraheret à notitia immensitatis diuinæ,esset imperfecta, quia careret aliqua ratione perfectionis in genere sapientiæ: at perfectio intellectualitatis substantialis, & intellectionis actualis quamuis nominetenus conuenire videantur,sunt in diuerso genere: nempe prior in genere substantiæ, altera in genere sapientiæ: & ideo prior considerata solum secundum rationem perfectionis substantialis,vt iam dixi,abstrahit à posteriore: sub qua abstractione non est in suo genere imperfecta: neque intrinsece dicit habitudinem ad intellectionem, sed abstrahit à distinctione, & identitate cum illa. Ad confirmationem neganda est consequentia: quoniam essentia abstrahendo ab actu existendi non potest concipi actu: actus autem est,qui complet rationem perfectionis essentiæ, & proinde conceptus purus essentiæ absque actu inuoluit negationem perfectionis, & complementi essentiæ in genere essentiæ: & gradus intellectualitatis substantialis, tametsi concipiatur præcisè absque intellectione actuali, concipi adhuc potest actu subesse substantiali actuali, quod est vltimum complementum perfectionis substantialis quatenus substantialis, & idcirco non erit imperfectus in genere essentiæ, siue substantiæ, quod sat est, vt non dicatur ratio formalis imperfecta. Ad huius responsionis in ipso argumento tactæ impugnationem respondeo abstractionem præcisionis gradus vitæ substantialis ab intellectione actuali non posse dici carentiam priuationem, aut potentialitatem, nam si dici potest, etiam abstractio à volitione erit carentia,priuatio, ac potentialitas: atque adeo cum de sententia autorum oppositæ sententiæ,contra quos nunc disputo,essentia abstrahat à volitione,habebit in suo esse formali carentiam, priuationem,ac potentialitatem: quod ipsi nullo modo admittent. Quare etiam non sequitur essentiam fore coniunctam cum priuatione, aut potentialitate ex eo, quod concipiatur secundum esse substantiale abstrahendo ab intellectione actuali.

X. Ad argumentum vero sumptum à ratione generis respondetur gradum genericum intrinsece esse imperfectum, & inchoatum in quouis genere. Verbi gratia, si sit de prædicamento substantiæ, in genere substantiæ: si de prædicamento qualitatis in genere qualitatis, ex quo constat ipsum indigere complemento perfectionis in eodem genere, & habere rationem potentiæ: at vero gradus substantialis intellectualitatis diuinæ prout à nobis concipitur, est perfectus in genere substantiæ viuentis, & ideo non est potentialis ad vllum gradum perfectionis. Itaque ratio potentialitatis non consistit in ratione actus distincti ratione ab essentia: vt enim iam dixi, actus voluntatis distinguitur ratione ab essentia diuina, nec tamen arguit potentialitatem in ipsa, sed consistit in ratione actus vel ex natura rei extranei essentiæ subiecti, cui aduenit, vel complentis imperfectionem eius in suo genere. Cum vero ex modo, quo essentia existit in se, probatur cõcipi debere à nobis perfectissimo modo, quo concipi potest in rõe essentię, siue naturæ substantialis, concedi debet proportionabiliter iuxta mensuram conceptus nostri sumpti ex creaturis: verum negandum est hunc modum esse, si concipiatur sub ratione intellectionis actualis: quandoquidẽ hoc modo non continet totum esse substantiale diuinũ in tota sua amplitudine,sed tantum sub determinata ratione substantiali essendi: perfectissimus autem modus concipiendi essentiam in ratione formæ substantialis, prout à nobis sumitur, non admittit vllam determinationem,aut restrictionẽ in ratione substãtiæ,sed exigit vt cõcipiatur sub infinita ratione essendi substantiali: ita vt tota ratio substantialis, quatenus substantialis est, contineatur in conceptu obiectiuo diuinitatis cõceptæ solum per modũ essentię.Ad vltimum respondetur scientiam actualem creatam resolui non posse in rõem intellectualitatis,ac intellectionis: resolui tamen posse in esse,& id quo est:scilicet in formã, qua mens sit intelligens actu, & in ipsum

actum es-

actum essendi: aliud enim est intellectio, aliud esse ipsius quod non est de essentia intellectionis: quod si intellectio creata per impossibile fingeretur forma substantialis, recte in ipsa distingui posset duplex ratio perfectionis simpliciter: altera consistens in modo substantiali, altera in peculiari ratione scientiæ actualis, in qua conueniret cum perfectione scientiæ nostræ accidentalis: tunc vero intellecto per se subsistens nō haberet quidem modum intellectualitatis potentialis, haberet tamen modum intellectualitatis substantialis, & conueniret cum substantia creata intellectiua in proprio eius modo substantiali, esset enim substantia viuens, & intellectualis. Eodem modo concipitur intellectio diuina, à qua præscinditur ratio substantialis, quatenus substantialis est, vt simul cum esse substantiali reliquarum perfectionum nostro modo intelligendi constituatur essentia, ipsa vero quatenus continet præcisam rationem intelligendi, concipitur per modum attributi. Ad confirmationem respondetur eiusmodi resolutionem non terminari in oppositum eius, quod resoluitur: siquidem, vt iam dixi, non terminatur ad esse potentiale, sed ad esse actuale substantialis gradus intellectualitatis cum abstractione præcisionis à præcisa perfectione intelligendi: hic vero gradus est in Deo re ipsa coniunctus, & identificatus cum essentia, verum sola abstractio præcisionis non inducit potentialitatem.

Quid requiratur ad rationem attributi.

Caput V.

I. Explicata ratione essentiæ diuinæ secundum modum intelligendi nostrum, quo distinguitur ab attributis, restat explicem, quænam sit ratio attributi: quod nomen interdum fusius accipitur pro quouis [illegible]dicato, quod Deo ascribitur: qua ratione [illegible]est attributum, ac nomen Dei: & hoc mo[illegible]intelligendus est Ocham. quodl. 3. quæstion. 2. & Gabriel. in 1. d. 2. quæsti. 2. notat. 3. cum aiunt attributa vocari solita à Patribus nomina diuina, de quibus Magnus Dionysius celebrem tractatum edidit: nam nomina diuina funduntur ad omnia ea, quæ quouis modo, siue essentialiter, siue personaliter, siue proprie, siue metaphorice dicuntur de Deo, vt patet ex tractatu citato Dionys. & ex Alens. 1. p. q. 49. & Diu. Thom, 1. p. q. 13. tamen illa omnia non habent rationem attributi proprie dicti: nam vita, paternitas, pœnitentia, ira, & alia, quæ siue proprie, siue metaphorice prædicantur de Deo, non habent rationem attributi proprie sumpti. Omissa itaque hac minus propria acceptione attributi, est alia minus late patens, quæ solum extenditur ad perfectiones diuinas, quæ nostro intelligendi modo supponunt essentiam cōstitutam in esse substantiali, & aduenire intelliguntur tanquam proprietates eius naturales, deque ipsa denominatiue prædicantur, qua ratione dicimus Deum esse iustum, & sapientem: quæ duo, licet sint idem, quod essentia diuina, tamen secundum rationem videntur esse ipsi addita, quia denominatiue dicuntur: denominatio vero vt plurimum sumitur à forma accidentaria, atque extrinseca essentiæ rei denominatæ. Hæc acceptio attributi interdum vsurpatur à Theologis; verum non est maximè propria, de qua plerumque loquuntur Theologi, nam in hac secunda continentur etiam perfectiones minimè communes Deo cum creaturis, vt æternitas: in maxime vero stricta acceptione nequaquam, sed illæ solum, quæ tribuuntur Deo ex creaturis propter analogiam, quam habent harum perfectiones ad vnicam & simplicissimam perfectionem Dei.

II. Porro in attributo tria distinguunt Gregor. in 1. d. 8. quæstion 2. initio, Marsil. quæstion. 12. artic. 3. in principio, Alliacensis quæstion. 6. artic. 2. initio, Maior. d. 8. quæst. 1. alias 4. initio, & Hugolinus apud Cistercienf. d. 22. quæstio. vnica art. 2. in fine, nempe attributum ipsum, rationem attribuibilem, vel attributalem, vt ipsi vocant, & perfectionem attributalem: attributum vocant nomen ipsum, quod de Deo prædicatur, verbi gratia, sapiens, iustus, rationem attribuibilem dicunt esse conceptum mentis formalem, quem formamus audita voce attributi vocalis: perfectionem denique attributalem docent esse rem significatam per nomen, & expressam conceptu attributi, scilicet conceptum obiectiuum respondentem formali. Verumtamen hæc distinctio potius spectat ad Logicos, qui verba, & conceptus considerant, quam ad Theologos, qui res ipsas speculantur: præterea hic Philosophandi modus Nominalium est alienus à communi doctrina reliquorum Theologorum, qui non nomina, sed res considerant, ideoque merito reijcitur à Toletano in 1. d. 8. quæstion. vnica artic. 1. Capreol. quæstio. 4. art. 1. initio,

Gregorius. Marsil. Alliacens. Maior. Hugolinus.

Toletan. Capreolus.

Soncinas. Clypeus. Torres.

Soncinate quæstion. etiam 4. initio, & concluſ. 1. Clypeo Thomiſtarum qu. 10. ſuper Porphyr. art. 1. ante primam concluſion. & Bartol. Torres. 1. p. q. 28. ar. 2. diſput. 1. prima part. in fine.

III. Richardus. Baſſol.

Omiſſa itaque hac diſtinctione placet ea, quam tradunt Richard. in 1. d. 2. artic. 1. quæſtion. 2. & Baſſolis d. 22. quæſtion. 2. artic. prim. dicentes attributa conſiderari poſſe ſecundum eſſe, hoc eſt, ſecundum rationem fundamentalem ſignificatam nomine cuiuslibet attributi determinati, quã nominales vocant perfectionem attributalem, & ſub ratione formali, qua attributum eſt: priore modo ſumitur materialiter, poſteriore formaliter: perfectio ipſa attributalis dicitur materialiter attributum, quandoquidem hoc nomen non ſignificat formaliter ſapientiam diuinam, aut quamuis aliam perfectionem attributalem, ſed ſolum connotat: itaque attributum materialiter eſt ipſa perfectio diuina, quæ denominatur attributum, dicimus enim ſapientiam eſſe attributum, non autem vitam: quæ prædicatio non eſt eſſentialis, ſed denominatiua, atque adeo exigit ex parte ſubiecti conditiones aliquas, vt tribui ipſi queat denominatio prædicati, itaque attributum materialiter ſignificat perfectionem diuinam cum conditionibus requiſitis, vt ſubſtare poſſit intentioni attributi, & ab ipſa denominari: quapropter non audiendi ſunt Nominales, qui de attributis ſuo more loquentes rem totam ad nomina deducunt, ſiue ad conceptiones intellectus, quamuis enim re ipſa in ſumma Deitate non ſint plures perfectiones ſuapte naturã diſtinctæ, quæ denominentur attributa, eſt tamen vnica perfectio virtute multiplex, quæ ſub alia, atque alia ratione ſumpta admittere poteſt denominationem attributi: nam ſub ratione ſapientiæ eſt vnum attributum, ſub ratione iuſtitiæ alterum: neque id, quod materialiter appellatur attributum, eſt nomen ipſum, aut conceptio mentalis, vt perperam volunt Nominales, ſed illa vnica, ac ſimpliciſſima perfectio quatenus ſub certis conditionibus eſt nominabilis diuerſis nominibus, & agnoſcibilis per modum perfectionis adiacentis ipſi primo, & incommutabili eſſe diuino. Attributum vero formaliter non eſt perfectio vlla in ſe ſed ſolummodo fundamentaliter: ſignificat enim intentionem quandam rationis prædicati per intellectum attributi ad eſſentiam diuinam cui attribuitur: vt notarunt Aegydius in 1. d. 42. 1. p. diſtinctionis quæſt. 2. ad 5. Scot quodl. quæſt. 5. §. *Circa tamen*, & Andreas de Nouo Caſtro in 1. d. 32. quæſt. 1. §. *Ad confirmationem*, cum enim intellectus noſter cõcipit perfectionem aliquam per modum formæ extrinſecæ, & accidentariæ ſubiecto, inter formam & ſubiectum intercedit habitudo attributi ad id, cui tribuitur. Quę relatio vtpote rationis multiplicatur pro multiplicitate conceptuum formæ, quæ tribuitur, quamuis in ipſa non ſit vlla multiplicitas ex natura rei, ex quo prouenit, vt quamuis ſapientia, & bonitas diuina re ipſa ſint vna, eademque perfectio, nihilominus vere dici poſſint duo attributa, quoniam vnaquæque, prout eſt diuerſo nomine ſignificabilis, & diuerſo conceptu intelligibilis, poteſt eſſe fundamentum diuerſarum relationum formaliter ſignificatarum nomine attributi: & hoc modo loquendo formaliter, vere ac proprie dicitur attributum iuſtitiæ non eſt attributum ſapientiæ, vt docet S. Tho. 1. p. q. 32. ar. 3. ad tertium, & in 1. d. 2. qu. vnica art. 2. & Torres. 1. p. q. 28. art. 2. d. 2. dub. 4. coroll. 3. itemque iuſtitia, ſapientia, potentia ſunt plura attributa, vt admittunt Richardus in 1. d. 24. artic. 2. quæſtion. 3. ad tertium Ægyd. 1. p. diſtinctionis vbi proxime & q. 4. & Scot. loco citato: ac merito: quoniam ratio formalis attributi, quæ eſt ſecunda intentio, vere multiplicatur pro multiplicitate nominum diuinorum non ſynonymorum exprimentium diuerſas conceptiones perfectionum attributalium: & ita quæuis intentionum huiuſmodi non eſt alia, & vna alteri addita facit plura ſimpliciter in genere entium rationis. Verum Theologi, quando exquirunt conditiones, identitatem, vnitatem, diſtinctionem, aut multiplicitatem attributorum diuinorum, nequaquam diſputant de attributo formaliter, ſed materialiter ſumpto.

Nou. Caſtr. S. Thom. Torres. Richard. Ægyd. Scot.

IV.

Omiſſo itaque attributo formaliter ſumpto, materialiter ſumptum deſcribi poteſt in hunc modum: perfectio ſimpliciter noſtro modo intelligendi concepta per modum adiacentis naturæ diuinæ, & cognoſcibilis ex creata ſecum analogice conueniente. Qua deſcriptione tres potiſſimum conditiones attributi continentur: prima eſt, vt ſit perfectio ſimpliciter ſecundum propriam rationem, qua vnumquodque diſtinguitur ab alijs. In hac fere omnes conueniunt, illam expreſsè requirunt Henricus in ſumm. artic. 32. quæſtio. 1. ad tertium, & quæſtion. 4. lit. P. & quodl. 5. q. 1. lit. H. Richard. in 1. d. 2. ar. 1. q. 3. art. 1. & d. 36. artic. 2. quæſtion. 6. Durand. d. 2. q. 3.

Henricus. Richardus. Durand.

Aegyd. Scotus.

2.q.3.num.8.Scotus d.8.q.3.alias 4.§. *Contra istam positionem primo* cum Lycheto, & alijs interpretibus ibidem, Aureol. quæstion.3.art.2.post medium,& d. 43. quæst. vnic. artic.1. propositione 3. Ocham.d.2. q.2.lit.F.& q.3.lit.P.Gabriel.qu.2.artic.1. notab.1.Bassolis d.22.q.2.art.1. Dionysius Cistercien sis q.vn.ar. 1 Gregor. d.8.qu.2. initio,& art.3.Argentin.d.6.quæst.1.art.1. Marsil.quæst.12.art.3. initio, Alliacens.q. 6.artic.2.initio,Capreol.d.8.qu.4. initio, Hispalens.q.4.art.3.notab. 1. Soncin.q.4. conclus.2.Toletan.q.vn.art.1.propositione 4. Maior. qu. 1. alias 4. initio,Clypeus Thomistar. qu. 10. in Porphyr. art. 1.ante primam conclusionem. Iauell.12. Metaphys.q.19. initio, & Bartholomæus Torres 1.p.q.28.art.2.disp.1.2.part. initio. Ex quo primum colligitur cum Henrico art. 32.q.2.& art. 51. qu.1. Bassoli & Argentin. cit.nihil eorum, quæ de Deo prædicantur metaphorice, aut sunt in eo solum eminēter habere rationem attributi: nam perfectio simpliciter est formaliter in Deo, & prædicatur proprie,ac formaliter de ipso. Et quamuis esse eminētiale coincidat cum perfectionibus formalibus diuinis, nam vita diuina continet eminenter omnia viuentia, tamen quatenus præcisè sumitur secundum rationem eminentialis esse, non habet rationem attributi:quoniam hoc indifferenter se habet ad rationem formalem intrinsecam essentiæ, & perfectiones alias attributales: nam essentia diuina quatenus est ipsum esse,continet eminenter essentiam omnis substantiæ, quatenus vero est sapientia continent omnem modum, ac rationem cognitionis creatæ: & ita cum ratio eminentiæ supra formalem perfectionem solum addat continentiam creaturæ,ratione cuius Deus non dicitur proprie Homo,vel Angelus, sed cum addito, scilicet eminenter,perfectio eminentialis non dicitur attributum: nam si consideratur ipsa continentia actiua, vt ita dicam, quatenus se habet ex parte Dei, & signat modum aliquem causalitatis secundum habitum, iam est perfectio formalis, nempe potentia diuina,vel alia causandi vis, quæ habet rationem attributi. Ex eadem conditione prouenit,vt nihil eorum quæ Deo non necessario conueniunt,sit attributum, quomodo se habent omnes actiones Dei liberæ,& relationes consequentes ad ipsas: ideo prædestinatio,reprobatio; creatio actualis, relatio dominij, & cætera eiusmodi non sunt attributa: non enim sunt proprietates naturæ diuinæ, quæ sine illis potuit esse pro libera volitione Dei, & consequenter nec perfectiones simpliciter secundum se:omnis enim perfectio simpliciter Deo necessario conuenit: ex quo patet non sibi constare Ocham. Gabr. & Alliac. qui cum doceant attributum esse perfectionem simpliciter,inter attributa recensent creans,& prædestinans, quæ non sunt perfectiones simpliciter,ac proinde neque attributa,vt specialiter notant Greg. Tolet. & Marsil.vbi supra. Tandem ratione huius conditionis relationes diuinæ non numerantur inter attributa, quia non sunt perfectiones simpliciter,vt expressè docēt Bassol.Argent.Cistercien. Torres & Soncinas vbi proxime, sed de hoc alibi fusius.

Ocham. *Gabriel.* *Alliacens.* *Gregorius.* *Tolet.* *Marsil.* *Bassol.* *Argent.* *Cistercien.* *Torres.* *Soncinas.*

V.

Secunda conditio est, vt perfectio diuina accipiatur per modum adiacentis: ac proinde non respondeat perfectionibus essentialibus substantiæ creatæ, sed accidentalibus. Hanc expressè requirunt Richard.in 1.d.36.art.2.q.6.Henr.quodl. citat.& in sum.art.32. qu.1.ad 3. Durand.q. citat.num.6.Toletan.propositione 1.& 2. Mayron.d.8.q.7.art.3.1.p.ar.in fine, & ex illo Nicolaus de Nyse tract.1.p.3.port.1.q. vnica notand.2.Bachon.in 1.d.2.q 1. art. 1. conclus.1.Augustin. Nyph. 12. Metaphys. d.13. cap. 2. Scotus cum interpretibus Bassol.Cistercien.Capreol.Hispalens. & Clypeus locis citatis. Ex quo sequitur contra Aegyd.in 1.d.6.q.1.&Alliacens.vbi supra, omnem perfectionem diuinam, quæ nostro modo intelligendi pertinet ad intrinsecam rationem essentiæ,excludi à ratione attributi:& ideo substantia, vita,spiritus,& huiusmodi alia, quæ etiam nostro modo concipiendi sunt perfectiones Dei substantiales,siue essentiales,non sunt attributa.Cum vero existentia,vt superius ostensum est,sit de formali, atq; intima ratione essentiæ diuinæ, nullo modo dici debet attributum, vt asserit Henric. & Bassol. vbi proxime, & eadem de causa attributa dicuntur perfectiones secundariæ, essentia perfectio primaria:non quod inter hæc sit vllus ordo ex natura rei: sed quoniam sicut apud nos ipsa substantia rei est prima perfectio, proprietates secundariæ, ita concipimus in diuinis.

Richardus. *Henricus.* *Durand.* *Tolet.* *Mayron.* *Nyse.* *Bachonus.* *Nyph.* *Scot.* *Bassol.* *Cistercien.* *Capreolus.* *Hispalens.* *Clypeus.* *Aegyd.* *Alliacensis.* *Henricus.* *Bassol.*

VI.

Tertia conditio est, vt sit perfectio secundum rationem analogicam communis Deo & creaturis,& ab ipsis naturali discursu cognoscibilis de Deo. Hanc conditionem apponunt Henr. in sum. art.32.q.1.in fine corp.& ad tertium,& qu.4.liter. B.& quodl.5 q.1.lit.B.Durandus q. cit.nu.7. & 8.Toletan.q.cit.ar.1.in fine, Bassol. Mayron.Nicol.de Nyse.Argentin.& Cistercien.vbi

Henricus. *Durand.* *Tolet.* *Bassol.* *Mayron.* *Nyse.* *Argentin.* *Cistercien.*

ens. vbi supra. Qua conditione carent multæ perfectiones simpliciter, quæ nostro intelligendi modo cõueniunt Deo per modum proprietatum, exempli causa, immẽsitas, immutabilitas, & aliç, quæ solius Dei

Henricus. propriè sunt, vt notat Henr. vbi supra, tribuuntur enim Deo ad remouendas imperfectiones creaturarum, & magna ex parte negationibus earum explicantur: ideoque non significant vllam rationem, quæ saltem secũdum analogiam conueniat etiam creaturis. Ex eo vero, quod sit aliqua conuenientia analogica creaturç cum Deo sub eiusmodi perfectione, recte deducitur ipsam fore naturali lumine cognoscibilẽ: nam perfectiones creatæ naturales possunt naturaliter agnosci, ex ipsis autem sic cognitis via causalitatis, & eminentiæ facilè venitur in notitiam earundem in Deo ex illo communi principio sæpius à Philosophis, & Patribus vsurpato, nimirum Deo tribuẽdum esse, quod optimum est, quodque melius est in esse, quam ab esse. Non tamen quidquid ex creaturis agnoscitur habet rationem attributi: namq; quædam cognoscuntur per modum remotionis, & hæc, quia non habent vllam in rebus creatis participationem, non sunt attributa, vt dixi de immensitate, incorruptibilitate, ac similibus. Ex his vero, quæ innotescunt per viam affirmationis, quædam nostro modo intelligendi pertinent intrinsece ad essentiam, & non habent rationem attributi: quędam vero concipiuntur per modum formæ extrinsecæ rationi formali essentiæ, & hæc solum habent rationem attributi proprie, ac stricte sumpti.

VII. Quamuis autem prædicti doctores attributum hoc modo vsurpent, tamen si omnia ea, quæ naturæ diuinæ competunt necessario, & à nobis per modum proprietatis concipiuntur, velimus comprehendere, latius accipiendum est nomen attributi, etenim prædicata omnia diuina ad quatuor capita reduci possunt: nam vel cõueniunt essentiæ, ac personis omnibus, & singulis, & dicuntur essentialia, vel solum personis, & dicuntur notionalia. Porro essentialia quædam intelliguntur à nobis tanquam intrinseca essentiæ, de quibus superius actum est, quædam tanquam extrinseca, & circumstantia: hæc rursus vel conueniunt Deo necessario, vel contingẽter vt loquitur Scotus, seu potius libere vt loquitur Diu. Thom. & ita sunt quatuor genera prædicatorum, nempe notionalia, essentialia formaliter, & intrinsece secundum nostrum modum intelligendi, quasi a diacentia necessario per modum proprietatum, & contingentia: ex quibus omnibus priora duo, & vltimum non dicuntur attributa, non primum quia non est commune omnib. personis, vt docent Ocham. in 1.d.2.q.2.lit. F. Gregor. d. 8.q.2. initio, Marsil. q.12. artic.3. initio, Maior d.8.q.1.alias 4. initio: non secundum quia non concipitur vt adiacens: non vltimum, quia non est perfectio simpliciter. Tertio vero etsi non necessario competat conditio illa cognitionis ex creaturis, & communitatis cum ipsis secundum rationem analogiæ, habet tamẽ rationẽ proprietatis: cuius cognitio pertinet ad eandem scientiam, ad quam spectat contemplatio obiecti, & ita doctores alij ea, quæ habent rationem perfectionis simpliciter, & concipiuntur à nobis per modum proprietatis, vocant attributa, licet non omnia sint secũdum rationem analogicam communia Deo, & creaturis: quo modo immensitas, æternitas, & similia soli Deo propria appellari solent attributa: ita absolutè loquuntur Richard. in 1.d.2.art.1.q.3.art.1. Aureol.d.8.q.3.art. 2. & d.43.qu.vnica artic. 1. propositione 3. Ocham. Gabriel. Alliacens. vbi proxime, & Palatius in 1.dist.2.disput.2. & hanc esse propriam attributorum acceptionem docent Mayron. Nyse, Hispal. Torres, Capr. Clypeus locis proxime citatis, & Soncin. concluſ.3. qui tres vltimi addunt hanc fuisse mentem S. Thom. & secundũm hanc acceptionem agam deinceps in hac materia: potest vero ita describi attributum: Est perfectio simpliciter concepta per modum proprietatis adiacentis essentiæ diuinæ prout à nobis intelligitur sub ratione præcisa essentiæ.

Ocham. Gregorius. Marsil. Maior.

Richardus. Aureol. Ocham. Gabriel. Alliacens. Palatius. Mayron. Nyse. Hispalens. Torres. Capreolus. Clypeus. Soncin. S. Thom.

Perfectiones attributales singulæ important determinatas aliquas rationes, tam formales, quam obiectiuas.

CAPVT VI.

I. *Aureolus.* AVreolus in 1.d.8.quæstion.3.artic.2. censet attributa diuina quoad significatum principale, & in recto nullam rationem determinatam includere, sed tantum conceptum indeterminatũ cum determinato connotato in obliquo, & idcirco ait doctores alios pati difficultatem in cõcilianda simplicitate diuina cum multiplicitate attributorum, quoniam imaginantur conceptus attributales importare rationes de-

ones determinatas, vel absolutas, vel respectiuas. Ipse autem existimat nomine, siue conceptu cuiusuis attributi ex primaria significatione importari confuse, ac distincte totum ens, determinari vero ad specialem rationem per connotatum superadditum, & ita credit habere se eodem modo ad essentiam diuinam, quo vnum, verum, & bonum se habent ad ens quæ non dicunt aliud, quam ipsum ens sub diuersa cõnotatione. Vt vero hoc ostendat, præmittit tripartitam diuisionem attributorum: nam quædam, inquit, videntur priuatiua, vt vnus, simplex, incommutabilis, quædam positiua, vt sapientia, iustitia, misericordia: quædam simul positiua, & priuatiua, vt æternitas, quæ ponit durationem, & priuat terminos, & immensitas, quæ ponit magnitudinem & similiter tollit limitationem. Deinde vero in singulis probat institutum, nam vnum, inquit, significat illud, quod est indiuisum in se, & diuisum à quouis alio, vnitas vero id, quo aliquid est indiuisum in se, ac diuisum à quouis alio, constat autem terminum *illud* non dicere aliquid determinatum, imo totum conceptum entis, qui caret omni re, ac ratione determinata: quamuis indiuisio in se, ac diuisio à quouis alio claudatur in eiusmodi conceptu per modum connotati: in conceptu quidem vnius tanquam accidens connotatum à subiecto, in conceptu vero vnitatis tanquam effectus eius formalis. Idem vero ostendit in attributis positiuis: nam intellectus, verbi gratia, significat illud, cui res sunt præsentes in esse obiecto: voluntas illud, quod inclinatur in aliud post apprehensionem intellectiuam: iustitia id, quo quis reddit vnicuique, quod suum est: in quibus omnibus nihil est determinatum principaliter, sed tantum connotatiue: cum enim concipitur id, quo quis reddit, quod suum est, terminus ille, *quo*, non significat aliquid determinatum, sed potest conuenire omni rei, vel rationi, qua reddatur vnicuique quod suum est. Idem vero patet in alijs, idque similiter ostendit in attributis partim positiuis, partim negatiuis. Quapropter cum vnumquodque cognoscatur ex propria diffinitione, & in diffinitione attributorum principaliter, & in recto nihil determinate ponatur, sequitur ipsa secundum primarium, & formale significatum non includere rationem vllam determinatam.

II. Secundo id, quod coincidere potest cum omni re, ac ratione non importat rationem determinatam, sed conceptum entis abstrahentem ab omni re, ac ratione determinata: conceptus attributales coincidere possunt cum omni re, atque ratione: non ergo ex primario significato important rationem determinatam. Assumptionem probat in vno exemplo, scilicet in sapientia, quę, cum sit illud, quo verum ponitur in esse conspicuo perfecto, & obiectiue formato, si hoc fiat per qualitatem, vt in nobis, erit qualitas, si per essentiam, vt in Deo, erit essentia: quod si anima per essentiam suam poneret res in esse formato, ipsa profecto esset sapientia, quod similiter dici potest de digito, aut quouis alio ente, si id præstaret, si vero respondeatur perfectiones attributales coincidere in omnem rem, ac rationem aliquo addito, scilicet determinata ratione, ex qua sumitur connotatum, obijcit id falsum esse: quoniam sapientia creata per se ipsam, quatenus talis qualitas est, constituit obiectum in esse conspicuo, atque formato: quod similiter præstat essentia diuina per propriam rationem Deitatis, non autem per rationem aliquam mediam: ex quo patet sapientiam nullo modo addito coincidere in plures res, ac rationes. Tertio si sit aliqua ratio determinata attributorum participata ab omnibus, quibus conuenit, aut erit communis essentialiter, aut quasi accidentaliter. Neutro modo potest esse communis, inprimis non accidentaliter: tum quia, vt supra dictum est, attributa omnia Deo cõpetunt essentialiter: & sapientia, verbi gratia, quæ est in anima, non esset formaliter talis per ipsam rei essentiam. Non item essentialiter: quoniam tunc daretur ratio aliqua essentialis communis Deo, & creaturis, quæ esset vniuoca, & haberet rationem superioris prædicabilis in quid, & consequenter generis: tum vero quoniam sapientia creata contineretur sub duabus rationibus quidditatiuis, hoc est, sub qualitate in communi, & sub sapientia abstrahente à creata & increata, quæ non essent subordinatæ: nam neq; omnis sapiẽtia est qualitas, neque omnis qualitas sapientia: hoc vero est contra Aristot. in prædicamentis asserentem diuersorũ generum, & non subalternatim positorũ diuersas esse specie differentias. Et cõfirmatur, quoniam ratio essentialis determinata excludit ab essentia creaturæ rationes alias sibi formaliter oppositas, verbi gratia ratio iustitiæ excludit ratione sapientiæ: nam si ratio iustitiæ est determinata, non est idem, quod ratio sapientiæ, & consequenter, id quod est iustitia, non erit sapientia, & vice versa: ex quo deinde sequitur eiusmodi rationes nõ esse perfectiones simpliciter: nam cum vna de- *Aristot.*

struat rõem alterius, respectu cuiusq; non erit melior ipsa, q̃ nõ ipsa: nã sapiẽtię melius est negatio iustitiæ q̃ iustitia, quia negatio cohæret cũ rõe formali sapiẽtię, q̃ destruit ratio iustitię: Deniq; plures rationes disparatæ p̃dicari nequeunt quidditatiue de eodem subiecto; hoc enim posito possent de eodẽ subiecto formari plures quidditates, omnes autẽ perfectiones attributales sunt de essentia Dei, vt ex Patribus tractat. præced. cap. 8 ostensum est, & sunt disparatæ, hoc est non subordinatæ essentialiter: non enim omnis iustitia est sapiẽtia, aut omnis sapientia est iustitia: quare perfectiones eiusmodi importare nequeunt plures rationes determinatas. Et cõfirmatur quoniam vel essent absolutæ, vel respectiuæ, non respectiuæ, nam in Deo non sunt vlli respectus reales præter personales: respectus rationis non sunt perfectiones simpliciter: nec Deus ideo est sapiens, aut iustus, quia intellectus circa ipsum operatur, quod requiritur ad respectum rationis: non absolutę, quoniam tunc Deus non esset sapiens, iustus ac beatus per essentiam, sed per rationes superadditas: quod est contra fidem, & Philosophiam: ergo perfectiones attributales in recto, ac de primario significato non important rationes aliquas determinatas, sed solum in obliquo: rõe connotati.

III. Huius dubitãtionis explicatio pendet ex propria notione rationis: *ea vero est diffinitio*, vt tradit S. Thomas in 1. d. 2. qu. vnica art. 3. in 1. eius parte, & sumitur ex Philosopho, vt enim ait Arist. lib. 4. Met. tex. 11. *Ratio, quam nomen significat, est diffinitio*: exempli causa ratio hominis est, vt sit animal rationale: at quoniam non omnia habent veram, ac propriam diffinitionem, vt genera summa, & perfectiones diuinæ, quas exactè, ac diffinite cognoscere est impossibile creaturæ, ratio in ijs significat id, quod suo modo respõdet diffinitioni: scilicet id, quod apprehendit intellectus de significatione alicuius nominis, vt ait Diuus Thomas, & ita quamuis diuina sapientia, & cæteræ perfectiones attributales diffiniri nequeant, tamen ratio ipsarum est id, quod significatur per nomina, & apprehenditur ab intellectu percipiente vim, & significationem ipsorum. Potest autem ratio dupliciter accipi vt ait D. Tho. vbi supra & Heruæus quodlib. 3. q. 3. art. 1. nempe pro mentali, & obiectiua: mentalis est intentio concepta, quam format animus intelligendo obiectum, quæ est re ipsa in intellectu, tanquam in subiecto, vt docet D. Tho. cit. art. 3. ad quartum, radicatur vero in obiecto, tanquam in proprio repræsentato cuius est imago: ratio vero obiectiua est ea formalitas, secundum q̃ obiectũ respõdet cõceptui terminando eius repræsentationẽ, & pertinet ad formale significatũ nominis, q̃ assumitur ad exprimendã conceptionẽ animi: verbi gratia, eum concipimus candidũ, cãdor inexistẽs subiecto est ratio obiectiua, conceptus vero cum repræsentans est ratio formalis. Porro, vt notat D. Tho. conceptio intellectus tripliciter se habet ad obiectum: aliquãdo enim est similitudo rei existentis extra animam, vt cum concipitur homo, aut quoduis ens reale, & eiusmodi conceptio habet immediate fundamentum in re, quatenus obiectum ex conformitate ad intellectum est in causa, vt hic sit verus, & vt nomen ipsum exprimens proprie de re dicatur: aliquando vero non est similitudo rei existentis extra animam, sed est aliquid consequens ex modo intelligendi rem extra animam: quales sunt intentiones vniuersalitatis, & alia, quas intellectus noster adinuenit, quo modo se habet significatum nominis *genus*, cuius conceptio non est similitudo rei extra animam habentis esse, sed ex hoc, quod mens intelligit animal vt in pluribus speciebus, tribuit ei intentionem generis: huius vero intentionis quamuis fundamentum proximum non sit in re, est tamen remotum: & ideo intellectus nõ est falsus. Denique aliquando conceptio mentis nullum habet fundamentum in re neq; proximum, neq; remotum, sicut conceptus chymæræ. Rationes vero attributales non se habent secundo, aut tertio modo: quoniam non sunt essentia fictitia, aut puræ relationes rationis, sed perfectiones positiuæ, ac reales, restat autem inquirendum vtrum, & quo modo primo modo sint rationes determinatæ. Pro quo etiam notandũ determinationẽ hic non intelligi indiuiduam, aut realem, quoniam id, quod est commune multis diuersis genere, non potest habere eiusmodi determinationẽ: sed pro determinatione [illegible]ali, nimirum quæ ita formalit[illegible] determinata ad certam rationem [illegible]cundum propriam diffinitionem, aut conceptum, vt quatenus illo repræs[illegible]atur, minus late pateat q̃ ratio entis, & sit contradiuisa ab alijs rationibus determinatis, quomodo quantitas, qualitas, & alia genera summa sunt rationes determinatæ, & multo magis species sub ijs contentæ: nam quo res minus late patet, & magis accedit ad singularitatem, eo magis determinata est. Est autem magna diuersitas in varijs modis determinationis, nam quædam determinantur quoad speciem,

quædam

S. Thom. Aristot. S. Thom. Heruæus. S. Thom.

quædam quoad genus, quædam quoad rationem aliquam analogicam communem ſpeciebus, vel gradibus ſubalternatim poſitis, qua ratione intellectiuum dicit gradum analogicum intellectualitatis cõmunem homini & Angelo, quorum neuter ſub altero eſſentialiter reponitur, ratio immaterialitatis eſt analogice communis ſubſtantijs, & accidentibus ſpiritualibus.

IV. Porro rationum quædam ſunt diſparatæ, quædam habent modum aliquem vnitatis, & coniunctionis in certa aliqua ratione adæquata. Prioris generis ſunt ratio accidentis, & ſubſtantię: ratio hominis, & equi: non enim vel hæ, vel illæ queunt conuenire in vnam rationem aliquam adæquatã vnius entis per ſe: poſterioris vero ſunt ratio generis, ac differentiæ, quæ conueniunt in vnam tertiam rationẽ adæquatam, hoc eſt in naturam ſpeciei. Vt autem perfectiones diuerſis nominibus ſignificatæ habeant diuerſas rationes, non eſt opus vt ſint omnino diſparatæ, vel adæquatæ, ſed ſufficit vt vel inadæquate vendicent rationes obiectiuas diuerſas: quis enim neget animal, & rationale ſignificare certas, ac determinatas rationes inadæquate diuerſas? nam, cum ſint nomina vniuoca, debent habere eandem rationem communem pluribus: & ita ratio, quam nomen animal ſignificat, eſt in homine & in equo: ratio, quam dicit rationale, eſt in ſolis indiuiduis humanæ naturæ, & ita habere debent aliquam diuerſitatem non adęquatam, quia conueniunt in vnam rationem totalem hominis, ſed inadæquatam. Quæſtio vero non procedit de ratione formali adæquata, quoniam nulla ratio communis Deo & creaturæ eſt adæquata: nam rationibus eorum adæquatis ineſt aliquid intrinſecum ſaltem virtute diſtinctum à ratione illa communi: Verbi gratia, ſapientia creata vendicat rationem qualitatis, & habitus, quam non vendicat ſapientia in communi, increata vero vendicat rationem ſubſtantiæ, quæ repugnat creatæ, & ideo non pertinet intrinſece ad rationem ſapientiæ in communi. Quod ſi in hoc ſenſu locutus eſt Aureolus rectè dicit. Verum longè ab eo diſceſſit. Nam ea quæ vendicant rationes diſtinctas, etiam inadæquate, non ſola connotatione explicantur, ſed habent aliquid intrinſecum in re ipſa ſaltem ratione diſtinctum, vt patet in exemplis adductis: quod tamen ipſe negat in attributis diuinis. Itaque cenſet perfectiones attributales in communitate analogica Deo, & creaturis, vt ſapientia, bonitas ac ſimile, non dicere rationem vllam determinatam, ſed ſolum ens cum connotatione aliqua, in particulari vero dicere rationes determinatas, non tamen diſtinctas à quidditate rei, cui competunt. Verbi gratia, ſapientia diuina dicit eſſentiam diuinam cum connotatione obiecti intelligibilis: creata vero dicit hanc qualitatem cum eadem connotatione, & ita excludit etiam rationes determinatas inadæquatas.

Dico primum, perfectiones attributales poſitiuæ in commune ſumptæ dicunt rationes formales determinatas diuerſas inadæquate, nó vero diſparate. Hæc quoad poſteriorem partem patet ex paulo ante dictis: etenim rationes omnes attributales comparatione vnius rationis adæquatæ ipſius Deitatis ſunt inadæquatæ, & noſtro modo intelligendi partiales: atque adeò conueniunt in vnam rationem entis per ſe: quod repugnat rationibus diſparatis. Prior pars eſt communis omnium ſcholaſticorum, vt idem Aureolus fatetur, ideo non oportet referre alios præter Capreolum in 1. d. 8. quæſtion. 4. art. 2. ad primum principale Aureoli contra ſecundam concluſionem, Hiſpalenſ. quæſtion. 4. articul. 4. ad idem argumentum Aureoli, & Soncin. eadem quæſtione poſt quintam concluſionem, qui ſpecialiter ſententiæ Aureoli meminerunt, & ſoluunt ipſius fundamenta. Oſtenditur autem, nam quotieſcunque in ſingulari, vel ſpecifica rõe adæquata eſt aliqua determinatio ſumpta ab vna præciſa ratione, non ab alia, ea ratio ſecundum ſuum cõceptum præciſum eſt determinata ac diſtincta, ſaltem ratione ratiocinata à cæteris omnibus rõibus inadęquatis eiuſdẽ ſubiecti, & ab illa etiam, à qua per ſe primo diſtinguit ipſũ ſubiectum: ſed in pluribus rationib. adæquatis reperiuntur determinationes ſumptæ præcisè ab vna ratione attributali, non ab alia: ergo illa ſecundum conceptum præciſum & analogicum eſt determinata. Maior eſt euidens: nam à ratione indeterminata non poteſt ſumi determinatio, aut diſtinctio determinata: & ideò quando duæ rationes ex aduerſo ſunt cauſa determinationis, ipſæ quoque ſunt determinatæ. Aſſumptio oſtenditur nam inter habitus quidam determinate diſtinguuntur per rationes attributales, quarum enim determinatio omnis reperta in aliquo ente ſingulari ſumatur à ratione adæquata ipſius, inadæquate tamen ſumitur à pluribus ipſius rationib. inadæquatis:

V.

Capreolus. *Hiſpal.* *Soncinas.*

exempli causa. Socrates est hic homo determinatus per differentias indiuiduales in esse huius distincti ab alijs hominibus singularibus, per differentiam vero specificam in esse hominis distincti à cæteris animalibus, & sic procedendo versus genus summum; in qua progressione quæuis ratio confert aliquam determinationem; & quod est determinatum secundum vnum modum, secundum alium potest esse indeterminatum: quemadmodum animal est determinatum ad esse sensitium, & indeterminatum ad rationale, vel irrationale. Ad iudicandum vero vtrum ex aliqua ratione sumatur determinatio nec ne, expendendum est an ipsa posita, vel abstracta varietur determinatio: nã si varietur, ex illa sumitur aliqua, nequaquam vero, si non varietur. At si consideremus perfectiones naturales analogice conuenientes cũ diuinis, verbi gratia iustitiam, & misericordiam, secundum speciem sunt vere determinatæ: si vero ab his præscindamus rationem iustitiæ, ac misericordiæ relinquendo cætera prædicata essentialia, variatur determinatio: manebit enim determinatio secundum genus qualitatis & habitus, non vero secundum hanc, vel illam speciem, nam ratio qualitatis, & habitus non est magis determinata ad sapientiam quam ad iustitiam, ac misericordiam: & idcirco cum singulæ hæ species habitus in creatis sint perfectiones determinatæ, & non aliunde, quam ex ratione sapientiæ, iustitiæ, ac misericordiæ, consequens est, vt secundum se habeant aliquam determinationem. Dixi vero in conclusione rationes formales determinatas, quoniam bene potest esse ratio formalis determinata, & communis, determinata quidem quoad aliquam perfectionem absolutam, quam dicit, indeterminata vero quoad alias, & ita ratio sapientiæ in communi sic est determinata habens in recto perfectionem realem absolutam distinctam virtute à ratione iustitiæ, vt sit indeterminata quoad alia: quod similiter verum est in rationibus alijs attributalibus, non enim vendicant rationem aliquam prædicamentalem determinatam, sed per id, cum quo in creaturis identificantur ad genus qualitatis, in Deo vero ad genus substantiæ: secundum se vero, & in communi sumptæ sunt indeterminatæ secundum rationem prædicamentalem: nam si determinatæ forent secundum aliquam, nequirent in alio prædicamento reperiri: at ratio sapientiæ in Deo est substantia, in homine qualitas: quare secundum se non determinatur ad vllum genus. Non est autem intelligendum perfectiones eiusmodi non esse determinatas ad rationem alicuius prædicamenti, quasi habeant indifferentiam, & quasi potentiam, vt ad singula determinentur: hoc enim falsum est, plerisque enim prædicamentis repugnat identitas cum ijs, vt videre est in quantitate, & alijs: impossibile quippe est, vt ratio aliqua quantitatis sit ratio sapientiæ, aut iustitiæ, aut vt ab ipsa denominetur, ex quo patet falso dictum ab Aureolo perfectiones attributales habere se ad modum vnius, veri, ac boni: siquidem horum ratio cohæret cum omni prorsus ratione entis: ratio vero sapientiæ, & cæterarum perfectionum attributalium nequaquam: solum ergo intelligitur non esse positiue determinatas ad certum prædicamentum, quod secundum se vendicent: determinari vero hoc modo ad genus substantiæ, quatenus sunt in Deo, ad genus vero qualitatis, quatenus in nobis.

VI. Dico secundum, rationes attributales communes Deo, & creaturis, in ipsis quoq; sunt rationes determinatæ: non solum ratione quidditatis, cui identificantur, sed præcisè ratione proprij significati formalis. Hæc est de mente eorundem autorum, & facilè deducitur ex priore: nam cũ rationes illæ communes analogicæ sint de extrinseca rõe particularium analogatorum, si in commune sunt determinatæ, etiam in particulari erunt. Deinde etiam probatur, quoniam in hac singulari qualitate, quæ est sapientia, ratio generis summi, si non disparate, atque adæquate, saltem inadæquate est diuersa, saltem secundum rationem ratiocinatam, à ratione generum intermediorum, ac differentiarum: & ita quamuis hæc qualitas, hic habitus, hæc sapientia re ipsa coincidant in eandem quidditatem numericam adæquatam, tamen prout solum considerantur vt rationes subalternatæ factæ singulares, per easdem differentias indiuiduales, sunt rationes diuersæ inadæquatæ, & cuilibet respondet idem numero indiuiduũ sub diuersa rõe, & intelligibilitate fundamẽtali sufficiẽte ad formandũ conceptũ tanq; de perfectione obiectiua determinata. Idq; patet quoniã distinctio determinata nõ sumit ex rõibus identitatis, nec ex ijs, in quib. cõueniunt ea, q̃ distinguuntur: misericordia, ac iustititia creata distinguuntur inter se re, ac ratione, conueniuntq; in reliquis, præterquam

in pro-

in propria ratione ſpecifica iuſtitiæ, ac miſericordiæ: ergo hæ ſunt rationes determinatæ. Ex eodemque fundamento oſtenditur, in Deo ſingulas rationes attributales eſſe determinatas, non ſolùm, quia ſunt ipſamet eſſentia, quæ eſt ratio quædam determinata, ſed etiã quatenus virtute diſtinguuntur, & ſumuntur præcisè vna ab altera, imò & ab ipſamet eſſentia. Nam perfectiones diuinæ nõ ſunt minus abſolutæ, ac perfectæ, quam creatæ, quibus æquipollent: ergo ſi creatæ formaliter dicunt perfectionem abſolutam, ac determinatam ex parte obiecti, diuinæ quoque ſimiliter dicent. Verùm hac de re fuſius agendum in tract. 6. cap. 7. Vbi oſtendam attributa non diſtingui ſolùm per connotationem ad extrinſeca obiecta, ſed per rationes formales abſolutas.

VII. Vt autem ſatisfiat argumentis Aureoli, admiſſa diuiſione illa attributorum, ex qua nihil contra propoſitam doctrinã concluditur, obſeruãdum eſt diffinitiones rationum formalium, ſiue formarũ in abſtracto maiori ex parte tradi per connotata, quoniam aliter earũ differentiam nõ intelligimus, vel quoniam pleraque habent eſſentiam per ordinẽ ad eiuſmodi cõnotata: qua ratione potentiæ, & habitus diffiniri ſolent per actus, & obiecta: nõ quidẽ ex eo, quod ſint entia indiſtincta & indeterminata: nã quis dicat viſum & auditum, grauitatem & leuitatẽ eſſe entia indeterminata, & nihil entitatis intrinſecæ habere prẽter rationem communẽ entis cum diuerſa connotatione, ſed diffiniuntur p extrinſeca vt per ea, ad quæ habent ordinẽ tranſcendentem, nobis innoteſcat propria, ac determinata ratio formalis ipſorum. Neque enim putandum eſt ſolum illud eſſe intrinſecum eſſentiæ, ac rationi formali alicuius, quod ponitur in recto in ipſius definitione, tum quia frequenter ponitur ſubiectum, vt conſtat ex Philoſopho lib. 1. Poſter. cap. 4. quod tamen non pertinet intrinſecè ad rationem formalem paſſionis, ſed ſolum tanquã connotatum, tum quia plerunque particulares, ac determinati eſſendi modi, ſiue differentiæ eſſentiales per cõnotata explicari ſolent: & propterea cum dicitur verbi gratia, iuſtitia eſt id, quo redditur vnicuique, quod ſuum eſt, tametſi terminus id, qui habet quodammodo locum generis, ſolum dicat indiſtinctè rationem entis, tamen cæteræ particulæ, quæ loco differentiæ opponuntur, deſcribunt peculiarem, ac determinatam rationem ſapientiæ, quatenus eſt perfectio ſecundũ proprium conceptum ab alijs diſtincta, & ex his patet ſolutio ad primum argumentum. Ad ſecundum admiſſa maiore negãda eſt aſſumptio, ad cuius probationem reſpondeo ex præmiſſa conditionali nõ ſequi concluſionem abſolutam: & ideò quamuis rectè ſequatur, ſi anima, digitus & quoduis aliud ens per eſſentiam ſuam reponeret res in eſſe cõſpicuo intellectuali fore ſapientiam per ſuam eſſentiam, atque adeò hanc coincidere cum omni re, ac ratione, nõ tamẽ abſolutè ſequitur ſapientiam de facto coincidere eſſentialiter cũ anima, digito, & quouis alio ente, niſi ſubſumatur aſſumptio abſoluta: nimirũ anima, digitus, & quoduis ens conſtituit res in eſſe formato, & conſpicuo intellectui. Alioquin ſimili argumento oſtendã nullã omninò formam, aut rationẽ eſſe determinatam, dicam enim, ſi equinitas conſtitueret hominẽ in eſſe rationali, eſſet rationalitas, ſiue humanitas, item ſi humanitas conſtitueret hominem formaliter in eſſe candidi, eſſet eſſentialiter candor, quæ cõſequentiæ, & cæteræ ſimiles ſunt ineptæ: imò vero ex eo, quod repugnat aſſumere ſub eiuſmodi maiore propoſitionẽ aliam abſolutam, rectè colligitur eas formas, ſiue rationes habere repugnantiam cum alijs, atque adeò eſſe determinatas. Nam, vt iam ſupra perſtrinxi, rationi prorſus indeterminatæ non repugnat coincidere cum quouis ente determinato, vt videre eſt in ratione entis in communi, quæ coincidit cum omni ente particulari: at ratio ſapientiæ repugnat digito, & alijs entibus determinatis, id vero ex eo prouenit, quia eſt determinata.

Pro ſolutione tertij obſeruandũ eſt eiuſ- VIII.
modi rationes attributales vel ſumi poſſe in abſtracto, vel in cõcreto, ſi abſtractè ſumantur, dicendum eſt ad argumentum rationem communem ſapientiæ, & cuiuſuis alterius perfectionis attributalis eſſe eſſentialem omnibus, de quibus verè ac directè prædicatur prout terminus *eſſentialis*, contraponitur termino *accidentali*: nam ſapientia diuina eſſentialiter eſt ſapientia, itemque creata, & ad priorem huius impugnationem neganda eſt conſequentia, non enim quidquid dicitur eſſentialiter de pluribus eſt vniuocum, aut genus reſpectu ipſorum: nam accidens dicitur eſſentialiter de nouem generibus, reſpectu quorum nec vniuocum, nec genus eſt. Ad ſecundam reſpondetur, non repugnare eandem rem ſubijci duobus prædicatis eſſentialibus non ſubordinatim poſitis, dummodo aliquod eorum non ſit vniuocum, ſed analogicum, vt cõſtat in vita ſenſitiua, & intellectuali ſumptis pro gradu

perfectionis subsantialis: nã homo essentialiter vendicat vtramque, & tamen non omnis vita sensitiua est intellectualis, nec omnis intellectualis sensitiua, vt patet: siquidẽ Angelo competit intellectualis, non sensitiua, quod ideò cõting t, quoniam vita intellectualis cõmunis homini & Angelo nõ est vniuoca, sed analogica: eodẽ modo, quia ratio sapientiæ cõmunis diuinæ & creatæ est analogica, fieri potest, vt creata cõtineatur sub illa, & sub qualitate, quæ nõ sunt subordinatim positæ. Neque his contradicit Arist. loquitur enim de differẽtijs, quib. propria genera diuiduntur & cõstituuntur, quæ debent esse diuersæ: alioquin nõ diuiderẽt, aut cõstituerent per se genera opposita, quod locũ non habet in materia, de qua loquimur. Ad cõfirmationẽ respondetur duobus modis intelligi posse vnã rationẽ formalẽ excludere aliam, altero via præcisionis, ita vt nõ includat illam in suo conceptu formali, altero via negationis, ita vt excludat re ipsa à subiecto: vt autẽ ratio aliqua sit perfectio simpliciter, nõ est opus vt nõ excludat alias via præcisionis, sed sat est si non excludat via negationis: & quidẽ in diuinis perfectiones attributales excludunt pleraq; alia vtroq; modo, se vero nõnisi priore: nã re ipsa oẽs cõueniunt in vna simplicissima ratione perfectionis diuinæ, vna tamẽ nõ includitur intrinsecè in ratione præcisa alterius, quatenus à nobis concipitur vt perfectio attributalis diuersa sicut cap. 8. ostẽdam: in creatis autẽ se inuicẽ excludunt vtroq; modo; ex hoc vero sequitur quidẽ non esse perfectiones simpliciter secundũ totũ suum esse, & adæquatũ, quod est verisimũ: nã ratione propriæ imperfectionis, quã addunt rationi cõmuni analogicæ, excludũt via negationis cęteras, ita vt ab eodẽ indiuiduo, vel specie nequeant essentialiter participari: nõ sequitur autẽ non habere rationẽ perfectionum simpliciter, saltẽ secundũ rationẽ communẽ analogicã, q̃ solũ via præcisionis excludit alias ab eodẽ cõceptu formali. Si vero eiusmodi rationes sumãtur in cõcreto, de Deo dicuntur essentialiter, de creaturis accidẽtaliter: dicuntur de Deo essentialiter: quoniã, cũ in ipso idẽ sit, quod est, & quo est, quidquid de ipso p̃dicatur essentialiter in abstracto, eodẽ quoq; modo p̃dicatur in cõcreto, in creaturis autẽ, quoniã nõ est idẽ subiectũ, q̃ est, & forma, qua est, id, q̃ essentialiter dicitur de forma, prædicatur accidẽtaliter de subiecto: quæ diuersitas prędicandi non cõtinet vllã absurditatem respectu Dei & creaturarum, vt patet ex ratione adducta. Neque ratio, qua probatur non prædicari accidẽtaliter, procedit in abstractis, sed in concretis, vt ipso argumento apparet. 14.

Ad vltimum respondeo: repugnare quidem, vt de eodẽ subiecto prædicentur rationes essentiales disparatæ re, ac ratione plures: quomodo perfectiones attributales nõ sunt plures, non repugnare vero, vt sola ratione plures prædicẽtur: nã etiam de eodẽ subiecto creato prædicãtur essentialiter plures rationes nõ subordinatæ, vt esse corruptibile, & intellectiuum de homine, & de Angelo esse incorruptibile, & esse viuum, nõ enim omne corruptibile est intellectiuum, aut vice versa: neq; omne incorruptibile est viuum, aut è cõtra. Cùm vero ex hoc infertur formari posse plures quidditates de eodẽ subiecto, si nomine quidditatis intelligatur ratio essentialis perfecta, & adæquata, negãda est cõsequentia: vnius quippe rei, præsertim immaterialis, vnica est tantum definitio, vna ratio formalis intrinseca adæquata: & hoc modo ratio formalis intrinseca adæquata Dei cõtinet omnes, ac singulas perfectiones attributales, vt iam superius dixi: si vero nomine quidditatis accipiatur quæuis ratio essentialis non adæquata, concedẽda est cõsequentia: non enim repugnat idẽ subiectũ habere plures quidditates inadęquatas ratione distinctas: quomodo se habent perfectiones attributales cũ essentia diuina comparatæ: singulæ enim sunt veluti partiales rationes essentiæ, & cõsequenter nostro intelligẽdi modo sunt instar rationum essentialium inadæquatarum. Ad confirmationem dandum est primũ membrum maioris propositionis, ac dicendũ, perfectiones eiusmodi esse rationes determinatas absolutas. Ad huius autem impugnationem neganda est consequentia: nam perfectiones attributales non ita concedunt in Deo determinatæ, quasi ex natura rei distinguantur ab ipso, aut adueniant essentiæ completæ in suo genere, horũ enim vtrumque est falsum: prius, vt constabit in tractatu de identitate attributorum, posterius vt constat ex dictis tract. 1. cap. 6. quo probatum est diuinam essentiam secundum se vendicare intrinsecè rationes formales omnium attributorum, & ita quamuis Deus dicatur sapiens sapientia, & iustitia iustus, non propterea definit esse iustus & sapiens per essentiam, quandoquidem sapientia & iustitia sunt de intima ratione essentiæ, quemadmodum in creatis homo est rationalis, & animal per essentiam, licet rationalis sit per rationalitatem, & animal per animalitatem, quia scilicet rationalitas atque animalitas sunt de intrinseca ratione essentiæ hominis.

Attributa, prout à nobis concipiuntur, & nominantur, dicunt rationem subſtantiæ, non tamen essentiæ adæquatè sumptæ.

Caput VII.

I. De perfectionibus attributalibus secundum se dictũ est tractatu superiore, nunc agendum de ijs, prout à nobis concipiuntur, ac nominantur. In primis autem comparabuntur cum essentia, vel subſtãtia diuina, deinde vero inter se. Includere vero tam subſtantiam, quam essentiam in sua ratione formali censet Henric. in sum. art. 32. quæst. 4. lit. P. Gregor. in 1. dist. 8. q. 2. art. 2. Maior. quæst. 1. aliàs 4. conclusione 3. Aureol. dist. 45. quæst. vnica, art. 3. propositione 3. & Torres 1. p. q. 28. disp. 2. dub. vlt. & nonnulli recentiores. Est vero inter hos auctores hoc discrimen, quod Henric. Gregor. Aureol. & Maior non agnoscunt in Deo plures rationes obiectiuas virtute distinctas, quasi intrinsecas Deitati, sed vnam solùm rationem, quæ est ipsamet essentia diuina: & hanc volunt in recto, & formaliter significari omnibus nominib⁹ attributalibus cũ diuersa connotatione, & habitudine ad creaturas, Torres vero & alij recentiores agnoscunt in ipso Deo plures rationes obiectiuas virtute distinctas, & addunt essentiam claudi intrinsecè in conceptu omnium. Nunc expendendum est id, in quo conueniunt: nempè vtrum omnia attributa dicant formaliter, & intrinsecè diuinam essentiam: de eo vero, in quo differunt, agendum in tractat. de distinctione perfectionum diuinarum.

II. Confirmari in primis potest hæc sententia auctoritate Patrum dicentium attributa esse, vel significare essentiam, vel ipsum quid est Dei, quos retuli tractat. 1. cap. 8. num. 4. & quod etiam passim dicunt ferè omnes Scholastici: auctoritate etiam asserentium omnia attributa dici subſtantialiter, vel secundum subſtantiam, vel significare ipsam subſtantiam Dei, quos citaui tract. 1. cap. 1. num. 5. Patres vero nomine subſtantiæ intelligunt essentiam vt ostendi tract. 1. cap. 8. probatur deinde ratione. Primo quoniam ratio subſtantiæ est intrinseca omnibus, ac singulis attributis diuinis, ratio vero essentiæ non est aliud, quam ipsum esse subſtantiale Dei: ergo ratio essentiæ est intrinseca omnibus attributis. Assumptio patet, Maior probatur: quoniam sicut à ratione formali sapientiæ creatæ excludi nequit ratio aptitudinalis essendi in alio, ita neque à ratione formali sapientiæ diuinæ excludi potest ratio existendi per se. Secundo quotiescunque, pluribus re, vel ratione distinctis conuenit aliquid per se, necessario datur ratio aliqua communis omnibus, ratione cuius de singulis verè prædicetur: atqui diuinis attributis conueniunt per se pleraque prædicata, quæ reduci non possunt ad vllam aliam radicem, cui per se primo innitantur, quam ad essentiam diuinam: ergo ea est de ratione intrinseca formali singulorum. Maior est euidens: nam quæ per se, & non per accidens insunt, habent aliquid, cui per se primo copulentur, neque aliquid per se conuenit pluribus, nisi vel sit ipsa ratio communis, vel aliquid in ipsa fundatum. Assumptio quoque euidens est: nam ratio actus puri, necessitas, simplicitas, & huiusmodi aliæ perfectiones quasi transcendentes per omnia diuina attributa verè, ac per se dicuntur de sapientia, iustitia, misericordia, ac omnipotentia: nam sapientia diuina etiam secundum proprium conceptum sapientiæ est actus purus, necessarius, simplex, actus purus, quandoquidem non est in potentia ad augmentum, & decrementum perfectionis in genere sapientiæ: necessarius, quoniam non est indifferens ad esse, vel non esse: simplex, quoniam est infinitè perfecta absque vlla compositione: idque patet in cæteris, eiusmodi vero perfectiones, vel sunt ipsa essentia, sicut se habet ratio actus puri: vel proprietates per se primo ipsi competentes, vt necessitas, simplicitas, quæ immediatè sumuntur ex ratione actus puri. Quapropter ex intrinseca ratione essentiæ, quam vendicant perfectiones attributales, prouenit vt similia prædicata competant vniuersis. Tertio relationes diuinæ intrinsecè, & quidditatiuè vendicant essentiam, vt est communis sententia doctorum in materia de Trinitate: ergo & attributa.

III. Opposita sententia probatur primo, quoniam repugnat idem respectu eiusdem esse prius ac posterius, includens & inclusum: at vero attributa quoad aliquid sui pertinent intrinsecè ad essentiam diuinam, & propterea sunt ratione priora, & quasi inclusa in formali, & adæquata ratione essentiæ: si vero essentia sit etiam de intrinseca ratione attributorum erit etiam ratione prior ijsdem, & inclusa in ratione formali ipsorum. Secundo attributa

accipiuntur à nobis per modum proprietatum: hæ vero nullo modo includunt formaliter essentiam subiecti: ergo nec attributa, vt à nobis intelliguntur, includunt essentiam diuinam. Patet consequentia: nam omnis proprietas concipitur per modum formæ annexæ subiecto constituto in suo esse.

IV. Attributa quædam sunt Deo cum creaturis communia secundum rationes analogicas vt sapientia, iustitia: quædam illi soli propria, vt infinitas, omnipotentia, æternitas. Rursus quædam dicuntur per remotionem, vt incorruptibilitas, infinitas quædam per affirmationem, vt omnipotentia, sapientia, bonitas. Denique ex ijs, quæ positiuè dicuntur, quædam sumuntur in communi absque restrictione ad Deum, quædam cum restrictione indicante Deitatem: vt cum dicimus sapientia diuina. Et quidem si agamus de communibus Deo cum creaturis secundum rationes communes siue positiuas, siue negatiuas, non est vlla controuersia: nam cum sub ea acceptione dicantur etiam de creaturis, non possunt includere diuinum aliquid, id enim creaturis repugnat. Item si sermo sit de negatiuis nequaquam includunt essentiam, vt constat ex doctrina Cyrill. lib. 11. Thesauri, & aliorum Patrum, qui asserunt ijs non significari à nobis, quid Deus sit, sed quid non sit. Restat autem controuersia solùm de positiuis Deo proprijs, vel simpliciter, vt se habet omnipotentia, & æternitas, vel per restrictionem communium, vt cum dicitur sapientia diuina: quanquam si suppeteret nomen ad indicandum conceptum obiectiuum, quem habemus de sapientia diuina, vt habemus ad significandum quem habemus de omnipotentia, eadem esset omninò ratio, vt notat Richard. de Sancto Victor. lib. 2. de Trinitate, cap. 13. vbi petit vt admittatur tale nomen, quod non posit nisi diuinæ potentiæ, vel sapientiæ conuenire: deinde potentiæ diuinæ proprium ait esse nomen: *Omnipotentia*, & tandem subdit. *Sed ad exprimendam diuinam sapientiam, omnipotentiæ simile nomen non habemus, sed sapè eam ex adiuncto determinamus, cùm sapientiam summam, cùm sapientiam ipsam, vel plenitudinem sapientiæ nominamus.* Itaque vt res clare intelligatur cum dicimus sapientia diuina, aut iustitia diuina, vtimur his vocabulis loco vnius nominis incomplexi, quo designare volumus hanc, vel illam perfectionem Deo propriam iuxta conceptum, quem de illa efformamus. Hæc controuersia intelligi potest ita vt attributa dicant essentiam formaliter, vel materialiter: de hoc secundo quia non pertinet ad præsens institutum dicam in tract. de diuinis nominibus, de primo, circa quod versatur hæc controuersia, nunc est agendum.

V. Dico primum perfectiones attributales dicunt formaliter rationem substantiæ. Est expressa sententia Diui Thom. in 1. d. 33. art. 1. ad vltimum vbi sic ait, *scientia, bonitas & huiusmodi, quæ sunt in Deo, non habent rationem communis generis, per quam diuiduntur contra substantiam: imò loco illius rationis communis qualitatis, vel quantitatis venit ibi ratio substantiæ: vndè dicitur aliaratio esse scientiæ, & alia substantiæ in diuinis, non quia quasi sit contra diuisa contra rationem substantiæ, sed sicut ratio speciei est alia à ratione generis in quantum addit rationem differentiæ supra rationem generis: vndè ita in diuinis est alia ratio scientiæ, ac substantiæ, sicut in creaturis est alia ratio scientiæ, ac qualitatis, quod non est simpliciter aliud*, eadem ferè dicit Ægydius eadem d. 1. p. quæst. 2. in fine corporis. Ex quibus patet ita quodammodo se habere rationem substantiæ ad scientiam, & alias perfectiones diuinas absolutas, sicut genus ad speciem: hæc autem vendicat formaliter & intrinsecè rationem generis, quare eo ipso modo scientia, & iustitia diuina vendicabunt rationẽ substantiæ. Ostenditur primò quoniam scientia, & iustitia diuina aut dicunt formaliter rationẽ substantiæ, aut abstrahunt ab illa, aut habent ad illam repugnantiam: posteriora duo membra nõ sunt admittenda: ergo primum. Maior est euidens à sufficiente enumeratione habitudinis ad rationẽ alicuius generis. Assumptio quoad tertium membrum patet: nã perfectiones omnes diuinæ re ipsa sunt substantia, atque adeò nõ habent repugnãtiam cum ratione illius: maximè quia repugnantia cũ ratione substãtiæ prouenit ex necessaria inclusione rationis accidentis: hæc autẽ abest à diuinis, vt tract. 1. cap. [illegible] ostensum est, quare ratio iustitiæ diuinæ nõ habet repugnãtiam cum ratione substãtiæ. Nec vero abstrahit ab illa: nã si ab ea abstrahit, abstraheret quoque à ratione accidentis, non abstractione negationis sed solùm præcisionis: etenim repugnantia cum ratione accidẽtis prouenit ex inclusione rationis substantiæ, vt patet, accidens enim cum nulla alia ratione habet oppositionẽ, si ergo iustitia diuina abstrahit à ratione substantiæ, non repugnabit, vt sit accidens, quod absurdum, & blasphemum est; respõdebit aliquis duplicem esse

abstractio-

Cyrill. *Rich. Victor.* *D. Thom.* *Ægyd.*

abstractionem præcisionis, alterâ cum indifferentia formæ ad illa, à quib⁹ abstrahit alterâ sine indifferentia per solâ non inclusionẽ eorũ, cùm quibus est necessariò coniuncta, qui secundus modus nõ relinquit in re abstracta indifferẽtiã ad opposita eorũ, à quib. abstrahit, quo modo dici potest homine abstrahere à ratione discursiui, quatenus potẽtia est, quoniam illã nõ includit formaliter, cũ tamẽ nõ possit esse sine illa, aut sub forma illi opposita. At vero iustitiã diuinam nõ abstrahere à ratione substãtiæ priore modo, sed posteriore: ex quo nõ sequitur posse cõiungi cũ ratione accidentis. Verùm enimuero responsio nõ satisfacit: nãque à differentijs, seu quasi differẽtijs diuidentibus essentialiter genus aliquod, siue analogũ cõmunissimũ, sub quo res oẽs cõtinentur, abstrahere nihil potest p solã nõ inclusionẽ, sed necessario vel est indifferẽs ad illas, vt se habet ipsum diuisum, vel alterã includit, vt mẽbra diuidentia: nã si aliquid abstraheret ab ijs per solã nõ inclusionem nõ esset ens, vel coincideret cũ diuiso: quidquid enim cõtinetur sub cõmunissima ratione entis diuisi, debet etiã sub membris diuidẽtibus cõtineri, vel esse vnũ ex ijs: ea vero necessario includunt alterã ex differentijs diuidẽtibus, atque adeò quod ab ijs abstraheret per solã nõ inclusionẽ, nõ esset ens: at vero ratio substãtiæ & accidẽtis adæquate diuidunt ens: ideoque quęcunq; rationẽ entis includunt, necessario etiã includunt alterã ex illis exclusa alia: quapropter cũ quæuis diuina perfectio sit verè ens, & nõ in alio, necessario vendicabit intrinsecè rationẽ substãtiæ. Secundo in ratione sapientiæ creatæ includitur esse accidẽtale: ergo in ratione increatæ includitur substãtiale. Antecedens patet: cõsequentia bona est: nã sapientia creata differt p se primo à diuina, quia ipsa est ab alio, & in alio, diuina vero est à se, & in se, hoc est nõ in subiecto: cur ergo de ratione creatæ erit quod sit ab alio, & in subiecto, de ratione vero diuinæ nõ erit, vt sit per se, hoc est substantia: simile ferè argumentũ adducit Richard. de S. Vict. lib. 4. de Trinit. c. 16. ad probãdum de ratione diuinæ naturæ esse, vt sit à se: *commune*, inquit, *est diuinæ simul & Angelicæ, & humanæ naturæ habere rationale esse: sed tam Angelicæ, quam humanæ proprium est non esse ex se sed aliundè: solius autem naturæ diuinæ non aliundè sed ex se ipsa esse.*

Lib. 4. Victor.

VI. Antequam comparentur attributa cum essentia, notãdum ipsa etiã quatenus ab essentia distinguuntur, cõsiderari posse adæquate, & inadæquate: adæquate significant substantiam diuinã simul cum ratione formali eius perfectionis, qua per se æquipollenter continetur perfectio creata eiusdem nominis, ac rationis analogicæ. Verbi gratia cum dico sapientia diuina, cõceptus obiectiuus est sapientia subsistens, siue diuina substantia, quatenus obijcitur intellectui nostro sub ratione sapientiæ: itaque nomine diuinæ sapientiæ importantur duæ perfectiones ratione distinctæ, quæ in creaturis re ipsa distinguuntur, nec vnquam conueniunt in vnam prorsus rem: in Deo vero reperiuntur adunatæ in vnum conceptum obiectiuum sapientiæ diuinæ. Ex quo fit vt vnica ratio sapientiæ distingui per intellectum possit in duas inadæquatas, si consideretur pręcisè vel quatenus subsistens est, vel quatenus cognitio est: vterque enim conceptus ab altero præcisus est inadæquatus: quia secundũ esse intellectũ nõ respondet integræ rationi formali obiectiuæ sapientiæ diuinæ, & quamuis propria distinctio attributorũ inter se, & ab essentia non sumatur penes rationẽ subsistendi; siquidẽ nõ solùm essentia, sed attributa etiam subsistunt, tamen quoad hanc etiam distinctio est, non quidẽ penes affirmationẽ & negationem: sed vt ita dicam, penes modũ adæquate, & inadæquate subsistendi. Quod vt perspicuum sit, vtendũ est rerũ creatarum exemplo, quæ tametsi cæteroqui deficiant à similitudine diuinarũ, nõnihil iuuant ad explicãdos nostros de diuinitate cõceptus, sumi vero potest similitudo ab humanitate, q̃ cõponitur ex anima & corpore: quæ duo ita cõueniunt in ratione substantiæ, vt nihilominus vnumquodque p se propriam habeat substantiæ rationem, ex qua humanitas coalescit: similiter licet in diuinis perfectionib⁹ ex natura rei nec distinctio, nec compositio vlla sit, cõcipiuntur tamẽ à nobis plures perfectiones virtute distinctæ singulæ ex propria ratione vendicãtes substantiæ rationẽ, & ita essentia diuina, quatenus cõcipitur per modũ naturæ substantialis, adæquatè constitui intelligitur per rationem substantialem omnium, ac singularum perfectionũ suarum: ita vt si per impossibile fingeretur Deum non esse sapientiã ac iustitiam subsistentem, hoc ipso cõcedendum quoque foret rationem substantiæ diuinæ non esse perfectam, atque adæquatam in ratione substantiæ, siquidem careret ratione aliqua subsistendi, quam modo habet.

VII. Dico secundum, attributa diuina, quatenus à nobis cõcipiuntur sub cõceptu præciso virtute distincta ab essentia, siue adęquate, siue inadæquate cõsiderentur, nõ vẽdicant illã intrinsecè, atque essentialiter. Est

hæc

hæc sententia in primis omniũ Scotistarum, quos referã tract. 5. c. 5. n. 1. qui volunt non solùm nostro concipiendi modo, sed etiã à parte rei attributa nõ includere essentiam: deinde est etiam communior aliorum, ita

Alensis. *Albertus.* *Richard.* *Abulens.* *Capreol.* *Hispalens.* *Soncinas.* *Rubionius.* *Ægyd.* *Auerr.*

Alens. 1. p. q. 49. initio, & q. 51. m. 1. Albert. in 1. dist. 8. art. 3. & 4. Richard. d. 3. art. 2. q. 1. ad primum, Abulensis q. 1. in c. 6. Exod. Capreol. in 1. d. 8. q. 4. art. 2. ad 20. Aureoli contra 1. conclusionem, Hispal. eadẽ q. art. 4. ad 17. & 19. Aureoli contra 2. conclusionem, Soncin. ead. q. ad 4. Aureoli contra 5. conclusionem, Rubionij d. 3. q. 1. art. 2. tandem Ægyd. d. 22. q. 3. in fine corporis & q. 4. post medium, qui id explicat d. 2. 1. p. q. 3. art. 2. optima similitudine sumpta ab abstractione mathem. quam etiam adhibuit Commentator lib. 12. Met. com. 51. nã cum concipitur linea Mathematica, huic conceptioni re ipsa respondet linea naturalis cõiuncta materiæ sensibili, quantũ vero ad modũ intelligendi, nequaquã: quia nõ concipitur vt qualis, sed solũ vt quãta, similiter quãdo cõcipitur sapientia diuina cõceptioni mẽtali re ipsa respondet essentia diuina, in qua sapientia inexistit, tamen quantũ ad modũ intelligẽdi nõ respõdet essentia tanquã fundamentũ immediatũ: quemadmodũ ergo cõceptione mathematica nõ attingitur formaliter materia sensibilis, licet cũ illa cõiuncta sit, ita conceptione singulorũ attributorũ nec essentia, nec alia attributa formaliter, aut per se concipiuntur, quãuis obiectũ quoad rem sit idem, quod illa omnia: eadẽ est sententia Basilij lib. 1. cõtra Eunom. inter principiũ & medium, vbi sic ait:

Basilius.

Quonã pacto nõ deridẽdus, si creandi virtutẽ substantiam esse dicat, si prouidentiã rursus substantiam, eodẽ modo præscientiã, & omnem itidẽ operationẽ substantiam putet: adeò falsum credit asserere vim creandi, quæ est perfectio attributalis, esse substantiã, vt id risu & ludibrio dignũ censeat: q, vero intelligatur de substãtia prout dicit adequate essentiã, colligitur ex verbis, quæ subdit, *quæ cuncta si ad vnũ tẽdunt significatũ, necesse est vt inter se idem valeant, sicut fit in multiuocis,* hoc est habentibus plura nomina Synonima, *sicut cũ Simonem Petrũ Cepham eundẽ dicimus:* nã si nomen substãtiæ nõ accipit p adæquata ratione essentiæ, falso intulit ea nomina idẽ valere & esse Synonima: ad quod requiritur omnimoda, & adæquata conuenientia ex parte significati: ea vero nõ datur, quando plura nomina eandẽ rem inadequate significant.

VIII. Ostenditur assertio inprimis quoad consideratione inadæquatã, nã si cõsiderentur quoad eam rationem, qua præcisè distinguuntur, & æquipollẽt perfectionib⁹ creatis accidẽtarijs, abstrahendo à ratione substantiæ, nequaquã vendicant substantialem rationem essendi, sed solùm infinitam perfectionẽ singulæ in suo genere: Verbi gratia sapientia in genere sapientiæ: iustitia in genere iustitiæ: iã vero supra ostendi rationẽ propriam essentiæ diuinæ, prout à nobis cõcipitur, cõsistere in ipso esse substãtiali: igitur attributa sub præciso cõceptu perfectionũ diuinarũ, quatenus respondẽt perfectionibus accidentarijs creatis, nequaquã vendicant intrinsecè diuinã essentiam. Secundo attributa sub hoc eodẽ cõceptu concipiuntur vt ꝓprietates manantes ab essentia, & in ipsa quasi in proprio subiecto radicatæ: quod vero cõcipitur per modũ subiecti, cõcipi neutiquam potest vt ratio formalis intrinseca proprietatũ: nã ratio formalis intrinseca pertinet ad primum modũ dicẽdi per se, subiectũ vero nõ pertinet ad eum modum: imò proprietates prędicãtur de ipso in secundo modo dicendi per se, & hoc modo prædicari attributa de essentia diuina cõsiderata ꝓ modũ naturæ substantialis, ac fundamenti attributorum docent cõmuniter DD. quemadmodũ igitur subiectũ, licet ponatur in definitione dicente quid est proprietatum, nõ est de intrinseca ratione formali ipsarũ: ita quoque essentia diuina, quatenus cõcipitur sub ratione naturæ substãtialis tamquã radix, & subiectũ attributorum, nõ est de intrinseca ratione ipsorũ sub eo præcisè cõceptu, quo illa respondent perfectionib⁹ creatis. Deinde vero neque sub altero conceptu quo intelliguntur tamquã rationes substantiales, primo, quoniam, vt superius ostẽdi, attributa sub hac cõsideratione pertinẽt ad intrinsecam rationẽ essentiæ: idẽ vero secundũ idẽ nõ potest esse prius, ac posterius in ratione essentiæ, vt rectè ꝓbat argumentũ sententiæ secundo loco positæ. Præterea essentia intrinsecè vẽdicat adæquate totũ esse substantiale perfectionũ omniũ diuinarũ, singula vero attributa nõ ita vendicãt intrinsecè esse substãtiale relicto[illegible]rũ, quatenus ex propria ratione singulorum exigitur: ergo neque vendi[illegible] intrinsecè essentiam. Cõsequentia est manifesta: nã quidquid vendicat c[illegible]ntialiter aliquã formã, eodẽ modo vendicat omnia, quæ sunt de intrinseca ratione ipsius: nã iuxta regulã anteprædicamẽtalem, quidquid dicitur essentialiter de subiecto, dicitur etiam de omnib⁹ contentis sub ipso. Assumptionem vero explico probaturus infra: etenim totũ esse substantiale essentiæ diuinæ adæquate sumptum intelligitur à nob⁹ constitutum ex substantiali esse singularum perfectionum

diuina-

diuinarum, ità vt esse sapientiæ, esse iustitiæ, & cæterarum, quamuis ex natura rei sint vnum, atque idem esse, concipiantur tamẽ à nobis per modum rationũ essendi partialiũ, ex quibus omnibus adæquatè, ex singulis autẽ inadæquatè constitui intelligatur totum esse substantiale essentiæ diuinæ: & quemadmodum in compositione vera nec adæquata ratio totius, nec inadæquatæ rationes singularum partium continentur intrinsecè in singulis per se partibus: ita cùm per intellectum concipimus rationem aliquam totalẽ adæquatè ex pluribus constitutam, non possumus rectè, & cum fundamento concipere rationem totalem adæquatè sumptam, vel singulas inadæquatas esse de ratione formali intrinseca vnius, nedum omnium. Ex hoc autem manifestè sequitur attributa, neque secundùm suum conceptum adæquatum, quem formamus de ipsis, quatenus ab essentia distinguuntur, vendicare intrinsecè essentiam, quandoquidem conceptus hic adæquatus conflatur ex duobus inadæquatis iam explicatis, nec aliud quidpiam includit, quod illis non contineatur: conceptus verò obiectiui respondentes his formalibus inadæquatis non vendicant intrinsecè essentiam: ergò neque conceptus obiectiuus adæquatus.

IX. Testimonia Patrum nihil efficiunt contra secundam assertionem: nam vel intelligi possunt de significato materiali, quod est ipsa diuina substantia & essentia, sub diuersa tamen ratione significata, quo pacto loquuntur scholastici: vel de significato formali, ita vt velint sapiẽtiam, iustitiamque diuinam, & cætera eiusmodi attributa esse substantiam, & essentiam Dei inadæquatè, non quasi ipsam intrinsecè vendicãtes: sed potiùs intrinsecè constituentes: quomodo dicere possumus animam rationalem esse substantiam hominis, non quia illam in sua ratione formali includat, sed quia illam componit vt pars formalis. Ad primum argumentũ respondeo aliter considerari rationem substantiæ, vt est cõmunis analogicè Deo, & creaturis, aliter quatenus est tota ratio essentialis diuinę naturæ, prout à nobis concipitur distincta ab attributis: & priore quidem modo est de ratione intrinseca omnium attributorum realiũ, posteriore verò minimè, sed quasi totum cõstitutum ex perfectione substantiali singulorũ: ex quo potiùs sequitur singula attributa considerata præcisè secundùm propriam rationem existendi substãtialiter pertinere intrinsecè ad rationem formalẽ essentiæ, quàm hanc ad cõceptum formalem intrinsecum attributorũ: & ita neganda est consequentia primi argumẽti. Ad secũdum respondeo maiorem propositionem solum esse necessario verã, quando forma, quæ pluribus competit, non est essentialis: quando verò essentialis est, sufficit habitudo omniũ ad ipsam. Verbi gratia, animal per se dicitur de omnibus suis speciebus, nec per se cõpetit vlli alteri rei, ratiõe cuius participetur ab illis, sed immediatè coniungitur cum differentijs specierum, quibus trahitur ad constitutionem ipsarum, & hoc solùm probat confirmatio eiusdem maioris, cùm dicitur nihil per se cõuenire pluribus, nisi sit vel ratio ipsa cõmunis, vel aliquid in ipsa fundatũ, ex hoc enim habetur sat esse, vt sit ratio aliqua cõmunis pluribus per se illis conueniens absque interuentu alterius. Perfectiones verò de quibus est sermo in assumptione, cõueniunt per se primo ipsi esse diuino, quatenus esse diuinum est. Quod conuenit essentialiter cuiuis perfectioni attributali, & essentiæ, diuersimodè tamen: nam potest considerari vel adæquatè, quatenus concipitur à nobis, vt totum esse diuinæ essentiæ vel inadęquatè, quatenus est esse singularũ perfectionum nostro modo intelligendi constituẽtium ipsum esse integrum essentiæ diuinæ, & ita essentia per se primo adæquatè est actus purus, simplex, necessarius, cætera verò attributa per se primo inadæquatè ratione sui esse substantialis, vendicant easdem perfectiones: nam quando aliquid per se primo adæquatè cõstituto per se primo, conuenit etiam inadæquatè constituentibus, si hæc non se habeant per modum formarũ magis, aut minùs vniuersalium, sed per modum partiũ nulli alteri, quàm constituto conuenientium: qua ratione si fingamus esse verũ id, quod aliqui doctores existimarunt, lucem esse formam substantialẽ solis, dicere possemus esse lucidũ per se primo, & adæquatè competere soli ratione formæ totalis, inadæquatè verò etiam singulis eius partibus, ratione partium formę diuisibilis: quę similitudo, etsi multum distet ab eo, ad q̃ explicandũ assumitur, tamẽ quoad id præcisè, in quo est difficultas, satis idonea est: nam secluſa à diuinis distinctione & compositione ex natura rei, tamen esse diuinũ, in quo præcipuè cõsistere rationem essentiæ cõcipimus, est pelagus quoddam interminatum essendi ambitu suo, amplectens totũ esse, quod est in Deo, ita vt esse singularum perfectionũ nostro modo intelligendi se habeat per modum partis virtualis ingrediens constitutionem totalem il-

lius esse adęquati: Et ita cùm esse totale nequeat per se primo vendicare ratione actus puri, simplicis, necessarij, &c. nisi hoc ipsum vendicent particulares, & inadæquatę rationes essendi, ex quibus nostro modo intelligendi illud constituitur, fit vt id per se primo totaliter & adæquatè, cętera verò attributa inadæquatè, & quasi partialiter vendicent easdem perfectiones, ex quo nō sequitur, vt illa essentialiter atque intrinsecè vendicent essentiam, quę consistit in esse illo actuali adæquato, sed sat est, vt ratione sui esse illam quodam modo constituant: quemadmodum in exemplo solis adducto nō opus est, vt singulę partes ipsius intrinsecè & adæquatè vendicent formam totalē, sed sat est, vt singulæ partes partiali forma actuentur, & ita cōstituant totū solem.

X. Materiam tertij argumenti exactè explicare non est huius loci, sed spectat ad materiam de Trinitate, breuiter tamen respondeo relationes diuinas vel sumi pro proprietatibus personalibus præcisè, queis simul cum essentia personę constituuntur, ac distinguuntur, vel pro ratione abstracta personarum diuinarum vendicante intrinsecè, quidquid personæ ipsæ vendicant, & solum differente penes modū significandi abstractè & concretè: V.g. paternitas vel significat præcisè habitudinem Patris æterni ad Filium, vel rationem adæquatam Patris nostro modo constitutam ex essentia ac relatione: quæ duæ rationes sunt intrinsecæ Patri æterno, & consequenter paternitati, vt significatur in abstracto per modum formæ adæquatæ ipsius Patris. Hoc posito negandum est antecedēs, si relationes diuinæ sumantur in priore acceptione: id enim quod includit aliud intrinsecè, nō intelligitur cōuenire cum eo ad immediatè constituendum aliquid: at verò personæ diuinæ nostro intelligendi modo cōcipiuntur à Theologis constitui immediatè ex essentia ac relatione, tanquam ex duab. rationib. formalib. virtute distinctis: quapropter relatio sub hac acceptiōe sumitur, vt præscindit ab essentia, neque illam formaliter & intrinsecè vēdicat, vt colligitur ex doctrina D. Tho. in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 1. vbi essentiam & relationē ait distingui ratione, & quamuis vniantur in esse, quod est actus essentiæ, nō tamen vniri in esse, quod significat diffinitio rei: quia alia est ratio Paternitatis, quoad aliud refertur, & alia ratio essentiæ. At vero si essentia esset de intrinseca ratione relationis, profectò vniretur in esse, quod significat diffinitio: deberet enim essentia esse intrinseca diffinitioni, & consequenter illi esse, quod ea significat; si verò antecedens intelligatur de relationibus in posteriore acceptione, concedendum est: neganda tamen consequentia. Ratio diuersitatis est, quoniam perfectiones attributales nō ratione esse substātialis proprij singularū cōcipiuntur vt partiales & inadæquatæ rationes pertinētes ad intrinsecam rationem essentiæ, vel ratione perfectionum particularium, quibus inuicem distinguuntur, & æquipollent perfectionibus creatis, concipiuntur per modū passionum: neutro verò ex his modis concipi debent tanquam aliquid constitutum per essentiam, vt in superioribus explicatū est. At relationes diuinę, quatenus sumuntur vt formæ abstractæ & adæquatę personarum diuinarum, nec pertinent intrinsecè ad rationem formalē essentiæ, nec sunt quasi proprietates ipsius, sed tanquam formæ abstractæ singularium conuenientium in aliqua forma communi. Etenim quāuis in diuinis non sit species, aut indiuiduum, tamen doctores tria supposita diuina concipiunt tanquam indiuidua, non quidem formæ communis per multiplicationem, ac diuisionem, sed per eiusdemmet singularis essentiæ communicationem: & ita ad ipsorum rationem intrinsecam & adęquatam, quę significatur per nomina abstracta eorundē, intrinsecè pertinet ratio essentiæ.

XI. Ad primum argumentum secundæ sententiæ, quatenus est contraria primæ conclusioni, respondeo illo rectè concludi secundam cōclusionem, vt in eius probatione obseruaui, nō tamen impugnari primā: quoniam attributa solùm cōcipiuntur per modum proprietatum quoad proprias rationes, quibus conueniunt cum perfectionibus creatis, & differunt ab inuicē, & quoad eas non includuntur in ratione essentiæ vt à nobis cōcipitur, eodem modo soluitur secundum argumentum, quo solum ostenditur attributa nō includere essentiā, quod est verum. Obijcies tamen proprietates nō solùm non includunt essentiam adæquatè sumptam, sed nec inadæquatè; quoniā hoc ipso essentia erit ipsis exterioreca, quatenus concipitur per modum subiecti: intrinseca verò, quatenus cōcipitur per modum formæ essentialis. Respondeo perfectiones attributales, quoad rationem formalem substantię, quam includunt, nō accipi per modum proprietatum, sed per modum rationum formalium quasi partialium pertinētium ad vnā integrā rationē formalem essentiæ, quatenus substātia est: at verò quoad peculiares rationes respondētes nostris accidentalibus & creatis, habēt modū proprietatum, hoc autē modo nec inadæquato

S. Thomas.

ven-

vendicant intrinsece diuinam essentiam, sed supponunt tãquam fundamẽtum. Non repugnat autem eandem perfectionem respectu diuersarum rationum formalium cõsiderari vt intrinsecam & extrinsecam.

Perfectiones attributales, prout à nobis sub diuersis rationibus concipiuntur, non se mutuo intrinsecè vendicant.

CAPVT VIII.

I. EX ijsdem ferè principijs, quibus ostenditur attributa, prout à nobis apprehenduntur, nõ vendicare intrinsecè essentiam, ostenditur etiam nõ se mutuo includere, tamen quia nõ desunt peculiares difficultates circa mutuã ipsorum comparationem, eas seorsim expendere volui. Esse verò omnia de intrinseca & formali ratione cæterorum censent ijdem recentiores. Et pro eadem sententia refertur Caieta. in c.6. de ente & essentia q.12. asserens rationem formalem cuiuslibet attributi dicere totam perfectionem absolutam, quę est in Deo formaliter: huic sententiæ fauere videtur Patres, ac doctores, dum de attributis loquẽtes aiunt idẽ esse vnũ, quod alia, & omnia cõtineri in singulis, quos retuli tractat. 1. cap. 16. suadetur inprimis autoritate Anselmi in Monol. c. 16. indicantis ea, quæ de summa essentia dicũtur, secundùm oẽm modum & cõsiderationem esse vnũ, *quemadmodum itaque*, ait, *vnũ est quidquid essentialiter de summa substãtia dicitur, ita ipsa vno modo, vna consideratione est quidquid est essentialiter: cùm enim aliquis homo dicatur, & corpus, & rationalis, & homo, non vno modo, vel consideratione hæc tria dicũtur: secundum enim aliud est corpus, & secundum aliud rationale: & singulum horum non est totum id, quod est homo: illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modũ, aut secundũ aliam considerationem nõ sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totũ, quod ipsa est*: ex quibus verbis inprimis constat quidquid de summa essentia dicitur secũdùm quemuis modum & considerationem esse totũ, quod ipsa est, atq; adeò cuiuslibet ipsa secundùm se sit omnia, singula etiam attributa quę de ipsa dicũtur, erunt omnia, quod rectè cõfirmatur à dissimilitudine quã adducit: nã si non ita se habent attributa vt homo, corpus, ac rationale, cũ hæc re ipsa non distinguantur, sed sola ratione ratiocinata per conceptus præcisos, saltẽ ex vna parte, consequens est, vt perfectiones diuinæ etiam secundùm considerationem nostram non abstrahant à se inuicem, imò mutuo includantur. Et confirmatur quoniam cùm ibidem paulò antè dixisset, quodlibet attributorum esse vnum, & omnia simul, ne quis putaret ipsum loqui solummodo de attributis, prout sunt in re, subdit, *vt cùm dicitur iustitia, vel essentia vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula*: cùm ergò res significemus, vt intelligim⁹, & cùm dicitur iustitia, significat idem quod omnia, profectò etiã nostro intelligendi modo iustitia vendicat omnia intrinsecè: ad idẽ alludit Aug. lib. 7. de Trinit. c. 1. dicens, cùm aliquid illorum nominat sic accipiendũ, ac si omnia commemoret. Idem docet Gilbert. in li. 1. Boet. de Trinit. §. *sed hæc*, cẽset enim cuiusuis nomine cætera significari & contineri: facit pro eadem sententia idem Gilbert. in comment. super lib. 2. Boet. de Trinit. §. *si igitur interrogem*, versus finẽ, vbi sic habet: *multis nominibus & diuersis modis idem significamus, cùm dicimus Deus, Magnus, bon⁹, & eiusmodi vt facimus in naturalibus, cùm dicimus homo, humanus, corpus, corporale, corporeũ*. At verò significata horũ nominũ saltem altera ex parte se includunt: ergò & attributa saltem inadęquatè alia ab alijs vendicantur intrinsecè. Deniq; Boet. lib. 2. de Trinit. in principio ait veritatem prædicari substantialiter de bonitate, & de iustitia, ac cæteris nominibus, id verò non aliter fieri potest, quàm si intrinsecè pertineat ad illa.

Caietan. *Anselmus.* *Augustin.* *Gilbertus.* *Boetius.*

II. Fundamentum huius sententię sumitur inprimis ab omnimoda identitate attributorum inter se. Nam cùm ex natura rei nullo modo differant, nihil est in Deo à parte rei, quod non significetur nomine cuiusuis attributi: sed à parte rei est in Deo sapiẽtia, iustitia, misericordia, & omnis perfectio attributalis: ergò nulla est, quæ non significetur formaliter nomine cuiusque attributi: atque adeò, quæ non sit de intrinseca ratione ipsius: quæ enim formaliter significantur nomine aliquo, pertinẽt ad intrinsecam rationem obiecti significati. Maior ppositio ostenditur: quoniam si à parte rei esset aliquid in Deo non significatũ nomine, v.g. sapientiæ, id distinguì debet ex natura rei à sapientia: idem enim non potest significari, & non significari simul eodem nomine. Secundo, ratio cuiusuis attributi est omninò illimitata, debetq; proinde cõtinere perfectionem omnem simpliciter: non continebit autem nisi vendicet intrinsecè rationes omnes formales cæterorum attributorum. Tertio, nisi diuina attributa se inuicem formaliter & intrinsecè vendicent, Filius æternus, ac Spiritus sanctus ex vi suarum processionum non vendicabunt formaliter atque intrinsecè perfectionem

omnem absolutam Deitatis: conseques est hæreticum: ergò antecedens falsum. Sequela maioris ostenditur, quoniam verbum æternum procedit secundùm actũ intellectus, Spiritus autem sanctus secundùm actũ voluntatis: ergò formaliter ex vi processionis per intellectum communicatur Filio sola ratio sapientiæ, & Spiritui sancto sola ratio amoris ex vi processionis per actum voluntatis, atque adeò si sapientia & amor non contineant formaliter atq; intrinsecè cæteras perfectiones, Filius æternus ex vi suę processionis solũ vendicabit intrinsecè sapientiam, Spiritus autem diuinus solum amorem, quamuis alioquin identicè cętera habeant.

III. Meminisse oportet eius, quod superius obseruaui, nimirum quæstionem hanc de attributis solum habere locum penes nostrum concipiendi modum: nam re ipsa in Deo non est vlla perfectio realis absoluta, quæ verè sit attributum non contentũ formaliter ipsa ratione adæquata naturę diuinæ, aut non continens re ipsa modum oẽm perfectionis possibilis. Ad agendum verò de re, prout cadit sub modum concipiendi, non habet magnam vim argumentũ sumptum ab ipsa rei natura: nãq; vt ait Philosophus 2. physic. t. 18. *Abstrahentium non est mendacium*, neq; repugnat vnã rem simplicem æquipollentem pluribus perfectionibus re ipsa distinctis in reb. alijs inferioris notę concipi à nobis sub vna ipsarum, quin concipiatur sub alia. Itaq; tota veritatis indagandæ ratio pendet ex modo, quo cõcipimus perfectiones Dei attributales. Has verò dupliciter concipimus, vel solum sub ratione cõmuni analogica, quod maximè fit, cùm illas absolutè de Deo prædicamus: vt cùm dicimus, Deus est sapiens aut iustus: & sub hac acceptione planum est conceptu illo sapiẽtiæ aut iustitiæ, qui est à parte prędicati, non includi rationem omnem perfectionis, vt notat Duran. in 1. d. 2. q. 2. n. 11. vel concipimus eas cum determinatione aliqua particulari ad Deum modo superius explicato: vt cùm dicitur sapientia diuina, omnipotẽtia, & in hoc sensu procedit quæstio, cui respondet sequens assertio.

IV. Perfectiones attributales, quatenus concipiũtur à nobis nominibus perfectionum creatarum re ipsa distinctarum, non se mutuo vendicant essentialiter & intrinsecè: ita vt in ratione obiectiua perfectiõis diuinæ, quatenus respondet cõceptui, quem de ipsa formamus, ac exprimimus nomine sapiẽtiæ, nequaquam inuoluatur intrinsecè ratio iustitiæ, aut vice versa in cõceptu iustitiæ ratio sapientiæ, & sic in cæteris. Hæc est communis sententia veterum Theologorum. Ita docent Albert. in 1. d. 8. ar. 3. & 4. Bonauent. ar. 1. q. 1. ad vlt. Richard. d. 3. ar. 2. q. 1. ad 1. Capreol. d. 8. q. 4. ar. 2. ad 6. & sequ. Aureoli contra 2. concluſ. Hispalens. q. 4. ar. 4. ad 6. & 8. Aureoli contra 2. conclusionẽ, Soncinas q. 4. ad 6. Scoti cõtra 4. cõclusio nẽ, Abulens. q. 1. in c. 6. Exo. Iauel. 12. Metaphys. q. 19. ar. 2. concluſ. 2. D. Tho. opusc. 72. in responsione ad 4. quęst. vbi explicat, quomodo possit obiectũ respondere rationibus diuersis: nempe aut quia in ipso reperiuntur plures naturæ, in quib. fundantur rationes diuersæ, aut quia est vna natura simplex minime proportionata vni conceptioni, sed omnem prorsus excedens, & hoc secundum non repugnat simplicitati: deinde verò subiungit: *sicut in alijs diuersitas naturæ, ita in Deo summa perfectio respondet multis ac diuersis conceptionibus, & isto modo ista diuersitas non tantum est in ratiocinante, sed in ipsa re, quia semper accipitur eadem natura simplex in conceptione posteriore, vt excedens priorem.* Idem valere ait ad pluralitatem conceptuum summam Dei perfectionem, atque in alijs naturæ multiplicitatem: hæc autem facit vt diuersæ rationes se inuicẽ non includant: ergò idem facit perfectio diuina respectu nostri intellectus, quod magis explicat, cùm ait, naturam simplicem in posteriore conceptione accipi quasi excedentem priorem, id vero aliter fieri nequit, quàm si posterior cõceptio includat aliquid nõ inclusum in priore, nam si prorsus vtraque includit, neutra excedit alteram. Eandem sentẽtiam significant doctores varijs loquendi modis: alij enim dicunt diuinam essentiam ita variè causare, vel terminare obiectiuè cõceptus diuersorum attributorum, ac si essent obiecta diuersa, ita Bachon. in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. §. 1. & ar. 4. Andreas de nouo Castro d. 32. q. 1. §. *Ad confirmationem*, ad tertium, Toletan. d. 8. q. vnica, ar. 2. concluſ. 4. Capreol. q. 4. ar. 2. ad argumenta Gregorij contra secundam concluſ. & Hispalens. q. 4. ar. 4. ad 2. Gregorij contra secundam concluſ. vbi id explicat similitudine pomi, quod visui, gustui, & tactui obijcitur per diuersas qualitates: si essent diuersa obiecta diuersas conceptiones mentales terminantia, non esset mutua inclusio in rationibus obiectiuis: ergò si eodem modo diuina essentia terminat distinctas conceptiones, ac si essent obiecta diuersa, rationes obiectiuæ vnius cõceptus nõ includunt rationes aliorum. Alij dicunt attributa diuina, siue potius nomina & conceptus ipsorum ita imperfectè repræsentare diuinas perfectiones,

Aristot. Durand. Albertus. Bonauentura. Richard. Capreol. Hispalens. Soncinas. Abulensis. Iauellus. S. Thomas. Bachonus. Nouo Castro. Toletan. Capreolus. Hispalensis.

nes, quemadmodũ creaturæ, in quibus reperiuntur: ita S. Tho. opusc. 9. q. 1. 1. p. q. 13. ar. 4. & lib. 1. contra Gentes c. 35. cum Ferrar. §. *Pro declaratione*, Capreol. q. cit. ar. 1. concluſ. 2. & ar. 2. ad 15. contra 1. concluſ. & Clypeus Thomiſt. q. 10. in Porphyr. ar. 1. concluſ. 2. manifeſtum autem eſt creaturas ſingulas nõ repreſentare omnes perfectiones diuinas, ergò neq; conceptus noſtri attributales: ac proinde ratiões obiectiuæ ijs reſpondentes non includunt intrinſecè omnes. Huc etiam pertinet alius loquendi modus, quo vtuntur Argent. in 1. d. 6. q. 1. ar. 2. ad 4. Capreol. d. 8. q. 4. ar. 2. ad 6. & reliq. Aureoli cõtra 2. concluſ. & ad 3. Durandi contra eandem. Hiſpalenſ. q. 4. ar. 4. ad argumenta Aureoli cõtra 2. concluſ. dicunt enim attributa diſtingui, quia concipiuntur in ordine ad diuerſas creaturas, in quibus re ipſa diſtinguuntur: cùm aũt non cõcipiatur quoduis attributum per analogiam ad oẽs perfectiones creatas, ſequitur manifeſtè non includere formaliter rationes formales omnium attributorũ. Simile eſt q; frequenter aſſerũt doctores referẽdi tract. 6. c. 9. n. 6. Nempe diſtinctionẽ attributorũ prouenire ex eo, quòd vtimur ſpeciebus limitatis perfectionum creatarum: nos autẽ, vt experientia docet, cùm ad ſingulas Dei perfectiones animũ attendimus, non vtimur ſpeciebus omnium rerũ creatarum: quare neq; in conceptibus, quos ita effingimus, continentur rationes omnes obiectiuæ perfectionum diuinarum. Tandem huius ſententiæ ſunt omnes illi ſcholaſtici, qui docent attributa in abſtracto nõ prædicari de ſe inuicem formaliter, ſed identicè, quos referam tract. 7. cap. 14. n. 7.

IV. Hoc inprimis probatur ex modo loquẽdi ſacrarum literarũ: quæ ſe captui noſtro, & modo intelligendi accommodant. Nam effectus ad extra, qui apud nos procedunt ex determinatis principijs, nõ tribuunt indeterminatè cuiuis attributo, ſed ijs, quę ſecundùm rationem formalem, ſub qua ea concipimus, habẽt rationẽ & habitudinem principij: qua ratiõe Moyſes in Cant. Exo. 15. dicturus de miraculoſa illa ſubmerſione Ægyptiorũ in mari rubro præmiſit: *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius:* deinde verò ſubiungit, *currus Pharaonis, & exercitũ eius proiecit in mare*, vt intelligeremꝰ opus illud ab omnipotentia Dei perfectũ, & Ioan. epiſt. 1. c. 4. *In hoc*, inquit, *eſt charitas Dei, quoniã ipſe prius dilexit nos.* & in Pſ. 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiãtuam Deus,* & ſexcenta alia, in quibus eſt commẽſuratio actuum ad rationem formalẽ propriorum principiorum: quia ſcilicet ſicut nos eiuſmodi nominibus non niſi vnam rationem formalem obiectiuã percipimus, ita Deus eidẽ, non alteri vult aſcribere effectus eius proprios: tametſi enim ſubſtantia diuina vnica perfectione ſimpliciſſima omnes eas contineat, tamen opera miſericordiæ non exercet, niſi quatenus reſpõdet perfectioni miſericordiæ creatæ, & ſic in cæteris: & idcircò, quando cum hominibus loquitur, vtitur nominibus ſignificãtibus eſſentiam ſub ea præciſa ratione, qua pro varietate effectuum eſt potius cauſa huius, quàm illiꝰ: nam quamuis ſub pluribus rationibus virtute diſtinctis ſit cauſa eiuſdẽ effectus, v. g. per ſapientiam, dilectionẽ, omnipotẽtiam, tamen quidam effectus magis appropriantur vni attributo, quàm alteri, ob quã cauſam D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 6. ad 3. docet, licet effectus Dei procedant ex quolibet attributorum, tamen reduci vnumquemq; ad illud attributum, cum quo habet cõuenientiam ſecundùm propriam rationem: ſicut ordinatio rerum ad ſapientiam, iuſtificatio impij ad miſericordiã, creatio verò ad potentiam. Hoc argumentum fusè proſequitur Abulenſ. in 28. c. Geneſ. vbi reddit rationẽ, cur Deus cùm apparuit Iacob. dormienti, vocatur omnipotens, vt ſcilicet non deſperaret Deum poſſe complere, quod promiſit: & ſubdit, quod licet per varia attributa ſignificetur diuina perfectio, tamẽ quando aliquis actus dicitur de Deo, debere poni nõ quodlibet attributum, ſed illud, ſecundùm quod talis operationis eſt operatiuus: quod etiam colligitur ex verbis D. Bernardi lib. 5. de conſiderat. cap. 5. in fine: *Deus*, inquit, *amat vt caritas, nouit vt veritas, ſedet vt æquitas, dominatur vt maieſtas, regit vt principium, tuetur vt ſalus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, aſſiſtit vt pietas,* ſi verò ex æquo ſingulis his nominibus & conceptionibus reſponderent in Deo rationes obiectiuæ perfectionum diuinarum, inepta ſanè eſſet eiuſmodi reduplicatio.

V. Alterum fundamentum eſt; quoniam ſcriptura, & Patres perfectiones diuinas, vt plures nominant, & intelligunt: id verò nõ aliunde prouenit, quàm ex eo, quod quatenus à nobis diſtinctis conceptibus apprehenduntur, non ſe mutuo includunt: quæ enim ita ſe habent, non intelliguntur vt plura. Antecedens verò patet ex Paulo ad Roman. 1. vbi *inuiſibilia Dei*, inquit, *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, plurali modo enuncians ea, quæ re ipſa, & omninò ſimplex natura ſunt: quam dubitationem cùm mouiſſet Hugo de ſan-

S. Thomas. Ferrar. Clypeus. Argentinas. Capreolus. Hispalenſ. Exod. 15. 1. Ioan. 4. Pſal. 35. S. Thomas. Abulenſ. Bernard. Ad Rom. 1.

Hugo Victor. de sancto Victore, quæstion. trigesimatertia, in epistolam ad Roman. sic respondet : *quod vnum est, & simplex in natura, non vt vnum & simplex venit in nostram notitiam, sed vt multa : & hoc rarò deprehenditur*, cur scilicet ita veniat, ipse tamen subijcit causam, *quia oculus interior nondum valet ad illam simplicitatem, & ineffabilem vnitatem attingere, quæ est Deus, vt eum sicuti est intelligat.* Itaque ratio multiplicitatis conceptuum, ac nominum, quibus diuina percipimus, ac nominamus, est imbecillitas naturalis oculi interioris non valentis videre Deum, sicuti est : nam in patria adhuc manebit aliqua imperfectio: quia singulas Dei perfectiones non adæquatè penetrabimus : tamen obiectum beatificum vno obtutu videbimus, vno conceptu apprehendemus: & consequenter etiam vno solo nomine explicabimus : quod eleganter explicat Diuus Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 13. nam cùm dixisset quatuor illa, scilicet longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profunditatem esse vnum in Deo, subdit, *nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit quadruplicatum : facit hoc speculum, & ænigma, per quod interim videre datur : cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim tam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, dissilietve in suam pluralitatem : colliget se magis, adunabit, conformabitq; vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.* Itaque nostram viatorum cognitionem distinguit à beata penes pluralitatem atque vnitatem : quia beati, esto non comprehendant singulas perfectiones diuinas, vnico tamen intuitu illas intuentur : nos verò nullo modo eas omnes possumus sub vno conceptu, etiam confuso, proprio tamen apprehendere: & ideò simplicem illam vnitatem multipliciter intelligimus, ac nominamus. Vnde concludit Hugo vbi supra, *Hugo Victor.* *cùm intelligit*, scilicet mens nostra, *Deum bonum, sapientem, omnipotentem, & huiusmodi, quasi plura venit in mentem, quod vnum est in natura.* Non possunt vt plura intelligi, nisi sub pluribus rationibus, & distinctis conceptibus apprehendantur : nam si idipsum sub eadem prorsus ratione cognitum respondeat conceptui, quem exprimimus nomine sapientiæ, ac iustitiæ, profectò hæc duo, non vt plura, sed vt vnum veniunt in mentem : sicut enim significatum nominis *gladius* non obijcitur vt plura intellectui, siue significetur nomine *gladius*, siue nomine *entis*, quoniam sunt synonima, idem prorsus sub eadem ratione significantia, ita si cum sapientiam, & iustitiam Dei nominamus, idem prorsus sub eadem ratione animo concipimus, non vt plura, sed vt idem subijciuntur animo. Quapropter cùm diuina nomina à diuersis perfectionibus creatis deriuata non sint synonyma, vt est communis sententia Theologorum explicanda in tract. de nominibus Dei, profectò conceptus ijsdem respondentes non significant obiectum vt vnum, sed vt plura, & consequenter, prout singulis conceptibus respondentes, non sumitur adæquatè secundùm omnem suam perfectionem, & rationem formalem obiectiuam : nec in ratione obiectiua vnius cætera formaliter continentur. Hoc argumentum rectè prosequitur Diuus Basilius lib. primo *Basilius,* contra Eunom. inter principium & medium, vbi sic ait : *Quæ cuncta*, id est, nomina diuina, *si ad vnum tendunt significatum, necesse est, vt inter se idem valeant, sicut fit in multiuocis : sicuti cùm Simonem Petrum Cepham eundem dicimus : quare si quis audit immutabilem esse Deum, ad innascibilitatem subducetur: & qui audit impartibilem, ad creandi virtutem deferetur : qua confusione quid vnquam absurdius fiet, quàm si cum propriam cuiusque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem, & doctrinam spiritus leges ponas ?* Ecce quomodo censet esse contra communem consuetudinem, imò & contra doctrinam spiritus accipere nomina diuina indifferenter pro quauis eius perfectione : quod sanè fieri posse concedendum est, si singula intrinsecè omnia vendicant : nam qui dicit hominem loqui, aut ambulare, consequenter potest asserere animal loqui, & ambulare, quia hoc in illo clauditur : similiter si omnia attributa absque discrimine alia in alijs continentur, vno audito poterit quiuis ad cætera animum aduertere, & quod vni tribuitur, cæteris ascribere, quod Basilius non admittit : sed vult, vt singulis suas proprias rationes & effectus tribuamus, subdit enim : *Nonne cùm de Deo audiamus, quod in sapientia omnia fecit, creatiuam tunc eius artem docemur ? cùm rursus è persona ipsius Dei dicitur, ego sum, & alteratus non sum, identitatem æternam, incommutabilitatemq; diuinæ substantiæ dicimus? quomodo igitur non furere te perspicimus, si propriam cuique nominum potestatem inesse non putes, sed contra veritatem idem omnia posse nomina determines ?* Tanquam errorem Eunomij

Bernard.

con-

confutat si quis dicat omnibus nominibus diuinis idem, & eadem ratione significari: hoc enim est idem posse omnia nomina.

VII. Fundamentum verò huius sententiæ est: quoniam vt ait Diuus Thomas, & alij referendi tractatu sexto, capite nono, numero quinto, multiplicitas nominum diuinorum, & conceptuum, quos de Deo formamus, prouenit ex imbecillitate intellectus nostri, qui non potest vnico conceptu multiplices Dei perfectiones concipere, non verò ex vlla multiplicitate actuali perfectionis diuinæ, quam multis conceptibus intelligimus: atque adeò cum nomina significent mediantibus conceptionibus, id debet intelligi nomine sapientiæ, aut iustitiæ, quod respondet conceptui formali, quem formamus cum Deum concipimus iustum, ac sapientem; nos autem cum ita concipimus; abstrahimus à cæteris perfectionibus: nec enim cum Deo iustitiam tribuimus, concipimus sapientiam, aut vice versa: sed solam rationem formalem sapientiæ apprehendimus, cùm Deum sapientem appellamus: & solam rationem formalem iustitiæ cum iustum credimus. Nam cum non aliter hæc agnoscamus, aut nominemus quàm ad modum, quo ex creaturis agnouimus, ac nominamus; in creaturis autem eiusmodi rationes sint ab inuicem distinctæ, etiam cum easdem tribuimus Deo, distincte concipimus cum præcisione rationis vnius ab altera. Quæ verò ita se habent, vt mutuò se formaliter includant, non admittunt huiusmodi abstractionem: nam quamuis ratio animalis seorsim sumpta, itemque ratio differentiæ specificæ, verbi gratia rationalitas, præscindi possint à ratione humanitatis, quia hanc natura ex illis includit, ipsa tamen humanitas nullo modo admittit abstractionem præcisionis ab animalitate vel rationalitate: hoc enim ipso quo in conceptu eius formali non includitur alterutra ex illis, dissoluitur ratio ipsius, semper enim conceptus formalis in esse cognito debet includere quidquid obiectiuus includit secundùm rationem, & esse intelligibile: ideoque quemadmodum humanitas includit animalitatem, ac rationalitatem, ita etiam conceptus eius formalis debet includere secundùm esse cognitum easdem rationes, alioquin non erit conceptus humanitatis, sed alterius obiecti. Quapropter cum conceptus respondentes nominibus attributalibus non contineant secundùm esse cognitum perfectiones omnes diuinas, sed singuli singulas iuxta nostrum modum intelligendi, consequens est vt attributa, prout à nobis significantur, & concipiuntur, non se mutuo includant. Secundo suadetur ijsdem ferè rationibus quibus ostensum est cap. præcedente attributa nostro modo intelligendi non includere intrinsece, ac formaliter essentiam diuinam: nam id, quod est veluti alterius radix, & prius illo, non potest illud intrinsece, & essentialiter vendicare: omnis enim ratio essentialis, & intrinseca est prior eo, de cuius essentia est: atque adeò nequit ex ipso tanquam ex radice pullulare, eodem quoque modo id, quod concipitur tanquam fundamentum alterius, ac prius illo, concipi nequit vt constitutum essentialiter, atque intrinsece ex illo, simul enim conciperetur vt priùs, ac posterius: vt intrinsecum, atque extrinsecum eidem subiecto: nam quatenus concipitur vt pertinens ad essentiam, est prius atque intrinsecum, quatenus autem concipitur procedere ex alio tanquam ex radice, est posterius atque extrinsecum. At nostro intelligendi modo inter attributa diuina est ordo prioris, ac posterioris, prius enim concipitur immutabilitas, quam æternitas: prior infinitas, quam incomprehensibilitas: prius intellectio, quam volitio, namque posteriora demonstrantur à Philosopho naturali, ac Theologo per priora: ergò fieri nequit, vt se mutuo essentialiter includant. Nam si nostro intelligendi modo cum sapientiam Dei concipimus in conceptu obiectiuo respondente huic formali, includitur intrinsece bonitas, ac dilectio diuina, iam hæ duæ perfectiones attributales ratione distinctæ non possunt concipi vt posteriores, extrinsecæ, ac manantes à sapientia, alioquin essent posteriores seipsis, & suimet radices, atque fundamenta. Respondebitur non sequi: nam quando duo mutuo pendent in diuerso genere causæ, non proindè vnum ex illis pendere dicitur à se ipso, quamuis enim materia pendeat à forma, & hæc ab illa, non proindè forma, aut materia pendent à seipsis: quoniam nec materia

respectu sui exercet causalitatem materialem, nec forma respectu sui formalem, sicut exercet altera respectu alterius. In attributis autem diuinis nostro intelligendi modo cõcipitur prioritas, ac posterioritas diuersa ratione: nam volitio, quatenus est ratio essentialis, atque intrinseca sapientię, cõcipitur prior ipsa quasi formaliter, quatenus verò ab ipsa tanquam ex radice germinari intelligitur, concipitur posterior in alio genere, nimirum tanquam attributum, siue proprietas remota respectu proximæ: ex quo non sequitur eandem volitionem respectu sui esse priorem, ac posteriorem: quoniam respectu sui nec est ratio essentialis, nec perfectio attributalis magis proxima, aut remota. Quæ solutio non est adæquata: nam exemplum sumptum à materia & forma est valdè dissimile: vtraque enim secũdùm rationem formalem est alteri extrinseca: & proindè, cùm neutra sit sibi ipsi causa, neutra est seipsa prior, ac posterior: at si materia esset intrinseca, & essentialis formæ, profectò esset causa formalis sui quemadmodum est ipsa forma: nam forma secundùm totum suum esse actuat, & manu tenet materiam, quare, si materia est intrinseca, & essentialis formę, ipsa quoque esset causa formalis sui. Neque in rebus creatis est vllũ exemplũ, in quo ratio aliqua intrinseca, & essentialis subiecto fluat ab illo tanquam à radice, ac fundamento. Cum ergò diuina concipiamus ad modum, quem in creatis intelligimus, non est vllum fundamentum, ex quo intellectus noster concipere queat aliquam perfectionem diuinam simul tanquam rationem essentialem intrinsecam alteri, & tanquam formam posteriorem illa, in ipsaque fundatam: nam duo isti modi concipiendi important rationes oppositas ac repugnantes: communis autem modus concipiendi perfectiones attributales est, vt concipiantur per modum proprietatum essentiæ ordinatarum inter se secũdùm rationem prioris, ac posterioris nostro intelligẽdi modo; quare sub hoc modo concipiendi, quo illas communiter exprimimus, ac nominamus, nequaquam se mutuo includũt essentialiter, atque intrinsece.

VIII. Nec verò Doctores qui pro contraria sententia citantur, illi fauent: non in primis Caietanus, non enim loquitur de perfectionibus attributalibus, prout à nobis distinctæ concipiuntur, ac significantur, sed de ipsis secundùm se: agit enim eo loco contra Scotum admittentem in diuinis distinctionem actualem formalem ex natura rei: & statuit tres conclusiones, quarum prima est, in Deo secundùm se nulla est distinctio actualis: in cuius probatione, & explicatione dicit ea, quæ inter arguẽdum ex ipso adducta sunt: ex quo patet ipsum loqui de essentia, atque attributis ex natura rei: & inferius non obscure tradit communem sententiam, vt colligitur ex responsione ad sextum: nam cũ fuisset oppositum ex omnimoda identitate perfectionũ diuinarũ, ex natura rei tolli ordinẽ demonstratiuum, & distinctionem inter prædicationes formales, ac non formales, negat sequi, & rationem reddit, quoniam loquimur vt concipimus, formamus autem distinctos conceptus, quorum vnus ex alio oritur, & de alio non prædicatur, & habet aliquam habitudinem, quam alius non habet. Quæ ratio nullam vim habet, si perfectiones attributales, prout à nobis apprehenduntur, essentialiter, ac intrinsece vendicant secundùm esse intellectum id, quod re ipsa secũdùm se vendicant: nam si omnimoda identitas, & inclusio secũdùm rem, vt ita loquamur, tollit rationem demõstrationis in ijs, qui rem cognoscũt, sicuti est, etiam omnimoda inclusio secundùm esse intellectum tollet, quapropter qui recurrit ad nostrum modũ concipiẽdi, necessariò admittit non omnem rationem formalem perfectionis quæ est fundamẽtaliter in re, esse obiectiuè secundùm esse intellectum in mẽte viatoris concipientis, & exprimentis singulas perfectiones diuinas distinctis cõceptibus, ac nominibus. Porrò cæteræ omnes tam Patrum, quam Theologorum, ac Philosophorum autoritates vnica expositione explicari possunt dicendo, loqui ipsos de perfectionibus diuinis secũdùm se: nam propter omnimodã vnitatem, ac simplicitate Dei, nõ sunt in ipso plures perfectiones, aut rationes formales ex natura rei distinctæ, sed vna prorsus, quę est infinita perfectio simpliciter: & ita quocũq; nomine appelletur, designando quod est in re, & non attendẽdo ad abstractionem, seu præcisionem intellectus, vendicat intrinsece omnia, & hoc modo verum est dicere quamlibet perfectionem diuinam esse idem, quod cæteras omnes simul, vnam esse idem, quod alterã, vbi n. nulla est distinctio actualis ex natura rei, &c. simplex vnitas obiectiua, quam hoc, vel illo nomine significantes, & suprà ipsam reflectentes verè affirmamus, quod hoc sit illud, & omnia sint vnum.

Caietan.

In speciali tamen respondere oportet ad ea, quæ specialiter obiecta sunt, in primis autem ad explicanda verba Diui Anselmi oportet obseruare illius institutum, est verò probare naturam diuinam habere

innu-

innumeras perfectiones sine compositione, aut distinctione actuali ipsarum. Atque ita, cùm compositio, ac distinctio actualis in re ipsa non respiciat nostrum concipiendi modum, aut ex illo pendeat, sed ex multiplicitate actuali rerum significatarũ D. Anselm. verbis in contrarium adductis solùm intendit statuere omnimodam idẽtitatem, ac simplicitatem perfectionum diuinarum, ita vt intellectus noster ex parte obiecti non reperiat in illis diuersitatem actualem, sicut reperit in rationibus creatis contentis in vna specie, vel individuo. Sensus igitur est, sicut à parte rei vnum prorsus essentialiter est, quidquid de summa essentia dicitur, ita ipsa vna, eademque ratione adæquata est totum, quod essentialiter est: nec sicut in rebus creatis reperiũtur rationes ex natura rei distinctæ, à quibus sumuntur diuersæ denominationes, vt homo dicitur corpus à materia, rationalis ab anima, non ita, inquam, in Deo sunt rationes obiectiuæ actu diuersæ, à quibus hoc, vel illo modo appelletur: nam re ipsa hoc est vnum, quod aliud, & singula totum, quod aliud, ex quibus patet non loqui ipsum de nostro modo intelligendi: nam hoc nihil intererat ad institutum: imò initio capitis indicat nostro modo intelligendi esse mutuo diuersa, ait enim: *Si summa illa natura tot bona est, erit nè compositа tot pluribus bonis? an potius non sunt plura bona, sed vnum bonum tam plur. bus nominibus significatum?* tot bona appellans, & rursum se reuocans, ac vnum dicens pluribus nominibus significatum, satis indicat licet simpliciter vnum sit, tamen esse quodammodo plura, hoc est nostro modo concipiendi, ac significandi. Nec verò dissimilitudo perstricta in argumento quidquam efficit: nam cum Anselm. ait hominem secundùm aliud esse rationale, secundùm aliud verò corpus, distinctionem ex natura rei agnoscit inter rationem, à qua homo dicitur corpus, & rationalis, & hanc excludit à diuinis, nec tamen proindè excludit mutuam distinctionem ratio[illegible] cum præcisione obiectiua rationum formalium: cum verò ait iustitiam significare vnum, quod alia, vel omnia simul, vel singula, loquitur de significatione materiali, & identica, non verò formali & intrinseca, & eodem modo interpretanda sunt similia testimonia adducta ex August. & Gilberto.

X. Porrò Gilbertus in secundo testimonio solùm vult cum dicimus, Deus magnus, bonus, significare vnum & idem à parte rei, id tamen non impedit, quo minùs ipsum quod est vnum, diuersis conceptionibus præcisiuis significemus, & apprehendamus, quod indicat cum ait multis nominibus ac diuersis modis id significare: nam modi isti concipiendi habent fundamentum in re: Exempla verò non sunt quoad omnia adaptanda, sed solùm quoad id, ad quod adducuntur, & ita cum illa exempla solùm adducantur ad ostendendam identitatem realem cum diuersitate nominum, ac modorum, non verò ad mutuam inclusionem intrinsecam, non oportet, vt hoc ipsum in diuinis exigamus. Quin verò etsi denominatiuum *humanus* includat hominem, & corporeum, vel corporale corpus, hoc tamen nõ includit corporale, vt à corpore ipso deducitur, nec homo humanum: atque adeò non sunt apta exempla ad explicandam mutuam inclusionem: cum verò in attributis non sit vlla ratio, cur admitti debeat inclusio nõ mutua, non enim est, cur potiùs iustitia includat misericordiam, quã hæc iustitiam; constat illud exemplum non adductum ad ostendendam inclusionem nõ mutuam, sed solam identitatem à parte rei cum diuersitate nominum, & conceptionum mentalium, quibus respondeant diuersæ rationes obiectiuæ. Dictum Boëtij explicari potest de re ipsa: nam cum de bonitate, aut iustitia diuina prędicamus veritatem, prædicatum re ipsa nõ est accidens prædicabile, aut prędicamentale, sed substantiale rei, quam per illa alia attributa volumus designare, id verò non tollit, quo minùs nostro modo intelligendi concipiatur vt quid extrinsecum rationibus formalibus aliorum, non quidem per abstractionem negatiuam, hęc enim est falsa, sed præcisiuam, quæ habet fundamentum in excessu intelligibilitatis perfectionum diuinarum suprà nostrum intellectum.

XI. Ad primum argumentum respõdeo nomina non significare obiecta prout sunt in re, sed prout concipiuntur à nobis: essentia verò diuina concipitur sub multis rationibus virtute distinctis, & sub illis etiam præcisè significatis formaliter, quamuis identice omnia significentur, & si maior intelligatur de significatione formali, est falsa, vera autem si de identica: sed in hoc sensu neganda est consequentia: quoniam identitas actualis inter significata diuersorũ nominum, & mutua significatio identica non sufficit, vt omnia illa quouis nomine formaliter significentur: maximè quando nomina significant conceptiones inadæquatas obiecto, & respondentes eidem secundùm distinctionem virtualem, siue fundamentalem vnius perfectionis

æqui-

æquipollentis pluribus: tunc enim singula significant entitatem illam fundamentalem, quatenus præcisè æquipollet singulis perfectionibus, non verò omnibus simul sumptis: & ita omnimoda identitas obiectorum significatorum non sufficit, vt per quoduis nomen significentur omnia formaliter, sed solùm identice, ac fundamentaliter. Ad secundùm respondeo sub eadem distinctione: nimirum quoduis attributum secundùm se, prout est in re, non habito respectu ad nostrum intellectum, esse infinitum simpliciter, atque adeò continere omnem prorsus perfectionē: prout autem sumitur secundùm distinctionem virtualem, & cum habitudine ad cōceptus non synonymos, quibus à nobis concipitur habere infinitatem in suo genere: hoc est sapientiam in genere sapientiæ, & sic in

Psal.146. cæteris. Nam quando Dauid Psalm. 146. dixit: *Sapientiæ eius non est numerus*, solùm attendit ad infinitudinem sapientiæ sub ratione sapientiæ, non autem sub ratione iustitiæ, aut misericordiæ. Tertium eadem quoque distinctione dissoluitur: nam processiones diuinæ quoad rationem communicationis essentiæ, ac perfectionum diuinarum non pendent ex nostro modo intelligendi, & ideò quamuis nostro modo intelligendi intellectio diuina non vendicet essentialiter volitionem, neque hæc intellectionem, non proindè Verbum æternū & Spiritus sanctus ex vi suarum processionum desinent vendicare omnes diuinas perfectiones: quoniam intellectio, ac volitio diuina secundùm se absque habitudine ad intellectum creatum continēt omnē perfectionem simpliciter, sed huius dubij vberior explicatio pertinet ad materiam de Trinitate.

De ordine attributorum.

CAPVT IX.

I. NON dari vllum ordinem inter attributa diuina suadebit aliquis: quoniam non est inter ipsa vlla distinctio: ordo verò distinctionem exigit: vt enim ait Augustinus lib.19. de Ciuitate cap.13. *Ordo est parium disparium̄q; rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, inter res autem pares, ac dispares datur distinctio ex natura rei, quę repugnat perfectionib. diuinis: si quis autem dicat saltem interuenire ordinē rationis, obijcitur secundo inanem esse ordinem rationis, cui nihil respōdet ex parte obiecti, & qui est variabilis pro cuiuslibet arbitrio: hic enim tanquam commentitius, & arbitrarius alienus est à doctrina Theologica. Tertio omnes perfectiones diuinæ sunt æquales, & consequenter non habent inter se comparationem disquiparantiæ: quæ verò ita se habent non subsunt ordini: quare nec est, nec concipi potest ordo inter attributa diuina. Quarto de ratione ordinis est prius, ac posterius: in diuinis non est prius, ac posterius: ergò nec ratio ordinis.

II. Ordo, vt notat Henric. in sum. artic. 52. quęst. 1. respectus quidam est inter ordinata: quem D. Augustinus vbi suprà dispositionem vocat, & consequenter exigit pluralitatem: nam respectus omnis vt minimum exercetur inter duo extrema: & ideò vnum, qua vnum, est expers ordinis, & ordinata debent esse distincta, vt docet D. Thomas de potentia quæst. 7. articul. 11. & sæpè alibi. Cum verò relatiua alia sint æquiparantiæ, alia disquiparantiæ, & priora eodem modo se habeant ad vnum, ac ad reliqua omnia, in illis non est ordo: nam inter plura omninò similia, vel æqualia non est vllus ordo. Huic autem doctrinæ Henrici aduersari videtur August. qui ordinem vocat dispositionem non minùs parium, quam disparium: sicut autem disparia sunt relatiua disquiparantiæ, ita paria æquiparantiæ: præterea ordo secundùm numerum constat inter plura eiusdem rationis. Verùm loquendo de ordine naturæ, non est inepta hæc doctrina Henric. Nam si relatiua æquiparantiæ considerentur, qua talia, secundùm se sunt ordinis expertia, non enim in ijs potest concipi vlla diuersitas, secundùm quam tribuatur suus cuique locus impar pro merito, ac dignitate cuiuslibet. Verùm non semper requiritur vt cuiuis ordini supponatur alia disparitas præter distinctionem ordinandorum, hic tamen ordo non fit ab ipsa natura, sed ex arbitrio ordinantis, quod maximè fit in ordine secundùm locum vel numerum. Nam vbi sunt plures quoad merita æquales, possunt aliter, atque aliter numerari; in quo numero erit ordo, quia hic est primus, alius secundus &c. item in exercitu possunt redigi milites in ordinē, quin habeant diuersitatem secundùm merita, sed de huiusmodi ordine libere inducto non est hic sermo, sed de eo, qui nititur, ac fundatur in ipsa rei natura, hic verò omninò exigit aliquam disparitatem in ordinatis. Si quis obijciat ordinem rationis fieri ad arbitrium intellectus concipientis, atque adeò ad ipsum nullam prorsus exigi disparitatem. Respondetur ex doctrina Henric. vbi suprà quæstione 2. ad

Henricus. *Augustinus.* *S. Thomas.* *Henricus.*

vltimum,

vltimum, ordinem rationis non esse à puro conceptu intellectus, tunc enim esset vanus ac fictitius: sed quodammodo esse à re, quatenus est apta concipi sub ordine ab eo, quod habet rationem principij ad alia, & non è conuerso: qui ordo originabiliter est à natura rei, complete autem ab intellectu progrediente ab vna ratione ad alias tanquam à principio ad principiata. Ex quo patet, licet ordo rationis non exigat in re ipsa disparitatem actualem, requirere tamen virtualem, cui intellectus adæquatur constituendo ordinem: Requiritur tandem comparatio ad vnum aliquod principiũ determinatum: ita S. Tho. 1.p.q.42.art.3.& quodlib.5.ar.19.& Henricus.q.1.cit.hoc autem principium potest esse siue vnum ex comparatis, siue aliud tertium ad quæ cætera comparentur. Et hæc comparatio est, quæ vltimo complet rationem ordinis: nam plura etiam dissimilia possunt esse confusa, & inordinata, nisi accedat mutua comparatio, ac dispositio.

S. Thomas. Henricus.

III. Dico primum, inter perfectiones diuinas non est ordo realis, est tamen ordo secundùm rationem. Vtraque pars est communis inter doctores, ita S. Thom. in 1.d. 31.quæst.1.artic.2.in corp. Richard.dist.2. art.1.quæst.4.Henric.in sum.artic.52.quæstione.2. Carthusian. in 1. dist. 2. quæst.3. Rubionius.dist. 3.quæst.1.art.1.Prior pars ex principijs fidei euidenter constat: nam, vt infrà dicam, de fide est, præter ea quæ relatiuè opponuntur, in diuinis omnia esse vnum absque distinctione reali: porrò omnis ordo realis supponit pluralitatem realem eorum, inter quæ consideratur, vnitas enim præcisè sumpta non est capax ordinis: atque adeò cum pluralitas supponat distinctionem, hæc verò nulla sit ex natura rei inter perfectiones attributales, non est etiam ordo realis. Posterior verò pars suadetur, quoniam omnis pluralitas sine ordine parit confusionem: quam à diuinis perfectionibus abesse ratio suadet: quapropter, cùm in attributis, vt ostendam tractat.6.sit distinctio, & pluralitas rationis, eiusdem quoque generis ordo admitti debet. Non loquor autem de ordine rationis, quem ad libitum fingere quiuis potest diuersimode concipiendo quædam attributa prius alijs: sed de ordine habente fundamentum in re iuxta modum concipiendi nostrum, vt etiam notauit Richard. citat. nam sicut in vna simplici essentia propter eius infinitam perfectionem, eminenter æquipollentem perfectionibus creatis re ipsa distinctis inuenit intellectus noster fundamentum distinctionis, ita quoque habet fundamentum ordinis perfectionum, quatenus distinctæ concipiuntur, & nostro intelligendi modo vna supponit aliam, & ex ipsa quasi emanat.

S. Thom. Richard. Henric. Carthusian. Rubionius.

IV. Ex his facilè dissoluuntur rationes dubitandi initio propositæ: nam autoritas Diui Augustini, & primũ argumentũ solùm conuincit non dari inter perfectiones attributales ordinem realem, quod est verissimum. Ad secundum patet etiam responsio: non enim deest fundamentum distinctionis, ac ordinis rationis ex parte obiecti propter virtualem distinctionem attributorum tract.6.explicandam: neque habetur ratio ordinis pro libito à quouis conficti, sed rationabiliter iuxta radicalem distinctionem adinuenti: qui proindè vt idoneus à Theologis vsurpatur, ad vsum enim Theologicæ doctrinæ sat est in obiecto ordo rationis, nec requiritur realis. Ad tertium respõdetur attributa diuina, cùm non habeant ordinem realem, non habere etiam realem disparitatem: contra verò, cũ habeant solùm ordinem rationis, habere etiam nostro intelligendi modo disparitatem virtualẽ: quatenus æquipollent perfectionibus creatis; quæ quoad perfectionem sunt inæquales, & aliæ ab alijs quasi à suis principijs emanant.

V. Circa materiam quarti argumenti est difficultas: nam Diu. Thom. 2.2. quæst. 26. *S. Thom.* artic. 1. & 6. & in 1. dist. 20. quæst. vnica articul. 3. existimat ordinem vendicare intrinsece rationem prioris ac posterioris, quod saltem in ordine rerum creatarum perspicuum est: contra verò Henric. vbi *Henricus.* suprà quæst. 3. censet rationem prioris ac posterioris per accidens se habere ad ordinem, & coniungi cum illo ratione materiæ, non verò formæ, hoc est ratione ordinatorum, non verò ipsius ordinis: nam quoties habentia ordinem ad suum principium in se ipsis talia sunt, vt vnum secundùm propriam entitatem dependeat ab alio, hoc verò non pendeat ab illo, datur ratio prioris ac posterioris; quæ afficit, ac denominat res ipsas, non verò respectum ordinis inter ipsas: in diuinis autem nihil subiectum ordini habet rationem prioris ac posterioris: nam ibi non est nisi essentia, & relationes, vel reales, vel secundùm rationem, essentia secundùm se vna cum sit, non est prior ac posterior: non item relationes, quoniam sunt simul natura: & ita Diu. Augustin. lib. 3. contra Maximin. *August.* cap. 14. diuinis personis tribuit ordinem ratione principij, & tamen negat vnam esse

prio-

priorem altera. Huic sententiæ videtur fauere Caietan. 2.2.q.26. art. 1. vbi ait ordinem ratione generis includere prius, ac posterius, non tamen ratione propriæ differentiæ: ac proindè sicut scientiam admittimus in diuinis ratione differentiæ, nō qualitatis, quæ est genus, ita in diuinis sine ratione posterioris, ac prioris, quæ sumitur ex ratione generis, datur vera ratio ordinis: quam doctrinam sumpsisse videtur ex D. Tho. in 1.d.20.q.vnica art.3. vbi rationem prioris ait esse genus respectu ordinis, & ita illam non manere in diuinis, cum tamen in eis detur ordo Originis.

Caietan.

S. Thom.

VI. Ratio analogica ordinis vt extenditur ad creata & increata, non includit veram rationem prioris ac posterioris, vt citati auctores loquuntur, & ideò negant re ipsa dari inter personas diuinas rationem prioris ac posterioris: tamen vbi ex propria ratione ordinandorum non excluditur ratio prioris ac posterioris, rectè admitti debet. At ratio posterioris ac prioris secundùm naturam infert quidem imperfectionem, & ideò excluditur à diuinis: tamē nostro modo intelligendi, & secundùm rationem nullam imperfectionem continet, sicut nec distinctio, ac pluritas secundùm rationem: & ideò si ex propria ratione singularum perfectionum non excluditur, admitti potest inter attributa diuina, vt admittit Carthusian. loco citato. Est verò ad hunc modum: nam sicut quædam concipimus tanquam fundamentum aliorum, quædam proximè & immediatè manare ab essentia, quædam interuentu aliorum, ita etiam possumus concipere quædam vt priora alijs, non quidem tempore, sed in ratione independentiæ: & hoc modo concipimus essentiam vt priorem intellectu, & hunc vt priorem voluntate: quia æquipollent rebus creatis habentibus inter se veram rationem prioris ac posterioris. Ex quo patet solutio ad fundamentum Henr. nam prioritas secundùm rationem nō exigit dependentiam secundùm rem, sed solùm secundùm modum intelligendi: attributa autem diuina & inter se, & cum essentia comparata habent rationem prioris ac posterioris non secundùm rem sed nostro intelligendi modo: nam quamuis re vnum sint, sunt tamen plura ratione, & attributa non dicunt solos respectus rationis, sed perfectiones absolutas, quin verò etsi dicerent respectus, non se mutuo respiciunt, sed creaturas in ordine, ad quas Henric. considerat attributa: at simultas solùm conuenit relationibus, quæ se mutuo respiciunt, non verò disparatis, inter quas potest dari ordo, & ratio prioris vt se habent identitas, ac distinctio specifica, quæ non se mutuo respiciunt: & ita relatio identitatis secundùm speciem est prior distinctione secundùm eandem speciem, prius enim natura conuenit Petrus cum Paulo ratione humanitatis, quam ratione eiusdem differat ab equo. At posita sententia Henric. quod intelligere in Deo dicat essentiam diuinam cum habitudine ad verum, velle autem eandem cum habitudine ad bonum, cùm hæ habitudines non se inuicem respiciant, sed alios terminos, comparari possunt secundùm prius ac posterius, sicut & ipsi termini comparantur. Ex quo patet solutio ad 4. argumentum: nam etsi de ratione ordinis secundùm propriam speciem foret prius ac posterius, nihilominus in attributis datur hæc ratio non secundùm rem, sed secundùm rationem, & modum intelligendi nostrum.

Carthus.

VII. Vt autem explicetur quis, aut qualis ordo sit inter attributa diuina, obseruandum est inter plures perfectiones duo præcipuè genera ordinis considerari posse, alterum secundùm rationem excellentiæ: alterum secundùm rationem causalitatis: vt enim ait D. Thom. 1.p.q.85.artic. 3. ad primum, ordo naturæ duplex est, scilicet secundùm gradus dignitatis, & secundùm rationem causalitatis: verum in diuinis, quæ re ipsa non distinguuntur, non est ordo, aut prioritas naturæ; quoniam vbi omnia idem sunt, nec est ratio dependentiæ & causalitatis, nec disparitas, aut inæqualitas excellentiæ, vt rectè notauit D. Augustin. lib.15. de Trinitate cap.5. cum enim ex pluribus attributis vellet vnum eligere quod apud nos perfectius æstimatur, sapientiam elegit inter vitam, potentiam, ac speciositatem, quoniam vita, & decora species conuenit etiam rebus corporeis, sapientia verò, ac potentia ita comparantur inter se, vt sacra scriptura dicat, *melior est sapiens viro forti*; subiungit, *quamuis hæc quatuor in Deo non inæqualia dicenda sunt*: & reddit rationem, *Nomina enim quatuor, res autem vna est*, quia tamen vt dixi est ordo rationis, siue etiam virtualis habens aliquam similitudinem cum ordine naturæ, idcircò nonnihil de vtroque dicendum est. Quod verò attinet ad ordinem dignitatis, Augustin. ibidem duodecim perfectiones enumerat, nempè æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus, & ex singulis tribus quaternarijs eligit vnum

S. Thom.

Augustinus.

num attributum nempè ex primo æternum, ex secũdo sapiens, ex tertio beatum: quoniam æternitas supponit cætera tria, nempè immortalitatem, incorruptibilitatem, immutabilitatem: sapientia verò vitam, potentiam, & speciositatem excellit, beatitudo autem spiritum, iustitiam, bonitatem: & quia eadem beatitudo, vtpotè consummata perfectio omnia continet, ad hac vnam perfectiones omnes diuinas reducit. Quæ Augustin. doctrina docta sanè, & ingeniosa est, verum non amplectitur omnia, ac sola attributa: vita siquidem, & spiritus, quæ ab August. inter cætera recenlentur, etiam nostro modo intelligendi sunt perfectiones substantiales: simplicitas autem, infinitas, immensitas & nonnulla alia, quæ omittit, habent rationem attributorum. Porrò singula attributa quoad rationem excellentiæ comparare longum esset, & à præsenti instituto alienum, illud dixerim, ea quæ nostro modo intelligendi sequuntur gradum substantialem perfectiorem, esse quoque secundùm rationem communem analogicam nobiliora, verbi gratia, sapientia & sanctitas, quæ censentur inesse Deo, secundum quod est vita intellectualis, intelligũtur etiam nobiliora immensitate, quę videtur adesse illi, quatenus substantia est. Inter ipsas autem perfectiones, quæ sunt veluti proprietates vitę diuinæ, ordo excellentiæ sumitur ex comparatione ad perfectiones creatas participantes diuinas. Ex quo principio colligitur intellectum in Deo nostro modo intelligendi esse perfectiorem voluntate: quia scilicet in creaturis intellectus est præstantior voluntate: qua etiam ratione August. vbi suprà sapientiam prætulit potẽtiæ & speciotati: sed omisso hoc ordine restat vt paucis dicã de ordine secũdùm rationẽ principij.

VIII. Henric.

Henric. q. 2. citata ordinem rationis constituit secundùm comparationem ad principium secundùm rationem: id verò est, quod importat rationem magis simplicis: nempè id, de quo natus est formari conceptus magis simplex, hoc est minimè resolubilis in plures conceptus, siue quod primo natum est concipi ab intellectu, ita vt ab hoc procedat ad conceptum aliorum: & hoc modo se habet in Deo ratio ipsius esse, quæ includitur in qualibet aliarum rationum, quæ in Deo considerantur, nempè viuere, intelligere, velle, & hoc etiam modo ea, quæ pertinent ad intellectum, quandam rationem principij habent ad ea, quæ pertinent ad voluntatem. Verùm prior conditio sat est ad constituendum ordinem rationis, non tamen requiritur: sufficit quidem, quoniam simplicia sunt priora compositis, & quasi rationes formales ipsorum, & ideò quando duæ rationes obiectiuæ inuicem comparatæ ita se habent, vt nostro intelligendi modo altera sit simplicior altera, & in ipsa quasi inclusa, habet rationem principij in intelligendo, quoniam secundùm se est intelligibilis absque posteriore, hæc tamen sine illa nequaquam, hoc modo ratio essendi potest intelligi sine vita, & ratio vitę sine intellectu. Non tamen è contra. Non requiritur autem, quoniam attributa inuicem comparata non habent disparitatem penes simplicitatem, nec vnum est resolubile in plures conceptus, quam alterum, & tamen inter ea reperitur ordo rationis. Dixerim ergò ordinem rationis secundùm modum causalitatis constituendum in comparatione ad principium secundùm rationem, hoc est, quod nostro modo intelligendi cum fundamento in re sit principium cognoscendi cætera sub ipso ordinata. Id verò intelligendum est, quoad notitiam distinctam, siue via accuratæ cognitionis: nam via inuentionis, & notitia confusa multa sunt notiora suis principijs. Porrò via accuratæ cognitionis dupliciter est aliquid principium intelligendi aliud, vel quia pertinet ad rationem eius formalem intrinsecam, vt se habent gradus superiores ad inferiores, vel quia pertinet saltem extrinsece ad scientiam propter quid illius, vtroque autem modo est in Deo principium secundùm nostrum modum intelligendi: nempè quoad intrinseca ipsum esse, vt rectè docuit Henric. quoad extrinseca verò essentia sub ratione naturæ, quæ est ratio, propter quam attributa omnia demonstrantur à nobis de Deo: & quidem quoad primum ordinem nihil addendum ijs, quæ ab Henric. dicta sunt.

IX.

Quod verò attinet ad ordinem per cõparationem ad essentiam, tanquam principium radicale, propter quod cætera intelliguntur conuenire Deo, obseruandum est, dupliciter emanare plures proprietates ab vna natura: primo ita, vt vnica tantum perfectio concipiatur immediata essentiæ: deindè vero reliquæ vna post alteram consequantur: secundo verò ita, vt duæ, vel plures immediatè contingant essentiam, deindè verò plures aliæ suo ordine sequantur: & quidem in essentia concepta sub vna tantum ratione formali, quæ non habeat saltem virtute plures rationes essentiales intrinsecas, non sunt plures proprietates immediatæ: vt videre est in ente, cuius proprietates sunt vnum, verum,

rum,bonum,quæ conueniunt enti eodem ordine,quo sunt propositæ,non omnes simul immediatè: cum verò essentia saltem secundùm rationem intelligendi conçipitur sub pluribus rationibus substantialibus inadæquatè nõ repugnat,vt sint plures proprietates immediatè consequentes essentiam sub diuersis rationibus absque ordine immediato ipsarum inter se: vt videre est in homine: cuius quatenus est corpus, prima proprietas est quantitas, vel si quam aliam volunt Philosophi, quatenus viuens est potentia nutriendi, quatenus animal potentia sensitiua, quatenus homo ratio discursiua: neque ex quantitate oritur potentia nutriendi, neque ex hac sensus,nec denique ex sensu intellectus, licet, quæ posteriores sunt supponant priores: non quidem, eo quod ex ipsis emanent, sed quia gradus essentiæ, à quibus ipsæ profluunt, supponunt gradus à queis priores emanant.

X. Quamuis autem in Deo concipere possimus plures rationes substantiales inadæquatas respondentes pluribus gradibus substantialibus per creaturas seorsim sparsos,nempè rationem substantiæ,siue essentiæ, quæ conuenit omni substantiæ creatæ: rationem vitæ, quæ est etiam in rebus sensus,ac rationis expertibus,rationem intellectualitatis, quæ solùm in hominibus, & Angelis reperitur, tamen quia in substantijs materiæ expertibus idem est omninò gradus essendi,quo constituuntur in ratione vitæ,ac intellectus, nec ex præcisa ratione vitæ abstractæ ab intellectualitate aduenit ei aliqua proprietas, sicut contingit substantijs materialibus, quæ ex communi ratione vitæ habent vegetationem, ac vim generandi, idcircò non est opus in Deo distinguere aut quærere attributa, quæ conueniant ipsi quatenus vita est distincta ab ijs quæ vendicat, quatenus substantia intellectualis est, vt enim ait D. Augustin. lib.15. de Trinitate cap. 5. vita Dei non talis est,qualis ineſt arbori, vbi nullus intellectus est,nullus sensus; nec talis qualis ineſt pecudi,quæ sensus quidem est particeps,sed intellectus expers: & ideò sicut idem subdit: *ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit,sentit,sicut sentit intelligit:idemque sensus,qui intellectus est illi*: Atque adeò ex gradu vitæ non possumus concipere manare in Deo proprietates aliquas distinctas ab ijs, quas sibi vendicat quatenus vita intellectualis est. Cuius ratio est, quoniam proprietates omnes viuentium, pro vt antecedunt rationem intelligendi,non dicunt perfectionem simpliciter, vt constat in potentia nutritiua, augmentatiua, sensitiua,appetitiua,motiua: etenim licet sensus, & appetitus secundùm rationem genericam, sub qua sensus conuenit cum intellectu in ratione cognoscendi, appetitus cum voluntate in ratione appetendi, dicant perfectionem simpliciter: itemque ratio motiua quatenus dicit rationem principij actiui, non tamen secũdùm proprias rationes specificas: quia omnes includunt rationem potentiæ passiuæ: sensus ab obiecto, appetitus ab imaginatione, locomotiuum à se ipso secundùm diuersas partes: ideoque cum ratio illa generica includatur in intellectu, voluntate,& principio actiuo, Deus quatenus supereminenter est voluntas,atque intellectus, & agendi potentia, vendicat etiam rationes illas communes: & ita non est vndè indagemus in ipso proprietates aliquas respondentes præcisè perfectioni substantiali vitæ abstrahentis ab intellectualitate. Quapropter superest, vt ad constituendum ordinem attributorum consideremus diuinitatem sub duplici solùm ratione nempè vt essentia, & vt vita intellectualis est. Nam quamuis ratio substantiæ ijs quasi intermedia sit, tamen præter negationem existendi in subiecto inhæsionis, de qua iam suprà dictum est, non se offert alia specialis proprietas, quæ Deo competat, & ita relinquitur ratio essentię ac vitæ: sub vtraque verò ratione habet quædam attributa communia cum creaturis, quædam sibi propria: nam quatenus essentia est vẽdicat vnitatem, veritatem, & bonitatem, quæ tria competunt omni enti, vendicat etiam simplicitatem,immutabilitatem, æternitatem, quæ soli ipsi competunt: quatenus vita intellectualis vendicat intellectum, voluntatem,&potentiam. sicut omnis substantia spiritualis: & præterea sapientiam, iustitiam, charitatem, & cæteras virtutes tam intellectuales, quam voluntati proprias, quæ in Deum cadunt, quæ licet conueniant etiam creaturis, non tamen necessariò, ac per modum proprietatum.

XI. His suppositis quæ magna ex parte admittit Henric. in summ. articul. 28. in principio & Richard. in 1. distinct. 2. articul. 1. quæst. 2. hic conatur omnia attributa reducere ad primum illum ternarium communem omnibus creaturis, scilicet ad vnitatem, veritatem, ac bonitatem: pro quo existimat facere superiùs explicatam doctrinam D. Augustin. omnia colligentis ad æternitatem, sapientiam, & beatitudinem: deindè constituit hunc ordinem inter proprietates, quæ conueniunt Deo

Henric. Richard.

inquan-

inquantum est essentia: prima inquit est vnitas, secunda simplicitas, ex quibus duabus simul oritur ratio infinitatis: & ex his tribus immutabilitas: ex quibus tandem deducitur æternitas. At verò inter perfectiones, quæ Deo competunt, quatenus est vita, priores, inquit, sunt quæ pertinent ad intellectum: deindè quæ ad voluntatem: & inter primas prior est veritas quam sapientia. Id vero probat quoniam ideò Deus intelligit se, quia per essentiam suam se perfectè ostendit intellectui, essentia verò vniuscuiusque rei est ipsius veritas: inquantum res ex parte sua talem se ostendit qualis est: idemque docet de bonitate respectu reliquarum perfectionum, quæ sunt propriæ voluntatis, postquam statuit misericordiam, deindè iustitiam, vltimo loco beatitudinem: quæ omnes perfectiones diuinas in sua ratione concludit; & quoad hãc partẽ, nimirum quod veritas sit prima inter perfectiones intellectuales, & bonitas inter eas, quæ pertinent ad voluntatem, & competunt Deo, quatenus vita intellectualis est, idem sentit Henric. & probari potest ex ratione obiecti, quæ nostro intelligendi modo est prior actibus intellectualibus: & ideò cum veritas, ac bonitas sint obiecta intellectus, & volũtatis, Deus quatenus veritas nostro intelligendi modo præcedit intellectum, & quatenus bonitas voluntatem. Henric.

XII. Verùm licet hæc dispositio attributorum quatenus tres illos ordines sequitur aliqua ex parte cõgruat cum August. quoad institutum verò nequaquam: nam Aug. vt iam dixi ostẽdebat ordinem dignitatis, & comprehensionis. Richard. agit de ordine emanationis. August. 2. loco ponit vitam, ac potentiam, quarum prior non est attributum, posterior verò nõ pertinet ad intellectum. Richard. autem 2. loco solùm ea ponit, quæ intellectui competunt. Deindè verò Richar. inter ea, quæ competunt essentiæ sub ratione essentiæ, vt nostro intelligendi modo præscindit à vita, post vnitatem numerat simplicitatem, & prætermittit veritatem, ac bonitatẽ, quas postea numerat inter perfectiones, quæ competunt Deo quatenus vita est; id verò nõ congruit veritati: nam proprietates, quæ conueniunt essentiæ, quatenus ens est, sunt priores nostro intelligendi modo reliquis omnibus, quæ conueniunt eidem, quatenus determinatum ens est: quapropter ante veritatem, ac bonitatem non debet constitui, simplicitas, aut quoduis aliud attributum conueniens Deitati secundùm propriam, ac singularẽ rationem. Prẽterea quamuis inter ea, quæ ad intelligendum requiruntur, primum locum vendicet veritas: quatenus est forma intelligibilis, vel in ipsa fundatur, & inter ea, quæ concurrunt ad actum voluntatis primum locum obtineat bonitas tanquam motiuum ex parte obiecti per ipsam trahentis volũtatem ad amorem sui: nihilominùs veritas, ac bonitas secundùm hanc acceptionem non sunt proprietates naturę intellectualis: quatenus intellectualis est, sed entis quatenus ens: quãdoquidem intelligibile, atque amabile reciprocatur cum ente, & multò latius funditur, quam intelligens, aut amans: & ita quemadmodum cætera omnia entia per veritatem constituuntur sub ratione intelligibilitatis, & per bonitatem sub ratione amabilitatis: ita quoque diuina essentia sicut prima veritas est quoque prima forma intelligibilis, & sicut summa bonitas, ita p eandẽ summe diligibilis: & quamuis actus cognitionis, & amoris adæquatè respondẽtes summæ huic intelligibilitati, & amabilitati solùm habeat intellectus, ac voluntas diuina, nihilominùs tamen inadæquatè sub ijsdem rationibus est obiectum intellectus, ac voluntatis creatæ. Itaque cum veritas, ac bonitas per se primo cõstituant essentiam diuinam sub ratione obiecti intelligibilis, & amabilis, non autem sub ratione potentiæ intelligentis, & amantis, quamuis ad has suo modo pertineant tanquã principia ex parte obiecti, non debent numerari inter proprietates conuenientes naturæ diuinæ, quatenus vita intellectualis est, sed potiùs inter eas, quæ ei competunt quatenus essentia est. Ratio verò pro Richard. adducta solùm concludit veritatem esse priorem perfectionibus pertinentibus ad intellectum, & bonitatem ijs, quæ pertinent ad voluntatem, quod verum est: non tamen ostendit numerandas inter ipsas proprietates, quæ conueniunt per se primo essentiæ diuinæ, quatenus natura intellectualis est.

XIII. Quamuis autem difficilè sit inire perfectam rationem ordinis inter attributa, hæc tamen mihi maximè idonea visa est: nempè vt primum incipiam ab ipsis passionibus entis, & in singulis cõsiderem modum, quem sibi vendicat essentia diuina, quatenus essentia est, & cætera omnia, quæ ad eiusmodi proprietates sub eo modo consequi videntur, & ita ad tres proprietates entis reuocabo omnes: quæ conueniunt essentiæ conceptæ sub præcisa ratione essentiæ: deindè considerabo eas, quas vendicat in quantum vita in ordine ad actu inter nos: postremò eas secundùm qua exer-

exercet causalitatem aliquam erga creaturas: hæ enim cum supponant & perfectionē essentiæ in se, & actus vitales internos, postremo loco à nobis intelliguntur. Prima itaque inter perfectiones diuinas attributales est vnitas, quæ quoniam in Deo est summa, quæ concipi potest, ad ipsam necessariò sequitur simplicitas, quæ est modus quidam perfectissimę vnitatis: ad hanc verò sequitur immutabilitas: nam quod est à se, & summe simplex, est prorsus immutabile: quod autem immutabile, necesse est vt sit æternum, & has tres passiones essentiæ, quatenus essentia est tribuit Henric. vbi suprà, & consentit Richard. quatenus eas reuocat ad rationem vnius: nam re vera simplicitas, immutabilitas, & æternas rationem quandam habent indiuisionis, atque vnitatis: quoniam verò vnitas est fundamentum identitatis, eadem enim teste Philosopho lib. 5. Metaphysic. cap. 15. text. 29. sunt vnum in substantia, identitas quoque est proprietas pertinens ad vnitatem: & quia opposita ad idem genus pertinent: & idem, atq; diuersum sunt opposita, post identitatem diuinarum perfectionum cōsideranda est distinctio, siue inter se inuicem, siue à rebus alijs: huius enim consideratio facit ad perfectam cognitionem identitatis, ac simplicitatis diuinæ. Post vnitatem sequitur veritas, & intelligibilitas obiectiua, quæ est secundùm modum veritatis, Deus autem est prima summa, & infinita veritas, & consequenter primum supremum, & infinitum intelligibile: qua ratione natura diuina est perfectissima forma intelligibilis soli diuino intellectui adæquatè cognoscibilis, cæteris inadæquatè. Ex quo sumuntur attributa, quæ Deo in ordine ad intellectum creatum tribuuntur, cùm dicitur vna quidem ex parte inuisibilis, inuestigabilis, imperscrutabilis: ex alia verò intelligibilis, ac visibilis. Postremò autem concipimus bonitatem: & quoniam bonum, atque perfectum idem est: perfectio quippè est quædam bonitatis excellentia, bonitatem perfectio comitatur: iam verò quia vnumquodque tum perfectum esse dicitur, cùm habet operandi vim, omnipotentia quoq; spectat ad diuinam bonitatem. Et radicatur in essentia secundùm gradum essendi, vis enim actiua etiam non viuentibus competit. Porrò bonitatis modum in Deo considerantes non inuenimus modū, nec terminum: & ideò tribuimus Deo perfectionem, siue bonitatem infinitam, imò infinitatem simpliciter in omni genere & quoniam infinitum simpliciter est incomprehensibile, & ineffabile, sequitur incōprehēsibilitas diuina, quia verò bonum partim cognitum, partim latens gignit admirationē, Deus dicitur admirabilis: & quoniam bonitas est amabilitatis fundamentum, dicimus Deū summe amabilem, quia verò excellentia est obiectum honoris, ac laudis, ideò in scripturis dicitur gloriosus, & laudabilis, & plerisque alijs eiusdem rationis nominibus celebratur, & ad hæc tria capita reuocātur perfectiones omnes attributales, quas concipimus radicari in natura diuina quatenus essentia est.

Henricus. Richard.

Ex eadem verò quatenus vita intellectualis est, tres aliæ perfectiones attributales proficisci intelliguntur: nimirum intellectus, voluntas, omnipotentia, eodem ordine, quo sunt propositæ: nam sicut veritas obiectiua est prior bonitate, ita intellectus, cuius obiectum est veritas, est prior voluntate, quæ mouetur à bonitate: præterea hæc supponit actum illius, ita vt dari nequeat vllus actus volendi, quem non præcedat actus intelligendi, cùm tamen actus volendi non necessariò præcedat omnem actum intelligendi. Voluntas autem prior est omnipotentia, quæ hoc loco sumitur, non quatenus præcisè est vis actiua. Sed executiua subordinata voluntati, non enim est potentia naturalis, hoc est agens ex necessitate naturæ, sed subordinata & dictamini intellectus, & decreto voluntatis: & ideò si ex actibus potentiarum ordo colligendus est, sicut actus omnipotentiæ sunt posteriores actibus intellectus, ac voluntatis: ita quoque ipsa posterior illis censenda est. Neque absurdum est eandem rem sub diuersa consideratione sortiri diuersum ordinem secundùm prius, ac posterius. Harum verò trium perfectionum gradus, & quasi partes, & cæteras ijs annexas minutius distinguere non est huius loci: ideò ab ipsarum lōgiore disquisitione abstineo, acturus ijs de rebus duabus sequentibus partibus: quarum secunda disputabo de vita Dei, & actibus eius immanentibus, tertia verò de causalitate, & efficientia ipsius, de prima rērum conditione, natura, ordine, ac donis creaturæ maximè intellectuali initio concessis. Nunc verò ijs in vnum locum reiectis aggredior ad dicendum de singulis attributis essentiæ, quatenus essentia est.

XIV.

TRACTA-

TRACTATVS TERTIVS DE VNITATE DEI.

INTER attributa diuina vnitas primum locum habet, vtpote quæ immediatè innititur ipsi esse, neque supponit aliam rationē formalem, à qua emanet: nam secluſa per intellectum quauis alia ratione formali, si tamen retineatur ratio entis, ex ipsa solùm prodibit, & concipietur vnitas. Ideoque de ea agendum priusquam de alijs attributis. Diuiditur autem vnum in maximè communi acceptione in vnum per se, & vnum per accidens, vt patet ex lib. 5. Met. cap. 6. cum verò id, quod est per se, sit mensura eius, quod est per accidens, illo explicato, huius quoque ratio innotescet. Non loquor autem de eo, quod est per se, vel per accidens in causando: hoc enim potest esse per se vnum in essendo, quomodo autore Aristotele lib. 2. Physic. t. 33. Polycletus est causa per accidens statuæ, & tamen est vnum ens per se; contra verò ens per accidens potest esse causa per se, vt medicamentum, quod plerumque est vnum per accidens, est causa per se sanitatis: est ergò sermo de ente per se, vel per accidens in ratione vnius. Omissis autem varijs dicendi modis apud Metaphysicos vnum per se est illud, quod constat forma per se vna. Describitur verò vnum per formam entis cui inest: quoniam, vt ait Diuus Thomas 1. part. quæst. 6. artic. 3. ad primum, de potentia quæst. 9. artic. 7. & alibi, quælibet res est vna per suam essentiam, siue formā: sed quænam est forma vna per se? nempè illa, quæ in ratione formæ essentialis non coalescit ex partibus actu componentibus plura entia completa in quouis genere entium. Ex quo constat simplicia omnia esse vnum per se; quoniam essentia, quæ est forma ipsorum, ex nullis partibus constat: ex compositis verò omnia ea, quæ componuntur ex genere ac differentia, ex pura potentia, & actu, & ex partibus integrantibus vnitis per continuationem sub eadem forma essentiali: forma enim essentialis horum omnium non constat partibus actu componentibus plura entia completa in suo genere, vt discurrenti per singula perspicuum fiet. Vnum verò per accidens est, cuius forma intrinseca constat pluribus entibus per se completis, vel accidit enti completo pertinenti ad intrinsecam rationem constituti per formam: nam si forma intrinsece constet pluribus entibus per se completis iam intra terminos rei per eam constitutæ est diuisio simpliciter in genere entis, atque adeò non est vnum per se: qua ratione artificiata constantia ex multis subiectis vel vno, & forma, quam includunt, non sunt vnum per se. Hæc verò vnitas non recurrit cum ente, nec est simpliciter vnitas, sed multitudo: ideoque non pertinet ad tractatum de vnitate simpliciter, quæ est passio entis: breuiter tamen suo loco ostendam ipsam nequaquam posse competere deitati. Sed iam accedendum est ad vnitatem per se, & explicādum quid, & quotuplex sit, & quomodo Deo conueniat.

Aristot.

S. Thomas.

Vnitas transcendens non significat rationem positiuam ex natura rei ab ente distinctam.

CAPVT I.

VT constet, quonam modo competat ratio vnius Deo, supponendum foret ex Metaphysica quænam illa sit. Verùm, quia non solùm inter Philosophos, sed etiam inter Theologos est ea de re sententiarum varietas, operæpretium est breuiter exponere in quo consistat ratio vnitatis. Est verò in primis controuersia, sit ne ratio aliqua positiua suprà rationem entis. Vnum verò dupliciter vsurpatur: nempè, vt est in genere quantitatis, & vt est passio entis transcendens: de vno in priore acceptione non est dissensio, communis enim sententia docet esse aliquid positiuum suprà rem, quæ dicitur vna, mirum quantitatem continuam sub indiuisione sumptam. De vno verò in posteriore acceptione est controuersia, cuius affirmatiuam partem tenuit Auicenna tract. 3. Metaphysicæ cap. 6. existimauit autem, vt refert Diuus Thomas in 1. distinct. 24. quæst. 1. articul. 3. id, quod vnum addit suprà ens, non esse substantiam, quia tunc in accidentibus non daretur numerus neque item ens, prout abstrahit à substantia, & accidente, quia daretur aliquis numerus, qui non sit accidens: sed esse de genere accidentis, quod adueniens substantiæ in suo esse completæ tribuit ipsi denominationem vnius, vt ab eo positiue dicatur vna, quemadmodum à colore, qui eidem accidit, dicitur candida. Auicennam sequutus est Alens. 1. part. quæstion. 13. m. 1. & 2. Albert. in summ.

I.

Auicenna.

S. Thom.

Alensis.

Albert.

Bonauent. Scotus. Bachon. Tartaret. Viguerius. Sotus. Henric.

tract. 6. q. 24. memb. 2. & 3. Bonauentur. in 1. dist. 24. art. 1, q. 1. Scot. lib. 4. Metaphysicæ in commentar. text. 3. & q. 2. & in 2. d. 3. q. 2. Ioannes de Bachone in 1. dist. 33. q. vnica art. 2. Petrus Tartaretus lib. 4. Metaphysicæ q. vn. art. 1. Ioann. Viguerius in 1. dist. 24. quæst. vnica, Paulus Venetus in sua metaphysica cap. 15. Sotus in lib. prædicabilium capite de proprio q. 2. ad secundum, & Henricus in summa ar. 25. q. 1. qui solet referri pro contraria sententia quodlibet. 1. q. 1. sed ibi solùm dicit vnum dicere priuationem: quomodo verò hoc sit intelligendum, ex instituto explicat loco citato summæ, nempè secundùm nostrum modum intelligendi, nó secundùm rem, quod etiã docuerunt Alensis, Albertus, Bonauẽtura, Ioannes Viguerius, & Ioannes de Bachone vbi suprà, omnes hi autores conueniunt in hoc, vt dicant vnum addere rationem aliquam positiuam supra rationem entis: differunt verò in modo explicandi distinctionẽ eius ab ente. Quidam enim censent esse passionẽ aliquam radicatã in natura entis, ab eaq; actu distinctam: ita Scotus cũ Scotistis, & Paulo Veneto citatis. Alij verò cõtendunt esse rationem aliquam saltem virtute distinctam, in qua tanquam in fundamento nitatur indiuisio: quod indicant Alensis, Albertus, Bonauẽtura, & Bachonus: & expresse docent Henricus, & Sotus, & nonnulli recentiores. Priorem sententiam hoc capite, posteriorẽ sequente expendam.

II. Aristot.

Distingui verò ex natura rei actu probatur in primis authoritate Aristotelis: nam, cum lib. 10 Metaphys. text. 6. inquirere cœpisset vtrum vnum sit substantia, an verò passio, cui aliqua natura subijcitur, concludit tandem in fine textus septimi his verbis: *Quod igitur in omni genere ipsum vnum aliqua natura est, & quod nullius hoc ipsum aliqua natura est, patet,* quorum sensus est vnum significare aliquid positiuum, hoc enim solùm potest dici natura: idque non pertinere intrinsece ad naturam, siue essentiam vllius rei: quare, cùm ens pertineat ad essentiam rerum omnium, natura, quæ vnius nomine significatur, erit ratio positiua distincta à parte rei à ratione entis. Suadetur item ex eodem Aristotele vbi suprà text. 9. asserente vnum, & multa opponi contrarie: Sic verò habet: *Opponuntur autem vnum & multa multis modis, quorum vno vnum, & multitudo, & vt indiuisibile, & diuisibile: quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur: quod verò indiuisibile, aut non diuisum, vnum. Cum autem oppositionis quatuor sint modi, & horum alius secundùm priuationem dicatur, contraria erunt profectò et neque vt contradictio, neque vt ea, quæ ad aliquid dicuntur;* in quem locum Sanctus Thomas docet in sententia Aristotelis vnum & multa opponi contrariè: quare, cum oppositio contraria non nisi inter formas positiuas existat, dari debet in vtroque extremo ratio positiua distincta ex natura rei ab ente: quandoquidem contraria, vt patet ex diffinitione tradita ab Aristotele in postprædicam. cap. 1. eidem subiecto vicissim insunt: quæ verò ita se habent, necessariò habent rationem superadditam subiecto, & ex natura rei ab ipso distinctam. Probatur deindè ratione: primo quoniam quotiescunque per diuisionem resultant plura ex vno salua ratione entis, dissoluitur aliqua ratio positiua: hæc non potest esse nisi ratio vnius: ergò ea est positiua, & distincta à ratione entis. Maior propositio patet: nam, cùm diuiditur totum integrale homogeneum, verbi gratia aqua, desinit esse ratio aliqua positiua, quæ est terminus à quo diuisionis, diuisio enim realis non incipit à negatione, sed à toto reali, ac desinit in partes, quæ erant potentia in toto, post diuisionem verò sunt actu in se ipsis. Quod autem per eiusmodi diuisionem non destruatur ratio entis, sed eadem perseueret, constat, quia ens non est actu nisi per particulares, & specificas rationes entium, quibus saluis ratio quoque entis non dissoluitur: at quando diuiditur aqua, non destruitur ratio specifica ipsius: ergò neque ratio entis in ipsa inclusa. Assumptio verò ostenditur siquidem in toto indiuisio nihil est aliud positiuum, quod non sit in partibus diuisis, quam ratio vnitatis compositæ, ac resultantis ex vnione partium inter se: nec enim aliud vnquam assignatum est, aut assignari poterit. Secundo sumitur argumentum ab vnitate prædicamentali, quæ est continuitas addita substantiæ rei, quæ dicitur vna: cur enim si vnitas prædicamentalis est ratio positiua addita substantiæ corporeæ, vnitas transcendens non erit etiam ratio positiua addita enti, quod vnum dicitur, si respondeatur argumentum non concincere: nam ipsa quoque ratio quantitatis continuæ habet rationem vnius, nec tamen vna denominatur aliter, quam sub indiuisione. Obijciunt ex hoc sequi, numerum prædicamentalem non constitui formaliter ex entibus realibus, sed ex negationibus, quod absurdum est, id verò non tollitur ex eo, quod quantitas cõtinua

S. Thom.

Aristoteles.

sit

sit ratio positiua: nam ea non est ratio formalis vnitatis prædicamentalis, sed materiale subiectum: alioquin vna species quantitatis secundùm propriam rationem formalem, hoc est secundùm continuitatem, componeret aliam speciem, hoc est numerum. Hoc ipsum confirmatur: quoniam Mathematicus considerat vnitatem abstractam à quauis materia & quantitate corporis: quare, licet vnitas aptius explicetur per negationem diuisionis, tamen re ipsa consistit in ratione aliqua positiua.

III. Dicendum nihilominus vnitatem non esse rationem positiuam distinctam actu à ratione entis. Hæc est communis doctorum non solum asserentium vnum dicere solùm supra ens rationem priuatiuam, quos referam cap. sequente, sed etiam Alens. & aliorum, qui rationem vnitatis positiuam ab ente actualiter nõ distinguunt, quos superius citaui, & maximè conformis sententiæ Aristotelis frequenter asserentis vnum, & multa opponi priuatiuè. *Aristot.* Respondent aliqui Aristotelem intelligẽdum ad eum modum, quo interdum asserit differentias specificas, imò & qualitates contrarias opponi priuatiuè, cùm tamen sint naturæ quædam substractæ priuationibus: ex quo non sequitur vnum significare puram priuationem. Hæc solutio satisfaceret quidem, si nihil aliud philosophus addidisset: verùm cùm ex alijs mens eius apertè colligatur, intelligendus est de vera oppositione priuatiua: id verò inprimis colligitur ex eo, quod tex. 9. lib. 10. Metaphys. affirmat, vnum & multa opponi sicut diuisibile & indiuisibile: hoc autem apertè significat negationem diuisionis: & tex. 5. vbi indagat veram rationem vnius, *vnum*, inquit, *aut simpliciter, aut prout est vnum, indiuisibile est*, notanda verba illa, *prout est vnum*, sunt enim reduplicatiua supra rationem formalem vnius: cùm ergò dicat vnum, prout est vnum, esse indiuisibile, sanè innuit indiuisibilitatem esse propriam eius rationem. Idem sumitur ex tex. 8. vbi ait vnum, & ens idem quodammodo significare: quod intelligendum ita est, vt non significent plures rationes positiuas, sed eandem, nõ tamen eodem prorsus modo, quia scilicet in modo significandi est diuersitas, vt constabit cap. sequente: & ne maneret locus interpretationi in contrarium, si quis diceret significare idem quodammodo, quia sunt idem subiecto, quæ verò ita se habent, non repugnat, vt sint actu ex natura rei distincta, subdit eodem tex. hæc verba: *Vnus homo non addit aliquid aliud, quàm homo*: Ex quibus perspicuum est de mente Aristotelis vnum non addere rationem aliquam positiuam distinctam actu à ratione entis: etenim si adderet, ea ratio esset etiã actu distincta ab homine, cuius oppositum docet Aristoteles verbis citatis. Accedit, quod ibidẽ subdit: *Vni esse est vnicuique esse*, quasi dicat, non est vlla alia ratio positiua vnius, quàm ipsum esse, in quo fundatur indiuisibilitas: quæ est propria ratio vnius, quatenus vnum est, & ita Commentat. lib. 4. Met. commen. 3. & *Comment.* libr. 10. comment. 8. hanc opinionem sequitur tanquam veram sententiam Aristotelis.

Suadetur autem, quoniam eiusmodi IV. ratio positiua, aut esset realis, aut rationis: Non esse ens rationis patet, quandoquidem vel esset habitudo ad multa, vel ad subiectum, quod denominatur vnum, nõ ad multa: nam si terminaretur ad multa, vnum & multa essent relatiuè opposita: quod expressè negat Aristot. lib. 10. Me- *Aristot.* taphys. tex. 9. non ad subiectum, etenim relatiuum omne explicatur relatione ad aliud, vnum verò non explicatur relatione ad subiectum, quod appellatur vnum: nec assignabitur vllum aliud extremum, ad quod terminetur, & ita vnum ad se, & non ad aliud dicitur. Non esse verò rationem positiuam realem ostenditur, quoniam non sunt multiplicanda entia sine necessitate: non est autem vlla necessitas concedendi rationem realem positiuam superadditam enti, ab eoque distinctam ex natura rei: nam si quomodo esset necessaria, maximè vt per eam res sit formaliter vna, ad hoc autem non est necessaria: ipsa enim si daretur, denominaretur etiam vna, non per aliam rationem positiuam, ne daretur progressus in infinitum, sed solummodo per negationem diuisionis: ergò negatio diuisionis sat est, vt per eam res dicatur vna: atque adeò ad hunc effectũ minimè requiritur ratio positiua distincta ex natura rei ab ente. Respondebitur vnitatem esse vnam se ipsa, non verò negatione diuisionis: nam id, quod est, quo in aliquo genere, si sit simplex & vltimum, potest esse quod, vt patet in quantitate, quę est ratio, qua substantia est quanta, & ipsa per se ipsam est quanta: similiter vnitas erit enti ratio, vt sit vnum: & ipsa quoque suamet formali ratione erit vna. Verùm hæc solutio non satisfacit: nam, licet in quantitate ob peculiarem rationem eadem ratio sit, quo respectu subiecti, & respectu sui quod: quoniam non solùm est ratio, cur substan-

tia corporea habeat partes, & sit extensa ac diuisibilis, verumetiam ipsa quoque habet proprias partes ratione quarum est extensa, & diuisibilis: & ideò Philosophus lib. 5. Aristot. Metaphys. tex. 18. species quantitatis quantas dicit, quoniam diuisibiles sunt, & partes habent: non tamen est vniuersaliter dicendum formam denominari à se ipsa: qualitas enim non est se ipsa qualis: nec relatio est id, quod se ipsa refertur, sed tantum est subiecto ratio referendi: non videmus autem specialem rationem in vnitate, propter quam ipsa circa se habeat eundem effectum, quem habet circa subiectum: ita, vt ratione sui, præcisa omni alia forma, dicatur vna, maximè cum intellecta sola negatione diuisionis addita ratione entitatis aptè concipiatur sub ratione vnius subiectum, cui ea conuenit.

V. Præterea certum est vnitatem secundùm communem acceptionem significare negationem diuisionis, vt constat ex Aristotele asserente vnum & multa opponi priuatiuè, itemque competere cuilibet enti per se, vt est communis sententia philosophorum, qui vnum statuunt primam po Aristot. sitionem entis cum Aristotele lib. 4. Metaphys. cap. 3. & lib. 10. tex. 6. ex qua suppositione ostenditur assertio proposita, nam si esset necessaria ratio positiua vnius, maximè ad statuendum fundamentum vnitatis priuatiuę: ad hoc autem nequaquam requiritur: ergò est omninò superflua, & fictitia. Maior propositio patet inductione sumpta ex simili materia: nam, quoties eodem nomine significari solet duplex ratio formalis, altera positiua, altera priuatiua, semper positiua est fundamentum priuatiuæ, vt patet in irrationali, incorruptibili, & similibus: etenim ratio, siue radix rationalitatis sumptæ priuatiuè est propria differentia essentialis bruti, quam significare intendimus per nomen illud *irrationale*, idemque dicendum de incorruptibilitate negatiua, quæ fundatur in essentia positiua rerum incorruptibilium, quam etiam significam⁹ nomine illo *incorruptibile*: quare similiter, cum nomine vnius interdum saltem significetur negatio diuisionis, si præterea est ratio aliqua positiua, quæ eodem nomine significetur, hæc profectò erit proximum fundamentum negationis illius. Hoc autem non ita se habere probatur: namque vnitas negatiua immediè radicatur in ipsa ratione entis: neque eget interuentu vnitatis positiuæ: quare hæc non requiritur, vt sit fundamentum illius. Assumptio ostenditur: nam, sicut diuisio est distinctio, ac separatio entitatum, quæ multitudinem fortiuntur, ita vnitas est negatio diuisionis eius entitatis, quæ vna denominatur: & hoc ipso, quo non est diuisa, dicitur vna absque necessitate vllius intermediæ rationis positiuæ: nam diuisio, & quasi distractio entitatis immediatè incipit ab ipsa, & consequenter negatio diuisionis immediatè nititur eâdem: hoc enim ipso, quo non est diuisa, est indiuisa, & vna: quare, cùm ens posita ratione propria secundùm omnia sibi intrinseca, immediatè intelligatur sub ratione indiuisionis in plura, vnitas priuatiua, quæ huiusmodi negationem significat, immediatè conuenit enti antè quamuis aliam rationem positiuam, non intrinsecam rationi eius formali, qualis esset vnitas positiua.

VI. Plura argumenta ad huius sententiæ confirmationem contra Scotum adducunt Metaphysici, quæ apud ipsos videri possunt: nec ab Scotistis sufficienter expenditur difficultas sumpta à ratione passionis, quæ non potest esse pars subiectiua eius, cuius est passio: vnitas autem, si ratio positiua est, necessario continebitur sub ente, cuius proprietas est. Respondet autem Scotus eiusmodi rationem positiuam non esse ens, quod sanè minimè cohæret: nam si ratio positiua est à parte rei, non in solis, nudisque conceptibus, absque dubio habet esse: repugnat autem, vt ipsum esse conueniat non enti: quare repugnat, vt sit ratio positiua, quin sit ens. Maior propositio patet ex sufficiente diuisione eius, quod vtcumque est: aut enim dicitur esse solum remouendo, aut solum obiectiuè in mente, aut positiuè à parte rei: si sit priore modo, est priuatio, si secundo, ens rationis, si tertio, ens cui competit esse actuale à parte rei, hoc verò, cùm sit ratio formalis entis, fieri nequit, vt conueniat non enti. Et confirmatur, quoniam repugnat per formam aliquam communicari subiecto particularem modum essendi, quin simul communicetur ipsa ratio communis essendi, vt determinata ad esse particulare: at per vnitatem, si est ratio positiua, communicatur particularis modus essendi: nam per eam subiectum est vnum: ergò ea includit rationem communem essendi, atque adeò continetur sub ente. Video posse responderi per vnitatem non communicari particularem modum essendi: sed solum rationem vnius, quæ nec est ens, nec particularis modus entis: & idcircò ex hoc principio minimè colligi vnitatem Scot.

con-

contineri sub ente. Verum enimuerò, cùm ratio vnius de mẽte Scoti sit positiua, quãdo ens dicitur esse vnum, illud esse non significat solam veritatem intellectus, siue copulam mentalem coniungentem vnum cum ente, sed veritatem obiectiuam: hæc verò non habet aliud fundamẽtum, quàm ipsum esse vnitatis, quod competit enti: ea propter, cùm ipsemet Scotus hanc multiplicitatem entitatum respuat, eaq; ex ipsius positione sequatur, potius dicẽdum est ratiõem vnius nullo modo esse positiuam ex natura rei distinctam à ratione entis.

VII. Ad primam authoritatem Aristotelis respondeo mentem eius non esse vnũ addere rationem aliquã positiuã, siue naturam supra ens, sed solum non esse subsistãtiam per se subsistentem, quæ sit idea singularium: eo enim textu non agit simpliciter de vno, vt est transcendens, sed vt est principium numeri, & primũ in vnoquoque genere, vt patet in exemplis, quæ adducit: ait enim, si entia colores essent, ipsum vnum futurum fuisse albũ, quia nimirũ est primũ in genere colorum, ac mẽsura cæterorũ. Et quia Pythagorici ac Platonici, vt ijs Aristot. attribuit, constituebant ideas rerum separatas, ac per se existentes, eas appellabant ipsum vnum, & mensurã ideatorum: & hoc dictũ impugnat Aristot. vt constat ex ipso cõtextu, & interpretatione D. Thomæ ibidem lect. 3. cùm seq; Aristot. concludit: *quod igitur vnũ in omni genere est quædam natura*, non significat ipsum vnum formaliter esse naturam: hoc enim ibidem negat de vno ac ente, sed sensus est huiusmodi: patet ex dictis id, quod in omni genere dicitur vnum hoc est primũ, ac mensura cæterorum, esse demonstratam aliquam naturam, V.g. in coloribus album, in tonis sensibilibus diesim, in sonis vocale elementum, in figuris rectilineis triangulũ, ita vt vnum sumatur hoc loco denominatiuè pro re, quæ vna dicitur, vt patet ex verbis sequentibus, & *nullius natura hoc ipsum, quod vnum*, id est, nullius eorum, quæ vnum dicuntur, natura est ipsa ratio formalis vnitatis, sed hæc potius illi competit: ex quo discursu solum habetur vnitatem nõ esse propriam, & adæquatam rationem formalem eorum, de quibus dicitur: an verò sit ratio positiua ex natura rei distincta, & superaddita enti nequaquam.

Aristot. D. Thomas.

VIII. Pro solutione & interpretatione alterius dicti Aristotelici notandum contrarietatem aliam esse propriam, aliã impropriam: propria est inter formas positiuas, queis suapte natura non repugnat succedere sibi inuicem in eodem subiecto: minus propria est inter formas siue positiuas, siue alteram positiuam, alteram negatiuam requirẽtes determinatum genus subiecti, subeoque repugnantes, licet nequeant eidem subiecto mutuo inesse, vt se habent rationale & irrationale, & cæteræ differentiæ essentiales diuidentes idem genus: quarum altera significatur per modum positionis, altera per modũ negationis, has enim contrarias appellat Philosophus lib. 10. Metaphys. c. 11. & ita alijs quoq; libris idem philosophus cùm formas aliquas appellat contrarias, nõ accipit in rigore secundùm propriam contrarietatẽ, vt patet ex 1. lib. phys. tex. 41. quo loco, cùm dixisset omnes antiquos philosophos conuenisse in eo, vt dicerent principia rerum naturaliũ esse contraria, adhibet exempla recti ac rotundi, item figuræ angularis & triangularis, quæ non habent propriam rationem contrarietatis: refert item sententiam Democriti ponentis principia naturalia esse solidum & inane, quorum aliud dicebat esse, vt quod est, aliud verò vt quod non est, scilicet vt priuationem & habitum. Ex quo patet cõtrarietatem non semper vsurpari ab Arist. pro vera ac propria oppositione duarum formarum oppositarum sub eodem genere ac repugnantium respectu eiusdem subiecti: sed interdum latius, quatenus extenditur etiam ad oppositionẽ priuatiuam, & fortasse hoc indicauit loco Met. cit. cùm ex eo quod ex oppositis quædam secundum priuationẽ dicantur, intulit vnum, & multa, quæ antea dixerat opponi tanquam diuisum, & indiuisum contrariè opponi: non enim verba illa ob aliam causam interposita videntur, quã vt constaret modus contrarietatis impropriæ, quam volebat tribuere vnitati, ac multitudini: quomodo enim ex præcedentibus, & verbis illis sequitur consequens illud: *contraria erũt profectò*, nam ex eo, quod vnum & multa opponantur, vt diuisibile & indiuisibile, itemque ex eo quòd sint quatuor genera oppositionũ, & horũ vnum sit secundum priuationẽ, nõ sequitur propria contrarietas, sed impropria, quæ fundatur in oppositione priuatiua. Huic expositioni fauet Auerroes, qui propterea ait Aristotelem vnum & multa, cùm sint priuatiuè opposita, appellasse contraria, quoniã omnis contraria oppositio supponit priuatiuam, in eaque fundatur, vt constat ex Aristotele eodem lib. tex. 15. & expositione Diui Thomæ ibidem. Respondetur secundò apud Aristotelem non omnia contraria dicere naturam aliam à natura subiecti, cui conueniunt: etenim differentiæ omnes essentiales

Auerroes. Aristot. S. Thomas.

ratio-

rationem contrarietatis habent, vt cõstat ex eodem: & tamen nec genera, nec differentiæ dicunt naturam aliam à natura indiuiduorum, & ita licet admittatur modus contrarietatis positiuæ inter vnum ac multa, non opus est, vt hæc significent naturam superadditam enti, ab eoque distinctam: sed sat est, si ipsum ens sub indiuisione significatum per vnum habeat rationem contrarietatis ad se ipsum sub diuisione significatum per multa: & hoc solùm vult Diuus Thomas in expositione eius textus, vt patet ex verbis ipsius: nam, cùm dixisset hoc differre priuatiuè opposita à contrarijs, quod hæc, licet importent priuationem, non tamen illam puram significant, vt significat alterum extremum priuatiuæ oppositionis, subiungit: *Quia igitur vnum non significat priuationem puram, non enim significat ipsam indiuisionem, sed ipsum ens indiuisum, manifestum est quod vnum, & multum non opponuntur secundùm priuationem puram, & habitum, sed sicut contraria.* Ex quibus patet ad rationem contrarietatis inter vnum & multa non aliam requiri naturam, aut rationem positiuam distinctam à ratione entis, sed ipsam sumptam diuersimodè sub diuisione, ac indiuisione subire rationem contrarietatis, quod etiam notauit Soncinas lib. 10. Met. q. 4.

S. Thomas.

Soncin.

IX. Ad primum argumentum distinguenda est maior propositio: & si intelligatur de ratione aliqua entis, prout abstrahit ab ente per se, & ente per accidens, concedenda est: neganda verò, si intelligatur de ratione entis per se: nam diuiso aliquo indiuiduo substantiæ homogeneæ dissoluitur ratio eius entis singularis per se, quod per diuisionem esse desinit: iam enim non est hæc numero aqua, à qua incipit diuisio terminata ad plures numero aquas. Ad probationem verò eiusdem maioris respondeo solum probare non desinere rationem entis in communi, quod est verum: manet enim ratione partium, quæ post diuisionem habent rationem totius: cum quo non repugnat, vt desinat hoc ens singulare, quod est fundamentum vnitatis. Secundo respondeo, rationem entis nunquam simpliciter desinere per corruptionem rerum corporearum, quoniam cùm generatio sit coniuncta cum corruptione, ita desinit ens ratione corrupti, vt incipiat ratione geniti: si verò obijciatur desinere saltem secundum quid: hoc est, ratione corrupti: respondeo eodem modo continuum homogeneum desinere per diuisionem: nam quatenus est idem cum ente singulari diuiso, peracta diuisione non manet, sed esse desinit. Ad rationem verò in oppositum respondeo, dupliciter destrui substantiam aliquam corpoream: aut simpliciter, hoc est per separationem formæ à materia, aut secundum quid, & quo ad modum per diuisionem partium integrantium homogenearum: & hoc posteriore modo per diuisionem non desinere simpliciter speciem, aut ens commune: quoniam in partibus diuisis manet ratio speciei, & entis: desinere tamen quoad modum, nam desinit esse totale, & indiuiduum compositum ex partibus diuisis, & incipiunt plures modi essendi totales & actuales, qui antea erant partiales, ac potentiales: & ita desinit certum ac determinatum indiuiduum aquæ, & ratione eius desinit secundum quid, & quoad modum ipsa ratio communis aquæ. Ad confirmationem assumptionis eiusdem argumenti respondeo in toto indiuiso non esse quidem aliquid specie distinctum, quod non sit in partibus diuisis: esse tamen modum singularem positiuum entis completi, qui distinguitur ab vnitate transcendentali, & est fundamentum illius: re enim vera antè diuisionem erat quoddam indiuiduum aquæ, quod post illam non est, cuius indiuidui passio est vnitas, quæ proinde est posterior subiecto. Verum obijci potest, quoniã repugnat antè vnitionem partium intelligi rationem totius compositi ex partibus: vnitio autem per se primo terminatur ad vnitatem: ergò prius est ratio vnitatis, quam ratio vnius per compositionem: atq; adeò ratio vnitatis est positiua, quæ pro diuersitate mutationis secundùm vnitionem, vel diuisionem recedit, vel accedit eidem rei secundùm essentiam immutatę. Respõdeo circa vnionem partium inter se, & in toto esse diuersas Theologorum sententias in materia de incarnatione ex instituto discutiendas: nunc verò quidquid tandem vnio sit, nempe vel modus quidam entitatiuus, vel partes ipsæ, vt vnitæ, dico ipsam, vt est terminus ad quem vnionis, & terminus à quo separationis, non esse de genere vnitatis transcendentis, quæ vt ait Aristoteles lib. 10. Metaphysic. tex. 6. 7. & 8. ad nullum certum genus determinata est: illa verò est de genere substantiæ: vt patet ex ipsomet argumento: siquidem vnio hæc est prior composito ex ipsa resultante, & ad ipsum intrinsecè pertinens, vnitas verò transcendens est passio entis, & posterior illo: prius autem est aliquid esse, quàm esse vnum, ipsum quippe esse est primum, ac fundamentum omnium reliquorum, res autem composita non

Aristot.

habet

habet esse ante vnionem partium inter se, & ita eiusmodi vnio est modus realis positiuus, ad quem terminatur vnitio, non autem ad vnitatem, quatenus est indiuisio rei in plura: nam hæc est posterior re indiuisa tanquam passio eiusdem.

X. Ad secundum respondetur, cur vnitas transcendens nihil addat enti, cùm vnitas prædicamentalis addat, rationem esse eam quæ in argumento perstringitur: nempe quia vnitas prædicamẽtalis includit rationem continuitatis, sine qua nequit intelligi: vnitas verò transcendens non includit aliquid reale positiuum ab ente distinctũ: siquidem ipsamet quantitas continua dicitur vna à sola indiuisione. Ad impugnationem huius responsionis neganda est consequentia: non enim numerus prædicamentalis componitur ex ipsis negationibus diuisionis, quæ accidunt quantitati cõtinuæ, sed ex continuitatibus sub negatione sumptis. Ad obiectionẽ verò contra huiusmodi responsionem negandum est priuationem diuisionis esse vnitatem prædicamentalem, ex qua numerus coalescat: nam quãuis cõtinuitas sit veluti materiale subiectũ respectu indiuisionis, ea tamen in vnitate prædicamentali includitur in recto, nõ autem in obliquo: indiuisio verò ipsa non includitur in recto, sed est solùm conditio sine qua vnitas materialis nõ componet numerum prædicamentalem: alioquin negatio includeretur intrinsecè in ratiõe speciei positiuæ. Non est autem absurdum vnam speciem quantitatis cõtinuæ tanquam partem constituere speciem quãtitatis discretæ, quod oppositæ sententiæ authores admittere tenentur: nam cùm absurdum reputent numerum prædicamentalem cõstitui ex vnitatibus formalibus, hoc est, ex priuationibus diuisionis, necessario cõcedere debent constitui ex vnitatibus materialibus, quæ non sunt aliud quàm ipsæ continuitates. Id verò quod vltimo loco obijcitur, alienum est à doctrina Aristotelis & comm*. Imò ipsius Auicennę tract. 3. Met. cap. 5. quem refert S. Thomas in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. in corpore: nam Mathematicus considerat proprium subiectum sub abstractione à materia sensibili, non tamen ab intelligibili: & ideò cùm consideret vnitatem, quatenus est principium numeri rerum constantium materia, non considerat illam sub abstractione à materia & quantitate: hæc enim abstractio est propria Metaphysicæ, sed solum sub abstractione à materia sensibili, quæ est propria Mathematici.

Auicenna. D. Thomas.

Vnitas transcendens non significat rationem positiuam ab ente virtualiter distinctam.

Caput II.

I. Alij ita censent vnum addere aliquid supra ens, vt dicant eiusmodi rationem ab ente non distingui actu, sed virtute, ac ratione ratiocinata. Huius sententiæ videntur esse Alensis, Albertus, Bonauentura, & expresè Henricus, Sotus vbi supra, & aliqui recentiores: ratiocinantur autem in hunc modum: primus conceptus, qui de rebus formatur, est conceptus entis sub præcisa ratione entis: eum verò postea determinamus per alios conceptus: qui vel addunt modos peculiares entis, idque in prædicamenta scindunt: vel ipsum repræsentant sub aliqua perfectione, vel forma communi toti enti, non conceptis interim alijs formis: nam diuersò modo concipitur ens, quatenus dat esse, & quatenus dat vnum esse, quod est ratio vnius: quemadmodum ergo ens absolutè non distinguitur à generibus summis, sed sub confusione, ita non distinguitur à passionibus, sed solummodo sub præcisa ratione entis, quatenus est subiectum passionum. Itaque ratio vnius non est aliquid actu distinctum ab ente, sed virtute sub expressiore conceptu non synonymo cum conceptu entis. Et quemadmodum substantia nõ distinguitur ab ente per modum additum, sed quia habet fundamentum, vt implicitè sumatur vt ens, explicitè vt substantia, sic vnum addit enti rationem, vt sumatur tanquam fundamentum indiuisionis, per quam vnitas explicatur, vt ratio incorporei per negationem corporeitatis. Itaque volunt huiusmodi distinctionem esse similem ex parte distinctioni virtuali diuinorum attributorum. Hæc autem sententia duas habet partes, altera asseritur vnum esse rationem positiuam, altera eiusmodi rationem distingui à ratione entis, si non re, virtute tamen.

Alens. Albertus. Bonauentura. Henricus. Sotus.

II. Prior pars ostenditur primo, quoniam inter extrema negatiua non est vlla oppositio ex quatuor, quas refert Aristoteles in *Aristot.* postprædicamentis, & lib. 10. Metaphys. text. 9. cùm agit de oppositione inter vnum & multa: at vnitas & multitudo sunt opposita, & multitudo consistit in negatione: quare vnitas consistit in positione. Assumptio quoad priorem partem con-

conceditur ab Aristotele loco citato Met. & omnibus communiter: quoad posteriorem verò ostenditur, quoniam repugnat multitudinem esse quid positiuum, & componi ex vnitatibus, si harum ratio est negatiua. Præterea quia non aliter concipi potest multitudo, quàm intellecta mutua negatione eorum, ex quibus coalescit. Secundo, quoniam vnitas est perfectio simpliciter: siquidem est cuiuis enti melior ipsa, quàm non ipsa: ideoque Deo propriè & formaliter conueniens, nulla verò negatio, aut priuatio est perfectio simpliciter: quare vnitas non est priuatio, sed ratio positiua. Tertio, priuationes non suscipiunt magis ac minus: vnitas verò suscipit, vt enim constabit inferius, Deus est maximè vnus: at verò nihil verè dici potest maximè tale secundùm aliquam formam, sub qua nō est comparatio penes magis ac minus. Posterior pars eiusdem sententiæ ostenditur: quoniam vnitas est ratio positiua distincta ab ente, nō actu, vt probatum est capite præcedente: ergò virtute; esse rationem positiuam patet ex argumentis ppositis: distingui verò modo aliquo ab ente constat ex Aristotele lib. 10. Metaphys. tex. 8. vbi solum ait rationem entis, & vnius esse aliquo modo eandem: at, vbi ratio solùm est aliquo modo eadem, est simpliciter diuersa. Deinde quoniam vbi conceptus non sunt synonimi, rationes per nomina significatæ non sunt omninò eędem: conceptus verò entis, & vnius non sunt synonimi, non enim hæc propositio, ens est vnum, est identica, sed directa: ergò ratio entis est alia à ratione vnius: non actu ex natura rei: ergò virtute. Secundo, vnitas aut significat puram priuationem, aut modum entis vendicantem negationem diuisionis: non puram priuationem: ergò modum entis virtute distinctū, quod sit fundamentum priuationis. Assumptio patet ex dictis, & magis confirmatur: nam pura priuatio determinat sibi subiectum: vnitas verò nequaquam: namque priuatio eatenus dicitur determinare subiectū, quatenus in obliquo inuoluit formam, qua priuat, aptam inesse subiecto: at multitudo opposita vnitati non est forma apta inesse subiecto vnitatis. Tertio, ens conceptum præcisè, prout abstrahit ab omnibus negationibus, ac respectibus rationis, aut habet in se rationes aliquas, siue fundamenta modo aliquo distincta, ratione quorum relationes ac negationes ipsi conueniant, aut non: si non, nequaquam ipsi conueniēt habitudines illæ rationis, ac negationes, quod est apertè falsum, plurimæ namque sunt proprietates necessariò conuenientes. Si verò habet, eæ sunt positiuæ, & quasi formæ entis: quæ proinde sunt veræ, ac propriè ipsius ratione posteriores, proprio atque intrinseco conceptu eiusdem sub ratione essendi: quas nos per relationes & negationes magis notas explicare solemus. Idque patet in ipsa vnitate: ideò enim ens dicitur vnum, quia repugnat ei diuisio: fundamentum verò huius repugnantiæ est positiua ratio vnitatis, quæ est idem re ipsa cum ente, distinguitur tamen virtute: quatenus præcisè sumitur sub conceptu identitatis secum, qui est radix indiuisionis.

Aristot.

III.

Dico primum. Vnitas non est ratio formalis positiua distincta vllo modo à ratione entis. Sensus est nomine vnitatis non significari rationem positiuam saltem virtute distinctam à ratione entis: & ita præter rationem entis, & indiuisionē non requiri aliud ad vnitatem. Est sententia communis Theologorum. D. Thom. 1. par. quæst. 11. ar. 1. & 2. cum Sylueſtro, Caietano, & Thomistis recentioribus ibidem, Heruæi quodlib. 4. quæst. 1. & 2. & in 1. d. 24. q. vn. §. *Quantum ad secundum*, Ægidij eadem dist. prima par. distinctionis q. 2. Richardi ar. 1. q. 2. Durandi q. 1. Aureoli q. vnica art. 3. & d. 45. q. vn. art. 2. ad finem, Franciſci de Mayronis d. 8. q. 7. ar. 3. 1. par. articuli, & d. 24. q. 2. art. 1. conclusione 2. Bassolis q. vn. ar. 1. & 2. Ochami q. 1. Gregorij q. 1. art. 1. Argentinatis q. vnica art. 1. Capreoli q. vnica, Gabrielis q. 1. ar. 2. & 3. Hispalensis q. vn. art. 3. notabil. 2. & art. 4. ad argumenta contra tertiam conclusionem, Dionysij Carthusiani lib. 1. fidei orthodox. art. 12. n. 1. est etiam magis communis inter philosophos lib. 4. Met. Ægidij q. 8. Iauelli q. etiam 8. Augustini Nyphi disput. 3. Ioannis de Iandun. q. 4. & 5. Pauli Soncinatis q. 23. Dominici de Flandria q. 3. & Petri Fonsecæ cap. 2. q. 5. Hanc recentiores aliqui ostendere conantur ex disparitate, quæ est inter attributa diuina inter se, & cum essentia comparata, & passiones entis inter se, & cum ente comparatas: nam attributa de se inuicem, & de essentia prædicantur essentialiter, passiones verò entis nequaquam: alioquin Socrates non posset perfectè concipi sub propria ratione quidditatiua, nisi concipiatur vt vnus. Item quia túc hæ non essent veræ passiones entis contra communem sententiam Philosophorum, sed enim hæ atque aliæ eiusmodi rationes infirmæ sunt: supponunt enim conceptus omnes, siue rationes obiectiuas sola virtute distinctas esse sibi mu-

S. Thomas. Sylueſter. Caietan. Heruæus. Ægidius. Richard. Durand. Aureol. Mayron. Bassolis. Ochami. Gregor. Argentinas. Capreol. Gabr. el. Hispalenſ. Carthuſ. Ægid. Iauellus. Nyphus. Iandunus. Soncin. Flandria. Fonseca.

tuo

tuo intrinsecas, & essentiales: quod licet ex parte verum sit in diuinis, non tamen absolute: nam essentia, & paternitas sola virtute distinguuntur, & tamen paternitas nõ est de intrinseca ratione essentiæ: item in creatis, qui dicunt actionem, & passionem distingui sola ratione ratiocinata, negant vnam pertinere ad conceptum quidditatiuum, & intrinsecum alterius. Eodẽ modo dicent aduersarij rem se habere in ente, ac eius passionibus: & similitudinẽ sumptã à diuinis attributis nõ esse applicandã quoad omnia, sed solũ quoad rationẽ distinctionis virtualis. Nec etiam ex eo, quod plures rationes distinguantur solum virtute sequi vnam non posse habere rationem proprietatis respectu alterius, cùm diuina attributa cõcipiamus vt proprietates essentiæ, à qua nonnisi virtute distinguuntur: quod itẽ in creatis dicent ij, qui dicunt potẽtias animæ ab ipsa nõ actu sed virtute distingui: adhuc enim admittent habere se, vt proprietates animæ: eodẽ modo, quamuis proprietates entis ab eo solùm virtute distinguerentur, adhuc retinerent nomen, ac rationem proprietatum.

IV. Præcipuum fundamentum est idipsum, quod superiore capite vsurpaui ad impugnandam rationem positiuam vnitatis distinctam actu ab ente: nimirum superfluitas talis rationis: etenim per negationem diuisionis additam enti constare potest ratio vnius absque eiusmodi ratione positiua, etiam sola virtute distincta: ergo ea nõ est ponenda. Antecedens ostenditur: nam vel eiusmodi ratio positiua virtute distincta requiritur, vt per ipsam formaliter res sit vna, aut vt sit fundamentũ vnitatis priuatiuæ: non ad primum, vt enim superiore capite dicebam concepta sola ratione indiuisionis superaddita enti nõ potest nõ concipi res vt vna; quapropter ratio illa positiua nõ est ratio formalis intrinseca vnius: sine ratione enim formali intrinseca nec esse, nec concipi potest effectus formalis, si quis autẽ respondeat per indiuisionẽ concipiens vnum negatiuè, non autẽ positiuè, & ad hoc requiri rationem illã positiuam, non satisfacit, nisi ostendat necessitatẽ admittendi ens esse vnum positiuè: nã de ratione negationum absolutè nõ est, vt sit similis quædã ratio positiua, quæ lateat, & à qua res sumant denominationẽ positiuam, vt patet innumeris exemplis: nam aër dicitur tenebrosus à sola priuatione lucis, animal cæcum à sola priuatione visus, & sic in alijs, quod si nonnunquam sub ratione negatiua positiuam admittimus, prouenit ex eo, quod eiusmodi priuationes necessario exigunt aliquod fundamentum, quo nitantur, non reperitur vero aliud, quam ratio illa positiua, exempli gratia irrationale, quatenus significat negationẽ gradus rationalis essentialis homini, non potest immediatè radicari in natura generica animalis, quæ est indifferens ad rationem, & eius priuationem, neque potest immediatè diuidi, aut contrahi per differentiam negatiuam: & idcirco admitti debet differentia aliqua positiua, qua contrahatur ad brutum, cuius naturam quia ignoramus, appellamus eodem nomine, quo priuationem rationis, quę communis est omni bruto: eodemque modo se res habet in incorporeo, incorruptibili & alijs differentijs eiusmodi, quas per modum priuationis significamus. At vnitas, quatenus priuatio est, immediatè potest fundari in ipsa ratione entis, absque vlla ratione positiua intermedia: neque diuisio entis per vnum, & multa est essentialis, vt proinde vnitas priuatiua indigeat differentia positiua, qua nitatur: quapropter superflua omninò est eiusmodi ratio positiua. Prior pars huius differentiæ ostenditur: nam priuationi, qua priuatio est, non repugnat niti immediatè in subiecto, quod denominat absque alia ratione positiua, vt pluribus exemplis constat: nam ignorantia immediatè denominat intellectum, tenebræ aërem, mors cadauer: vnitas vero ex speciali sua ratione non habet vndè hoc ipsi repugnet: namque enti potest immediatè competere ratio indiuisionis: quod enim diuisum non est, ipsummet absque alia ratione intermedia stat sub indiuisione. Posterior ostenditur: nã tunc vnitas non esset proprietas, sed differentia per se diuisiua entis, & consequenter essentialis alicui rerum generi: vtrumque vero est falsum, & contra communem Philosophorum, Theologorumque sententiam: etenim diuisio entis per vnum, & multa non est entis per se, sed prout abstrahit ab ente per se, & per accidens: nam ens omne per se est vnum, non quidem in primo, sed in secundo modo dicendi per se: quæ vero ad hunc modum pertinent, non sunt de intrinseca, & essentiali ratione subiecti: atque adeò nec differentiæ essentiales prædicatum superius essentialiter diuidentes, aut contrahentes.

Secundo plures rationes positiuæ non actu, sed virtute distinctæ aut ita se habent, vt vtraque sit de formali, & intrinseca ratione vnius tertiæ, aut vicissim alterius ratione alterius, aut vna solum de ratione alterius, aut denique disparatæ, & quasi primo diuersæ: nullo ex his modis se habere V.

poteſt ratio poſitiua vnitatis cum ente: quare eſt impoſsibilis: non primo, tum quia ſubiectũ, & paſsio nõ ſunt de intrinſeca ratione eiuſdẽ rei, vt per ſingula diſcurrendo conſtat, vnitas vero eſt paſsio entis: tũ quia dari nequeunt duæ rationes eſſentiales eiuſdem rei æquè latè patentes: ratio vero vnitatis, & entis æquè latè patet, vt ait *Ariſtot.* Philoſophus 4. Met. t.3. & lib.10. t.6.7.& 8. & aduerſarij concedunt: tum denique quoniam non eſt vllum genus entis, ad cuius rationem eſſentialem intrinſecam pertineat ratio vnitatis. Non etiam ſe habent ſecundo, vel tertio modo: nam paſsio non eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, à quo conſtituto in propria ratione eſſentiali emanare concipitur: & proinde eſt poſterior illo, quod repugnat rationi eſſentiali intrinſecæ: nec item ſubiectum poteſt intrinſecè pertinere ad paſsionem: nam idem eſſet prius, ac poſterius ſe ipſo, quod eſt abſurdum: etenim ſubiectum eſt cauſa, ſiue ratio paſsionis prius illa, & omnibus ad ipſam intrinſecè pertinentibus: quapropter, ſi ipſum intrinſecè pertinet ad paſsionem, erit prius, ac poſterius ſe ipſo. Denique non poſſunt habere ſe quarto modo: nam rationes diſparatæ nõ neceſſariò copulantur, niſi vna habeat rationem cauſalitatis reſpectu alterius, aut vtraque in aliquo tertio coniungatur: nõ datur vllum tertium, reſpectu cuius ratio vnius, & entis copulentur: quin potius ratione entis participatur ratio vnius, vna item non eſt ratio, ſiue cauſa alterius: non vnitas entis, quia hoc eſt prius illa: non ens vnitatis: quia, vt aiunt oppoſitæ ſententiæ auctores, ens de ſe abſtrahit ab vnitate, ac multitudine, quare, ſi conſideretur ſola ratio entis, vt dat eſſe, non neceſſario vendicat vnitatis rationem: atque adeò hæ duæ rationes formales non ſunt idem re, & ſola ratione diſtinctæ.

VI. Ad primum argumentum reſpondetur ex doctrina Philoſophi eodem lib. cap. 9. multum dupliciter accipi nempè relatiuè per comparationem exceſſus, & abſolutè per multiplicitatem vnitatum, ex quibus coaleſcit. Porrò multum priore modo acceptum non opponitur vni, ſed pauco, vt ait idem Philoſophus, Alenſis 1. p.q.13.m. 4. Albert.m.3. citato, & alij: in poſteriore vero acceptione opponitur vni, multitudo vero, vt ita dicam, vel accipitur materialiter pro ipſis rebꝰ ſubſtractis ab inuicem diuiſis, quæ denominantur multæ, vel formaliter pro ipſa diuiſione, & ita cum vnitas dicitur opponi priuatiuè multitudini, intelligendum eſt non de formali, quæ eſt poſterior vnitate, ſed de materiali, hanc enim negat ſubiecto, cui tribuitur: ea vero aliquid reale eſt, vt infra conſtabit. His poſitis negãda eſt aſſumptio quoad eam partem, qua dicitur multitudinem oppoſitam vnitati eſſe aliquid negatiuum. Et ad huius impugnationem dicendum eſt multitudinem materialem, quæ eſt oppoſita vnitati, nõ componi ex vnitatibus formalibus, ſed materialibus: atque adeò quamuis vnitas formalis ſit ratio negatiua, non proinde multitudinem materialem eſſe quid negatiuum. Ad aliam eiuſdem impugnationem reſpondeo ſub eadẽ diſtinctione: etenim vnitas materialis poteſt intelligi ſine negatione, quamuis formalis non poſsit.

VII. Ad ſecundum argumentum dupliciter reſponderi poteſt: primum quidẽ dicendo cum D. Thoma 1.p.q.6.art.3. ad primum, & Caiet. ibid. vnũ ratione formalis ſignificati nõ dicere perfectionem ſimpliciter: quandoquidem eſt negatio, quæ nihil ponit in re. Ex eo autem, quod cõueniat Deo nõ ſequitur eſſe perfectionem ſimpliciter: nam pleraque alia ipſi conueniunt, quæ ſecundum proprium, ac formale ſignificatũ nõ ſunt perfectiones ſimpliciter: Nec vero eſt perfectio ſimpliciter omne id, quod eſt melius cuiuis enti, quam eius oppoſitum: ſed vt notat Fonſeca cit. ſect.3. loco generis intelligi debet perfectio: hęc enim eſt, quæ diſtinguitur in perfectionẽ ſimpliciter, & ſecundum quid: & ideò quod non eſt perfectio, vt non eſt vlla negatio, aut priuatio, nec etiam erit perfectio ſimpliciter. Addunt aliqui nõ omnem diuiſionem importare imperfectionem; diuiſio enim Dei à creatura nõ eſt vlla imperfectio eius, quod in alijs diuiſionibus cernere eſt, quo dicto indicant non omnem vnitatem eſſe cuiuis ſubiecto melius ipſam, quam nõ ipſam: atque adeò non eſſe perfectionem ſimpliciter: ad hoc enim inſtitutum ſolum apta eſt illa additio, alioquin non eſt ad rem. Verùm neque hoc modo intellecta ſatisfacit: nam vel ſermo eſt de diuiſione oppoſita vnitati tranſcendenti, vel de alia: ſi de alia parũ refert, vtrũ ea ſit imperfectio necne? Ex eo enim quod diuiſio minimè oppoſita vnitati tranſcendenti, non ſit imperfectio alicui ſubiecto, nequaquam infertur vnitatem ipſam non eſſe meliorem cuiuis ſubiecto, quã eius oppoſitum: ſi vero ſermo ſit de diuiſione oppoſita vnitati tranſcendẽti, falſum eſt ipſam nõ eſſe imperfectionem cuiuis ſubiecto: nam reſpectu cuiuſuis melius eſt eſſe indiuiſum à ſe, quã diuiſum: exemplum vero diuiſionis Dei à creaturis non ſumitur ab hac diuiſione, repugnat enim

Ariſtot. *Alenſis.* *Albertus.* *S. Thom.* *Caietan.* *Fonſeca.*

enim aliquid esse simul v[illegible]n, siue indiuisum transcendaliter, ac diuisum, Deus autem est vnus vnitate transcendenti, cui nõ opponitur diuisio eius à creaturis. Respondeti secundo potest priuationes formarum includentium imperfectionem in propria, & cõuertibili ratione formali dicere perfectionem: qua ratione, quia corruptibilitas per se primo est forma imperfecta, incorruptibilitas est perfectio simpliciter: carentia enim imperfectionis simpliciter est modus quidam perfectionis simpliciter: & hoc modo se habet vnitas, quæ negat diuisionem intrinsecam entis, quod dicitur vnum: quæ est maxima imperfectio, sed de hoc fusius lib. 4. in tractat. de perfectione simpliciter.

VIII. Ad tertium respondent aliqui priuationes posse suscipere magis, aut minus ratione formarum oppositarum: qua ratione, quia lumen est capax remissionis, atque intensionis, aër dicitur magis, ac minus tenebrosus: & idcirco, quoniam diuisio admittit magis, ac minus, vnitas quoque eam admittit. Quæ solutio solum habet locum quãdo forma priuata nõ semper abest omnino à subiecto, sed secundũ aliquid sui remanet, vt se res habet in exemplo adducto: nam, quãdo in pluribus subiectis nihil omnino lucis remanet, non dicitur vnum magis tenebrosum, quã aliud: & ita quoniam plurimæ reuita vendicant negationẽ diuisionis, vt nihilominus simul quoad aliquid sint illius participes, vt videre est in continuo, quod habet negationem diuisionis actualis, non excludit tamen potentialem, quamuis vnitas sit priuatio diuisionis, potest suscipere magis, ac minus. At inquiet aliquis vnum, sublata hac etiam consideratione suscipere magis, ac minus: nam Deus est magis vnus, quam Angelus, qui tamen est prorsus expers diuisionis actualis & potentialis: atque adeò, cùm nihil formæ negatæ in vtroque remaneat, non ratione negationis, sed alicuius positiui fiet comparatio penes magis, ac minus. Solutio huius obiectionis pendet ex infra dicendis cap. vlt. Nunc breuiter respondeo Deum non dici magis vnum, quam Angelus ratione præcisæ negationis in plus indiuidua, hoc enim modo æquè indiuisus est Angelus, ac Deus: sed ratione indiuisionis in plures perfectiones actu distinctas, quæ conuenit Deo, non vero Angelo: siquidem in Deo non est actu, aut potentia diuisa ratio vitæ, iustitiæ, ac sapientiæ sicut re ipsa sunt in Angelo, & ideò Angelus admittit diuisionem, si non secundum perfectiones sibi intrinsecas, & essentiales, sed secundum extrinsecas, & accidentales, quæ analogicè conueniunt cum diuinis: & ta hæc etiam comparatio sumitur ex aliqua participatione formæ oppositæ.

IX. Ad primum argumentum quo suadebatur secunda pars, negãda est maior propositio, quam argumenta priore loco inducta nequaquam probant, vt patet ex solutionibus ipsorum: & ideò, quamuis ratio vnius, & entis sint aliquo modo distinctæ, non sequitur esse positiuas sola virtute distinctas: siquidem distinctio inter rationem positiuam, qualis est ratio entis, & priuatiuam qualis est vnitas, nõ est virtualis. Ad secundum neganda est assumptio: ad cuius confirmationem respondetur nõ semper priuationem opponi formæ, cuius capax sit subiectum à priuatione denominatum: nam differentiæ diuidentes, immediatè genus, & constituentes speciem habent annexam oppositionem priuatiuam, vt in particulari de nigro respectu albi docet Aristot. lib. 10. Metaph. t. 7. & lib. de sensu, & sensibili, cap. 4. & patet in rationali, & irrationali, & alijs, nec tamẽ subiecta, quæ per se primo denominantur ab ijs priuationibus, sunt capacia formæ oppositæ, vt per se patet: sed sat est vt, aliud siue genus, siue magis latè patens prędicatũ, sit capax illius, vt animal est capax rationalitatis. Eodem vero modo ens, quod abstrahit ab ente per se, & per accidens, est capax multitudinis: quod sufficit, vt vnitas, quæ negat multitudinem, dicatur per modum priuationis de ente per se. Ad tertium admissa maiore propositione neganda est assumptio: nam quidquid sit de relationibus rationis, de quibus modo non agitur, tamen vt alicui subiecto concepto sub prẽcisa ratione formali eius intrinseca conueniant plures negationes, non requiritur vlla distinctio virtualis ex parte rationis positiuæ: sed ad vnam rationem formalem positiuam re, & ratione indistinctam consequi possunt plures negationes: vt videre est in quouis genere summo concepto secundum eam præcisè rationem, qua constituitur in suo esse: nam per eam immediatè sortitur varias negationes: exempli gratia quantitas secundum rationem propriam, qua est determinatum genus entis, vendicat negationem qualitatis, relationis, actionis, & cæterorum prędicamentorum; ideoque dixit Philosophus lib. 1. Poster. cap. 11. propositiones negatiuas constantes generibus summis diuersorum prædicamentorum esse immediatas: non essent autem, si darentur vllæ rationes positiuæ virtute distinctæ, quæ essent fundamentum,

Aristot.

Aristot.

tum, ac radix earum negationum: per eas enim demonstrari possent de generibus summis secundum proprias rationes formales consideratis. Quemadmodum itaque quantitas non per rationem aliquam positiuam per modum passionis à se virtute distinctam, sed propter suam rationem formalem intrinsecam vendicat, vt non sit qualitas, aut relatio, ita ens per se non indiget ratione positiua à se distincta, vt sit vnum, sed immediate per propriam, & intrinsecam rationem formalem vendicat, & quasi copulat sibi vnitatem, siue priuationem diuisionis: & ita falsum est, quod in fine eiusdem argumenti dicitur: nempè fundamentum indiuisionis esse rationem positiuam à ratione entis virtute distinctam, quatenus ens concipitur sub ratione identitatis secum: tum ob rationes assignatas, tum quia ratio identitatis est habitudo rationis, & nequit esse ratio positiua.

X. Inter eos, qui dicunt vnum non addere supra ens rationem aliquam positiuam, sed solum negationem diuisionis, adhuc est controuersia vtrum ipsam rationem entis significet formaliter: ita, vt vnum sit idem, quod ens indiuisum, ex æquo vendicans intrinsecè tam rationem entis, quam negationem diuisionis. Qua in re sunt tres sententiæ: prima astruit significare formaliter vtrumque: secunda significare formaliter indiuisionem, materialiter autem, & in obliquo rationem entis, tertia vice versa significare formaliter, & in recto rationem entis, in obliquo vero, & de connotato vnitatem. Verùm hæc controuersia potius ad logicos, vel Metaphysicos, quam ad Theologos spectat: mihi magis probatur ea pars, quæ asserit vnum formaliter, & in recto significare indiuisionem, quæ est negatio, materialiter autem, & in obliquo ipsum ens, quod est ipsius subiectum. Ita docet Heruæus quodlib. 4. q. 1. & rectè probat Petrus Fonseca lib. 4. Metaphysicæ, cap. 2. q. 5. sect. 5. quæ sanè videtur sententia Arist. lib. 10. Metaphys. nam text. 2. cùm varios modos vnius connumerasset, subiungit: *Oportet autem considerare quod non est eodem modo accipiendum cum dicatur, quæ vnũ dicuntur, & quid est vni esse, & quæ ratio eius.* Queis verbis significat rationem vnius esse aliam à ratione subiecti, quod vnum dicitur: atque adeò rationem formalem vnitatis, nõ includere rationem subiecti, quod est, ac dicitur vnum, & consequenter nec ipsius entis. Quod clarius apparet ex similibus exemplis, quæ adducit, nempè elementi, &c. quorum ratio est alia à ratione eorum, quib⁹ accidit, vt sint elementa, & causæ, nec ipsam includit: sicut ergo elementum, & causa non includunt formaliter rationes subiectorum, queis cõueniunt, ita nec vnũ includet rationem entis, cuius est passio: idque apertè constat ex verbis, quę post eiusmodi exempla subijcit, nimirum vnum esse, *est indiuisibile esse*, quasi dicat tota ratio formalis vnius consistit in indiuisibilitate, & hanc formaliter significat vnum connotando tamẽ ens, cui competit: ad modum, quo alia nomina proprietatum, & accidentium siue positiuorum, siue priuatiuorum directè, ac formaliter significant formas positiuas, siue negatiuas superadditas subiecto, quod denominant: ipsum vero subiectum materialiter tantum, & in obliquo, quę est communis doctrina Logicorum ad cap. 4. lib. 1. Posteriorum, vbi Aristoteles distinguit inter modum prædicandi per se primo, ac secundo modo: quia quæ sunt essentialia pertinent ad primum modum dicendi per se, quo prædicatum est de ratione intrinseca subiecti: contra vero ad secundum, cùm subiectum ponitur in diffinitione prædicati, non tanquã aliquid ipsi intrinsecum, sed tanquam subiectum, in habitudine ad quod prædicata, siue passiones habent esse: si vero ratio entis esset intrinseca integræ rationi formali vnius, ens diceretur de vno in primo modo dicendi per se, & consequenter hæc propositio esset directa & essentialis, vnũ est ens, & consequenter vnum non esset passio entis: quæ duo sunt falsa.

Heruæus.
Fonseca.
Aristot.

Vnum, quod est passio entis significat indiuisionem à se.

Caput III.

I. VErùm, quoniam vnum significat priuationem diuisionis, & hæc est multiplex, oportet explicare cuiusnam diuisionis priuatio sit. Triplex autem fingi potest diuisio alicuius entis, scilicet ab alio, in se, à se. Diuisio ab alio est, qua res nõ est vllum ex ijs, à quib⁹ distinguitur: verbi gratia, Socrates non est Plato, nec Aristot. &c. Porrò huius diuisionis negationẽ nequaquã pertinere ad rationẽ vnitatis perspicuum est, quandoquidẽ hæc diuisio necessario competit enti: quoduis enim ens necessario est diuisum ab alio, quod non est ipsum: atque adeò negatio huius diuisionis non poterit eidem necessario conuenire: at vnitas transcendens est proprietas necessaria entis: ergo non est negatio diuisionis ab alijs entibus,

bus, alioquin res eadem esset simul diuisa, & indiuisa ab alijs: An vero eiusmodi diuisio requiratur per se ad rationem vnitatis infra dicam. Diuisio in se terminatur ad ea, ex quibus res componitur, qua ratione diuiditur homo in materiam, & formam, continuum in suas partes, populus in ciues hæc vero duplex est: nam vel partes sunt entia completa per se, vt se habent ciues respectu populi: vel sunt entia in potentia, & incompleta, quomodo se habet materia, & forma respectu entis naturalis. Hæc iterum duplex est, altera potentialis, altera actualis: potentialem non repugnare vnitati transcendentali, atque adeò priuationem eius nõ pertinere ad rationem vnitatis constat, quoniam continuum, & composita physica corruptibilia vẽdicant vnitatem transcendentem, & nihilominus admittunt diuisionẽ potentialem: nam continuum est potentia diuisibile; vt ait Philosophus 8. Physic. t. 68. & lib. 1. de Cœlo t. 2. & compositum physicum corruptibile est aptum dissolui per diuisionem, vel separationẽ partium: quæ potentia, siue aptitudo cohæret cum vnitate transcendente: atque adeò hæc non consistit in negatione illius. *Aristot.*

II. Diuisionem à se diuersimodè auctores vsurpant. Fonseca lib. 4. Met. c. 2. q. 5. sect. 5. post Soncinatẽ 4. Met. q. 23. ad primum, ita illã explicat, vt dicat solum ad eam requiri vt explicetur per hos terminos, ipsa, ac nõ ipsa, secundum rationẽ propriam rei, quę dicitur vna: & ideò negat in eius negatione cõsistere vnitatem transcendentem, quoniam res aliqua minimè vna: potest habere negationem huius diuisionis: quomodo, inquit, natura humana in indiuiduis est multiplicata, & tamen de ipsa nõ verè prædicatur, quod sit ipsa, & non ipsa: similiter aceruus est ipse, & nõ est nõ ipse, & nihilominus nõ est vnum ens. Contra vero Heruæus quodlib. 4. q. 1. ait consistere in eo, vt tota natura secundum intellectum bis accipiatur, ita, vt eadẽ concipiatur vt ipsa, & eadem, vt non ipsa, quam diuisionẽ ait esse impossibilem. Verùm neuter explicandi modus est adæquatus: non prior, quandoquidem falso nititur fundamento: nam de naturis communibus acceptis indefinite ratione inferiorum verificari possunt termini cõtradictorij: cùm vero natura non nisi inferioribus multiplicetur, in ipsis quoque est ipsa, & non ipsa: non quidem considerata præcise propria ratione communi secundum abstractionem, sed coniuncta cum inferioribus. Et confirmatur, quoniam natura in inferioribus est diuisa non in se, quasi in aliquid intrinsecum: ergo à se per multiplicationem, in plura indiuidua eiusdem. Aceruus autem non dicitur vnum ens, sed vnus aceruus, & ideò non opus est vt in ipso ratio acerui sit à se ipsa diuisa, sed solum ratio entis, vt infra explicabo. Modus loquendi Heruæi magis est accommodatus, verum ita debet intelligi totam naturam bis sumi, vt ita bis sumpta intelligibiliter concipiatur tanquã duo sub ratione vnã communi. Nam quoties intelligitur pluralitas cum conuenientia oportet esse aliquid, in quo plura conueniant: at natura bis sumpta cõcipitur sub aliqua identitate, alioquin nõ diceretur bis sumpta: item cum pluralitate, quia bis sumitur, quare debet concipi natura illa ita bis sumi, vt sit hoc, & hoc, in natura, quæ ita diuisa fingitur. Est autem huiusmodi diuisio ad modũ eius, qua superiora diuiduntur in inferioribus: nam humana natura secundum speciem considerata abstrahit à diuisione, & indiuisione in plures numero naturas: quando verò diuisa intelligitur, concipitur tanquam hæc, & non hæc: atque adeò in singulari est diuisa à se, quia est hæc numero natura, & ratione alterius, in quã diuiditur, non est eadem numero natura: & ideò merito dicitur diuisa à se, quia in vtroque extremo est ipsa cum negatione sui in alio, & hoc modo intelligo diuisionẽ à se; si quis autem velit eandem appellare diuisionem in se, quatenus huiusmodi diuisio nõ solum incipit à natura, quæ est terminus à quo diuisionis, sed etiam desinit in ipsam, quatenus in alijs, atque alijs indiuiduis multiplicatur, parum refert. Verùm hic loquendi modus nõ est adeò congruus: quoniam, cùm diuisio consistat in positione huius, & nõ huius, per negationem hanc intelligitur secerni, ac separari à se: & ideò, rectius dicitur diuisio à se: & vt seruetur differentia inter indiuisionem, qua res dicitur indiuisa in partes sibi intrinsecas, quarum singulæ non continent totam rationem formalem ipsius, & inter eam, qua diuiditur in partes subiectiuas, in quib⁹ multiplicatur tota, & completa ratio diuisi, prior congruentius appellatur indiuisio in se, posterior indiuisio à se. *Fonseca. Soncinas.*

Nunc restat explicandum in vtrius negatione consistat ratio vnitatis transcendentis. Qua in re certũ inprimis est vtramque competere omni enti: quandoquidem diuisio vtrique opposita dissoluit vnitatem: nam, siue res actu diuidatur in partes, queis constat, siue actu constet pluribus partibus, quæ sint entia per se completa, siue sit diuisa in plures partes subiectiuas sub eodem nomine, ac ratione, res non est vna: III.

est vna: nam totum continuum per diuisionem desinit esse vnum: nō est vero aceruus lapidum quia actu cōtinet multitudinem: quam etiam inducit multiplicatio plurium sub eadem ratione. Nec vero ex eo, quod pleraque entia sint simplicia, & careant partibus, existimandum est non competere illis indiuisionem in se. Hæc enim dupliciter sumitur, vel pro negatione diuisionis in partes, quibus constat aliquod compositum: vel simpliciter pro negatione diuisionis in partes, siue res, quæ dicitur indiuisa, ijs constet, siue non. Etenim, cùm esse diuisum in partes, & non esse diuisum sint contradictoria, alterum eorum verificari debet de quouis subiecto: cumque verè dici nequeat res simplices, quę nō constant partibus, esse diuisas in partes, verè dicetur nō esse diuisas: & cōsequenter tā simplicibus, quā cōpositis, quādiu vnitæ sunt, verè cōuenit, vt sint indiuisæ in partes: indiuisio tamē in partes per modū priuationis dicta magis ꝓpriè dicitur de cōpositis, quoniam habēt partes, q̄ cōnotātur ꝑ indiuisionē rei in se: Verū vt cōstat ex doctrina Arist. lib. 5. Met. t. 27. ad rationē priuationis nō semper requiritur connotatio subiecti apti secundū propriā speciem, sed saltē secundū prædicatū cōmune: at vero rationi entis in cōmuni, quod est de essentia simpliciū, secundū se non repugnat indiuisio in partes, etiā respectu simpliciū potest habere rationē priuationis, nō tamen respectu horum dicitur vnitas compositionis: quandoquidem non sunt vnū ex adunatione partium ad compositionem, quemadmodū dicuntur ea, quæ constant partibus, quarū coniunctionem exigunt ad sui vnitatem.

Arist.

IV. Nunc videndū in quanā ex ijs negationibus vnitas ꝑcipuè cōsistat, cōsistere vero in indiuisione in se, præter recētiores citatos sentire vidētur ij auctores, q̄ vnitatē transcendentē explicando dicunt vnitatē, quæ est passio entis, esse indiuisionē in se. Ita loquuntur Aur. in 1. d. 8. q. 3. art. 2. Hispal. cit. cap. præced. nu. 3. Mayr. in 1. d. 8. q. 7. art. 3. prima parte articuli, & d. 24. quæst. 2. art. 2. Greg. q. 1. art. 1. & Sylvest. 1. p. cōflati q. 11. art. 1. & 2. Ostenditur inprimis auctoritate Arist. qui lib. 10. Met. c. 5. agēs de diuisione, aut indiuisione, quæ importatur per vnū, ait quædā esse indiuisa actu, diuisa vero potentia, quale est continuum: at continuum nō aliter est diuisum potētia, quā in plures partes integrantes, quæ peracta diuisione rursim per se existant: ergo, cum dicitur indiuisum actu, intelligitur de negatione eiusdē diuisionis: hæc autem nō est diuisio à se, secundū quam idē continuum bis, aut iæpius sumatur, sed diuisio in se, hoc est in partes, ex quib⁹ cōponitur. Et cōfirmatur, quoniā Arist. lib. 5. Met. c. 6. & lib. 10. c. 1. ait cōtinuum esse vnū cōtinuatione, continuatio vero nōnisi inter parter integrantes reperitur: ergo vnitas cōtinui cōsistit in negatione diuisionis in partes, ex quib⁹ cōponitur. Secundo Homo secundū propriam naturā in abstractione simplici cōsideratus est vnū ens, quemadmodū reliquæ naturæ superiores: nō ꝓpter negationē diuisionis à se, sed in se, quia scilicet secundū propriam rationē formalem cōsideratus nō includit plura entia simpliciter, siue cōpleta: ergo ratio vnitatis transcendētis cōsistit in indiuisione in se. Assumptio ostēditur: quoniā diuisio, in cuius negatione consistit vnitas transcēdens, est impossibilis illi rei, quę denominatur vna: nam, si possibilis esset, non omne ens esset vnū, diuisio vero à se, de qua loquimur, non est impossibilis naturæ humanæ secundū se spectatæ: nam licet eam non vendicet actu, non tamen excludit, quin imò est capax illius, cùm per inferiora diuiditur: diuisio vero in se est omninò illi impossibilis, vt constat: ergo in huius, nō in illius negatione consistit vnitas. Tertio propria ratio passionis alicuius subiecti illi soli conuenit: at negatio diuisionis à se nō conuenit soli enti, conuenit enim compositis per accidens, & aggregatis: etenim nauis est ipsa, & non est non ipsa, aceruus est ipse, & non est non ipse: singula quippe composita per accidens habent indiuisionem à se, quia nec multiplicantur, nec bis sumuntur secundum proprias rationes: quare fieri nequit, vt propria ratio vnitatis transcendentis in hac indiuisione consistat. Vltimo, indiuisio in se est prior indiuisione à se: ergo illa, non hæc est propria ratio vnitatis transcendentis. Patet consequentia: nam prima entis passio est vnitas, atque adeò eius diuisionis negatio erit propria, ac formalis ratio vnitatis, quæ per se primo conueniet enti. Antecedens suadetur: quoniam prior, ac magis intrinseca est habitudo rei ad partes componentes, quā ad subiectiuas: indiuisio in se est in ordine ad componentes, indiuisio à se in ordine ad subiectiuas: ergo illa est prior hac, & illius fundamentum.

Aureol. Hispalens. Mayronim. Gregor. Sylvest. Aristot.

V. Vt quæstioni satisfiat, suppono vnitatem opponi multitudini, & non cuilibet, sed eiusdē rei, quæ dicitur vna: nō enim multitudo hominum opponitur vnitati diuinæ, nec multitudo numerica vnitati specificæ, & sic in cæteris. Ad indagandā igitur naturam vnitatis oportet cōsiderare rationem multitudinis: hęc vero est pluralitas rerum

sub

sub aliquo cõi nomine, ac ratione: v.g. in naui sũt plura entia, in ternario hominũ sũt plures homines: hoc aũt modo cõcipienda est multitudo impossibilis, cui' negatione cõtinet' vnitas: vt. n. fingam' Socratẽ sc̃m ꝓpriã rõem singularẽ, q̃ Logici Socreitatẽ vocãt, non esse vnũ, sed multos, oportet vt cõcipiamus naturã indiuiduã Socratis bis, aut pluries sumi in varijs suppositis, q̃ omnia, ac singula cõuenirẽt in nomine, ac natura Socratis, nã q̃diu hoc nõ finget' animo, nequaq̃ cõstabit multitudo Socratũ, vt ita loquamur: & cõsequẽter nõ dissoluetur ei' vnitas, hæc. n. non aliter dissoluitur, q̃ per multiplicationẽ ꝓprij significati, q̃ q̃diu manet indiuisũ, sẽper est vnũ. Idẽq; seruãdũ quoties expẽditur vnitas, vel multitudo alicui' secundũ aliq̃ significatũ, siue rõẽ formalẽ: inspiciendũ quippe est, an ratio eius, secundũ q̃ res dicitur vna, sit multiplicata, necne: & si indiuisa sit in multa eiusdẽ nominis, ac rõis, erit vna. Si multiplicata, habebit rõẽ multitudinis: quomodo, quãdo q̃rimus, an sit vnus numero homo? Solã multiplicationẽ, vel indiuisionẽ hominis secundũ ꝓpriã eius rõẽ attẽdere debemus. Et quoniã vnũ est passio entis, quãdo propriè, & absolutè res dicit' vna, negat' multiplicatio entis: & ita multitudo opposita vnitati inducit diuisionẽ, ac multiplicationẽ rõis entis in plura, q̃ participẽt eodẽ nomine, ac rõe: ita vt id, quod per se primo intelligit' diuisũ, sit ratio entis, rõe cui' multiplicatis fingit' hoc ens, & nõ hoc ens, & cõsequẽter ens diuisũ à se per nõ hoc ens. Nã vbi intelligũtur plura sub eadẽ rõe, quorũ vnũ non sit aliud, ibi est intelligibiliter diuisio rõis illi' à se, q̃ priuat vnitas apposita negatione, qua hoc ens nõ est non hoc ens.

VI. His ꝑmissis dicendũ est propriã rõem vnitatis trãscendentis formaliter, ac per se cõsistere in negatione diuersionis à se secũdũ eam rõem, qua res dicit' vna. Hæc est de mẽte Doctorũ simpliciter asserẽtiũ indiuisionẽ à se cõstituere vnitatẽ, q̃ est passio entis. Ita docẽt: Argyd. in 1. d. 24. 1. p. dist. q. 2. Heru. quodl. 4. q. 1. Bass. in 1. dist. 24. q. vn. ar. 1. §. *Dico igitur*, Argẽt. q. ẽt vn. ar. 1. Ochã. d. 2. q. 1. lit. l. Gabr. q. 1. ar. 1. not. 1. Bonet. li. 5. Met. c. 1. §. *Amplius*, Marsi. in 1. q. 25. ar. 1. ꝑmiss. 1. & Caiet. 1. p. q. 11. ar. 2. circ. 10l. ad 4. Qui doctores eãdẽ indiuisionẽ interdũ vocant indiuisionẽ in se. Vnde colligitur Autores supr. cit. asserẽtes vnũ dicere indiuisionẽ in se, non loq̃ in sensu explicato à recẽtioribꝰ, sed vt nomine indiuisionis in se, ꝓ indiuisione à se, vt interdũ loquũtur reliq̃ antiquiores Theologi. Fundamẽtũ assertionis est, quoniã, vt proxime dixi, ea diuisio ꝑ se primo, ac formaliter opponitur vnitati trãscẽdẽti, q̃ terminat' ad multitudinẽ, nõ q̃libet, sed eã, q̃ per se primo destruit rõẽ formalẽ vnitatis: huiusmodi vero est diuisio à se, nõ aũt diuisio in se: ergo in illi', nõ in hui' negatione cõsistit ratio vnitatis trãscẽdẽtis. Omnia sũt perspicua ꝑter assũptionẽ, q̃ ꝓbatur primo, quoniã diuisio in se, cũ suapte natura nõ exigat multiplicationẽ eius, quod in se diuidi fingitur, sed resolutionẽ in partes, ex quib. integratur nõ inducit multitudinẽ ipsius: vnitati vero vni' rei sola eius multitudo per se primo, ac formaliter opponitur: ergo per ꝑcisã diuisionẽ in se nõ resultat multitudo opposita vnitati, quod perspicuũ est in diuisione compositi Physici in materiã, & formã, atq; adeo in negatione huius diuisionis non cõsistit vnitas trãscẽdẽs. Contra vero per diuisionẽ à se cõstituitur multitudo opposita vnitati, qua res dicitur vna secũdũ aliq̃ rõem, vt paulò ante ostẽsũ: si respõdeatur per diuisionẽ in se entis cõflati ex plurib. entibus per se cõpletis cõstitui verã multitudinem oppositam vnitati: sunt. n. multa entia simpliciter, & ita in huius negatione cõstare propriam rõem vnitatis. Non soluitur argumentũ, tum quia hoc accidit diuisioni in se, siquidem non competit omni, sed soli ei, qua fingitur diuisio in plura completa integrantia aggregatum, tum quia hæc diuisio est posterior diuisione à se eius rationis, secundũ q̃ cernitur multitudo: exẽpli causa aceruus lapidum est vnus aceruus, & non multi, quia non est diuisus à se in rõe acerui, non tamen est vnum ens. Sed multa, quia est aggregatum plurium, quorum vnum non est aliud. In qua re duæ interueniunt diuisiones altera ipsius aggregati in se ratione cuius sunt plures partes actu inter se diuisæ, & intrinsecæ toti non retinentes nomen, ac rationem ipsius, altera entis, secundum cuius rationem aggregatum non dicitur vnum simpliciter, sed multa entia: & hæc antecedit diuisionem in se. Ratio est, quoniam prius est dari, siue concipi plura entia actu, quam esse, vel intelligi vnum aggregatum ex ipsis, & in ipsis actu diuisum: non possunt autem concipi plura entia actu non intellecta diuisione entis à se, & multiplicatione in plura, in quorum singulis sit hoc, & non sit aliud: ergo etiam prius est ens, secundum cuius rationem aggregatum dicitur multa simpliciter, concipi diuisum à se per inferiora, quam aggregatum constans ex ipsis intelligi diuisum in se, siue in partes actu per se existentes. Ex quo tandem concluditur in quouis ente vno prius esse

negationem diuisionis entis à se in multa entia, quam negationem diuisionis in se, hoc est in plures partes intrinsecas, nam cum positio, siue multitudo resultans ex diuisione entis à se sit prior se ipsa, vt est terminus diuisionis aggregati in se, etiam negatio illius erit prior: atque adeo, cum ea formaliter opponatur diuisioni, ac multitudini entis, in eo priore antequam intelligatur indiuisio in se, res vere, ac proprie dicitur vna ab indiuisione entis à se. Exempli causa, Socrates per se primo dicitur vnus, quia Socreitas non est diuisa à se, hoc est non sæpe sumpta, ac multiplicata secundum rationem Socreitatis: dicitur vero vnus homo, quia in ipso non est similiter humana natura diuisa à se: dicitur vnum animal, vna substantia, denique vnum ens ob eandem causam: quemadmodum enim, si quæuis earum rationum esset in ipso diuisa à se, & multiplicata, vere esset multitudo, ita per negationem huius diuisionis est vera propria, & formalis vnitas.

VII. Obijciet aliquis vnitatem significare indiuisionem subiecti, quod vnum appellatur, est enim vnum ens indiuisum: quare constituendâ potius in indiuisione ipsius quam in indiuisione prædicati, secundum quod dicitur vnum: alias prædicatum erit vnum, non vero subiectum: at si, cum Socrates dicitur vnus homo, negatur multitudo, siue diuisio naturæ humanæ, homo, non Socrates erit vnus. Respondeo aliud esse rem dici vnam, aliud rationem, secundum quam dicitur vna: sicut videre est in denominatione subiecti sumpta ab alijs formis: nam subiectum est, ac dicitur simile, ratio vero, secundum quam ita dicitur, est qualitas aliqua, in qua fundatur similitudo: ita quoq; subiectum dicitur vnum, ratio vero, secundum quam ita dicitur, necessario esse debet ipsi intrinseca, vt secundum illam sit indiuisum, & quidem, cum dicitur vnum absolutè absque determinatione prædicati specialis, intelligitur vnum in ratione entis, & negatur omnis prorsus diuisio entis à se, cum vero dicitur vnum cum determinatione alicuius formę determinatæ, sola indiuisio ipsius importatur, verbi gratia, cum dicitur vnus homo, aut vna nauis solum importatur indiuisio sub ratione hominis, aut nauis: ex quo constat discrimen inter entia per se, ac per accidens, quod ens per accidens dicitur vnum cum addito, hoc est vna nauis, vnus populus, nam quatenus vnum vendicat indiuisionem in plura sub eodem nomine, non tamen dicitur vnum absolutè, quia non excludit diuisionem in plura entia simpliciter, at ens per se vtroq; modo dicitur vnum: & simpliciter, quia ratio entis completi non est in ipso diuisa à se, & secundum particularem denominationem, quia quatenus vnum non admittit diuisionem particularium rationum sibi conuenientium, secundum quas dicitur vnum: formæ vero, secúdum quas ita denominatur, sunt rationes fundamentales vnitatis: itaque, cum vnitas sit passio entis, primo, ac per se significat indiuisionem ipsius in plura entia, quæ est indiuisio entis à se: nam in pluribus entibus est hoc, & non hoc: & de vtroque prædicatur ens, & in vtroque est diuisum à se, ratio quippe entis reperta in vno particulari distinguitur à ratione entis reperta in alio, qua diuisione sublata ab ente necessario datur vnitas, quæ in eius priuatione consistit.

VIII. Ad primum argumentum dicendum est in continuis homogeneis cum diuisione entis in partes integrantes coniunctam esse diuisionem in partes subiectiuas, non quidem ipsius cótinui singularis, nam hoc dissoluitur, nec eius ratio manet in singulis partibus diuisis: sed continui secundum speciem, vel genus, aut secundum rationem entis analogicam: nam partes, ad quas terminatur diuisio continui singularis, peracta diuisione iam non sunt partes, sed entia per se, ac indiuidua continui in communi: quod proinde in ipsis reperitur diuisum à se, & ita ipsarum aggregatum habet rationem multitudinis, non vnitatis; ideoque continuum singulare est indiuisum actu, diuisum potentia, quoniam actu non sunt in ipso plura indiuidua per se eiusdem speciei, sunt autem potentia resultatura per diuisionem: quia igitur ratio communis continui in quouis singulari non est actu diuisa à se in plura, est tamen diuisibilis, idcirco continuum dicitur vnum actu, plura potentia. Ex quo patet non esse verum simpliciter id, quod in argumento dicitur, continuum non aliter esse diuisum potentia, quam in plures partes integrantes: hoc enim solum est verum de continuo singulari, non vero de ratione cummuni continui inclusa in singulari: ad cuius diuisionem in partes integrantes sequitur diuisio rationis communis in partes subiectiuas: quæ si non sequeretur, destrueretur quidem ratio vnitatis, non quidem formaliter per positionẽ oppositæ multitudinis, sed materialiter per dissolutionẽ subiecti, quéadmodũ cũ animal moritẽ, eius quoq; vnitas corrũpitur, nõ ex eo quod succedat multi-

tudo

rudo animalium oppoſita vnitati, ſed quia deſtruitur entitas animalis, quod eſt ſubiectum vnitatis : deſtructo vero ſubiecto iam non manet priuatio, quæ ſemper connotat ſubiectum. Ideo vero Ariſtoteles ait continuũ eſſe indiuiſum actu diuiſũ potẽtia, quoniã ratio cõmunis reperta in continuo ſingulari non eſt actu multiplicata ante ſeparationẽ partium, ea vero poſita multiplicatur, & numerũ recipit : ipſum vero continuũ ſingulare nõ diuiditur diuiſione directe, ac formaliter oppoſita vnitati ſingulari ipſius, non enim ipſum formaliter fit multa, ita vt ſit hoc, & nõ hoc, quandoquidem nulla ex partibus ſeparatis eſt ipsũ totum, per cuius diuiſionem reſultauit. Ad confirmationem reſpondeo, ſicut cum diuiſione continui ſingularis in ſe, hoc eſt in ſuas partes integrantes, eſt coniuncta diuiſio coutinui vniuerſalis à ſe, hoc eſt in plura eiuſdem nominis, ac rationis cum ipſo, ita cum continuatione partium conſtituentium vnum continuũ ſingulare coniunctam eſſe indiuiſionem continui communis in plures partes ſubiectiuas conſtituentes multitudinem oppoſitam vnitati, & ab hac eſſe continuum formaliter vnũ, à continuatione vero materialiter & cauſaliter: nã idcirco continuum ſingulare eſt vnum, quoniã eſt indiuiſũ in plura continua actu.

IX. Ad ſecundum reſpondeo vnitatẽ hominis ſecundũ propriam naturam dupliciter conſiderari poſſe, vel ſecundum indiuiſionẽ ſui in plures naturas ſpecificas ſub nomine, ac rõe hominis, vel ſecundum indiuiſionem actualẽ in plura indiuidua ſub ſe collocata: & hęc poſterior indiuiſio non conſtituit vnitatẽ ſpecificam tranſcendentem hominis, ſed vnitatẽ præciſionis, quæ illi accidit ſecundum conceptum intellectus abſtrahentis à ſingularibus, ſupponit tamen vnitatem tranſcendentem ipſius, quæ conſiſtit in diuiſione eius in plures naturas ſpecificas, ſemperq; ipſi conuenit, ſiue abſtrahat ab indiuiduis, ſiue cum illis cõcretè accipiatur. Hoc poſito neganda eſt aſſumptio: ad cuius cõfirmationem eſt itẽrum neganda aſſumptio, qua ſupponitur indiuiſionem, à qua homo dicitur vnus ſpecifice, eſſe negationem diuiſionis in plura indiuidua, cum potius ſit negatio diuiſionis à ſe in plures ſpecies, vt dictum eſt. Ad tertiũ dicendũ eſt in cõpoſitis per accidens non reperiri ſimpliciter ipſum, & non non ipſum, ſed ſolum ſecundum quid: quandoquidem licet aceruus ſit ipſe, & non ſit non ipſe, tamen in ipſo formali ſignificato eius continetur hoc, & non hoc, verbi gratia duo lapides, quorũ vterq; non eſt alter : à qua diuiſione lapidis à ſe ꝓuenit multitudo, q̃ tollit vnitatẽ ſimpliciter ab aceruo: & ideo eſt ſimpliciter multa, quoniam in ipſo eſt ratio entis diuiſa in plura, vnũ vero ſecundũ quid, quoniã in genere acerui eſt indiuiſus in plures, & ita nõ cõuenit ipſi propria ratio diuiſionis à ſe ſecũdũ rõem entis, in qua ꝓprie conſiſtit vnitas tranſcendens. Ad vltimũ reſpondeo quẽadmodũ ſuapte natura prius eſt ratio entis, quã ratio entis ſimplicis, aut cõpoſiti, ita priorẽ eſſe negationẽ diuiſionis à ſe, q̃ per ſe cõuenit enti, qua ens, q̃ ſit indiuiſio in ſe, q̃ non cõuenit illi per ſe, ſed qua determinatũ ens eſt : habitudo.n. entis ad partes cõponẽtes cõuenit enti cõpoſito, qua cõpoſitũ eſt. Eſt ita negandũ eſt antecedẽs: ad cuius cõfirmationẽ dicendũ eſt, ſi res cõparet̃ cum ꝓprijs partib. cõponentibus, ac ſubiectiuis, priorẽ eſſe habitudinẽ eius ad cõponentes, q̃ ad ſubiectiuas, vt videre eſt in homine, cui prius cõuenit vnitas cõpoſita ex materia, ac forma, q̃ actualis indiuiſio in ſingulos homines, nequaquã vero ſi cõparetur cum ſubiectiuis impoſſibilibus entitati, quæ dicitur vna à negatione diuiſionis in ipſas, tanq̃ in plura ſub eodem nomine, ac rõe cõtenta: nam quemadmodum in quauis re prior eſt ratio entis præciſè ſumpta, ita ex ipſa immediate ſumitur repugnãtia diuiſionis à ſe, per q̃ concipitur res eſſe hæc, & non hęc & conſequenter multiplicata: quam multiplicationem impoſſibilem rei, quæ dicitur vna concipimus, cum multitudinem ipſi denegamus, vtraque vero ipſarum, hoc eſt tam multitudo, q̃ indiuiſio ipſam negãs concipi põt non concipiendo an res ſit cõpoſita, necne: & ita prior eſt ſecũdũ intellectũ habitudo ad partes ſubiectiuas impoſſibiles rei, q̃ dicitur vna, quam ad componentes. Obijcies ſolutionem non eſſe idoneam, quoniam comparat partes componẽtes poſſibiles cum ſubiectiuis impoſſibilibus. At vero, ſi cõparentur partes cõponentes impoſſibiles cum ſubiectiuis itẽ impoſſibilib. negatio diuiſionis in ſe cõpetit per ſe primo enti, qua ens eſt: ꝙ.n. diuiſũ eſt in plures partes cõponentes actu per ſe exiſtẽtes nõ vnũ, ſed plura eſt. Reſpõdeo in primis hac ſolutione haberi indiuiſionẽ in partes cõponẽtes veras nõ pertinere per ſe primo ad rõẽ vnitatis trãſcẽdẽtis, ꝙ fortaſſis aliqui exiſtimãt. Deinde vero dico quẽadmodũ cõpoſitio entis per accidẽs ex plurib. per ſe actu diuiſis ſupponit diuiſionem entis in partes ſubiectiuas, q̃ ipſę ſint partes actu cõponẽtes ens per accidẽs, ita à ſimili cõpoſitione impoſſibili enti per ſe ſupponi ſecũdm eſſe cõceptũ diuiſionẽ entis in partes

ſubie-

subiectiuas, q̃ ipsæ fingerentur partes cõponentes alicuius entis: atq; adeo negationem huius diuisionis impossibilis in partes subiectiuas esse priorem negatione diuisionis impossibilis in partes componentes, & ita quomodocunq; comparentur partes componentes, siue secundum esse verum, siue secundum esse impossibile cõceptum, semper negatio diuisionis in ipsas est posterior negatione diuisionis in partes subiectiuas entis, & consequenter in hac consistit vnitas, quæ est passio entis.

Vnitas dicit negationem diuisionis, & multitudinis materialiter sumptæ.

Caput IV.

I. CVm ex superioribus cõstet vnitatem super ens solam addere priuationem diuisionis à se, nunc explicãdum erit, quomodo se habeat huiusmodi priuatio ad diuisionem, & multitudinem. Multitudo vero vel est intrinseca, vel extrinseca, intrinseca, quæ clauditur, aut claudi fingitur intra rõem significatam per nomen, quẽadmodũ intra rationem acerui continentur plura grana, intra rationem specificam hominis multa indiuidua. Extrinseca vero, quæ est extra terminos rei, cuius vnitas indagatur, qua ratione ternarius, & quiuis alius numerus existit extra terminos cuiuslibet vnitatis, quæ est principium numeri. Plerique autem censent vnum dicere negationem multitudinis. Ita Aureol. Sylvest. Mayron. Argent. vbi supra, Durand. q. cit. num. 9. Gabr. art. 2. concl. 1. & ar. 3. ad tertium dubium, Carthus. loco cit. nu. 2. quibus fauet D. Thom. sæpe docens vnum opponi multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso, ita 1. p. q. 11. ar. 1. qu. 3. de potentia ar. 16. ad tertium, & in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 4. & sæpe alibi: fauet etiam Auerr. 10. Metaphys. text. 9. asserens vnum, & multa opponi priuatiue, priuatio vero non se habet ex parte multitudinis, sed ex parte vnius: ergo hoc cõtinet priuationem illius. Accedit quod diuisio includit multitudinem vt terminum, & est media quasi via ab vno ad multa, si enim diuidatur continuum, ex vno fiunt multa, termini vero tendentiæ sunt, qui opponuntur inter se, non cum ipsa tendentia.

Aureol. Sylvest. Mayron. Argent. Durand. Gabriel. Carthus. S. Thom. Auerroes.

II. VT pateat quid proprie neget vnum, oportet prius explicare quid sit diuisio, qua destruit vnum, & constituit multa, & quis sit ordo inter ens, vnum, diuisionem, ac multa ex hoc enim pendet responsio. Primum autem se offert diuisio continui, ex qua, quia notior, exploranda est ratio diuisionis eius, quam negat vnitas transcendens. Diuisio autem continui est realis separatio partium, quæ erant in potentia tantum, vt sint actu singulæ per se, ex qua resultat, vt sit hoc, & illud ens, & hoc non sit illud, & viceuersa. Similiter diuisio, cuius negatio transcendit per omne ens, quamuis re ipsa non fiat, fingitur tamen ad modum, quo fit diuisio continui: est tamen nonnihil discriminis: namque licet per diuisionem continui resultent multa ex vno, tamen in illis multis non est adæquata tota ratio formalis illius vnius, quandoquidem ipsum destruitur, & non nisi secundum partem manet in quouis membro, ad quod terminatur diuisio: at vero in diuisione, quam negat vnitas aliter se res habet, oportet enim vt in multis, ad quæ diuisio concipitur terminari, concipiatur esse tota ratio formalis rei, quæ concipitur diuisa in multi. Exempli causa Socrates est vnus numero homo, cui vnitati opponitur diuisio nõ vera, aut possibilis, sed imaginabilis: qua natura humana singularis Socratis concipitur esse hæc, & non hæc, & consequenter diuidi in plures numero humanitates conuenientes sub eodem nomine, ac ratioue Socratis, nisi enim concipiantur esse plures sub nomine, ac ratione Socratis, nõ potest concipi diuisio, aut multitudo, quam vnitas excludit à Socrate. Differunt etiã, quod diuisio continui est vera, & possibilis re ipsa, ea vero quam negat vnitas transcendens, nequaquam, sed solum datur ope intellectus concipientis rem aliquam cum negatione ipsius, quod enim in diuisione continui præstat realis separatio, hoc in transcendenti præstat affirmatio ac negatio, in quibus consistit diuisio: de qua agimus, vt obseruat Diu. Thomas in 1. dist. 24. q. 1. ar. 3. ad tertium. Nam primum ponitur ens per affirmationẽ cõcipiente intellectu aliquid vt ens, deinde non ens per negationẽ eiusdẽ animo cõceptam: quod si copulẽt ens cum nõ ente, & cõcipiatur hoc ens, & non hoc ens, iam est diuisio, fieri enim haũdquaquam potest, vt sit hoc ens, & nõ hoc ens, quin ratio entis sit diuisa, nam eadem prorsus ratio entis non potest esse hoc ens, & nõ hoc ens, itaq; diuisio cõtinet positionẽ pluriũ entium sub mutua negatione eorundem inter se, ita vt sit hoc, & hoc, & neutrum sic aliud, describi vero potest in hunc modum: diuisio est positio plurium in actu clausorum eodem nomi-

S. Thom.

ne, ac ra-

ne, ac ratione sub mutua negatione, verbi gratia diuisio imaginabilis naturæ humanæ secundum rationem specificã constitueret plures species hominis, quæ continerentur sub eodem nomine, ac ratione formali hominis: & quælibet non esset alia, cum tamen vtraque esse deberet idem quod homo in communi, si vero fingamus diuisionem Socratis, opus erat, vt sub ratione formali per nomen importata continerentur plura entia actu, quorum vnum quodlibet non esset aliud, item in aceruo intra rationem eius formalem per nomen significata continentur plura entia actu, quorum vnum non est aliud, ac proinde bi cernitur diuisio vera: quando vero dicitur *positio plurium entium in actu*, intelligitur respectu eorundem inter se, ita vt esse actuale vnius non sit idem esse actuale alterius, quamuis cum alijs comparata sint entis potentia, vt patet in positione duarum partium integrantium pertinentium ad diuersa composita. Verbi gratia, positio duorum capitum diuersorum hominum est sufficiens ad cõstituendam diuisionem, quandoquidem neutrum est in altero potentia, aut actu per idem esse, sed per diuersa, quamuis vnumquodque respectu sui totius sit in potentia: at vero positio plurium partium eiusdem totius, verbi gratia capitis, manuum, pedum, & aliorum membrorum eiusdem hominis, non dicitur positio entium in actu, nam omnia sunt actu per idem esse totius, in quo sunt potentia, & ideo hæc non est satis ad diuisionem, itaque quoduis ens actu habet annexam negationem positionis plurium actu, & negationem negationis sui ipsius, quæ necessario interuenire debuit, si ipsum esset plura actu: ex quo habet, vt non sit actu plura, & consequenter caret multitudine intrinseca, quæ suapte natura clauditur intra terminos sui significati. Quia vero non repugnat, quod est vnum in se, sit pars numeri postquam ita concipitur vnum, si adsint alia sub negatione huius, & cum negatione negationis sui, resultant aliæ vnitates, ex queis coalescit multitudo intrinseca.

Obseruandum tamen cum Caietano quæstion. citata articul. 2. circa responsionem ad secundum multitudinem, sicut & vnitatem, sumi potest materialiter solum pro ratione entis, ac formaliter pro negationibus superadditis, inter quæ hic est ordo, vt vnitas materialis sit re ipsa omnino prior formali, ac multitudine tam materiali, quam formali, nam fundamentum vnitatis formalis est entitas ipsa materialis rei, & multitudo materialis fundamentum multitudinis formalis, multitudo autem materialis, cum coalescat ex vnitate materiali, est posterior ipsa, & consequenter vnitas materialis est prior vnitate formali, ac multitudine tam formali, quam materiali. Vnitas autem formalis est prior multitudine formali re, & ratione, fundamentali vero est ratione posterior. Prior pars asseritur à Diuo Thoma quæstio. 9. de potentia art. septim. ad 15. & patet, quoniam vnitas formalis est de ratione intrinseca multitudinis formalis, tanquam pars ipsius, & consequenter est prior illa, multitudo vero formalis non pertinet vllo modo ad vnitatem, nec ab ea supponitur. Altera pars constat, quoniam secundum intellectum prius est concipere hoc, & non hoc, & consequenter plura materialiter, quam negationem ipsorum, in qua consistit vnitas formalis. Denique multitudo materialis est natura, ac ratione prior formali. Patet quoniam est fundamentum ipsius. *S.Thom.*

IV.

Dico primum, vnum formaliter, ac proprie significat negationem diuisionis. Hæc est de mente D. Tho. opusc. 42. c. 2, 1.p.q.30.ar.3.ad tertium, de potentia q.9. ar.7.ad 15.& li.4.Met.lect.3. Mayr.ar.cit. ad 4.Gabr.ar.2.concl.1.Capr.vbi sup.Richar.ad 1.ex 2.loco positis, Sylvest. art.2. Caiet.art.2.Fonsec.4.Met.tex.3.& quæst. cit.sect.5. neq; negatur ab alijs doctoribus, qui asserunt vnũ dicere negationẽ multitudinis: sumitur vero ex Aristot.li.10. Metaph.tex.5.& 10.qui per negationem diuisionis diffinit vnum, & sentit ens eatenus esse vnum quatenus nõ habet diuisionem. Suadetur autem quoniam vnũ opponitur diuisioni, cum qua habet absolutam repugnantiam, non alio genere oppositionis, quam priuatiuæ: ergo formaliter includit negationem eius. Antecedentis prior pars est manifesta ex dictis: nam diuisio importat positionem plurium entitatum sub mutua negatione: vnum vero negat tum positionem entitatum, tum negationem sui ipsius: atq; adeo habet omnimodam repugnantiam cum diuisione: hanc vero esse priuatiuam constat, quoniam repugnantia penes affirmationem, ac negationem connotando determinatum subiectum habet rationem priuationis: vnitas vero, ac diuisio repugnant penes affirmationem, ac negationem, nam positionem, quam diuisio inducit, vnum negat, sicut etiam negationem sui ipsius, quæ clauditur in diuisione, sicut enim in positione plurium entium actu quoduis non est aliud, ita quoduis in se non est aliud, & non ipsum: & hoc intendit Diuus Thomas cum quodlibe. 10. art. 1. ad *Mayron. Gabriel. Capreolus. Sylvest. Caietan. Fonseca. Aristot. S. Thom.*

articul.prim.ad tertium docet significatione vnius includi negationem negationis, & rei simul, & ita vnum significat negationem talis diuisionis, ex qua possit accipi hoc, & non hoc: & consequenter in quantum negat affirmationem, & negationem, est negatio rei, & negationis simul. Non dicitur vero per modum puræ negationis, ne extendatur ad ens, & non ens, sed per modum priuationis connotando ens tanquam proprium subiectum: vt enim ait Philosophus libr.quint.Metaphys. *Aristot.* text.vigesim. septim. priuatio dicitur tribus modis; primo proprie, quando remouetur à subiecto forma, quam aptum est habere pro tempore, quo aptum est suapte natura, secundo communius, quando remouetur forma, quam subiectum secundum se non est aptum natum habere, sed genus eius, qua ratione talpa dicitur cęca; tertio communissime, & minus proprie, quando negatur forma, quæ à quouis alio potest haberi, quomodo carentia animæ dicitur per modum priuationis cum res dicuntur inanimæ, quod nomen nequaquam dicitur de entibus fictis, quamuis de ipsis vere dicatur negatio animæ: quandoquidem inanimum, vel inanimatum dicitur per modum priuationis, & connotat subiectum positiuum, quod conueniat in aliqua ratione formali communi cum proprijs subiectis, de quibus dicitur anima: qua ratione conuenit lapis cum animali in ratione corporis, & hoc vltimo modo dicitur vnum priuatiue, quoniam semper connotat ens, nec de rebus fictitijs dici potest, & negat à quouis ente diuisionem, quæ in alio genere entis reperitur, quemadmodum diuisio in plura individua conuenit speciei, negatur autem de singulari natura, & sic in cæteris.

V. Dico secundum. Vnitas est negatio multitudinis intrinsecæ, non extrinsecæ, materialis, non formalis. Ad sensum huius assertionis accipiendus est Commentator, Diuus Thomas & alij, quando vnum aiunt includere negationem multitudinis, *S.Thom.* quod expressè explicat Diuus Thomas quæstione 3. de potentia artic. 16. ad 3. & in 1.dist.24.quæstion.1.artic.3.ad 4. *Vnum*, inquiens, *non est priuatio illius multitudinis, quam constituit, sed multitudinis, quæ negatur esse in ipso, quod dicitur vnum*, negat itaque vnitas pluralitatem clausam intra terminos formæ, quam significat nomen, cui apponitur: verbi gratia, cum dicitur Petrus est vnus homo, negatur multitudo hominum clausa intra terminos naturę singularis Petri, non vero hominum, qui sint ab eo diuisi, & cum quibus ille tanquam pars possit componere numerum, siue multitudinem: non enim ex eo, quod aliquid dicitur esse vnum, repugnat, vt aliquid sit extra ipsum quod cum eo constituat multitudinę, sed negatur diuisio ipsius in multa. Ostenditur autem, quoniam vnũ est priuatio multitudinis, quæ resultaret per diuisionem ipsius, si daretur: non enim negat diuisionem cuiusuis entis, sed sui, hæc autem non est multitudo extrinseca, quam vnum tanquam eius pars constituit: sed intrinseca, quæ si contineretur intra terminos rationis significatæ per nomen dissolueret rationem vnius. Posterior pars recte ostenditur à Fonseca vbi supra, & sumitur à Diuo *Fonseca. S. Thom.* Thoma, nam sæpe docet vnum significare negationem multitudinis, vt supra ostendi, interdum vero idem negat, nempe 1. p. q.30.ar.3.ad 3. & opusc. 42.capit.2. & qu. 9.de potentia art.7.ad 15. & in 1.dist. 24. q. 1.art.3.ad 2. & reddit rationem, quoniam vnum est natura, & ratione prius multitudine: omnis autem forma negata est hoc modo prior sua priuatione; quæ ratio solum procedit de multitudine formaliter sumpta, quæ est posterior vnitate formaliter sumpta, non vero de materiali, quæ secundum intellectum est prior, non posterior vnitate, vt dictum est supra. Itaque quando D.Tho. ait vnitatem nequaquam *Capreolus. Syluest.* negare multitudinem, est intelligendus de formali, de materiali vero, quando concedit. Idem docent Capreolus vbi supra ar.1. Conclusione 4. & Syluest.art.2.circa solutionem ad 4. Probatur ratione modo indicata ex ipso D.Tho. Omnis priuatio est posterior natura, atq; intelligentia forma, cuius est priuatio: vnitas non est posterior natura, imo prior multitudine sumpta formaliter, ergo non est priuatio illius. Hoc argumentum parui pendunt aliqui recentiores, & ideo quoad hoc reijciunt sententiam D.Tho. ob hanc rationem negantis vnum esse priuationem multitudinis, quoniam, inquiunt, etiam vnus est priuatio diuisionis, & prior illa, quod facilè probatur, siquidem terminus à quo suapte natura est prior actione, siue via ad terminum, & ipso termino ad quem, diuisio autem est via tendens à destructione vnius ad positionem multitudinis, per diuisionem namq; continui desinit esse vnum, & fiunt plura. Verum, quidquid sit de prioritate quoad existentiam, de qua modo non est curandum, tamen prioritate naturæ, & secũdum rationem intelligentiæ, prior est diuiso quam vnitas: vt sæpe ait D.Tho. & bene o- *S.Thom. Caietan.* stendit Caieta.art.2.citato circa responsio-

nem ad

nem ad quartum, quidquid enim pertinet ad conceptum quidditatiuũ alterius, nec ineludit illud in ſuo, eſt prius natura illo, qua ratione forma Phyſica eſt prior priuatione, quamuis hæc via generationis præcedat quoad exiſtentiam, quia priuatio non niſi per formam priuatã intelligi poteſt, quapropter non videntur congruenter loqui, cum vnitatem conſtituunt eſſe priuationem diuiſionis, & nihilominus aiunt eſſe priorem illa. Argumentum vero ſolum probat vnitatem quoad exiſtentiam eſſe priorem diuiſione, quod nihil intereſt ad præſens inſtitutum: non enim opus eſt, vt omne priuatiuum ſit quoad exiſtentiam poſterius forma poſitiua, qua priuat ſubiectum, ſed ſolum, vt ſit poſterius ſubiecto, cui ineſt: & ideo vnitas, quæ ſemper eſt poſterior ſubiecto, quod denominat, poteſt hoc modo eſſe prior forma, qua priuat.

VI. Quod vero multitudo, quam negat vnitas, ſit materialis, non formalis facilè oſtenditur. Etenim vnitas opponitur multitudini, quæ per ſe primo concipit reſultare per diuiſionẽ: hæc autẽ eſt multitudo materialis, quæ, vt patet ex dictis, eſt prior formali, & fundamentũ eius. Et confirmatur, quoniam illi formæ per ſe opponitur priuatio, q̃ eſt terminus immediatus mutationis à priuatione ad formam: at diuiſio concipitur, vt via quædam ab vnitate ad multitudinem: ergo ſi per diuiſionem per ſe primo intelligitur poni multitudo materialis, quam formalis, vnitas erit priuatio multitudinis materialis, non formalis. Secundo poſita multitudine materiali ſub aliqua rõe communi concipi ſimul nequit vnitas ſub eadem: ergo opponuntur priuatiue: non enim habent alium modum oppoſitionis, vt patet; Dicet aliquis hoc idem argumentũ probare vnitatem opponi priuatiue multitudini formali, quoniam nequeunt eſſe ſimul ſub eadem ratione: reſpondeo diſparem eſſe rationem, nam forma, & priuatio pugnant immediate in eodem ſubiecto ratione ſui, non alterius, quæ vero pugnant ratione formæ præſuppoſitæ non proprie dicuntur opponi priuatiue, vt patet in actuali viſione, & cæcitate; quæ nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, nec tamen opponuntur proprie priuatiue, ſed impropriè ac ſecundario ratione potẽtię viſiuæ ad viſionem neceſſario præſuppoſitæ, quæ per ſe primo opponit priuatiue cæcitati: eodem modo multitudo formalis repugnat vnitati tranſcendenti, quoniam neceſſario ſupponit multitudinem materialem, quæ illi directe opponitur, & hoc intelligit D. Tho. cum ait vnitate negari priuationem, & rem, hoc eſt multitudinẽ ipſam materialiter ſumptã; ſi objicias, vnitas eſt priuatio quatenus negat ipſas entitates cõpletas in ſuo eſſe, eæ vero cõſtituunt multitudinem, quare vnitas eſt priuatio multitudinis ſumptæ formaliter. Reſpondeo ſingulas eiuſmodi entitates in eo priore nondũ cõcipi ſub ratione vnius, quoniam hoc eſt rõe poſterius, q̃ diuiſio, quę cõſiſtit in poſitione illarum entitatum ſub negationibus explicatis, & conſequẽter entitates eæ ſecundũ ſuam ſubſtantiam, & ſub mutua negatione conſideratæ pertinẽt ad diuiſionem, nõdum tamen ad multitudinem formalem, quæ ſecundum intelligentiam eſt poſterior vnitate, vt enim ait D. Tho. q. 9. de potentia ar. 7. ad 15. quantumcumq; aliqua intelligantur diuiſa, non intelligetur multitudo, niſi quodlibet diuiſorum intelligatur eſſe vnum, & ita vnitas non eſt priuatio multitudinis formaliter ſumptæ, quatenus coaleſcit ex pluribus vnitatibus ſub ratione indiuiſionis, ſed materialiter ſumptæ quatenus eſt collectio pluriũ entitatum, & fundammẽtum pluriũ vnitatum. Quod vt magis patet apponam verba D. Tho. loco cit. vbi hunc ordinem declarat. *Primum*, inquit, *quod in intellectum cadit eſt ens, ſecundum vero eſt negatio entis, ex his vero duobus ſequitur tertio intellectus diuiſionis, ex hoc enim, quod aliquid intelligitur ens, & intelligitur non eſſe hoc ens, ſequitur in intellectu quod ſit diuiſũ ab eo, quarto aũt ſequitur in intellectu ratio vnius, prout ſcil. intelligitur hoc ens nõ eſſe in ſe diuiſum, quinto autem ſequitur intellectus multitudinis, prout ſcilicet hoc ens intelligitur diuiſum ab alio, & vtrumq; ipſorum eſſe in ſe vnũ, quantũcunq;. n. aliqua intelligãtur diuiſa nõ intelligetur multitudo, niſi quodlibet diuiſorũ intelligatur eſſe vnũ.* Vbi perſpicue ſecũdũ rõẽ intelligentiæ diuiſio præcedit vnitatem, & hæc multitudinẽ & cõſequẽter vnitas põt eſſe priuatio diuiſionis, non aũt multitudinis formaliter sũptę: & ſic patet quænã ſit forma, in cuius priuatione vnitas cõſiſtat. VII.

S. Thom.

Authoritas Auerr. non cogit, vt dicamus vnitatem opponi immediate multitudini non interpoſita diuiſione, poteſt enim opponi vtriq́ue priuatiue, ſed per ſe primo diuiſioni poſterius multitudini, vt explicatum eſt. Vt autem ſatisfiat rationi dubitandi initio propoſitæ, notandum eſt diſcrimen inter diuiſionem oppoſitam vnitati, & proprias actiones, quæ procedunt à corruptione vnius termini ad poſitionem alterius: nam hæ non proprie, ac per ſe opponuntur terminis, ſed quia termini opponuntur, idcirco poſitio vnius oppoſitionem habet cum altero illi oppoſito, di-

S. Thom.

uisio autem mentalis consistit in affirmatione, ac negatione, quia scilicet ponit rem, & negationē ipsius, q̄ duo cohærere nequeunt cum vnitate, siquidē vnitas non admittit negationē sui, q̄ .n. est *ipsum*, nō est non ipsum, & quia nō ipsum, & nō non ipsum, per se, & non per aliud opponunt̄, idcirco vnitas, qua ens dicitur esse ipsum, & nō nō ipsum, per se primo opponitur diuisioni, qua diceretur ipsum, & non ipsum, nō vero rōe multitudinis: nam ēt prius natura, quā intelligatur multitudo, intelligitur diuisio cōcipiente intellectu ipsum, ac non ipsum, quin aduertat ad fundamentū negationis eius, qua ens diceretur nō ipsum, quod est vnitas aliqua materialis. Ex quo patet solutio ad argumentū: nam q̄uis diuisio cōcipiatur à nobis, vt via q̄dam à destructione vnitatis ad positionem multitudinis, tamē re ipsa continet formalem oppositionē cū vnitate secundū affirmationem, ac negationem, quia, vt iam dictū est, per diuisionē res est ipsa & nō ipsa, per vnitatē vero est ipsa, & nō nō ipsa. Verū quoniā terminus, vel fundamentū negationis, q̄ diuisio vendicat, est multitudo materialis, oportet enim vt saltem sint duo entia, ad hoc, vt sit ipsum, & non ipsum, vnū enim nequit sub esse terminis contradictorijs, vnitas, quæ opponitur diuisioni, opponitur etiā multitudini materiali, in qua vnum ens est ipsum, & aliud non ipsum, diuisio vero cōtinui non terminatur ad plura, quorū singula sint id ipsum, & non ipsum, à quo incipit diuisio, vt explicatum est.

Negatio identitatis cum alio non constituit formaliter rationem vnius, sed illam sequitur.

Caput V.

I. NOnnulli præter negationem, de qua supra, requirunt ad rōem vnius negationem vnionis cum alio: & ita diffiniunt vnū indiuisum in se, ac diuisum à quolibet alio: per terminum illum diuisum intelligunt negationem vnionis, siue identitatis cum alio. Ita Aureol. in 1.d. 8.q.3.ar.2. Bassol. d.24.q.vn.ar.1.§. *Dico igitur*, & ar.2. Argent. q.vn.ar.1. & Augustin. Nyphus 4. Metaphys. disp.3.ca. 4. Quorum sententia probari potest, quoniam non minus est de ratione vnius, vt non sit diuisum à se, q̄ vt non sit aliud à se: quin vero esse aliud à se repugnat non solū antecedenter, vel consequenter, sed formaliter cōceptui vnius, ergo in vno includitur formaliter negatio eius. Patet cōsequentia, quoniā nō est formalis, & immediata repugnantia circa cōceptus formæ positiuę, & negationis alicuius, nisi negatio per se formaliter tollat formam positiuā. Antecedens vero ostēditur, quoniā hoc ipso, quo res est aliud à se, inuoluitur multitudo: hæc aūt opponitur formaliter vnitati, ita vt nequeant concurrere in vnam rōem formalem, sed se mutuo destruant, quare cōceptus alietatis à se repugnat per se primo, ac formaliter cū conceptu vnius. Maior propositio ostenditur, quoniam in cōceptu alius à se includitur ipsum, & aliud ab ipso, q̄ sunt duo materialiter, & cōsequēter multitudo opposita formaliter vnitati. Præterea ipsū, ac non ipsū est idem prorsus quod ipsum, & aliud à se, sed vnitas consistit in eo, vt ens, quod vnū appellatur, sit ipsum, & nō ipsum: ergo etiā cōsistit in eo, vt sit ipsum, & non aliud à se. Deniq; nō min⁹ dissoluitur ratio vnius ex eo, quod ens sit ipsum, ac non ipsum, q̄ ex eo, quod sit ipsum, & aliud à se: posito enim quod Socrates esset simul Socrates, & Plato, nō esset vnus homo: nō per se primo ex eo, quod sit nō ipse, sed ex eo, quod sit aliud à se, nēpe Plato, qui non est Socrates. Si quis respondeat Socratem eo ipso, quo est Plato, esse non Socratem, & cōsequēter diuisū in multa, non satisfacit, nam in ea suppositione prius est Socratem esse Platonē, & consequenter aliū à se, q̄ non esse Socratem, ideo enim est non ipse, quia est Plato, qui est alius: negatio enim sui fundatur in affirmatione alterius de se, & in eo priore, quo est alius, desinit esse vnus, antequam intelligatur formaliter esse non ipse.

Aureol. Bassol. Argent. Nyphus.

II. Quidam distinguunt nominis acceptionem, quæ multiplex est, nam diuisio ab alio concipi potest per modū relationis ad terminū realē actu existentem, aut per modum negationis, si priore modo accipiatur recte docēt non pertinere ad rōem formalem vnius. Ita Mayron. in 1.d.8.q.7.ar.3.1. p.ar. & dist.24.q.2.ar.1.præambulo 3. & 4. & aliqui recentiores. Ratio est, quoniam vnitas rei in se ipsa est prior diuisione eiusdem ab alio: idcirco enim hoc est diuisum ab alio, quia in se tale est: & vnitas est prior multitudine, quam supponit diuisio ab alio, qua⁊ nus relatio est: non enim est aliud nisi per relationem diuersitatis, aut differentiæ, quę authore Philosopho li.10.Met. cap.5. fundatur in multitudine. Præterea nihil supponens necessario existentiam est de ratione vnius, q̄ est passio entis necessaria abstrahens ab existentia; non enim minus vnus erat Deus ante mundi creationē, ex qua cæperunt esse termini reales diuisionis relatiuæ, q̄ fuerit ab æterno, antequā

Mayron.

Aristot.

esset

esset vlla creatura. Deniq; si per impossibile non posset dari vllum ens creatum, adhuc Deus esset vnus, nec tamen haberet huiusmodi relationem diuisionis, quare ea non pertinet intrinsece ad rationem vnitatis. Addunt vero hi Authores, cum ex ratione intrinseca entis secundum totam suam latitudinem considerati possibilis sit existentia vnius entis cum alio, ad omne ens consequi, vt possit esse distinctum ab alio, quod vnicuiq; cõuenit ex eo, quod est vnũ: & hac rõe esse distinctũ ab alio, aptitudine ac fundamẽtaliter posse dici cõuenire omni enti quatenus vnũ est. Quę doctrina si intelligatur de fuudamẽto remoto, quatenus scil. vnitas est pars multitudinis, quæ est fundamentum proximũ diuersitatis, ac distinctionis, vera est: sed minus propria locutio, si vero intelligatur de ꝓximo, est falsa: nam Arist. li.5.Met.t.20. ait vnitatem esse fundamentum identitatis, æqualitatis, similitudinis, non vero distinctionis, aut diuersitatis, huius enim fundamentũ proximũ statuit esse multitudinem. Quod si diuisio sumatur per modum priuationis ad terminũ negatum existentem, idẽ dicendũ quod de relatione, quoniã coexistentia entiũ realium est per accidens, ideoque non debet pertinere intrinsece ad rationẽ formalem vnitatis, quæ per se conuenit omni enti absque respectu ad existentiam.

Aristoteles.

III. Tota abitatio est, cum sumitur pro negatione entis realis abstrahendo ab eius existentia, iuxta hunc sensum, Heruæus quodli.4.q.2.Capr. in 1.dist.24.q.vn.ar.1. ante 4.concl.Sylvest.ar.cit.Sonci.4.Met. qu.22.in fine corporis, & qu.24. ad 2.& 3. Fonseca 4.Met.ca.2.q.5.s.5. negant pertinere formaliter ad rationem intrinsecam vnius, quamuis conueniat illi necessario, consequẽter tamen, fundamentũ est, quoniam esse diuisum ab alio non requiritur, vt ens sit vnum absolutè, sed vt sit vnũ ex multis, perfecte enim concipitur res vt vna, quando concipitur, vt indiuisa a se, q̃uis non concipiatur, vt diuisa ab alijs. Et confirmatur quoniã res est absolutè vna, q̃uis non sint, aut possint esse alia, à quib. distinguatur. Tertio esse diuisum ab alio pertinet ad vnum, quatenus est principium numeri, vnitas aũt transcẽdens est qd prius, q̃ ratio mensuræ, quæ requiritur ad vnitatem, quatenus est principiũ numeri, de hac enim loquens Arist. li.10.Met.c.9. dixit vnum opponi multitudini relatiue tanquam mensuram mensurato.

Heruæus. Capreolus. Sylvest. Soncin. Fonseca.

Aristot.

IV. Pro explicatione suppono diuisum ab alio priuatiue sumptũ idem esse ac ipsum, & non aliud à se, nam sicut indiuisum ab alio, si daretur, vere esset aliud, & non esset nõ aliud: qua ratione, si de rõibus formalibus loquamur, sapientia in Deo, vbi non est diuisa à iustitia, vere est iustitia, & non est nõ iustitia, in creaturis vero sapiẽtia vere est sapientia, & non iustitia, q̃ est aliud à sapientia, itaq; ratio diuisionis priuatiuæ, qua sapientia creata distinguitur a iustitia, consistit in eo, vt non sit iustitia, quæ est aliud à sapientia: quæ negatio est distincta formaliter ab ea, qua res dicitur indiuisa à se, quandoquidem hæc consistit in hoc, vt res sit ipsa, & non sit non ipsa, includens nimirum negationem negationis sui ipsius, illa vero in eo, vt res non sit aliud à se intrinsece vendicans negationem identitatis, siue vnitatis cum alio à se, quamuis in ratione alicuius à se includatur etiã diuisio rei à se: etenim vt res dicatur alia ab altera, requiritur, vt sint entitates positiuæ, quarum vna non sit altera: ita, vt mutua diuisio, siue negatio sit de intrinseca ratione eius, quod dicitur aliud, & aliud: quapropter, si eadem res fingatur alia & alia, necessario sequitur vt sit non ipsa: contra vero, vt sit non aliud requiritur, vt non sit non ipsa. Quæ duæ negationes non sunt omnino disparatę, sed habent connexionem: nam quẽadmodum hoc ipso, quo res esset ipsa, & non ipsa, esset aliud à se: quoniã negatio omnis de quolibet subiecto reali nititur aliqua affirmatione, nõ ipsa vero radicari nequit in eo, ꝙ sit ipsa, nam sunt contradictoriè oppositæ: quare fundabitur in eo, quod sit aliud à se: ita etiam hoc ipso, quo res non est non ipsa non est etiam aliud à se, & viceuersa, si non est aliud à se, non est nõ ipsa. Verum si formaliter considerentur, prior natura est indiuisio sui à se, quæ significatur, cum dicitur, res est ipsa, & non est non ipsa, quam diuisio priuatiua sui ab alio, quam explicamus dicentes non est aliud, quatenus præcisè negatur identitas cum alio. Fundamẽtum est, quoniam indiuisio sui à se potest intelligi absq; existentia, & quauis alia rõe positiua alterius à se, nam, vt dictum est capit. prꝫced. hoc ipso, quo concipitur ipsum & negatio negationis ipsius, hoc est non non ipsum, est ratio vnitatis: ad concipiendum vero rem esse ipsam, & non esse non ipsam, non requiritur alterius rei conceptus: diuisio vero negatiua ab alio intelligi nequit absque ratione positiua alterius, in cuius negatione consistit: si enim non est, aut intelligitur aliud, quomodo res potest intelligi diuisa ab alio. Deinde notandum aliud à re posse accipi dupliciter, vel pro alio imaginabili, vel pro alio possibili. Pro alio imaginabilis sumitur, quando per di-

uisionem oppositam vnitati transcendēti concipitur res ipsa,& non ipsa;qua ratione si sub nomine, ac natura Socratis essēt plures Socrates,esset ipse,& non ipse,& consequenter alius: pro alio possibili quoties sumitur distincta vnitas à priore cum ipsa efficiens binarium, quomodo quando Socrati annumeratur Plato,est distincta vnitas vtriusque,& vnus non est alter,& vterque est alius ab alio.

V. His positis dico primum, si diuisio priuatiua sumatur posteriore modo,non pertinet ad rationem vnitatis, sed est illa posterior,hæc assertio pugnat cum Autorib. oppositæ sententiæ,qui diuisionem ab alio sumūt hoc modo, quando ad rationē vnitatis exigunt, vt res sit diuisa in se, & diuisa à quacunq; alia:nam in indiuisione in se, iam includitur diuisio ab alio imaginabili, & diuisio à quouis alio includit negationem idētitatis cum quouis alio ente possibili,qua ratione quæuis res vna diuiditur à qualibet alia,cum qua cōstituit numerum. Non pertinere vero diuisionem ab alio priuatiuam hoc modo sumptam ad rationem vnitatis constat ex dictis : nam eiusmodi diuisio suapte natura, & secundum rationem intelligentiæ supponit alteram vnitatem materialem,qua prior vnitas habeat diuisionem,at quæuis res est vna absq; suppositione alterius.Præterea,si vnitas includeret eiusmodi diuisionem priuatiuam non minus opponeretur multitudini extrinsecæ possibili,ad cuius compositionem ipsa partialiter concurrit, quam intrinsecæ impossibili:cuius oppositum supra ostēdi. Patet sequela, quandoquidem sicut per ipsum,ac non ipsum constituitur diuisio,& consequenter multitudo imaginabilis, cui vnitas opponitur, ita per ipsum, & aliud possibile constituitur multitudo extrinseca : ergo, si non aliud possibile pertinet ad rationem intrinsecam vnitatis, pertinebit etiam negatio multitudinis extrinsecæ resultantis ex ipso, & alio : denique nostro intelligendi modo Deo prius conuenit vnitas, quam intelligatur possibilitas alterius rei : ante possibilitatem vero vnius rei non potest esse, aut cōcipi possibilis separatio alterius ab ea, tanquam ab alia : separatio quippe priuatiua vnius rei ab alia supponit vtriusque possibilitatem, ergo diuisio ab alio priuatiua ad sensum huius assertionis non pertinet ad rationem vnitatis.Consequentia patet, quoniam alioquin daretur vnitas absq; eo, quod pertinet intrinsece ad eius rationem formalē,quod est impossibile. Maior propositio ostenditur, quoniam possibilitas rerum non est ante attributa diuina, quibus continetur vis causandi creaturas : vnitas vero nostro intelligendi modo præcedit attributa causalia, & consequenter possibilitatem creaturæ,quæ ex illis pendet.

Dico secūdum,si diuisio ab alio sumatur priore modo, pertinet per se ad rationē vnitatis:non tamen primo, ac formaliter,sed consequenter,& secundario,vt negatio multitudinis.Hanc solum probant argumenta in cōtrariū adducta.Ostenditur aūt prior eius pars, quoniam per aliud intelligibile sub eodē nomine, & ratione additū enti concepto secundū rōem ipsius conflatur multitudo,cui vnitas opponitur priuatiue : & tunc in idem fere recidit ipsum,ac non non ipsum,ac ipsum;& non aliud:differunt tamē formaliter,quoniam per verba illa,non non ipsum, explicatur negatio negationis sui ipsius,per illa vero,non aliud,explicatur priuatio vnitatis materialis, quæ est fundamentum negationis rei, quæ dicitur ipsa,idcirco. n. intelligitur nō ipsa quoniam intelligitur alia à se,ex quo ēt patet posterior pars:nam, sicut per ipsum,ac non ipsum nondum intellecto fundamento negationis,qua negatur ipsum, vere cōcipitur diuisio,qua destruitur vnitas,ita in sola huius diuisionis priuatione eadem vnitas formaliter cōstitit,vt iam dixi: aliud aūt non requiritur formaliter ad eiusmodi diuisionē, sed cōsequenter ad multitudinē materialem,q̄ nondum intelligitur per ipsum,ac nō ipsum, sed per ipsum, & aliud, & ita diuisio ab alio, q̄ explicamus dicētes ipsum,& non aliud, non pertinet formaliter,sed cōsequēter ad vnitatē. Et cōfirmatur, quoniam absque eiusmodi negatione constat formaliter ratio vnius, vt patet ex proxime dictis: nondum.n. concepta re, à qua secernitur ens vnum per diuisionē negatiuam & consequenter non intellecta ipsa diuisione ab alio potest concipi indiuisio entis à se,in qua consistit vnitas.Etenim eiusmodi indiuisio aliquo modo denominat subiectum,non nisi vt vnum,post hanc vero indiuisionem sui à se,antequam accedat diuisio ab alio, necessario cōcipi debet illud aliud:nam si nec elie,nec intelligi potest aliud, nec erit, nec intelligetur diuisio ab eo,relatio enim,& negatio sine termino intelligi haudquaquā potest,cumq; omnis habitudo rei ad se fundata immediate in natura ipsius sit prior habitudine superaddita ad aliud, prius erit indiuisio rei à se,q̄ diuisio ab alio. Hæc autem necessario cohæret,vt effectus prioris,nam quod est indiuisum à se, necessario est diuisum ab alio,quidquid enim non est non ipsum,ne-

VI.

cessario

ceſſario eſt non aliud, ſicut enim ex ipſo, & non ipſo coniunctis neceſſario ſequitur aliud, ita ex ipſo, & non non ipſo, neceſſario ſequitur non aliud, cumque diuiſio priuatiua vnius ab alio explicetur per non aliud, ea erit poſterior, & quaſi effectus vnitatis tranſcendentis, quæ explicatur per ipſum, & non non ipſum.

VII. Ad primum argumentum patet ſolutio ex dictis, nam, ſi ſermo ſit de alio à ſe poſſibili, id non opponitur per ſe formaliter vnitati, quandoquidem abſtrahendo ab ipſo intelligi poteſt ratio formalis vnitatis, repugnat autem concipi priuationem, quin indirecte ſaltem cõcipiatur forma negata, & ita in hoc ſenſu negandum eſt antecedens, cuius probatio non habet vim in eodem ſenſu: nam ſupponitur in probatione, quod multitudo formaliter oppoſita vnitati conſiſtat in eo, quod res ſit aliud à ſe, quæ ſuppoſitio non eſt vera, ſi intelligatur de alio à ſe poſſibili, ſed imaginabili, ſi vero obijcias, licet impoſſibile ſit, vt Socrates ſit illud aliud à ſe, quod eſt Plato, tamẽ hoc aliud à ſe non eſſe impoſſibile, nam vere Plato eſt aliud à Socrate, & ita, ſi per impoſſibile ſupponatur Socratem eſſe ipſum, & ſimul Platonem, ſupponitur eſſe aliud à ſe, quod in ſe conſideratum poſſibile eſt: hac autem ſuppoſitione facta vere deſtrueretur vnitas Socratis, nõ niſi per poſitionem alius à ſe, ergo ad propriam, & formalem rationẽ vnitatis pertinet diuiſio priuatiua ab alio poſſibili, ita vt ens vnum neceſſario explicetur per ipſum, & non aliud à ſe. Reſpondeo in alio à ſe poſſibili, neceſſario includi aliud à ſe intelligibile, hoc enim abſtrahit à poſſibili, & impoſſibili, & eatenus ex ſuppoſitione alietatis à ſe poſſibilis diſſolui rationem vnitatis, quatenus in ea habetur ratio alietatis intelligibilis, quæ ſufficit, ac requiritur ad oppoſitionem cum vnitate: & ideò alietas à ſe poſſibilis per accidens opponitur vnitati ratione alietatis intelligibilis, ipſa vero in ſe minime requiritur tanq̃ terminus eius oppoſitionis, ſi vero loquamur de alietate intelligibili, iã ex dictis patet opponi per ſe vnitati, non tamen primo, ac formaliter, ſed concomitanter, quatenus vel ex ipſa deducitur negatio entis, ſi. n. eſt aliud à ſe, eſt ipſum, & non ipſum, vel ex negatione eiuſmodi colligitur alietas, nam ſi res eſt ipſa, & nõ ipſa, profecto eſt alia à ſe. Et ita in hoc quoque ſenſu negandum eſt antecedens. Ad cuius probationem reſpondeo ſicut vnitati non opponitur per ſe primo multitudo, ſed diuiſio, ita neque per ſe primo formaliter, ſed concomitanter opponi eidem aliud à ſe, ex quo reſultat multitudo, neque ſemper formaliter opponuntur ea, quæ nequeunt concurrere in eandem rationem formalem, aut ſe mutuo deſtruunt: namq; negatio paſſionis, & affirmatio ſubiecti non opponuntur per ſe primo formaliter, & tamen ſe mutuo deſtruunt, neq; poſſunt cõuenire in vnam rationem formalem, eodẽ modo indiuiſio ab alio, & vnitas ſe mutuo deſtrunnt non formaliter, ſed conſequenter, quoniam ad indiuiſionem ab alio ſequitur diuiſio à ſe, quæ proxime & immediate opponitur vnitati. Ad ſecundum diſtinguẽda eſt maior, nam ſi intelligatur de identitate materiali, & ſubiectiua, eſt vera, falſa vero, ſi de formali, licet enim res omnis, quæ fingitur eſſe aliud, & aliud, conſequenter ſit ipſa, & non ipſa, tamẽ hæc duo formaliter differunt: nam poſterius conſiſtit in poſitione, ac negatione ſui, prius vero in poſitione ſui, & alterius. negatio vero ſui, ac poſitio alterius ſunt rationes diuerſæ, vt patet.

VIII. Ad vltimum reſpondeo ſolum probare per indiuiſionẽ ab alio diſſolui quidem rõem vnius: quod autem hoc fiat formaliter non probare: nam re ipſa diſſoluit vnitas, tam ex eo, quod ſit ipſum, ac non ipsũ, quam ex eo q̃ ſit aliud à ſe, non tamẽ eodẽ modo, nam per non ipſum diſſoluitur formaliter, per aliud à ſe materialiter, & conſequenter: & fortè in aliquo ſenſu antecedenter, vt. n. in eodem argumẽto reſpõdebatur, ſi Socrates eſſet ſimul Plato, Socrates non eſſet indiuiſus à ſe, & ideo formaliter non vnus. Ad huius autem reſponſionis impugnationẽ reſpondeo ſub alia, atq; alia rõe poſſe duo inter ſe diuerſimode comparari quoad prius, ac poſterius, in præſenti vero materia via cauſalitatis prius eſſe, vt ens ſit aliud à ſe, quã vt ſit non ipſum: nam fundamentum, cur negatio conueniat ſubiecto, eſt prius ipſa negatione, alietas autem eſt cauſa, cur res ſit non ipſa: via vero intelligentiæ non eſt neceſſarius hic ordo: nam cognita re, hoc ipſo eſt intelligibilis eius negatio, vel priuatio, quin ſit opus agnoſcere cauſam ipſius: vt videre eſt in cæcitate, q̃ cognita potentia viſiua, & eius ſubiecto agnoſci poteſt, quin agnoſcatur cauſa, cur non conueniat ſubiecto, quod in cæteris negationibus facilè perſpicitur, eodem vero modo cognita rei entitate, q̃ ſignificamus dicendo ipſum, põt intellectus apprehendere negationem ipſius, q̃ exprimimus dicendo, non ipſum, quin prius agnoſcat rõem alietatis, quæ eſt fundamentum eius negationis. Quin vero addo alietatem neceſſario etiam ſupponere negationem

onem eius,quod dicitur aliud ab eo, à quo est aliud,atque adeo,vt res dicatur alia à se, necessario esse diuisam à se, hoc est ipsam, & non ipsam.Id vero patet, quoniam alietas vel est negatio identitatis,vel relatio distinctionis ab alio, quæ nititur eiusmodi negatione: atque adeo, quod est aliud à se, non est idem secum,& ita nó est ipsum.Ex quo sequitur solam identitatem rei cum re non diuidere formaliter vnum,aut statuere plura nisi adsit diuisio rei à se: quod patet in attributis diuinis, etenim sapientia diuina est idem cum iustitia, nec tamen sunt duo entia, quoniam sapientia non est diuisa à se ex eo, quod sit idem cum iustitia,nam quemadmodum iustitia non est aliud à sapientia,ita neq; sapientia est aliud à se ex eo,quod sit idem cum iustitia, & ita cõsiderata solũ róe huius, & illius nequaq; erit alietas,nisi adsit ratio huius & non huius, quæ proprie pertinet ad diuisionẽ oppositam formaliter vnitati, cum enim aliud,& aliud duo inuoluat, nempe duas rationes positiuas,& mutuam negationem vnius ab alia per solas rationes positiuas abstractis negationib. nec est multitudo, nec proprie aliud, & aliud: at in negationibus illis mutuis necessario inuoluitur diuisio rei à se: nam si ipsa est aliud à se, non est ipsa, & consequenter est ipsa, & non ipsa,in quo consistit diuisio à se: atque ita formaliter non est indiuisa per solam negationem identitatis cum ratione positiua alius: sed per negationem diuisionis à se, quæ diuisio est omnino necessaria formaliter, & intrinsece, vt eadem res sit aliud, & aliud.

Deum esse vnum non est per se notum, ostenditur vero primum ex fide diuina, & humana.

Caput VI.

I. EXplicata ratione vnitatis transcẽdentis, restat vt proponatur diuisio ipsius, vt constet vtrum,& qualis vnitas Deo conueniat. Est vero triplex, generica, specifica, indiuidualis, siue numerica, de quibus Alensis 1.p.q 13.m.3.Albert.1.p.tract.6.q. 24. membro 1. & alij. Generica importat indiuisionem naturæ genericæ secundum propriam rationem formalem consideratã genus aliud à se: specifica in diuisionem in plures species,indiuidualis siue numerica in plura numero indiuidua. Verũ vnitas specifica, ac generica non est vnitas simpliciter,quoniam non excludit multitudinem numericam, etenim natura indiuisa in plura genera, vel species, diuidi potest in plura indiuidua. Vnitas vero indiuidualis,est vnitas simpliciter, quoniam excludit omnem prorsus diuisionem in plura,qua de re D.Thom.in 1 dist.24.q.1. ar. 1. & Bonau. dist. 31. ar. 2.q.2.porro vnum numero potest adhuc diuidi bifariam, primo quidem cum D.Thom.3.p.q.3.ar.6.ad primum,& in 3.dist.1.q.2.ar.3. in vnum vnitate naturæ, & vnum vnitate suppositi. Vnum in natura solum negat diuisionem naturæ, contra vero vnum suppositio excludit diuisionem secundum rationes suppositales, quæ duæ vnitates in substantijs creatis naturaliter coniunctæ sunt, de fide autem constat non repugnare, vt separentur,nam in Deo cum vnitate naturæ cohæret trinitas personarum, in verbo autem incarnato dualitas naturarum cum vnitate suppositi.Rursus,vt colligitur ex D.Tho. q.9.de potentia ar.7.vnum singulare diuiditur in vnum, quod proprie est principium numeri, & vnum quod non est principiũ numeri prædicamentalis, sed conuertitur cum ente singulari. Vt vero constet quomodo Deus sit vnus, ostendam in primis vnitatem ipsius autoritate, ac ratione, deinde in particulari explicabo quo genere & gradu sit vnus.

Alensis. *Albertus.* *S.Thom.* *S. Bonau.* *S.Thom.* *S. Thom.*

II. Quamuis,vt ait Magn. Dionysius c.9. de diuinis nominibus, nihil existentium est non participans vno,quia tamen multiplex est acceptio vnius,& non omnes, qui diuinitatem concedunt, vnum Deum esse credunt, hoc superest demonstrandum. Et rationes adductæ in fine primi libri probant quidem esse aliquam primam causam efficiẽtem,ac finalem: sed dicere quis posset in qualibet serie causarum recurrendum ad aliquam primam, verbi gratia in generationibus viuentium ad vnam, in motibus ad aliam,& sic in cæteris.Et ex argumentis primo lib. adductis non constat vtrum sit impossibile, dari plures causarũ series singulas ad propriam causam primã vltimo terminatas. Ideo oportet ostendere id esse impossibile,& consequenter non nisi vnam prorsus esse causam primam rerum omnium, qui est vnus Deus benedictus in sæcula, & explicare quo genere vnitatis sit vnus. Deum esse vnum ijsdem fere fundamentis ostenditur, quibus probatur esse Deum: nempe fide diuina,atque humana,& róe naturali à posteriore: non enim est per se notũ ex terminis, nec à priore demonstrabile, saltem formaliter nobis viatoribus: non.n.habemus euidẽtem

Magn.Dionys.

notitiam

notitiam Deitatis, ex qua tanquam ex definitione vnitas per modum passionis demonstretur: quæ esset demonstratio à priore, vt docet Gulielmus Rubionius in 1. d. 2. quæst. 3. art. 2. conclusione prima. A posteriore vero ex ijsdem principijs colligitur vnitas, ac Deitas, quin etiam loca Scripturæ, quibus habetur Deum ex creaturis agnosci, indicant cognosci vt vnum: vt ille Pauli ad Roman. 1. vbi dicitur Philosophos esse inexcusabiles, quia cũ agnouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: non enim ipsi reprobabuntur eo, quod non coluerint numen aliquod, fuerunt enim falsorum Deorum cultores, vt constat ex eodem cap. sed quoniam non adorauerunt vnicum Deum verum, quem ex creaturis agnouerunt: & ita cum Paulus ibidem dixit: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur,* de vno vero Deo loquebatur. Quod etiam colligitur ex altero ipsius dicto. Actor. 14. *Semetipsum sine testimonio non reliquit*, reciprocum enim *semetipsum*, nonnisi de singularibus dicitur. Itaque ex Scripturis cõstat posse homines ex aspectu, & consideratione mundi aspectabilis in vnius veri Dei agnitionem venire.

III. Verùm, quoniam non omnium est rationes naturales exactè perpendere, in primis ex diuina auctoritate, & humanis testimonijs, deinde naturali discursu à posteriore hoc fidei, & Theologiæ fundamentum stabilietur. In nostra autem fide hoc passim habetur, in lege Moysis Deut. 6. *Audi Israël Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, vnum dicit per oppositionem ad Deos gentium, qui plures simpliciter dicebantur: at Deus Israëlitarum vnus omninò per negationem omnis prorsus diuisionis in plures. Et in Psalm. 85. *tu es Deus solus:* nam dictio exclusiua *solus* addita Verbo *Deus* excludit ab eo omnem pluralitatem sub ratione, ac natura Dei: quamuis autem addi etiam soleat naturis communibus, & tunc non excludat multitudinem saltem indiuiduorum, vt cum dicitur solus homo est capax risus, cùm quo non repugnat vt sint plures homines risus capaces, tamen quando additur termino singulari, excludit prorsus omnem omninò multitudinem, vt cum dicitur solus Dauid interfecit Goliam, omnis alius excluditur à consortio illius facti: pronomen autem *tu* singulare est, & cum dicitur, *tu es Deus solus*, cætera omnia entia excluduntur à reali participatione Deitatis præter singulare illud, cùm quo loquitur Propheta: in nouo testamento idem expressit Paul. 1. ad Timot. 6. *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo*, & 1. ad Corinth. 8. *Nobis autem vnus Deus, & pater ex quo omnia*, hoc ipsum vno ore canit Ecclesia in Symbolo, *Credo in vnum Deum*, nec apud fideles opus est alia probatione. Verùm vt eluceat hoc dogma esse maximè conforme lumini naturali vtendum est ad eiusdem confirmationem testimonio eorum, qui inter cæteros mortales sapientia excelluerunt, quibus inter tam densas ignorantiæ tenebras huius veritatis lumen affulsit, qui cum gentiles fuerint, magnum apud Idolatras auctoritatis pondus habere debent.

IV. Vt autem singula capita auctoritatis alterius à diuina expendam, ab Angelorum testimonio exordiar. Nam dari substantias aliquas immateriales & intellectiuas, omnes admittent cum Platone, Aristotele, & alijs rectè sentientibus Philosophis, & magis, qui dæmonum responsa consulunt: nec negabunt id, quod omnib⁹ ferè historiarum monumentis proditum est, nempè celebre fuisse apud antiquos mortales dæmonum oracula consulere, vt Apollinis Delphis, Iouis, Ammonis in interiore Lybia, non enim credendum est historicos ijs de rebus, quæ suo tempore celebres habebantur, tam apertè mentitos fuisse; at ipsi dæmones vel inuiti vni, & veræ Deitati testimonium præbuerunt, vt ait Magnus Basilius lib. 2. aduersus Eunomium: celebre inprimis est Apollinis oracullum, quod refert Porphyrius lib. 10. ἐυλογίων φυλοσοφίας, & ex ipso Eugubinus lib. 3. de perenni Philosophia cap. 14. rogatus enim dæmon quomodo Deus esset colendus, eum appellat Regem, & patrem omnium, quæ producit, & creat, tum ea, quæ oculis vsurpamus, tum quæ sub aspectum non cadunt, & sola mente percipiuntur, similia ferè respondit idem Apollinis oracullum interroganti, an ipse Deus esset, obscuris sententijs Dei potentiam, immensitatemque commendans: quæ & alia eiusdem generis refert Eugubinus lib. citato, cap. 15. 16. 17. ex Proclo, Porphyrio, Plotino, & Plutarcho in eo libro, qui inscribitur, *cur Pythia desierit oracula fundere metricè*, inter quæ illud refert responsum à dæmone cuidam roganti, an vlla esset sceleris indulgentia ἄπασιν ἀναγκαῖα συγχωρεῖ θεός, Deo tribuens potestatem, & vsum remittendi culpas: ité est oraculum, cuius meminit Iustinus martyr in cohortatione ad Græcos: *solus Chaldæus sapit, & Iudæus apella per se ipsum genitam, regemq; Deumq; colentes*, hoc argumento aduersus Gentes vsus est Iustinus martyr in oratione ad Gentes proferens oracu-

1. ad Tim. 6. 1. ad Cor. 8.

Rubionius.

Ad Rom. 1.

Actor. 14.

Deut. 6.

Psal. 85.

Basil. Porphyrius. Eugubinus. Eugubinus. Proclus. Porphyrius. Plotinus. Plutarchus. Iustinus.

lum, quod appellat hymnum gloriæ diuinæ: similiter etiam Lactantius Firmian. lib. 1. institut. cap. 7. item lib. de ira Dei cap. vltimo, vbi refert insigne testimonium ex oraculo Apollinis Milesij Deum regem, & conditorem omnium confitentis. Hæc mali Angeli vel inuiti, illa beati: *Ego sum Raphael vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Tobiæ 12. & Apoc. 22. *Vide ne feceris conseruus enim tuus sum, Deum adora,* sibi cum Ioanne intercedere agnoscit communem rationem seruitutis sub Deo, qui adorandus sit. Iam vero Sybillæ, quas non solo humano spiritu locutas supra ostendi, nihil aliud quam vnam diuinitatē frequentius inculcant, quarū dicta refert Clemens Alexandr. orat. exhortatoria ad Gentes, & lib. 5. stromatum, & Lactantius lib. 1. instit. cap. 6. Sybilla, cuius, vt ait Iustinus Mart. in cohortatione ad Græcos, tanquam fatidicæ Plato, Aristophanes, & alij meminerunt, sic de Deo canit: *Est Deus ingenitus ter magnus solus & vnus, Omnipotens, nunquam spectabilis, omnia cernens, &c.* multa alia videri possunt in libris Sybillinorū oraculorum, qui habentur in tomo 8. Bibliothecæ sanctorum Patrum initio.

Lactantius. Tobiæ 12. Apoc. 22. Clem. Alex. Lactantius. Iustinus.

V. Sed iam ad homines veniamus: quorum antiquissimi in veritatis indagatione Chaldæi habentur: loquor autem de prophanis: nam Patriarchas, ac Prophetas inter omnes mundi sapientes fuisse primos ostendit Iustinus cohortatione ad Græcos, Theodoretus lib. 2. de curatione Græcarum affectionum, qui est de principijs, Cyrill. lib. 1. contra Iulianum, & Tatianus Assyrius oratione contra Græcos tomo 4. Bibliothecæ: nam saltē ante Abrahamum non fuisse vllos sapientes ex ijs, quos Græciæ, & aliarū gentium historiæ celebrant, certum est. Vt itaque de externis loquar Chaldæi sunt omniū antiquissimi, ex quibus Zoroastes, cuius magiam non aliud, quam diuinorum scientiam vocat Plato in Alcibiade, insignis est Deitatis assertor frequenter vocans Deum creatorem, ac Patrem mundi, vt ex ipsius Theologia refert Psellus vidēdus apud Eugubinū de perenni Philosophia lib. 1. cap. 7. similia ferè ex ijsdem Chaldæis refert Proclus apud eundē Eugubinum cap. 7. & 9. & post Chaldæos sapientes sequuntur Ægyptij: quorum primus, & excellentissimus Mercurius termegistos, quem omnis antiquitas venerata est, quem apud Ægyptios Deum habitum scribit Plato in Phædro, hic ergo adeò in diuinitatis notitia excelluit, vt etiam sanctissimæ triadis assertor fuerit, vt auctor est Suidas, qui ex eo ter maximum dictum putat, quia de Trinitate edidit oracula dicens in Trinitate vnam esse diuinitatem, ipsius testimonia refert Cyrill. Alexandr. lib. 1. contra Iulianum, & alij: de vno Deo testimonium perhibet in Fimandro, item in dialogo, qui inscribitur Asclepius: hunc, & Acmonem vetustimum sapientem testatur Iustinus in Apologia de maiestate diuina vera testimonia edidisse. Post hos sequuti sunt Poëtæ antiqui, quos quia Deo hymnos præcinebant, & diuinarum rerum notitiam fabularum integumentis hominibus proponebant, Theologos appellauit antiquitas: ij vero Deitatis fuēre præcones, ita Sophocles, cuius versus refert Cyrillus, &, Iustinus vbi supra, & lib. de Monarchia Dei. Ita Euripedes, cuius de diuinitate sententias recitat Clemens vbi supra, Iustinus in lib. de monarchia Dei. Ita Phocylides, cuius plura testimonia habentur apud Eugubinum de perenni Philosophia lib. 3. cap. 2. Ita Orpheus, cuius verissimæ de diuinitate sententiæ extant apud Iustinum, Clementem, & Theodoretum vbi supra, Lactantium cap. 5. Cyrillum Alexandrinum lib. 1. aduersus Iulianum, Homerus autem, vt idem Iustinus, & Cyrillus ibidem subdunt, de vera diuinitate etiam meminit, quamuis Lactantius lib. 1. instit. cap. 5. & Theodoretus vbi supra doceant illū penitus mundi opificem ignorasse: aliorum Poëtarum testimonia profert Clemens Alexandrinus, Iustinus lib. de Monarchia Dei, Eugubinus vbi proximè, & Martinus Martini lib. 2. Hypotyposeon, cap. 2. Ad Philophos autem veniamus: qui post Chaldæos, & Ægyptios, post Theologos Poëtas omnium mortalium sapientissimi fuerunt, & iure optimo habentur: quorum de diuinitate mira consensio est, vt videre est apud Lactantium, c. 5. citato, & inprimis Pythagoras Græcæ Philosophiæ princeps, & qui discendi studio, vt auctor est Iustinus vbi supra, Ægyptum peragrauit, præclarum testimonium diuinitatis edidit, vt auctor est Euseb. Cæsariensis lib. 14. de præparat. cap. 6. Iustin. & Cyrill. vbi supra, qui duo illud ad verbum referunt, cuius illud est initium: *Sanè quidem Deus vnus est*, & hunc secuta est omnis schola Pythagorica: nam, cùm tantæ apud suos auctoritatis esset, vt simplex eius assertio pro ratione haberetur, absque dubio ad scholæ successores eadem sententia peruasit, & ita discipulus eius Philolaus auctore Philone Iudæo in lib. de mundi opificio: *Princeps*, inquit, *& dux omnium Deus vnus semper existens, singularis, immotus ipse sui similis, alius ab alijs.*

Zoroastes. Plato. Psellus. Eugubinus. Proclus. Eugubinus. Mercurius. Plato. Suidas. Cyrill. Alex. Acmon. Iustinus. Sophocles. Cyrillus. Iustinus. Euripedes. Clem. Alex. Iustinus. Phocylides. Eugubinus. Orpheus. Iustinus. Clem. Alex. Theodoretus. Lactantius. Cyrillus. Homerus. Iustinus. Cyrillus. Lactantius. Theodoretus. Clem. Alex. Iustinus. Eugubinus. Martinus. Lactantius. Pythagoras. Iustinus. Eusebius. Iustinus. Cyrillus. Philolaus. Philo.

Item

Item Architas Tarentinus eiusdem scholæ Pythagoricæ, seu Italicæ Philosophiæ, vt vocat D. Augustinus. lib. 8. de Ciuitate cap. 2. Architas inquam, auctore Iamblico de secta Pythagoreorum: *Quicunque*, inquit, *posit omnia genera rerum ad vnum, & idem principium resoluere, & rursum componere, & connumerare, is mihi sapientissimus, maximeq; veridicus esse videtur: insuper pulchram speciem reperisse, ex qua posit contemplari Deum.* Qui insuper addit hominem à Deo conditum. Empedocles item, quem Pythagoræ discipulum fuisse ferunt, honorificam Deitatis mentionem facit in ijs versibus, quos Aristot. refert in compendio de mundo, dum ait ab ipso vno omnia promanasse. Quæ doctrina congruit cum dicto Mercurij appellantis vnitatem rerum omnium radicem, ac principium: quem loquendi modum tenuit Xenophanes, vt in lib. quæstionum Academicarum Marcus Tullius affirmat, & Theophrastus, vt ex eodem refert Simplicius in lib. 1. Physicorum: qui dicunt Xenophanem solitum affirmare ipsam vnitatem, atque vniuersitatem esse Deum. Eius auditor Parmenides fuit etiã vnius Dei assertor, vt probat Simplicius in primum Physicorum. Verùm, vt ab Italicis ad Ionios Philosophos gradum faciamus, Thales Milesius vnus è septem Græciæ sapientibus, qui auctore Augustino lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 2. Ionici generis princeps fuit, Deum sæpius appellauit: & Laërtio teste antiquissimum, & ingenitum dixit: &, vt interpretatur Marcus Tullius, designauit nomine mentis, quæ cuncta ex aquis finxisset, vt refert Eugubinus lib. 3. cap. 4. Quare miror D. Augustinum loco citato asseruisse hunc Philosophum, & quosdam eius sectatores nihil ex diuina mente huic operi vniuersi præposuisse: quod quamuis de Anaximandro, & Anaximene dici possit, Thales tamẽ principium efficiens agnouit, quod clarius Anaxagoras quartus à Thalete asseruit, vt loco indicato testatur Augustinus. Idem etiam sensit Archelaus, & Socrates eiusdem disciplinæ hæredes: & de Socrate quidem testatur Arist. lib. 12. Met. text. 49. & Eusebius cap. 6. citato. Ipsius vero discipuli Xenophontis testimonium refert Cyrill. Alexandr. vbi supra; Denique hanc fuisse veteris Philosophiæ sententiam, quã ab antiquis accepit Plato, auctor est Euodorus teste Simplicio in lib. 1. Phys. & præceptor Simplicij Syrianus in lib. Met. Quod etiam notauit Aristoteles vbi supra text. 50. & 51. vbi ait Antiquos tradidisse vniuersam naturã diuinum continere, quamuis cætera fabulis inuoluerint, & variatis sæpè artibus, ac Philosophia semper veterũ de diuinitate opiniones quasi quasdam reliquias saluatas esse, deinde vero concludit: *Paterna itaque, ac priorum opinio intãtum nobis manifesta sit.* Paternam quodammodo traditionem appellans mortalium de Deo opiniones, & lib. de Cœlo vocat antiquos & patrios sermones.

D. August. Iamblicus. Empedocles. Xenophanes. Marcus Tull. Theophrast. Simplicius. Parmenides. Simplicius. Thales Miles. Augustin. Laertius. Eugubinus. Augus. Anaxagoras. Augustinus. Archelaus. Socrates. Arist. Eusebius. Xenophon. Cyrill. Alex. Euodorus. Simplicius. Syrianus. Arist.

VI.

Et hæc quidem testimonia de Deo prodidit Philosophia adhuc rudis. Nam à tempore Platonis, qui fuit auditor Socratis, sicut exculta magis, ita plura, & illustriora edidit. Et inprimis ipse Plato in Timæo rerum omnium diuisionẽ breui complexus dixit aliud esse τὸ ὄν aliud τὸ γινόμενον nempè aliud esse ipsum, quod est, aliud, quod fit, ipsum vero ϕ est, nihil aliud, quam Deum significat: qui hoc se nomine manifestauit Moysi, Exod. 3. interroganti quis es? *Ego sum, qui sum*, & hoc esse nomen Dei etiam apud Philosophos percrebuit, vt videre est apud Plutarchum in commentatione de εἶ apud Delphos: Nam cum in templo Apollinis Delphici inscriptam vidisset vocem illam εἶ nimirum *tu es*, ita fuit interpretatus, vt diceret contineri illa responsione ingredientium ad salutationem Dei dicentis χαῖρε σωτὴρ, cui illi redderent *tu es*, propria, & germana Dei appellatione. Deinde vero idem Plato in Cratylo mentem, siue iustitiam appellat reginam, & rerum omnium creatricem: idem fatetur in Philebo: nam proponens eam quæstionem vtrum machina vniuersi vi quadam temeraria, & irrationali gubernetur, an vero mens quædam, ac sapientia admirabilis cuncta regat, ac disponat, inducit Protarchum respondentem, & posteriorem dicendi modum approbantem. Longum esset singula ex Platone referre, legatur in dialogo de lege, in Critia, in Symposio, in Phædone. Videndus Eugubinus lib. 5. de perenni Philosophia, vbi multa ipsius testimonia de vero numine expendit, sanè eius eius de Deo, ac Theologia dogmata, vt ait D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 5. cæterorum Philosophorum sententijs præponenda sunt. Magistrum Platonem discipuli vnanimi consensu secuti verum Deum, vt ibidem testatur Augustinus, & rerũ auctorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse dixerunt. Cùm vero Plato discendi studio, vt cap. 4. eiusdẽ libri auctor est Augustinus, quaqua versus peregrinatus sit, & ab Ægyptijs, Pithagoreis, & alijs veræ, & antiquæ Philosophiæ arcana didicerit, vox eius, vox antiquitatis censenda est: quam retinue-

Exod. 3. Plutarchus. Eugubinus. Augustin.

runt

Iamblicus. runt eius discipuli Iamblicus, Proclus, Plotinus, Porphyrius, & alij, quorum placita referre non oportet, compertum quippe est in Platonis schola recognosci Deitatem. Videatur Eugubinus lib. 6. à cap. 11.

Proclus. *Plotinus.* *Porphyrius.*

Eugubinus.

VII. Platone posterior Aristoteles ætate nó sapientia, ipse quoque fuit diuinitatis assertor, inprimis enim lib. 1. Phys. referens antiquorum placita de principijs rerũ naturalium quosdam ait dixisse mentem causam fuisse mundi, totiusque ordinis, & hos censet præ cæteris sapuisse, & benè ac contruè eiusmodi causam statuisse, ex qua scilicet motus existat rebus, hoc est causam efficientem. Quid porrò aliud nomine mentis intelligit, quam id, quod antiqui quorũ sententiam refert, & commendat? Et ita Proclus docet ex ipso Arist. Anaxagoram primum vidisse mentem fuisse rerum causam, à qua omnia principium habuerint, 12. vero lib. Met. tandem concludit his verbis: *Dicimus itaq; Deum sempiternum, optimumq; viuens esse: quare vita, & æuum cõtinuum, & æterno Deo inest, hoc enim est Deus,* & moralium ad Eudemum lib. 5. cap. 15. Deum ait nulla re indigere, moralium ad Nicomachum lib. 7. Deum semper vna, ac simplici gaudere voluptate, lib. 10. cap. 8. Dei operationem, ac felicitatem esse operationem contemplatiuam, & ideò sapientes Deo esse charissimos, & lib. 9. cap. 4. Deum habere bonum, quod ipse est. Mitto sexcenta alia, quæ de diuinitate suis libris interserit. Consulatur Eugubinus 4. lib. de perenni Philosophia, quo nihil aliud, quã Aristotelis veram de diuinitate sententiam enucleat. Aristotelem sequuti Peripatetici omnes, & inprimis Theophrastus scholæ eius successor in lib. de generatione animalium asseruit diuinam esse rerum omnium originem, à qua vniuersa sunt, ac promanant, & in lib. Met. scribit primum, ac diuinissimũ velle omnia esse optima, & ipsum esse supra omnem scientiam, & inscrutabile: appellatitẽ diuinũ principium, per quod omnia sunt, ac permanent. Similiter Alexander Aphrodisæus scribens ad Antonium Pium Deum rebus etiam inferioribus prospicere comprobat, sed longũ fuerit Peripateticorum de diuinitate sententias recensere, oẽs prorsus Græci, Arabes, ac Latini Deum esse primã rerum omnium causam cum Arist. recognoscunt. Consentiunt in hac veritate Philosophi stoici, Plutarchus vnius diuinitatis assertior ẽt in multis locis, quæ videri possunt apud Eugubinum lib. 6. cap. 6. 7. 8. & 9. Accedat & alter nobilis stoicus Epictetus nomine, qui inter alia relata ab Eugubino lib. 6. cap. 10. *Monstrant*, inquit, *Philosophi hoc primum dicere oportere, quod Deus sit, & prospiciat vniuersis, & non est, qui latere possit eum, sed nec cogitans quidẽm, ac mente reuoluens.*

Aristot. *Proclus.* *Eugubinus.* *Theophrast.* *Aphrodisæus.* *Plutarchus.* *Eugubinus.* *Epictetus.*

Sed iam tandem ad latinos veniamus, inter quos, tametsi maximè idolatria viguerit, ipsa tamẽ scintilla rationis antiquorum doctrinis adiuta interdum emicabat: ex quo natũ est, vt Virgilius optimus Philosophus Deum singulari numero frequẽter appellarit Æneid. 1. *Dabit Deus his quoq; finem,* & *Æneid. 6. Numero Deus impare gaudet,* & in Georgicis: *Deum namq; ire per omnes terras, tractatusq; maris, cœlumq; profundum. Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum. Quemq; sibi tenues nascentem arcescere vittas,* vnum Deum prædicat, incircunscriptum agnoscit, rerũ omnium causam, vitæ fontem fatetur; At vero Marcus Tullius in lib. de legibus, & de quæstionibus Academicis diuinitatis mentionẽ frequenter facit, vbi semel alludens ad sententiam Antiquorum, qui Deum mentem, siue animam mundi dicebant, quam vim, inquit, animam esse mundi dicunt, eandemque esse mentẽ sapientiamque perfectam, quem Deum appellant. Et lib. 2. de natura Deorum, *& esse præstantẽ aliquã, æternamq; naturam & eam suspiciendã, admirandamq; hominũ generi pulchritudo mundi, ordoq; rerũ cælestium cogit confiteri.* Similia proponit in oratione pro Milone, de Aruspicum responsis, & alibi sæpius. Denique, vt hoc postremum ex ipso adducam in Tusculanis quæstionibus: *Nec vero,* inquit, *Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregataq; ab omni concretione mortali omnia sentiens, & mouens ipsa prædita motu sempiterno.* Iam vero Seneca alterum latinæ Philosophiæ lumen in lib. de beata vita: *In regno,* inquit, *nati sumus, Deo parere libertas est.* In libro vero de prouidentia tã crebra sit ab eo mentio Dei, vt singula recenseri nequeant, illud sufficiat: *hos itaq; Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet, eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat.* Et lib. 1. naturalium quæstionum Deum appellat mentem vniuersi, & mundum illius opus, quod extra, & intra tenet: porrò in Epistolis ad Lucillium innumera continet testimonia Deitatis. Insigne demum testimoniũ est apud Macrobium in somniũ scipionis. *Cæterum,* inquit, *cùm ad summum, & principẽ omniũ Deum, qui apud Græcos τὸ ἀγαθὸν πρῶτον ἀπάντων nuncupatur, tractatus se audet attollere, vel ad mentem, quã Græci νοῦν appellant, originales rerum species, quæ ἰδέαι sunt, continentem, ex somno natã & profectã Deo, cùm de his,*

Virgilius. *Tullius.* *Seneca.* *Macrobius.*

inquam

inquam, loquuntur summo Deo, & mente nihil fabulosum penitus attingunt: sed, si quid de his assignare conantur, quæ non sermonem tantummodo, sed cogitationem quoque humanam superant, ad similitudines, & exempla confugiunt. Hæc Macrobius ingenuè fassus Deum esse, & captum humanæ mentis excedere.

IX. Omitto plures alios insignes Philosophos Græcos, Arabes, ac latinos, qui omnes concordi sententia vnum Deum agnouerunt, & scriptis prodiderunt, ita vt merito dixerit Paulus Orosius lib. 6. historiæ, cap. 1. *De vno Deo vnam pene omnium esse opinionem,* quod, si sapientes maximè sunt digni fide, & præsertim ea de re, cuius notitia longo studio, & commentatione acquiritur, perspicuum manet etiam ex Philosophis, qui Christianam fidem non sunt professi, maiorem, ac meliorem partem vnum Deum agnouisse principem, ac moderatorem rerum omnium, impermistum rebus creatis, & ab operis sui concretione longissimo non spatij, sed naturæ interuallo separatum: quibus proinde maior fides habenda est, quam imperitæ multitudini vitiorum labe infectæ, & ignorantiæ tenebris obcæcatæ. Quin vero etsi paucissimi ex gentibus ad huius principij cognitionem peruenissent, est tanta fidelium sapientium ab initio mundi ad nostra sæcula sibi continuo succedentium auctoritas, vt ea pluris facienda sit, quam gentium omnium consensus: etenim, vt dixi lib. 1. tractat. 7. cap. 12. probitas, & sapientia conciliat auctoritatem, quæ duo in sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & eorum successoribus ita excelluerunt, vt cæteri mortales longo superent interuallo. Probitatis excessum ex eo colligit Augustinus lib. 13. contra Faustum Manichæum, cap. 15. quod religionis nostræ antistites Deo, quem nouerant, non autem fictitijs, & vanis Dijs cultum exhibebant, nec metu mortis, vero cultu, & Deitatis prædicatione deterrebantur. At maior pars gentilium Philosophorum Deum, quem nouerant, timore mortis apertè prædicare non audebant: & quod peius est, idolis sacrificabant, nè ciuium offensionem incurrerent; scientiæ vero præstantia colligi ex eo potest, quod eorum, quæ ad veri Dei cognitionem, & cultum pertinent, nostri nihil ab exteris acceperunt: illi si quid habent boni, ex libris sacris, & antiqua nostrorum doctrina hauserunt: idque vel ex eo constat, quoniam omnes magorum, Poëtarum, & Philosophorum lucubrationes, quæ quidem extent, sunt multo posteriores libris Moysis vt rectè ostendit D. Augustinus in lib. 18. de Ciuitate, cap. 32. Itaque si credendum est senibus, & antiquis, vt ait Aristoteles lib. 6. Ethicor. cap. 10. si bonis, & sapientibus, vt ratio dictat, cùm nulla sapientium turba antiquior, sanctior, & diuinarum rerum cognitione præstantior fuerit, quam multitudo Patrum, & Doctorum veræ religionis à mundi exordio ad hanc nostram ætatem continua successione vnum Deum prædicantium, & colentium, horum sanè auctoritas plus momenti habet ad faciendam fidem, quam infinitus stultorum, & impiorum numerus.

Augustin.

Aristot.

Deum esse vnum est demonstrabile viatoribus, saltem à posteriore.

Caput VII.

I. VNitatem Dei non esse demonstrabilem asseruit Ochamus in centilogio conclusione 2. quodlibet. 1. quæstione prima, quodlibet. 2. quæst. 1. & in 1. dist. 2. quæst. 10. à lit. N. Adamus quæst. vn. art. 2. Bassol. quæst. 3. art. 3. & quidam alius doctor apud Toletan. quæst. vn. art. 3. contra secundam Conclusionem, Guliel. Varro quæst. 1. apud Aquilan. quæst. 1. art. 3. Maior quæst. 1. conclusione 3. Aliacensis quæst. 3. art. 3. à lit. DD. Gabriel. d. 2. quæst. 10. art. 2. conclusione 3. Gaspar Casalius lib. 1. de quadripartita iustitia, capit. 17. & 18. ex doctrina Andreæ de Nouo Castro in 1. d. 2. quæst. 5. ad hoc vero probandum non aliter procedunt, quam soluendo rationes, quæ pro sententia affirmante adduci possunt, maximè eas, quibus Scotus vtitur.

Ocham. *Adam.* *Bassol.* *Varro.* *Maior.* *Aliacensis.* *Gabriel.* *Casalius.* *Nouo Castro.*

II. Opposita sententia est omninò certa, cui fauent testimonia Scripturæ, & Patrum, quibus lib. 1. tractat. vltim. cap. 5. ostendi Deum esse cognoscibilem ex creaturis: nam omnia illa loquuntur de vero Deo, & vno. Ex instituto vero vnitatem Dei demonstrare conantur, Alensis 1. p. quæst. 14. m. 2. & 3. Albertus in summ. tractat. 6. quæst. 29. m. 1. art. 1. Sanctus Thom. 1. quæst. 11. art. 3. & lib. 1. contra Gentes cap. 42. cùm Ferrariens. ibidem, Sanctus Bonauent. in 1. dist. 2. quæst. 1. Ægyd. 1. p. distinctionis quæst. 1. & quæst. 1. de ente, & essentia. Henric. in summ. art. 25. q. 2. & 3. Richard. in 1. dist. 2. art. 1. q. 1. Durand. & Heruæus q. 1. Scotus

Alensis. *Albert.* *S. Thom.* *Ferrariens.* *S. Bonauent.* *Ægyd.* *Henric.* *Richard.* *Durand.* *Heruæus.*

quæst.

Aureol. *Mayronius.* *Toletan.* *Argentin.* *Aquilan.* *Bachon.* *Anton. Andr.* *Marsil.* *Hispalens.*

quæst. 3. Aureolus d. 3. quæst. 1. Mayronius d. 2. quæst. 4. Toletan. quæst. vnica, art. 2. conclusione 2. Argent. q. 1. Aquil. q. 1. art. 3. Bachonus d. 21. q. vnica, Antonius Andr. d. 2. q. 3. Marsilius in 1. q. 5. art. 1. conclusione 4. Hispal. d. 3. q. 3. & alij recentiores. Prima ratio sumitur ex subordinatione causarum secundarum ad primam, quæ in præcedentibus probata est: Nam, vt ex effectis plures causæ primæ asserantur à Philosopho, opus est, vt sint eiusmodi, quæ in vnam referri nequeant: omnia vero, quæ in vniuerso fiunt, optimè reduci possunt in vnam primam causam: nam hæc inferiora pendent à cœlo tanquã à causa vniuersali in suo genere: ergo etiam pendebunt à causa prima, cui subordinatur cœlũ: quidquid enim pendet à causis medijs, pendet à prima, & ideò cum effectus omnes contineantur mundo elementali, & cœlesti, si in vtroque nihil apparet, quod non subordinatur causæ primæ, non erit multitudo causarum primarum, atque adeò neque plures Dij, in natura enim nihil superfluum omninò est: quapropter, si vna tantũ causa prima est sufficiens ad productionem omnium effectuum, nõ est vndè Philosophus possit astruere plures eiusmodi causas, si enim sol creatura corporea, ac circunscripta in suo genere sufficit ad vicissitudinem generationum & corruptionum, & conseruationem viuentium, cùm causæ, quo magis vniuersales eo perfectiores sint, profecto causa sole superior, & prima in ordine causarũ sat erit ad iuuandum, & determinandum causas omnes intermedias ad proprios effectus producendos. Nec homini ratione vtenti restat via, qua plures Deos indagare, aut astruere possit, vt rectè vrget Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 11. 12. & 16. Athanasius oratione contra Idola, S. Edmundus Archiepiscopus Canthuar. in speculo Ecclesiæ, cap. 28. & Ambros. lib. 1. de fide Trinitatis, cap. 2. *Vnum Deum*, inquit, *communis natura testatur, quia vnus est mundus:* At inquiet aliquis impudens, etsi in hoc mundo sit vnus tantum Deus, esse tamen plures mundos pluribus causis primis subordinatos: ita, vt singulæ singulis mundis præsideant, nec in alijs vim vllam, aut causalitatẽ exerceant. Verùm hic concedere saltẽ debet omnes eos, quos miseri gentiles colunt, non esse Deos, sed figmenta: nam ij non colunt numina aliqua, quæ ad hunc mundum nihil pertinere credant, sed à quibus vitam, & beatitudinẽ petunt, & expectant. Deinde, quo fundamento, aut ratione sibi persuadent esse plures alios mundos singulos singulis causis primis subordinatos? Non est profecto vndè id ratio nostra colligat: nõ enim est per se notum, non à priore demonstrabile, non habemus effectus, à quibus id colligere possimus. Itaque sunt hæc mera figmenta somniantium nullo fundamento nixa. Denique illi alij mundi essent nè eiusdẽ rationis cum hoc, an diuersæ? si eiusdem, cur etiam non potuissent ab eadem prima causa produci? si diuersæ, sanè alij alijs perfectiores: & consequenter primæ ipsorum causæ quoad essentiam, & potentiam inæquales: atque adeò aliæ alijs subordinatæ, saltem quoad genus causæ exemplaris: nam primum in vnoquoque genere est mensura, & exemplar cæterorum: imò etiam finalis: nam minus bonum est propter bonũ maius, atque perfectius: quare si primæ illæ causæ sunt quo ad perfectionẽ inæquales, perfectissima omnium erit finis, & exemplar reliquarum: & ideò simpliciter prima, & sola inde pendens, atque adeò vnus solus Deus benedictus in sæcula.

Tertullian. *Athanasius.* *Edmundus.* *Ambros.*

III. Ex eadem suppositione colligitur primam causam esse ens necessarium à se: hoc vero nonnisi vnum esse potest: quare vnus tantummodo Deus. Maior propositio est euidens: nam quod est, & non ab alio, & à quo cætera omnia sunt, debuit saltem natura præcedere ea, quæ ab ipso sunt: aut ergo fuit à casu, aut per se: à casu esse nequit; tum quia ea, quæ sunt per se, priora sunt ijs, quæ sunt per accidens, vt ait Philosophus lib. 11. Met. sum. 3. cap. 2. ea vero quæ sunt à casu, sunt per acidens: tum quia casus, & fortuna, vt docet Philosophus lib. 2. Physic. cap. 6. sunt in ijs, quæ habent causam; & ideò pertinent ad genus causæ efficientis, causa autem prima est expers omninò causæ: nequaquam ergo potuit esse à casu, si fuit per se, & à se non autem à causa extrinseca: ergo ex proprijs, atque intimis essentiæ principijs habet adæquatam rationem essendi, atque adeò est ens necessarium: quæ enim ex principijs essentiæ competunt, necessariò conueniunt. *Aristot.*

IV. Assumptio vero, nempè quod ens necessarium, & à se non possit esse, nisi vnum, multipliciter ostenditur ex doctrina Diui Thomæ lib. 1. contra Gentes, cap. 42. cum Ferrarien. ibidem. Henr. in summ. art. 25. quæst. 3. & Scot. in 1. dist. 2. quæst. 3. in sexta via. Primo, quoniam si ens, cui per se primo competit esse, non sumitur sub indiuisione omnimoda, sed communi: & admittit diuisionem in plura sub eadem ratione formali, ipsum *S. Thom.* *Ferrarien.* *Henric.* *Scotus.*

non

non includet in se formaliter rationes particulares, quibus in plura diuiditur: nec ab ijs vicissim includetur, quandoquidem differentiæ diuidentes, & ratio communis ijs diuisa non se mutuo includunt. Ex hoc autem euidenter sequitur nec eiusmodi rationem communem, neque vllum ex particularibus sub ea contentis debere existere necessario: ergò ratio entis necessarij nō potest esse communis pluribus, sed debet esse omninò indiuisa atque indiuisibilis. Assumptio quo ad priorem partem ostenditur: quoniam id, quod per se primo est ens necessarium, debet continere necessario omnem rationem formalem requisitam ad ipsum esse actuale per se: ens verò commune diuisibile in plura non ita continet: quare repugnat, vt sit ens à se, ac per se primo necessarium. Maior propositio est euidens: nam quod non continet requisita necessario ad aliquam formam, neque illam per se primo continet, quod enim vendicat formam aliquam, quatenus ipsum, siue per se primo præcisis reliquis omnibus in ipso minimè contentis, adhuc illam vendicat ac retinet; quod si non nisi accedente alio illam vendicat, iam non cōuenit illi per se primo, sed coniuncto ex ipso, & eo, cuius accessus exigitur. Assumptio probatur, quoniam omne commune, vt existat necessario, vendicat singularitatem, adeò, vt sit aperta contradictio, existere actu rem vniuersalem per se ipsam: id enim, quod est per aliud, dependet essentialiter ab eo, quod est per se: cuncta verò vniuersalia existunt per singularia: ergò prius natura est horum existentia, & ad vniuersalium existentiam omninò requisita. Nihil autem magis commune atque vniuersale continet actu differentias inferiores: sed est quodammodo in potentia ad ipsas, quare non includit ea, quæ prærequiruntur ad actualem existentiam. At responderi poterit, vt forma conueniat alicui per se primo, non requiri vt includat formaliter in sua essentia omnia ad eam requisita: sed sat esse, vt contineat causaliter: qua ratione vis sentiendi, quatenus proprietas, per se primo conuenit animali: nec tamen proportio primarum qualitatum & structura, ac distinctio organorum sentiendi includuntur formaliter in eius essentia, sed solùm causaliter continentur. At verò ens necessarium, & à se secundùm communem rationem consideratum, licet non contineat formaliter rationes singulas indiuiduorum, continere tamen causaliter eas sibi necessario copulando, quoniam suapte natura existit in omnibus, quæ sub communi illa ratione conueniunt. Hæc tamen responsio commentitia est: nam in cæteris rationibus communibus ex parte ipsarum non est vlla connexio necessaria cum rationibus particularibus: cur ergò in hac erit? Deinde est longè diuersa ratio in exemplo adducto: nam omnia requisita ex parte subiecti ad vim sentiendi, licet non includantur intrinsecè in ratione formali animalis, consequuntur tamē necessario ad illam reciprocè, ita vt cuicunq; conuenit natura animalis, illa conueniant, & vice versa, at in materia præsenti aliter se res habet, non. n. est vlla existentia singularis conuertibilis cum ente necessario communi, sicut est communis ratio complexionis, & organorum animalis propria: & ideò, licet natura entis necessarij copularet sibi necessario plures existentias singulares, ipsa in se nō esset per se primo necessaria. Deinde ratio illa communis, vel copulat sibi necessario differentias singulares & indiuiduas, quibus inferiora differunt supposita ipsarum existentia: ita vt existentiam habeant ipsæ ex se; connexionem verò cum ratione communi ex vi propriæ existentiæ, aut effundit ipsas ex se, vt existant, ita vt effusio terminetur ad existentiam ipsarum. Hoc secundo modo fieri nequit: si fiat priore, existere per se primo non conuenit naturæ communi: nullo igitur modo concedendum est dari rationem aliquam communem, quæ per se primo necessario vendicet existentiam & connexionem cum singularibus. Non posse verò naturam, siue rationem communem effundere ex se existentiam singularium, atque indiuidualium proprietatum constat primo: quoniam res nondum existens non habet vim germinandi ex se alterius existentiam: natura, siue ratio communis in eo priore; quo fingitur antecedere proprietates indiuiduales, nondum existit: quandoquidem caret adhuc connexione cum existentia singulari, sine qua concipi nequit existere: quare fieri nequit, vt parturiat proprietates indiuiduales. Secundo, quoniam, si in eo priore habet aliquam vim, qua illas continet, absque dubio ipsum solum simpliciter est à se: singularia verò constituta ex ipsa, & proprietatibus singularibus nequaquam erunt à se: atque adeò non erit vllum ens singulare, quoad omnem suam entitatem improductum, & expers causæ, sed secundum quoad rationem communem: id verò impossibile esse cap. sequenti ostendam, & ita manet probata prior pars assumptionis.

V. Posterior pars, nempe si esse necessarium conueniat per se primo alicui rationi communi, nullum ex singularibus erit per se necessarium, ostenditur in hunc modum. Nullum ens constitutum ex duabus rationibus, quarum altera non est necessaria, habet necessitatem existendi: in casu verò, de quo nunc loquor, quoduis singulare contentum sub ea ratione communi constaret altera parte non necessaria quoad existentiam: ergò ipsum non esset simpliciter necessarium. Consequentia est perspicua, propositio euidens ex terminis: nam, cùm pars aliqua totius potest non esse, totum quoque habet eandem potentiam, & ideò non est necessarium: pars autem non necessaria aliter intelligi nequit, quàm per potentiam, siue non repugnantiam, vt non sit. Assumptio facilè probatur: nam quidquid necessario est, vel est per se primo, vel ratione alterius; si verò rationi communi per se primo conuenit necessitas, eo modo conuenire nequit proprietatibus singularibus, vt patet ex terminis: nam, quod per se primo competit inferiori, competere nequit superiori sub eadem ratione, & vice versa: non competit ratione alterius: ergò nullo modo. Non competere autem ratione alterius suadetur, quoniam vel ratione alterius competit formaliter, vel causaliter, vel formaliter simul, & causaliter, formaliter dicitur competere, quando id, ratione cuius competit, & id, quod competit, est forma intrinseca pertinens ad essentiam: quomodo homini competit esse sensitiuum non per se primo, sed ratione animalis, cuius forma intrinseca & essentialis homini vendicat per se primo, & intrinsecè rationem sensitiui: causaliter solum competit prædicatum ratione alterius, quando ratio conueniendi & forma conueniens est extra rationem formalem, & conceptum obiectiuum eius, de quo prædicatur, adest tamen necessario vi alicuius causæ, quomodo esse calefactiuum competit igni ratione caloris; formaliter simul & causaliter, quando ratio conueniendi est intrinseca subiecto, forma verò conueniens extrinseca: quomodo risibilitas conuenit Socrati ratione humanitatis. Necessitatem verò existendi nullo ex his modis competere proprietatibus singularibus patet; Nam rationes communes, & proprietates singulares, & quæuis aliæ differentiæ inferiores non se mutuo includunt: & idcircò necessitas existendi non potest competere proprietatibus indiuidualibus ratione naturæ, vel prædicati communis formaliter: quoniam non includunt illud intrinsecè; non formaliter simul & causaliter ob eandem causam, quia desideratur ratio conueniendi per aliud formaliter. Non item causaliter, quoniam ens necessarium ex se nequit vllo modo habere causam, quoniam erit à se, & non erit à se; Verum respondeti potest non requiri veram causalitatem quoad esse in se, sed quoad conuenire alteri: qua ratione homo non est causa, vt sit animal, sed vt conueniat Petro: & ideò, quamuis sit ratio aliqua, cur indiuiduis conueniat necessitas existendi, non propterea ens necessarium à se haberet veram causam. Hæc tamen solutio rem non expedit: nam quidquid alicui conuenit per aliud extrinsecum à ratione formali indiuidui, eius causalitatem exigit, quomodo enim habere poterit absque causalitate id, quod non vendicat ex intimis essentiæ principijs, & consequenter secundùm ea præcisè consideratum est in potentia passiua ad illud, à qua proinde ad actum reduci non poterit aliter, quàm per actiuam. In exemplo verò allato est dispar ratio: nam animal non conuenit Petro causaliter ratione hominis, sed formaliter, homo enim est de ratione intrinseca Petri, & consequenter absque extrinseca causalitate per solam formalem conuenientiam communicat illi gradus omnes sibi intrinsecos: at verò nulla natura communis est intrinseca differentijs inferioribus, aut pertinens ad rationem formalem ipsarum: ideoque, vt illis communicet proprium aliquem effectum formalem, opus est medio aliquo, siue causalitate extrinseca. Respondebit aliquis rationes communes se ipsis immediatè copulari cum differentijs inferioribus: & mutuo hoc nexu communicare sibi inuicem suas rationes formales: quomodo animal, & rationale immediatè copulantur: ita vt rationale conueniat animali per se ipsum immediatè absque interuentu alterius. Et hoc modo rationem communem entis à se necessarij immediatè coniungi cum omnibus, ac singulis rationibus particularibus inferioribus. Ex qua coniunctione & hæ participant ab illa necessitatem, & illa ab his determinatum modum existendi. Sed hæc quoque solutio non est sufficiens: nam aliud est loqui de connexione ad constituendum vnum per se, & mutuam prædicationem secundùm non repugnantiam vnius ad alterum, quomodo naturæ communes cum differentijs diuisis coniunguntur, aliud verò de immediata

diata conuenientia secundùm quod ipsum, seu per se primo, & de connexione quoad existentiam: nam hæc nequaquam reperitur inter rationes communes, ac differentias diuidentes: etenim animal est per se primo sensitiuum, non autem rationale, homo est per se primo rationale, non verò animal; & existentia animalis non necessario inuoluit existentiam rationalis: imò vt sit actu animal rationale, opus est causa producente hunc numero hominem, in quo coniungantur duæ illæ rationes, scilicet animalitas ac rationalitas: & ideò, quamuis admitteretur aliqua natura communis, cui per se primo competeret necessitas existendi, non posset ab ea deriuari necessitas per se absque causa extrinseca ponente in actu existentiam singularem, cui in indiuiduo natura communis copularetur. Et ita repugnat omninò concipere ens necessarium commune, & indeterminatum de se ad plura indiuidua: hoc enim ipso ratio illa abstrahit ab esse singulari ac determinato, sine quo repugnat concipere esse actuale: quam rationem tetigit Diuus Thomas libro primo contra Gentes cap. quadragesimo secundo, dum ait ens per se necessarium habere necessitatem essendi, inquantum est hoc singulare, supponens rationem communem non posse per se primò includere ipsum esse.

D. Thomas.

VI. Ex toto hoc discursu euidenter appareret haudquaquam fieri posse, vt sint plura entia necessaria ex se. Sed dicet aliquis esse plura entia eiusdem naturæ, vnum quidem ex se, reliqua verò ab hoc vno tanquam à principio: nam ratio geniti atque ingeniti non constituit discrimen essentiale: Adamus enim non est genitus ab alio homine, sicut Abel filius eius; & tamen sunt eiusdem naturæ specificæ: quare cùm communicatio suæ naturæ sit perfectio viuentium, adesse quoque debet primo enti, & consequenter erunt plura entia necessaria conuenientia in ratione communi deitatis. Hæc etiam responsio eodem argumento impugnatur: nam secundùm eam dicendum est dari naturam communem, cui per se primo secundùm rationem conueniat essendi necessitas in vno indiuiduo, per id verò cæteris causaliter, quod iam impugnatum est, sed impugnari etiam debet ex proprijs: nam repugnat esse plura singularia sub eadem natura communi in eis diuisa, & vnum ex ijs esse improducibile, alterum producibile, quod hæc responsio admittit. Dixi plura singularia sub eadem natura communi in eis diuisa, ad excludendam obiectionem, quæ poterat occurrere ex diuinis personis, quarum prima est ingenita, duæ aliæ productæ: & nihilominus conueniunt in eadem natura deitatis, quod non repugnat, quia tres personæ non sunt singularia, siue indiuidua contenta sub natura deitatis in ipsis diuisa, non enim in personis diuinis diuiditur, aut multiplicatur essentia, quæ est vna prorsus atque indiuisa in tribus, sed huius explicatio non est huius loci, vbi cum homine infideli agitur secundùm lumen naturale rationis, cui euidens est producibile, ac improducibile non posse conuenire singularibus eiusdem naturæ multiplicatæ in inferioribus: qualia necessario esse deberent ea, de quibus nomen Deus affirmaretur in numero multitudinis. Id verò probatur, namque omnis aptitudo vel repugnantia ad aliquem actum vel passionem prouenit à natura proprij subiecti, quod enim per se conuenit in intimis essentiæ principijs radicari debet: esse autem producibile & improducibile per se, ac necessario conueniunt subiectis, vt patet. Nam si per accidens conuenirent, mutari vtique possent de producibili in non producibile, ac vice versa: ex quo sequitur nec antea fuisse eius rationis, cuius esse dicebantur, in indiuiduis autem conuenientibus in eadem natura specifica nó est ratio determinans naturam per se producibilem ad negationem producibilitatis: ergò fieri nequit, vt indiuidua producibilia sint eiusdem naturæ cum non producibilibus. At dices, naturam secundùm se abstrahere ab aptitudine ac repugnantia, vt producatur, ratione verò indiuiduorum hæc indifferenter vendicare: falsò tamen, nam aptitudo ad productionem passiuam fundatur in potentialitate naturæ, cui non conuenit per se primo esse; at iam probatum est nullam naturam communem per se primo vendicare ipsum esse: ergò habet proprium fundamentum aptitudinis ad productionem passiuam, & proinde secundùm se est producibilis: quare repugnat vt determinetur ad singulare producibile, vel improducibile. Præterea ratio actus puri infert differentiam essentialem ab actu non puro: ens necessarium non productum esset actus purus, quia essentialiter includeret ipsum esse: ens productum non esset actus purus, quoniam quod per essentiam est non indiget productione: & vice versa, quod indiget non est per essentiam: ergò differrent essentialiter, & non sola singularitate. Patet consequentia,

quoniam differentia penes solam rationem indiuidualem in ijs, quæ in cæteris conueniunt, est tantum materialis, nec propriè constituit differentiam essentialem, vt Philosophi loquuntur. Maior propositio patet, quoniam illa differunt essentialiter, quæ differunt actu formali intrinseco, differentia enim essentialis est per formam: sed ratio actus puri est maximè formalis, ab ea autem deficit ratio actus non puri, differunt ergò essentia & natura. Denique quidquid est productum, est etiam propter finem, & consequenter id, quod est efficienter à prima causa, est propter illam, tanquam propter vltimum finem, finis autem vltimus, vt-pote bonum, ac perfectio eius, quod est propter ipsum, est alterius naturæ multo excellentioris, quàm sit res ad eum ordinata: ergò quamuis essent plura entia necessario producta à primo ente necessario ex se, differunt ab eo essentialiter, & essent inferiora quoad perfectionem essentialem: quare non possent habere nomen, ac naturam Dei?

VII. Ex his patet responsio ad rationem dubitandi: nam aliud est esse genitum, & non genitum, aliud generabile & ingenerabile, producibile ac improducibile: genitum quippe, & non genitum per communicationem naturæ distinctæ à natura generantis solum differunt penes accidens, actu enim propria generatione gigni est accidens rei generabilis: quæ licet à causa secunda non nisi per generationem produci queat, à Deo aliter fieri potest: & ideò Adamus non genitus ad instar hominum reliquorum per veram generationem est tantùm à Deo productus: & quia suapte natura generabilis est, & potuit de facto generari, si Deus alium hominem priorem ipso condidisset, idcircò conuenit specie cum alijs hominibus: non conueniret autem, si nullo modo secundùm se capax esset generationis passiuæ, vt reliqui, quoniam aptitudo ad generationem fundatur in natura specifica constituta ex partibus physicis mutuo separabilibus, quarum vna est in potentia ad aliam: ineptitudo verò in natura ex parte partium eius rationis, sicut igitur generabile & ingenerabile, quia non statuunt discrimen accidentale, arguunt distinctionem specificam, ita quoque essentialiter, & non solùm numericè differunt producibile ac improducibile, quæ fundantur in natura distincta penes rationem actus puri & immixti potentialitati, quod non est accidentale discrimen. Ad alteram rationem, quæ eadem responsione inuoluitur, respondetur communicationem naturæ distinctæ realiter non esse perfectionem simpliciter, sed secundùm quid, & ideò ex hac parte non opus esse, vt conueniat enti primo ac necessario. Non est perfectio simpliciter, quoniam supponit potentialitatem in natura, potentialitas verò opponitur rationi actus, in quo est summa perfectio: est autem perfectio secundum quid, quatenus posita potentialitate, corruptibilitate, ac diuisibilitate naturæ perfectio nonnulla est, vt per propriam virtutem & operationem, se ipsam perpetuo conseruet in alijs, atque alijs indiuiduis, quandoquidem in vno non potest: & ideò in substantijs viuentibus materiæ & corruptionis expertibus non est huiusmodi perfectio, quoniam in vno indiuiduo conseruari in perpetuum possunt.

Excluditur à diuinitate communitas analogica, generica, & specifica.

Caput VIII.

DEmonstratum est absolutè Deũ non nisi vnum esse posse. Oportet deinde in particulari excludere singulos modos diuisionis in plura: sunt autem tres nempe analogi in analogata, generis in species, speciei in indiuidua, omnibus autem ferè modis conatus est inimicus homo superseminare zizania super purum granum verbi Dei de vnitate eiusdem; Et- I.
enim Plato, licet sæpè veram de Deo vno sententiam tradiderit, tamen alibi, vel quod sibi à populo pertimuerit, vel quod tunc veritatem penitus ignorarit, vt ait *Plato.*
Theodoretus libr. secundo de principijs multorum Deorum mentionem fecit, *Theodoretus.*
quos vocat secundos deos à primo illo ac supremo conditos, illius beneficio immortalitate donatos, cùm forent suapte natura mortales: ac proinde specificam inter hos & illum distinctionem & solam similitudinem genericam admittat necesse est, mortale enim atque immortale saltem specie differunt. Platonem aliquo modo imitatus est Valentinus, vtpote Platonicus: qui vt referunt Irenæus libr. primo *Valentin.*
aduersus hæreses cap. primo, Tertullianus *Irenæus.*
libr. contra Valentinianos, & Theodo- *Tertullianus.*
retus libr. primo hæretic. fabularum po- *Theodoretus.*

suit

Philastrius. Augustin. Theodoretus. Damascenus. Rabanus. Isidorus.

sunt30. Æonas à primo illo principio produci, quorú Æonũ meminerũt Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus in lib. de hæresibus, Raban. lib. 2. de instit. cleric. cap. vigesimooctauo, Isidorus lib. octauo Etymolog. cap. quinto. Numericam distinctionem cum vnitate specifica introduxerunt, qui sexuum distinctionem & generationem cum distinctione personali in dijs commenti sunt: sexuum enim distinctio ac generatio cõmuniter est inter individua eiusdẽ speciei. Prius autẽ ratione naturali agam contra eos, qui non recipiunt scripturas: deinde verò ex scripturis contra quosdam hæreticos, qui eas non omninò reijciunt. In primis autem dicam de negatione diuisionis secundùm analogiam: ea verè in vniuersùm duplex est, altera per attributionem, altera per proportionabilitatem. Pluralitatem verò secundùm analogiam per attributionem non cadere vllo modo in ens à se manifestum est: nam ea consistit in attributione ad vnam causam essentiæ, vel existentiæ: atque adeò, si sunt plures dij secundùm rationem analogicam, vel omnes habent attributionem ad causam extrinsecam, vel cæteri omnes ad vnum, vel omnes, ac singuli ad principium aliquod ipsis intrinsecum. Primo, vel secundo modo impossibile est, vt ens à se habeat attributionem, siquidem, cùm sit à se, non est ex vlla causa: quod autem causa caret, conuenire nequit in ratione, quæ non aliter sumitur, quàm per attributionem ad causam. Neque item tertio modo, quia nihil dicitur analogicè per attributionem ad causam intrinsecam, hac enim ratione etiam vniuoca dicuntur entia à principijs intrinsecis essentiæ: fieri ergò nequit, vt vnitas analogica per attributionem conueniat deitati.

II. Vt autem ostendatur ens necessarium à se minimè posse habere vnitatem analogicam per proportionem, multa essent tractanda de hoc genere analogiæ: quod quia alienum est à Theologico instituto, pauca supponam communiter recepta in metaphysica. Primum est huiusmodi rationem vnitatis consistere potius in proportionum similitudine, quàm in ipsa substantia: vt patet in oculo, quatenus analogicè dicitur de oculo corporis & mentis, inter quæ est similitudo proportionum, vt constat ex Aristotele libro primo Ethicorum cap. sexto, vbi bonum negans esse vniuocum, & modum æquiuocationis indagans, sic ait: *Nunquid eo, quod ab vno sunt, vel ad vnum omnia conferuntur, an magis secundùm proportionem? nam quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens, & aliud in alio.* Ex quo patet agnoscere analogiam secundùm proportionem in oculo & mente: his verò secundùm rationem visus non est vlla propria ratio, aut natura communis: sed sola proportio similitudinis secundùm propriam cuiusque naturam; secundùm est, licet analoga huius generis interdum conueniant in natura aliqua, quouis modo vna, eam tamen secundùm rationem illam analogicam confusè & imperfectè concipi atque esse. Tertium nullo modo distingui per differentias ab ea formaliter distinctas, quæ eam in suo conceptu formaliter non includant. Quæ conditiones omnes repugnant naturæ entis ex se. Prima quidem, quoniam si quæ conueniunt in communi ratione entis ex se, substantia vtique, & propria ratione essentiæ conueniunt: nam enti ex se non est alia substantia, vel essentia, quàm ipsum esse, ipsa ratio actus puri: atque adeò, si plura in eo conueniunt, in substantiali ratione conueniunt. Secunda quoque manifestè repugnat: nam si sint plura entia ex se, ratio communis essendi necessariò erit perfecta atque completa, cui enim deest aliquid complementi in proprio genere, per se esse nequaquam potest: quare vel non est ens ex se, sed ex alio, vel si ex se est, completum in sua ratione est, & consequenter non analogum per proportionem: nam, quemadmodum ens secundùm rationem communem analogicam, neque est determinatè substantia, neque accidens, ita ens ex se, si sit analogum, non est determinatè hoc aut illud: atque adeò, cùm ad esse actuale necessariò requiratur determinatio, fieri nequit, vt ens ex se concipiatur sub esse analogico confuso, ac determinato.

III. Iam verò enti necessario non tribuendam vnitatem communem vniuocam facilè ostenditur: quoniam omne superius vniuocum secundùm rationem, & naturæ ordinem, prius est aliquid in se, quàm sit in multis: idcircò enim Philosophus libro quinto Met. cap. vndecimo dixit vniuersalia esse priora secundùm rationem, singularia secundùm sensum: ex hoc autem sequitur contineri in virtute alicuius causæ, quod repugnat cum ratione entis à se: ergò id nullo modo est num vnitate communi vniuoca. Maior propositio constat, quoniam aptitudo ad essendum in multis non est aliquid po-

Aristot.

Aristot.

sitiuum essentiale naturæ vniuersali vniuocæ materialiter sumptæ : alioquin competeret necessariò particularibus omnibus sub ea contentis : sed est aliqua negatio , aut relatio consequens gradum naturæ secundùm se spectatæ : ergò gradus eiusmodi, quoad suam rationem formalem est prior omnibus inferioribus. Patet consequentia , quoniam prior est aptitudo quàm actus , ad quem est aptitudo : & consequenter prius est radix aptitudinis , quàm idemmet actus: sed esse in inferioribus est actus respondens aptitudini naturæ communis , vt insit in pluribus: ergò si hæc supponit tanquam fundamentum rationem formalem naturæ , quæ est apta esse in pluribus , profectò ipsa quoque secundùm se est prior ordine naturæ omnibus suis inferioribus. Minor probatur, quoniam ratio, cur gradus, verbi gratia humanitatis, sit aptus diuidi in plura, non est aliunde sumenda , quàm ab ipsa eius natura: nam, sicut ex ratione formali proprietatis indiuidualis sumitur repugnantia diuisionis in plura , ita ex propria ratione gradus communis sumitur aptitudo diuisionis in plura, quibus insit. Quin verò, etsi aliquis contendat ipsam aptitudinem rei vniuersalis, non distingui à natura, siue gradu ipso communi, sed esse modum illius, vt censent aliqui recentiores, de quorum sententia non est modò differendi locus, adhuc stat vis argumenti, nam siue aptitudo sit modus naturæ, siue non repugnantia semper est prior actu , cuius dicitur aptitudo. Ex hoc autem sequi potentiam passiuam respondentem actiuæ , in cuius virtute contineatur, vt dicitur in assumptione principalis syllogismi , ostendo, quoniam natura communis, quatenus prior est suis particularibus , non est actu in omnibus, aut ergò tantùm in vno : aut in nullo , si in nullo, profectò egebit causa extrinseca, qua accipiat esse in ipsis : siquidem id, quod secundùm se , & propriam rationem intrinsecam non habet esse actu , sed tantùm potentia in alio, non potest à se ipso reduci ad actum , & indiget actione principij extrinseci. Sin autem prius natura est in vno, deinde in alijs, hunc ipsum ordinem sortiri debet ex causa extrinseca : nam cùm natura secundùm se exæquo abstrahat ab inferioribus , non est vnde priùs intrinsecè determinetur ad essendum potius in vno , quàm in alio : Quamuis enim inter aliquas eiusdem generis species ratione causalitatis, aliæ sunt priores alijs , vt naturalis potentia habita , tamen inter entia à se non potest esse ratio causalitatis : ex alio verò capite particularia omnia naturæ communis vniuocæ ex æquo conueniunt in ipsa : quare non est cur ea sit prius in vno, quàm in alio: & consequenter natura entis à se si sit communis vniuoca ex principijs proprijs præcisè , non erit sufficienter determinata ad existendum, sed egebit auxilio causæ extrinsecæ determinantis, & conferentis esse. Denique natura communis vniuoca, vt prior suis inferioribus, vel fuit actu, vel non? si fuit: ergò non communis, sed indiuidua, nihil enim commune existit per se : si non fuit actu , aut igitur fuit in potentia, aut non ? si non , ergò est ens impossibile, si in potentia, ergò factibile : quare repugnat omninò ens à se esse commune vnitate vniuoca. Patet consequentia, quoniam natura communis in priore, quo antecedit sua inferiora, concipi nequit, vt ens actu , sed vel concipitur cum abstractione ab actu , ac potentia , vel vt ens in potentia reducendum ad actum existendi per causam extrinsecam: vtrumque verò repugnat cum ratione entis à se.

IV. Sed iam videamus repugnantiam ex vtroque modo vniuersalitatis vniuocæ, nimirum generico, ac specifico. Impugnatur autem inprimis modus vnitatis genericæ ex ratione communi generis: omne quippe genus differentijs oppositis & inæqualibus distinguitur: at ens necessarium ex se diuidi nequit per eiusmodi differentias , quare rationem generis habere nequit. Assumptio ostenditur, primo, quoniam differentiæ oppositæ inducunt in species, quas constituunt , mutuam negationem: ex quo fit, vt species ipsæ non sint actus puri atque perfecti, sed potentialitati & imperfectioni permistæ : hoc autem repugnat speciebus, quæ sunt essentialiter entia ex se : fingi enim nullo modo potest communitas generica in ratione entis necessarij ex se. Sequelam maioris ostendo : nam differentiæ diuidentes ens ex se, debent esse eiusdem generis, quoniam differentiæ per se non transcendunt rationem generis, debent quoque esse perfectiones simpliciter , quoniam habent rationem actus comparatione generis, quod diuidunt, & contrahunt: ipsum verò habet rationem materiæ ac potentiæ : ideoque sunt actualiores & perfectiores genere , vt discurrendo per singula genera , & ipsorum diui-

siones

siones perspicuum fiet: at genus ipsum, hoc est ens necessarium à se, est perfectio simpliciter: ergò etiam differentiæ erunt. Quapropter cum singulæ species careant differentijs specierum contradiuisarum, singulæ species entis à se carebunt pluribus perfectionibus simpliciter, & consequenter non erunt actus puri, neque simpliciter perfectæ. Huic,& alijs eiusmodi argumentis respondet Ochamus in 1.distinctione 2.quæstion.10.lit. N. & quodlib.1.quæstione 1.ad finem & quodlib.2.quæstion.1.& Bassol. articul. citato ad primam rationem, plura entia à se non per alias formalitates superadditas, sed se ipsis conuenire genere, ac distingui specie, ac se ipsis esse primo necesse esse. Quæ responsio destruit omninò rationem generis, ac speciei: nam, si in ijs non est aliqua ratio formalis, in qua conueniant, genus illud non habet rationem vnam in se communicabilem pluribus speciebus, quod omninò requiritur ad propriam rationem generis, hoc enim est vnum aptum esse in pluribus differentibus specie: quare si ab illis pluribus à se non potest abstrahi vna ratio communis in qua conueniant, profecto non habent commune genus, item, si se ipsis sunt primo necesse esse, profecto ratio essendi ex se non conuenit generi illi per se primo, & ratione eius inferioribus: nam quæ per se primo conueniunt indiuiduis, per accidens se habent ad genus, ac speciem. Ideoque hæc duo non possunt simul cohærere, nempè habere commune genus cum differentia specifica, & non habere distinctas rationes formales, quarum vna sit ratio conueniendi, altera differendi:& consequenter hoc modo defendi nequit multiplicitas generica entium à se: Secundo, vt rectè arguit Aureolus in 1.d.3.q. 1.art.1.& Argent.d.2.q.1.conclusione 2.omnis diuisio generis est per differẽtias inæquales quoad perfectionem essentialem: ideoque, quædam significantur per modum priuationis, eæ nimirum, quæ continent imperfectiorem gradum entitatis, sicut irrationale, quod Philosophi accipiunt loco differentiæ constitutiuæ bruti, qua de causa Aristotel. lib. de sensu, & sensib. c. 4. & lib. 10. met. t. 7. ait nigrum esse priuationem albi: repugnat autem plura entia à se, quæ nomine Dei censeantur, esse quoad perfectionem essentialem inæqualia: ergò repugnat ens à se habere rationem generis vniuocam. Maior huius syllogismi nõ videtur euidens, & idcircò Ochamus in 1.distinct.2.quæstion.10.lit.N.in fine, Gabriel quæstion.10.articul. 2. conclusione 2. Bassolis quæstion.3.articul.3. volunt hoc argumentum esse probabile, non demonstratiuum. Nam rationes similitudinis, & æqualitatis sunt diuersæ, & poterit vna esse sine alia, quomodo relationes diuinæ quoad esse relatiuum sunt dissimiles, siue disquiparantiæ, vt vocant, & nihilominus quoad ipsum quoque esse relatiuum sunt æquales: Et eodem modo inquiet aliquis, habere se differentias diuidentes rationem genericam entis à se, ita vt sint essentialiter diuersæ, atque adeò dissimilis naturæ, æquales tamen in ratione entis, siue in virtuali quantitate perfectionis entitatiuæ. Verùm hæc solutio petita ex relationibus diuinis non adhibetur à Philosopho naturali discurrẽte ex lumine rationis, cùm quo nunc disputo, & in naturalibus speciebus substantiarum non est vlla instantia. Deindè, quando similitudo, & æqualitas habent diuersa fundamenta, non se consequuntur necessariò, vt videre est in duobus quoad magnitudinem æqualibus, dissimilibus tamẽ quoad qualitates, quando verò idem est vtriusq; fundamentum, dissimilitudo & inęqualitas se mutuo comitantur: nam, si inter duos est quoad cãdoris participationem dissimilitudo, etiam est inæqualitas, & si est similitudo etiã est æqualitas, at verò ęqualitas, vel inęqualitas quoad quantitatem nõ propriam, sed virtualem, qualis est secundùm perfectionem entitatiuam habet idem omninò fundamentum, cum similitudine, vnde etiam res, quæ sunt minùs inæquales quoad perfectionem substantialem, magis similes appellamus, magis similis secundùm substantiam est equus homini, quã sit lapis: nam, cum similitudo, & inęqualitas nõ sint propriè in substantia, sed in quantitate, & qualitate, quando de substantia dicuntur, fundantur in quantitate, vel qualitate virtuali, hæc autem non est aliud quam ipsa rei essentia, ideoque ea, quę non solùm numero, sed essentia sunt dissimilia, sunt etiam inæqualia secundùm rationem entis: nam, si eadem prorsus mensura à non ente recedunt, quomodo differunt in ratione entis? cum itaque maior illa inductione pateat in creatis, & eadem sit in illis ratio dissimilitudinis, atque inęqualitatis, non est de illa dubitandum propter æqualitatem relationum diuinarum: nam propter identitatem cum essentia etiam redundat æqualitas in relationes, præsertim cum relationes perfectionem sumant à fundamentis. Nam, si ex diuinis, & increatis licet

Gabriel

Bassol.

Ochã.

Bassol.

Aureol. Argent.

Aristo.

Ochã.

argumentum sumere ad creata, etiam contendet aliquis in nobis paris nobilitatis esse intellectum, & voluntatem, scientiam practicam, & speculatiuam, charitatem, & iustitiam, quoniam hæc in Deo sunt æqualia, quæ collectio inanis esset, & ita secundùm lumen naturæ maior illa, *diuisio generis sit per differentias inæquales*, certa omninò esse debet, & vt talis assumitur à Durando in 1.dist.2.quæst.1. numero 5. & 6. & dist.44. quæst.3. Heruæo d.2.quæst. 1. Aureolo citato, Toletano in 1.dist. 2.qu. vnica art.2.conclusione 2. in vltima ratione Argentin. & alijs. Assumptio autem eiusdem syllogismi patet: nam inæqualitas quoad perfectionem essentialem arguit inæqualitatem quoad perfectiones attributales, & operationes potentiarum naturalium: hæ enim, cùm radicentur in ipsa naturæ perfectione, ab ea sumunt mensuram: cum verò inter eas est inæqualitas, potest esse subordinatio vnius speciei ad aliam, tanquam ad causam saltem impeditiuam operationum ad extra, & perfectiuam operationum ad intra, quod omninò repugnat enti à se, & primæ causæ: quare fieri nequit, vt ens à se habeat rationem generis. Posse verò dari huiusmodi subordinationem constat: nam in rebus corporeis, quarum experimentum habemus, quæ pollent maiore vi actiua, agunt vel imprimendo in alias proprios motus, vel eas à suis operationibus extrinsecis impediendo, cur ergò, si ex duabus speciebus entis à se altera est potentior, non poterit vi sua alterius impetum, & actionem ad extra cohibere? Eodemque modo probatur de subordinatione quoad operationes intrinsecas perfectiuas: nam homines eiusdem speciei, qui alios intelligendi vi, aut scientia superant; doctrina sua eorum mentes illustrant, & actus intelligendi perficiunt; similiter ergò, si inter species substantiæ à se aliæ alijs perspicaciores sunt, & plura intelligendo penetrant, aliarum ignorantiam doctrinæ suæ luce depellere poterunt. Quo dato iam in ijs, quæ instruuntur, est potentia passiua ad eiusmodi perfectiones: & consequenter nec actus puri, nec entia à se simpliciter dicendæ sunt: repugnant ergò simul ratio entis à se cum ratione generis.

Durand. Henricus. Aureolus. Toletanus. Argentin.

V. Impugnatur deindè excludendo à ratione entis à se duos modos generales vnitatis genericæ, scilicet, generis summi, ac subalterni, quoniam in primis nequit esse genus summum: nam, cum non sit accidens necessariò pertineret ad prædicamentum substantiæ: non esset autem caput omnium substantiarum, quoniam substantiæ generationi, & corruptioni obnoxiæ non continentur sub ente à se: ergò constitueret aliud prædicamentum substantiæ distinctum, & sic essent duo contra commune placitum Philosophorum, nec fingi possunt differentiæ vllæ generales, quibus ens à se diuidi possit in plures species subalternatas. Non potest etiam esse genus subalternum, hoc enim est simul species subijcibilis, atque adeò conuenit vniuoce cum alijs speciebus contra diuisis in genere aliquo superiore: hoc verò repugnat enti à se, quare habere nequit rationem generis subalterni. Assumptionem probo, conceptus obiectiuus generis non includit in sua ratione formali differentias diuidentes, quæ semper sunt illi extrinsecæ, & ideò ratio illa generica vniuoca enti à se, & enti ex alio, si esset, abstraheret ab esse à se, & ex alio: imò verò secundùm se sumpta non esset ex se: nam de quauis ratione formali, & gradu entitatiuo vniuoco affirmari debet altera pars contradictionis: cùm itaque de ratione illa generica dici non possit esse à se, necessariò dici debet non esse à se, atque adeò non quidquid est intrinsecum conceptui formali entis à se est ens à se: nam ratio illa generis superioris est illi intrinseca, & non à se: quare totum compositum non erit à se, quando enim pars est ab alio, existentia totius dependet ab eo, à cuius potentia actiua dependet pars. Respondebitur rationem communem illam genericam, etsi secundùm principia intrinseca non sit ex se, identicè tamen propter connexionem cum differentia essentiali entis ex se conuenire in eodem modo essendi ex se: nam quemadmodum in ente causabili propter coniunctionem cum eius differentia habet modum essendi ex alio, ita in ente causæ experte habet modum essendi ex se: sicut substantia genus summum secundùm suam rationem intrinsecam non est corporea, aut incorporea: est autem inferioridus pro diuersitate differentiarum, quibus contrahitur. Longè tamen diuersa ratio est vtrobique: nam in alijs prædicatis non importatur dictio determinans ad principia subiecti, cui ascribuntur, sed solùm de illo simpliciter asseruntur, vt cum dicitur substantia est

corpo-

corporea, quo prædicandi modo non indicatur ipsi per se primo competere rationem corporeitatis, sed solùm verè competere: ad quod non requiritur, vt prædicatum insit ex principijs intrinsecis subiecti, sed vt quomodolibet sit idem cum illo saltem subiecto, at esse ex se est prædicatum tribuens subiecto ipsum esse sub modo determinato, hoc est quasi habitum ex principijs intrinsecis, & non aliundè: qui modus non respicit solam identitatem in aliquo tertio, sed rationem intrinsecam, & radicalem habendi esse: ac proindè, licet verum sit dicere substantia est corporea. i. incorporea, tamen falsum est dicere substantia est ex se corporea. i. incorporea: eodem modo, licet genus illud superius enti ex se esset in ipso idem subiecto cum ratione essendi ex se, non tamẽ ipsum esset ex se, quoniam ex suis intimis principijs non vendicat esse.

VI. Denique positio tribuens Deo vnitatem specificam, qualem antiqui idolatræ supponebant, expositam tot libidinibus, ac flagitijs, adeò absurda est, vt ipsa sua indignitate absque alia impugnatione corruat. Quod fusè ostendunt Iustinus in Paræneti ad Græcos, Clemens Alexandrin. oratione exhortatoria ad gentes, Tertullianus Apologetico aduersus Gentes, Athanasius oratione contra idolo, Athenagoras Athenienſis in legatione pro Christianis habetur tomo 9. bibliothecæ sanctorum Patrum, Tatianus Assyrius oratione contra Græcos, Theodoretus citatus, sed quod neque absque his scelerum maculis concipi possit multitudo Deorum sub eadem specie ostenditur in primis, quoniam natura specifica est indeterminata ad existendum potiùs in vno, quam in alio indiuiduo: hæc verò indeterminatio cohærere nequit cum ente à se, atque ex intimis essentiæ principijs determinato ad existendum. Deindè probatur idem ex ratione diuisionis numericæ, quæ causari debet ab extrinseco agente: nam id, quod secundùm se est indiuisum, non à se, sed ab alio diuidi, ac multiplicari debet: natura autem specifica secundùm principia essentiæ considerata indiuisa est, & minimè multiplicata, capax tamen multiplicationis: quare vt actu multiplicetur in indiuiduis, indiget externa causa: hoc verò pugnat cum ratione entis necessarij, & à se, quod nulli superiori causæ subordinatur. Quapropter cum eodem pugnat ratio vnitatis specificæ. Responderi poterit naturam specificam secundùm principia intrinseca, atque formalia non esse actu, sed virtute diuisam, & ideò in posteriore naturæ effundere ex se singulares proprietates, quibus in plura diuiditur: qua ratione homo secundùm principia intrinseca humanæ naturæ non est formaliter risibilis, sed virtute quatenus ridendi potentiam continet causaliter, & in secundo signo naturæ eam cum cæteris proprietatibus germinat. Sed nec instantia, nec solutio est ad rem: etenim humana natura, & quæuis alia proprietates suas non continet solùm materialiter, sed efficienter; Et ratione virtutis actiuæ eas ex se emittit: at naturæ superiores differentias, & proprietates inferiores non continent instar efficientis, sed materiæ, seu potentiæ passiuæ, q. modus cõtinẽdi nõ sat est ad actualem existentiam illarum, nisi accedat agens extrinsecum. Deindè verò, licet admittamus naturam specificã continere in potentia actiua indiuiduales proprietates, opus est ad actualem productionem ipsarum, vt ipsa eas secundùm existentiam præcedat, nihil enim non existens per se, vel suam virtutem agere potest, quomodo igitur existit? num per se seorsim absque vlla differentia indiuidante; at hoc vniuersa Philosophia, & lumen rationis, vt falsum excludit, num coniuncta alicui ex ijs proprietatibus? At neque hoc intelligi potest, de hac enim ipsa interrogabo à quoniam agente producta sit, & naturæ communi coniuncta. Nam, si natura non est per se singularis, sed ad plura indifferens, alterius ope indiget, vt singularis fiat. Præterea coniunctio cum hac potiùs determinata indiuiduali proprietate, quam cum alia estne à casu, an ex necessitate naturæ, ita vt hanc sibi primo vendicet? A casu esse non potest, quoniam necessaria non pendent ex ijs, quæ sunt à casu: quare cum natura illa sit ens necessarium, & à se, pendere non debet à fortuita coniunctione cum hac proprietate indiuiduali. Præterea casus coniunctus est cum actione agentium naturalium, ita vt prius natura sit res aliqua, & eius actio, quam casus, at antè existentiam primi entis à se, ac necessarij non potuit esse res vlla, aut agens naturale, ad cuius actionẽ sequat hic effect° casualis, si verò fuit ex necessitate naturæ: ergò vel causalitate ipsius naturæ specificæ effundẽtis ex se eiusmodi proprietatem, & hoc esse nequit, quia nondũ existit: aut teri° causæ intrinsecę, vel extrinsecę, & hoc minùs, quoniã ens à se nulli alterius actiuitati subditũ est: aut q a natura de se est hęc, &

Iustinus. *Clem. Alex.* *Tertullianus.* *Athanasius.* *Athenagoras.* *Tatianus.* *Theodoretus.*

singu-

singularis, quod etiam destruit rationem effusionis, quod enim à se necessariò est hoc, non effunditur à se, itemq; rationem vnitatis, & multiplicitatis specificę, natura enim in plura multiplicabilis non est de se hæc. Denique, si primo vendicat existentiam in hoc, oportet vt id sit à se tam quo ad naturam specificam, quam quo ad proprietatem indiuidualem, & consequenter vt sit increatum, atq; improducibile: cętera verò, quia ad hoc, vel à natura specifica, vt est in eo, effunduntur, saltem quoad indiuiduales proprietates erũt producibilia: atq; adeò distincta specie, vt iam suprà ostensum est: quare enti à se repugnat vnitas specifica cum multiplicitate numerica.

VII. Restat adhuc vna respõsio: nempè proprietates ipsas indiuiduales singulorum esse à se, atque improductas: & vnamquamque sua existẽtia copulari necessariò naturæ cõmuni determinando eam ad existendum, & ita non contineri virtualiter in illa, neque ab æterna causa produci, sed simul cum natura cõmuni, ex se ipsis in singulis indiuiduis habere esse. Sed enim hæc ipsa responsio destruit suppositionem in qua loquimur. Ex ea enim planè sequitur non dari naturam specificam communem pluribus entibus à se: quandoquidem nulla ratio propria naturæ specificæ conuenit per se primo proprietatibus indiuidualibus, quæ sunt extra propriam rationem formalem speciei, neque illam in suo conceptu formaliter includunt. Ex data autem solutione habetur proprietates indiuiduales singulorum entium à se sub natura specifica contentorum, prout ab ipsa natura distinguuntur, esse à se: ergò ratio entis à se non est communis secundùm vnitatem specificam. Id verò sequi ostẽdo, quoniam id est à se, cp non accipit esse ab alio, neque est ratione alterius, quod à se actu est. Ex responsione verò data proprietates indiuiduales, prout à natura communi distinguuntur, neque sunt ab alio principio extrinseco, neque ratione ipsius naturæ: nam si ratione illius essent, illa vtique prior esset, & haberet ad ipsas modum aliquem principij: quare, cùm simul cum illa esse dicantur, sunt ratione sui, & à se, atq; adeò ratio essendi à se non est specifica.

VIII. Tandem vt argumentatur Durand. in 1. dist. 2. q. 1. numero 8. Scot. qu. 3. in 6. via, Mayronius q. 4. Toletan. q. vnica artic. 2. conclusione 2. in vltima ratione, Argent. quæst. 1. conclusione 1. si natura diuina non habet nisi vnitatem specificam, planè erunt numero infiniti Dij, species enim, quæ multiplicationis est capax, non habet vllum terminum multiplicationis, cur enim potius erit status in vno numero finito, quam in altero, & cur natura creata erit capax infinitæ multiplicationis indiuiduorum, & non diuina? quare, si diuina multitudinem numericam admittat, perfectius est, vt sine termino potius quam cum illo eam recipiat: quod si illius capax est, erunt de facto infiniti Dij: nam, cum Deus sit ens necessarium, quodcunque indiuiduorum deitatis erit necessarium; & consequenter, si sub specie deitatis, quam fingunt, dari possunt infinita indiuidua, iam modo dantur, quandoquidem in necessarijs esse, ac posse idem est. Quo argumento vtitur Prudentius in Hamartigenia his versibus: Prudentius.

Si duo sunt igitur, cur non sunt multa Deorum
Millia? cur numero deitas cõtenta gemello est?
An non in populos dispersa iu numina Diuum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis passim nullo discrimine monstris?

Infinitatem verò Deorum nec ratio agnoscit, nec mens capit, nec natura patitur, neque ordo rerum admittit. Etenim mens non potest in infinitis rationem primi adinuenire: nec natura id, quod magnitudine, ac perfectione infinitum, & ambitu suo omnia continet, diuidi patitur in infinitum, nec ordo constare vllus potest, vbi cum pari potestate multarum fuerit diuersitas voluntatum, & quod vnus facere vult, alter voluerit impedire, quid enim si in eodem mundi spatio singuli ipsorum vno, eodemque momento velint singulos creare mundos, ita vt alij velint esse noctem, quando alij diem constituunt, alij hyemem, quando alij æstas placet; alij ventos, ac pluuias, quando alij sudum, ac serenum tempus exoptant? esset profecto aut nouum chaos, aut noua aliqua Theomachia, vtrumque Deo indignum. At non cadet in eorum animos hæc dissentio; hoc verò libere fingitur: nam cur idem omnes necessariò volent, si liberi sunt, & nullus est regula cæterorum? maximè si quod posita distinctione naturæ fieri potest, singuli ignorent, quid cæteri concupiscant. Hac ratione sumpta à perfectione, & ordine monarchiæ vtitur Lactantius lib. 1. institut. cap. 3. Cyprianus lib. de idolorum vanitate, Athanasius oratione contra idola post medium, Damascenus lib. 1. de fide cap. 5. & Sanctus Thomas 1. par. q. 103. art. 3. & lib. 1. contra Gent.

Durand. Scot. Mæyron. Toletan. Argentin.

Lactantius. Cyprian. Athanas. Damascen. S. Thomas.

cap.

cap.42. Restat ergò, vt natura diuina sit indiuisa prorsus, atque indiuisibilis, vna numero perfectionem omnem essendi complectens. Quæ conclusio ex partium enumeratione deducitur: nam causa prima est ens aliquod vnum, non vnitate analogica, generica, ac specifica, vt probatum est: ergò numerica.

Non sunt plures Dij sibi contrarij.

CAPVT IX.

I. QVoniam plures Deos non gentiles solùm, qui sacræ Scripturæ authoritatem non recipiunt, sed etiam hæretici aliqui asseruerunt, postquam rationibus naturalibus aduersus illos demonstrata est omnimoda vnitas deitatis, ex scripturis, ac ratione idem contra hæreticos probandum. Omisso autem Valentino, qui plures æonas, ac demiurgos statuit, quem superiùs cum gentilibus refutaui. Alij hæresiarchæ fuerunt, qui plures Deos sibi inuicem contrarios asserebant. Porrò contrarietas substantiarum, quæ sumitur ex oppositis operationibus, carumque principijs, duplex esse solet, alia naturalis, alia moralis: prima per conflictum qualitatum oppositarum in mutuam contrariorum perniciem vergit, qualis inter aquam & ignem intercedit, quæ duo elementa actione frigoris & caloris se inuicem carpunt, & extinguunt. Secunda per voluntatum contrarietatem salua substantia, in dictis, factis, eorumque motiuis dissentionem nutrit animorum. Vtroque modo Manichæus posuit duo prima rerum principia sibi opposita, bonum scilicet, & malum: & hûc quidem deum tenebrarum corporeæ, visibilisque authorem creaturæ, illum verò Deum lucis incorporeæ, atque inuisibilis conditorem appellauit: inter quos perpetuum bellum in mutuam saltem partialem perniciem substantiæ commentus est. Posteriore modo duos Deos contrarios esse docuit Cerdon, vt refert Irenæus lib.1.cap.28. Eusebius lib.4. histor.cap.10. & Epiphanius hæresi 41. & post ipsum Marcion, vt refert Irenæus lib.citato cap. 29. Tertullianus lib. 1. aduersus. Marc. cap.6. & Epiphanius, atque Eusebius citati, duos enim Deos agnoscunt alterum noui, alterum veteris testamenti authorem: ita vt hic sit iustus, hoc est amans vindictæ, punitor scelerum, ille bonus, hoc est mitis, misericors, & facilè indulgens: quam distinctionem Deorum ex quam tenui, vel potius nullo fundamento eruerint piget referre, cùm in ipsa meridiana luce tenebras offenderint: Sed nihil mirum, quoniam *ebrijs, ac lippientibus singularis lucerna numerosa est*, vt ait Tertullianus lib. citato cap. 2. Manichæus igitur, cùm videret mala esse in mũdo, nec existimaret fieri posse, vt Deus bonus eorum author esset, intulit esse dandum principium aliquod malum, quod esset à se ipso, & à quo cætera mala forent: vt indicat Augustinus lib.2. de moribus Manich. cap.2. Marcion verò ferè ex simili fundamento in fraudem inductus est: nam legens in veteri testamento plurima mala pœnæ tribui Deo authori vindictæ, qui proindè à propheta dicitur Psalm.93. *Deus vltionum Dominus*, & Exod.20. vindicare peccata Patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem, in nouo autem nihil huiusmodi Deo tribui, sed misericordiam, ac mansuetudinem, ob quam causam ab Apostolo Paulo, secundæ ad Cor.1. dicitur, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, cum autem intelligeret quod non potest arbor mala bonos fructus facere, nec bona malos, & quod ex fructibus arbor agnoscitur, vtriusque testamenti diuersum authorem Deum finxit, vt Tertullianus vbi suprà cap.2. docet: qua in re etiam Manichæi consenserunt, vt notat Augustinus de moribus Ecclesiæ Cathol.cap.10.

Augustinus. *Psal.93.* *Exod.20.* *2. ad Cor.1.*

II. Vtraque hæresis stulta, & insana est: nec vllo fundamento nititur, non enim illud habet in scripturis, aut creaturis, non in creaturis: ex his enim, vt iam ostendi, vna solùm causa, vnum principium rerum colligitur, quod si hæc inferiora Deus ille tenebrarum condidit, vt aiebat Manichæus, sanè Deum lucis non habet vndè inuestiget, nec enim ratio naturalis habet, vndè ad inuisibilium notitiam perueniat, quam ex visibilibus, hæc autem ducunt in agnitionem boni, ac summi Dei, quem omnes adorare, & colere tenemur, de quo loquitur Paulus ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, ac diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Iam verò Marcion, cùm Deo vtriusque testamenti tribuat superioritatem in homines, vnum sanè, nam eundem esse concedat necesse est: nam, si Deus scriptura veteri celebratus mũdum eluuione deleuit, infames Ciuitates cum

Ad Rom.1.

ciuibus

Valentin. *Manichæus.* *Cerdon. Irenæus. Eusebius. Epiphanius. Marcion. Irenæus. Tertullianus. Epiphanius. Eusebius. Tertullianus.*

ciuibus igne cælesti consumpsit, Pharaonem, & exercitum eius demersit in mare, & pleraque alia id generis exempla iustitiæ punitiuæ edidit, illi profecto cœlum, terra, & vniuersa creatura subiecta est: atque adeò non relinquitur vlli alteri vis dominandi in creaturas: scimus autem Deum noui testamenti in easdem dominatum habere: ergò non alter ab illo, sed idem prorsus est. Parere autem Deo noui testamenti creaturas patet ex infinitis Christi miraculis suprà vim, ordinemque causarum naturalium factis: quomodo enim ægris sanitatem, cæcis visum, mortuis vitā solo imperio redderet, nisi illi mors, vita, & omnis creatura subderetur? quomodo imperaret ventis, ac mari, nisi eius imperiū recognoscerent? quomodo compelleret dæmonas ab obsessis corporibus exire, nisi vim cogendi haberet? Itaque si ijdem effectus nequeunt in plures causas primas reduci, si vna causarum series, & concathenatio non nisi ab vno principio pendet, vnus & idem est veteris ac noui testamenti Deus, creator cœli ac terræ, visibilium omnium, atque inuisibilium.

III. Sed planius ex scripturis vterque error conuincitur: & in primis insania Manichæorum, quoniam Paulus non alium Deum quam bonum prædicabat, & tamen Actor. 17. testatur ipsum cœli, terræque conditorem, ac Dominum, *Deus* inquiens, *qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ, cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat*, de eodem loquebatur Christus Matth. 6. cum dixit: *si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit*, authorem plantarum prædicans, & auium cum dixit: *nonne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex ijs non est in obliuione coram Deo*, denique idemmet dicitur Geneſ. 1. fecisse lucem, eamque à tenebris diuisisse, & appellasse lucem diem, tenebras verò noctem: at diuisio seu dispositio, & nominis impositio verum indicant dominatum, vt tradunt authores in illud Geneſ. 2. *vt videret quod vocaret ea*, & D. Basilius homilia, quod Deus non sit author mali ex hoc sumit argumentum ad probandum non esse duos Deos alterum boni, alterum mali authorem, *qui dicit* inquiens, *Ego facio lucem, & præparo tenebras, creationis authorem sese per hæc, non mali alicuius conditorem significat. Ne ergò existimes aliam lucem, aliam tenebrarum causam esse: se ipsum dixit eorum quæ contraria inter se videntur, secundùm creationem factorem, & opificem esse.* Error autem Marcionis apertissimis etiam conuincitur testimonijs sacrarum

Matth. 6. Geneſ. 1. Geneſ. 2. Basilius.

litterarum, in prim. Pauli ad Hebr. 1. *multifariam, multisq; modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*, idem qui loquebatur in prophetis, & non alius locutus est in filio, idem qui loquebatur Patribus, adest factus caro post Patriarchas, & Prophetas in terris visus, & cum hominibus conuersatus. Denique Deus noui testamenti est Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, idem verò est Deus veteris testamenti, quem Iudæi Deum suum esse gloriabantur dicentes: *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus*, vt constat ex verbis Christi Domini Ioan. 8. *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus noster est*, constat ergò ex fide vtrumque esse vtriusque testamenti Deum. ad Hebr. 1. Ioan. 8.

IV. Sed quoniam scripturæ solùm fidem faciunt fidelibus, ex lumine rationis contra vtrumque errorem disputandum est. Pro quo supponendum in primis est, quid Dei nomine intelligat, vt enim rectè Tertullianus lib. 1. aduersus Marcion. cap. 3. *Deum vt sciás vnum esse debere, quære, quid sit Deus, & non aliter inuenies, quantum humana conditio de Deo definire potest, id definitio, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse, magnum, in æternitate cōstitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.* Priora duo tangit Augustin. lib. 2. de moribus Manich. c. 1. *Quod semper eodem modo sese habet, quod omni modo sui simile est, quod nulla ex parte corrūpi, ac mutari potest, quod non subiacet tempori, quod aliter nunc se habere, quam habebat antea, non potest, id enim est, quod esse verissimè dicitur: subest enim huic verbo manentis in se, atque incommutabiliter sese habentis, naturæ significatio: hanc nihil aliud, quam Deum possumus dicere.* Et Tertullianus vbi suprà, *Deum summum esse, magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine*, quæ est quædā circumscriptio entis necessarij, & æterni. Vbi etiam subdit *Deum summum, magnum, & ratione, & vi, & potestate*: nam summum forma idem est, atque essentia infinitum, summum ratione idem ac sapientia, summum vi, & potestate, indicat infinitam potentiam. Quæ omnia ex ratione primæ causæ deducuntur, quæ cum non ex alia, sed à se ipsa sit, debet esse sufficiens existendi ratio: quare non erit, si contingens sit: nam hoc cum sit indifferens ad vtrumque indiget principio extrinseco, quo determinetur ad esse, & ita ratio contingentiæ repugnat causæ primæ. Quod si est ens absolutè necessarium, æternum quoque esse debet: siquidem nec desinere potest, cùm sit necessarium, nec incipere, quoniam tunc ab alio quā à se acciperet existentiam, debet etiam esse

Tertullian. Augustin.

infini-

infinita quo ad essentiam, quoniam aliter clauderetur certis limitibus, nec posset esse exemplaris causa rerum omnium possibilium, infinita quoad bonitatem, quoniam est rerum omniũ finis vltimus, qui satiat, atq; explet appetitũ omnis omninò creaturæ: nam, si sit finitæ bonitatis, tot bona possunt ex altera parte cumulari, vt bonitatem illius exæquent, aut etiam superent: & consequenter nõ minùs ac illa expleant appetitum rationalem, quo dato iam bonũ finitum non necessariò appetetur, & proindè nõ erit finis vltimus rerum omnium. *Augustinus.* Hoc argumẽto vtitur Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ ca. 11. Deniq; summe potens, ac sapiens esse debet, ne in suis operibus, vel ignoratione erret, vel ex imbecillitate deficiat.

Hoc posito iam patet malum illum Deum oppositum bono nec esse, nec intelligi posse, quoniam summæ essentiæ contrarium nihil omninò est: esse enim non habet contrarium nisi non esse: & proindè Deo nulla est natura contraria, vt arguit Augustin. *Augustin.* citato libro 2. de moribus Manichæ. cap. 1. Non igitur Deus ille malus est ens, quoniam malum defectus entis est: Quod si ens fingatur esse, non poterit esse ens à se, malum enim, vtpotè non existens per se, sed in subiecto, posterius est bonitate subiecti, quo nititur, & ita ex se non habet sufficiens existendi fundamentum, nec sine bonõ incipere, & conseruari potest, vt rectè Basil. homil. 9. *Basilius.* *Quod Deus non est autor malorum post medium, nõ enim subsistit,* inquit, *velut animal, iniquitas, neque ipsius essentiam enypostaton statuere possumus: nam malum boni priuatio est, oculus creatus est, cæcitas ex oculorũ perditione prouenit: ex quo, nisi oculus corruptibilis fuisset naturæ, nunquam cæcitas successum habuisset: sic & malum in propria subsistentia non est, sed in animæ læsionibus gignitur, non enim ingenitum est, vt impiorum est opinio, par conditione bonæ naturæ malum ponẽtium,* si malum itaque non subsistit per se, necessariò supponit bonum, cuius existentia fulciatur: non inest autem summo bono, quod est prorsus incapax mali: ergò sequitur ad bona alia inferiora, quæ à bono ad malum, & ab hoc ad illud mutuo traducuntur, & ita cum inferiora bona non sint simpliciter necessaria, nulla est radix necessitatis mali, si verò Deus ille malus necessarius non est, æternus quoque, aut immutabilis non erit, sed corruptioni obnoxius: Non etiam erit infinitus: non in primis in genere boni, quia tunc iam non esset malus: non potest autem dari infinitum in genere mali: nam quemadmodum infinitum bonum excludit omne malum, ita quoque infinitum malum excludit omne bonum, vbi autem nullum est omninò bonum, nulla est entitas, omne enim ens bonum est: restat ergò, vt Deus ille malus non sit ens, sed chimæra Manichæi. Quod si quoad substantiam infinitus non est, nec quo ad bonitatem, nec quo ad sapientiam, nec quo ad potestatem erit: nõ enim rami vim, succumque radicis excedunt: quod verò summe bonus minimè sit ipsi concedunt, qui malum vocant, & oppositum summo bono, quod si non bonus, neque Deus, vt arguit Basilius citatus. Deus igitur ille Manichæi non solùm non Deus, sed nihil omninò est: quia Deus, si non bonus est, non est: dignus enim creditur non esse, quodcunque non ita fuerit, vt esse debebit. Hæresim Manichæi impugnant Athanasius oratione contra idola, post principium: Nyssenus lib. contra Manichæos cuius fragmenta habentur tomo 3. bibliothecæ sanctorum Patrum Gulielmus Parisiensis primæ partis de vniuerso p. 1. à ca. 2. ad 10. Alensis 1. p. q. 14. m. 3. & 2. p. q. 1. m. 2. art. 1. Albert. in sum. tract. 6. q. 29. m. 2. in 2. particula, & in 1. d. 2. art. 21. Henricus in sum. ar. 25. q. 2. à solutione ad 3. & Argentinas in 1. d. 2. q. 1.

Basilius. *Athanasius.* *Nyssenus.* *Guliel. Paris.* *Alensis.* *Albert.* *Henric.* *Argentin.*

VI.

Hæc verò non ita militant contra Marcionẽ, nisi quatenus ab alterutro Deo perfectionem virtutis excludit. Nam vel ita fingit duos illos Deos quo ad iustitiam, & misericordiam oppositos, vt Deum legis scriptæ neget esse misericordem, & Deum Euangelij iustum: vel ita, vt Deus Euangelij ad miserendum, Deus verò legis scriptæ ad puniendum magis procliuem se ostenderit, si in priore sensu loquatur, rationi, ac scripturæ repugnat. Rationi, quoniam vtrumque Deum imperfectum credit vnum iustitiæ, alterum misericordiæ exortem: at iustitia sola sine misericordiæ societate in hominibus etiam crudelitas appellatur: misericordia verò sine iustitiæ temperamento remissio: cum itaque vtraque sit perfectio simpliciter, vtraq; in summa rerum causa, atque principio reperiri debet. Et idcircò, vt rectè notat Tertullianus lib. 1. citato cap. 2. & 3. Marcion duos astruens deos vtrumque negauit: primum, quem fateri cogebatur, de malo infamando destruit: alterum de sola, ac pura benignitate commendans iustitię finxit expertem. Quo argumento etiam vtitur Irenęus lib. 3. aduersus hæreses cap. 42. Lactantius libro integro de ira Dei, & Origen. in calce dialogi primi, & initio secundi contra Marcionistas. Repugnat etiam scripturæ:

Tertullianus. *Irenæus.* *Lactantius.* *Origenes.*

nam vt infra dicam, Deus in vtroq; testamento iustus, ac misericors prædicatur. Si verò secundo modo intelligatur fundamentum Marcionis, non benè ex eo colligitur distinctio deorum: namque vnus, & idem pro diuersis temporibus potest plures, vel maiores diuersarum virtutum effectus ostendere, vt re ipsa Deus præstitit iuxta sapientiam suam: nam, vt ait D. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 7. *habet potestas illa iustissima miris, & incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi seruientium, quas creauit, & seueritatem vindicandi, & clementiam liberandi*: nam cur Deo non conueniat hæc pro temporum opportunitate varietas, si in hominibus commendabilis est? laudatur enim Numer. 12. mansuetudo Moysis, & tamen Exod. 32. zelus quoque eius commendatur, quo idolloatrarũ millia interemit. Idem cernere est in Dauide, & pluribus alijs sanctis viris. Ne verò à puris hominibus solùm argumentum capiamus, ipsemet Christus, qui in vita mitẽ se, atque humilem ostendit, in vltimo iudicij magni die, *veniet in nubib. cœli, cùm virtute multa, & maiestate Matth. 24. & arguet in æquitate pro mansuetis terræ*, Isaiæ 11. & dicet his qui à sinistris eius sunt *discedite à me maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. quo nullus maior iustitię effectus in toto testamẽto veteri reperitur, sicut igitur non est alius Christus, qui mortuus est propter nimiam charitatẽ, ac misericordiam suam, & qui in fine sæculi veniet iudicare viuos, & mortuos, ita ex eo, quod Deus in veteri lege maiora punitionis exempla ediderit, in noua autem misericordiæ thesauros effuderit, non proinde erit alter Deus. Præterea in vtroque testamento Deus prædicatur iustus, ac misericors: in vtroq; vtriusque virtutis exempla ostendit: vel ergò etiam in vtroque testamento sunt duo alij, quod nec verum est, nec à Marcione conceditur, vel vnus, & idem vtrobique prædicatur. Longum esset omnia opera misericordiæ Dei erga homines in veteri lege numerare, sanè ea contemplans Dauid dixit Psal. 144. *Misericordiæ eius super omnia opera eius*; *Deus misericors*, inquit Moyses, Exod. 34. *& clemens patiens, et multæ miserationis*, & loquebatur de Deo veteris legis, de quo Dauid Psal. 111. *misericors* inquit, *& miserator, & iustus*, misericordiam cum iustitia copulans. Deum verò autorem noui testamẽti iustum, & punitorem neget, qui Apocalypsim Ioannis non legit, & plagas in ea descriptas, iudicium meretricis magnæ Babylonis, & qui non audit Paulum ad Roman. 2. *tu autem secundum duritiem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in diem iræ, & iudicij magni Dei, qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua*. itaque cum vtrobique iustus, ac misericors prædicetur, non alius, sed idem omninò Deus est. Marcionis impugnationem fusius prosequitur Tertullianus lib. contra eundem. Irenæus lib. 2. c. 3. & 10. & toto ferè lib. 3. & Chrysost. hom. 16. in cap. 5. Matthæi.

Augustinus. Num. 12. Exod. 32. Matth. 24. Isaiæ 11. Matth. 25. Psal. 144. Exod. 34. Psal. 111. ad Rom. 2. Tertullian. Irenæus. Chrysostom.

VII.

Porrò autẽ fundamentum Manichæi, vel falsum, vel inane est: nam de malis culpæ, quæ in mundo sunt, nõ opus est, vt tribuantur Deo, vt alicui causæ primæ, à qua cæteræ in operando dependent, sufficit enim defectibilitas creaturæ non habentis determinatam voluntatem ad bonum, & ita nec Deus, nec vlla creatura est necessariò mala, aut prima causa mali, cui omnes, qui male agunt subordinentur in peccando. Non Deus, quia nemo est author eius, quod odit, atque execratur: *Deo autem odio sunt impius, atque impietas eius*. Sapient. 14. & ex Ioan. cap. 8. habemus non Deum, sed diabolum, quem creaturam esse fides docet, esse Patrem, hoc est authorem mendacij. Non creatura, quoniam non est mala nisi ex propria actione, atque adeò prius debet esse bona, per naturam, quam mala praue operando, & sicut ipsa sine alterius mali principij concursu potuit esse mala, ita quæuis alia potest, & quamuis nunc ratione prauæ suggestionis, & mali exempli dicantur impij ex patre diabolo esse, Ioan. 8. non repugnat tamen dari culpam in homine, cuius ipse solus causa sit: quando nimirum absque alterius suggestione, & exemplo ex propria malitia delinquit. Hoc argumentum fusè tractat Diuus Augustinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 4. & 5. Quod si de malo pœnæ sermo sit, tametsi non fit à Deo ex primaria intentione voluntate antecedente, vt probat latè D. Basilius in homilia citata quoniã Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione virorum, Sapient. 1. tamen si posita culpa ex zelo iustitiæ infert mala pœnæ: quod non repugnat bonitati diuinæ, cùm sit virtutis opus, & ita neque ex hoc capite requiritur alius Deus præter Deum nostrum.

Sapient. 14. Ioan. 8. Augustinus. Basilius. Sapient. 1.

VIII.

Ex quo etiam principio fundamentum Marcionis corruit: nam punitio, quamuis sit malum puniti, non tamen punientis: alioqui Christus Dominus, quem ille Deum bonum testamenti noui appellat, ineptè laudaretur ex eo, quod cum iustitia iudicet, ac pugnet: item quod iudicabit de meretrice magna: vt habetur Apocal. 19. & rem indignam Deo postula-

Apocal. 19.

rent

rent sancti Martyres, cùm illum orant in patria, vt suum sanguinem vindicet, vt dicitur Apocal. 6. itaque Deus testamenti veteris nõ propterea malus censeri debet, quia intulit malum pœnæ, non enim actus iustitiæ est fructus malus, sed optimus, atque pulcherrimus: & proinde Deus idem veteris, ac noui testamenti bona est arbor vitæ, ac virtutis ex eadem radice iustitiæ, ac misericordiæ fructus germinans: *quoniã misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur*, repetit sanctus Rex Psal. 114. cõtra cuius testimonium blasphemare audet Marcion, & contra sexcenta alia, quibus Deo veteris testamenti non minus misericordia, quem iustitia tribuitur, sicut & in nouo Christi iustitia commendatur, quare cum non solùm in hoc, sed in cæteris omnibus tanta sit vtriusque paginæ consensio, vt ne vel in minimo quidem iota repugnent, planum restat eundem esse Deum, qui multifariam, multisq; modis olim locutus est Patribus in Prophetis, & nouissimè in filio suo Iesu Christo, qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula. Quo argumento vtitur Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cõtra Manichæos, quod adductis plurimis vtriusq; instrumenti testimonijs fusè prosequitur, atque confirmat, atque adeò ex dictis constat vnum esse Deum, quẽ mundi machina prædicat, ratio suadet, Philosophia docet, vtriusque testamenti pagina commendat.

Apocal. 6. Psal. 114. Augustinus.

Deus est vnus per se vnitate singulari, ac numerica.

Caput X.

I. IN superioribus reieci à Deo omnem prorsus multitudinem sub eodem nomine, ac ratione. Nunc explicandus est prius modus vnitatis diuinæ. Non est verò vnitas per accidens, primo quoniam, cùm omne per accidens supponat id, quod est per se, si Deus esset vnus per accidens daretur aliud ens per se prius ipso, quod est contra rationem primæ causæ. Secundo quoniam alioquin erũt simpliciter plures Dij, vel Deus constituetur in. infece ex ente creato, quorum vtrumque est absurdum: primum quia contra fidem: secundum quia ens creatum est dependens, potentiale, corruptibile: atque adeò si est de intrinseca ratione Dei, ipse quoque erit corruptibilis, quod abhorret omninò à natura entis primi à se, ac necessarij. Sequi verò alterutrum illorum patet: nam vnum per accidens coalescit ex pluribus entibus per se completis in sua ratione essentiali: quare, si Deus est vnum per accidens constat ex pluribus per se: aut ergò singula vendicant sibi nomen, ac naturam Dei, & ita erunt simpliciter plures Dij, aut inter ipsa est aliquod ens creatum, & ita Deus constitueretur intrinsece ex ente creato.

II. Non esse verò vnitatem Dei genericam, vel specificam probatum est superiùs hoc ipso tractatu, & constat ex sacris literis toties inculcantibus vnitatem Dei. Porrò, vt notat Diuus Bonauentura in 1. distinct. 31. articul. 2. quæstion. 2. nomen simpliciter dictum stat pro potiore significato: & ideò, quando simpliciter alicui enti additur terminus *vnus*, indicat vnitatem simpliciter, quam numericam, siue indiuiduam appellamus. Nec verò intelligenda est vnitas Dei singularis ad modum, quo homo est singularis in quouis indiuiduo naturæ humanæ, hæc enim vnitas cõpetit ipsi, per accidens, per se verò specifica: Deo verò conuenit per se vnitas singularis, quoniam secundùm propriam naturam est incapax omnis omninò diuisionis, sicut est Petrus, Paulus, & quoduis aliud indiuiduum sub natura specifica constitutum. Nec verò huic veritati obstat, quod vnitas importare videtur determinationem, ac limitationem, quæ repugnat enti infinito, qualis est Deus: vt enim rectè respondet Henric. in summ. art. 31. quæst. 1. duplex est limitatio, altera secundùm rationem quantitatis discretæ, altera secũdùm rationem continuæ, siue propriæ, siue virtualis, atque Metaphoricæ, qua ratione perfectio cuiusque rei potest dici quantitas ipsius, vt dicam in tract. de perfectione Dei, limitatio secundùm rationem quantitatis continuæ sonat imperfectionem: nam, qui habent terminum perfectionis in genere sapientiæ, aut cuiusuis alterius perfectionis simpliciter, non carent imperfectione, & hæc limitatio longè abest à natura diuina: limitatio verò secundùm rationem quantitatis discretæ non est imperfectio, imò perfectio: negat enim diuisionem, pluralitatem, & similes imperfectiones, quæ accidunt rei numerabili: & solùm dicit certam, & singularem rationem essendi, & ideò ex hac parte non repugnat Deum esse vnum.

S. Bonauent. Henricus.

III. Nunc restat videndum quomodo sit vnus vnitate indiuiduali, & numerica: constat verò in primis non esse vnum numero vnitate suppositi, vt in materia de Trinitate ostenditur. An verò sit propriè vnum

vnitate naturæ indiuiduali transcendentali dubitari potest: Negarunt aliqui antiqui, quorum meminit Diuus Thomas qu. 9. de potentia art. 7. existimantes non esse discrimen inter vnum, quod est principium numeri, & quod conuertitur cum ente: atque adeò omnem vnitatem numericam addere aliquod esse accidentale suprà substantiam, quæ denominatur vna: cum verò Deo nihil accidentale conueniat, inferebant non esse propriè vnum, sed dici ita metaphoricè ad remouendam multitudinem à natura diuina, quemadmodum propriè sumptum, dicitur de creatura ad remouendam multitudinem discretam. *S. Thomas.*

Eandem sententiam ex alio fundamento tuetur Iandunus lib. 4. Met. qu. 4. ad primam rationem tertiæ cõclusionis asserens vnum dici æquiuocè de Deo, quia in illum non cadit priuatio, quæ sapit imperfectionem: vnitas verò propriè dicta est priuatio: quare vnitas diuina sumitur ab aliqua ratione positiua, idque probatur quoniam vnitas dicitur in abstracto de Deo, vt constat ex Philosophis, & Patribus referendis cap. vltim. numero 6. nulla verò priuatio dicitur in abstracto de ente positiuo. *Iandunus.*

IV. Dico primum, Deus est propriè vnus vnitate indiuiduali transcendẽtali. Hęc asseritur expresse à Diuo Thoma q. 9. de potentia art. 7. & in 1. distinct. 24. quæst. 1. ar. 1. Bonauent. art. 1. quæst. 1. Durand. quæst. 1. numero 6. Heruæo quæst. vnica. § *Quantum ad secundum*, Bassol. quæst. vnica art. 2. Gregorio qu. prima artic. 1. conclusione 4 Marsilio quæst. 27. art. 1. ad finem conclusione prima, & artic. 3. ad secundùm dubium, & communiter ab alijs recipitur. Fundamentum est: quoniam vnum, quod conuertitur cum ente, non est accidens superadditum substantiæ rei, quæ dicitur vna, sed solùm addit indiuisionem ipsius: hæc verò non minùs conuenit Deo, quam cuiuis alij enti: ergò est vnus vnitate propria transcendente. Secundo id, quod est primum, & quasi mensura reliquorum, non metaphoricè, sed propriè vendicat formã, secundùm quam est mensura: vnitas verò diuina est prima, & maxima omnium vnitatum, & mensura ipsarum, vt patet apud Auerroem lib. 10. Metaphysicæ: com. 7. ergò non metaphoricè, sed propriè est, ac dicitur vnitas. Tertio ad propriam rationem alicuius prædicati, non requiritur conuenientia vniuoca in forma, sed sufficit analogica secundùm proportionem: vnitas verò diuina, & creata saltem conueniunt analogice, vtraque enim consistit in negatione diuisionis à se: atque adeò, quemadmodum natura diuina, & creata in ratione entis conueniunt analogicè, ita indiuisio vtriusque à se conueniet analogicè: & consequenter vnitas in indiuisione consistens propriè conueniet Deo secundùm rationem analogicam. *S. Bonauent. Durand. Heruæus. Bassol. Gregorius. Marsil. Auerroes.*

Fundamenta oppositæ sententiæ facilè dissoluuntur: primum quidem negando simpliciter, cùm communi sententia Philosophorum, & Theologorum numerum prędicamentalem constitui ex quauis vnitate, censent enim componi solùm ex vnitatibus materialibus quantitatiuis: & ita illum à transcendente distinguunt; sed quidquid sit dicendum de essentia numeri prędicamẽtalis, hoc certum omninò est transcendentem præter priuationem non exigere rationem positiuam accidentalem distinctam à substantia rei, quæ dicitur vna, vt docet D. Thomas q. 9. de potentia ar. 7. ad tertium, ideoq; ex hoc capite nõ excluditur Deus à propria ratiõe vnius. Ad fundamentum Ianduni respondetur cum D. Thoma q. 9. de potentia art. 7. ad 11. vnitatem non esse priuationem propriè dictã, quæ supponit in subiecto aptitudinem ad formam negatam, sed esse priuationem lato modo, vt dictum est cap. 3. numero 3. & idcircò non opus est, vt vnitas in Deo consistat in sola ratione positiua, sed consistit etiam in indiuisione sui à se: Ad aliã confirmationem respondeo, cùm priuationes simul inuoluant fundamenta, ratione ipsorum dici nónunquam de Deo in abstracto, qua ratione etiam Deus interdum dicitur ipsa simplicitas, ipsa infinitas: quæ duo, vt docet communis sententia Theologorum, negationem significant: in rigore verò si attendatur formale significatum non est ita loquendum. V. *S. Thom.*

An verò vnitas numerica, quæ est principium numeri saltem transcendentalis, simpliciter Deo conueniat, maiori cum fundamento dubitari potest. Negant simpliciter Bonauentura in 1. dist. 24. art. 1. q. 1. & lib. 1. compendij Theologicæ veritatis cap. 2. quod habetur in appendice opuscolorum, Henricus in summa artic. 29. q. 7. in fine corporis, Richard. in 1. dist. 24. ar. 1. q. 1. Aureolus q. vnica art. 4. propositione 1. Scotus q. vnica. Bassolis. q. vnica art. 2. Huic sententiæ patrocinari videntur nonnulli Patres negantes Deum esse vnum numero. Ita Ruffinus in expositione symboli super illa verba, *(in vnum Deum) Hoc modo*, inquiens, *intelligendum est, vnum non numero dici, sed vniuersitate, verbi gratia si quis dicit vnum hominem, aut vnum equum, hic vnum pro numero posuit: potest enim & alius homo esse, & tertius,* VI. *S. Bonauent. Henricus. Richard. Aureol. Scot. Bassol. Ruffinus.*

tius, vel equus: vbi autem secundus, vel tertius non potest iungi, vnus si dicatur, non numeri, sed vniuersitatis est nomen, id est, qui propter ea vnus dicatur, quod alius non sit, Ambrosius lib. 8. in Lucam in id cap. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus, Deus,* inquit, *vnus est, non vnus est numero, ita & Dei filius quasi vnicus exceptus est, non quasi vnus ex multis etiam vnigenitus est, non vnus ex genitis,* & Angelomus in lib. 1. Regum, *vnus* inquit, *appellatur Deus nō de numero,* & Glossa ordinaria in id 1. Regum 1. *Fuit vir vnus, vnus, inquit, dicitur Deus, non numero, sed quia nunquam mutatur.* Varia sunt fundamenta, propter quæ scholastici citati hanc sententiam secuti sunt. Bonauent. in d. 19. 2. p. distinctionis q. 4. & Basiol. vbi suprà ita sentiūt: quoniam vnitas numeralis siue transcendens, siue de genere quantitatis addita alteri vnitati, semper facit aliquid maius, & perfectius, quam vna solùm vnitas: at verò, si Deus connumeretur creaturæ, cōiunctio ex ipso, & creatura non est quid perfectius solo Deo, Richard. autē, Henr. Scot. & Ægid. in 1. d. 24. q. 1. ad quartū, probant idem quoniā Deus nō numeratur cū creatura sub aliquo communi vniuoco, vnde propriè loquendo hæc propositio est falsa, Deus & lapis sunt duo; denique Aureol. quoniam rationem formalis vnitatis sentit esse expressam clausionem alicuius indiuisi in sua indiuisione, nihil verò quod est indistinctū in Deo potest à mente præcisè concludi in sua indistinctione: quoniam cum Deus concipitur, ita intelligitur indistinctus, vt actu sit trinus, de conceptu enim Dei est trinitas actualis. Probari etiam potest, quoniam vnitas numerica addit suprà terminum, cui additur, aliquid positiuum re, vel ratione distinctum: in Deo verò nil essentiale est re, vel ratione distinctum à completa, & adæquata forma deitatis: ergò non conuenit illi vnitas. Maior propositio patet inductione: nam, cum dicitur Socrates est vnus homo. Bucephalus est vnus equus, terminus vnus, appositus terminis illis communibus, homo, & equus, addit differentias indiuiduales, quibus Socrates constituitur in esse huius hominis, & Buccephalus in esse huius equi, & sic in cæteris: in Deo autem præter adæquatam rationem essentiæ, quam nomine, Deus, significare intendimus, nihil prorsus positiuum est re, vel ratione distinctum, à quo vnus dici queat: nam quidquid Deo competit, aut essentiale, aut notionale est: notionalia non dant vnitatem, essentialia clauduntur intimè in ratione Deitatis: quapropter nihil huic aduenire intelligitur, quo constituatur in ratione vnius. Deniq; impossibile est Deum connumerari alijs: nam, si connumeraretur maximè sub nomine entis, quod repugnat: non enim id, quod est per essentiam, connumeratur ijs, quæ sunt per similitudinem: vt videre est in homine vero, ac picto: non enim Alexander connumeratur sub ratione hominis cum sua statua: Deus autem vt constat ex superioribus, est ens per essentiam, creaturæ secundùm similitudinem, ac participationem: ergò nequit adnumerari ijs sub nomine, ac ratione entis.

VII.

Dico secundum, Deus non dicitur propriè vnus numero iuxta receptiorem acceptionem numeri: dicitur tamen, si numerus extendatur ad transcendentem. Prior pars est Diui Thomæ 1. part. quæst. 11. art. 3. ad secundum, in 1. dist. 24. qu. 1. art. 1. ad primum & q. 9. de potentia art. 7. Ægid. in 1. dist. 24. 1. part. distinctionis quæst. 1. ad primum, & secundum, & quæst. 2. Durand. quæst. 1. Argentinatis qu. vnica art. 4. Capreol. quæst. vnica artic. 2. Hispalens. quæst. vnica art. 1. conclusione 2. art. 3. notabil. 2. & artic. 4. ad argumenta contra secundam conclusionem, Henric. in summa art. 25. q. 1. ad tertium. Et facilè constat ex vsu vocabuli: numerus enim apud Philosophos propriè accipitur pro multitudine discreta, quæ constat vnitatibus quantitatiuis, vt patet ex Philosopho in prædicam. cap. de Quantit. qui numerum recensēt inter species quantitatis, & facit obiectum arithmeticæ: quæ licet abstrahat à materia sensibili, non tamen ab intelligibili, ex quo perspicuum est numerum prædicamentalem, siue propriè dictum de mente ipsius non nisi ex vnitatibus materialibus coalescere, atq; adeò non posse dici propriè Deum esse vnum numero. Confirmatur authoritate Sancti Basilij Epistola 14. quę est Apologia ad Cęsarianos circa principium: *Non est,* inquit, *Deus vnus numero,* & infrà rationem subdit: *est namque numerus corporalis, naturæ,* neque obstat quod ibi dicat Angelum esse vnum numero, in ea enim fuit sententia, vt existimaret Angelos fuisse corporeos, vt refert Ioannes Episcopus Thessalonicensis in 7. synodo actione 5. vndè immeritò ab aliquibus recentioribus trahitur in oppositam sententiam, ex eo, quod homil. quod *Deus non est author malorum,* circa medium diuidat creaturam in corporalem, & spiritualem: ibi enim tantum diuidit in intellectiuam, vel intelligibilem, & corporalem: at in intellectiua ibi includit naturam humanam, quam manifestum est non esse spiritualem. Posterior

Ambrosius. *Angelomus.* *Glossa ordinar.* *S. Bonauent. Basiol.* *Richard. Henric. Scotus. Ægid.* *Aureolus.* *S. Thom.* *Ægid.* *Durand.* *Argentin.* *Capreol.* *Hispalens.* *Henric.* *Aristot.* *Basilius.* *Ioan. Thessal.*

Alensis. Mayron. Gregorius. Marsil. Hispalens.

sterior pars est Alens.1.part. quæstion.13. membro 3. ad finem Mayronij quæst.4. prologi,§. *Tertium fundamentum*, Gregorij in dist.24.quæst.1.articul.2. conclusione 4.& Marsilij quæst.27.art.1.ad finem conclusione3. & est de mente Hispalens. vbi suprà,concedit enim numerum transcendentem in alijs entibus à quantitate.Est verò manifesta: nam ex omni vnitate multiplicata potest coalescere multitudo, & ideò,si Deo proprie cõuenit vnitas transcendens,potest cum alijs eiusdem generis vnitatibus constituere multitudinẽ transcendentem : nam omnis entitas comparata entitati, ab eaque diuisa multitudinem constituit : vbi verò multitudo conceditur,numerus etiam concedi potest, omnis quippè multitudo potest suis vnitatibus numerari. Idque constat ex scripturis, vsu Ecclesiæ, Patrum, & scholasticorum: nam personas diuinas simpliciter appellant tres,naturas,& voluntates Christi duas,trinitas verò,ac dualitas non nisi numerando concipiuntur.Denique quotiescunque sub aliquo nomine, ac ratione res vna diuiditur, ac secernitur ab alia,ita vt in vtraque sit vera negatio vnius de altera, ibi est vera diuisio, & connumeratio vnius cum altera, & vera ratio numeri transcendentis:at sub nomine, ac ratione entis verè secernitur Deus à creatura, & Deus non est idem ens,quod illa: quare,cùm per intellectum creatura Deo additur,verè fit numerus transcendens.

VIII. Vt verò explicetur mens Patrum negantium Deum esse vnum numero, obseruandum est aliquid appellari vnum numero duobus modis : nempè vel simpliciter, & absque addito, quomodo dicitur, Socrates est vnus numero : vel sub determinata forma, qua ratione idem Socrates dicitur vnus numero homo. Inter quæ, hoc est discrimen, quod priore modo non requiritur vlla determinata forma, vel ratio,sub qua res habeat vnitatem: sed sufficit ratio communis entis: nam de quocunque ente singulari sub actuali indiuisione in plura verè dicitur, quod sit vnum numero. Posteriore verò modo opus est, vt sit vnum numero sub forma eius prædicati, cui additur terminus ille, *vnus numero*, verbi gratia si dicitur, Socrates est vnus numero homo, sensus est ipsum habere vnitatem numericam sub ratione hominis; eodemq; modo cum dicitur Gabriel est vnus numero Angelus, designatur vnitas numerica sub natura Angelica: hæc verò dari nequit,si natura, vel ratio est intrinsece indiuidualis, & non multiplicabilis in plura, & consequenter non numerabilis : qua de causa ineptè dicitur hic est vnus numero Socrates : nam Socrates non recipit numerum, & consequenter ipsius natura est singularis vnius numero hominis, non verò per alias vnitates numerabilis : aptè verò dicitur vnus numero homo, angelus, equus, & sic de cæteris prædicatis communibus. Hoc posito apparet non incongruè dici, Deus est vnus numero absque addito, quoniam saltem sub ente numerari potest cum alijs, at non aptè dicitur Trinitas est vnus numero Deus, ita vt terminus ille (vnus numero) determinet Deum ad vnitatem numericam, quasi secundùm se illa careat: & hoc modo Patres negarunt Deum esse vnum numero intelligentes non esse vnum de numero plurium contentorum sub nomine, ac ratione Deitatis, quomodo Socrates est vnus numero homo, quia naturam humanam suaptè natura multiplicabilem ipse sub indiuisione numerica participat : Deus autem longè aliter diuinam naturam habet indiuisam scilicet ex se, & nullo modo in plura multiplicabilem, cuius totam perfectionem vnica ratione adæquata concludit. Qua de causa à Ruffino vbi suprà dicitur vnus vniuersitate, hoc est tali vnitate, quæ sola contineat totam amplitudinem naturæ diuinæ : quod post Ruffinum D. Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 7. explicat similitudine solis, qui est vnus non numero, nec enim cum alijs eiusdem naturæ connumerari potest: sed vniuersitate, quia in ipso solo natura solis reperitur : qua ratione Petrus, aut Paulus non sunt vnus homo. Quæ similitudo multò meliùs rem declarat posita sententia Philosophi existimantis eiusmodi res necessarias, & æternas non esse multiplicabiles : nam, sicut secundum hanc sententiam sol ita est vnus, vt plures esse nequeant sub eadem natura, ita Deus perfectè, & adæquatè habet totam naturam deitatis, & ideò non nisi vnitate vniuersitatis vnus est. Quia tamen nihil creatum est omninò simile Deo, deficit hæc similitudo: quoniam ipsa natura solis de se ad vnum solùm indiuiduum determinata concipi adhuc potest sub ratione communi abstracta à conditionibus indiuidualibus : natura verò diuina hoc modo concipi nequit, quoniam se ipsa est singularis, neque distingui in ea potest ratio communis.

Ruffinus. Bernard.

Ad

IX.

Ambrosius.

Ad hunc modum intelligendi sunt Patres, quando negant Deum esse vnum numero, vt patet ex verbis Ambrosij, nam cùm dixisset Deum esse vnum, non verò vnum numero subdit, *ita & Dei filius quasi vnicus exceptus est, non quasi vnus ex multis, & vnigenitus est, non vnus ex genitis*, quemadmodum ita filius dicitur vnigenitus, non quia sit vnus ex multis genitis, sed quia est indiuisus in ratione geniti, ita est vnus Deus, quia indiuisus in ratione deitatis, non quia vnus ex numero plurium, qui sint Dij. Verùm quoniam gentiles multos Deos nominant, & ex modo loquendi nomen *Deus* propter hominum abusum non videtur determinatum ad singularitatem, idcirco ad tollendam ambiguitatem scriptura, & Ecclesia addunt illi terminum *vnus*, ad ostendendam singularem ipsius vnitatem: quæ additio minimè necessaria esset, si rem significatam perciperemus, nam terminis significantibus res singulares non addimus terminum, *vnus*, quoniam ipsi per se indicant singularitatem, & vnitatem, & ita non dicimus vnus Socrates, aut vnus Plato, nisi quando idem significat quod solus, communibus tamen addimus terminum, *vnus*, cùm volumus designare certum indiuiduum, vt ita determinatè accipiantur, quomodo dicit Ennius: *Vnus homo nobis cunctando restituit rem.* Indicare volens certum ac singularem hominem, nempe Fabium, & cap. 14. Iudith. dixit Vagao Eunuchus: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Designans nempe Iudith, ita propriè loquendo, quia Deus est terminus omninò singularis, si singularitas eius nota esset omnibus, non oporteret addere terminū, *vnus*, sed suapte significatione indicaret nobis vnitatem Dei, quemadmodum quia solem vnum omnes agnoscimus, cùm de ipso loquimur, non addimus terminos designantes vnitatem, quia audito solis nomine solem hunc singularem concipimus; & hoc modo frequenter loquitur scriptura, vt vel in ipso eius principio Genes. 1. ac 2. videre est: *In principio*, inquit Moyses, *fecit Deus cælum & terram*, & infra, *dixit quoq; Deus*, quæ verba frequenter repetit, satis indicans loqui se de natura singulari, cui actiones, locutionesque tribuit: nam alioquin inepta, confusa, & obscura esset narratio: si quis enim ita suam historiam exordiretur: initio anni homo sumpsit insignia Regis, & cæt. ineptus omninò esset, & nihil significaret: nam, cùm sint multi homines, & ex modo loquendi non constet, de quonam sermo habeatur, totus historiæ contextus vanus esset, & fides eius incerta, quæ vitia nequaquam sunt admittenda in sacris literis. Et ideò Moyses congruenter admodum locutus est, quandoquidem vsurpans terminum singularem per se non debuit addere terminos designantes singularitatem. Addiderim terminum, *vnus*, maximè quando additur nominibus singularibus idem significare ac terminus *solus*, & hac ratione propriè termino, *Deus*, additur, vnus, quod Diuus Ambrosius lib. de institutione Virginis cap. 10. probat ex pluribus locis scripturæ, maximè ex illo Ecclesiast. 4. *Est vnus, & non est secundus.* Denique vnum numero dupliciter accipi potest positiuè ac negatiuè, positiuè est vnum numero, quod habet vnitatem connumerabilem alijs, qua ratione Socrates est vnus numero homo: negatiuè verò id, quod est quidem vnum in se secundùm aliquam formam, sub qua connumerari nequit alijs, & ideò dicitur vnus numero, non quasi sit vnus ex aliquo numero, sed quia in se ipso caret numero, quomodo sol est vnus numero sol. Priore modo non est dicendus vnus numero, *Deus*, sed posteriore, quoniam ita secundùm formam Dei est vnus, vt sub ea nulli omninò rei connumerari queat.

Ambrosius.

Eccles. 4.

X.

Ad argumentum Bonauent. & Bassolis dicendum vnitatem numeralem additam alteri non necessario constituere maius intensiuè, & secundùm perfectionem, sed solùm extensiuè, quo pacto Deus & creatura sunt plura extensiuè, quàm solus Deus, vt explicabo in tractatu de perfectione diuina. Ad argumentum Richardi, & aliorum neganda est consequentia: namque ad vnitatem numericam non requiritur conuenientia in aliquo vniuoco, sed sat est, vt sint plura ab inuicem diuisa sub vna ratione analogica, vt ipsemet Richardus vbi supra tandem concedit: nam, cùm vnitas transcendens sit passio entis, quod analogum est, non debet ad ipsam exigi omnimoda conuenientia eorum, quæ dicuntur plura, sub ratione, quæ est fundamentum ipsius vnitatis. Ad fundamentum Aureoli explicandum opus esset expendere id, quod supponit, nimirum personas diuinas esse de intrinseca ratione, & conceptu deitatis, quod in materia de Trinitate explicari solet, & sententia negatiua est admodum probabilis, quàm qui tenuerit, facilè eludet argumentum negando suppositionem: sed, vt hoc sponte illi demus, adhuc eo supposito argumentum

Richard.

non concludit: namq; ad vnitatem numericã sat est expressa, & omnimoda clausio in sua indiuisione secũdùm eam rationem, secundùm quam res dicitur vna numericè: namque ea sola exclusio ab indiuisione dissoluit vnitatem numericam, quæ admittit diuisionem eiusdemmet rationis, secũdùm quam res dicitur vna numero, quamuis admittat diuisionem secũdùm alias rationes: quo pacto vnitas specifica transcendens nõ dissoluitur, etiamsi adsit diuisio numerica. Etenim humana natura diuisa actu per plura indiuidua adhuc est vna specie, quoniam clauditur in sua indiuisione secũdùm rationem specificam. At verò, etsi demus naturam diuinã includere intrinsecè personas diuinas, quæ secundùm rationem personalitatis sunt diuisæ abinuicem, ipsa tamen omninò clauditur in sua indiuisione sub ratione naturæ, quæ non multiplicatur in personis, sed omninò indiuisa cõmunicatur: & ita cum Trinitate personarũ manet vnitas numerica naturæ, si quis dicat exemplum vnitatis specificæ nõ esse ad rem, namque natura specifica non includit intrinsecè in suo conceptu indiuidua, sicut nũc admittitur naturam diuinam includere tres personas. Respondetur exempla nõ debere esse prorsus similia, sed solùm secundùm id, ad quod assumuntur: Exemplum verò vnitatis specificæ coniunctæ cũ diuisione numerica solùm adduxi, vt ostẽderem non dissolui vnitatem per quamlibet diuisionem, sed solùm per eam, quæ separat rationem, secundùm quam res dicitur indiuisa: quod verò in creatis non sit exemplum vsquequaq; simile diuinis non obstat, quo minus cõuenire possint quoad ea, in quibus est aliqua similitudo.

XI. Ad penultimum argumentum respondeo, maiorem, si absolutè sumatur, esse falsam: nam vnitas transcendens, vt patet ex cap. 2. non addit aliquid positiuum supra ens: & ita, cùm aliquis dicitur simpliciter vnus, præter entitatem eius propriam non requiritur aliquid positiuum re, aut ratione distinctum ab entitate subiecti, quod denominatur vnum. Veruntamen, si res dicatur vna sub aliquo nomine communi multis opus est, vt præter rationem communem significatam per nomen, cui additur terminus *vnus* sit aliquid re, vel ratione distinctum, quod sit fundamentum vnitatis, vt cùm dicitur, Socrates vnus numero homo, aut Gabriel vnus numero Angelus: nam ad vnitatem numericam siue hominis, siue Angeli præter rationes communes ijs nominib. significatas addi oportet conditiones indiuiduales, quæ sunt fundamentum vnitatis numericæ: Deus autem non est hoc modo vnus numero, vt constat ex dictis: ideoque ad hoc, vt vnus sit, ac dicatur nõ necesse est, vt habeat aliquid positiuum non intimum essentiæ ab ea re, vel ratione distinctum. In forma neganda est maior propositio: cuius probatio solùm conuincit id, quod modo dixi, scilicet quando res dicitur vna sub aliqua communi forma vendicare aliquid positiuum ab ipsa saltem ratione distinctum, quod sit fundamentum vnitatis, vt patet in exemplis adductis in ipso argumẽto; si verò objcias Deum esse vnum ens, & vnam subsãtiam, & ideò debere ipsi aliquid inesse distinctum à ratione essentiæ ac subãstiæ, ijs minimè intrinsecum. Respondeo, si essentia ac subsantia sumantur sub abstractione communi Deo & creaturis, verè per terminum *vnus*, quando Deus dicitur vnum ens, aut vna subsantia, designari aliquid positiuum ratione distinctum ab essentia, & subsantia in communi, quod sit fundamentum eius vnitatis: id verò est peculiaris ratio essentiæ ac subsantiæ diuinæ, qua Deꝰ distinguitur à quouis alio ente ac subsantia, quod locum non habet, quando dicitur vnus Deus: nam vnitas saltem fundamentaliter importatur ipso nomine Deus: cuius obiectum, seu significatum est intrinsecè singulare atq; indiuiduum, quod non habet essentia, vel subsantia simpliciter dicta. Ad vltimum dicẽdum est ea, quæ dicuntur per similitudinem ad alia, esse in duplici differentia, quędam enim non participant formaliter eandem formam communem, sed solùm dicuntur talia per attributionem ad veram formam: quomodo se habet homo pictus comparatus vero, & hæc connumerari nequeunt simpliciter sub eadem ratione communi: quædam verò conueniunt formaliter in ratione communi saltem analogica, qua ratione accidentia, etsi dicuntur entia per attributionem ad subsantiam, connumerantur tamen cum illa, quoniam formaliter conueniunt in ratione formali communi entis: hoc autem modo se habent creaturæ ad Deum, cum quo habent analogiam sub ente, nõ solùm per attributionem, sed etiã p proportionem, & ita non repugnat sub eadem ratione connumerari Deum cum creaturis, & dici vnum numero ens.

(?)

Vnitas Dei est omnium maxima.

Caput XI.

I. PErspecto fundamento ac radice vnitatis diuinæ, considerandus est modus ipsius per comparationem ad alia. Porrò comparatio fieri potest, vel cum personis diuinis, & earum proprietatibus, vel cum creaturis. Inprimis autem vnitatem non suscipere magis aut minus, ideoque secundùm ipsam non posse fieri comparationem, atque adeò neque dici Deum esse maximè vnum, suadetur, quoniam vnitas est pura negatio diuisionis, puræ verò negationes non suscipiunt magis ac minus: nam si adsit forma negata, etiam in minimo gradu, non est negatio, erit autem, si illa omninò absit: at, cùm forma penitus abest à subiectis, negatio ijs omnibus competit ex æquo. Qua ratione, si res habet aliquid diuisionis, quam priuat vnitas, nequaquam erit vna, si verò nihil omninò diuisionis habeat, erit æquè vna, ac quælibet alia maximè vna. Quod attinet ad personas maiorem esse ipsarum, quam naturæ vnitatem probari potest, quoniam persona est vltimo terminata & omninò incommunicabilis, nec admittit distinctionem realem eorum, quæ sunt idem quod ipsa, nec vllus numerus de ipsa prædicatur: quæ tria non conueniunt naturæ diuinæ: quapropter erit maior vnitas personæ, quàm naturæ. Consequentia est manifesta. Nam ea vnitas est maior atque perfectior, quæ plus distat à diuisione, distinctione, ac numero. Maior etiam propositio per se patet. Assumptio ostenditur, siquidem natura diuina est communicabilis, & subsistit in tribus personis, & ideò non est per se vltimo terminata. Item deitas, & trinitas sunt omninò idem, absque vlla distinctione, ex natura rei: & tamen Trinitas inuoluit distinctionem realem; atque adeò personæ, quæ sunt idem, quod essentia diuina, realiter differunt: denique Deus est, ac dicitur trinus, & ita vnitas ipsius non repugnat cum numero, sicut vnitas personæ. Quod verò attinet ad ipsas proprietates personales præter rationem adductam, quæ quoad eas etiam procedit, est alia: quoniam proprietates excludunt omnem distinctionem, etiam virtualem: non enim paternitas, quatenus præcisè est relatio, admittit eiusmodi distinctionem, aut potest terminare plures conceptus non synonimos, sicut natura diuina: quo magis autem res distant à distinctione, eo magis in se ipsis indiuisæ, & consequenter vnæ sunt: si verò de rebus creatis loquamur, plurimæ sunt, quæ & sunt diuisæ à quouis alio ente, & in se nullam habent compositionem, aut diuisibilitatem: quæ duo imminuunt aliquid de ratione vnius, quapropter habent maximè perfectam rationem vnitatis, & consequenter vnitas diuinæ essentiæ non erit maior. Antecedens suadetur, nam anima rationalis, & Angeli non habent vllam compositionem actualem, nec admittunt vllam diuisionem: & ideò sunt indiuisibiles actu & potentia. Si quis autem dicat pati compositionem cum accidentibus, quæ sunt perfectiones extrinsecæ essentiæ, & ab ipsa ex natura rei distinctæ, non soluit argumentum: nam eiusmodi compositio imminuit quidem vnitatem compositi per accidens ex substantia Angeli, & perfectionibus accidentalibus, non tamen substantiæ ipsius: quæ licet non posset venire in eiusmodi compositionem, non magis esset vna, quàm est modo: neque ea compositio inuehit multiplicitatem in natura Angeli, sed in composito per accidens ex ipsa, & accidentibus, ideoque propterea non est minus vna. Si quis respondeat admitti compositionem ex genere, ac differentia, essentia, & esse: quæ non cadit in Deum, non omninò satisfacit: nam saltem ipsa differentia, & ipsum esse non patiuntur vllam aliam compositionem, & ita excludunt omnem prorsus diuisionem actualem & potentialem, ideoque attingunt summam, & maximè perfectam rationem vnitatis.

II. Vnitas, vt ex superioribus constat, formaliter consistit in negatione diuisionis, seu multitudinis eius rei, quæ dicitur vna: & ideò ex varia ratione diuisionis, seu multitudinis intrinsecæ, quam negat vnitas, expendi debet perfectio atque excellentia ipsius. Porrò, cùm Deum dixerimus esse vnum per se, & suo modo vnum numero, nō est cur quoad vnitatem comparetur cum ijs, quæ sunt vnum per accidens, aut vnum specie, genere, vel analogicè: His enim modis omnibus vnitatis, perfectior ac maior est vnitas per se numerica. Porrò singularium per se multiplex fingi potest diuisio, adæquatè tamen diuiditur in eam, quæ tendit ad realem separationem, & eam, quæ perficitur actuali distinctione ex natura rei; Prior semper facta separatione terminatur ad plura, nullo singulari nexu copulata, vt

cùm

cùm continuum diuiditur in plures partes, quæ postquàm sunt diuisæ, manent simpliciter disiunctæ. Posterior cum actuali distinctione patitur vnitionem naturaliter inseparabilem, qua ratione cælum admittit distinctionem, & consequenter diuisionem, de qua sermo est, inter materiam & formam : & nihilominus iuxta sententiam, quæ asserit esse incorruptibile, nunquam admittet vtriusque separationem. Itaque prior dici potest diuisio separabilitatis, posterior diuisio distinctionis ex natura rei. Prior etiam duplex est, altera actualis, qua vnum diuiditur in plura, & desinit esse vnum, qua ratione continuum diuiditur actu in plura, quæ antè diuisionem erant partes vnius totius, ea verò peracta singula per se habent rationem totius : altera potentialis, quam habent partes in ipso continuo, in quo, sicut sunt plures potentia, ita quoque vendicant potentialem diuisionem, quæ est fundamentum pluralitatis. Ad hanc diuisionem pertinet etiam diuisio totius physici in suas partes, nam quamuis post separationem plerunque non maneat vtraque pars, vt contingit in corruptione omnium viuentium præter hominem, & eæ, quæ manent, non habeant rationem & vnitatem totius, tamen per eiusmodi separationem verè dissoluitur ratio vnius: nam cùm hæc resultet ex mutua copula partium, ea dissoluta perit. Diuisio secundùm distinctionem est rerum suapte natura inseparabilium, actu tamen distinctarum: nam quia sunt inseparabiles, conueniunt in aliquam vnitatem : quia verò distinguuntur à parte rei, sunt etiam per suam rationem intrinsecam ab inuicem diuisæ, ita vt ratio vnius sit extra rationem alterius : & ob id intellectus possit eas actu distinguere, ac diuidere non solùm abstractione præcisionis, sed etiam negationis remouendo vnam ab altera : & ita constitutum ex vtraque, licet sit re ipsa indiuisibile, hoc est inseparabile, est tamen diuisibile secundùm rationem distinctionis : vt apparet in materia, ac forma corporum incorruptibilium, in genere ac differentia iuxta sententiam eorum, qui hæc ex natura rei distingui volunt. His generibus diuisionum opponitur triplex genus vnitatis, de qua loquitur Philosophus libro primo Physicor. tex. decimosexto, nam est vnum continuitate, vnum indiuisibilitate quantitati opposita, vnum in ratione : primum est indiuisum actu, diuisibile potentia : secundum & tertium indiuisum actu, ac potentia, si de reali diuisione sermo sit, si verò de diuisione secundùm rationem distinctionis, secundum est diuisibile potentia, tertium verò nullo modo, quoniam est vnum simpliciter quoad rationem essentiæ absque vlla distinctione ex natura rei, vt vinum, ac merum, quæ in exemplum adducit Philosophus, & sicut hæc nullam patiuntur distinctionem ex natura rei, ita omnia ex natura rei eadem sunt vnum ratione, & hæc vnitas opponitur diuisioni secundùm actualem distinctionem, priores duæ diuisioni secundùm realem separationem, nam ad vnum continuitate reduci possunt ea, quæ sunt vnum quauis alia vnione reali.

Aristot.

III. Hoc posito dicendum est inprimis Dei vnitatem esse maximam saltem negatiuè. Probatur, quoniam nec vnitas creaturæ, nec proprietatum, aut relationum diuinarum plus excludit propositas diuisiones, quàm natura diuina: quæ caret omni diuisione intrinseca superius explicata: non enim admittit actu vel potentia pluralitatem sub eodem nomine, ac ratione, vt superius probatum est : non admittit etiam vllam diuisionem fundatam in actuali distinctione ex natura rei inter illam perfectionem essentialem : hæc enim ob summam simplicitatem non est in diuinis, quapropter nec esse, nec fingi potest vlla maior vnitas, quàm sit vnitas Dei. Quod si comparemus Deum cum rebus alijs solùm quoad negationem diuisionis actualis in plura sub eodem nomine ac ratione, hoc modo non est magis vnus, quàm res aliæ. Fundamentum est, quoniam quoad formam omninò indiuisibilem absque vlla latitudine nequit fieri comparatio secundùm magis, ac minùs: at negatio actualis diuisionis sub eodem nomine, ac ratione non habet latitudinem in singularibus, quantumuis sit disparitas quoad diuisionem potentialem. Exempli causa quoad esse tantùm vnum numero indiuiduum cum negatione pluralitatis sub eodem nomine, ac ratione non magis est vnus Gabriel, quàm Alexander, quia vterque non est plures, æquè enim est Alexander vnus numero homo, ac Gabriel vnus numero Angelus, quamuis Gabriel sit expers diuisionis in materiam, & formam, quam patitur Alexander : similiter Deus non est magis vnum numero ens, aut vna numero substantia, hoc est non plures sub eodem nomine, ac ratione, quàm Socrates sit vnus homo: quoniam, sicut inter vnum Deum ac plures non est medium, sed diuersi-

tas

tas indiuisibilis, ita inter vnum hominem, ac plures non est vlla latitudo, sed indiuisibile discrimen, & iuxta hunc sensum rectè concludit argumentum initio propositũ: & hoc indicat D. Thomas 1. par. quæst. 11. art. 4. ad primum, cùm concedit priuationem secundùm se non suscipere magis ac minus, recipere tamen, secundùm quod eius oppositum recipit magis aut minus: at multitudo, quatenꝰ dicit pluralitatem sub eodem nomine ac ratione, non recipit hoc modo magis ac minus: nam quamuis denarius sit maior multitudo, quàm quinarius, vterque tamen æquè excluditur per quamuis vnitatem: & ita ex hoc capite vnũ non recipit magis ac minus: ideoq, secundùm hunc sensum non minus est vnus numero Socrates, quàm sit Deus: Quia tamen, vt ex dictis patet, diuisio habet latitudinẽ, quoad alias acceptiones, habebit etiam vnitas, quomodo hoc concedit D. Thom. vbi supra. Vnitas enim non solùm dicit negationem diuisionis rei in plura sub eodem nomine, ac ratione, sed etiam indicat modum entitatis, quę dicitur vna quoad cęteras rationes diuisibilitatis, aut indiuisibilitatis superius numeratas: &, quia quoad eas, vt mox ostendam, vnitas Dei excedit omnes vnitates creatas, non est simpliciter concedendum res alias habere æquè vnitatem cũ Deo, sed solummodo non esse discrimen quoad negationem actualis diuisionis in plura actu.

IV. Loquendo verò absolutè ratione omnium modorum diuisibilitatis, aut negationis ipsius dicendum est inter deitatem, relationes, personasque diuinas nullũ esse discrimen quoad vnitatem, sed omnibus ex æquo conuenire maximam vnitatem. Fundamentum est, quoniam ratio vnitatis consistit in negatione omnis diuisionis realis, tam actualis, quàm potentialis: sed essentia, relationes, personæque diuinę ex æquo carent omni diuisione ac diuisibilitate, ergò quoad vnitatem nequeũt comparari secundùm magis ac minus. Assumptio supponitur ex dicẽdis inferius in materia de simplicitate: vbi ostendam in deitatem, relationes, ac personas diuinas nullam cadere compositionem actualem, ex quo necessario sequitur experte. quoque esse omnis diuisionis: nam diuisio entis singularis supponit compositionem ex ijs, in quæ est diuisibile: non enim esse potest potentia, siue ea capacitas diuisionis, quin supponatur vnũ, quod modo aliquo constet pluribus, in quæ diuisio terminetur: quare si deitas, relatio, ac persona diuina est expers omnis prorsus compositionis actualis, diuisibilitatis quoque expers erit; loquor autem de personis diuinis materialiter, hoc est de Patre, Filio, ac Spiritu sancto, quorum quilibet non minorem, ac essentia vendicat vnitatem, non verò de notione, siue ratione formali communi personæ, secundùm quam analogicè dicitur de Patre, filio, & Spiritu sancto: quandoquidem eiusmodi ratio non habet vnitatem numericam, de qua agimus, sed communem analogicam, secundùm quam diuiditur in plures personas, ita vt in ipsis verè multiplicata existat, & numerum admittat, quæ omnia repugnant personis ipsis materialiter sumptis: non enim ratio Patris diuiditur, ac multiplicatur in plures, sed est vnus numero Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus, omnes, ac singuli sine multiplicatione, aut diuisibilitate propriæ rationis. Nec verò hanc vnitatem dissoluit distinctio rationis, siue virtualis, quæ est in diuinis: namque vnitas sequitur ipsum esse rei, & negat diuisionem entitatiuam, distinctio vero rationis, siue virtualis fundatur in ipso esse rei indiuiso, quod ob suam perfectionem vnitè complectitur ea, quæ in alijs dispersa sunt, & idcircò potius supponit summam vnitatem, quam diuidat, ac separet entitatem, & consequenter non tollit, sed indicat perfectionem vnitatis, vt infra magis explicabo. Ex quo apparet omnia diuina, siue absoluta, siue respectiua habere summum gradum vnitatis: neque quoad hoc habere vllam diuersitatem, licet quædam secundùm proprias rationes formales admittant compositionem rationis ex pluribus virtute distinctis, quomodo personam Patris constitui dicimus ex essentia, ac relatione, quædam verò non admittant, scilicet ipsæ relationes secundùm præcisum conceptum relationis sumptæ. Ratio est, quia quoad identitatem actualem, & negationem compositionis veræ ac realis non est diuersitas.

V. Vt satisfiat primo argumento contra hanc assertionem, obseruandum est aliquod ens magis, vel minus vnum solummodo dici secundùm maiorem, aut minorem distantiam à diuisione actuali, vel potentiali, vt ait Diuus Thomas prima par. quæst. vndecima, art. quarto. Nam in in negationibus, quæ propter latitudinem termini negati suscipiunt magis ac minus, non est facienda eiusmodi comparatio aliter, quàm per ordinem ad terminos negatos: & ita fieri debet in vnitate, ideoque quando est æqua remotio à diuisione, est æqua vnitas,

quan-

quantùcunque circa alia sit diuersitas. Ex quo patet cõmunicabilitatem essentiæ nihil facere ad rationem maioris vel minoris vnitatis: namque vt notat Alensis 1.p. q.14.m.1.ad 2. & membro 6.ar.2. & Albert.1.p.tract.6.q.29. m.1.art.2. q.incidente ad primum, quamuis in rebus creatis per communicabilitatem inferatur diuisio: non enim eadem natura creata singularis suapte natura est communicabilis pluribus suppositis, sed cum pluralitate suppositorum necessariò est coniũcta pluralitas, ac diuisio naturæ, tamen in diuinis communicabilitas non affert diuisionem, aut multiplicationem formæ communicatæ: imò magis indicat excellentiam vnitatis, quæ tanta est, vt per identitatem cum pluribus suppositis re ipsa distinctis non dissoluatur; imò faciat esse vnum ea, quæ sunt re, ac numero plura, vt rectè docet Magnus Dionysius relatus ab Alensi vbi supra in fine, fœcunditas, inquiens, generationis facit declarationem vnitatis essentiæ: est enim perfectæ atque excellentis vnitatis argumentum, ita pluribus communicari, vt id ipsum, quo producens est actu Deus, indiuisum secundum totam sui esse plenitudinem sit in producto: atque ita pluralitatem personarum non detrahere vnitati diuini esse, imò eius excellentiam & perfectionem indicare docent ex professo Alensis.1.p.q.14.m.1. & Albert.1.p.tractat.6.q.29.m.1.art.2. Ex quo patet negandam consequentiam propositi argumenti: & ad eius probationem dicendum eam esse maiorem vnitatem, quæ secundùm propria atque intrinseca rei magis distat à diuisione, distinctione, ac numero: at natura diuina secundùm proprium ac formale significatum, & secundùm intrinsecam rationem ipsius maximè ab his distat: nec enim deitas in personis diuiditur, distinguitur, aut numeratur, in Patre enim existens minimè est diuisa, aut alia à se in filio, aut Spiritu sancto, sed maximè vna arctissimo & indissolubili nexu tres vnum constituens iuxta doctrinam Ioannis ep.1. cap.5. qui cùm tres diuinas personas numerasset, adiunxit: *Et hi tres vnum sunt.* Ex eo verò, quod personæ, cum quibs ipsa est idem, sint abinuicem discretæ per proprietates relatiuas, nulla in ipsam redundat diuisio: nam ita identificatur cum Patre, vt eo realiter à filio differente, ipsa nullo modo distinguatur, sed cum ipso quoque filio identificetur. Ad secundum patet solutio ex dictis: nam distinctio virtualis nullam arguit diuisionem actualem: & ideò, quamuis essentia nostro intelligendi modo constet pluribus rationibus virtute distinctis, non proinde erit minus vna, quàm illa, quorum fit mentio in argumento.

Alens. Albertus. *Mag. Dionys.* *Alens. Albert.* *1. Ioan. 5.*

VI.

Si verò deitatem cum creaturis comparemus, absolutè dicendum est Deum esse maximè vnum; hæc est communis sententia Theologorum, Alens.1.par. quæst. 14.m.6.art.2. Albert.in 1.dist.9.art.8.ad 2. & dist.24. art.2. quæstiuncula annexa principali, D.Thom. 1.par. quæst.11.art. 4.in 1. dist.24.quæst.1. art.1. Bonaventuræ art.1.quæst.1.ad 3. & lib.1. compendij Theologicæ veritatis, Richardi. art.3.q.2. AEgidij d.8.parte secunda secundæ partis principalis, q.1. & dist.24.1.p.distinctionis q.1. Henrici in summa art.25.quæst.1. ad 4. & art.29. quæst.7. initio corporis, Caietan.1.p.q.11.art.4. cum alijs expositoribus Diui Thomæ ibidem, & Carthusiani lib.1.fidei orthodoxæ, art.12. numero 4. Ex Patribus id apertissimè tradit Richardus de sancto Victore lib.2.de Trinitate cap.17.18.19.& 20. Bernardus libr.5. de consideratione cap.7.& 8. vbi *inter omnia*, inquit, *quæ rectè dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ in vna substantia sunt.* Plures alios rerum tractat. quinto, cap.octauo, numero quinto. Ostenditur autem ratione communi, quoniam Deus Optimus Maximus excedit infinito interuallo creaturas quoad omnes perfectiones, quibus eæ cum Deo communicant, vt videre est in veritate, ac bonitate, ergò excedet etiam quoad vnitatem: quapropter antiqui sapientes, ac philosophi Deum appellabant ipsum vnum, vel ipsam vnitatem. Ita Mercurius Trismegistus, Empedocles, Parmenides, Melissus, Xenophanes, Damascius, & Philo Iudæus, quorum testimonia refert Augustin. Eugubinus libro tertio de perenni philosophia capit. quinto, sexto, & septimo, & plurimi sanctorum Patrum dicunt esse ipsum vnũ, vel ipsam vnitatem. Ita Anselmus in Proslog. cap.18. Marius Victorinus libr primo aduersus Arium post medium, Origenes libro primo Periarchon cap.1. Ambrosius in Symbolum Apostolorũ cap.1. Antonius Abbas Ep.6. ad fratres Arsenoitas in Tomo tertio Bibliothecæ Patrum. Argumento verò sumpto ex ratione ipsius vnitatis facilè suadetur, quoniam omnia creata habent aliquam compositionem, & consequenter admittunt diuisibilitatem: nimirũ corpora, quæ sunt vnum continuitate, ratione partium integrantium, habent diuisionem potentialem, composita physica, quæ sunt vnum sub-

Alens. Albert. S. Thomas. Bonauent. Richard. AEgidius. Henricus. Caietan. Carthus. Rich. Victor. Bernardus. Trismegist. Empedocles. Parmenides. Melissus. Xenophanes. Damascius. Philo. Eugubinus. Anselm. Mar. Victor. Origenes. Ambrosius. Antonius.

Itan-

tantiali nexu materiæ, & formæ, habent diuisionem secundum pluralitatem partium actualem: substantiæ spirituales, & omnia, quæ sunt in aliquo prædicamento componuntur ex genere, ac differentia: creaturæ denique omnes ex potentia & actu, ex essentia & esse, & sicut ex his componuntur, ita patiuntur diuisionem actualem, potentialem, vel secundum aliquam distinctionem ex natura rei, quas omnes compositionis, ac diuisibilitatis rationes abesse à summa natura, infra ostendam. Et hæc quidem ratio satis conuincit vnitatem diuinæ essentiæ esse maximam inter vnitates eorum, quæ vnum sunt, sed non inter omnes modos entis, qui quomodolibet sunt: ex ijs enim, quædam nullam videntur admittere compositionem, nempè ipsum esse, quo existit essentia, ipse actus, quo completur potentia, sed enim si modi omnes essendi considerentur, ipsi quoque habent aliquam compositionem: nam quod est actus respectu vnius, habet admistam potentiam respectu alterius: Verbi gratia anima est actus corporis, & potentia respectu perfectionum accidentalium: & esse rei compositæ ipsum quoque compositum est, verbi gratia esse hominis coalescit ex partiali esse animæ, & corporis: & ideò hæc omnia deficiunt à perfecta ratione vnitatis.

VII. Verùm, quia omne compositum est tandem resolubile in partes simplices non constantes alijs, dici poterit ipsum esse differentiæ vltimo complentis naturam Gabrielis esse omninò simplex, atque adeò perfectè vnum. Nihilominus nec vnitas modorum eiusmodi adæquat perfectionem vnitatis diuinæ: etenim vt rectè notat Ægydius vbi proximè perfectio vnitatis non consistit in sola negatione diuisionis à quauis perfectione, quam non repugnat inesse rei quæ dicitur vna: quemadmodum enim, vt dicam tractat. sequent. cap. 1. ratio simplicitatis non solum excludit compositionem passiuam, sed actiuam, ita perfecta vnitas non solum negat diuisionem in partes intrinsecas, sed etiam cum alijs partibus, cùm quibus simul vnum aliquod constituatur: quod indicauit D. Thomas 1. p. quæst. 11. art. 4. ad secundum, ideò negans tam vnitatem quæ est principium numeri, quam punctum esse maximè vnum, quia non sunt maximè entia, & sunt in subiecto, & quia diuersa sunt à subiecto, subdit vero: *Sicut enim subiectum non est maximè vnum propter diuersitatem accidentis, & subiecti, ita neque accidens.* Ita que de sententia Diui Thomæ diuisio subiecti, & accidentis quoad distinctionem realem imminuit rationem vnitatis, quia scilicet si perfectio subiecti, & accidentis coincideret in vnam, eandemque rem, illa esset magis vna, quam sit subiectum secundum se, quod est diuisum ab accidente. Qua ratione vim intelligendi dicimus magis vnam, quam vim sentiendi, quoniam intellectus vnite continet vim percipiendi obiecta omnia, quæ continent multi sensus. At inquies, esse quidem magis vnum, quam sint sensus omnes simul sumpti, non autem quam singuli seorsim considerati. Verùm hoc etiam modo vnitas intellectus est perfectior: nam quo plures effectus continentur in vna potentia, eo hæc dicitur magis vna, quoniam virtus per cætera dispersa, in ipsa est maximè vnita: ita, vt hæc vna, eademque simplici entitate contineat eminenter plures perfectiones actuales rerum ordinis inferioris. Quod significauit Alensis vbi supra art. 2. cùm dixit vnitatem summæ potentiæ magis declarari à multitudine creaturarum, & effectuum, quam ab vnitate effectus. Id vero non aliundè prouenit, quam ex eo, quod vnitas effectus supponit virtutem potentiæ limitatam, & consequenter diuisam ab alijs rationibus potentiæ: multitudo vero effectuum indicat illimitationem virtutis, & identitatem cum cæteris rationibus potentiæ seorsim repertis in rebus creatis. Quoniam vero omnis creatura, & omnis modus essendi creatus, etiam maximè simplex, & indiuisus in se, est diuisus ab alijs perfectionibus, & aptus natus cum re alia coniungi ad compositionem vnius per se, vel per accidens perfectioris, quam sint singulæ partes, ideò longissimè distat à summa perfectione: Deus autem sua indiuisibili vnitate continet omnem perfectionem simpliciter, quæ inesse illi potest, & in ipso substantia non est diuisa à sapientia, nec hæc à iustitia, nec denique vlla perfectio ab altera: in creaturis autem hæc omnia diuisa sunt: idcirco Deus merito maximè vnus est: ideoque Alensis vbi supra m. 6. art. 3. asserit vnitatem diuinam, quatenus est vnitas prima, vnitas simpliciter, & perfecta, magis repræsentari ab vnitate compositi, quam componentium, licet quatenus vnitas simplex magis repræsentetur à componentibus.

Ægyd. *Alensis.* *D. Thom.* *Alensis.*

VIII. Ex his patet solutio ad argumentum vltimo loco inductum, quo suadebatur

creaturas accedere ad æqualem gradum vnitatis cum Deo. Inprimis enim nihil eorum, quæ dicuntur simpliciter entia caret aliqua compositione, ac diuisibilitate: quoniam vero ens, & vnum conuertuntur, cætera, quæ non sunt simpliciter entia, sed entis, ita non sunt simpliciter vnum, sed vnius: & ad veritatem propositæ assertionis sat est, si nullum ens simpliciter accedat ad perfectionem vnitatis diuinæ. Respondeo deinde etiam ex modis entium plerosque habere aliquam compositionem, quæ Deo repugnet, vt in ipso argumento indicatum est. Quod si rem deducamus ad aliquem modum carentem omni compositione intrinseca, atque adeò expertem omnis prorsus diuisionis, ac diuisibilitatis intrinsecæ, nullus tamen assignabitur expers diuisionis ab alijs perfectionibus, quæ secundum rationes communes analogicas non repugnant cum ea, quæ in ipso est: & consequenter eius vnitas erit admodum imperfecta coniuncta cum diuisione ab ijs perfectionibus, à quibus natura diuina non est diuisa, sed eas eadem simpliciter entitate complectitur.

TRACTATVS QVARTVS DE SIMPLICITATE DEI.

Caietan. QVamuis Caiet. 1. p. quæst. 11. art. 1. simplicitatem non inter attributa, sed inter prędicata quidditatiua censeat numerandam, atque adeò esse priorem vnitate, nihilominus ipsemet cap. 2. de ente & essentia negat eam esse perfectionem simpliciter, quoniam nihil positiuum significat, sed negationem: at negatio, vt per se patet, non est de essentia vllius naturæ, nedum diuinæ: supponit quidem simplicitas summam perfectionem entitatiuam essentiæ diuinæ, quam explicamus nomine *actus purus*, quo significatur pura actualitas essendi sine vlla permistione potentiæ in ijs, quæ ipsi intrinseca sunt. Ex qua perfectione necessario sequitur simplicitas: nam hæc, vt patebit infra, consistit in negatione compositionis actiuæ & passiuæ, cuius omnino expers est actus purus, atque adeò est summe simplex. Merito vero post tractatum de vnitate essentiæ diuinæ, sequitur tractatus de simplicitate, quoniam vt ait Henricus art. 28. quæst. 1. simplicitas est quædam vnitas quod ante illum dixerat Hugo de Sancto Victor. lib. 7. Erudition. didascal. cap. 19. *Verè autem vnum est, cui totum est vnum esse, & simplex esse, quod est. Quidquid igitur verè vnum est, simplex est,* & in fine capitis, *Cùm Spiritus simplex dicitur, non paruitas, sed vnitas significatur: creator igitur est simplex, quia vnus est:* est autem duplex vnitas in Deo: altera singularitatis, quæ opponitur diuisioni, ac multitudini: altera simplicitatis, quæ opponitur multiplicitati, & compositioni. De his locutum Dionysium, cap. 7. cælestis Hierarchiæ cum dixit de Deo: *monas est, & vnitas,* sentit Henric. vbi supra post Hugon. de Sanct. Victor. cuius verba refert, quæ sic habent: *Sanè quod monas, & vnitas eumidem esse videatur, geminato nomine positum est. pro Græco factum est, in quo duo nomina sunt monas & enas, quæ quamuis vnam habeant apud nos interpretationem, (vtrunq; enim vnitas sonat) hoc tamen dictum esse videtur, quod monas magis vnitatem significat, quæ secundum distinctionem dicitur, enas vero illam, quæ secundum simplicitatem vocatur: omne enim quod simplex est, vnum est.* Ex quibus patet simplicitatem esse modum quendam vnitatis nobilissimum, vt ait Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2. ad primum, minus tamen latè patere, quam vnitatem transcendentem, vt notat Richard. in 1. d. 2. art. 1. quæst. 4. & colligitur ex Hugone vbi proximè: nam cum dixisset omne simplex esse vnum, subiunxit, *non autem omne quod vnum est simplex est,* & ita ordo doctrinæ postulat, vt post disputationem de vnitate Dei, de eiusdem simplicitate differamus.

Henric. *Hugo Victor.* *Magn. Diony.* *Henricus.* *Hugo Victor.* *Bonauent.* *Richard.* *Hugo Victor*

Quæ,

Quæ, & quotuplex sit ratio simplicitatis.

Caput I.

SImplicitas, vt est communis opinio doctorum, quos infra referam, quoad propriam rationem, qua distinguitur ab essentia diuina, & cæteris attributis, dicit negationem compositionis, quæ est magna imperfectio rerum creatarum: ideoque sancti, cùm de hoc attributo loquuntur, pro eodem accipiunt simplex, & incompositum. Ita loquuntur Irenæus lib. 2. cap. 16. Marius Victor. lib. 1. aduersus Arium circa medium, Basilius lib. 1. contra Eunomium versus finem, Ambrosius lib. 1. de fide Trinitatis cap. 7. Cyrillus lib. 7. de Trinitate ante medium lib. 1. Thesauri, cap. 8. lib. 11. sæpius, & lib. 14. cap. 1. Bernard. lib. 5. de consideratione cap. 7. Damascen. lib. 1. de fide cap. 12. & alij, & ideò, cũ priuationes ex formis oppositis agnoscamus, vt propriam simplicitatis rationem inuestigemus, compositionis, seu cuiusuis alterius formæ positiuæ illi oppositæ naturam prius agnoscere debemus. *Irenæus. Marius Vict. Basil. Ambros. Cyrill. Alex. Bernard. Damascen.*

II. In quauis igitur re composita duo considerari possunt, nempè multiplicitas partium, ex quibus coalescit, & vnitas ex earum adunatione resultans: ita vt secundum quandã rationem prioritatis supponatur partium multiplicitas siue actualis, siue potentialis, sequatur autẽ mutua coniunctio ad vnius rei constitutionem: Itaque compositum duo necessario vendicat pluralitatem partium, & earundem ad sui constitutionem concursum sub aliqua ratione vnitatis. Contra vero simplicitas vtrumque excludit, vt rectè deducitur ex descriptione simplicis tradita à Diuo Basilio lib. 1. contra Eunomium, paulò pòst medium, vbi *simplex*, inquit, *est, quod non à pluribus constituitur*, quibus verbis & reijcit pluralitatem intrinsecam partium, & constitutionem vnius ex ipsis: hæc autem duo mutuo cohærent, quamuis ratione distinguantur, quidquid enim re ipsa multiplex est, compositionis est particeps: & omne compositum est multiplex: sumitur autem hæc descriptio simplicitatis ab ipsa nominis Etymologia, est enim multiplex nomen compositum ex multo, & plica, & propriè dicitur de veste multis plicis inuoluta, ea vero nonnisi à plicis, quæ sunt ipsius partes, multiplex appellatur: eodem igitur modo, quando de rebus alijs per translationem dicitur, de multiplicitate intrinseca rei debet intelligi: & ita omne compositum est multiplex, & viceuersa omne multiplex compositum. Ex quo natum est, vt simplicitas modo dicatur opponi pluralitati, vel multiplicitati, vt ab Isidoro lib. 1. de summo bono cap. 1. Augustin. lib. 6. de Trinitate cap. 6. Gilbert. in 2. lib. Boëtij de Trinitate. §. *Si igitur interrogem*, Richard. de Sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 17. Bernard. lib. 5. de consideratione cap. 7. Cyparisiota de-cad. 10. cap. 8. in fine, Magist. in 1. d. 8. Bonauentur. ibidem in comm. & art. 3. quæst. 2. Aureol. quæst. 3. art. 2. & Alliacens. in 1. quæst. 5. art. 1. litera G. modo compositioni, vt communiter auctores alij loquuntur. Et hæc quidem vera sunt loquendo de propria significatione nominis: an vero ex vsu, & accommodatione Doctorum sumatur etiam simplicitas, quatenus opponitur multiplicitati extrinsecæ, dicam ad finem capitis. *Isidorus. Augustinus. Gilbertus. Rich. Vict. Bernard. Cyparisiota. Magister. Bonauent. Aureol. Alliacensis.*

III. Verùm enimuero, cùm multiplicitas, & compositio distinguantur ratione, oportet ipsarum differentiam inuestigare, ac videre vtri ipsarum per se primo, ac formaliter simplicitas opponatur. Multiplicitas autem consistit in pluralitate, seu potius in diuisione saltem potentiali aliquorum, vt indicat Diuus Thomas in 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. & constat ex Aristotele lib. 10. Metaph. text. 20. vbi sic ait: *Duo sunt multa, siquidem duplex, multiplex.* Quæ ratio non habet vim nisi ex suppositione, quod multiplex significet multitudinem, & licet vulgo dicatur multiplex tam de multis discretis, quam pertinentibus ad constitutionem vnius, tamen, vt propriè opponitur simplici, accipitur pro multitudine plurium intrinsecè pertinentium ad rationẽ vnius entis, quod multiplex appellatur, hanc autem multitudinem præcedit diuisio: Etenim sublata omni prorsus diuisione actuali, & potentiali non constat ratio formalis multiplicitatis; quod indicauit Augustin. lib. de speculo cap. 33. loquens cum Deo, *vnum, & idem es, quia simplex es, & diuidi non potes*; & quemadmodum diuisio opposita vnitati transcendenti continet negationem simul cum affirmatione, qua res dicitur ipsa, & non ipsa, sic etiam diuisio pertinens ad multiplicitatem eadem suo modo [illegible]dit: non tamen ita, vt sit entitas, de qua sit verum dicere quod sit ipsa, & non ipsa, hoc enim est impossibile: sed vt sint enti- *S. Thom. Aristot. Augustin.*

tates incompletæ, quarum vnaquæque ut ipsa, & non alia, saltem potentialiter: nisi enim adsint eiusmodi entitates sub his affirmationibus, ac negationibus, nequaquam cohæret ratio multiplicitatis: quæ, vt constat ex nominis Etymologia, sonat multitudinem intrinsecam subiecto. Porrò compositio addit multiplicitati coadunationem partium adinuicem, & communicationem sui ipsarum toti compositio: ex eo enim, quod partes simul ponantur, & se ipsis integrent totum, dicitur compositio, atque compositum. Ex quibus cõstat multiplicitatem, & compositionem idé prorsus significare, sed diuerso modo: nã multiplicitas significat formaliter diuisionem, seu pluralitatem partium, materialiter vero earundem in toto coitionem: non enim sola pluralitate, absque adunatione intelligi potest multiplicitas: quod sonant verba

S. Thom. D. Thomæ in 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. vbi, cùm dixisset Ecclesiam contra Arium confiteri Deum simplicem, subdit: *& ideò confitetur simplicem, & negant multiplicitatem, vel diuisionem, quæ ponit rationem totius, & partis, quæ simplicitati aduersantur*, non quamuis diuisionem ait opponi simplicitati, sed eam, quæ ponit rationem totius, ac partis: & ita multiplicitas simplicitati opposita connotare debet compositionem, sine qua non ponitur ratio totius, ac partis. Contra vero compositio formaliter significat coadunationem partium, ac totius constitutionem, materialiter verò ipsarum multitudinem saltem potentialem, sine qua coadunatio cõcipi nequit: quod significauit Ferrarien-

Ferrarien. sis. lib. 1. contra Gentes cap. 18. §. *Sciendum secundo*, cùm dixit compositionem importare plurium actus scilicet, & potentiæ positionem ad esse vnius. Ex dictis facilè sumitur propria ratio, & descriptio simplicitatis, de qua nunc agimus; est enim negatio diuisionis vnius entis in plura sub vnico esse totius: nomine diuisionis non intelligitur actualis separatio, sed distinctio plurium integrantium vnicam entitatẽ completam, quæ impedit, quo minus totum nõ sit omnino indiuisum in se, atque adeò simplex, potest etiam describi negatio multiplicitatis plurium entitatum coeuntium ad constitutionem vnius.

IV. Vt autem pateat quot modis simplicitas accipiatur, videndum prius quot sint genera compositionum: sunt autẽ plura pro varietate, ac distinctione partium, & ratione componendi. Est vero inprimis compositio entis per accidens, & entis per se, huius assignari possunt tres generales diuisiones. Prima sumitur ex multiplici varietate partium: habet autem tria membra. Primum est compositio ex partibus integrantibus. Secundum ex materia, & forma. Tertium ex pluribus rationibus habentibus inter se habitudinem actus, & potentiæ: quod vltimum membrum non est ita accipiendum, quasi in cæteris duobus generibus nõ intercedat ratio actus, & potentiæ: hæc enim in omni prorsus compositione interuenire debet, neque enim potest vllo modo coalescere vnum ex pluribus, inter quæ nõ est habitudo actus atque potentiæ: sed intelligendum est cum negatione partium materialium, ita vt sit compositio non physica, aut materialis ex partibus integrantibus, sed ex pluribus habentibus rationem actus, & potentiæ: quod membrum latè funditur, & complectitur plures compositionis modos repertos in rebus tum corporalibus, tum etiam spiritualibus. Secunda diuisio habet duo membra: est enim alia compositio realis, cùm totũ cõstat pluribꝰ ex natura rei distinctis: alia vero rationis, cùm non sunt in re plura actu, vel potentia constituentia vnum, sed est fundamentũ plurium rationum efformabilium ab intellectu diuersis conceptibus formalibus. Tertio denique modo diuiditur compositio in actiuam & passiuam: quæ ita dicuntur non ex eo, quod interueniat vera actio, aut passio in compositione, non enim partes componentes, quatenus componunt, actionẽ vllam habent in compositum, sed dicuntur componere actiuè totũ se, suumque esse illi tribuendo, & integrando eius entitatem, vel rationem formalem, secundum quam est totum: id vero dicitur componi passiuè, non quod passionem aliquam recipiat à partibus, sed quia quodammodo in genere causæ materialis ab illis pendet, nos autẽ modum causalitatis significare solemus per modũ actionis & passionis. Est itaque compositio actiua plurium partium coitio ad constitutionem vnius per se: passiua autem est integratio, siue constitutio totius ex plurium partium concursu coalescens. Prior à Syl- *Syluest.*
uestro 1. p. quæst. 3. art. 10. initio, & aljs dicitur compositio cum his, à Bonauent. *Bonauent.* in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2. Henric. in sum. *Henric.*
art. 29. quæst. 8. compositio cum alijs, quoniam singulæ partes cum alijs actiuè componunt totum. Posterior autem dicitur compositio ex his, vel ex alijs, quoniam totum ex partibus omnibus simul sumptis coalescit: à priore modo, siue acceptione compositionis dicuntur partes componibiles cum alijs, à posteriore dicitur totum compositum ab alijs.

Multiplex

V. Multiplex vero acceptio simplicitatis magis ex prima diuisione sumitur, quam ab alijs duabus: nam quædam res, tametsi non sint expertes omnis omninò diuisionis, & compositionis, dicuntur tamen simplices: qua ratione cœlum, cùm tamen constet quantitate, ac partibus integrantibus, dicitur quintum corpus simplex, vel quia non componitur ex elementis, vel quia, vt vult Commentator, nõ componitur ex materia, & forma: substantiæ quoque separatæ, hoc est Angeli, quia carent compositione physica, & partibus integrantibus, dicuntur simplices, nec tamen carent tertia compositione ex actu, & potentia, vt infra constabit. Hac de causa Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 18. §. *Sciendum primo,* simplicitatem diuisit in corporalem & formalem, siue actualem: simplicitas corporalis est negatio compositionis vnius corporis ex alio, qua ratione cœlum, & elementa dicuntur corpora simplicia, quoniam non componuntur ex alijs corporibus, vt mista ex elementis, simplicitate vero formali illud est simplex, quod est omninò forma, & actus, nec habet admistionem vllius potentiæ. Hos, & alios modos simplicitatis enumerat Albertus in 1. d. 8. art. 24. ad quæstiunculam, & in sum. tractat. 4. quæst. 20. membro 2. Ex his vero propriè ad hanc locum spectat omnimoda simplicitas excludens omnem prorsus diuisionem, & multiplicitatem partium: an vero simplicitas opposita omni compositioni reali sit propria ac perfecta simplicitas, & vtrum compositio rationis dissoluat rationem simplicitatis, quam inter attributa diuina referimus, infra examinandum est.

Ferrarien. *Albertus.*

VI. Denique simplicitatem, quatenus opponitur compositioni passiuæ, pertinere per se ad hoc attributum perspicuum est, & certum apud omnes, quos referam num. 8. Notandum tamen propriè simplicitatem, & primario opponi compositioni vnius per se: quoniam diuisio in plura cocuntia ad compositionem entis per accidens per se primo opponitur potius vnitati trãscendentali, quam simplicitati: nam per eiusmodi diuisionem existunt multa simpliciter, & dissoluitur ratio vnitatis, quæ supponitur à simplicitate: vnum enim diuiditur in simplex, & compositum: & ita, licet per hanc diuisionem tollatur simplicitas, nihil enim vnum per accidens est simplex, non tamen tollitur per se primo, ac formaliter, sed consequenter, quatenus ea diuisio opponitur vnitati, quæ est fundamentum simplicitatis, huic autem per se primo opponitur diuisio in plura secundum quid sub vno esse actuali totius, & consequenter multiplicitas partium, & compositio vnius per se ex multis actu, vel potentia distinctis. Quod addo propter controuersiam Philosophorum circa actualem diuisionem, siue distinctionem partium ab inuicem: nam hoc saltem commune illis esse debet, vt non sint incapaces distinctionis ex natura rei, si enim incapaces eius sint, excludunt omnem diuisionem, ac pluralitatem: & consequenter compositum non erit multiplex, sed omnino simplex, atque adeò non compositum: quod manifestè repugnat.

VII. An vero compositio actiua repugnet simplicitati, dubium esse potest: nam, quamuis ex alijs capitibus repugnet Deo, non tamen videtur repugnare simplicitati: quoniam simplicitas verè, ac propriè loquendo non dissoluitur nisi compositione intrinseca partium, est enim modus vnitatis rei in se: compositio autem cum his nequaquam opponitur simplicitati, sed alijs perfectionibus: neque ab eius negatione res dicitur absolutè simplex, sicut à negatione compositionis intrinsecæ: nam materiam, & formam absolutè appellamus simplices, quia carẽt compositione ex his, quamuis sint capaces compositionis cum his: substantiam vero completam, etsi non sit componibilis cum alia substantia, simplicem nequaquã dicimus: at vero secundum formam, aut negationem, à qua res non denominatur talis, non potest fieri comparatio penes magis, aut minus.

VIII. Nihilominus doctores communiter requirunt ad perfectam simplicitatem priuationem compositionis actiuæ. Ita expresse Alens. 1. p. quæst. 5. m. 3. & 2. p. quæst. 12. m. 1. Albert. 1. p. tractat. 4. q. 20. memb. 3. S. Thom. in 1. d. 8. quæst. 5. art. 1. Sanctus Bonauentura art. 3. quæst. 2. Ægydius 2. p. secundæ partis principalis quæst. 1. Henr. in summ. art. 29. quæst. 8. Richard. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 1. & d. 24. art. 3. quæst. 3. ad tertium, Scotus d. 8. quæst. 2. Aureolus q. 4. art. 1. & 3. Mayron. quæst. 7. art. 1. 1. p. articuli, Bassolis quæst. 2. art. 1. Holkoth quæst. 6. lit. D. Andreas de Nouo Castro d. 8. quæst. 2. initio Alliacensis quæst. 5. art. 1. lit. G. Gabriel d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 2. Heruæus quæst. 2. ad secundum. Maior q. 3. in fine. Et est de mente Sanctorum Patrum, quos paulò post referam qui componibilitatem subiecti cum accidentibus repugnare censent diuinæ simplicitati, sed

Alensis. *Albert.* *S. Thom.* *S. Bonauent.* *Ægyd.* *Henricus.* *Richard.* *Scotus.* *Aur. ol.* *Mayronius.* *Bassol.* *Holkoth.* *Nouo Castro.* *Alliacensis.* *Gabriel.* *Heruæus.* *Maior.*

operæ pretium est inquirere, quomodo componibilitas vnius cum alio simplicitati opponatur: nam hæc, vt iam dixi, est modus vnitatis: vnitas autem solùm est indiuisio substantiæ rei, quæ dicitur vna, & consequenter simplicitas debet esse solùm negatio compositionis intrinsecæ rei, quæ dicitur simplex; & quidem si in rigore loquendum sit, ita dicendum esset, vt etiam concludere videtur argumentum paulò ante adductum. Duæ tamen sunt rationes, cur doctores ita loquantur, altera est, quoniam considerant totum id, quod aliquid est: at vero homo verbi gratia non solùm est animal rationale, & cætera, quæ vendicat intrinsece, atque essentialiter, verum etiam albus, doctus, iustus, prudens, & sic de cæteris, quorum esse participat per compositionem cum formis accidentarijs, & quia horum omnium est esse multiplex, ideò homo ratione eorum dicitur multiplex saltem denominatiuè. Hæc tamen ratio solùm habet locum in substantijs, de quibus propriè loquuntur Patres citandi, & ideò secunda ratio congruens omni prorsus entitati creatæ est, quoniam vera, ac propria componibilitas cum alio arguit compositionem intrinsecam entis componibilis alteri, non quidem semper realem, sed saltem rationis secundum modum actus, & potentiæ: nam omne naturaliter componibile alteri est in potentia ad esse perfectum totius: & ita est actu secundum propriam entitatem, & existentiam, ratione cuius est componibilis: respectu vero esse totius participandi per compositionem cum alio est in potentia, &, quamuis ista potentia, & actus reperta simul in eadem re componibili non differant realiter, & consequenter non confletur ex ijs compositio realis, existit nihilominus compositio rationis ex genere earum, quæ opponuntur summæ simplicitati. Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi supra positam: namque vt infra dicam, nulla est omninò res creata, quæ non sit componibilis alteri aliquo genere compositionis: & idcirco, si sit etiam intrinsecè composita, vt sumitur in argumento, in quo fit mentio substantiæ compositæ, non habet, vndè queat denominari simplex.

IX. Verùm, cùm dupliciter concipi possit aliquid componibile alteri, nimirum concurrendo simul cum eo ad constitutionem vnius, vel per se, vel per accidens, dubium est, an vtraque ratio componibilitatis repugnet simplicitati. In qua re inprimis est certum apud omnes Scholasticos simplicitati diuinæ repugnare receptionem accidentium, & ita docent communiter Patres Athanasius Epistola ad Athanasius. Epiſcopos in Africa versus finem. *Deum esse simplicem substantiam, in qua nulla est qualitas*; Ambrosius lib. 1. de fide Trinitatis cap. 7. *Deus naturæ simplicis non coniunctæ, atq; compositæ, cui nihil accidat*, Anselmus in Monolog. cap. 24. *Summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit.* Origenes lib. 1. Periarchon. cap. 1. *Intellectualis natura simplex nihil omninò in se adiunctionis admittens.* Augustinus libro 11. de Ciuitate cap. 10. *diuina ideò dici simplicia, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia*, & lib. 6. de Trinitate cap. 6. probat solùm Deum esse simplicem, quia solus receptione accidentium mutari non potest. Hoc posito dubitari potest, an hæc receptio repugnet simplicitati quatenus per illam constituitur vnum ens per accidens, an præcisè, vt sunt plura. Alliacens. in 1. quæst. 5. art. 1. litera G. solùm priorem modum componibilitatis admittit, quem ait communem, ac possibilem esse omni creaturæ: quoniam non repugnat, vt quæuis substantia verbi gratia Angelus esset componibilis alteri, ita vt ex vtroque fieret vnum scilicet per se, de hoc enim loquitur. Posteriorem vero negat, quoniam ex compositione, quam alij vocant per accidens, non fit vnum: & ita, licet ratio entis per accidens repugnet cum simplicitate, censet non pugnare ratione componibilitatis, sed ratione pluralitatis essentialis eorum, quæ per accidens adunantur, & ad hunc sensum interpretatur D. Augustin. superius citatum: idque colligit ex eo, quod Augustin. eodem cap. 6. lib. 6. de Trinitate, ideò ait animam non esse simplicem, quoniam in ea aliud est cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud iustitia, &c. Hæc tamen Alliacens. doctrina, quatenus admittit quamuis substantiam completam in genere substantiæ, verbi gratia, Angelum venire posse cum alia re ad constitutionem vnius entis per se in genere naturæ, est falsa, & contraria Philosophiæ, cuius est oppositum demonstrare: quatenus vero negat componibilitatem ex subiecto, & accidente, etiam repugnat veræ Philosophiæ: repugnat enim esse vnum ex pluribus absque compositione, at vero vt dictum est in tractatu de vnitate, vnum diuiditur in vnum per se, & per accidens: ergo hoc necessario exigit compositionem, & supponit componibilitatē partium, verè enim

simul

simul ponuntur, & coalescunt in vnum aliquo modo. Et confirmatur, quoniam secundum Philosophum libro quinto Metaphys. text. 16. idem pertinet ad vnum, & identitas in vnitate fundatur, inter modos autem identitatis à Philosopho ibidem numeratos, primus est, quo aliqua dicuntur idem subiecto, hæcautem identitas non potest fundari nisi in vnitate per accidens: & hæc est sententia Patrum ideo negantium Deo habitus, & habilitates, & distinctionem inter id, quod est, & quo est, & inter quod habet, & quod habetur, ne compositus concedatur. Ita sanctus Maximus centuria quart. capit. octau. quem refert Cyparisiota decade 10. cadit. prim. *Ne quæras habitus, & habilitates in simplici, & infinita substantia sanctæ Trinitatis, ne eam facias compositam, sicut creaturas: quod quidem in Deo cogitare absurdum, & nefarium est*; & Athanasius in Apologetico pro Synodo Nicæna apud eundem, blasphemum vocat, *si quis existimat Deum esse compositum, vt quod ex substantia, & accidente compositum est.* Et Iustinus Martyr in responsione 144. ad Orthodoxos, *non enim ad instar creatæ naturæ Deus est, vt id, quod sit, & id quod habeat per compositionem intelligatur sicut natura creata.* Qua ratione supponunt ex habitu, & habente fieri compositionem simplicitati contrariam, atque adeo subiectum distinctum ab habitu, siue forma habita cõponi cum illa, quod recte docuit Gilbertus Pictauiensis Episcopus in libr. Boetij de hebdomadibus super regulam octauam. Idem vero supposuit Diuus Augustinus: voluit enim pluralitatem rerum opponi simplicitati cuiusuis partis: alioquin ex eo, quod in anima cupiditas, timor, ac lætitia essent aliud, & aliud, non sequeretur ipsam animam non esse simplicem, sed solum aggregatum ex illis pluribus simul sumptis: Augustinus autem ex multarum passionum coitione probat animam esse compositam: supposuit itaque, vbicumque est aliud, & aliud, esse compositionem, & singulum ipsorum, quæ veniunt in compositionem, non esse simplex: quia est componibile, siue compositum cum altero: quod clare elicitur ex dictis eius libro quinquagintaquinque humiliarium homil. trigesim. secund. ad finem vbi sic dicitur: *Videre enim verbi, si videas forte in eo, quod vides videre verbi, ipsum verbum videbis, & non aliud sit verbum, aliud videre verbi, ne ibi sit aliquid coagmentatum, & copulatum, & duplex, & compaginatum, simplex enim aliquid est ineffabili simplicitate, non quemadmodum homo aliud est homo, aliud videre hominis,* vbi ideo negat aliud esse verbum, aliud videre ipsius, ne verbum sit coagmentatum, copulatum, & compaginatum, quæ verba vtique sonant compositionem: si vero aliud esset verbum, & videre ipsius, non esset alia compositio, quam subiecti, & accidentis. Et ita patet cum Augustinus loco citato ex libro de Trinitate animam simplicem negat, quia in ea est aliud timor, aliud cupiditas, & cæt. implicite admittere compositionem, & ita de sententia horum Patrum, & communi scholasticorum, quos superius citaui, etiam componibilitas subiecti cum accidentibus est opposita simplicitati.

X.

Ex dictis constat explicari simplicitatem per compositionis actiuæ, & passiuæ negationem, quam in simplicitate Doctores communiter agnoscunt. Verum difficultas est, an hoc attributum præter negationem inuoluat rationem aliquam positiuam, quæ nomine simplicitatis indicetur, Franciscus Lychetus in prim. d. octau. quæstion. 1. §. *Respondeo*, & Bargius eadem quæstione volunt importari, quoniam censent esse perfectionem simpliciter, quæ nequit in negatione consistere. Pro eadem sententia referri possunt Henricus in summ. artic. 28. quæstion. 1. & Bonauentur. in 1. d. 8. artic. 3. quæstion. 2. ad primum, quatenus docent simplicitatem esse quandam vnitatem, ipsi enim existimant vnitatem quamuis per negationem explicetur vt magis notam, tamen significare principaliter aliquid positiuum, vt præced. tractat. capit. 1. retuli. Contra vero Bassolis in 1. d. 8. quæstion. 2. artic. 3. ad primum principale, Caietan. capit. 2. de ente & essentia in comment. post tertiam quæstionem, Sylvest. quæstion. 3. conflati initio, & Molina 1. p. quæstion. 3. artic. septim. disputat. secund. eo ipso negant perfectionem simpliciter, quia negatio est, quæ non addit aliquid pertinens ad rationem entis. In hac quæstione certum est simplicitatem saltem de connotato dicere aliquid positiuum, aliter posset etiam dici de non entibus, quibus conuenit negatio compositionis: de ijs enim affirmantur negationes, quæ non connotant ens, dubium superest de significato, per quod distinguitur ab alijs attributis, circa quod sentio cum doctoribus citatis, & Aureolo in 1. d. 8. quæstion. 3. artic. 2. & Mayronio quæstion. 7. artic. 1. initio, simplicitatẽ, quatenus est attributum ab alijs distinctum, significare solã negationem

Lychet. *Bargius.* *Henricus.* *Bonauent.* *Bassol.* *Caietan.* *Sylvest.* *Molin.* *Aureol.* *Mayron.*

Cyrillus. *S. Maximus.* *Cyparissio.* *Athanasius.* *Iustinus.* *Gilbert.* *Augustin.*

compositionis. Ratio est, quoniam non assignabitur ratio positiua à cæteris distincta, in qua consistit ratio simplicitatis: maxime, quia simplicitas, vt initio dixi, est modus quidam vnitatis perfectæ: vnitas autem non addit rationem positiuam distinctam à ratione entis: & si præcisa quauis alia ratione formali positiua concipiamus substantiam alicuius rei. cum sola negatione compositionis, habemus notionem simplicitatis. Ex quo etiam, patet vtrum perfectio positiua, quam simplicitas connotat, sit substantialis hoc est, concepta per modum substantiæ, siue essentiæ, an attributalis: dicendum quippe est esse substantialem: quoniam, vt patet ex dictis, est modus vnitatis, quæ immediate competit essentiæ, qua essentia est, ante omnem rationem attributalem: atque adeo non est vlla ratio attributalis positiua nostro intelligi modo prior simplicitate, semper autem subiectum à negatione connotatum est prius ipsa. Et hoc modo intelligi debet Caietanus prim. part. quæstione vndecim. articul. prim. quatenus vult simplicitatem esse modum essentialem, & non attributum, vt enim sibi non contradicat, intelligi debet de ratione connotata, non de formaliter significata. At cum essentia diuina, etiam sub præcisa ratione essentiæ, vendicet plura prædicata, verbi gratia rationem substantiæ, spiritus, vitæ, & similia, quodnam ipsorum censebitur esse immediata ratio, ac fundamentum huius negationis? Respondeo esse rationem actus puri, siue entis per essentiam, quæ est doctrina sancti Augustini libro vndecim. de ciuitate capit. decim. vbi indagans rationem simplicitatis sic ait: *Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, aliud quod habet*, quibus verbis explicat rationem actus puri, ac per essentiam, prioribus ratio actus puri: nam soli naturæ, quæ est actus purus, non est aliquid habere, quod possit amittere, vbi n. est permistio potentialitatis, est etiam non repugnantia, vt amittatur id, quod habetur: posterioribus vero ratio entis per essentiam: in solo enim ente per essentiam non est aliud habens, & id, quod habet. Quod clarius adhuc expressit eodem capit. ad finem his verbis: *Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, vereque diuina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia: nec aliorum participatione vel diuina, vel sapientia, vel beata sunt.* Negatio alietatis secundum perfectiones non nisi in ratione actus puri fundatur, qui impermiste, & in confusè est totum, quod est: negatio etiam participationis non nisi enti per essentiam conuenire potest. Ex quibus patet simplicitatem, quatenus est attributum ab alijs distinctum, in sola compositionis negatione consistere, an vero sit perfectio simpliciter, cuius occasione authores dubitant de significato eius formali, dicam ex instituto libr. 4. tractat. de perfectione Dei, vbi explicabo vtrum negationes possint habere rationem perfectionis simpliciter.

Caietan.

Augustin.

Deus est omnino simplex, & expers compositionis realis passiuæ.

CAPVT II.

I. DEum esse omnino simplicem est certa fide tenẽdum, nam, quamuis non cõtineatur expressè in sacris literis, habetur tamen ex diffinitione Concilij generalis Lateranensis 4. & refertur capit. *firmiter*, de summa Trinitate, vbi diffinitur Deum esse vnam essentiam, substantiam, siue naturam omnino simplicem. Consentiunt Patres præter relatos capite præcedenti, & inferius referendos capite decimo quinto, Deum dicit simplicissimum Cyrill. Alexandrin. libr. decimotertio Thesaur. capit. secund. & libr. decimoquarto capite 1. & 3. summe simplicem Augustinus libr. sext. de Trinitate capit. 6. & libr. septim. capit. prim. Richardus Victor. lib. secund. de Trinitate capit. decimoseptim. & 20. & libr. 5. capit. 1. mere simplicem Bernar. li. 5. de considerat. capit. 7. primum, & purissimum simplex, idem Bernardus sermon. 81. in Cantic. initio, super omnem simplicitatem Theodorus apud Cypariſiotam decad. decim. capit. quart. & Athanasius Dialogo primo de Trinitate non longe à principio: consensit tota Theologorum schola: qui, licet dissentiant in explicanda ratione simplicitatis diuinæ, nihilominus absolutè eam tanquam ex fide certam tradunt, ac defendunt. Potest vero etiam mediate deduci ex sacris literis argumẽtis à priore ac posteriore. A priore quidẽ ex eo, quod Deus Exod. 3. dicitur *qui est*, quo verbo, vt in superioribus ostendi, significatur summa actualitas essendi, ita vt Deus sit ipsummet esse suum, cum summa vero actualitate cõpositio passiua

Conc. Lateran.

Cyrill. Alex.

Augustinus.

Richar. Vict.

Bernard.

Theodorus. Cypar. ſſio. Athanasius.

Exod. 3.

realis

realis cohærere nequaquam potest, vt infra deducam. A posteriore vero ex eo, quod scripturæ prædicant Deum immortalem, & immutabilem, omne vero compositum est mutationi obnoxium saltem quoad primam inceptionem, ac definitionem: nam constare debet potentia, & actu: omnis vero potentia passiua est principium mutationis, & corruptionis, vt ait Philosophus libr. non. Metaphys. tex. 17. *Aristoteles.* Accedit, quod nullum compositum esse potest causa prima: omne vero illud ens subest arbitrio, & potentiæ causæ primæ, & consequenter saltem respectu eius est obnoxium corruptioni. Est & aliud argumentum à consuetudine diuinarum literarum: quæ cum de Deo loquuntur, indifferenter vtuntur nominibus concretis, & abstractis: dicitur enim Deus, vita, lux, charitas, sapientia, Ioannis 1. 4. & 14. & primæ Ioannis 5. apud nos autem simpliciora vocari solent nominibus abstractis: neque proprie loquendo substantiæ compositæ abstractis nominibus significantur: hic vero vsus, vt notat Albertus 1. p. tract. 4. quæstion. 20. m. 4. & Diuus Thomas 1. p. quæstion. 3. artic. 3. ad primum, & sæpe alibi, est ad indicandam simplicitatem diuinam. His, & alijs medijs sumptis ex principijs fidei facile ostenditur Deum esse simplicem omnino, & realis compositionis expertem.

Ioan. 1. 4. & 14. 1. Ioan. 5.

Albertus. S. Thom.

II. Vt autem hoc ipsum ex ratione, & lumine naturali ostendatur, explicandi gratia proponam aliquot obiectiones, quas priusquam dissoluam, argumentis ex natura petitis idem dogma fidei confirmabo. Primo itaque obijcitur: Deo conuenit ratio totius: hæc autem necessario supponit compositionem, totum enim dicit ordinem ad partes, ex quibus componitur, vt constat ex Philosopho libr. 1. Physicorum text. 17. & lib. 4. text. 43. asserente totum nil aliud esse, quam congregationem partium: ergo etiam conueniet ratio compositi. Maior propositio ostenditur. Nam totum ex eodem Aristotele libr. 3. Physicor. text. 63. & libr. 4. text. 45. & lib. 5. Metaphys. text. 31. Est id, cui nihil deest, ideoque totum, atque perfectum sunt idem, vt concedit ipsemet Philosophus libr. 3. Physicor. text. 64. & libr. prim. de cælo text. tert. & prædicantur de eodem, vt notat Themistius ad citatum locum Physicorum. Cui rei fauere videbitur modus loquendi Patrum, qui frequenter asserunt totum Deum esse sapientiam, totum iustitiam, quibus indicant non absurde tribui Deo rationem totius, eos vero referam

Aristotel.

Themistius.

tract. 5. c. 6. n. 4. Secundo simplicitas dicit limitationem essendi, & ideo inter creaturas composita sunt perfectiora simplicibus, quia partes simpliciores totis sunt illis imperfectiores: Deo autem tribuendum est id, quod est perfectius: quare tribui debet ratio compositi. Tertio vbi est ratio prioris, ac posterioris in vna, eademque re, necessario admittenda est compositio: sed in Deo prior est essentia, quam attributa: prior essentialia, quam notionalia: hæc autem omnia sunt vnus, idemque Deus: ergo deitas est capax compositionis. Vltimo plura esse vnum aliter, quam compositione repugnat, personæ autem diuinæ sunt simpliciter plures, & simul sunt vnum: ergo per compositionem. Patet maior, nam plura sub ratione plurium repugnant sub ratione vnitatis: ergo considerari debent quatenus vniuntur, non possunt vniri manendo plura actu, sed manendo vnum actu ratione totius, in quo vniuntur: hoc autem necessario inuehit compositionem.

III. His non obstantibus, dico ipso etiam lumine naturali probari Deum esse simplicem, & realis compositionis expertem. Quam sententiam ex imperfectionibus compositionis realis cum diuina perfectione pugnantibus ostendit Anselm. in monol. cap. 16. & in proslog. cap. 18. Altisiodorens. libr. 1. sum. cap. 2. quæst. 1. Alens. 1. p. q. 5. m. 1. Albert. tract. 4. q. 20. m. 1. & 3. & in 1. d. 8. art. 22. D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 7. li. 1. contra Gentes, c. 18. & sæpe alibi. Aegyd. in 1. d. 8. 1. p. secundæ partis principalis qu. 4. Henr. in sum. ar. 29. q. 8. Richard. in 1. d. 8. ar. 3. q. 1. Scot. q. 1. §. *Secundo probo,* Dur. 2. p. distinctionis q. 1. Heruæus q. 2. Bass. q. 2. ar. 1. Andreas de Nou. Castr. q. 2. conclus. 2. & Abulens. q. 8. in cap. 28. Deut. ex quibus seligam rationes, quæ efficaciores videbuntur, & in vnam redigam in hunc modum. Compositum necessario includit potentialitatē, possibilitatē, siue cōtingentiā, dependentiā, & causalitatē passiuam ab intrinseco, & extrinseco, rōem diuersitatis, prioris, ac posterioris, tū inter partes secū inuicē cōparatas, tum ēt inter ipsas, & cōpositū: hæc aūt omnia repugnant perfectionibus diuinis: ergo ipsa quoq; compositio repugnat. Vtraq; præmissa est seorsim probanda discurrendo per singula. Includi vero in composito potentialitatē partiū ad inuicem, vel saltem vnius ad alteram, & insuper cōparatione totius patet: in primis vero partiū inter se, quoniā repugnat eas simul vnum, & multa sub eadē rōe: atque adeo si nulla partiū sit potētia, sed oēs sunt actus, erūt plura, & vnū actu, scilicet com-

Anselm. Altisiodor. Alensis. Albertus. S. Thom. Aegyd. Henricus. Richardus. Scotus. Durand. Heruæus. Bassol. Nou. Castr. Abulens.

positum,

positum, & partes: non repugnabit autem, si sit vnum, ac multa diuersimode sumpta, hoc est secundum potentiam, & actum: quæ ratio sumitur ex Aristotele libro prim. Physic. text. vigesimo prim. asserente antiquos Philosophos deceptos, quia non videbant neutiquam repugnare vnum, & multa diuerso modo accepta nempe secundum actum, & potentiam: quo dicto supponit repugnare, nisi hoc modo accipiantur. Et confirmatur, quoniam sublata potentialitate vnius entitatis ad aliam non potest ab ipsa actuari, & consequenter neque cum ipsa adunari ad constitutionem totius: posita vero potentialitate adest capacitas receptiua illius, vel saltem realis coniunctionis ad ipsam; quapropter dixit Philosophus libr. 2. de anima. tex. 7. non esse quærendum cur ex potentia, & actu fiat vnum: quia scilicet potentia, vtpote imperfecta, ex naturali propensione, atq; aptitudine appetit proprium actum: & hic, si est incompletus, suopte pondere etiam sese insinuat in gremium potentiæ, vt ex vtroque totius compositi perfectior, & actualior entitas existat. Ex hoc etiam sequitur vtriusque partis potentialitas respectu totius: vtraque enim appetit suam perfectionem, & actualem existentiam totius, quam inadæquate participat: propter quod dixit idem Philosophus libr. 3. Physicor. tex. 66. partem esse materiam totius, quia omnes, ac singulæ partes habent modum potentialem respectu totius, & ob eandem causam totum est formalius, ac perfectius partibus: & ideo totum esse formam, partes vero materiam dixit Aristoteles libr. 2. Physic. text. 31. & lib. 4. text. 49. & libr. 5. Metaph. text. 2. & lib. 7. text. 35. quia scilicet, quemadmodum forma est actus, materia potentia, ita partes habent esse potentiale, & imperfectum comparatione totius, quod habet esse formale, & perfectum, nempe completum in suo genere sine potentialitate ad vlteriorem perfectionem intrinsecam sibi: nam homo iam non est in potentia ad esse hominis, sicut vtraque eius pars secundum se considerata. Conuenire quoque composito possibilitatem, siue contingentiam constat, quoniam hæc oritur ex potentialitate: nam potentia passiua non necessario coniungitur cum actu, cuius est potentia, sed est indifferens ad ipsum, atque eius priuationem: quare, cum compositio necessario exigat potentiam passiuam in partibus, infert quoque possibilitatem, & contingentiam totius: Et confirmatur, quoniam compositum nequit esse necessarium, nisi partes quoque ex se necessariæ sint, quandoquidem illis desinentibus totum quoque desinit: nihil autem potentiale est necessarium ex se, hoc enim est solum actus purus, qui non ex alio, sed ex se ipso semper est: quare, si in partibus est potentialitas, necessario erit contingentia in toto. Ex eodem vero principio sequitur causalitas passiua, & dependentia à causa extrinseca: nam, quod contingens est, nequaquam habet esse ex se, sed ab alio extrinseco reducente eius possibilitatem, & indifferentiam ad actum essendi: & ideò necessario subest actioni, & causalitatis agentis extrinseci. Præterea vero habet dependentiam intrinsecam ad ipsas partes mediatam, & immediatam: mediatam, quoniam partes sunt sibi mutuo causæ, quidquid autem est causa entitatis intrinsecæ alicui rei, ipsius quoque causa dicenda est: quare partes, dum sibi mutuam præstant opem, & causalitatē, totius quoq; causæ mediate dici possunt. Immediatam vero habent, quoniam se ipsas communicando integrant esse totius, quam dependentiam siue causalitatem vocat materialem Aristoteles, & eum secutus Diu. Thomas 1. p. q. 65. art. 2. in corpore, & alij plerique, quam dependentiam totius à partibus recte explicat Anselm. in Monologio cap. 16. *Omne compositum*, inquiens, *vt subsistat, indiget his, ex quibus componitur, & illis debet quidem quod est, quia quidquid est, per illa est, & illa quod sunt, per illud non sunt: & idcirco penitus summum non est.* Ex hac vero dependentia totius à partibus ostenditur etiam mediata dependentia ipsius ab agente extrinseco, tum quia partes ipsæ, saltem quæ est potentia, non possunt esse à semetipsis, sed actione agentis extrinseci: tum vero quia non habent vim actiuam se mutuo copulandi: namque licet actus: & potentia se ipsis vniantur formaliter, non tamen actiue, sed exigunt externum agens, à quo efficienter copulentur: vt videre est in omnibus compositis naturalibus, quæ fiunt actione principij extrinseci: & ideo recte dixit: Philosophus libr. prim. de generatione animalium capite vicesimo ex his fieri posse vnum, quorum alterum agens, alterum vero patiens est. Ratio vero diuersitatis prioris, ac posterioris est manifesta: diuersitatis quidem partium inter se, quoniam habent rationem multitudinis, & ratione ipsarum totum, quod est vnum compositione, est multa secundum quid: præterea quia non sunt idem inter se: si enim essent idem, periret ratio

actus,

Aristot. *Aristot.* *S. Thom.* *Anselm.* *Aristot.*

actus, ac potentiæ: repugnat enim idem respectu sui habere rationem actus, ac potentiæ: at secundum Philosophum libr. quinto Metaphys. cap. nono idem, ac diuersum opponuntur: ideoque partes necessario sunt diuersæ inter se: diuersitas autem ipsarum à composito est perspicua: nam, licet sit problema Philosophicum, an partes simul sumptæ distinguantur à toto, tamen apud omnes constat singulas per se à composito re ipsa differre. Ex ipsa vero diuersitate colligitur etiam ratio prioris, ac posterioris: nam ex multis, ac diuersis dissipatis, & absque ordine sumptis non fit vnum per se: composita vero naturalia sunt entia per se, atque adeo in ipsorum compositione debet esse ordo: hic autem necessario inuehit rationem prioris, ac posterioris. Deinde probatur eadem ratio prioritatis inter partes: quoniam altera est potentia, altera actus: semper autem actus est prior potentia, item vel sunt sibi mutuo causæ, vel saltem vna causa alterius: inter causam vero, & causatum est ordo prioritatis, vt constat ex post-prædicamentis. Respectu quoque totius habent rationem prioritatis quasi materialis, & sunt posteriores secundum rationem esse formalis, vt enim docet Aristoteles libr. septim. Metaphys. text. trigesim. quint. & trigesi. nono & lib. quart. Physicor. text. 49 prioritas totius ad partes est prioritas formę ad materiam, prioritas vero partium respectu totius est prioritas materiæ ad formam. Deniqúe respectu causæ extrinsecæ copulantis partes, & totum producẽtis necessario habet ordinem posterioris ad prius. *Aristot.*

IV. Iam vero omnes has imperfectiones repugnare cum perfectione diuina satis constat ex superioribus: breuiter tamen per singulas discurrendo probanda est assumptio propositi syllogismi: actus purus excludit potentialitatem: necesse esse tollit contingentiam: causa prima passiuam causalitatem, ac dependentiam: ipsum esse per essentiam, diuersitatem: primum ens refugit ordinem posterioris respectu alterius: Deus est actus purus, ipsum necesse esse, causa prima, ens per essentiam, ac primum: quare non est vllo modo capax earum imperfectionum, quæ ex compositione nascuntur. Assumptio probata est in superioribus: maior vero propositio quoad omnes sui partes est perspicua: solum forte erit opus exponere quomodo diuersitas intrinseca pugnat cum ente per essentiam: id vero deducitur in hunc modum: ens per essentiam totum suum esse, ac perfectionem habet à se, & ex se, nec vlli alij debet vt sit, vel vt hoc, aut illud sit: ideoque impossibile est, vt constet partibus à se ipso, & inter se diuersis: à se ipso, quoniam cum compositum, vt ait Diuus Anselmus supra citatus, partibus debeat quod est, iam non habet esse à se, sed debet alijs: rursus si partes re ipsa sunt diuersæ, altera caret perfectione alterius, quam per mutuam vnionem participat: atque adeo non est ens per essentiam, sed per participationem, & consequenter ipsum compositum: nam repugnat, vt ens per essentiam constet ex entibus per participationem, siquidem perfectionem, quam habet non ex se, sed ex partibus habet: & ideo, si hæc est per participationem, quærendum est aliud ens per essentiam, à quo totum, ac partes habeant esse per participationem. *Anselm.*

V. Circa illud autem, quod in eadem propositione dicitur, causam primam excludere passiuam causalitatem: occurret aliquis dicendo, causam primam solum excludere causalitatem passiuam in eo genere, in quo est causa prima: Deum vero esse solum causam primam efficientem, finalem, & exemplarem, non vero formalem intrinsecam, aut materialem, ideoque non repugnare, vt constituatur ex partibus, & habeat modum quendam causalitatis passiuæ ratione earum: quandoquidem dependentia à causis intrinsecis non tollit rationem primæ causæ extrinsecæ, vt videre est in cælo, quod inter corpora est causa prima suo modo vniuersalis, & nihilominus est compositum naturale. Verum argumento illo vsus est Ambrosius in symbolum Apostolorum cap. 1. *Deus*, inquiens, *compositus esse non potest, cum aliqua eo anteriora præexistisse putari nefas sit, nihilque quod ab eo factum non sit*, & ante illum Origenes libr. 1. Periarchon. cap. 1. his verbis: *Deum, qui omnium est principium, compositum esse non est putandum, ne forte priora illo principio inueniantur elementa esse: ex quibus compositum, est omne quidquid illud est, quod compositum dicitur.* Neque responsio assignata tollit vim argumenti: alia est enim ratio causæ simpliciter primæ, alia primæ secundum quid, vt est cælum: etenim causa prima secundum quid, vt non excludit concursum actiuum causæ primæ, à qua dependet, ita neque causalitatem veluti materialem partium. *Ambrosius.* *Origen.*

At causa

At causa simpliciter prima debet esse absoluta ab omni prorsus dependentia ab alia causa, nam, si ab alia dependeat in quouis genere, ita vt eius existentiam supponat, nequaquam poterit esse causa efficiens illius, & consequenter, cum eo admisso detur aliquis effectus independens ab ipsius causalitate actiua, iam ipsa non erit causa prima efficiens, respondebit aliquis ex eo, quod pars componens primam causam non dependeat ab ea efficienter, non sequi dari effectum aliquem causæ efficientis independentem à prima causa: nam pars ea erit ex semetipsa, & ideo non erit effectus illius causæ efficientis. Hæc tamen responsio non satisfacit argumento: nam, vt supra probatum est, saltem ea pars, quæ habet rationem potentiæ, indiget virtute causæ efficientis, vt sit, nullum enim ens potentialitati immistum ex se ipso est. Denique dependentia à partibus, vt dictum est supra, arguit dependentiam à causa extrinseca efficiente copulante easdem partes, ac producente totum compositum: hæc autem dependentia omnino dissoluit rationem causæ primæ.

VI. Pro solutione primi argumenti obseruandum in toto, ac parte reperiri duplicem rationem perfectionis cum duplici imperfectione, nam in parte est simplicitas, non enim oportet omne componens esse compositum, sed deueniendum est tandem ad aliquid simplex, & re ipsa incompositum: at cum hac perfectione coniuncta est maxima imperfectio partis, quæ habet rationem essendi incompletam. Contra vero totum habet quidem complementum sui esse, sed caret simplicitate, & ideo ratio vtriusque repugnat Deo, nec potest de illo formaliter significari: vt recte docuit Clem. Alexand. lib. 5. stromat. cap. 5. Verum, quia ratio totius propter rationem cõplementi magis accedit ad perfectionem, interdum vsurpatur à Patribus in diuinis per metaphoram, quatenus solum excludit rationem incompleti, siue partis: & ita, cum dicunt Deus totus est sapientia, aut iustitia, non significant esse compositum, sed negant à diuina sapientia, aut iustitia rationem partis: non enim ita Deus est sapiens, vt aliquid ipsius sit sapientia, aliquid autem minime, sed ita vt ipse, & quidquid idem cum ipso, aut in ipso est, sit sapientia, atque iustitia: qui loquendi modus non oppugnat, imo potius confirmat simplicitatem. Ad argumentum itaque neganda est assumptio: ad cuius confirmationem sumptam ex Patribus patet solutio ex dictis: ad eam vero, quæ ex Aristotele adducitur dicendum per eam descriptionem, *totum est, cui nihil deest*, explicari solum id, quod est perfectionis in toto, & ratione cuius est idem cum perfecto: verum non esse adæquatam, nisi subintelligatur aliquid, per quod restringatur ad veram ac propriam rationem totius: nempe cui nihil deest, hoc est nulla partium suapte natura requisitarum ad constitutionem vnius entis per se: nam, cum totum, & partes sint correlatiua, consistere nequit vera descriptio totius absque partibus: hoc autem modo totum, ac perfectum non sunt semper idem, nam perfectum latius patet, quam totum, nec Aristot. absolutè dixit totum, ac perfectum esse idem: sed aut idem penitus, aut proxima natura, vt constat ex 3. Phys. tex. 64. Ad quem locum Themistius ait totum dici facta relatione ad partes, perfectum vero ad finem: quia scilicet nihil superest extra, quod perfectum non includat. Quin vero addo cum Diu. Thom. cap. 2. de diuin. nomin. initio, perfectum ex prima impositione, qua significat rei inceptę complementum, ac finem, non minus repugnare Deo, quam rationem totius, vt ostendam in tractatu de perfectione Dei: at vero, secundum communem acceptionem, qua vsurpatur à Theologis pro eo, cui nihil deest abstrahendo à ratione factionis, & compositionis, Deo competere, distinguique à propria ratione totius de qua agimus. Secundi quoque solutio constat ex dictis: ita enim tribuendum est Deo id, quod perfectionis est in rebus creatis, vt tamen remoueantur imperfectiones annexæ: at cum perfectione, siue complemento totius est ratio coniuncta compositionis, quæ est maxima imperfectio, & ideo non debet tribui Deo completa, ac propria ratio totius, aut partis, sed vtriusque perfectio: hoc est simplicitas conueniens partibus, & perfectio, complementumque totius.

Clem. Alex. *Aristoteles.* *Themistius.* *S. Thom.*

VII. Pro tertij solutione suppono, vbi non interuenit vera, ac propria distinctio ex natura rei, non esse plura simpliciter, & consequenter nec veram rationem partis, ac totius, aut verum ordinem prioris, ac posterioris: siquidem quæ sunt idem ex natura rei, sunt vnum simpliciter: vnius vero ad se non est ordo, neque causalitas, aut compositio. In diuinis autem triplex ordo considerari potest: aut ordo rationis inter attributa, quomodo concipimus substantiam priorem potentia, siue virtute, & hanc priorem operatione, concipimus etiam sapientiam priorem charitate

Dei, &

Dei, & hanc priorem iustitia: aut ordo item rationis inter perfectiones essentiales, & proprietates notionales, verbi gratia inter essentiam diuinam, ac paternitatem, inter sapientiam, & filiationem: aut ordo originis inter personas, qui dici potest realis, quatenus est idem cum relationibus ipsis originum. Primus ac secundus ordo non arguit veram, & actualem pluralitatem: & consequenter neque ordinem prioritatis actualis, qualis cernitur in compositis actualibus: & ideo deitas cũ sapientia, aut vtraque cum paternitate, aut filiatione non faciunt compositionem: vt recte docet Diuus Thom. q. 7. de potentia art. 1. ad decimum, & in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. & ratio, quam indicat, est, quoniam relationes non faciunt compositionem secundum suas rationes formales abstrahendo à modo essendi, nam secundum rationes formales præcisè possunt coincidere in idem esse inter se, & cum substantia, at secundum esse, quod habent in creaturis distinctum ab esse substantiæ, dicuntur inesse, & hoc modo faciunt compositionem ex substantia, & accidente: at in diuinis non est diuersitas penes ipsum esse, sed est vnum, atque idem esse essentiæ, attributorum, ac relationum, ideoque non potest esse vera, ac propria compositio.

D. Thom.

VIII. D. Thom.

Ad vltimum respondetur cum Diuo Thoma quæst. 7. de potentia art. 1. ad decimum & in 1. d. 8. qu. 4. art. 1. ad quartum, personas diuinas dupliciter considerari: vno modo quatenus comparantur ad essentiam, cum qua sunt idem re, & hoc patet non esse compositionem: alio vero modo quatenus comparantur ad inuicem, & sic comparantur vt distinctæ, non vt aduatæ: & propter hoc neque ex hac parte potest esse compositio: nam omnis compositio est vnio. Ex quo patet non ex quatuis pluralitate, & vnitate colligi compositionem, sed ex pluralitate rerum, quæ vnione coaleiscunt in vnum ex ipsis conflatum, ita vt id concipi nequeat etiam abstractione præcisionis absque inclusione ipsorum plurium: quod est euidens ex terminis, totum enim, siue compositum includit intrinsece componentia: personæ autem diuinæ ita sunt vnum in essentia, vt hæc nostro intelligendi modo sit illis prior, & concipi perfecte possit quoad omnia essentialia abstrahendo à personis, & habeat vnitatem independentem ab eisdem: vnitas vero compositi est posterior partium coitione ad illius constitutionem. Itaque diuinarum personarum vnitas in essentia non resultat ex vnione vnius cum altera: & ideo non est vnitas compositionis, sed participationis eiusdem numero formæ communis omnibus secundum rem. His positis ad argumentum respondeo, si in maiore vox illa, plura, sumatur substantiue, concedi posse, verum in eo sensu falsam esse assumptionem, quoniam personæ diuinæ sunt vnum substantiue, non plura: si verò vox eadem sumatur adiectiue, falsa est maior propositio: quoniam non repugnat pluralitas suppositorum cum vnitate naturæ absque compositione, vt explicatum est. Ad probationem respondeo plura adiectiue repugnare vnitati vnius adiectiue, non vero substantiue sumpti, vt patet in exemplo communiter adhiberi solito: nam si vnus idemque candor per miraculum ponat à Deo in tribus subiectis numero distinctis, erunt tria alba adiectiue, & vnum substantiue, non quidem vnitate resultante ex plurium vnitione, aut compositione, sed vnitate communicationis eiusdem numero formæ: & ita, quæ hoc modo vnum sunt, non dicuntur vniri, neque vllo intermedio nexu copulari, & ideo non est in ipsis vnio, sed vnitas, quamuis in hoc exemplo sit aliqua differentia: nam, si comparentur subiecta inter se in ratione candoris, nequaquam habent vnionem, aut compositionem, sed vnitatem: & quo ad hoc est aliqualis similitudo inter ipsa, & suppositа diuina quoad vnitatem in essentia: Verum, si considerentur, vt singula cum candore copulantur tunc habent vnionem, & patiuntur compositionem, quę dicitur subiecti, & accidentis, & quoad hoc deficiunt à similitudine Hypostaseon diuinarum, quæ propter summam identitatem cum essentia non faciunt cum ea compositionem, vt dictum est.

(·.·)

In Deum non cadit compositio passiua, per accidens, neq; corporea.

CAPVT III.

I. INter genera compositionum imperfectissima est ea, quæ tetminatur ad compositum per accidens, ideoq; primum in Deo remouenda. Excluditur autem facilè ex dictis tractatu de vnitate Dei, vbi ostensum est Deum esse vnum per se, & inter omnia entia maxime vnum: quod non conuenit compositio per accidens, hoc enim est vnum secundum quid: quare, cum ex rebus creatis sint plura composita per se, ne Deum infra creaturas detrudamus, dicendum non est ipsum esse compositum per accidens. Deinde partes compositi per accidens sunt entia actu priora ipso composito, ab eoque minimè dependentia: Deus autem est primum ens, ante quod nec esse, nec intelligi potest vllum aliud ens actu. Et confirmatur, quoniam aut vtrumque ens actu, ex quo Deus fingitur componi, est primum, & ex se, vel neutrum, vel alterum est per se, & ex se, alterum ex alio: si vtrumque sit primum ens ex se, erunt plures Dij, cuius oppositum ostensum est: si neutrum sit ex se, neque compositum erit tale, non enim habet vnde per se, nisi ratione partium, aut ipsius compositionis: ex compositione per accidens emergere nequit esse per se: ergo, si partes non sunt ex se, neque etiam compositum erit, & proinde non erit Deus: si alterum sit ex se, alterum ex alio, iam in solo primo constitit ratio deitatis, & ita alterum non erit pars illius: nec enim concipi potest ratio formalis vllius entis exclusa parte essentiali ipsius. Denique omne compositum per accidens habet esse ab alio vel secundum totum, vel secundum partem, ita tamen vt ipsa compositio, quæ est forma totius, simpliciter sit causata: qui enim plura entia nexu aliquo copulat, hic compositionis, & compositi causa est: Deo autem repugnat esse ex alio, & causatum: ergo etiam repugnat esse compositum per accidens.

II. Rationes propositæ absolutè, & in communi ex natura compositionis per accidens probant ipsam esse impossibilem Deo, sequitur vt singulos eius modos impugnemus, sunt autem tres. Primus est coniunctio plurium substantiarum completarum, quæ nexu aliquo, aut vinculo externo, non vero formali vnione copulantur, quomodo est vna nauis, domus, & eiusmodi alia. Secundus est copulatio plurium accidentium in eodem subiecto, vt candoris, & dulcedinis in lacte. Tertius denique connexio accidentis cum substantia. Hi vero omnes Deo repugnant. Primus quidem, quoniam vel semper habet causam externam vi sua, & actione plures substantias suapte natura separatas in vnum colligantem, ideoque ab Aristotele libro decimo Metaphysic. capit. prim. hoc distinguitur compositum per se à composito per accidens huius generis, quod illud est tale natura, hoc vero vi, *quemadmodum*, inquit, *quæcumque aut glutine, aut clauo, aut coniunctione*, scilicet vnum sunt; vel inter ipsas partes est actio, ac passio per vim alterius partis attrahentis aliam à se: qualis est coniunctio ferri cum magnete attrahente ipsum, in qua pars attrahens vim, atque dominium supra alteram, & comparatione eius est causa, vel mouens: repugnat autem vt sit vlla causa externa, quæ haberet prædominium in Deum: nam, ficut ab eius vi, & actione penderet duratio existentiæ ipsius: ita illa cessante dissolueretur compositio, & desineret esse diuinitas: quod repugnat eius immortalitati. Iam vero, si coniunctio penderet ex vi, & actiuitate vnius partis supra aliam, opus esset, vt agens esset perfectior patiente, ac proinde vt hæc non esset actus purus: ex quo tandem sequeretur aliquid potentiale, & imperfectum pertinere intrinsece ad essentiam deitatis: quod pugnat cum ratione actus puri, & infinita perfectione Dei. Deinde vero planum est neutiam ex alijs compositionibus competere Deo: Vtraque enim inuoluit rationem accidentis, vt partem compositi: hæc autem repugnat actui puro: de cuius ratione est vt sit per se, & ex se, de ratione vero accidentis vt sit in alio, & ex alio tanquam ex causa. Item actus purus excludit omnem potentialitatem, accidens illam supponit in subiecto, quod perficit: cum enim respectu illius sit actus, ac forma, necessario illud erit potentia ad talem formam. Denique omne accidens aut est separabile, aut inseparabile: si separabile sit, compositum ex eo, ac

Aristoteles.

substantia, vel alio accidente erit dissolubile: & consequenter non erit Deus, cuius essentia est ipsum esse, si vero sit inseparabile, ac per se fluat ex principijs substantiæ, à qua inseparabile est, tanquam ex propria causa, iam compositum ex ipso, ac substantia eiusmodi non erit prima causa, ante quam esse, aut concipi minimè potest vlla causalitas, aut effectus: at vero ante compositum ex substantia, & accidente ipsius inseparabili necessario concipitur effectus, nempe ipsum accidens, qui est effectus substantiæ: quare etiam ante ipsum compositum erit causa, & consequenter illud non erit prima causa, neque Deus.

III. Post compositionem per accidens inter eas, quæ sunt per se, vltimum locum habet compositio corporea. Ea vero constat ex partibus, vel vtraque, vel altera saltem materiali: nam cum corpus, & spiritus opponantur immediate, ita vt omnis substantia sub altero ipsorum necessario constituatur, spiritus autem habeat adiunctam negationem corporeitatis, hoc ipso, quo aliquod compositum includit vel saltem vnam partem corpoream, & ipsum est corporeum, & compositio ipsius corporea, id vero constat in humana natura, cuius forma est spiritualis, & nihilominus, quia pars altera est materialis, seu potius ipsa materia, homo non est ens spirituale simpliciter, sed corporeum. Et quamuis Auicebron, vt refert Sylvest. & Caietanus prim. part. quæstion. tert. ar. secund. initio, in substantijs spiritualibus admittat compositionem ex materia & forma, & nihilominus neget esse corporeas, tamen communis modus loquendi Theologorum hic est, vt res compositas, ex parte aliqua materiali corporea dicatur. Auicebron autem, & si qui alij in substantijs separatis materiam concedunt, non loquuntur de materia eiusdem generis cum ea, qua constant res corporales, sed quæcumque tandem ratio sit materiæ spiritualis, primo in communi considerandum, quam repugnantiam habeat compositio corporea cum essentia diuina: postea singuli eiusmodi reijciendi.

Auicebron. Sylvest. Caietan.

IV. Non defuerunt autem ex antiquis Philosophis, qui Deum corpus esse crederent, horum meminit Aristoteles libr. 1. Metaphys. capit. 3. qui non ponebant nisi causas materiales vt ignem, aquam, & aliquid simile: & ita prima rerum principia dicebant esse corpora, eaque Deos appellabant. Hunc vero mundum sensibilem corporeum esse Deum docuit Plinius lib. prim. naturalis historiæ capit. 1. & Thales Philosophus, vt author est Eusebius libro quart. de præparatione Euangelica cap. 6. Aerem vero Anaximenes teste Augustin. libr. 10. confession. capit. 6. lucem corpoream, Manichæus eodem teste Hæresi 46. Algazel item Deum corporeum esse defendit destructionum disput. 9. Cum vero Deum corporeum dicerent, cõsequenter compositum dicebant. Nam quamuis Sylvest. & Caietan. vbi supra dicant apud omnes non recurrere rationem corporis cum ratione compositi, quandoquidem Auerroes cælum concedit esse corpus, negat autem compositum, contra vero Auicebron Angelos negat esse corpus, cum tamen admittat ex materia, formaque compositos, certum tamen est apud omnes, etiam Auerroem, omne corpus esse compositum, si non ex materia, & forma, quam solam compositionem attendisse videtur Sylvest. & Caietan. saltem ex partibus integrantibus, quas vendicat substantia omnis quanta, quam corpus appellamus, vt notat sanctus Thomas libr. 1. contra Gentes cap. 20. & opusc. 3. cap. 16. Itaq; quicumque Deum corporeum iudicarunt, consequenter etiam compositum concesserunt. Cui existimationi fauere videbuntur loca sacrarum literarum, quibus tribui videntur Deo proprietates corporis nempe dimensiones, figura, locus, situs, ac motus: dimensiones Iob. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* locus Matth. 6. *Pater noster, qui es in cælis*: figura ad Hebr. 1. *cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Situs Esai. 6. *Vidi Dominum sedentem.* Et Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Motus vero Psalm. 67. *Deus cum egrederetis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*

Thales. Eusebius. Anaximenes. Augustinus. Manichæus. Augustin. Algazel. Sylvest. Caietan. S. Thom. Iob. 11. Matth. 6. ad Hebr. 1. Esai. 6. Psal. 81. Psal. 67.

Aristotel.

Plinius.

V. Verum de fide est repugnare Deo compositionem corpoream. Non opus est referre Patres, quia passim communi consensu docent hanc veritatem. Probatur autem inprimis ex illo loco Ioann. 4. *Spiritus est Deus.* Quamuis autem nomen *Spiritus* in sacris literis non semper accipiatur pro substantia spirituali, prout à corporea distinguitur, sed etiam pro vento, & aere, tamen accedente communi Patrum & Doctorum Scholasticorum interpretatione, vox, *Spiritus*, eo loco sumi debet pro substantia spirituali distincta à corporea, vt communiter apud nos accipitur, idque colligitur ex discursu, contextuque sermonis: nam, cum Samaritana rogasset Christum Dominum dissolutionem

Ioan. 4.

lutionem eius controuersiæ, quæ erat inter Iudæos, & Samaritanos, his asserentibus, non nisi in monte Garizim, illis vero contendentibus non nisi in templo Hierosolymitano colendum esse Deum, Christus respondit instare tempus, quo neutro in loco coleretur Deus, & quo veri adoratores in spiritu & veritate essent adoraturi Patrem, & huiusmodi sermonem concluſit illis verbis: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Si ratio Christi congrua est, oportet vt Deus, si quia spiritus est, adorari debet in spiritu, non sit inferioris ordinis spiritus ab eo, quo adoratur: is vero est animus noster incorporeus, & immaterialis: quare eo loco non sumitur spiritus pro corpore aereo atque subtili, sed pro substantia corporeitatis experte: nam, si corporea foret, cur potius in spiritu, quam in templo, & quouis alio loco corporeo coli deberet. Atque ita ad hanc veritatem confirmandam præter scholasticos hoc loco vtuntur communiter Patres. Origenes in libro primo Periarchon. capit. prim. Theodoretus quæstio. vigesim. in Genesin, & Epitome diuin. decret. capit. prim. quod est de principio, Augustinus libr. de essentia diuinitatis, initio, & alij. Præterea si Deus esset corpus, sub sensum caderet, posſetque tangi, vel saltem videri: nam, cum lux dicatur, non esset corpus tenebrosum sed clarum, ac visibile: Deum vero inuisibilem scripturæ tradunt: Ecclesiæ, & Patrum traditio habet, vt ostendam libro tertio tractat. tert. imo & ipsa nos experientia docet, nondum enim inuentus est quisquam, qui Deum ipsum in sua diuinitate corporeis oculis aspexerit; si quis dicat, etsi corporeus sit, ob nimiam, seu potius infinitam lucem non posse à nobis videri, sicut videri nequit sol à noctuis, & alijs eiusdem generis animalibus nocturnis, non satisfacit: nam, eiusmodi animantes, & si recta in solem aspicere nequeant ob debilitatem visus, saltem experiuntur hebetari aciem ipsorum à nimia eius luce: at nobis nihil eiusmodi contingit, neque vnquam lux vlla corporea occurrit præter communem lucem solis, stellarum, & aliorum corporum lucentium, cuius in cursu oculorum acies hebetetur: non est igitur vlla lux corporea increata. Denique secundum fidem Deus est vbique corporibus & animis intime præsens, non solum scientia & intuitu, sed ipsa quoque substantia, & illapsu, hoc vero repugnat suapte natura corpori: si quis vero dicat hoc non inuoluere absolutam repugnantiam, siquidem factum est virtute diuina in partu virginis, & resurrectione Christi Domini, vt duo corpora essent simul intime indistantia secundum locum: & ideò nihil mirum si corpus Dei hoc suapte natura habeat, quod alijs contulit per miraculum, necessario incurret in maximum absurdum, concedat enim necesse est ipsum corpus Dei non minus penetrari ab alijs corporibus, ita vt sint intra terminos ipsius, quam ipsum penetrat alia: nam, cum non debeat esse vbique totum, sed secundum alias, atque alias partes per omnia fusum, cætera corpora cum ipso penetrabuntur, si rursus respondeatur non oportere, vt corpus ab alio indistans ab ipso penetretur: propterea quod corpus Christi Domini in sacrosancta Eucharistia est indistans à quantitate panis relicta, & tamen ab ipsa non penetratur: nondum satisfit argumento: nam corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ est modo indiuisibili, & ideo nec ipsum proprie est penetratiue cum quantitate corporis, nec ab ipsa vllo modo penetratur. At vero modus existendi indiuisibiliter non est naturalis corpori: repugnat autem Deum habere modum non naturalem, vt probat Diuus Thomas libr. prim. contra Gentes capit. 19. atque adeo, si esset corpus non indiuisibiliter existeret, sed ad modum, quem corpus naturaliter exposcit, scilicet extensum, & respondens quantitati corporum reliquorum: hoc autem modo non posset esse intimum alijs, quin esset mutua inter ipsum, & illa penetratio.

Origenes. Theodoret. *Augustin.* *S. Thom.*

VI. Ex his patet secundum fidei principia repugnare Deo compositionem corpoream, siue rationem corporeitatis. Sed iam ex principijs naturalibus idem breuiter est probandum. Inprimis autem ostenditur ex ratione actus puri, cui nequit esse intrinseca pars vlla potentialis: omne autem corpus potentiale est, siquidem est diuisibile, & consequenter plura in potentia. Hoc argumento vtitur Diuus Thomas prim. part. quæstion. tert. artic. 1. Cui respondeti potest, quamuis corpus secundum rõem communem sit diuisibile, fieri posse, vt secundum rationem particularẽ determinati corporis repugnet ipsi diuisio: qua ratione ij, qui dicunt cælum esse incorruptibile, negant posse diuidi ex rõe propriæ naturæ

S. Thom.

specificæ

specificæ impedientis actualem diuisionem. Quæ responsio redargui inprimis potest ex eo, quod de ratione corporis sit diuisibilitas, idcirco enim à Philosopho libro primo de cælo capite primo, diffinitur diuisibile omni ex parte, & idcirco saltem concedendum esse Deo secundum rationem corporis non repugnare diuisionem, quamuis aliunde repugnet: quod indicauit Diuus Thomas vbi supra cum vsus est reduplicatione dicens, *quia continuum, in quantum huiusmodi, diuisibile est in infinitum.* Verum hæc impugnatio non conuincit: etenim si datur corpus aliquod particulare, cui ex propria natura repugnet diuisibilitas, ea profecto secundum actum non est de ratione continui: quod enim est de ratione superioris, est etiam de ratione inferioris: sed solum conueniet corpori secundum non repugnantiam: nempe, quia illi, in quantum corpus, non repugnat diuidi: ex hoc autem non sequitur particularia corpora esse capacia diuisionis, sed solum ex ratione communi corporis non repugnare illis diuisionem: ex quo non bene concluditur Deum non posse esse corpus: nam etiam enti secundum rationem entis non repugnat potentialitas, inhærentia, corruptibilitas: & nihilominus ex eo non sequitur rationem entis repugnare Deo, sed rationem entis potentialis, inhærentis, corruptibilis. Ita proposito argumento responderi poterit, Deo quidem repugnare rationem corporis diuisibilis, non tamen corporis absolutè. Hæc solutio si argumentum procedat de diuisione realis separationis vnius partis ab alia, nonnullam habent verisimilitudinem. Verum diffinitio corporis non necessario intelligenda est de sola diuisione reali, sed etiam mentali, quia intellectus noster potest in infinitum secernere partes continui designando in corpore incorruptibili partes respondentes diuisioni, ac separationi reali, quæ fit in corpore corruptibili: & hoc non minus repugnat Deo, quam diuisibilitas actualis, vt notat sanctus Anselmus in proslog. capite decimo octauo, vbi sic ait: *Quidquid est partibus iunctum, non est omnino vnum, sed quodammodo plura, & diuersum à se ipso: & vel actu, vel intellectu dissolui potest, quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari potest.* Idem fere docet libro de incarnatione verbi capite tertio. Interrogabis autem, quomodo ex sola diuisibilitate secundum intellectum colligatur potentialitas partium, & repugnantia cum actu puro: ad hoc enim inductum est hoc argumentum. Respondeo deduci ex similitudine existendi, quam habent cum partibus actu diuisibilibus. Etenim vtrèque non habent actualem existentiam per se, sed in toto: & ita non sunt simpliciter, & absolute entia actu, sed sunt entis actu, hoc est compositi; ideoque consideratæ in eo priore, quo secundum genus causæ materialis illud antecedunt, sunt in potentia ad existendum per ipsum esse totius. Respondeo deinde actui puro non solum opponi potentialitatem prouenientem ex sola ratione speciei, sed fundatam in tota latitudine entis: nam, cum enti de se non repugnet vlla perfectio, quoduis ens singulare, qua ens dicitur priuatum quauis perfectione, quam non habet etiam si repugnet ratione naturæ specificæ: quomodo brutæ animantes dicuntur irrationales à priuatione rationis, quæ tamen ipsis secundum proprias essentias repugnat: & ob eandem causam, & sub eadem ratione dicitur quoduis ens habere aptitudinem, siue potentiam ad quamuis perfectionem: & ideò cum partibus continui secundum rationem communem non repugnet separatio, & existentia actualis per se, quæuis pars corporis suapte natura incorruptibilis, & consequenter ex ratione propriæ naturæ actu indiuisibilis, dicitur esse in potentia ad diuisionem, & actualem existentiam per se: & hæc potentialitas non minus quam propria repugnat actui puro, quandoquidem affert secum plurimarum perfectionum negationem à ratione actus puri alienam. Quæ doctrina fumitur ex Scoto in 1. d. 8. quæstion. 2. vbi declarat quomodo singula entia, quatenus talia, dicantur priuata perfectionibus entium aliorum, & sub eadem ratione habeant modum potentialitatis ad easdem. *Scotus.*

VII.

Plura alia argumenta ad hoc institutum probandum adducuntur ab authoribus. Consulatur sanctus Damascenus libr. 1. fidei capit. 4. Diu. Thomas vbi supra, & 1. contra Gentes capi. 20. Henricus in sum. artic. 28. quæstion. 1. Scot. tractat. de primo principio cap. 4. conclusione 10. & in 1. d. 8. quæstion. 1. Richardus artic. 3. quæstion. 1. Bassol. quæstion. 2. art. 2. & Andr. de Nouo Castro quæstion. 1. Illud autem, quo vtitur Aristoteles 8. Phys. Damascen. vbi supra, & sanctus Thomas loco citato, sumptum à motu non ita euidens est, quin aliquo modo dissolui possit. Etenim re-

Damascen. S. Thom. Henricus. Scotus. Bassol. Nou. Castr.

soluitur ad duo principia: alterum est, quod corpus non mouet nisi motum, & ita non potest esse primum mouens: alterum est, quod corpus finitum mouere nequit tempore infinito, sicut supponebat Arist. & saltem à parte post non repugnat vt sit, at vero infinitum corpus non datur. Primum vero fundamentum non videtur euidēs, nam videmus ferrum moueri à magnete vi sua illud attrahente, quin ipse moueatur: quemadmodum vero magnes habet hanc vim, ita non videtur repugnare, & saltem non est euidens cur repugnet dari corpus eius naturæ, ac virtutis, vt ipsum immotum possit mouere omnia corpora in omnem differentiam loci. Huic obiectioni respondet Caiet. ar. 1. cit. §. *Circa illam,* Caietan. cum Auerr. 7. Phys. comm. 10. magnetem Auerr. non mouere ferrum, sed hoc moueri ab illum, quæ solutio non est congrua, non enim datur motio passiua sine actiua impressione agentis: & ideo oportet assignare vim motricem: nam, si ferrum mouetur, necesse est vt ab aliquo moueatur, non à se, nihil. n. mouetur à semetipso: ergo ab alio, non apparet autem alia causa, cui motus eiusmodi tribuatur, quam magnes. Responderi poterit ferrum moueri à sua forma ob aliquam sympathiam occultam cum magnete: sed aliud est respondere, aliud ratione conuincere responsionem aduersarij: nam, qui negauerit corpus non mouere nisi motum, negabit etiam ferrum moueri efficienter à sua forma, ad quod concedendum non poterit ratione necessaria conuinci. Et ita ex hoc capite argumentum ductum à motu non ostendit necessario, & euidenter Deum non esse corpus, idemq; dicendum ex ratione alterius fundamenti: nam, licet Arist. existimet impossibile esse corpus infinitum, eamq; sententiam plures Philosophi, & Theologi tueantur, nihilominus de eiusmodi positione non est scientia, sed opinio: & idcirco, qui dixerit non repugnare, vt sit corpus infinitum, ex oppositio fundamento non cogetur fateri Deum non esse corpus. Hoc dixerim ad videndum, quæ vis esset argumenti sumpti à motu ex duobus illis principijs, nec enim necesse est, vt argumenta omnia, quæ communiter adhiberi solent ad confirmandam conclusionem veram, ac necessariam, sint necessaria, atque euidentia, plurima enim solam probabilitatem præ se ferunt.

VIII. Porro testimonia diuinarum literarum in contrarium adducta non sunt accipienda secundum proprietatem sermonis, sed secundum metaphoram vt ait Diuus Thomas 1. p. qu 3. art. 1. in solutione argumentorum, Henric. artic. 28. qu. 1. & Patres communiter August. li. 1. de Genes. contra Manich. cap. 17. & Epist. III. vbi id annotatum dicit ab omnibus, qui Antropomorphitis restiterunt, qu. 93. in Leuiticum lib. 83. quæstionum, q. 52. lib. 1. contra aduersarium Legis, & Prophetarum cap. 20. & fusè libro de essentia diuinitatis, qui fere totus refertur etiam in 4. tomo Epistolarum Hieronymi, inscribiturq; *de iis, quæ Deo in scripturis attribuuntur.* Gregor. li. 20. Moral. c. 23. super illa verba: *Mutatus es mihi in crudelem,* & lib. 32. ca. 6. super illa verba: *Si habes brachium sicut Deus.* Cyrill. li. 13. Thesau. c. 3. vers. finem, Anselm. li. de vest. & membris & actibus Deo attributis. Eucher. libr. de spiritualibus formulis, & multi alij passim, vt enim dicam in tractatu de nomine Dei, quia homines sunt corporei sensibilibus formis assueti, non possunt ipsas spirituales, & immateriales perfectiones absq; rerum sensibilium inuolucris aspicere: ideoque Spiritus sanctus auctor diuinarum literarum captui nostro se accommodans sub sensibilium rerū symbolis diuina nobis proponit, & vt ait August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. *A rebus, quæ in creaturis reperiuntur, solet diuina scriptura, velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum ad querenda superiora, ac inferiora deserenda, pro suo modulo tanquam passibus moueretur affectus.* Et ideo ex his, quæ ad hunc modum continētur in scriptura, non licet argumentum sumere secundum nominum proprietatem: hoc enim modo intelligitur testimonium Dionysij, epist. ad Titum asserentis Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam. Primus ergo locus Iob explicatur à D. Tho. vbi supra ad primum ratione sapientiæ, durationis, charitatis, & cæt. Verum planior expositio est quam attigit August. lib. de diuin. propriet. & ex eodem refert Henric. vbi supra scilicet omnia illa dici propter immensitatem Dei, quia omnia implet: & ideo explicatur secundum omnes differentias loci, quas corpus infinitū, si daret, occuparet. Secūdus exponitur de similitudine secundum substantiam: & quia in corporibus nobis notis similitudo sumitur secundū figuram corporis, ideo ad exprimendā verbi æterni cum Patre similitudinē sacræ literæ figuræ nomē vsurpāt. Tertius exponitur rōe potestatis, dominij, & gubernationis Dei supra creaturas: nam, sicut inter nos regia ciuitas, & domus solet esse amplior, ac magnificētior cæteris vrbibus, & priuatis ędificijs, ita scriptura nobis apponit Deum existentem in cælo, tanq̄ in

S. Thom. Henricus. Augustin. Gregorius. Cyrill. Alex. Anselm. Eucherius. Augustinus. Magn. Dionys. S. Thom. Augustin. Henricus.

præci-

præcipuo orbis domicilio, ex quo cuncta gubernat: non quia ab alijs locis distet, sed quia cœlis, & Angelis ipsorum incolis vtitur ad inferiorum rerum gubernationem, & in cœlo tanquam in solio regni magnitudinem gloriæ suæ ostendit. Sessio apud Esaiam significat immobilitatem numinis sempiterni, & supereminentiam maiestatis ipsius super omnes creaturas etiam præstantissimas. Statio in Psal. significat diuini iudicij rectitudinem: nam ibi introducitur Deus quasi Iudex Regum, ac Iudicum humanorum, vt indicant verba sequentia, *In medio autem Deos dijudicat*, & ideò stare dicitur: qui situs præ omnibus alijs præfert humani corporis firmitatem, & rectitudinem, vt eo significetur firmitas, & rectitudo iudicij diuini. Egressus vero Dei præeuntis populum ex Ægypto proficiscentem, & transitus eius per desertum accipitur pro peculiari Dei assistentia, & prouidentia in illo educendo, ac comitando: & quoniam eius præcipua executio demandata erat Angelo, qui præibat in columna ignis, ac nubis, Deumque repræsentabat, ideò Scriptura vtitur vocibus significantibus motum, quia re ipsa Angelus ille mouebatur, non autem Deus repræsentatus in Angelo, sed horum Symbolorum fusior interpretatio petenda à sacrarum literarum interpretibus, sat est attigisse aliquid, vt hinc fiat iudicium de reliquis:

Magn. Dion. nam, vt ait Magn. Dionys. cap. 5. cœlestis Hierarchiæ, sufficit sapientibus vnius significatiuæ imaginis dijudicatio in proximarum simili modo declaratione.

Deus neque ex partibus integrantibus, neque ex materia, & forma compositus est.

CAPVT IV.

I. QVamuis cap. superiore probatum sit in genere compositionē corpoream non posse conuenire Deitati, oportet tamen particulares eius modos excludere: quod hoc capite præstandum est. Compositio vero corporea omnis ad duas species reuocari potest: altera est ex partibus integrantibus, altera ex materia, & forma. Nec defuerunt, qui vtramque admitterent. In primis vero Rabbini Iudęorum, vt auctor est Iustinus in dialogo cum Tryphone satis post medium, tribuebant Deo compositionem ex anima, & corpore, & varietate membrorum: quem propterea etiam corporea figura præditum, in eaque antiquis Patribus apparuisse asseuerabant. Quem errorem Sadducæis tribuit Arnobius lib. 3. aduersus Gentes ante medium, Iudæis Basilius homil. 10. in Hexameron circa principium. Idem postea existimarunt Audius, siue Audæus monachus, vt refert Epiphanius Hæresi 70. & Theodoretus lib. 4. Hæreticarum fabularum, cap. 13. & lib. 4. Historiæ cap. 19. Ex quo orta est Hæresis Audianorum, qui parum mutato nomine dicti sunt Vadiani ab Augustino lib. de hæresibus cap. 5. & Græco nomine Antropomorphitæ appellati, eo quod Deo humanam figuram tribuebant. Idem existimarunt nonnulli simplices Catholici, quorum meminit Augustin. lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 10. & omnes ferè Ægypti Monachi, vt refert Cassian. collat. 10. cap. 2. 3. & 5. Horum error, vt notat Diuus Thom. lib. 1. contra Gentes, cap. 20. ad finem, ortum habuit ex eo, quod ob hebetudinem mentis nonnisi sensibilium rerum formas, & obiecta corporea imaginari poterant: potuit etiam nasci ex Scripturis male intellectis, in quibus frequenter est sermo de Deo per metaphoras, & similitudines formæ corporeæ, membrorum, ac lineamentorum corporis humani, itemque per verba propriè significantia passiones, quæ nonnisi in corpore reperiuntur. Nominatur enim frequenter, caput, facies, manus, brachium, & cor Dei, qui etiam sæpè dicitur irasci, dolere, pœnitere. Verùm hæc omnia, vt iam superiore cap. notaui, Symbolicè, & per metaphoram accipienda sunt, vt accipiuntur à Patribus: maximè vero mouebantur, vt refert Epiphanius, & Cassianus citatus ex illo Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quod de similitudine, & imagine corporea interpretandum putabant: sed totius Ecclesiæ sensus hæc verba intelligit de imagine, ac similitudine spirituali. Eundem errorem Tertulliano tribuit Augustin. Epist. 156. circa medium, & lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 25. Fulgentius lib. 2. de fide ad Petrum, & Gennadius lib. 2. de dogmatib' Ecclesiast. Plura loca ex ipso refert Pamelius in Paradoxo cap. 15. in eo autem dissentit error Tertulliani ab illo Vadianorum, quod ponebat quidem Deum compositum ex anima, & corpore, nō tamen ex membris eiusdem figuræ cum humanis, sed ex corpore alterius rationis, & naturæ, vt colligitur ex lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16.

Sadducæi. *Arnobius.* *Iudæi.* *Basil'.* *Audæus.* *Epiphan.* *Theodoret.* *Vadiani.* *August.* *Cassianus.* *S. Thom.* *Gen. 1.* *Tertullian.* *Augustin.* *Fulgentius.* *Gennadius.* *Pamelius.*

Rabbini. *Iustinus.*

II. Verùm vtraque compositio tã ex membris, quam ex materia, & forma per simplicitatem, & immaterialitatem diuinam excluditur. De priore ait August. lib. de essentia diuinitatis initio: *Incorporeus est*, nempè Deus, *quia nullis membrorum lineamentis compositus, siue compactus existit, sicut veritas in Euangelio ait Spiritus est Deus*, Orig. hom. 3. in Genesim circa principium, *simplex*, inquit, *est illa substantia, & neq; membris vllis, neque compaginibus, affectibusq; composita.* Bern. serm. 4. in Cantica: *Spiritus est Deus, & nullis simplex illa substantia membris distincta corporeis.* Queis verbis excluditur compositio ex membris tanquam partibus integrantibus. Deposteriore vero sic loquitur August. q. 93. in Leuiticum: *Perfecte simplex illa natura, quæ Deus dicitur, non constat ex corpore, & Spiritu*, sed quoniam hæc veritas est in fide certa, & Patrum sententijs, ac totius Ecclesiæ sensu recepta, nõ eget longa disputatione ex principijs fidei contexta: sat erit indicare repugnantiã, quę inter eiusmodi compositiones, & diuinas perfectiones existit.

Augustin. *Origen.* *Bernard.* *Augustin.*

III. Vt autem prius dicam de compositione partium integrantium, hæc duplex est, altera cõstat partibus similaribus, altera dissimilaribus. Non constare Deum ex partibus similarib' probari potest cũ Damasceno lib. 1. cap. 4. quoniam vel corpus ex illis coalescens esset naturæ elementaris, vel cælestis, si elementaris, esset corruptibile, si cęlestis, mobile secundum locum, primum repugnat incorruptibilitati diuinæ, secundum immutabilitati, quæ necessario conueniunt Deo, quia est actus purus, & necessarius: ergo vtrunque genus partium similarium Deo repugnat, non sunt autem partes alterius rationis nobis notæ: quare Deus non constat ex eiusmodi partibus. Verùm, quamuis nos minimè agnoscamus aliud genus corporis, inquiet aliquis esse alterius rationis ab elementari, ac cælesti incorruptibile, atque immobile: & ita illo argumento nõ rectè colligi institutum. Non tamen est negandum colligi saltem non esse corpus similare ex genere eorum, quæ in mundo sunt, cumque non habeamus vndè corpus alterius rationis colligamus, temere ac sine fundamento id astrueretur. Non posse vero fingi vllũ aliud Deo proprium, suadetur, quoniam partes omnes similares sunt eiusdem naturæ, & appellationis cum toto: atque adeò si in Deo esset corpus simi[illegible]e, singulæ partes continerent integre, & perfectè totam rationẽ essentialem diuinitatis cum attributis ipsius, sicut singulæ partes ignis continent naturã ignis, & proprietates eius: hoc autẽ repugnat, non enim vnaquæque esset actus purus, vt probatum est cap. præcedente, nõ immensa, vt per se patet, quoniam circunscriberetur certo, ac definito loco: Non omnipotens, quoniam virtus extensa per corpus non est tanta in quauis eius parte, quanta ac in toto; vt supponitur à Philosopho lib. 1. de cœlo t. 72. & 12. Met. cap. 7. qui ad virtutem infinitam corpoream requirit corpus infinitũ, quod minimè necessarium foret, si eius corporis quæuis pars haberet æqualem vim, ac potentiam cum toto. Si respondeatur hoc vltimum non sequi, quoniam vis actiua eius compositi similaris non est extensa per corpus, sed tota in toto, & tota in quauis parte ratione formæ, cuius propriè est vis agendi, Philosophus autem loquitur de virtute corporis extensa, non dissoluitur argumentum saltem ad mentem Philosophi, quoniam similiter ipsi responderi posset in corpore magnitudinis finitæ inesse posse virtutem infinitam, non quidem extensam, aut corpori immediatè inhærentem, sed ratione animæ indiuisibiliter in toto corpore existentem: Et tamen Philosophus absolutè negat in corpore finito virtutem infinitam: quia scilicet nulla virtus formæ substantialis operatur immediatè ad extra absque adminiculo corporis: imò ipsæmet functiones vegetantis, ac sentientis animæ, nonnisi corporis ope exercentur: ideoque non omnes in quauis parte corporis, sed in alia, atque alia pro organorum varietate eduntur ab anima. Eaque de causa vis actiua partium singularum non esset æqualis actiuitati totius compositi. Quod si demus esse æqualem intensiuè, saltem esset minor extensiuè: at vero inæqualitas extensiua virtutis supponit priuationem, & potentialitatem ex ea parte, quæ est inæqualis per defectum, & idcirco ableganda est à diuinitate.

Damascen. *Aristot.*

IV. Eadem vero repugnantia manifestius apparet in composito ex partibus dissimilaribus, quæ differunt penes formas, saltem accidentarias, & habent diuersas perfectiones interdum contrarias, & inter se mutuo agentes: quæ duo aliena sunt à Deitate, vbi enim est mutua actio, est etiam passio: hęc autem supponit potentialitatem in patiente, item vbi est diuersitas formarum, est in partibus priuatio mutua ipsarum: Ex qua necessario sequitur potentialitas. Nam, vel eiusmodi formæ sunt perfectiones simpliciter, & ita vbi est earum priuatio, non est actus purus, sed potentialitas, vel sunt perfectiones secundum quid, & ita erunt potentialitati immistæ;

quare

quare compositio ex partibus dissimilaribus est prorsus aliena à Deo. Lege Arnobium vbi supra, qui fusè impugnat errorẽ, figuram, & membra Dijs tribuentium.

V. Alius modus compositionis ex partibus fingi potest, nempè substantialibus, absque quantitate, ita vt compositũ sit indiuisibiliter, & inextensum, re tamen ipsa coalescat ex diuersis partibus, quæ inter se differant entitatiuè, non tamen situaliter. Hic tamẽ modus inprimis fictus est & absque fundamento: nó enim habemus aliud, ex quo venemur distinctionẽ partium materialium, quam ex quantitate, quatenus substantia est apta nata per eam diuersimodè extendi: & ita sublata quantitate, & ordine substantiæ ad ipsam nõ possumus concipere partes substantiæ materiales. Aut ergo substantiam, quam fingunt constitui ex partibus inextensis, est suaptè natura capax extensionis, aut non: si capax est, cùm in necessarijs, & æternis idem sit esse, ac posse, & Deus sit ipsum necesse esse, si sit corpus necessario erit extensum quantitate, quod impossibile esse ostensum est: si vero non est capax, & proinde nec tangi, nec videri, nec vlla alia ratione sentiri potest, temere, & sine vlla ratione fingitur tale corpus: quod nec experientia, nec ratio possibile ostendit. Deinde vero, etsi inter res creatas simile aliquid posset reperiri, Deo omninò repugnat: nam, si vera est compositio ex partibus materialibus, totum erit actualius, & perfectius singulis partibus: & plus substantiæ erit in pluribus, quam in paucioribus partibus: & proinde hæ deficient à perfectione, & complemento diuinitatis. Præterea aut omnes partes erunt de intrinseca ratione, ac perfectione Deitatis, aut non, si sunt omnes, nõ poterit in singulis esse completa ratio Deitatis: atque adeò, si vel re, vel ratione inuicem separentur, de conceptu illarum non erit diuinitas: præter diuinitatem vero non restat alia ratio, quam creaturæ: quare hæc erit de conceptu intrinseco partium, imò & compositi includentis partes: ratio vero creaturæ nequaquam cadit in conceptum formalem, & intrinsecum Dei: ideoque repugnat Deum esse compositũ ex partibus pure substantialibus, etiamsi indiuisibiles, & inextensæ fingantur.

VI. Deum non componi ex materia, & forma ex instituto probant D. Thom. 1. p. q. 3. art. 2. & opusc. 3. cap. 17. Henric. in sum. art. 28. q. 2. Scot. in 1. d. 8. q. 1. Bassolis q. 2. art. 2. Aquilan. q. 3. art. 1. & Andr. de Nouo Castro q. 2. Cõclusione 1. facilè vero à Deo excluditur hæc compositio, quandoquidem necessario exigit materiam corpoream, quã repugnare Deo proximè ostensum est. Repugnat etiã ex propria habitudine materiæ ad formam, quã respicit vt actũ perficientem potentialitatẽ ipsius: Deo vero nihil imperfectum, & potentiale est intrinsecum: quapropter nõ poterit esse compositus ex materia, & forma. Præterea materia, vtpote pura potentia, nõ potest esse ex semetipsa, sed indiget actione alterius causæ: hæc non potest esse compositum, quod est posterius materia: ergo vel est forma ipsa, vel aliud agens extrinsecum: hoc autẽ posito planè sequitur compositum ex materia, & forma nõ posse esse primã causam, atq; adeò neque Deum: si quis dicat ea, quę cõueniunt formæ, competere quoque ipsi composito: ideoque, si forma sit causa prima, ipsum quoque compositũ dici debere causam primam, nõ dissoluit argumentum: quoniam enti per essentiã nihil perfectionis simpliciter conuenit per aliud, sed omnia per se primo: quæ vero conueniunt ratione formæ, nõ conueniunt per se primo composito ex ipsa, & materia. Maior propositio est euidens, quoniam ens per essentiam, vt cõstat ex superioribus, opponitur non solùm enti per accidens, sed etiam enti per participationem: quæcunque vero nõ conueniunt alicui per se primo, sed ratione alterius ab eo distincti, cõueniunt per participationem eius, cui primo conueniunt: quare fieri nequit, vt enti per essentiam conueniat vlla perfectio ratione alterius, & non per se primo. Assumptio vero eiusdem Syllogismi patet, quoniam forma respondens materiæ est ens re ipsa à composito distinctum, eoque prius secundum rationem causæ formalis intrinsecæ: ideoque ea, quæ in eo priore conueniunt ipsi, & eius ratione composito non huic, sed illi per se primo cõueniunt. Et cõfirmatur, quoniam omne subiectũ habens perfectionẽ ab aliqua forma, habet illã per participationem formæ, vt patet ex ijs, quæ dicta sunt hoc lib. tract. 1. cap. 4. Respondebitur iterum quæcunq; cõueniunt enti, quatenus ipsum, & cõuertibiliter, competere per se primo: ea vero, quę conueniunt rationem formæ, cõuenire cõuertibiliter, & quatenus ipsum, & cõsequenter p se primo: vt videre est in homine, cui ratione formæ rationalis p se primo, & quatenus ipsum cõpetit rationalitas: sed neque hæc solutio est idonea: etenim, vt sumitur ex Sylu. q. 3. ar. 2. §. 2. in ratione 3. & Caiet. art. 2. citato, §. *Ad hoc dicitur*, duobus modis dicitur aliqua perfectio per se primo conuenire subiecto, vel quia conuenit ex proprijs essentiæ principijs, &

Sylueſt. Caietan.

non

non ex ratione aliqua communi: vel quia competit ex sua propria, & adæquata ratione formali, non vero ratione alterius quomodolibet distincti ab eo ex natura rei: quæ priore modo cõueniunt per se primo, non repugnat, vt distinguantur ex natura rei à subiecto, cui competunt, solumque debent de ipso dici necessario, & conuertibiliter, atque possunt conuenire per participationem: vt patet in potentia discursiua hominis, quæ conuenit ipsi necessario, & conuertibiliter, non tamen per essentiam, sed per participationem: & hoc maximè modo vsurpatur à Philosophis, cùm dicitur aliqua perfectio per se primo cõuenire subiecto. Quæ vero posteriore modo per se primo conueniunt, excludunt omnẽ entitatem ex natura rei distinctam cui primo cõueniant, & participatione cuius communicentur subiecto: hæc vero non possunt non conuenire per essentiam. Cùm itaque dicitur enti per essentiam nullã perfectionem per aliud, sed oẽs per se primo conuenire, sermo est de hoc secundo modo conueniendi per se primo, & idcirco ea, quæ conueniunt ratione propriæ formæ, si hæc distinguitur ex natura rei à subiecto, cõuenire nequeunt ipsi per se primo posteriore modo: iam enim eiusmodi subiectum non seipso, & adæquatè secundum totam suam rationẽ formalem, sed inadæquatè secundum partem sui, & participatione eius est tale, nõ vero per essentiam: & ita repugnat enti primo, & per essentiam, vt sit ex materia, formaque compositum.

VII. Ratione vero formæ repugnat huiusmodi compositio, quoniam forma informans necessaria est ens creatum: nihil vero creatum est de ratione Dei intrinseca: Antecedens patet, quoniam forma informans non perfectè ac per se subsistit, nec est id q̃ est, sed quo aliquid est: ens vero increatum necessario est id, quod est: quapropter omnis forma informans necessario continetur intra ordinẽ entis creati: Et confirmatur, quoniam increatum nullius agentis virtuti, actioniúe subordinatur: subordinaretur autem, si cõstaret forma informante: ergo hæc illi repugnat. Assumptio patet: nã forma informans quoad introductionem in materiam pendet ab agẽte extrinseco: agẽs vero inducens formã in materiam est vera causa efficiens compositi, vt cõstat in generatione hominis: nã Pater est causa efficiens filii, & nihilominus nõ producit materiam, neq; formam, sed solùm hanc in illã introducit. Ex quo planè efficitur repugnare, vt prima causa ex materia, & forma componatur. Patet consequentia, quoniam compositum ex materia, & forma pendet ab extrinseco agente: id vero quoad vim agendi esset prius, & independens ab actione formæ, quã introducit, vel cõpositi, quod ex tali informatione resultat: quare repugnat, vt causa prima sit ens compositum ex materia, & forma. Itaque eiusmodi compositio abhorret à Deitate non solum, quia materialis est, sed etiam ex peculiari ratione repugnantiæ vtriusque partis.

VIII. Ijsdem ferme rationib⁹ excluditur compositio ex forma, & materia incorporea quam nonnulli fingunt. Vt enim eiusmodi fictione refutanda nõ immoremur, si quomodo ea possibilis esset, necessario inter eiusmodi materiam, ac formã deberet intercedere distinctio secundũ rationẽ actus, ac potentiæ, limitatio secundum rationes formales, subordinatio ad agens extrinsecum, causalitas inter ipsas, & totum, & pleræque aliæ imperfectiones à Deo alienæ: & ita compositio quoque ex materia spirituali, si qua vel per impossibile daretur, est omninò impossibilis Deo. Antecedens breuiter per singula deduco: primum quidem: quoniam, si vtraque esset pura potentia, nõ constituerent vnũ actu simpliciter, & absolutè perfectum: si vero vtraque esset actus, aut esset purus, aut potentialitati immistus: si purus, nõ ẽgeret alterius consortio ad constitutionẽ vnius per se, sed vtraque per se cohæreret, perfectoque cõsisteret: si potentialitati immistus, aut in eodẽ genere, aut in diuerso: si in eodem, nõ posset esse vna actus alterius: nullum enim ens potest esse actus alterius, nisi sit actu secundum eam perfectionem, qua alterũ caret: si in diuerso, aut vtraque in genere substantiæ, aut vtraque in genere accidentis, aut altera in genere substantiæ; altera in genere accidentis: si duobus postremis modis, nõ potest fieri vnum subsistens per se: ad huius enim constitutionem pertinere nequit accidens, si in priore, aut altera est pura potentia, altera actus: vel vtraque est actu indeterminato genere substãtiæ. Si posteriore modo se habeant, non venient in constitutionem vnius per se, quod nõ potest esse actu secundum diuersas rationes substantiæ. Restat ergo, vt materia spiritualis, quam vocant, sit pura potentia in genere substantiæ, forma vero actus, quod erat probandum: limitatio vero constat, quoniam inprimis materia contineretur in ratione puræ potentiæ, vt probatum est quæ est maxima limitatio, forma vero recepta in materia necessario est ens per participationem, vt iam ostendi, & consequenter limitatum iuxta mensuram

participationis ab ente per essentiam. Causalitas inter ipsas, ac totum, ac subordinatio ad agens extrinsecum ostendi potest ijsdem medijs, quibus id ostensum est de partibus in communi, & de materia, & forma.

IX. Ex Philosophia non est vllum argumentum contra traditam doctrinam, nisi fortè quędam testimonia Aristotelis lib. 5. Aristot. Metaph. cap. 6. & alibi, qui ad singularitatem, & distinctionem ab alijs videtur exigere materiam: Deus autem est maximè vnus numero, ac singularis, & à rebus creatis distinctus: ideoque si verum ait Aristot. constare debet materia. Ad idem facit quod dicitur libr. 1. de cælo text. 92. nempè quæcunque plura in forma conueniunt, habere formam in materia: Deus autem conuenit cum rebus creatis in ratione formali entis: ergo non est forma simplex, sed ex materia, formaque compositus. Ad primum testimonium respondeo Philosophum non dicere omnem indiuiduationem fieri per materiam, sed multiplicationem indiuiduorum sub eadem specie fieri per materiam. Ex quo non sequitur rem omnem singularem, atque indiuiduam, vel Deum ipsum constare materia, sed Deum ex eo quod non constet materia, non posse esse nisi vnum numero Aristot. indiuiduum, quod colligit idem Aristot. 12. Metaph. cap. 8. his verbis; *Quæcunque multa numero materiam habent, vna etenim, & eadem multorum ratio est, veluti hominis, Socrates vero vnus. Ipsum vero quid erat esse primum, non habet materiam, cum actus sit; Vnum ergo tum ratione, tum numero primum mouens immobile ens est.* Ad secundum dicendum non esse simpliciter admittendum Deum conuenire cum rebus creatis in forma: nam forma significat rationem formalem determinatam ad aliquod genus entis: non vero rationem ipsam formalem entis, quæ in sua communissima abstractione amplectitur formam, & materiam, & ita quæ in hac ratione conueniunt, non indigent materia, vt differant: sed se ipsis differunt, & conueniunt: ex quo non sequitur necessitas materiæ: nam res, quæ ea constant, non eodem conueniunt, ac differunt: sed conueniunt forma, differunt materia. Et quod dictum est de ratione formali entis, dicendum de quauis alia ratione formali, sub qua Deus, & creatura conueniunt: semper enim eiusmodi conuenientia est analogica non exigens in ijs, quæ conueniunt, diuersitatem materiæ, ac formæ, vt ratione vnius conueniant, ratione alterius differant.

X. Porro Spiritus diuinus à Deo est ab omni materialitate remotus, vt solum ipsum incorporeum nonnulli Patres asseruerint, ita Augustin. siue quisquis alius auctor lib. de essentia diuinitatis: *Deus solus indiuisibilis, solus incorporeus, & immortalis.* Quæ verba etiam habet Eucherius in lib. de spiritualibus formulis cap. 1. qui Deum solum vocant incorporeum, siue quia creaturas omnes etiam Angelicas corporeas esse existimarent, vt Origen. lib. 6. in Exod. circa medium, *nullus*, inquiens, *in Dijs similis Domino inuisibilis, scilicet incorporeus, incommutabilis:* siue quia, licet corpore careant, habent tamè certam, ac definitam existendi sphæram, vt videtur loqui auctor lib. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 11. & 12. vbi sic ait: *Nihil incorporeum, & inuisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: qui ideò rectè incorporeus creditur, quia vbique est, & omnia implet, atq; constringit, ideò & inuisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea est, Angeli, & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet nō carne subsistant: ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quod localiter circunscribuntur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur, & dæmones, quiper subsistantiam Angelicæ naturæ sunt:* arguens corporeitatem in Angelis ex diffinitione, ac termino secundum localem existentiam, ex immensitate vero diuina eiusdem immaterialitatem: cùm vero appellet intellectuales creaturas, non videtur loqui de propria corporeitate, sed ratione aliqua potentialitatis, quæ censetur habere rationem materiæ: ad quem sensum locutus est Beda tomo 8. dialog. quæstionum super Genes. parum à principio: *Hæc autem incorporea accipienda sunt, non sicut Deus incorporeus dicitur, eius enim comparatione nihil incorporeum est: sicut nec immortale, nec inuisibile: alius enim modus est, quo hæc verba soli diuinitati cōueniunt: alius, quo de creaturis loquimur.* Itaque sicut Deitas excellit omnes creaturas quoad cætera prædicata sibi cum illis analogicè communia, ita in ratione spiritualitatis ipsas infinito superat interuallo.

Augustin. *Eucherius.* *Origenes.* *Auctor, de Ecclesiast. dogmatibus.* *Beda.*

Deo

Deo repugnat compositio ex eo, quo est, & quod est.

Caput V.

I. ID, quod propriè esse dicitur, est subiectum, id, quo, est forma: & quia vltimum omnium subiectum est suppositum, forma vero qua propriè esse dicitur, est natura, idcirco idem est inuestigare vtrum in Deo sit compositio ex eo, quo est, & quod est, ac ex natura, & supposito. Ad cuius dubij solutionē oportet prius explicare, quid in hac re nomine naturæ, quid suppositi, aut rationis suppositalis intelligatur. *Henric.* Henr. in sum. art. 28. quæst. 5. naturam intelligit essentiam rei, & quidditatem dictam nomine absoluto, quam significat diffinitio: eam vero censet abstrahere ab omni ratione subsistendi, ac non subsistendi, vniuersalis, vel particularis, communis, vel singularis, & cuiuslibet alterius intentionis, quæ circa ipsam potest intelligi: itaque de mente eius natura appellatur simplex, nuda, & absoluta quidditas, siue essentia rei absque omni determinatione cuiuscunque extrinseci conceptus intellecta: quidquid autem extra eiusmodi rationem formalem pertinet ad rationē indiuiduationis totum ipsi extrinsecum, & accidentarium esse censet: atque adeò, cùm dicitur aliquid creatum componi ex supposito, ac natura, intelligit de natura secundum propriam, & formalem diffinitionem. Eodemque modo *S. Thom.* videtur accipere D. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 3. vt patet ex ratione, qua vtitur ad probandum in rebus compositis ex materia, & forma necessario differre essentiam, vel naturam à supposito, *quoniam*, inquit, *essentia, vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in diffinitione speciei*, & infra ait has carnes, & hæc ossa, & accidentia designantia hanc materiam non includi in humanitate; & tamen includi in eo, quod est homo: ex quo colligit id, quod est homo, habere aliquid in se, quod nō habet humanitas, & consequenter distingui vnum ab altero: & humanitatē significari tanquam partem formalem hominis, quia principia diffinientia habent se formaliter respectu materiæ indiuiduantis.

II. Tametsi Philosophicè loquendo absolute natura sumatur pro essentia secundum propria, & intrinseca principia abstrahendo à rationibus, quæ ipsi accidunt, quæ in rebus creatis non est nisi natura communis speciei, quo etiam modo nonnulli Patres loquuntur, vt Basilius in Epist. ad Greg. de differentia naturæ, & hypostasis, & Damascen. lib. 3. de fide cap. 4. & 6. tamen *Damascen.* quando inter naturam, & suppositum, aut rationes suppositales fit comparatio in ordine ad compositionem, non hoc modo sumi debet, sed pro natura singulari. Probatur autem, quoniam vel suppositum nō est aliud, quam natura, simul cum conditionibus indiuidualibus, vel præter has includit aliquid sibi proprium prout distinguitur à natura singulari: primum non est dicendum, alioquin in Christo Domino esset verè suppositum creatum: quoniam ibi est natura humana singularis cum conditionibus indiuidualibus, cùm his carnibus, & ossibus: quare cum sit hæresis damnata ab Ecclesia asserere in Christo suppositum creatum, hæ carnes, & ossa, & conditiones materiales, atque indiuiduales non complent rationem suppositi: neque ratione ipsarum præcisè distinguitur suppositum à natura, si vero detur secundum, iam erit aliquid, quo suppositum propriè à natura distinguitur, & ratione cuius cum ipsa facit compositionem: hanc vero non minus facit cum natura singulari, quam cum vniuersali, imo magis propriè cum singulari, cui immediatè copulatur ratio suppositalitatis, & ratione cuius natura vniuersalis dicitur componi cum ratione suppositali. Et confirmatur: quoniam, si Verbum diuinum nunc dimitteret naturā humanam, ita, vt ea terminaretur ad propriam personalitatem de nouo resultantem, verè fieret de nouo compositio ex natura, & supposito: ex parte autem suppositi nō se haberent hæ carnes, & ossa, quæ præerant in natura singulari, eamque integrabant, sed suppositalitas de nouo resultans, ita vt compositio censeatur fieri ex hac natura singulari, & hac indiuidua personalitate: non est autem diuersa compositio in alijs hominibus, ac esset in illo: quapropter quādo inquiritur vtrum in re aliqua sit compositio ex natura, & ratione suppositali, intelligi debet de natura singulari per se quoad omnia sibi intrinseca in ratione huius naturæ.

III. Ex his etiam patet quid nomine suppositalitatis intelligatur, nempè id, quo præcisè distinguitur suppositum à natura, & vltimo cōstituitur, & quo sublato dissolutur ratio suppositi. Quæ vero sit propria ratio suppositalitatis, & quam distinctionem habeat à natura, non est huius loci disputare, dicetur autē in materia de Trinitate, ad præsens institutum sat est supponere rationē suppositalitatis esse id, quod suppositum addit supra naturam singula-

rem,

tum, completatam, atque perfectâ in genere naturæ. Porro eiusmodi rationem concreta nomina communiter important, aliter tamen, atque aliter: nunc satis est ea distinctio, qua quædam dicuntur illam importare confusè, & indefinite vt nomen homo, quod concernit suppositum humanitatis non hoc, aut illud in particulari, sed hoc, vel illud indistinctè: quædam vero determinatè, vt Socrates, Plato. In diuinis autem, vt rectè notat Syluester in conflato quæst. 3. art. 3. initio, proportione quadam est eadem distinctio: nam nomen Deus, quamuis significet singularem, determinatamque naturam, non concernit tamen vnum suppositum determinatum, sed indefinitè vnum ex tribus suppositis diuinis: & ideò, quoniam nomen Deus non solùm supponit pro personis diuinis, sed etiam habet suppositionem absolutam pro subsistente in Deitate, quatenus præcisè importat subsistentiam singularem, & independentem à suppositio incommunicabili, non minus disputari potest vtrum Deus, siue subsistens in Deitate admittat compositionem ex essentia, & subsistentia, quam vtrum Deus, quatenus supponit pro personis diuinis, aut aliqua ex illis, sit capax compositionis ex eadem essentia, & personalitate. Et quidem hoc loco, vbi agitur de Deo quoad essentialia, præcipuè tractanda est quæstio in priore sensu abstrahendo à personis, & considerando Deum, quatenus est singulare subsistens in Deitate ad modum, quo ab antiquis Philosophis concipiebatur, excludendo tamen incommunicabilitatem, sub qua ipsi Deum apprehendebant: simul tamen agendum erit de ipso quatenus determinate supponit pro aliqua persona diuina, vt rectè monet Ferr. lib. 1. contra Gent. cap. 21. initio.

Ferrarien.

IV.

Non dari vero in Deo compositionem ex eo, quod est, & quo est, siue ex supposito, ac natura communis est sententia Theologorum Alberti p. 1. tract. 4. quæst. 20. memb. 3. ad primum, Sancti Thomæ 1. p. quæst. 3. art. 3. cum Caietan. lib. 1. contra Gentes cap. 21. cum Ferrar. & opuscul. 3. cap. 10. Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2. Henric. in sum. art. 28. quæst. 5. Richard. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 1. Aureoli quæst. 4. art. 2. Syluest. q. 3. conflati art. 3. Hispal. in 1. d. 4. q. 2. art. 1. conclusione 4. Probatur inprimis testimonijs Sanctorum Patrum. Ita expressè tradunt Iustinus Mart. in responsione 144. ad orthodoxos, Nazianzen. tract. de fide paulò ante medium. Cyrill. Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 8. versus finem, Richard. de Sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 20. Bernard. lib. 5. de consideratione cap. 7. & significant Patres relati tract. 1. cap. 4. num. 8. dicentes quidquid est in Deo, esse Deum, & citat. cap. 10. eiusdem tractat. qui asserunt in Deo non esse aliud esse, aliud habere: in probanda huiusmodi veritate variant Doctores Scholastici; probat Aureolus, quoniam Deitas concipi non potest, quin paternitas necessario includatur, & hęc, & illa constituunt vnam per seitatem: atque adeò natura concipi nequit, nisi sub ratione totius personæ, quam constituit: ex quo sequitur ex Deitate, ac supposito non resultare vnicum conceptum compositum, cùm Deitas totum includat: & ita impossibilis est compositio in Deo ex natura, ac supposito. Hoc argumentum, quatenus supponit paternitatem includi in conceptu Deitatis, nõ habet vim: namque, vt in materia de Trinitate dicitur, problema est: & ita non potest assumi vt principium certum: si vero procedat de Deo absolutè sumpto, quatenus dicitur habens Deitatem ratione existentiæ essentialis, euidenter concludit, quoniam existentia intrinsecè includitur in essentia.

Alberus. S. Thom. Caietan. Ferrarien. Bonauent. Henricus. Richard. Aureol. Syluest. Hispalens. Iustinus. Nazianzen. Cyrill. Alex. Richardus. Bernard.

Idem probat D. Thomas vbi supra ex eo, quod Deus careat compositione ex materia, ac forma. Huic autem probationi obstat, quod substantiæ omnes separatæ carent eadem compositione, & nihilominus dicuntur communiter à doctorib' admittere compositionem ex natura, & supposito. Quin ipse D. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. ad tertium, admittit naturã Angelicam potuisse assumi à verbo diuino: quæ assumptio non aliter fieret, quam supplendo propriam personalitatem naturæ assumendæ: atque adeò in ipsa quoque natura Angelica suppositalitas est aliquid suaptè natura distinctum ab essentia, & cum ea compositionem faciens: idque concluditur de mente D. Thomæ, qui ex eo probat Deum esse idem, quod sua natura, & consequenter nõ pati compositionem ex supposito, ac natura, quia fit mutua prædicatio inter concreta, & abstracta: dicitur enim Deus vita, &c. quod in natura Angelica nõ ita se habet: vt enim idem Sanctus Doctor ait 3. p. q. 17. art. 1. natura non prædicatur de persona nisi in Deo, in quo non differt quod est, & quo est; Ad huius nodi solutionem multa congerunt Thomistæ aliqui, quos benè impugnat Suar. in Met. disput. 34. sect. 3. num. 16. ipse vero num. 17. ita exponit D. Thom. vt dicat ipsum eo articulo solùm probare non esse in Deo compositionem ex eo, quod est, & quo est, qua-

V.

S. Thom. S. Thom. Suarez.

tenus hæc distinctio sumitur à materia, & forma: probaturum vero inferius non dari ex alia radice, ex qua reperitur in substantijs immaterialibus: & ita supponere colligi distinctionem suppositi à natura, quoties substãtia singularis supra naturam specificam addit aliquid ipsi extrinsecum, siue hoc sit principium indiuiduationis, siue accidens: tum vero art. illo 3. excludere à Deo principia indiuiduantia, quæ sint extra essentiam Dei, & quoad hoc non est diuersitas in Deo, & Angelis: verum quia planum est, & eadem q. art. 6. à D. Thoma probandum non posse conuenire Deo accidentia, idcirco absolutè intulisse Deum esse suam Deitatem, quod ibi de Angelis minimè asseruit, alijs vero locis apertè negauit: & ita constat rationem adæquatam, cur D. Thomas senserit Deum esse suam Deitatem, nõ sumi solum ex eo, quod non constet materia, & forma, sed ex eo, quod nihil habeat extra rationem essentiæ.

VI. Hæc expositio conciliat quidẽ doctrinam D. Thomæ, & à contradictione defendit: an vero sit ad mentem eius art. 3. citato, interpretes viderint. Mihi de re ipsa agendum, & statuendum est inprimis non solam compositionẽ ex materia, & forma inducere compositionẽ ex natura, & supposito. Quæ sententia est cõformis doctrinæ D. Thomæ alijs in locis, Capreol. in 1. d. 4. q. 2. conclusione 4. Hispal. ibid. q. 2. art. 1. conclusione 3. Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. Sylvest. 1. p. q. 3. art. 3. §. 2. Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 21. & aliorum concedentium in Angelis materiæ expertibus compositionem ex natura, & supposito. Quomodo autẽ ex compositione ex materia, & forma, vel accidentibus aduenientibus naturæ, hæc compositio colligatur, nondum patuit. Nam ideò ex compositione materiali D. Thom. elicit aliam, quia suppositũ includit has carnes, & hæc ossa, quæ natura specifica non includit: at hîc iam non fit comparatio inter naturam specificam sed inter indiuiduam, ac suppositum: & ideò parum refert ad institutum vtrum suppositum plus includat, quam natura specifica, si tamen nihil amplius includit, quam singularis: at hæ carnes, & hæc ossa nõ minus pertinent ad naturã singularem, quam ad suppositum: in Christo enim non includuntur in supposito, sed sunt partes materiales illius singularis naturæ: ergo & in cæteris hominibus pertinent ad naturam, siquidem quoad intrinseca naturæ non est diuersitas in humanitate Christi Domini à naturis singularibus hominum reliquorum. Respondebit aliquis ex eo, quod suppositum includat aliquid amplius, quam natura specifica, & ab ea distinguatur, sequi etiam discrimen eius à natura singulari, quæ à specifica non distinguitur, & consequenter compositionẽ cum eadem. Hæc tamen responsio non est idonea: nam, si inter naturam specificam, ac singularem non est vlla distinctio, etiam inter carnem, & ossa in communi, & has carnes, & ossa determinata non erit vlla distinctio, solùm enim differunt penes rationẽ communem, & particularem, quemadmodũ natura specifica, & indiuidua: & consequenter ex eo, quod suppositum includat has carnes, & hæc ossa, nõ distinguetur actu à natura specifica, nec faciet cum ea compositionem. Itaque ex his carnibus, & ossibus, vel accidentibus extrinsecus naturæ non sumitur distinctio suppositi à natura, tamquam ex ratione intrinseca supposito, sed tanquam à signo: non tanquam à ratione intrinseca, quoniam hæ carnes, & hęc ossa vt iam dixi, non minus intrinseca sunt naturæ singulari, quam supposito: ratio vera intrinseca distinguens vnum ab alio non debet vtique conuenire, sed solum illi, cui affert distinctionem: accidentia vero non possunt esse intrinseca composito substantiali, nec constituere discrimen substantiale: at vero suppositum est compositum substantiale, ac differt à natura secundum modum substantialem. A signo vero, & à posteriore colligitur, quoniam omnis substantia composita ex materia, ac forma, vel accidentibus subiecta est ens per participationem, & potentialitati immistum: nullum vero eiusmodi est sua vltima, & completa perfectio substantialis, sed illã habet aliunde ex participatione summi boni: atque adeò facit cũ illa compositionẽ: summa autem, & vltima perfectio substantialis naturæ creatæ est subsistentia suppositalis: quare non est idem quod illa, & consequenter facit compositionem cum ea.

S. Thom. Capreol. Hispalens. Caietan. Sylvest. Ferrarien.

VII. Ex iacto principio facilè deducitur repugnare Deo compositionem ex natura, ac supposito: etenim eiusmodi compositio supponit ex parte naturæ potentiam passiuam ad rationem suppositalitatis, tanquam ad propriam perfectionem: potentia verò passiua repugnat Deitati: ergo etiam compositio repugnat. At inquiet aliquis, suppositalitatem non esse perfectionem, cui ex parte naturæ respondere debeat potentia passiua: nam natura diuina in eo priore, quo nostro modo intelligendi præcedit diuinas personas, nondum intelligitur subsistere personaliter, nec tamen concipitur in potentia passiua ad ra-

tiones

tiones personalitatis. Respondeo longè aliter se rem habere in diuinis, ac in creatis: nam in diuinis propter omnimodam identitatem in re ipsa non est prius, aut posterius, sed omnia sunt simul vnicum ens essentialiter, trinum personaliter: & sola cogitatione distinguitur natura à suppositis, illisque prior consideratur: & ita non relinquitur locus potentiæ passiuæ, inter quam, & actum interuenit distinctio, ac prioritas ex natura rei: in creatis vero vbi interuenit distinctio & prioritas inter naturam, ac suppositum, & natura non habet ex se subsistentiam independentem à supposito, à quo ipsam mendicat, necessario interuenit potentialitas ex parte naturæ respectu modi suppositalis. Vt vero hoc magis appareat, altero exemplo illustrabitur: in creatis sapientia, & iustitia faciunt compositionem subiecti, & accidentis cum creatura intellectuali, à qua distinguuntur, cui conueniunt per participationem tanquam actus perficientes eius potentialitatem: sapientia vero diuina nullam compositionem cum Deo facit, quia nullo modo ab eo distinguitur, nec est actus aduenies ex participatione alterius, sed est ipsamet essentia diuina; si vero quis vrgeat etiam inter naturam creatam, & propriam suppositalitatem non esse discrimen ex natura rei per aliquid, quod habeat rationem entis, & sit intrinsecum supposito, non naturæ, vt multi doctores sentiunt: atque adeò quo ad hoc non magis esse compositam substantiam creatam ex natura, & supposito, quam Deum. Respondeo hoc argumentum non esse contra præsens institutum, solùm enim intendo probare Deum esse expertem huius compositionis, quod satis ostensum est, siue creaturæ expertes sint, siue non: deinde vero secundum meam sententiam substātiæ creatæ illam admittunt, quemadmodum etiam distinctionē naturæ à suppositalitate: quomodo vero negata eiusmodi distinctione constet discrimen quoad hoc inter Deum, & creaturas, illi dicant, qui ipsam negant: imò vero hoc est maximum argumentum aduersus eorum sententiam.

VIII. Hoc argumentum ex æquo probat non posse conuenire eiusmodi compositionem Deo, siue accipiatur quatenus concipitur subsistens in diuinitate, siue quatenus supponit personaliter pro singulis personis diuinis. Dubium vero est vtrum hæc veritas naturali lumine innotescat, an vero ex sola fide habeatur. Quidam recentiores respondent cum distinctione: nam si sermo sit de negatione compositionis ex natura diuina, & rationibus suppositalibus trium personarum, censent non posse ratione naturali ostendi, quia probari nequit perfectam simplicitatem, & identitatem naturæ diuinæ cōsistere posse cum distinctione reali personarum inter se. Si vero abstrahamus à ratione suppositali personarum, & consideremus Deum, quatenus subsistens in natura diuina, aiunt ratione naturali ostendi posse Deum non esse subsistentem per additionem alicuius rei, vel modi à parte rei distincti ab essentia ipsius: atque adeò non dari in ipso compositionem ex natura, & supposito. Ratio vero est, quoniam subsistentia est de essentia Deitatis, nihil autem quod est de essentia alicuius facit cum eo compositionem, hæc enim exigit talem distinctionem inter componentia, vt vnum non includatur in essentia, siue ratione formali alterius: Hæc vero ratio non procedit, si applicetur ad personas diuinas, quandoquidem vt plerique Theologi docent, relationes diuinæ, quæ intrinsecè pertinent ad rationes suppositales personarum, non sunt de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, ideoque ex hoc capite non repugnaret, vt cum essentia facerent compositionem: quamuis de fide habeamus repugnare propter summam simplicitatem Dei, & identitatem inter essentiam, ac personas.

IX. Hæc sententia aliqua ex parte vera indiget maiore declaratione, pro qua obseruandum inprimis rationem naturalem euidentem ad ostendendam huius compositionis impossibilitatem sumi posse vel ex rationibus communibus omni compositioni, vel ex proprijs ipsius; deinde notandum dupliciter ostendi posse repugnare hanc compositionem Deitati cum tribus rationibus personalibus, vel absolutè absque vlla suppositione probando simul & esse tres personas, & in eis minimè dari compositionem ex natura, & suppositalitate: vel conditionaliter supponendo prius ex fide Deum esse trinum, & vnum, postea vero probando singulas personas non habere veram compositionem ex natura & supposito. Hoc posito dico primum, hanc veritatē ex proprijs principijs compositionis ex supposito, & natura nullo modo posse naturali lumine demonstrari, siue de Deo absolutè considerato, siue de personis diuinis: Fundamentum est, quoniam, vt demonstratio fiat ex proprijs, oportet intelligere naturaliter rationem propriam huius compositionis, & distinctionem naturæ à modo suppositali-

tatis: at nobis hæc ratio ac distinctio minimè comperta est necessaria, & euidente notitia, sed posita fide Trinitatis, & incarnationis probabiliter opinamur de ratione suppositalitatis, ac genere distinctionis ipsius à natura, quod eundem auctorem non latuit, qui ex eo, quod lumine naturæ non possumus comprehendere hanc compositionem, nec habemus principium sufficiens ad distinguendam subsistentiam à natura, colligit non esse vndè ratio naturalis, vel suspicando possit eam attribuere primæ substantiæ: ex quo vlterius concludit, cùm compositio imperfectionem sonet, nec sit eius vlla necessitas, aut vllum indicium in prima, æternaque substantia, euidens esse non posse illi attribui. Ex quo discursu si tollatur id, quod inuoluitur ex ratione communi compositionis illis verbis, *cùm compositio imperfectionem sonet*, nulla omninò est euidentia: nam ex eo, quod ratio nostra non agnoscat in creaturis propriam rationem compositionis, solùm sequitur quasi à signo non haberi argumenta, quibus probetur Deum esse capacem illius, non tamen euidenter ostenditur esse prorsus expertem: sæpè enim nos latet ratio multorum, quæ tamen esse non repugnat: verbi gratia si quis argueret in hunc modum, naturali ratione non possumus in creaturis inuenire multitudinem suppositorum in vna natura singulari, nec vllam eius necessitatem, vel indicium in Deo, ergo non datur, tantum abest vt euidenter demonstraret, vt potius grauissimum errorem colligeret. Dicet aliquis esse disparem rationem, quoniam naturali lumine constat compositionem repugnare Deo, non autem multitudinem suppositorum. Verùm non soluitur argumentum: nam iam recurritur ad rationem communem compositionis: ego autem contendo non posse naturali lumine euidenter colligi impossibilitatem huius compositionis in Deo ex proprijs principijs, & causis ipsius.

X. Dico secundum, principijs sumptis ex ratione compositionis in communi euidenter ostenditur Deum siue absolutè, siue personaliter sumptum esse prorsus expertem compositionis ex natura, & suppositо: est tamen nonnulla diuersitas, nempè quod ratio naturalis de Deo absolutè sumpto probare id potest absque vlla suppositione fidei, lumine enim naturali demonstratur & esse Deum, & carere omni prorsus compositione: at Deum esse trinum agnosci non potest euidenter rationibus naturalibus: eo tamen ex fide supposito, iam ratio naturalis absque noua reuelatione potest euidenter ostendere singulas personas diuinas esse omninò simplices omnis prorsus compositionis expertes: itaque diuersitas magis est penes suppositionem, quā penes medium, quod ex natura compositionis, & diuinitatis sumitur: & ita, si esset euidens Deum esse trinum, sicut esse vnum, ex æquo posset lumen naturale rationis demonstrare Deum personaliter sumptū esse incapacem compositionis ex natura, ac suppositо, sicut id demonstrat de Deo absolutè, & essentialiter sumpto. Quod ijdem auctores tenentur admittere: nam personas diuinas non pati copositionem ex suppositо, ac natura sic probant; in omni compositione vera, ac reali singula componentia sunt extra rationem intrinsecam aliorum, ita vt nullum intimè includatur in altero: at vero diuina essentia, & suppositalitas non ita se habent, quare persona diuina non est composita ex natura, & essentia. Assumptionem ostendunt quoniam alioquin ipsum esse per essentiam non esset in re ipsa de essentia suppositalitatis diuinæ: ex quo sequitur ipsam non esse essentialiter ens necessarium, sed per participationem, & consequenter fieri ab aliqua causa, vel saltem manare ab essentia diuina, sicut in creaturis suppositum manet à natura: hæc vero repugnant Deo, vt per se patet. Ex quo discursu patet sumi idem principium, quod superius retuli ab ijsdem auctoribus vsurpari ad ostendendum Deum absolutè sumptum non admittere compositionem ex natura, ac suppositо: quare sicut ex illo conclusionem illam putant euidenter deduci loquendo de Deo sumpto essentialiter, ita ex eodē deducetur euidenter similis conclusio de Deo personaliter sumpta. Quod quidem rectè sequitur quoad euidentiam illationis, non autem quoad euidentiam consequentis illati: ad hanc enim, vt lib. 1. dictum est, requiritur non solùm illationis, sed vtriusque principij euidentia: in hoc autē discursu deueniendum est ad aliquod principium viatoribus ineuidens, & ex sola reuelatione notum, nimirum eadem diuinitas est in tribus personis realiter distinctis.

XI. Ex quo patet non conuincere argumentum supra relatum ex ijsdem auctoribus ad ostendendum nō posse euidenter ostendi personas diuinas esse compositionis huius expertes, tum quia idē principium applicant ad hoc probandum, atque ad probandum Deum absolutè sumptū vacare eiusmodi compositione, tum vero quia, licet

id argu-

id argumentum solum habeat vim in Deo absolutè sumpto, vt statim dicam, non desunt alia, quæ habeant in Deo personaliter sumpto. Illud vero argumentum non esse firmum ad probandum personas diuinas esse expertes compositionis ex natura, & supposito patet, quoniam assumptio nec est euidens, nec certa, dubitatur enim inter Theologos vtrum essentia diuina sit de ratione intrinseca, & conceptu formali quidditatiuo personalitatum diuinarum, siue relationum constituentium personas: & plerique negant: qua sententia stabilita, iam essentia, siue natura diuina, & personalitas relatiua ita se habent, vt neutra includatur in altera. Quamuis autem non sit huius loci, pertineatque potius ad materiam de Trinitate soluere rationem, qua assumptio ostenditur: breuiter tamen respondeo esse ens per essentiam nõ esse adæquatum conceptum essentiæ diuinæ absolutè sumptæ, quia essentia includit plura alia, vt patet, & ratio entis per essentiam includitur in alijs ratione distinctis ab essentia, ipsique extrinsecis, nempè in relationibus: & ita, quamuis ipsæ quoque relationes diuinæ sint entia per essentiam, non proinde hæc in illis includitur.

XII. Ex dictis constat posita notitia suppoti, ac naturæ, & trium personarum in diuinis rationem naturalem absque alio fidei adminiculo posse ostendere Deum nullo modo esse capacem compositionis ex supposito, ac natura, vtendo communibus principijs compositionis, quod facilè erit applicanti rationes in superioribus adductas. Præcipua vero sumitur à ratione potentialitatis, & participationis, quæ in omni compositione reperitur: est enim potentialitas saltem in aliqua partium, maximè in ea, cui modo aliquo præexistenti altera aduenit: ratio vero entis per participationem conuenit omni composito; hoc enim, cùm non sit ipsa forma, qua est, ab ipsa, & per ipsam habet participatam rationem entis: ex quo sequitur, si ex natura diuina, & ratione subsistendi fieret compositio, naturam ipsam diuinam, cui subsistentia intelligitur aduenire, non esse actũ purum, sed potentialitati immistum: Deum vero, aut personam subsistentem esse ens per participationem, non per essentiam, & consequenter non Deum: quæ duo sunt absurda manifesta, vt ex superioribus constat. Id autem, quod dictum est de primo ente, quatenus significatur hoc nomine Deus, & importat subsistens in Deitate, dicendũ est etiam quatenus significatur quouis alio nomine concreto: ita vt, quando dicitur sapiens, aut bonus, non importetur compositio ex sapientia, vel bonitate cum subiecto, quemadmodũ importatur, cùm homines dicuntur sapientes, aut boni: vt enim ait August. lib. 7. de Trinitate cap. 5. *Nefas est dicere Deum subesse bonitati suæ, & non esse suam bonitatem*, similiter quando dicitur pater, non inuoluitur actualis compositio ex paternitate, & Patre, siue supposito illam habente, quemadmodum apud nos. *Augustin.*

In Deo non est compositio ex esse, & essentia.

Caput VI.

Essentia prout ab esse distinguitur, significatur per modum formæ intrinsecæ eius, quod est: &, quatenus communis est creatæ & increatæ, abstrahit ab ipso esse, sine quo concipi potest. Ipsum vero esse bifariam accipitur, vt patet ex D. Thoma 1. p. q. 3. art. 4. ad 2. & q. 7. de potentia art. 2. ad primum. Henric. in sum. art. 28. q. 4. nempè pro complexo, & incomplexo: primum cõsistit in compositione intellectus, de hoc autem esse, cùm non sit formaliter in rebus, sed in mente intelligentis, nõ procedit præsens difficultas. Porrò esse incomplexum adhuc bifariam diuiditur ab Henr. vbi supra, & quodlib. 1. q. 9. nimirum in esse essentiæ, & esse existentiæ: esse essentiæ est, à quo res abstrahendo ab existentia dicuntur entia: nam, si consideretur homo secundum se abstrahẽdo à singularibus, verè est ens essentiæ, quæ denominatio sumitur ab aliquo esse: non enim res est nisi per esse, & de hoc intelligitur commune dictũ Philosophorum, definitio est oratio indicans quid est esse, & secundũ hoc diuiditur ens in decem prædicamenta: esse vero existentiæ est actualitas eiusdẽ rei; de vtroque in ordine ad creaturas locutus est Auicenna in sua Met. lib. 5. primum ait habere rem de se essentialiter, secundum recipere ab alio, Comm. vero super quintum Metaph. ait quæstionẽ de esse vno modo pertinere ad prędicatũ de genere, hoc est ad ipsum, quid est, quomodo prædicatur genus: alio modo ad prædicamentum accidentis, quia scilicet esse actualis existentiæ non est intrinsecum rebus creatis: hoc præmisso censet Henr. esse essentiæ, & ipsam essentiam esse idem, non solum in Deo, sed etiam in creaturis: à quibus abesse nequit, quoniam non habent illud ab alio effectiuè, sed solum formaliter, hoc est à Deo tanquã ab exemplari participatum. Verùm prędens quęstio I. *S. Thom.* *Henricus.* *Auicenna.* *Comment.*

non procedit de huiusmodi esse, quod vtrum sit exemplariter à Deo, quin sit effectiuè, non est huius loci disputare: est enim celebris controuersia inter Thomistas, ac Scotistas vtrum rerum essentiæ habeant aliquod esse ab æterno, & quidquid hac de re dicendum sit, constat omnium communi sententia huius esse ab essentia nullum esse discrimen in Deo: quoniam, cùm non sit esse participatum, neque ab externa forma exemplatum, se ipso est ipsum necesse esse.

II. Quod vero attinet ad esse existentiæ communis est sententia Scholasticorum in Deo idem prorsus esse essentiam, & esse existentiæ, nec ex illis vllam fieri compositionem. Ita ex professo docent S. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 4. cum Caietan. lib. 1. contra Gent. cap. 22. cum Ferrarien. & opusc. 3. cap. 11. S. Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2. Ægyd. 1. p. secundæ principalis quæst. 2. & 2. p. quæst. 1. Henric. in summ. art. 28. quæst. 4. Richard. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 1. Heruæus, q. 1. Aureol. quæst. 1. art. 4. propos. 3. & quæst. 4. art. 2. Bassolis quæst. 2. art. 2. Argentin. quæst. 1. art. 2. Abul. quæst. 8. in cap. 28. Deuteron. & quæst. 585. in cap. 25. Matth. ad decimum argumentum, Dionys. Carthus. lib. 1. fidei orthodoxæ art. 4. §. 3. & in 1. d. 8. quæst. 5. & Syluest. quæst. 3. conflati art. 4. Tota difficultas est in assignanda ratione, ac discrimine inter Deum, & creaturas: etenim propter varietatem sententiarum de distinctione existentiæ ab essentia diuersæ assignantur rationes. Est autem circa compositionem ex esse, atque essentia triplex opinio. Prima eam tam in Deo, quam in creaturis omninò dari negat: secunda supponens esse, & essentiam tam diuinam, quam creatam re ipsa non distingui, nil ominus compositionē ex ijsdem admittit in creaturis, negat in Deo: tertia denique agnoscit discrimen actuale inter essentiam, existentiamque creatam, & consequenter compositionem ex vtraque, ab essentia vero, existentiaque diuina distinctionem actualem, compositionemque excludit. Ex his tribus sententijs ego postremam sequor cum D. Thoma, & multis alijs, quos citat Bannes 1. p. quæst. 3. art. 4. dubio 2. pro 2. & 3. sententia, & Molina eodem art. disput. 2. quā Patrum testimonijs confirmat Ægydius de esse, & essentia, quæst. 9. non immoror autem in ostendendo discrimine à parte rei inter essentiam, existentiamque creatam, quoniam hoc problema pro dignitate tractatur à recentioribus Metaphysicis: cuius affirmante parte supposita facilè ostenditur Deum nequaquam admittere compositionem ex essentia, & esse: etenim compositum omne actuale est ens per participationem prioris entis simplicis, à quo habet esse: at vero Deum habere esse per essentiam, non per participationem constat ex superioribus: quare repugnat, vt sit compositus ex essentia, & esse. Maior propositio est euidens: quoniam id, quod est ens per essentiam, & non per participationem, non pendet ab alio priore in essendo: omne autem compositum actuale pendet ab alio priore ente, hoc est à suis partibus, imò & à causa extrinseca, à qua partes ipsæ productæ, vel saltem copulatæ sunt: ens vero per essentiam est à se ipso, nec pendet ex alio: quare omne compositum actuale est ens per participationem.

III. Caiet. 1. p. quæst. 3. art. 4. initio asserit hanc quæstionem, vtrum in Deo sit idem esse, & essentia, siue vtrum sit in ipso compositio ex ijsdem, solū habere locum apud eos, qui censent dari discrimen ex natura rei inter essentiam, existentiamque creatam; & quidem si consideretur præcisè simplicitas diuina illi non opponitur compositio rationis, vt cap. 14. ostendam: atque adeò compositio ex esse, & essentia, si hæc non distinguuntur ex natura rei, quatenus compositio, nō repugnat simplicitati diuinæ, quæ per se solum excludit multiplicitatem, & compositionem ex natura rei ante actū intellectus. Verum quia sunt nonnullæ compositiones rationis, quę licet sub ratione communi compositionis rationis nō repugnent Deo, quia tamen secundum propriam rationem imperfectionem includunt, alienæ sunt à Deitate. Videndum est qua probabilitate constent aliæ sententiæ, & qua ratione iuxta ipsas, veritas hæc ostendatur.

IV. Primam sententiam tuetur Aureolus art. citato. Cuius fundamentum est, quoniam non potest esse compositio, quin pars addatur parti: ita vt, si compositio sit rationis, addatur ratio rationi, si vero sit compositio realis, addatur res rei: at vero inter esse, & essentiam non fit talis additio; non enim ad rem, quoniam, vt fusè probat, essentia, & esse etiam in creaturis non distinguuntur ex natura rei, sed sola ratione; non rationis ad rationem: ergo nullo modo est compositio ex essentia, & esse. Vt probetur autem secunda pars assumptionis supponenda est doctrina eiusdem Aureoli vbi supra, & clarius quæst. 4. eiusdem distinctionis art. 2. vbi ait non ex quibusuis conceptibus diuersis eiusdem

rei

S. Thom. Caietan. Ferrarien. Bonauent. Ægyd. Henric. Richard. Heruæus. Aureol. Bassol. Argentin. Abulens. *Carthusian.* *Sylueſt.* *Bannes. Molina.* *Ægyd.* *Caietanus.* *Aureol.*

rei fieri compositionem rationis: nam diuersitas ipsorum aliquando oritur ex diuersitate conceptibilis: aliquando vero ex diuerso modo concipiendi idem obiectum; quando igitur diuersitas conceptuum oritur ex alio, atque alio conceptibili, necesse est illud, de quo formantur tales duo conceptus, componi secundum rationem: quoniam intellectus diuidit obiectum in duo conceptibilia, atq; adeo in duas rationes, & consequenter id componitur ex conceptu, & duplici ratione conceptibili: vbi vero est diuersitas conceptuum penes diuersos modos concipiendi manente eodem conceptibili, non potest fieri compositio secundum rationem: quoniam intellectus in vtroque conceptu accipit eandem communem rationem obiectiuam, idem autem non componitur sibi ipsi: vnde necesse est, vt duo illi conceptus nullam compositionem rationis faciant, quia in vtroq; est vnica, & simplex ratio obiectalis: & hinc est quod conceptus diffinitionis, & diffiniti non constituunt tertium conceptum compositum ex vtroque. Hoc posito probat intentum, quoniam conceptus esse, & essentiæ non differunt penes aliud conceptibile, sed penes alium modum concipiendi: idem enim conceptus per modum habitus, & quietis dicitur essentia, per modum vero actionis, & actus dicitur esse: ergo duo isti conceptus non faciunt compositionem in Deo, vel creatura. Secundo vbi est compositio conceptuum, alter prædicatur de altero per modum informantis, vt patet in genere, & differentia: rationale enim prædicatur de animali per modum formæ: at vero esse fluit ab essentia conceptibiliter, hoc est concipitur per modum actus emanantis ab essentia: conceptus autem fluens non informat quiescentem, hoc est obiectum conceptus cognitum per modum actus procedentis non concipitur per modum formæ eius, à quo procedit.

V. Henricus. Secunda sententia bifariam adhuc diuiditur, nam Henricus vbi supra, & aliqui recentiores nullam omnino distinctionem à parte rei agnoscunt inter essentiam, existentiamque creatam: ita vt quoad identitatem actualem ex natura rei eadem sit ratio in Deo, & creaturis: quoad compositionem vero sit diuersitas ob rationē superius assignatam: scilicet quia essentia diuina includit ipsum esse formaliter, atque intrinsece, creata vero nequaquam: in omni vero compositione partes debent esse diuersæ, ita vt vna addat aliquid supra alteram, quod fieri repugnat, quoties vna includitur in altera. Marsilius in 1. quæstion. 12. artic. 1. eandem sententiam secutus de omnimoda, & adæquata identitate inter essentiam, existentiamque creatam, compositionem, quam Doctores cōmuniter vocant ex essentia, & esse, ipse vocat compositionem innitentiæ, quam censet consistere in dependentia creaturæ secundum esse ab alio priore, hoc est causa prima, à qua omnes accipiunt esse: itaque omnes hi Authores conueniunt non esse vllam distinctionem ex natura rei inter essentiam, & existentiam, tam increatam, quam creatam: differunt vero penes alia. Marsi.

VI. Id in quo hæ duæ sententiæ conueniunt, nempe idcirco Deum non dici, etiam secundum rationem, compositum ex esse, & essentia, quoniam esse includitur formaliter, & intrinsece in essentia diuina, verissimum est. Nonnulla vero, quæ addunt, carent probabilitate: vt id, quod ait Aureolus quoad compositionem ex esse, & essentia non esse discrimen inter Deum, & creaturas, hoc enim est contra communem scholasticorum, qui hac de re sunt locuti: dicunt enim Deum non cōponi ex esse, & essentia, sicut creaturæ: & ita supponunt aliquam esse compositionem ex ijs in creatura, quæ repugnat Deo. Quod vero ex essentia, & esse creato resultet aliqua cōpositio saltem rationis, probatur, quoniā duo cōceptus alter per modū subiecti, alter per modū accidentis necessario inuehunt additionē rationis ad rōem, & consequenter cōpositionem saltem rōis: ergo, si esse accidit creaturæ, ita vt mens nostra cōcipiat essentiam, vt id, cui accidentaliter aduenit existentia, hanc vero, vt id, quod accidit essentiæ, necessario sunt duæ rationes, quarū vna additur alteri: & consequēter erit compositio. Antecedens ostēditur: quoniam, quotiescunq; concipiuntur duo in vnum coeūtia, quorum neutrū includit formaliter alterum, necessario est additio vnius ad alterum, at accidens, & subiectum non se mutuo includunt: & ita, cum mens apprehendit vnum sub duplici ratione, sub altera quidem tanquam subiectum, sub altera tanquam accidens, est additio conceptus ad conceptum ad vnam rationem compositam, siue per se, siue per accidens: & hoc modo se habet intellectus, quando prædicat esse de natura, coniungit enim duas rationes, quarum vna additur alteri: & ita necessario resultat compositio rationis, supponens in ipso obiecto, prout illis respondet, rationem

potentiæ, & actus, quę omnino repugnat Deo, conuenit autem creaturę, cuius essentia secundum se spectata est in potentia ad esse.

VII. Porro fundamentum Aureoli, quatenus ait in compositione rationis debere interuenire additionem rationis ad rationem, ita vt non sit solum discrimen ex modo concipiendi, verissimum est; quandoquidem inter diuinam essentiam, & esse ipsius, est diuersa ratio secundum modum concipiendi nostrum, concipimus enim esse vt actum, essentiam vt id, quod est actu per ipsum esse, nec tamen admittimus in Deo compositionem rationis ex essentia, & esse. Verum id, quod addit, nempe diuersitatem rationum, ex quibus est compositio oriri debere ex diuersitate conceptibili, est obscurum, nec ab ipso explicatur, aut enim intelligit de diuersitate actuali obiecti conceptibilis, aut de diuersitate rationis: non de priore, quoniam alioquin nunquam esset compositio rationis, cui non responderet actualis compositio in re, cuius oppositum ipse defendit in compositione ex genere, ac differentia, & alijs; non de posteriore, quoniam omnis ea diuersitas oritur ex modo concipiendi nostro, qui non adæquatur perfecte rebus ipsis. Et confirmatur quoniam conceptibile à parte rei prorsus idem, & indistinctum, quantum ex se est aptum natum gignere vnicam rationem sui adæquatam, omnis vero conceptio inadæquata, & multiplicitas ipsius prouenit ex modo concipiendi nostro. Hoc dubium pendet ex dicendis inferius in materia de distinctione attributorum diuinorum. Nunc vero breuiter respondetur eorum, quæ distinguuntur ratione, quædam ita distingui ex solo modo concipiendi, quædam habere fundamentum in re: non ita quidem, vt conceptibus diuersis respondeant obiecta diuersa, sed vnum sub aliqua ratione non inclusa intrinsece in alia: prior distinctio appellatur à Doctoribus rationis ratiocinantis, posterior rationis ratiocinatæ. In Deo vero, quoniam existentia est de intrinseca ratione essentiæ, diuersitas conceptuum est solum penes modum concipiendi nostrum, in creatis autem, quoniam existentia non est de intrinseca ratione essentiæ, sed accidens, ad quod essentia secundum se sumpta non est determinata, sed indifferens ad ipsum, vel eius oppositum, non est sola distinctio rationis ratiocinantis, sed habens fundamentum ex parte obiecti, & consequenter ex essentia, existentiaque creata negari nequit compositio saltem rationis, qualis non coalescit ex essentia, & esse diuino.

VIII. Non placet etiam modus dicendi, quo vtitur Marsilius, confundit enim compositionem ex esse, & essentia cum dependentia à causa prima, siue cum compositione innitentiæ, quam vocat, nam, licet sint inseparabiles ab eodem subiecto, tamen formaliter sunt diuersæ: compositio enim ex esse, & essentia formaliter consistit in coadunatione vtriusque ad constitutionem vnius tertij, hæc autem formaliter differt à compositione, quam Marsilius vocat innitentiæ: nam, si quouis modo accipiatur essentia differens ab existentia, cum eadem in vnum coadunata, absque dubio erit compositio, siue existentia sit dependens, siue non: itaque innitentia per se primo potius pertinet ad compositionem ex actu, & potentia, quam ad compositionem ex esse, & essentia: prius enim est rem non necessariam esse in potentia passiua, saltem obiectiua in ordine ad causam primam, à qua dependet, quam habere actu existentiam: & consequenter prior etiam est compositio ex potentia, & actu, quam ex essentia, & esse. Si quis obijciat ante existentiam nullum esse actum, & idcirco ante illam non posse intelligi compositionem ex actu, & potentia. Respondetur cum distinctione: nam dupliciter intelligitur actus nempe essentiæ, & existentiæ: posterior non est ante existentiam; prior absque illa concipi potest: etenim abstrahendo ab existentia, & concipiendo hominem secundum principia essentialia, quatenus constat ex materia, & forma rationali, vere dicitur ipsum componi ex actu, & potentia. Item considerando similiter eundem hominem, vt suapte naturæ viuens rationale, in obiecto huius conceptus vita ipsa essentialis concipitur, vt actus hominis: nam, cum sit de essentia, non potest homo concipi in potentia ad illam: potest tamen concipi in potentia ad vitam accidentalem, hoc est ad actus vitales intelligendi, qui non sunt de essentia hominis: & sic actus, & potentia distinguuntur ab intellectu in essentia hominis abstrahendo ab existentia.

Itaque

Itaque antecedens propositæ obiectioni concedendum, si intelligatur de actu existentiæ, negandum si intelligatur de actu essentiæ: at vero essentia secundum se accepta abstrahendo ab existentia includit actum, verbi gratia, essentia hominis includit rationalitatem, quæ secundum se est actus, essentia plantæ includit vitam, quæ item est actus: vtraque tamen, si concipiatur sub negatione existentiæ, est in potentia ad illam: & ita ex actu entitatiuo ipsarum, & potentia ad existendum consurgit compositio saltem intentionalis distincta ab ea, quæ coalescit ex essentia, & actuali existentia.

Proponuntur varij modi, quibus res pertinent ad prædicamenta: & ex illis quidam admittuntur, alij excluduntur à deitate.

CAPVT VII.

I. REstat vltima compositio ex partibus Metaphysicis, nempe ex genere, ac differentia: Ad hanc vero necesse est, vt compositum directe contineatur sub genere communi pluribus inter se proprie secundum essentiam differentibus: deinde vero, vt præter rationē generis includat aliquid essentiale in conceptu obiectiuo generis minime contentum. Nam si fieri posset, vt aliquid sit sub genere, quin constet essentiali differentia, ex ratione simplicitatis non repugnaret Deum eo modo contineri sub genere, quamuis forsan ex alio capite foret impossibile. Ob quam causam Gregorius in 1. d. 8. quæstion. 3. art. 2. negat quidem Deum esse compositum ex genere, & differentia: verum, quia existimat non opus esse, vt quidquid est sub genere habeat differentiam, censet probabiliter defendi posse Deum esse sub genere, nullo tamen modo constare differentia. Verum an Deus sit sub genere infra discutiendum est: nunc autem omnino refellenda eius suppositio: cuius impugnatio pertinet ad metaphysicam; ea vero est contra communem Philosophorum, & Theologorum sententiam, & facile refellitur ex discrimine, quod Philosophus libr. 10. Met. text. 12. statuit inter diuersum, ac differens. Nam diuersum non est necesse aliquo esse diuersum, differens vero ab aliquo, aliquo differens est; quidquid autem pertinet ad seriem alicuius prædicamenti sub genere summo, differt essentialiter ab alijs eiusdem prædicamenti, non per ipsam rationem generis summi omnibus communem, sed per aliquid ab ea distinctum saltem intentionaliter, & minimè clausum formaliter in intentione generis: id vero non est aliud, q̃ differentia, quoniam proprio, & accidente res non differunt essentialiter: species non proprie differt se ipsa, quoniam differens aliquo differens est. Restat igitur, vt species omnis sub genere summo constituta habeat differentiam proprie dictam: & nō differat se tota, sed per aliquid sui additum communi rationi generis, in eaq; minime inclusum formaliter. Et confirmatur, quoniam si in diffinitione essentiali speciei subiectæ generi non est ratio particularis determinatiua generis ad constitutionem speciei, sed solum est ratio quædam omnino simplex tam realiter, quam intentionaliter, non est vlla differentia inter ea, quæ immediate continentur sub genere analogo, & vniuoco. Hoc vero est contra cōem sententiam Philosophorū, qui genera summa immediate contenta sub ente aiunt esse primo diuersa, species vero eiusdē generis nequaq̃. Antecedens patet quoniā ea, quæ immediate sub analogo continentur, se totis conueniunt ac differūt, quoniam ratio obiectiua analogi nō est per se vna per omnia similis in singulis analogatis, sed est absolute multiplex includens analogata quoad oēm entitatem, & rōem etiam, qua differunt: si vero in specie sub genere contenta non sint duæ rōes, altera respōdens intentioni generis, altera differentiæ, intētio generis inuoluet adæquate rōem speciei: & cū hę essētialiter differāt, ratio quoq; generis in ipsis non erit per omnia, sed secundum quid similis, absolute vero differens: non ratione differentiæ adiunctæ, sed propter sui multiplicitatem: & ita non erit discrimen inter contenta sub genere vniuoco & analogo.

II. Hoc posito, vt futuræ disputationi via muniatur, nonnulla hoc capite notanda, & statuenda sunt, vt præcipua difficultas in sequentibus expediatur. Notandum inprimis in prædicamentis considerari posse rem, & rationem prædicamenti: item ad prædicamentum quædam per se, quædam reductitie pertinere, item generi summo prædicamenti quædam directe, & in quid, quædam denominatiue subijci. Denique genus multipliciter accipi, modo fusè pro quouis prædicato in quid de pluribus specie differentibus, siue sit vniuocum, siue non; modo proprie, & in rigore pro genere vniuoco, prout accipitur à Logicis. Ex quo plures emergunt dubitationes. Prima an Deus sit

res ali-

Gregorius.

Aristot.

res alicuius prædicamenti, aut eius rationem participet. Secunda an per se, vel per accidens ad genus pertineat. Tertia, an subijciatur illi directe, & in quid, vel saltem denominatiue. Vltima vtrum contineatur sub genere vniuoco, an vero analogo.

III. Quod attinet ad primam quęstionem, Henric. in summ. art. 32. quæstion. 1. ita explicat rem, ac rationem prædicamenti, vt dicat rem prædicamenti esse id, quod per essentiam, & naturam suam continetur in ordine alicuius prædicamenti, vt animal, homo, Petrus: rationem vero prædicamenti esse proprium modum essendi eorum, quæ sunt in prædicamento, verbi gratia, in substantia modum per se existendi: ex his autem duobus ait constitui vnumquodque prædicamentum, & ab alio distingui. Hoc suppositio sentit Deum non pertinere ad vllum prædicamentum tanquam rem prædicamenti, ac proinde non collocari in aliquo prædicamento, cadere tamen in ipsum rationem aliquorum prædicamentorum, substantiæ scilicet & relationis. Priorem partem probat, quoniam in Deo res, quæ est, non habet esse extrinsecum, sed illud essentialiter vendicat, imo est ipsum esse, in creatis autem aliter se res habet, quoniam creaturæ essentia est id, cui ab alio contingit esse: & quia hæc ratio includitur in omnibus prædicamentis, hinc fit, vt Deus esse nequeat res alicuius prædicamenti. Quod attinet ad rationem prædicamenti, longo discursu ostendit non competere Deo rationem substantiæ, prout sumitur à substando: quandoquidem, Deus non substat accidentibus, cõpetere autem prout substantia dicitur à per se existendo, hoc est non in subiecto: itemq; rationem relationis, quoniam non est proprium ipsius, vt sit res creata, hoc enim est prædicamentis omnibus cõmune: neq; vt sit res, cui conuenit esse in alio, hoc enim est commune omnib. accidentibus: sed solum per se illi conuenit, vt sit respectus ad aliud: hæc autem ratio non repugnat Deo: etenim ratio, quæ non dicit inesse, aut aliam imperfectionem, non est aliena à deitate, ita se habet ratio respectiua, nam secundum se non dicit inesse, nec aliam imperfectionem, sed solum modo nudam habitudinem ad terminum. Id vero ostendit discurrendo per singula prædicamenta extrinseca, quæ important respectum, quamuis non omnia credat proprie cõpetere Deo.

IV. Prior huius sententiæ pars vera quidem est, sed in præsentiarum illam relinquo fusius capit. 9. disputandam. Posterior vero, vt absolute, & indistincte proponitur ab Henrico, minimè placet: etenim ratio omnis prædicamentalis est aliquid intrinsecum, & essentiale recurrens cum re illius prædicamenti: id vero, quod recurrit cum aliquo, competere nequit alijs ab ipso: ergo, cum Deus de sententia ipsius Henrici non sit res vllius prædicamenti, neque vendicare poterit rationem eius intrinsecam. Maior propositio patet, quoniam id, quo præciso non cohæret, sed dissoluitur essentia alterius, est de essentia ipsius: ita vero se habent rationes prædicamentales respectu rei prædicamentalis: nam præcisa per intellectum ratione habitudinis non constat essentia relationis, aut relatiui, præcisa ratione per se essendi dissoluitur essentia substantiæ: Quod vero rationes recurrant cum re prædicamenti patet: tum quia ratio formalis recurrit cum effectu formali, res autem prædicamenti est effectus formalis propriæ ipsius rationis: tum quia id, quod conuenit subiecto quatenus ipsum, recurrit cum illo, rationes vero prædicamentales conueniunt rebus prædicamentorum, siue generibus summis ipsorum per se, & quatenus ipsum: ergo recurrunt cum ijsdem. Assumptio ostenditur, quoniam non competunt ratione alicuius inferioris, vt patet: non ratione superioris, tunc enim non essent propriæ rationes prædicamentorum, sed illius superioris, cui per se primo conueniunt. Recurrit igitur propria ratio cuiusque prædicamenti cum re ipsius: atque adeo non conuenit Deo, qui non est res vllius prædicamenti. Postremo aut ratio prædicamentalis est quid ratione prius re prædicamenti essentiale, & intrinsecũ eidem: aut posterius quasi proprietas, aut accidens eius inseparabile: si posterius, necessario supponet rem prædicamenti, à qua quodam modo manare intelligitur: si prius, non poterit non cõstituere suum effectum formalem communicando se illi per intrinsecam conuenientiam: & ita absolute repugnat, vt propria ratio prędicamentalis conueniat rei, quæ non sit in prædicamento.

V. Hæc dixerim de propria ratione cuiuscumque prædicamenti, quatenus illi propria est: si vero consideretur non adæquate, vt cum prædicamento recurrit, sed abstractiùs denudata ab imperfectione eiusdem prædicamenti, non repugnat, vt vere, ac proprie conueniat Deo; Verum sub ea consideratione non debet simpliciter dici propria ratio prædicamenti:

menti: quoniam non est ipsi adæquata, nec continet omnia ipsi propria: ideoque potest esse in re, quæ non pertinet ad prædicamentum: vt videre est in ratione respectiua, quæ si consideretur sub abstractione ab inhæsione, & existentia per se consistit in plura habitudine: quæ ratio ita abstracta non reciprocatur cum prædicamento ad aliquid, cuius res includit inhæsionem, ideoque verè competit Deo: sed ex hoc non sequitur conuenire ipsi rationem propriam prædicamenti ad aliquid: Hęc enim non sumitur sub ea abstractione, sed determinata ad modum inhæsionis. Si quis obijciat modum inhæsionis conuenire generi summo relationis, quatenus accidens est, non vero quatenus relatio est: & idcirco propriam eius rationem non includere modum inhæsionis, sed solum habitudinem, quemadmodum propria ratio hominis, quatenus homo est, continetur rationalitate, non animalitate. Respondeo diuersam esse rationem in ratione generis summi conuenientis analogice sub alijs rationibus, & specierum conuenientium vniuoce sub genere: nam ratio generis abstrahit omnino à ratione differentiæ, & ratio huius ab illa: potest enim concipi differentia, quin eodem conceptu attingatur genus, & vice versa: at vero, cum ratio analoga non sit intentionaliter præcisa à suis analogatis, & ipsa saltem fusè includit ea, earumque rationes proprias & ab his vicissim includitur: vt patet in ijs, quæ sub ente immediate continentur, nam secundum proprias rationes, quibus inuicem distinguuntur, includunt rationem entis. Cum igitur genus summum relationis analogice contineatur sub accidente, in sua ratione particulari, qua à cæteris generibus accidentium secernitur, eam ipsam inhærentię rationem inuoluit: & ideo propria eius ratio abstrahi nequit ab inhæsione: si vero abstrahatur, iam non est ipsamet ratio generis summi, sed ratio communior propria entis relatiui indifferentis secundum eam abstractionem ad inhærendum, vel per se existendum.

VI. Vt secundę dubitationi satisfiat obseruandum est discrimen inter ea, quæ proprie, ac per se pertinent ad prædicamętum, & ea, quæ per accidens, & reductitie. Etenim per se, ac proprie illud pertinet, quod continetur essentialiter sub genere includens essentialiter, & intrinsece eius rationem formalem, & quod directe subijcitur illi in prædicatione dicente quid est: per accidens vero cætera omnia, quæ non includunt propriam rationem formalem generis, habent tamen cum ipso aliquam affinitatem principij finis, partis, negationis, aut aliquid simile. Hoc posito Diuus Thomas 1. part. quæstion. 3. art. 5. vtroque modo negat Deum sub genere contineri: sed relicto priore, de quo infra, ita probat de posteriore: quoniam sequeretur Deum esse circumscriptum, ac determinatum ad aliquod genus entis: hoc autem repugnat immensitati ipsius esse. Sequela patet, nam illa quoq;, quæ reductitie ad genus pertinent, excluduntur ab alijs generibus: vt cernere est in materia, & forma, quæ reducuntur ad genus substantiæ, & arcentur à cæteris generibus: in puncto, quod reducitur ad genus quantitatis, & non habet locum in vllo alio prædicamento. Eandem sententiam sequuntur Albert. in sum. tract. 4. q. 20. m. 3. in corollar. Aegydius in 1. d. 8. 1. p. secundæ partis principalis, qu. 3. Richard. art. 4. q. 2. & Capreol. q. 2. artic. 1. conclusione 5. Verum idem met D. Tho. q. 7. de potentia art. 3. & in 1. d. 8. q. 4. art. 2. ad tertium, admittit reuocari vtcumque Deum ad genus, sicut principium eorum, quæ sub genere continentur, sicut punctum ad genus quantitatis continuæ, vnitas ad genus numeri, & quamuis Capreol. vbi supra indicet S. Thom. in summa sententiam reuocasse, vterq; tamen locus apte conciliari potest cum Caiet. 1. p. q. 3. art. 5. Sylvest. ar. 6. §. 6. Hispal. in 1. d. 8. q. 2. art. 3. notab. 5. & Soncin. q. 3. conclusion. 5. si dicamus dupliciter aliquid pertinere ad genus vt principium, nempe vt principium continens, & vt principium contentum: quod priore modo pertinet, non clauditur terminis illius generis, quod autem posteriore, maxime: videmus enim punctum ita coerceri finibus quantitatis, vt nullius alterius generis sit particeps. Hoc posito dicendum Deum reduci ad genus tanquam principium continens omnia genera, vt expresse dixit Diuus Thomas vbi supra, ex quo non sequitur circunscriptio, aut aliquid repugnans immensitati diuinæ: non contineri vero tanquam principium contentum, & inclusum limitibus generis, cuius est principium: & hoc voluit Diuus Thomas citato loco primæ partis, cum in fine conclusit Deum non contineri in aliquo genere, sicut principium. Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi: nam, quæ ibi adducuntur, pertinent reductitiè ad genus, sicut contenta: quomodo non reducitur Deus ad vllum genus. Notat vero

S. Thom. *Albertus.* *Aegyd.* *Richardus.* *Capreol.* *S. Thom.* *Caietan.* *Sylvest.* *Hispal.* *Soncinas.*

Michael

Palatius. Michael de Palatio in 1. d. 8. qu. vltima potius dicendum esse Deum pertinere ad prædicamenta deductiue, quam reductiue, quia superiora ad inferiora deduci solent, inferiora vero reduci ad superiora.

VII. Quod attinet ad tertiam dubitationem, si modum loquendi nostrum attendamus, vtroque modo videtur Deus subijci generibus prædicamentalibus. Etenim Deus in sacris literis dicitur spiritus, quod nomen apud nos significat rem directe, & in quid subiectam substantiæ, quæ est genus summum, dicitur etiam bonus, magnus, sapiens, creator, & similes modos denominatiuæ prædicationis admittit, &

Augustin. hoc indicauit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 5. cum dixit: *Si dicamus æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens potens speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium nouissimum quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cætera vero huius substantiæ qualitates.* Re tamen vera omnia, quæ positiua sunt, & intrinseca, quamuis de nobis denominatiue dicantur, de Deo substantialiter, & in quid

Boet. dicuntur: hoc enim voluit Boetius lib. 1. de Trinitate, cum dicit cætera prædicamenta quæ de Deo dicuntur, in substantiam mutari, ideoque D. Augustin. post illa verba subiungit: *Sed non ita est in illa ineffabili, simpliciq; natura, quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum.* Et ita rationes aliorum prædicamentorum, si quæ de Deo denominatiue dici videntur, substantialiter accipiendæ sunt. Hæc tamen doctrina moderanda est ita, vt intelligatur de prædicatis positiuis, realibus, & intrinsecis: hæc enim cum sint ipsamet essentia diuina, solum dicuntur denominatiue secundum modum: at vero negatiua, vt vnum, incorporeum, itē relatiua rationis, vt idem, diuersus, & extrinseca, vt punitor, & similes iuxta sententiam eorum, qui censent actiones transeuntes re ipsa recipi in patiente, & denominare extrinsecus agentem, non repugnat dici de Deo denominatiue non solum secundum modum, sed etiam secundum veritatem, non enim sunt de intrinseca ratione Dei, vt notat Henricus in

Henricus. summ. artic. 32. quæstion. 5. ad nonum, &

Augustin. hoc videtur de mente Diui Augustini lib. 5. de Trinitat. capit. 8. vbi inquirens quænam proprie, quæ metaphorice dicantur de Deo, ait maxime proprie dici Deum facere, vere enim est author, ac principium actionis ad extra, à qua faciens denominatur: quo etiam modo denominatur grammaticaliter patiens, verbi gratia, dicitur intelligi, amari, coli, laudari, &c. quę denominationes reuera sumuntur à formis proprie pertinentibus ad prædicamenta, quia tamen re ipsa non est subiectum patiens, sed obiectum operationum illis nominibus significatarum, idcirco non est dicendus subijci denominatiue generi prædicamenti passionis.

VIII. Deniq; quod ad vltimam spectat, pertinere Deum per se ad genus analogum certissimum est: & hoc nihil amplius ostendunt argumenta doctorum opinantium Deum sub genere cōtineri: etenim de Deo prædicantur essentialiter, & in quid aliqua illi cum creaturis analogice communia: nempe ens, substantia, spiritus, viuens, & id genus alia, creaturæ vero differunt ab ipso pluſquam specie. Neq; ex hoc sequitur vlla diuinæ immensitatis circumscriptio, ac limitatio: hoc enim est proprium generis analogi, vt non coerceat intra suos limites ea, de quibus prædicatur, sed libera relinquat, vt subijciantur alijs generibus, non subalternatim positis: vt videre est in ratione incorruptibilitatis, vita, intelligibilitate: etenim cælum, & Angelus vendicant essentialiter incorruptibilitatem, cum tamen hic cōtineatur sub spiritu, illud sub corpore: item idem Angelus, & planta subijciuntur in quid viuenti, & tamen planta continetur sub corpore corruptibili, non vero Angelus: denique homo, & Angelus sunt intelligentes, cum tamen homo sit animal, Angelus autem nequaquam. Itaque genus analogum retrahit quidem ea, quæ sub ipso continentur, à negatione propriæ rationis, vel ab alijs prædicatis positiuis, quæ cum ipsa habent oppositionem: tamē, quæ de Deo, & creaturis in quid prædicantur, sumuntur in maxime communi, & simplici abstractione, ita vt non habeant oppositionem cum vlla perfectione simpliciter: & idcirco quantum ex se non restringunt contenta sub eis ad vllum genus perfectionis simpliciter, sed ad oēs prorsus libera relinquunt: vt per se patet in ratione sapientiæ abstractæ à modis inhæsionis, & subsistentiæ: sic enim considerata solum habet oppositionem cum ignorantia, vel errore, a quibus, dum Deus excluditur, non circūscribitur eius infinitas, sed perfectio commendatur. Et ita nec ex hoc capite, nec ex alio repugnat, vt Deus sit sub genere analogo. An vero directe, ac per se contineatur sub vniuoco, ita vt vendicet adæquatam rationem eius formalem in sequentibus expediam.

Osten-

Ostenditur ab authoritate Deum non contineri per se, ac directe sub aliquo genere vniuoco.

CAPVT VIII.

I. VT in sequentibus rationum momenta in vtramq; partem expendam, hoc capite Authorum eadem de re sententias exponam. Sunt vero, qui existiment absurdum non esse, vt dicamus Deum sub genere contineri. Ita Gulielmus de Rubione in 1. d. 8. q. 1. art. 1. conclusione 1. & 2. & art. 3. conclusione 2. Ioan. de Bachone quæstion. vnica artic. 2. & 3. & d. 9. quæstion. vnica. Robertus Holkoth. qu. 6. conclusione 3. Gregor. d. 8. quæstion. 3. art. 2. Marsilius q. 12. art. 2. conclusione 4. & 5. Gabriel. d. 8. q. 1. Maior. q. 2. in dubio annexo. Nicolaus Bonettus libr. 1. Theologiæ naturalis, cap. 1. & lib. 2. cap. 1. §. *Si dicamus*, & capit. 2. & 3. Id vero ostendunt authoritate Philosophorum & Patrum: Philosophorum inprimis, & inter eos Aristotel. atque Auerr. Etenim Philosophus lib. 10. Met. text. 2. & 4. asserit vnumquodque mensurari aliquo minimo sui generis, id vero respectu substantiarum esse Deum, siue motorem primum de mente Aristotelis docet Auerr. eodem lib. 10. comment. 7. & ita de vtriusque sententia Deus est in genere substantiæ. Præterea idem Philosophus libr. 12. Metaph. à principio volens agere de substantijs separatis, maxime de prima, indicat diuisionem entis in substantiam, & accidens: inter quæ hoc discrimen statuit, quod sola substantia dicitur esse ens simpliciter, accidentia vero entia per comparationem, vt etiam ibidem interpretatur Auerr. ex quo patet agere ibi de substantia prædicamentali diuersa à prædicamentis accidentium: statim vero eandem substantiam diuidit in sensibilem & insensibilem, in generabilem, & corruptibilem, & in æternam: deinde vero absoluta tractatione de substantia sensibili probat esse aliquam insensibilem, & immobilem, de qua quærit, an sit vna, vel plures: & concludit esse plures, inter quas refert vnam primam, principium, ac finem cæterarum, quã nos Deum appellamus. Ex quo discursu constat Deum iuxta mentem Philosophi, & Commentatoris pertinere ad genus, siue prædicamentum substantiæ. Deinde Auicenna in principio secundi Met. ait rationem substantiæ esse priorem omnibus diuisionibus eorum, quæ sunt per essentiam: quoniam esse duobus modis est, vnũ, quod est in subiecto, alterum quod nullo modo est in subiecto, quare indicat primam diuisionem entis fieri immediate in substantiam, & accidens, omnis autem diuisio adæquata complectitur omnia, quæ conueniunt indiuiso: atq; adeo cum Deus sit ens, & non accidens, continebit sub altero mẽbro diuisionis, hoc est sub genere substantiæ.

Rubion. Bachonus. Holkoth. Gregorius. Marsil. Gabriel. Maior. Bonettus. Aristotel. Auerroes. Aristoteles. Auerr. Auicen.

II. Secundo loco inducuntur testimonia Diui Augustini ex libr. 5. de Trinit. vbi quædam prædicata separat à Deo tanquam improprie dicta, quædam vero admittit dici proprie de Deo nempe substantiam, relationem, & actionem; vt videre est lib. 5. de Trinit. c. 10. nam, cum dixisset Deum esse suam magnitudinem, volens hoc idem dicendum de cæteris, quæ de ipso prædicantur, subdit: *Hoc de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronunciari: quod ad se ipsum dicitur non translate, ac per similitudinem, sed proprie.* Et eodem li. cap. 8. situm, habitum, tempus, & vbi negat proprie dici de Deo, supponens vtique substantiam, ac relationem, de quibus paulo ante locutus fuerat, de illo proprie enunciari, iam vero prædicamentum actionis soli Deo proprijssime tribuit his verbis: *Quod autem ad faciendum attinet fortasse de solo Deo verissime dicitur, solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur.* Eadem fere repetit sermone 38. de temp. qui est tertius infra octauam Epiphaniæ, vbi cum omnia prædicamenta numerasset, subdit: *Proprie Deus dicitur substantia*, & rursus ait de Deo verissime dici quod faciat, & addit: *Hæ quippe in prædicamentis supra nominatis de Deo dicuntur*: deinde vero ait quædam dici de Deo relatiue: quod autem id intelligat de prædicamento relationis patet lib. 5. de Trinit. cap. 7. vbi concludit filium, & non filium, genitũ & non genitũ dici relatiue, & esse de prædicamento relationis: non est autem aliud prædicamentum relationis, q̃ vnum, in quo à Philosophis reponuntur ea, quę relatiue dicuntur: ad quod pertinere genitum, & ingenitum contendit Aug. vt patet ex verbis ipsius: *Sicut enim genitus non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore sit, ita cum dicitur ingenitus, nõ ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur in eodem tamen prædicamento, quod relatiuum vocatur, vtraq; significatio vtitur*: hoc ipsum sentire videtur Damasc. li. 1. fidei, c. 9. *vbi scitissime*, inquit, *est quod non ex nobis translatum est ad beatam diuinitatem paternitatis, & filiationis, & processionis nomen, cõtrario autem nobis inde traditum*

Augustin. Damascen.

traditum est, vt ait Diuus Apostolus propterea flecto genua mea ad patrem, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur. Quin vero in Instit. c. 7. expresse docet contineri Deum sub genere summo substantiæ, nam inter alia sic habet: *genere autem summo continetur hæc corporis expers essentia, vt Deus, vt Angelus, vt animus, vt dæmon.* Accedit Boet. li. 1. de Trinit. dicens solum duo genera manere in diuinis, ex quibus testimonijs ita conficitur institutum, hi Patres censent aliqua genera, siue prædicamenta dicta de creaturis dici proprie de Deo, alia minime hoc vero nequitaliter intelligi, quâ si Deus aliquibus subijciatur proprie & in quid, alijs vero non: quare de mente ipsorum Deus est in genere prædicamentali. Assumptio constat, quoniam vel vtrobique accipiuntur nomina secundum eam significationem, secundum quam dicuntur de creaturis, vel non? hoc secundum non est dandum, esset enim inanis, & ridicula differentia, & indigna tam grauibus authoribus, qui non videntur constituere discrimen nisi secundum vsurpatam acceptionẽ nominum, prout communiter dicuntur de creaturis: si detur primum, habetur intentum: nam, si substantia, ac relatio, prout sunt genera prędicamentalia cõmunia creaturis, dicuntur proprie de Deo, necessario continetur sub illis habens veram, ac propriam rationem substantiæ, & relationis prædicamentalis.

Boet.

III. Cæterum his non obstantibus cõmunis est scholasticorum, Philosophorum, & Patrum sententia Deum non contineri genere; ideoq; ex ipso, ac differentia minime componi. Quod attinet ad Doctores scholasticos ita docuerunt Magister in 1. d. 8. Altis. li. 1. cap. 4. q. 2. Alens. 1. p. q. 48. mẽbr. 4. art. 3. §. 2. Ad vltimum argumentum, Alber. in sum. tract. 4. q. 20. m. 2. in argumento 8. & membr. 3. in coroll. & tract. 14. q. 59. memb. 4. ad secundam particulam, & in 1. d. 8. ar. 7. & 32. S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 5. cum Caietan. li. 1. contra Gent. ca. 24. & 25. cum Ferrar. & sæpe alibi Bonauent. in 1. d. 8. ar. 3. q. 4. Aegyd. 1. p. secundæ partis principalis, q. 3. Henric. in sum. ar. 26. q. 2. & art. 28. q. 3. ar. 32. q. 5. & quodlibet. 5. q. 2. Richard. in 1. d. 8. art. 3. q. 1. & ar. 4. q. 2. Scot. qu. 3. §. *Teneo opinionem*, cum Scotistis ibidẽ, Heru. quodl. 1. q. 2. & in 1. d. 8. q. 3. Aureolus q. 4. art. 2. Ochamus q. 1. lit. l. Bassol. qu. 4. ar. 3. Mayron. qu. 11. prolog. §. *Secunda veritas*, Aquilanus in 1. d. 8. q. 3. artic. 3. Argentin. q. 1. art. 1. conclusione 2. Capreol. q. 2. artic. 1. conclusione 4. Hispal. conclusione etiam 4. Soncin. q. 3. conclusione 4. Abulens. q. 8. in cap. 28. Deut. Carthus. in 1. d. 8. qu. 6. vbi pro eadem sententia refert Gulielmum Parisiens. Vdalricum, & Petrum de Tarãtasia, Sylue. q. 3. conflati ar. 6. Deniq; adeo fuit hæc opinio recepta in schola Oxoniensi, vt inter alios articulos condemnauerit vt erroneum, quod Deus sit in genere, & non extra genus, vt refert Bachonus in 1. d. 8. qu. vnica art. 2. §. 1. & ob eam causam Ochamus quamuis alioqui concedat, non esse efficacem rationem pro hac sententia, ab illa tamen non discessit, vt narrat Gabr. vbi supra.

Magister. Altisiodor. Alensis. Albertus. S. Thom. Caietan. Ferrarien. Bonauent. Aegyd. Henricus. Richardus. Scotus. Heruæus. Aureol. Ocham. Bassolis. Mayron. Aquilan. Argent. Capreol. Hispal. Soncin. Abulens. Caribus. Guliel. Paris. Vdalricus. Tarantasius. Oxonien.

IV. Communis est etiam sententia Philosophorum, vt enim ait Algaz. apud Auerroem in destruct. disp. 7. in 1. dubio conueniunt Philosophi in eo, vt dicant Deũ non esse sub genere, aut ex illo, differentiave componi: cui consentit Auerroes in responsione, & quoniam dubio 3. Algazel. obiecerat Philosophos non satis id probare, Auerr. id ex instituto probandum suscipit, idemque probat Auicenn. lib. 8. Metaphys. capit. quart. docet etiam Alcinous de doctrina Platonis apud Ludouicum Viues in commentarijs libr. octau. de ciuitate Dei capite 6. Porro Aristoteles licet hoc expresse non asserat, tamen ex eius dictis eadem sententia colligitur: nam frequenter ait genus esse simile materiæ, ita libr. 5. Metaphys. text. 10. & lib. 10. text. 43. & alibi, in Deo vero nihil simile materiæ reperitur, item secundum Aristot. lib. 10. Met. ca. vlt. generabile, & incorruptibile genere differunt, & ita de eius sententia Deus non conuenit nobiscum in genere substantiæ solum quis dubitauerit, an conueniat cum substantijs separatis, verum, cum Aristot. eas omnes simplices omnino concesserit, non videtur agnouisse in eis compositionem ex genere, ac differentia, quam solum in rebus materialibus concedit fidus eius interpres Auerroes vbi supra in solutione tertij dubij dicens omne compositum ex genere, & differentia apud Philosophos esse generabile, & corruptibile. Idem colligitur ex eo, quod libr. 9. Metaphys. capit. 12. loquens de substantijs separatis, ita eas simplices statuit, vt circa ipsas non sit deceptio, sed vel comprehensio, vel ignorantia: quia scilicet nequeunt partim sciri, partim nesciri, quæ ratio vim non habet, si in ijs sit compositio ex genere, ac differentia: nam circa ea, quæ hoc modo composita sunt, potest esse error mentis attingentis genus, & errantis circa differentiam, aut vice versa: quare, cum Deus de mente Philosophi sit substantia simplicissima, non erit sub genere,

Algazel. Auerroes. Auicenn. Alcinous. Aristot. Auerr. Aristoteles.

nere, nec ex illo, ac differentia componitus. Præterea lib. 8. Metaphys. text. 9. solius substantiæ compositæ censet diffinitionem dari, non vero simpliciū, ex quibus sunt compositæ: Deus autem de sententia eiusdem est simplex, & proinde non habet diffinitionem, haberet autem, si constaret genere, ac differentia: quare de mente Philosophi Deus non est in vero genere. Denique vbi est analogia per attributionem non est ratio generis vniuoci: At vero Aristotel. libr. secund. Metaphys. text. secund. ait ens multipliciter dici, & omnia dici entia per attributionem ad primum: quod autem dicitur de ente locum habet in quouis alio prædicato communi Deo, & creaturis: nam omnis substantia dicitur per attributionem ad primam: ex quibus colligitur de mente Aristot. Deum non contineri sub genere.

V. Scotus. Neque authoritas primo loco inducta oppositum suadet: non quidem propter fundamentum Scoti in 1. d. 8. quæstion. 3. §. *Ad argumenta*, qui ait Auerroem non assecutum fuisse mentem Philosophi, qui eo loco solum volebat contra Platonem ostendere mensurā nō esse ipsum vnum, sed aliquid, cui id conueniat: & ita non Deum esse mensuram prædicamenti substantiæ, sed aliquam substantiam, cui primo conueniat vnitas. Verum Auerr. non ait eo loco Philosophū expresse docere Deum, siue primum motorem esse mensuram, sed esse vnam substantiam, cui conueniat ratio mensuræ, hanc vero esse Deum: qui de sententia Philosophi in libr. octau. Physicor. est primum ens, prima substantia, & primus motor. primum autem in vnoquoque genere est mensura cæterorum. Nec vero datur vlla omnino substantia creata, quæ sit omnium mensura, cum nulla sit in summo gradu perfectionis possibilis in genere substantiæ, concedo itaq; Deum esse mensuram per excessum substantiarum creatarum: ex hoc autem non sequitur contineri ipsum proprie sub genere substantiæ: nam, vt patet ex Auerroe lib. 4. Metaphys. comment. 2. lib. 5. comm. 4. & alibi sæpe, genus apud peripateticos modo vniuoce, modo analogice accipitur, idque patet, quoniam Aristotel. libr. 1. Poster. cap. 23. ait vnam scientiam esse vnius generis subiecti: quod verum non est, si intelligatur de genere vniuoco: quandoquidem Metaphysica ex doctrina eiusdem Aristotelis loco citato ex 4. Metaphys. est vna scientia, & nihilominus agit de ente, quatenus ens est, id vero de mente eiusdem non est vniuocum, sed multiplex dicitur 5. Metaphys. cap. 7. cum itaque Philosophus, & eius Commentator aiunt vnumquodque mensurari aliquo sui generis, loquuntur de genere analogico: non repugnat autem, si dicamus Deum hoc modo pertinere ad aliquod genus: conuenit enim cum creaturis in aliquo prædicato essentiæ analogo. Ex secundo loco nihil amplius colligitur, quam Deum conuenire cum creatura in ratione analogica entis, ac substantiæ: ex eo enim, quod substantiam contra diuidat à prædicamentis accidentium, non sequitur accipi ab eo substantiam pro prædicamentali, imo pro ea, cui per se primo conuenit esse, & repugnat inesse subiecto inhæsionis: hæc autem non est substantia prædicamentalis, sed secundum rationem analogicam communis Deo, & creaturis: atque adeo ex eo, quod Aristoteles hanc diuidat in sensibilem, & intelligibilem, sub qua Deum comprehendit, non sequitur ex mente ipsius Deum contineri sub substantia prædicamentali: eo enim loco non curabat de ratione substantiæ prædicamentalis, sed solum de latitudine entis, quod est subiectum Metaphy. &, sicut ens non est genus vniuocum, ita nec oportet, vt substantia sub ipso contra accidens diuisa sit vniuoca. Ad testimonium sumptum ex Auicenna respondetur dictum obscurum vnius Philosophi non esse ita interpretandum, vt repugnet apertæ sententiæ ipsius: Auicenn. vero, vt patet ex dictis, ex instituto probat Deum non contineri genere, nec ex eo, ac differentia componi: & ideo cum ait ens primùm diuidi in substantiam, & accidens, nō est ita interpretandus, vt existimet substantiam, in quam primum diuiditur ens, esse genus vniuocum Deo, & creaturis: Sed sat est, vt crediderit esse rationem quādam analogam sub qua Deus conueniat cum substantijs creatis.

VI. Cyrill. Alex. Quod ad Patres attinet communi consensu docent Deum non contineri sub genere. Ita Diuus Cyrillus lib. 1. de Trinitate circa initium, & li. 11. Thesauri ideo negat ingenitum esse differentiam essentialem Dei, quoniam differentiam eiusmodi sola composita habent, Deus autem est simplex. Ex quo patet de mente ipsius simplicitati repugnare compositionem ex genere, ac differentia, Cassiodorus super illa verba Ps. 2. *Dominus dixit ad me, &c.* sic habet. *Non potuit*, nempe Propheta, *substantialiter per genus, & differentias, ad eius prosapiam peruenire, quod magis creaturis, quam creatori videtur posse congruere. Nam quemadmodum super eius natiuitatem genus aliquod præualet re-* Cassiodor.

Auerroes.

Aristotel.

periri, cum ipsum rerum omnium constet autorem? Clemens Alexandrin. lib. 5. stromat. capit. 5. probans Deum esse ineffabilem, *quemadmodum enim*, inquit, *dici potuerit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque individuum?* Bernardus Epist. ad fratres de monte Dei in fine, *ipsa*, inquit, *est summa substantia, non subiecta prædicamentis vocum, sed rerum omnium subsistẽs causale principium.* Augustinus libro de cognitione veræ vitæ cap. 3. vbi numeratis decem prædicamentis, & modis, quibus singula de Deo prædicari videntur ad finem subdit. *His quippe decem cuncta humana conditio includitur, & ab his omnibus proprietas summæ essentiæ euidenti ratione penitus excluditur*, tetigerat autem ibi rationem: nempe quia omnia decem genera quoad proprium, & adæquatum significatum imperfectionem includunt, nec vere possunt dici de Deo: ob quam causam in hanc sententiam citari possunt omnes Patres, qui contendunt, si in rigore loquendum sit, nullum nomen apud nos vsitatum proprie dici de Deo: & ideo non dicendũ simpliciter substantiã, sed super substantiã non sapientiam sed super sapientiã, quomodo loquitur D. Dionys. & alij referendi in tract. de nominibus Dei: nam, si nulla nomina apud nos vsitata proprie tribuuntur Deo, neq; ipsorum significata tribuentur, nos autem proprijs nominibus genera summa prædicamentorum significamus: quare illa de sententia istorum Patrum non prædicantur vere de Deo, atque adeo non habent rationem generis respectu ipsius. Anselm. in Monologio cap. 26. expresè docet Deum non contineri in prædicamento substantiæ, quia ab essentiali eius communione excluditur. Hoc ipsum docet sanctus Maximus centuria 3. cap. 4. relatus à Cypariſſiot. decad. 10. cap. 8. sic vero ait: *Nihil eorum, quæ sunt, est non circumscriptum, quoniam neque liberum à prædicamento: solus Deus est extra prædicamentum, & idcirco ab omni circumscriptione liber, vtpote in infinitum celsior omni substantia, & mente, & ratione, & intelligentia.* Idem subindicat Theorian. Orthodoxus in colloquio cum catholico Armeniorum circa principium, & habetur tom. 4. bibliotecæ sanctorum Patrum, vbi substantiam diuidit in corpoream, & incorpoream: *vt anima*, inquit, *& Angelus*, statuens hæc duo membra diuisionis adæquatæ substantiæ incorporeæ: & quia dicere quis posset Deum contineri sub incorporea substantia, subijcit: *Quippe Deus vltra substantialis est supra omnem positus essentiam: & si quid his etiam vlterius.* Quasi dicat non posse contineri Deum sub substantia incorporea, quia est supra omnem substantiam, & essentiam, nullis prędicamenti limitibus circumscriptus: hoc autem ex antiquorum Patrum sensu pronunciat: nam paulo ante dixerat se nihil suum prolaturum, sed quia ipsa Ecclesię lumina docuerunt.

Clem. Alex. Bernard. Augustin. Anselm. S. Maximus. Cypariſſio.

VII. Pro solutione testimoniorum, quæ ex sanctis Patribus pro contrario sententia inducta sunt notandum est illos non curare de prædicatione vniuoca, aut de vero genere prædicamentali, sed solum inquirere diuersitatem nominum dictorum de Deo: & quædam aiunt dici proprie, quædam metaphorice: vt autem ex hoc colligeretur Deum sub eorum significatis, tanquam sub vero genere contineri, oportebat, vt, quidquid proprie de aliquo prædicatur, sit verum genus ipsius: id vero minime est necessarium, quandoquidem pleraque analoga dicuntur proprie de multis subiectis, vtpote ens de omni eo, quod est, accidens de omni eo, quod inest subiecto inhæsionis, nec tamen sunt genera, imo etiam multa, quæ accidentaliter prædicãtur dicuntur proprie de subiecto. Itaque non sequitur, hoc dicitur proprie de subiecto: ergo est genus ipsius. Verum hæc solutio satisfacit quidem obiectioni, quatenus ex eo, quod substantia, & relatio proprie de Deo prædicentur, infertur eum esse sub illis, tanquam sub genere. Sed Augustinus non solũ hoc dicit, sed ait hæc in prædicamentis à se numeratis dici de Deo, scilicet proprie quasi velit ipsa genera summa substantię ac relationis de Deo proprie enunciari: cũ vero sit ꝓdicatio in quid, necessario erit generis. Respondeo authores, cum non tractant res Logicas, non ita presse accipere rationem prædicamenti, sicut accipitur à Logicis: sed considerare rationem ipsius, prout ab alijs prædicamentis distinguitur, & quæcumque eam rationem vendicant reducere ad idem genus prædicamenti, quamuis desint alia, quæ ad completam rationem prædicamenti requiruntur: qua ratione materia, & forma quoniam habent rationem existendi non in subiecto inhæsionis, reducuntur ad prædicamentum substantiæ, quamuis nõ vere subijciantur generi eius summo: item relationes rationis ad prædicamẽtum ad aliquid, & sexcenta alia eiusdem generis. At vero id, quo substantia prædicamentalis secernitur à prædicamentis accidentium, est ratio existendi nõ in subiecto: quæ quia Deo conuenit, quamuis non conueniant aliæ rationes communes generi summo substantiæ, & prædicamentis accidentium,

Deus

Deus vere dicitur substantia, non tamen secundum adæquatam rationem prędicamenti, & ita sub eo minime continetur: similiter, quia relatio, vt ab alijs prædicamentis diuersa est, solum consistit in habitudine ad terminum, & Deo competit ratio habitudinis, sicut & alijs in prædicamento minime contentis, de ipso vere prędicatur relatio, nec tamen ideo continetur sub genere summo prædicamenti relationis: quoniam hoc præter habitudinem includit inhæsionem, quæ Deo repugnat.

VIII. Itaque Augustinus solam vult huiusmodi prædicamenta dici proprie de Deo non secundum adęquatam rationem sui, sed secundum eam, qua ab inuicem separantur consideratam cum præcisione à quauis alia ratione determinante. Ex eo vero, quod ait Damas. paternitatis nomen non fuisse translatum ex creatura ad deitatem, sed ab hac ad illam deriuatum, solum colligitur de mente ipsius nomina dicta de Deo relatiue non dici metaphorice, sed proprie: minime vero vtrum vniuoce dicantur de Deo, & creaturis. Ad secundum locum respondeo cum D. Tho. q. 7. de potent. ar. 3. ad primum. Damasc. ibi non accipere genus, ac species proprie, & in rigore Logico, sed similitudinarie pro quouis prædicato essentiali communi multis in quid, siue sit verum genus, ac species, siue non: id vero patet, quoniam essentiam diuinam vocat speciem respectu personarum diuinarum, cum tamen vere non sit species: & animum dicit contineri sub genere summo substantiæ, quod tamen est falsum: nam animus est pars substantiæ, & non potest directe subijci generi summo, quod non nisi de substantijs completis ꝑdicatur: opus ergo est, vt sumat nomen substantiæ in maxime abstracta, & communi acceptione, prout complectitur omnia entia, quæ non sunt in subiecto: quomodo non est verum genus, sed analogum: idque possumus ex ipsius contextu deducere: primum enim diuiserat genus summum substantiæ, & sub eo solas creaturas collocarat: deinde vero subiunxit verba superius obiecta nimirum. *Essentia modo quodam quam sit essentia superiore, diuinitatem, quæ increata est complectitur, & cæt.* Quæ vero est essentia accepta modo superiore, quam sit essentia, nisi essentia, siue substantia non contracta ad creatam, sed sumpta abstractius in tota sua latitudine; hæc vero cum sit superior essentia, siue substantia creata, quam idem Damascen. eodem cap. genus summum dixerat, non potest esse verum genus: nam supra genus summum non est aliud genus, & ita Scot. in 1. d. 8. q. 3. §. *Ad argumenta*, ex hoc ipso loco colligit de mente Damasceni Deum non contineri sub vno genere summo prædicamenti substantiæ. Porro Boet. cit. li. de Trinit. nunquam expresse dicit in Deo manere duo illa genera, quamuis indicet ca. 6. vbi enumeratis prædicamentis sic ait: *Hæc si quis in diuinam prædicationem conuertit, omnia mutantur, quæ mutari possunt, ad aliquid vero omnino non mutatur ibi*, & infra, *essentia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem*, cum vero ait ad aliquid non mutari, significat manere in Deo rationem relatiuam, non quidē secundū adæquatā rōem ꝑdicamentalem, sed supra eam, quēadmodum ait de substantia: *cum dicimus*, inquit, *Deus, substantiam significare videmur, sed eam, quæ sit vltra substantiam*: Itaque cognoscit in Deo rationem substantiæ non per omnia similem prædicamentali, sed super excedentem, ita quoque, cum relationem admittit, & ait non mutari, cum de Deo prædicatur, intelligendus est de superexcellenti modo relationis retinente habitudinem ad aliud, sine inhæsione ad subiectum. Ex quibus patet solutio ad argumentum ex horum Patrum dictis conflatum: hoc enim discrimen est inter ea, quæ dicuntur proprie de Deo, & ea, quæ metaphorice: quod, cum hæc tribuuntur Deo, non seruant quoad aliquid rationem propriæ significationis: nam cum dicitur Deus sedere, aut ambulare, nihil omnino pertinens ad rationem situs, aut motus vere de ipso dicitur si quidem situs, & motus secundum proprias rationes includunt imperfectiones Deo repugnantes: at vero substantia genus summum, quamuis si ratio ipsius adæquate sumatur, imperfectionem includat, nihilominus supra rationem entis habet aliquid perfectionis, quod nos significamus per negationem inhæsionis in subiecto: & secundum quod nomen *substantia* significat eiusmodi perfectionem cum abstractione ab imperfectionibus, Deo proprie tribuitur: idemque dicendum de nominibus aliarum perfectionum communium Deo, & creaturæ. Et ita patet quomodo nonnulla nomina dicantur proprie de Deo, & is nihilominus non subijciatur in quid generibus summis prædicamentorum: quia scilicet hæc in sua adæquata significatione continent imperfectionem perfectioni immistam.

S. Thom. Damascen. Scotus. Boet.

Deum non contineri sub genere rationibus confirmatur.

CAPVT IX.

I. ILli, qui volunt Deum sub genere contineri, vtuntur loco à diffinitione: deinde vero conātur dissoluere argumenta oppositæ sententiæ. Inprimis igitur Rubion. & Gabr. vbi supra ad rationem generis sat esse putant prædicari in quid de pluribus specie differentibus: vnde consequenter existimant ens esse genus ad Deum, & creaturas. Sed est opinio expressa contra Aristot. & alios Philosophos, vt ostendi solet in metaphysica. Propter hanc rationem Gregor. ar. 2. citato ita restringit rationem generis, vt quidquid prędicatur in quid de aliquo subiecto, & de alio ab hoc specie distincto, & non prædicatur ita de quolibet, sit genus, sub quo in eodē prędicamento subiectum illud collocatur: atqui spiritus prædicatur in quid de Deo, & de alijs substantijs ab illo specie distinctis: nec tamen similiter prædicatur de omnibus: est igitur genus, sub quo continetur Deus in prædicamento substantiæ. Verba illa: *Nec tamen ita prædicatur de quolibet*, adhibuit Gregorius vt occurreret tacitæ responsioni, quæ erat inpromptu: nempe quia ens prædicatur in quid de pluribus specie distinctis, nec tamen est genus. Verum hæc additio est ad placitum, nec ab antiquis Philosophis, ac dialecticis requisita, neque ea sufficit ad explicandam complete rationem generis: quandoquidem accidens non est genus ad nouem prædicamenta, & tamen dicitur in quid de pluribus specie diuersis, quomodo non prædicatur de quolibet, non enim dicitur de substantia, atque adeo aliquid desideratur in ea diffinitione ad completam rationem generis: non est vero aliud quam vniuocatio prædicabilis ipsius, vt notat sanctus Thomas quæstion. septim. de potentia artic. 3. ad sextum, quod, si sit analogum, non habet rationem generis. Non esse vero aliquod prædicabile essentiale in quid commune Deo, & creaturis secundum rationem vniuocam ostendam tractat. de nominibus Dei, igitur nullum prædicatum, quamuis quidditatiue Deo tribuatur, erit genus respectu illius. Quo argumento Anselmus in Monologio cap. 26. Deum excludit à prædicamentis, quia nimirum ab eius essentiali communione omnis natura excluditur, id est quia nulla ratio essentialis vniuoca est communis illi, & creaturis.

Rubion. *Gabriel.* *Gregorius.* *S. Thom.* *Anselm.*

II. Præter hoc fundamentum, quod est præcipium sententiæ negantis multa alia assignantur à doctoribus: ex quibus breuiter perstringenda sunt aliqua, quæ non ita firma sunt: deinde vero ijs exclusis adhibenda, quæ firmiora videbuntur. Inprimis Scotus in 1. d. 8. quæstion. 3. §. *Teneo opinionem*, cum Aquilano, & Antonio Andrea eadem quæstion. & Bassolis quæst. 4. art. 3. vtuntur hoc fundamento, quod in re, quæ continetur sub genere, ad minimum dari debent duæ realitates, è quarum vna desumatur genus, ex altera vero differentia: cum autem in diuinis perfectionibus absolutis nulla detur realis distinctio, genus, & differentia in illis assignari non possunt. Verum hoc fundamentum est saltem valde incertum, ideoq; in eo vim non facio, videantur Aureolus in 1. d. 8. quæst. 4. ar. 2. Ocham. q. 1. lit. H. Capreol. qu. 2. ad argumenta contra primam partem primæ conclusionis, Hispalensis quæstion. 2. ar. 1. conclusione 1. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem, Soncin. quæst. 3. conclusione 2. qui illud fusè impugnant, & soluunt rationes, quibus ab Scotistis confirmatur.

Scotus. *Aquilan.* *Anton. Andr.* *Bassol.* *Aureol.* *Ocham.* *Capreol.* *Hispal.* *Soncinas.*

III. Deinde assignatur à nonnullis aliud à partium enumeratione in hunc modum: quidquid continetur sub genere summo prædicamenti, aut est indiuiduum, aut species infima, aut subalterna: Deus non est species infima, nec subalterna, quoniam non est communis ad plures species, aut indiuidua conuenientia sub eodem nomine, & ratione communi deitatis: non est etiam indiuiduum, tum quia hoc conuenit cum pluribus alijs sub eadem specie infima, Deus autem cum nulla omnino re creata hoc modo conuenit, imo ab omnibus differt pluſquam specie, tum quia vt arguit Albertus in sum. tract. 4. q. 20. mēb. 3. in corollario, indiuidua præter rationem communem speciei, in qua cōsistit essentia ipsorum, vendicant accidentia, quibus inuicem distinguuntur: Deus autem non capax accidentium, ideoque nequit esse indiuiduum prædicamentale sub specie constitutum. Simili fere argumento vtitur Aureolus vbi supra, vt probet Deum non contineri in genere substantiæ, quoniam non est prima, nec secunda: non prima quoniam hæc est hoc aliquid, Deus autem non est hoc aliquid, sed tres aliqui: non secunda, quoniam secundæ authore Philosopho significant quale quid: Deus autem non

Albertus. *Aureol.*

est for-

est forma alicuius, nec vllam rem qualificat: atque adeò non est secunda substantia.

IV. Hoc argumentum ex suis præcisè fundamentis non conuincit: quoniam ea, quæ diuidunt aliquod genus: non opus est, vt æquè latè pateant: potest enim altera differentia esse generica, altera specifica, vt cõstat in rationali, atque irrationali, quæ sunt differentiæ immediatè diuidentes genus: atque adeò dicet aliquis Deum contineri immediatè sub genere substantiæ, quæ immediatè diuiditur per creatam, & increatam tanquã differentias essentiales: non esse vero opus, vt ex ratione generica substantiæ, & differentia illa *Increata*, constituatur species subalterna, sed species infima: hanc vero ipsam non necessario debere esse communem pluribus indiuiduis, sed sat esse vt in vno sit, quoniam hoc est discrimen inter species rerum compositarum, ac simplicium: quod illæ non indiuiduantur se ipsis, sed adminiculo conditionum materialium: at vero simplices se ipsis indiuiduantur, quod ex sententia Philosophi de Angelis asseruit D. Thomas *S. Thom.* 1. p. quæst. 50. art. 4. idemque secundum mentem Philosophi dicendum est de natura solis, qui à cæteris corporibus specie distinguitur: & tamen de sententia eiusdem qui existimauit mundum æternum, ac necessarium, non possunt esse plures soles eiusdem speciei, & nihilominus in sole agnoscitur natura specie diuersa à natura corporum reliquorum: si ergo ita Philosophatus de rebus creatis, nõ facilè proposito argumento cõuincetur, multo minus conuinci poterit loquens de prima simplici, ac necessaria substãtia, quæ, cùm vendicet essentialiter ipsum esse, se ipsa indiuiduatur, & ita habere poterit rationem speciei, quin sit, aut esse possit in plurib⁹ indiuiduis eiusdem naturæ solo numero distinctis. Quæ solutio traditur à *Marsilio* q. citata ad tertium, dum respondet ad testimonium Anselmi pro secunda parte articuli; similiter responderetur ad argumentũ Aureoli dicendo Deitatem quatenus concipitur per modum formæ subsistentium in ipsa, dici posse quale quid, quoniam significatur vt forma essentialis, quod sat est vt dicatur quale quid, Deum vero esse hoc aliquid quatenus est indiuiduum substãtiale, ex eo vero quod sint tres aliqui in Deitate nõ sequitur Deum nõ esse hoc aliquid: nam illi tres sunt idẽ hoc aliquid, cùm enim dicitur Pater est hoc aliquid, & filius est hoc aliquid, in ratione huius neutraliter sumpti includitur ratio singularis diuinæ naturæ, & proinde filius non est aliud hoc aliquid à Patre, nec tres personæ tria hoc aliquid, sed ita ratione personalitatum sunt tres aliqui, vt ratione naturæ sint vnum hoc aliquid nempè Deus: quem aduersarius dicere poterit esse primã substantiam. Hæc dixerim, vt pateat vis argumenti: nam Deus re vera nec est species, nec indiuiduum, prout denominatur ab habitudine subijcibilitatis ad speciem, sed solum prout dicitur à negatione diuisibilitatis in plura eiusdẽ nominis, ac rationis, nec est secunda substantia, aut prima quatenus dicit habitudinem ad secundam, sed quatenus est substantia singularis per se existens. Verùm prius est rem cõtineri sub prędicamento, quam esse speciem, vel indiuiduum, ideoque quærenda ratio, cur in prædicamento esse nequeat: nam si aduersarius proponat omnia requisita, vt res contineatur in prædicamento, & contendat ea esse in Deo, obtinebit intentum, & ad propositũ argumentũ respondebit, vt supra responsum est, quare prius est danda ratio sumpta à communi cõditione entis prædicamentalis, quæ Deo repugnet.

V. Aliud fundamentum vsurpant S. Thomas 1. q. 3. art. 5. lib. 1. contra Gentes cap. 25. *S. Thom.* & in 1. d. 8. quæst. 4. art. 2. ex Auicen. 2. p. logic. cap. 2. tract. 5. Met. cap. 4. & tract. 9. cap. 1. Ægydius, & Henricus vbi supra, & *Henricus.* Capreolus in 1. d. 8. q. 2. art. 1. conclusione 2. & Hispal. quæst. 2. art. 1. conclusione 2. & *Hispalens.* art. 4. ad argumenta contra eandẽ conclusionem, Soncin. q. 3. conclusione 4. nempè quod in rebus genere cõtentis differt essentia, & esse: in Deo vero non differt, vt cõstat ex superioribus. Antecedens probatur ab eis multipliciter: sed tota vis cõsistit in hoc: quoniam omnia, quæ sunt sub eodẽ genere, conueniunt in quidditate generis, quod prędicatur in quid de subiectis: differunt vero secundũ esse: quoniam aliud est esse hominis, aliud equi, & sic de cæteris. Et confirmatur, quoniam omnia, quæ sunt in genere prædicant quidditatem: huic vero nõ debetur esse, nisi per hoc, quod suscepta est in hoc, vel in illo: & ideò quidditas generis, & speciei nõ communicatur secundũ esse omnibus, sed solum secundum vnã rationem cõmunem: atque adeò in omnibus cõtentis sub genere differt esse ab essentia. Hoc fundamentũ impugnant aliqui recentiores: quoniam vel distinctio essentiæ ab esse, quã ponunt, debet esse actualis, vel intentionalis secundum rationem, vt vult Henricus: actualis non datur, intentionalis nõ requiritur: quia nõ apparet ratio necessitatis: si vero quis cõtendat requiri, etiam in Deo erit, in quo possumus per intellectũ distinguere essentiam ab existentia, ad mo-

Soncinas.

Marsilius.

dum, quo distinguimus in creaturis: atque adeò ex hac ratione nõ conuincitur Deum non contineri genere prædicamentali.

VI. Hoc fundamentum, quatenus à nõnullis auctoribus intelligitur de distinctione reali ex natura rei, non est firmũ: quoniam non est certum, sed versatur in opinione Doctorum, & ideò facilè eluditur argumentum negatione antecedentis. Ad cuius probationem respondetur nõ opus esse, vt ratio differendi sub natura communi sit ab ea realiter, & ex natura rei distincta: nam etiam in sentẽtia D. Thomæ Angeli habent differentias essentiales, & cõueniunt inter se, & cum rebus corporeis saltem in genere logico: nec tamẽ eiusmodi differentiæ rerũ spiritualium sunt ex natura rei distinctæ à genere, vt de sententia D. Thomæ admittit Capreol. q. citata cõclusione 1. similiter ergo, licet res sub genere contentæ conueniant in quidditate, & differant secundum esse, non oportet, vt hoc ab illa differat ex natura rei; Nec vero id, quod dicitur in confirmatione cohæret cũ dictis in argumento: nam in eo dictum fuerat aliud esse hominis, aliud equi, quasi illud, per quod primo differunt homo, & equus: in confirmatione vero dicitur esse nõ deberi quidditati, nisi per hoc, quod recipitur in hoc, aut illo nempè singulari, quoniam vniuersalia abstrahunt ab esse: Aut enim hic est sermo de esse essentiæ, aut existentiæ: non de esse essentiæ, quoniam id nõ distinguitur ab essentia, neque cõuenit primo singularib⁹ in quibus accipitur: esse vero existentiæ nõ est id, quo p se primo differunt species: neque id solum addunt generi, sed differentias sibi intrinsecas, & essentiales, quæ non minus pertinent ad naturam, & essentiam speciei, & distinguuntur ab esse existentiæ, quam quidditas generica: atque ita eo argumento, vt iacet, nõ rectè concluditur distinctio actualis essentiæ ab esse, & consequenter ex vi eius fundamenti nõ repugnat Deum contineri genere.

Capreol.

VII. Nunc est videndũ vtrum ex distinctione rationis, quã Henr. intentionalem vocat, idẽ colligatur, an non. Hoc vero pendet ex duplici capite, primum quidẽ ex veritate illius principij, omne, quod in genere continetur, habet essentiam distinctã intentionaliter ab esse: deinde vero ex veritate assumptionis, scilicet in Deo nõ est talis distinctio inter essentiam & esse, vtriusque negatione recentiores putãt eludi hoc argumentum vt cõstat ex dictis. Verùm vt à negatione assumptionis incipiam perperam negatur: & ratio negandi procedit ex falsa acceptione terminorũ: Etenim Henr. nõ omnem distinctionẽ rationis concedit esse secundum intẽtionem, sed solum eam, quæ fundatur in diuersa diffinitione, ac diuersitate rei in distinctis subiectis: vt dicam tract. 6. cap. 3. num. 2. & 3. essentia vero diuina, & ipsius esse repugnat vt sint in diuersis subiectis cum reali distinctione. Et ita distinctio illa rationis, inter essentiam diuinam, & esse ipsius, si qua est, nõ est secundum intentionem, ad modum, quo loquitur Henric. atque adeò verè ab ipso dicitur essentiam diuinam non distingui intentionaliter à suo esse: & ideò fundamentũ ipsius firmum est ex parte assumptionis. Nunc videndum, quæ necessitas cogat eam distinctionem admittere inter essentiam, & esse rerũ cõtentarum sub genere: est autẽ radix eius abstractio, siue præcisio quidditatis genericæ ab esse: Etenim genus omne cõtinet sub se species creatas: nam, cùm Deus sit vnus numero, nõ potest solus esse sub vero aliquo genere: & cõsequenter omne genus amplectitur aliquã saltẽ speciem creatam: nullius autem rei creatæ genus includit necessario, & intrinsecè ipsum esse: quare necessario debet abstrahere ab ipso. Patet cõsequentia omnis enim ratio obiectiua potest abstrahi à re sibi nõ intrinseca. Assumptio vero est manifesta: nam, si genus rei creatæ necessario, & intrinsecè includeret suum esse, species quoque, & indiuidua includerent: nam, quod est de essentia superiorum, est etiam de essentia inferiorum: ex quo deinde sequeretur creaturas omnes necessario esse, cuius oppositũ experimur. Ex hoc principio ita deducitur intentum, omnis ratio generica est quidditas, & essentia inferiorum: ea vero abstrahit, ac distinguitur intentionaliter abesse, vt probatũ est: ergo essentia rerũ sub genere contentarũ distinguitur intẽtionaliter ab esse.

VIII. Dicet aliquis solum probatũ esse quidditatem genericam abstrahere ab esse, non vero distingui intẽtionaliter: Verùm cum abstractio fundetur in distinctione, & exclusione vnius ab altero, probata abstractione, manet etiã probata distinctio intentionalis. Responderi iterum poterit hoc argumento nõ probari absolutè distinctionem ipsius esse ab essentia adæquatè, sed solũ inadæquatè sumptæ secundũ rationẽ genericam, fieri vero posse, vt secundũ propriam rationẽ specificã includat esse: ex eo vero, q̃ inadæquatè conuenit secundũ rationem communẽ essentiæ, nõ impeditur denominatio tracta à propria differẽtia essentiali: vt patet in homine, qui ex ratione generica animalis non est rationalis, abstrahit enim animal à rationali, & irrationali, & nihilo-

minus

minus verè dicitur rationalis à propria differentia: ita res aliqua contenta sub genere, quamuis ab eo non habeat essentialiter ipsum esse, habere illud poterit à differentia propria, & consequenter essentia eius nõ differt ab esse. Huic obiectioni respondeo in primis ipsammet essentiã specificam non posse includere formaliter esse, quoniam tunc indiuidua necessario existerent, quod est falsum: Deinde vero etsi admittatur assumptio, respondeo illo argumento solùm concludi partialem rationem essentiæ, nempè eam, quæ consistit in differentia generi addita, non distingui intentionaliter ab esse: quandoquidem essentia non consistit tota in ratione addita generi, sed coalescit ex genere, ac differentia: & ideò, cùm sola differentia includeret esse, tota essentia non esset suum esse, sed secundum quid illud includeret, secundum vero aliquid, hoc est secundum genus minimè: & secundum hoc adhuc essentia distingueretur intentionaliter ab esse; sed inquires cur, aut quomodo repugnet vt essentia diuina hoc modo distinguatur ab esse scilicet quia est actus purus, cuius tota essentia, & non pars est suũ esse: & ita ex ratione actus puri necessario sequitur Deum genere minimè comprehendi, & ad hoc fundamentum reuocatur illa ratio, quam vsurpant Albert. corollar. citato. S. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 5. Henr. in sum. art. 28. q. 3. Richard. in 1. d. 8. art. 4. q. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclusione 3. Carthus. q. 6. & apud ipsum Vdalric. & Hispal. q. 2. art. 1. conclusione 3. Soncin. quæst. 3. conclusione 3. & 4. nempè quia omne genus, & sub genere contentum habet admistam potentialitatem: hæc autem repugnat Deo.

Albert. S. Thom. Henric. Richard. Capreol. Carthusian. Vdalricus. Hispalens. Soncinas.

IX. Hoc fundamentũ nonnulli impugnant dicentes in contentis sub genere, non necessario ineſſe potentiam, quandoquidem inter potentiam, & actum debet esse actualis distinctio, quæ inter genus, & differentiam minimè est. Verùm tamen si loquamur de potẽtia, quæ opponitur actui puro, negandum est id, quod supponunt: etenim ratio actus puri dissoluitur per quamuis potentialitatem quomodolibet ab actu distinctã siue re, siue intentione sola; vt patet in potentia ad esse, quæ de sententia aduersariorum ab illo re ipsa non distinguitur: & tamen dici debet potentia passiua repugnans actui puro: quod probatur ex eo, quod omni potentiæ actiuæ respondet passiua, vt ait Philosophus, & est axioma cõmune: Deus autem habet potentiam actiuam traducendi res à nõ esse ad esse: ergo ex parte rerum debet respondere potentia passiua vt sint: & confirmatur quoniam res omnis comparata cum aliquo actu, vel illum necessario vendicat, vel excludit, vel est indifferens ad ipsum, & eius priuationem, essentiæ creatæ ipsum esse nec necessario vendicant, nec excludunt, quare sunt indifferentes ad ipsum, vel eius priuationem, hæc vero indifferentia non est sine aptitudine ad ipsum, aptitudo vero hæc est potentia quędam passiua, si non physica, & realis ab actu distincta, saltem obiectiua, & distincta intentionaliter: & sola sufficit ad dissoluendam rationẽ actus puri. Id vero patet, quoniam si per impossibile fingeretur ens aliquod vendicans essentialiter, & intrinsecè perfectiones omnes diuinas excepto ipso esse, ad quod habendum esset solum in potentia obiectiua, siue aptitudine logica, nulla modo esset actus purus, cuius ratio formalis est, vt sit essentialiter ipsummet esse. Ex quibus constat, rem omnem contentam genere, cùm includat quidditatem generis suaptè natura indifferentem ad esse, & ad perfectiones contrahentes, includere intrinsecè rationẽ formalem potentialem in compossibilem cũ ratione actus puri: & cõsequenter Deum, qui ex propria ratione est actus purus, non contineri genere, fieri namque nequit, vt propria, & specifica ratio rei sub genere contentæ repugnet rationi formali generis.

Huic argumento respondent huiusmodi potentiam non esse in re, sed solum obiectiuè in conceptibus: hoc vero modo nõ repugnare, vt cõcipiatur etiam in Deo ratio aliqua pręcisa ab alijs cum aptitudine ad ipsas: possumus enim cõsiderare Deum habentem vitam substantialem cum aptitudine ad actus vitales: & ita in essentia diuina erit aliqua perfectio cum aptitudine ad alias, & consequenter potentia, de qua loquimur: ex quo sequitur ex eo, quod res contentæ genere eam potentiam vendicent, ineptè colligi Deum non contineri genere. Antecedens patet, quoniam ratio generis à parte rei est coniuncta cum differentijs oppositis, & idem cum ipsis: ideoque non habet indifferentiam, sed in singulis speciebus determinationem ad ipsarum differentias, & repugnantiam omnimodã ad oppositas: atque adeò potentialitas, de qua loquimur, solùm est obiectiuè in intellectu concipiente naturam generis secundum se, & cum abstractione à differentijs contrahentibus, & indifferentia ad ipsas. Hæc responsio videtur primo aspectu infringere vim argumenti, sed, si rectè expendatur, non dissoluit: Etenim, quamuis potentia hæc logica non sit ad

X.

extra

extra in rebus ipsis, sed obiectiuè in mẽte, longè tamen diuerso modo datur in rebus creatis, & in essentia diuina: discrimen verò consistit in hoc, quia natura generis secundum se sumpta non solum est apta concipi præcisè à differentijs inferioribus, sed etiã habet aptitudinẽ, vt sit in re ipsa coniuncta cũ vna ex differentijs, & distincta ab alijs, ita vt verè à parte rei careat perfectionibus earum: qua ratione natura animalis verè est apta esse in bruto cum priuatione rationalitatis, ad quam secundum se spectata habet aptitudinem logicam: quæ aptitudo, & carentia arguit potentialitatem, & imperfectionem naturæ genericæ secundum se conceptæ. At natura diuina habet quidem aptitudinem, vt secundum rationem substantiæ concipiatur à nobis præcisa ab attributis, non tamen vt sit re ipsa diuisa ab illis: Aptitudo prior cum non sit ad perfectionem simpliciter, aut actum intrinsecum ipsius Dei, sed ad conceptionem nostram, à qua denominatur extrinsecè, non est potentialitas, aut imperfectio summæ essentiæ: sicut enim intelligi actu à creatura non est perfectio Deitatis, ita aptitudo, siue indifferentia, vt intelligatur, non est potentialitas, aut imperfectio: Aptitudo vero posterior est imperfectio: sed non potest cadere in Deum, quandoquidem essentia, siue substantia diuina, etiam vt à nobis concipitur distincta ab attributis, habet omnimodam repugnantiam cum reali diuisione ab ijs, neque in vlla prorsus re esse potest ab eis realiter separata: ideoque non habet indifferentiam, vt à parte rei careat aliqua perfectione simpliciter; & consequenter est actus purus absque vlla potentialitate, & cum omnimoda determinatione ad omne esse perfectum.

XI. Vltimo responderi potest indifferentiam non minus cerni in analogis, quam in vniuocis: nam sicut animal est indifferens ad rationale, vel irrationale, ita ens ad substantiam, & accidens: & tamen hæc indifferentia non impedit, quo minus Deus constituatur sub ratione communi analoga: ergo neque impediet vt collocetur sub genere vniuoco. Namque ex eo, quod substantia in maximè cõmuni abstractione à creata, & increata sit indifferens, vt re ipsa coniungatur cũ creata, & in ea careat perfectionibus increatæ, similiter argui potest communem hanc substantiæ rationem, quæ verè Deo competit, esse potentialem, & tamen non proinde excludimus Deum ab eiusmodi rationibus analogicis: quare neque propterea excludi debet à genere vniuoco. Hæc responsio supponit non esse discrimen in ratione substantiæ significata per nomina vniuoca, & analoga, & vtramque vendicare eandemmet vnitatẽ: quod est falsum, vt cõstat ex ipsis definitionibus: nam vniuocis respondet eadem ratio substantiæ, diuersa verò æquiuocis, sub quibus analoga continentur, atque adeò immediatum significatum analogi nõ est aliquid vnum per se, sed plura vt conueniunt, ex quo prouenit, vt ipsamet ratio communis analoga, cùm non sit eadem prorsus in omnibus suis analogatis, sed quodammodo eadem, & simul diuersa, non sit simpliciter indifferens, vt coniungatur cum his, vel illis rationibus particularibus analogatorum, imò pro varietate ipsorum sit vel indifferens, vel determinata ad hoc, vel illud esse cum repugnantia ad aliud: exempli causa ens, qua ex parte significat substantiam, est determinatum ad modum essendi substantialem cum repugnantia ad inhæsionem accidentalem, nõ tamen est determinatum, sed indifferens ad sapientiam, qua substantia potest causare. At in vniuocis aliter se res habet, siquidem vnica ratio obiectiua est immediatum significatum ipsorum, & consequenter si hæc ratio secundum se sumpta est indifferens, est simpliciter potentialis, quoniam determinatio per inferiora conuenit illi per accidens, nec tollit quo minus secundum se sit, ac dicatur indifferens.

Tandem optimo fundamento vtuntur D. Thom. q. 7. de potentia art. 3. & in 1. d. 8. q. 4. art. 2. Bonauent. art. 3. q. 4. Ægydius vbi supra. Henr. in sum. art. 26. q. 2. Rich. in 1. d. 8. ar. 3. q. 1. Ocham. q. 1. lit. L. & optimè Argent. q. 1. art. 1. cõclusione 2. Capreolus q. 2. conclusione 1. ex alijs locis S. Thomæ. Carthusian. q. 6. & apud ipsum Vdalricus, Hispal. q. 2. art. 1. cõclusione 1. & art. 4. ad argumenta contra secundam partem primæ conclusionis. Soncinas q. 3. conclusione 1. & 4. id vero sumitur ab immensitate essentiæ diuinæ, & finitudine rei contentæ sub vero genere: nam nullum genus rerum comprehendit omnes perfectiones simpliciter, atque adeò limitatum est, vt per singula discurrendo patet: substantia enim solum restricta est ad perfectionem per se essendi & modos ipsius, & ita non extenditur ad perfectiones simpliciter, quæ sunt in generibus accidentium, & sic in cæteris. Vt autem magis eluceat vis huius argumenti subtexam obiectiones cõtra illud fieri solitas ab Aureolo vbi supra, Gregor. art. 2. cit. & aliquibus recentioribus. In primis obijcit Gregor. hoc fundamentum XII.

S. Thom. Bonauent. Ægyd. Henric. Richardus. Ocham. Argentin. Capreol. Carthusian. Vdalricus. Hispalens. Soncinas. Aureol. Gregor.

non habere necessariam apparentiam veritatis, sed sumi ad placitum: quoniam id quod non tollit à re id per quod reponitur in prædicamento, vel genere, non impedit, quo minus sit in eo prædicamento, vel genere: infinitas autem perfectionis non tollit à re, quin ipsa sit ens per se, & per consequens substantia: imò tali rei maximè conuenit, vt sit substantia: quare ratione infinitatis non excluditur Deus à prædicamento. Idem probat Aureolus, quoniam esse finitum, vel infinitum accidit rei sub genere contentæ, nec tollit rationem eius formalem: vt enim ait Philosophus 6. Topic. cap. 3. si linea esset infinita, adhuc competeret ipsi ratio, ac diffinitio lineæ, & vt inquit Auicenna lib. 2. Metaphys. cap. 2. qui imaginatur corpus infinitum, non imaginatur non corpus: similiter ergo, qui imaginaretur substantiam infinitæ perfectionis non imaginaretur nõ substantiam: atque adeò Deus ratione infinitatis nõ excluditur à genere. Arguunt denique nonnulli recentiores, quoniam contineri sub prædicamento contingit nostro modo intelligendi, sicut autem intelligimus naturas rerum finitas, & limitatas essentialiter, ita possemus concipere commune aliquid enti finito, atque infinito, nisi hoc aliundè repugnet. Et enim concludi genere non est re ipsa esse finitum, ac limitatum secundum essentiam, conceptus enim communis ab vtroque abstrahitur: ideoque potest sub se amplecti finitum, & infinitum secundum essentiam.

Aristot.

Auicen.

XIII. Propositæ obiectiones duas attingunt difficultates: altera est, vtrum conceptus communis rationis genericæ possit abstrahere à finito, & infinito: altera, quæ pendet ex priore, cur repugnet, vt infinitum simpliciter sub genere contineatur. Vt his satisfiat obseruandum est infinitatem aliam esse simpliciter, aliam secundum quid, siue in aliquo genere: deinde vero hîc nõ quæri, vtrum dari possit aliud infinitũ distinctum à Deo, sed supponi solùm Deum esse infinitum simpliciter, & claritatis gratia admitti in rebus alijs non repugnare, vt sit infinitas secundũ quid. Hoc posito respondeo ad priorem dubitationem rationẽ generis sumi posse abstrahere ab infinitate secundũ quid, & finitate illi opposita, nõ autem ab infinitate simpliciter sed necessario vendicare finitatem illi oppositam. Ita docent Scot. in 1. d. 8. q. 3. §. *Alij probant*, & Capreol. q. cit. ad argumenta contra secundã partem primæ conclusionis, prior pars est manifesta posita possibilitate infinitatis secundum quid: nã tunc, vt constat ex dictis Aristot. & Auicen. res infinita secundum quid retineret definitionem, ac naturam propriæ speciei, & cõtineretur sub eodem genere cum alijs eiusdẽ speciei, verbi gratia linea infinita sub ratione lineæ, calor infinite intensus sub ratione caloris, ratio est quoniam vbi sunt termini diuersæ rationis non repugnat, vt res careat vno ex illis, & circunscribatur alijs: at terminus magnitudinis quoad extensionẽ quantitatis, aut intensionem qualitatis est diuersæ rationis à terminno essentiæ, siue rationis quidditatiuæ, vt patet in indiuiduis quantitatis continuæ, vel qualitatis susceptibilis magis, ac minus, possunt enim habere inæquales terminos magnitudinis cum habeant similes omninò terminos essentiæ: ergo non repugnat ex hac parte, vt res careat termino extensionis, aut intensionis, & circunscribatur terminis essentiæ, hoc est certo genere, ac differentia. Posterior pars suadetur, quoniam omnis ratio generica habet modum aliquem entis determinatum, & diuersum à cæteris rationibus genericis sibi oppositis, ita vt auctore Philosopho in 1. Poster. cap. 11. propositiones, quibus genera summa de se inuicem negantur, sint per se notæ, illæ vero quibus negatur species vnius prædicamenti de genere summo alterius demonstrabiles per priores: ex quo sequitur quo ad essentiam genus summum vnius prædicamenti remoueri à cæteris, & ab omnibus sub eisdem contentis: cumque perfectiones simpliciter sint per varia prædicamenta dispersæ, cùm quouis genere summo cuiuslibet prædicamenti est necessario coniuncta negatio aliquarum perfectionum simpliciter: hoc autem fieri nequit, si ipsum abstrahat ab infinitate simpliciter includente omnes perfectiones simpliciter, & sit indifferens ad illam: nihil enim est indifferens ad id, à quo necessario remouetur. Ex hoc eodem principio respondetur ad secundam dubitationem idcirco repugnare, vt infinitum simpliciter sit in genere, quoniam hoc ipso erit finitum, ac circunscriptum terminis essentiæ, & diuisum à perfectionibus simpliciter, quarum negationes conueniunt necessario generi summo, & omnibus sub eo contentis, vt fusius explicabitur in materia de infinitate Dei.

Aristot.

Durand. Capreol.

XIV. Ex his patet solutio ad obiectiones, ad primam concessa maiore propositione, negandа est assumptio: nam infinitas simpliciter quamuis non tollat à re, cui competit, rationem analogicam substantiæ: tollit tamen rationem vniuocam generis determinati, & ab alijs diuisi, & contento-

rum

rum sub genere, quæ omnia constant genere, ac differentia, & consequenter diffinitione: quæ vt habetur lib. 5. Metaphys. text. 2. est terminus, nempè essentiæ, vt constat ex interpretatione Auerr. ibidem his verbis, *finis dicitur de quidditate in substantia rei, & de sermone, qui significat substantiam vniuscuiusq; rei: diffinitio enim est finis in cognitione, & esse rei, quod est finis in cognitione, est finis in esse:* ex quibus patet hoc ipso, quo res continetur genere, esse simpliciter finitam, quæ ratio destruitur per infinitatem simpliciter; sed Gregor. non curat de hoc, sed de ratione substantiæ, quæ consistit in eo, vt sit ens per se: hæc autem ratio non dissoluitur per infinitatem. Respondeo esse ens per se, si solùm dicat entitatem cum negatione inhæsionis, non esse propriam rationem substantiæ prædicamentalis, conuenit enim materiæ, formæ, & alijs non contentis per se in prædicamento: & consequenter ex eo, quod Deo conueniat esse hoc modo ens per se, non proinde continebitur in prædicamento substantiæ, vt enim rectè notauit Scot. in 1. d. 8. q. 3. §. *Teneo opinionem.* Hoc habent perfectiones simpliciter communes Deo, & creaturis, vt sumi debeant transcendentaliter, hoc est in summa abstractione à determinata ratione essendi, & consequenter à certo genere, vt constat in sapientia, & id genus alijs: nam sapientia secundum conceptum communem increatæ, & creatæ abstrahit ab omni prædicamento, si non determinaretur ad genus substantiæ, non diceretur de creata, si ad genus qualitatis, non diceretur de diuina, eodemque modo dicendum de substantia, cur enim potius substantia communis Deo, & creaturis erit contractior, quam sapientia? itaque substantia prædicamentalis dicit dependentiam, potentialitatem, & huiusmodi alias imperfectiones Deo repugnantes, sicut sapientia prædicamentalis dicit inhæsionem, nec vero habet vllam probabilitatis speciem id, quod Gabr. ait, nempè sapientiam creatæ, & increatæ communè esse genus, tunc enim contineretur eadem res sub diuersis generibus nó subalternatim positis, quod logici fieri posse negant: contineretur enim sapientia creata sub qualitate, & sub ratione illa communi sapientiæ, quæ vt patet minimè subalternantur: item Deus cõtineretur sub substantia, iustitia, sapientia: quę omnia de ipso prędicantur in quid, & secundum communissimam abstractionem dicuntur de ipso, & creaturis, nec tamen sunt subalternatim positæ.

Aristot. *Auerr.* *Scot.*

XV. Ad argumentum Aureoli respondetur, si loquatur de infinitate secundum quid, & finitate illi opposita, rectè concludere: si vero de infinitate simpliciter, nequaquam. Vt enim patet ex dictis, nullum genus prædicamentale abstrahit ab infinitate simpliciter tanquam à re, quæ sibi per inferiora posit accidere: imò vero habet necessariam repugnantiam cum ipsa. At vero Aristot. & Auicen. in contrarium adducti non loquuntur de infinitate simpliciter, sed secundum quid: vt patet ex argumentis: & ita, quamuis posterior non faciat de linea non lineam, tamen prior dissoluit rationem substãtiæ prædicamentalis, non quidem ita, vt prius sit substantia aliqua prędicamentalis, quæ eadem per additionem infinitatis simpliciter desinat esse substantia: hoc enim impossibile est: nam infinitas simpliciter non est accidens aduenies alicui, sed vel ipsa rei substantia, aut modus eius substantialis, vt nonnulli volunt, vel proprietas negatiua inseparabilis: eatenus vero dicitur soluere rationem substantiæ prædicamentalis, quatenus habet oppositionem cum illa modo superius explicato. Ad argumentum recentiorum respondeo seriem prędicamentalem eorum, quæ sub genere summo collocantur, ita contingere nostro modo intelligendi, vt tamen pendeat ex ipsa rerum natura, & significatione nominum: cur enim in prædicamento substantiæ non constituimus accidentia, aut habitus sub quãtitate, nisi quia nó conueniunt in communi ratione illorum generum? cùm vero ex illo fundamento colligunt posse nos concipere aliquid commune finito, & infinito nisi aliundè repugnet, distinguendum est consequens, & si intelligatur de prædicamento aliquo communi analogo, concedenda est consequentia, sed id non est satis, vt commune illud sit genus, si vero intelligatur de vniuoco, neganda: nam ex intrinseca ratione infiniti simpliciter prouenit repugnantia, vt contineatur sub ratione communi vniuoca, & quidditatiua, vt iam explicaui, & proinde falsum est, quod in eodẽ argumento subijcitur, nempè contineri genere non esse habere essentiam limitatam: Ad rationem, quæ subindicatur, nempè quia ratio communis ab vtroque abstrahitur, respondeo, si loquatur de analoga, verum esse, falsum vero de vniuoca: & ne ambiguitas vocabuli fallat, notandum est verbum, *abstrahi*, dupliciter sumi posse, vel latè pro apprehensione intellectus prescindentis ab omni ratione nó intrinseca essentiæ, ac diffinitioni rei, siue ea sit æquè latè patens, siue minus, aut magis:

gis: qua ratione cum animal concipitur secundum essentialia dicitur abstrahi nõ solum ab inferioribus, sed etiam à proprietatibus, interdum sumitur presse pro abstractione ab inferioribus, eorumque conditionibus, vt cum idem animal concipitur absque speciebus, & differentijs contrahentibus, & hic modus est vsitatior, hoc posito dico substantiam prædicamentalem, & quoduis aliud genus posse abstrahere priore modo à finitudine, vel infinitudine simpliciter: quoniam cum finitudo non sit ipsa rei quidditas, sed proprietas ipsius, rectè potest res absque illa concipi, at ex hoc genere abstractionis nõ sequitur, vt sit genus continens sub se finitũ & infinitum: quemadmodũ ex eo, quod animal possit abstrahi à potentia sensitiua, hoc est cogitari, illa nõ cogitata, non sequitur ipsum esse genus ad substantiam carentem potentia sensitiua. Posteriore vero modo nullum genus abstrahit ab infinitate simpliciter, & finitudine illi opposita, quoniam hanc vendicat necessario, illã excludit: ideoque nequeunt esse eius species, nec differentiæ, aut proprietates ipsarum.

XVI. Ex dictis hoc cap. & superiore constat Deum sub nullo genere posse contineri: ideoque non est opus per singula genera discurrere, propriam cuiusque rationem Deo contrariam assignando: sat est pro nouem generibus accidentium communis ratio inhærentiæ, quæ Deo repugnat, vt docet D. Thomas in 1. d. 8. quæst. 4. art. 3. pro quantitate vero, qualitate, passione, quando, vbi, situs, habere propria ipsorum ratio inuolens imperfectiones à Deo alienas, ob quas non dicuntur de Deo propriè, sed metaphoricè. Pro actione vero, & relatione, quarum hæc iuxta communem veramque sententiam, illa iuxta probabilem quorundam propriè dicuntur de Deo, illa ratio est efficacissima, quoniam quidditas generica est ratione prior omnibus ijs, quæ pertinent ad rationem propriam rei sub genere contentæ: at in Deo actio, & relatio non ita se habent, sed supponunt diuinas omnes perfectiones significatas per modum substantiæ, & habitus: hæc tamen ratio solum conuincit relationem, & actionem non esse genus respectu Dei absolutè significati, non tamen respectu relationum, & actionum diuinarum: & quidem præsens disputatio solum est respectu Dei ita sumpti: nam de personalibus non est hic disputandi locus: & non est absurdum, si quædam genera ex propria ratione abstracta ab imperfectionibus non habeant specialem repugnantiam cur Deus sub illis non collocetur. Pro his enim sufficiunt repugnantiæ sumptæ ex communi ratione generis, de quibus supra.

S. Thom.

Deus non est componibilis vlli alteri rei, ad constituendum ens per accidens.

Caput X.

PErfectissimam rationem simplicitatis diuinæ constituunt Doctores communiter in eo, vt venire non possit cum alia re in compositionem vnius tertij: namque in rebus creatis agnoscunt aliquas omninò expertes compositionis realis intrinsecæ, nullam tamen, quæ non sit componibilis alteri, vt inferius constabit: ideoque in negatione componibilitatis constituunt discrimen simplicitatis diuinæ à creata. Vt autem id clarius eluceat recolendum duplicem dari compositionem, alteram per se, alteram per accidens: quarum vtraque in varias species diuiditur. Primum vero dicam vtrum repugnet Deo componibilitas per accidens: deinde vero vtrum possit esse pars compositi per se: postremo descendam ad singulos modos partium compositionis per se. I.

Non repugnare autem Deo, vt veniat in compositionem vnius per accidens, ostenditur primo, quoniam hic modus partis, & componibilitatis non arguit imperfectionem, aut defectum complementi cuiusque rei in suo genere: nam homo completus, atque perfectus in sua specie componi potest cum re alterius generis, verbi gratia cum sapientia, vel iustitia, manente integra propria eius substantia, atque natura; & confirmatur quoniam compositio per accidens passiua vnius rei cum altera non extrahit illam à sua propria natura, & essentia: ergo Deus salua, atque integra tota perfectione essentiali potest venire cum re altera in compositionem per accidens. Secundo illa, ex quibus vnitis, & manentibus in sua propria ratione fit vnum per accidens, habent verè, ac propriè rationem partis compositi per accidens: sed ex Deitate coniuncta creaturis multipliciter fit vnum: non ergo repugnat illi ratio partis vnius compositi per accidens. Assumptum ostenditur, quoniam plures homines copulati Deo per ardorem charitatis sunt vnum in ipso II.

Deo, quod donum discipulis à Patre flagitabat Christus Dominus, Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus,* & Paul. 1. ad Corinth. 6. ait, *qui adhæret Deo, vnus Spiritus est.* Idem patet in visione beata, ad quam eliciendam coniungitur, siue vnitur essentia diuina mentibus beatorum in ratione speciei intelligibilis, vt dicunt communiter Theologi: & in operationibus supra naturam, in quibus Deus vnitur creaturæ in ratione principij, ita vt ex eo, & creatura fiat vnum principium integrum operationis.

Ioan. 17.
1. ad Cor. 6.

III. Compositum per accidens aliud fit per realem vnitionem, & copulationem partium ad inuicem, ita vt vna sit alteri formaliter, & intrinsecè vnita, vel saltem realiter, & quasi per tactum coniuncta, nempè glutine, clauo, & alijs modis vnius relatis à Philosopho lib. 10. Metaphysicæ cap. 1. aliud verò fit per conuenientiam in habitudine ad vnum terminum, quomodo duo, quæ concurrunt ad vnum numero effectum, dicuntur vnum in genere causæ, vel principij: aliud denique per vnitatem intentionalem obiecti cum potentia, qua ratione dicit Philosophus in lib. de anima intellectum in actu fieri rem ipsam intellectam, & de Christianis primitiuæ Ecclesiæ dicitur in Actibus Apostolorum cap. 4. *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Inter hæc tria genera est hoc discrimen, quod primum fit cum mutatione componentium: nam subiectum recipiens formam accidentalem verè mutatur, sicut etiam ea, quæ per vinculum, & tactum realem copulantur: vel enim patiuntur realem diuisionem, vel localiter mouentur, & consequenter subduntur actioni agentis externi. Secundum vero, ac tertium, etsi ex altera parte frequenter mutationem subeat, non tamen ex vtraque: nam obiectum intellectus, & voluntatis actus vitales terminans nequaquam mutatur: imò est principium immobile operationum mentis nostræ: item agens, qua agens est, non subit mutationem: ob eamque causam causa prima immobilis est principium efficiens rerum omnium: atque adeò quando agens superius copulat sibi inferius ad productionem vnius, eiusdemque effectus, poterit quidem inferius mutari ex impressione superioris; hoc tamen nequaquam opus est mutari, imò neque inferius quatenus præcisè agens est, quamuis sæpè supponat mutationē præuiam, qua constituatur in actu primo ad agendum. Ex eodem discrimine sequitur aliud, nempè partes primæ compositionis habere aliquid potentiæ passiuæ, quæ sola est principium materiale transmutationis, partes vero secundæ, ac tertiæ non necessario illam vendicare: tunc enim iam essent capaces transmutationis, cuius oppositum dictum est: quamuis autem respectu actionum intentionalium dicantur obiecta habere aptitudinem, vt intelligātur & amentur, hæc aptitudo non est potentia passiua, quæ solum est in ordine ad actum, quo ipsa informetur: at intellectio, & dilectio solum extrinsecè denominant obiecta, non informant: & ita intelligibilitas, & amabilitas obiectiua non est potentia passiua.

Aristot.
Actor. 4.

IV. His præmissis dico primum; Deus non est componibilis cum vlla re primo modo compositionis per accidens. Hæc quoad eam partem, quæ negat Deum posse concurrere ad compositionem ex subiecto, & accidente est communis, & facilè probatur, quoniam ad hanc compositionem concurrit aliquid, vel tanquam accidens, vel tanquam subiectum: priore modo Deus non potest concurrere, quia est ipsum quod est, & consequenter substantia, non accidens: quod propriè loquendo non est ens sed entis, non id quod est, sed quo aliquid quidpiam aliud est, verbi gratia calor non est quod est, sed quo substantia calida est: hanc partem fusius probat Henric. in summ. art. 29. quæst. 3. Posteriore etiam modo repugnat, vt Deus ad eiusmodi compositionem veniat: quandoquidem subiectum ex quo, & accidente fit compositum per accidens, vt patet ex dictis, debet esse in potentia passiua respectu accidentis, & capax transmutationis à priuatione illius ad formam: hæc autem repugnant primo enti, quod est actus purus, & immutabile. Præterea ens per essentiam, & infinitæ perfectionis, qualis est Deus, non habet vllam perfectionem participatam ab alio, & propriæ essentiæ extrinsecam: omnis autem perfectio accidentalis subiecto est participata, & extrinseca essentiæ ipsius: ergo fieri nequit, vt Deus sit subiectum formæ, & perfectionis accidentalis, & consequenter, vt cum ipsa constituat compositum per accidens: quod argumentum rectè expressit Cyrillus Alexand. lib. 11. Thesauri. *Accidens,* inquiens, *Deo nullum inesse potest, perfecto enim ex se ipso nihil potest accidere:* sed res est clarior, quam vt longa probatione indigeat, consule doctores qui illā ex professo probant S. Thom. 1. quæst. 3. art. 3. cum Caietan. lib. 1. contra

Henric.
Cyrill. Alex.
S. Thom.
Caietan.

Gentes

Ferrarienſ. Henric. Durand. Aquilanus. Argentin. Leo. Marc. Victor. Ambroſ. Auguſtin. Boetius. Anſelm. Bernard. Alcuinus. Cypriſiota.

Gentes cap. 23. cum Ferrarienſ. & quæſt. 7. de potentia art. 4. Henric. in ſumm. art. 29. quæſt. 4. Durand. in 1. d. 8. 2. p. diſtinctionis, quæſt. 1. art. 2. Aquilanum quæſt. 3. art. 2. Argentinatem quæſt. 1. art. 2. conueniunt etiam Sancti Patres, Leo Epiſtola 93. alias 91. cap. 5. Mar. Victorin. lib. 1. aduerſus Arium circa medium, Ambroſ. lib. 1. de fide Trinitatis cap. 7. Auguſt. lib. 5. de Trinitate cap. 3. 4. & 5. Boët. in lib. 1. & 2. de Trinitate. Anſelm. in Monologio cap. 24. Bernard. tract. de diligendo Deum verſus finem, Alcuin. lib. 1. de Trinitate cap. 10. Plura Patrum teſtimonia refert Ioan. Cypariſſiota decade 10. cap. 2.

V. Ariſto. Auerr.

Aduerſus hanc veritatem non eſt argumentum vllius momenti, niſi quis velit vti dicto Ariſtot. lib. 1. Phyſ. text. 30. *ſubſtantia nulli eſt accidens.* Ex quo colligit Auerr. 8. Metaph. com. 50. id, quod eſt ſubſtantia in vno, non eſſe accidens in alio: quod etiam conſtat inductione diſcurrendo per ſingula genera accidentium: at ſapientia, iuſtitia, & aliæ perfectiones ſimpliciter communes Deo, & creaturæ, in hac ſunt accidentia: ergo nequeunt eſſe ſubſtantiæ in Deo, ſed erunt accidentia. Reſpondetur dictum Ariſtot. intelligendum de re eiuſdé rationis vniuocæ, vt procedebat eo loco quæſtio: probabat enim Philoſophus calorem, qui eſt eiuſdé rationis ſpecificæ, cùm in corpore miſto ſit accidens, nó poſſe eſſe ſubſtantiam in ſimplici: perfectiones autẽ diuinæ nó conueniunt vniuocè, ſed analogicè cum creatis eiuſdẽ nominis, vt oſtendam lib. 4. Altera pars eiuſdem aſſertionis patet, quoniam compoſitio illa ſolum eſt inter res corporeas tactui, colligationiq; ſubiectas, à quibus Deus eſt prorſus immunis.

VI.

Dico ſecundùm. Non repugnat Deo, vt ſimul cum creatura ſubſtet alicui rationi compoſitionis per accidens ſecundi, ac tertij modi: fundamentum eſt, quoniam in ijs compoſitionis generibus non eſt vlla ratio imperfectionis, aut partis propriè dictæ, quæ inuoluat rationem incompletam, aut potentialitatem, vt patet ex dictis, & ex argumentis initio poſitis, quæ ſolum probant hanc aſſertionem, vt in ſolutione conſtabit. Aduertendum eſt tamen, ſi quando in huiuſmodi compoſitione interuenire debeat aliqua imperfectio ex parte componentium, excludendam eſſe à Deo: exempli cauſa, cùm duæ cauſæ concurrunt ad vnum effectum, poteſt eſſe ſubordinatio vnius ad alteram, vt ſecundæ ad primam: & ideò Deus non poteſt venire in rationem vnius compoſiti in genere principij, ita vt ſubordinetur alteri agenti: item ex obiecto, & potentia intellectricè fit vnum, interdum cum paſſione potentiæ recipientis obiectum intelligibiliter, hoc eſt ſpeciem eius intelligibilem: hoc modo non fit vnum ex intellectu diuino, & obiecto: non enim recipit ab eo formam intelligibilem, ſit tamen vnum ex ipſo tanquam obiecto, & intellectu creato: nam obiectum ſpeculabile non patitur ab intellectu creato, nec ſubit aliam imperfectionem. Ad hunc modum pertinet dubium, quod tractat Henricus vbi ſupra q. 5. an Deus componi poſſet cum aliquo tanquam motor cum mobili, ita vt ex vtroque reſultet vnum motum, qua ratione Ariſtoteles cenſet ex ſubſtantijs ſeparatis cœlorum motricibus fieri vnum, cui quæſtioni ipſe reſpondet negatiuè: & quidem verè, ſi intelligatur cum limitatione, aut colligantia, ſeu dependentia ſui eſſe ad ſubſtantiam corporis mobilis: qua ratione Philoſophi ponebant ſubſtantias motrices orbium inferiorum, tanquam virtutes exiſtentes intra ipſum mobile ſecundum eſſe, quamuis ſeparatas quoad eſſentiam, & mutuam illis dabant connexionem, ac dependentiam: connexionem quidem, quoniam mutuo ſeparari non poterant: dependentiam vero, quoniam mobile dependebat à motore quoad motum actualem, motor vero à mobili nõ quoad eſſe, ſed quoad perfectionem, vt non eſſet otioſus, ſed actu operans, & per motum perfectus, vt ait Comment. ſuper 12. Metaphyſ. & hoc indicauit Ariſtotel. qui non plures agnouit ſubſtantias ſeparatas, quam ſint orbes cœleſtes mobiles: quaſi ſine motu eſſent otioſæ & imperfectæ: Deus autem nullo corpore clauditur: cum nullo habet neceſſariam connexionem: à nullo quoad ſuam perfectionem dependet, ideoque tanquam motor cum mobili non poteſt hac ratione venire in compoſitionem vnius habentis motum ab intrinſeco, ſi vero abſtrahamus ab his conditionibus, & conſideremus vnũ quaſi aggregatum ex mundo vniuerſo tanquam mobili, & Deo tanquam motore intrinſeco hoc eſt intimè illapſo rebus omnibus poſſumus in eo agnoſcere aliquã connexionem neceſſariam, non quidem ex parte Dei, qui ita in ſe eſt, vt cum nulla alia re ſuaptè natura ſit neceſſario coniunctus: ſed ex parte vniuerſi ad Deum propter eſſentialem dependentiam ab illo: ratione cuius connexionis non erit abſurdum concedere ex creatarum rerum vniuerſitate tanquam mobili, & Deo tanquam motore coaleſcere vnum per accidens.

Henricus. *Auerr.* *Ariſtot.*

VII. Ad primum respondetur non solum repugnare Deo, rationem incompleti sed etiam imperfectiones alias, quæ cum ratione entis completi manent in creaturis componibilib⁹ per accidens cum alijs: verbi gratia potentia passiua, & mutabilitas, qua manet in substantia completa respectu accidentium, quibus perficitur: & ita, licet eiusmodi componibilitas non extrahat rem, cui conuenit, à completo esse essentiali secundum suam speciem, supponit tamen eiusmodi essentiam non esse simpliciter perfectam, sed carere plurib⁹ perfectionibus: quę suppositio destruit rationé actus puri infinitè perfecti, qualis est essentia diuina. Ad confirmationem respondetur componibilitatem nó destruere naturam, quæ est capax ipsius: natura quippe humana ex eo, quod componatur cum accidentibus corporeis, vel etiam spiritualibus, nó decidit à suo gradu. Verùm, si tribuatur naturæ minimè capaci, hoc ipso censetur negari propria essentia talis naturæ: quotiescunque enim negatur à natura proprietas eius necessaria, vel tribuitur forma illi repugnans, consequenter negatur natura: at vero, si Deo tribuatur componibilitas passiua realis cum creatura, hoc ipso tribuitur ei ratio potentiæ passiuæ & mutabilitatis, quæ naturæ eius repugnant: & negatur immutabilitas, & aliæ proprietates: & ideò consequenter negatur eius natura. Quapropter non valet consequentia, qua ex eo colligitur Deum salua propria natura posse componi cum accidentibus, quia res creatæ integra natura veniunt in huiusmodi compositiones accidentales.

VIII. Ad secundum argumentum respondetur coniunctiones, quarum in ea fit mentio, nó esse reales ad constituendum vnum in genere entis, sed intentionales, vel in genere principij: quæ non inuoluunt aliquid Deo indecens, nec arguunt veram rationem partis in ijs, quæ ita copulantur: & prima quidem erat intentionalis secundum affectum plurium conuenientium in obiecto volito, & hoc modo intelligenda sunt duo priora testimonia: item vnitas Dei cum mentibus beatis, vel est intentionalis quatenus est obiectum cognitum, vel in ratione principij quatenus essentia diuina subit rationem speciei intelligibilis, & vnitur intellectui in ratione vnius principij visionis beatæ: quo etiam m[illegible] vnitur nobiscum ad alias actiones, & hoc modo soluitur hoc argumentum, quatenus videtur repugnare primæ conclusioni: quatenus vero repugnat secundæ: respondeo rationem partis propriè respicere entitatem, ad quam constituendam singulæ partes inadæquatè concurrunt: ex compositionibus vero secundi, ac tertij modi non resultat vlla noua entitas composita ex Deo, & creatura: sed solum respectus quidam inadæquatè terminati ad vtrunque: ideoque ibi non cernitur vera, ac propria ratio partis. Quod si quis admitteret Deum esse partem alicuius aggregati, verbi gratia binarij ex ipso, & Michaële constituti, non adeò absurdè loqueretur: nam pars hoc modo non tollit rationem entis completi, atque perfecti.

Deus non est pars compositi per se.

Caput XI.

I. COmpositum per se est vnum simpliciter vnitate compositionis: ex qua descriptione colligitur discrimen à composito per accidens, & ab ente simplici: ab illo quoniam non est vnum, sed multa simpliciter, vnum vero secundum quid, ab ente vero simplici, quoniam hoc habet vnitatem ex se, non ex coadunatione partium. Et hoc etiam sumitur ratio partis concurrentis ad constitutionem vnius entis per se. Ea vero consistit in quadam communicatione propriæ, & indiuiduæ entitatis alicui toti, quod ex ea, & alia, seu alijs mutuo vnitis complete, atque adæquatè, ex singulis vero inadæquatè resultat, tres autem fuerunt potissimum errores existimantium Deum de facto concurrere tanquam partem ad compositionem entis per se. Primus Dauidis de Dinanto in lib. de diuisionibus, quem refert Albertus in summ. tract. 4. quæst. 20. memb. 2. quæst. incidente, & D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 8. & lib. 1. contra Gentes cap. 17. asserebat autem Deum esse materiam primam inepto ductus argumento: nempè quia, si Deus, & materia prima differunt, aliquibus differentijs differunt, quæ autem conueniunt aliquo, & per oppositas differentias differunt, sunt composita: quare, cùm Deus, & materia prima sint aliquid omninò simplex, nullo modo differunt, sed sunt idem prorsus. Ex alio fundamento, vt notat Henricus art. 29. quæst. 2. in eandem sententiam videntur inducti quidam Philosophi antiqui, quorum meminit Aristotel. lib. 12. Met. cap. 7. negantes bonum, & perfectum esse

Dauid de Dinanto. *Albert.* *S. Thom.* *Henric.* *Aristot.*

in pri-

in primo ente: quia scilicet principia sunt imperfectiora principiatis: vt patet in seminibus, sunt enim imperfectiora rebus, quæ ex illis nascuntur: cùm vero Deus sit primum rerum principium, credebant esse imperfectissimum, & coincidere cum ipsa materia, quæ in rerum omnium compositionem venit. Quam opinionem videntur hausisse ex antiquis Stoicis, & Epicureis, qui non cognoscentes aliam substantiam præter materiam dicebant omnia esse vnum secundum substantiam, hoc est materiam, quam rerum omnium principium statuebant. Secundus error fuit quorundam gentilium, quorum meminit Auerroes lib. 12. Metaphys. com. 41. Eusebius lib. 14. de præparatione Euangelica cap. 6. Augustin. lib. 4. de Ciuitate cap. 31. & lib. 7. cap. 6. & D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. citato, qui vt idololatriam suam tuerentur, aiebant Deum esse animam mundi vel etiam cœli: ideoque mundum esse Deum non ratione corporis, sed animæ: atque adeò merito mundo, & eius partibus adorationis cultum exhiberi. Huius erroris non affertur vllum fundamentum, nisi forte antiqui illi inaniter crediderunt vniuersum esse vnum aliquod animal æternum, & immortale ex diuersis admodum partibus coalitum, ad quas continendas ne dissoluantur æternæ, & immortalis animæ nexu opus sit. Leo Papa Epist. 93. aliàs 91. ad Turibium Episcopum cap. 5. refert Priscillianistas asseruisse animam hominis esse partem diuinæ substantiæ, quem errorem dicit ex Philosophorum quorundam, & Manichæorum fontibus manasse: & Petrus Abailardus teste S. Bernardo Epistola 190. credidit Spiritum sanctum esse animam mundi: tertius, & vltimus error fuit cuiusdam Almarici, vt refert Ioann. de Turrecremata in summ. Ecclesiæ lib. 4. cap. 35. existimantis Deum esse principium essentiale, & essentiam rerum omnium, quem secuti sunt Almariani, quorum meminit Diuus Thomas 1. p. vbi proximè, & lib. 1. contra Gentes cap. 26. hi vero videntur decepti argumento, quod indicat Henric. 1. p. art. 29. quæst. 1. homo, & quæuis alia res creata non solum est ens tale, ac determinatum, sed etiam est ens simpliciter: quare, cùm vnumquodque dicatur ens tale ab eo, quod in ipso est determinata entitas, ac natura, dicetur quoque ens simpliciter ab eo, quod in ipsa est entitas, ac natura simpliciter, hæc vero non est alia, quam diuinitas: ergo ipsa est principium formale rerum omnium. Alia eiusdem erroris fundamenta refert, & soluit Sanctus Thomas cap. 26. citato. Potuerunt quoque sumere occasionem ex Patrum dictis appellantium Deum esse existentium ita Diuus Dionys. cap. 5. de diuinis nominibus, & cap. 4. cœlestis Hierarchiæ. *Esse omnium*, inquit, *est, quæ super esse est, Deitatis*: cap. vero 1. de diuinis nominibus vocat Deum eorum, quæ sunt, essentiam.

Stoici. Epicurei. *Auerr. Eusebius. Augustin.* *S. Thom.* *Leo.* *Priscillianistæ.* *Abailardus. Bernard.* *Almaricus. Turrecremata.* *Almariani. S. Thom.* *S. Thom.* *Magn. Dion.*

II. Hi errores præbent occasionem discurrendi breuiter per singula compositionum genera, vt videamus vtrum secundum aliquod sit Deus componibilis alteri rei. Vt vero incipiam à compositione materiæ, & formæ, adeò inepta est sententia asserens Deum esse materiam rerum corporearum, vt non esset referenda, aut confutanda: sed quia habet assertores breuiter impugnatur. Quoniam materia prima est primum subiectum, vt ait Philosophus lib. 1. Phys. t. 82. & primum patiens, siue mobile carens omni virtute mouendi, vt idem asserit lib. 2. de Gener. t. 53. Deus autem est prima causa, primum mouens immotum: sed dispositio primi mouentis immobilis, & primi subiecti moti non mouentis est omnino contraria: nam dispositio mouentis est perfectio, & actus, vnumquodque enim agit in quantum est actu, dispositio vero subiecti patientis, ac moti est imperfectio, & potentialitas: & ideò Deus, & materia prima maximè distant secundum essentiam: quod optimè explicauit Augustinus lib. 12. Confession. cap. 7. cùm Deum alloquens dixit. *Feciſti Domine vnũ propè te, alterum propè nihil, vnum quo superior tu esses, alterum, quo inferius nihil esset*: non potuit enim aptius exprimere distantiam essentialem materiæ primæ à Deo, quam ipsam propè nihilum collocando: ex professo hunc errorem impugnant Albert. quæst. incidenti citata. S. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 8. & lib. 1. contra Gentes cap. 17. & Henric. in summ. art. 29. quæst. 2.

Aristot. *Augustin.* *Albertus.* *S. Thom.* *Henricus.*

III. Ad fundamentum Dauidis respondet S. Thom. loco citato cõtra Gentes, Deum & materiam non propriè differre, sed esse diuersa: quoniam diuersum est absolutum ex eo, quod non est aliud, differens autem, vt ait Philosophus 10. Metaph. text. 12. est relatiuum: & ita omne differens aliquo differens est, diuersum vero se ipso est diuersum: & ideò diuersitas reperitur in res simplices, quæ tota sua entitate germinant negationem alterius: circa quam rationem mouet ibi Ferrar. hoc dubium: quoniam,

S. Thom. *Aristot.* *Ferrariens.*

ficut differens aliqua differentia differens est, ita quoque diuersum aliqua diuersitate diuersum est: & idcirco non minus euertet rationem simplicitatis, quam differens. Respondet autem iuxta mentem S. Thomæ ibidem diuersum, ac diuersitatem dici negatiuè quasi sit non idem, ac non identitas: & ideò diuersum non esse diuersum aliqua diuersitate, tanquam forma, sed tanquã negatione formæ, & quamuis videatur relatiuum, quoniam diuersum ab aliquo diuersum est, tamen præpositionem illam, *ab*, non importare terminum relationis, sed negationis: dicit enim illud, cui aliquid non est idem. Quæ responsio verisimilis est. Verùm, esto admittatur diuersum importare etiam relationem, nõ proinde opus est admittere inter ea, quæ diuersa sunt, aliquam differentiam propriè dictam, quæ sit fundamentum eius relationis, sed ad id sat est ipsa natura rei diuersæ cum negatione identitatis cum altera, à qua est diuersa: differentia enim propriè dicta, vt ait Aristoteles vbi supra, est, cùm ea, quę differunt, aliquo vno differunt: id vero vel genus, vel species est: hic autem non loquitur Aristot. de ipsa relatione differentiæ, sed de fundamento ipsius: vult enim ea, quę propriè differunt, habere vnum aliquod fundamentũ differentiæ distinctum saltem intentionaliter, & cum præcisione ab eisdem: & similiter, cùm ait non opus esse, vt diuersum, & illud, à quo diuersum est, sint aliquo diuersa, non loquitur de relatione, sed de fundamento illius: & ita dicem prima genera, quæ Philosophus appellat simplicia, ac primo diuersa, carent quidem differentijs propriè dictis, non tamen repugnat, vt habeant mutuam oppositionem relatiuam diuersitatis. Eodem modo esto Deus, & materia prima sint entia simplicia, possunt esse diuersa, quin propriè differant: quoniam ad hoc requiritur eorum, quæ propriè differunt, conuenientia in vno aliquo, & in altero differentia. Ad fundamentũ Philosophorum, respondetur cum Aristotele falsum esse, quod supponunt, nempè principia simpliciter prima esse imperfecta: & ad obiectionem sumptam ex feminibus respondet ea nõ esse principia simpliciter prima, sed sumpta ab alijs perfectis, scilicet viuentibus, à quibus semina deciduntur. Itaque cum illi Philosophi falsò putarint non esse nisi primum principium materiale, nil mirum si aberrauerint: nos autem secundum veram Philosophiam astruentes vnum principium efficiens, à quo sint omnia, necessario debemus illud à materia distinguere: hæc enim, vt experientia constat, est in potentia, vt vero ait Philosophus 9. Metaph. cap. 8. semper potentiam in vno præcedit actus in alio, à quo scilicet reducatur ad actum. *Aristot.*

IV.

Dicendum deinde Deum non componi cum materia instar formæ. Hanc ex professo probant Albert. quæst. incidenti citata. S. Thom. 1. quæst. 3. art. 8. cum Caiet. & lib. 1. contra Gentes cap. 27. cum Ferrar. Heruæus in 1. d. 8. quæst. 2. Scotus q. 1. ad secundum, & Andreas de Nouo Castro q. 2. art. 1. in 2. p. articuli. Ostenditur vero quoniam forma continetur, ac diffinitur materia, siue corpore, quod informat: Deus autẽ terminari nequit, aut circunscribi vllo corpore determinato, imò neque mundo vniuerso: vt enim habetur, Iob cap. 11. *Excelsior cœlo est, profundior inferno, longior terra mensura eius, & latior mari,* idcoque cœlo, ac mundo nequaquam continetur, sicut forma corpore, quod animat: Præter rationẽ autẽ sumptam ex imperfectione partis cap. sequenti explicandam idem ostenditur ex propria imperfectione formæ: nam, si est inseparabilis, dependet à materia quoad esse: id autem repugnat enti per essentiam, & à se, qualis est Deus: si autem separabilis, subijcitur actioni agentis extrinseci introducentis, & expellentis illam à subiecto: proprius enim actus indistans à propria potentia non potest non eam informare, nisi hæc per contrarias dispositiones illi recipiendæ inepta reddatur: contrariæ autem dispositiones ex ipsa potentia per se germinari nequeunt: aliundè ergo habent originem, & principium efficiens: atque adeò forma omnis à materia separabilis quoad coniunctionem, vel separationẽ ab illa subijcitur actioni agentis extrinseci: hoc autem non cohæret cum prima causa, & ente per essentiam. Denique forma est, qua aliquid est, atque adeò ipsa per se propriè nõ est, q autẽ est ipsum ens p essentiam, nõ est alij ratione formalis vt sit, sed ipsum potius est in se, imò vero est ipsummet esse: Deus autẽ est ens per essentiam, vt dictum est supra: ergo non est forma, siue actus materiæ componens cum ea ens vnum per se. D. Thomas citata q. 3. art. 8. vtitur hac ratione: forma informans est actus participatus: Deus est actus purus, & ens per essentiam: ergo nequit esse forma. Respondebit aliquis omne participans referri ad participatũ: atque adeò, cum omnis creatura participet esse à Deo, ipsius esse deci posse participatum: & cõsequenter ex eo, quod forma sit actus participatus, nõ recte colligi repugnare Deo rationem formæ *Albert. S. Thom. Caietan. Ferrarien. Heruæus. Scot. Nouo Castro. Iob 11. Aristot. S. Thom.*

Rectè

Recte tamen concludit argumentum D. Tho. nam dupliciter intelligitur, Deus esse participatum primo intrinsece, ac formaliter inexistens participanti, vt se habet sapientia, bonitas, ac vita creata respectu viuentium: deinde vero extrinsecum tanquam exemplar, & fons ipsius esse formaliter participati: illud primum pugnat cum ratione actus puri, & entis per essentiam: hoc vero posterius nequaquam: nam esse exemplar, & originem perfectionis habitę ex participatione non dicit potentialitatem, aut dependentiam ab alio: D. Tho. loquitur de priore modo entis participati, qualis est omnis forma actuans subiectum, non de posteriore, sed non est opus pluribus ad confirmandam rem ex fide certam, & ipso naturali lumine conspicuam: ad cuius agnitionem ipsi Philosophi ratione duce peruenerunt, demonstrant enim primam causam esse substantiam à materiæ concretione segregatam: non esset autem, si vel esset materia, vel actus ipsius: fundamentum Philosophorum inane est: neque enim vniuersũ est animal, neq; partes eius, vt inuicem cohęreant, & perpetuo durent, indigent vnius indiuiduæ formæ nexu: sat est vis, efficaciaq; virtutis diuinæ, cui subordinatur concatenatus ordo causarũ inferiorũ, & omnia ad nutũ obediunt; nã, sicut omnia fecit ex nihilo, ita in esse, ordineque conseruat: non instar animę interius vegetantis, sed tanquam primum agens omnia vi sua, & prouidentia moderantis.

V. Dicendum vltimo, Deum non posse esse principium essentiale intrinsecum tanquam partem vllius entis per se. Ex professo traditur à sancto Thoma libr. 1. contra Gentes capit. 26. cum Ferrarien. & in 1. d. 8. quæst. 1. artic. 2. & Henric. in sum. art. 29. q. 1. fundamentum est, quoniam principium formale intrinsecum est essentiale constituto: id vero aut est determinans, aut determinatum: si determinatum instar generis, quod determinatur per differentiam, non est formaliter ipsum necesse esse, genus enim aliunde, quam ex se ipso determinatur: Deus autem, vtpote actus purus, est ipsum necesse esse: ergo non potest esse principium formale intrinsecum ab alio determinatum: principium determinans minus late patet, quam determinatum, cuius finibus continetur: quemadmodũ differentiæ specificæ non egrediuntur limites sui generis: est item eo ipso finitum, & non ipsum esse simpliciter, quod nulla ratione determinatur: quare ratio principij determinantis repugnat deitati. Præterea nihil est sibi principium intrinsecum, nisi secundum modum loquendi, quatenus in abstracto significatur tanquam ratio formalis intrinseca concreti: quare, si Deus est principium formale intrinsecum, erit alterius rei à se nempe creaturæ: hoc autem est impossibile, quoniam principium intrinsecum, & constitutum ex ipso non habent oppositionem, quoad essentialia, imo quid quid est essentiale principio, est etiã principiato: at vero de essẽtia Dei est ipsum esse, non vero de essentia creaturæ: Ex quo sequeretur posse enunciari de eadem re prædicata contradictoria. Ex dictis patet Deum non esse componibilem cum aliquo alio, tanquam genus cum differentia, nec econtra, neque etiam tanquam essentiam cum esse: nam essentia componibilis cum esse non includit ipsum, vt natura diuina includit.

S. Thom. Ferrarien. Scotus.

VI. Fundamentum erroris oppositi facile soluitur distinguendo rationem entis, siue esse simpliciter, cuius æquiuocatione nititur argumentum: nam esse simpliciter sumitur vel pro esse in sua communitate, & abstractione absq; vllo additamento, aut determinatione: quomodo est actus entis in cõmuni, vel sumitur pro esse perfecto, & omnib. numeris absoluto, quale solũ est ens infinite perfectũ in genere entis: Deus aũt dicit ens, siue esse simpliciter posteriore modo, non priore, res vero creatæ dicunt esse simpliciter priore hoc est absolute, & nõ determinate ad certũ genus entis, à rõe analoga entis communi reb. omnibus: & ideo ex eo, qp dicantur simpliciter esse, non cõcludit Deũ esse principiũ formale ipsorum cõferens intrinsece ipsum esse: Ad testimonia Magni Dionys. respondetur esse intelligenda causaliter, non formaliter: ita respondet Hugo in com. supr. citat. locum ex c. 4. cælestis Hierarchiæ, Alber. vbi sup. D. Thom. & alij doctores: eatenus enim dicitur Deus esse omnium essentia, & existentia, quatenus res omnes habent ab ipso participatam essentiam, & existentiam: quę interpretatio sumitur ex ipsomet Dionysio, nam cap. 5. de diuinis nominibus, post illa verba, *ipse est esse existentibus*, quasi se exponens subdit, *omnis vtcumque entis, qui est ante ens, principium, & causa, & omnia ipsum participant, & à nullo existentium recedit.* Similia fere subdit alijs in locis, vt bene obseruauit Henricus articul. 29. quæstion. secund. ad primum, quam doctrinam expresse tradidit Bernardus serm. 4. in cantica.

Hug. Victor. Albertus. S. Thom. Magn. Dionys. Henricus. Bernard.

VII. Restat dubiũ, an Deus sit compositum cum creatura tanquã esse cum essentia, aut tanquam suppositum cum natura, aut de-

niquetanquam id, quod est, cum eo, quo aliquid est. Pars affirmatiua videtur colligi ex mysterio incarnationis: quoad primum quidem posita sententia D. Thomæ existimantis humanitatem assumptam carere propria existentia, & existere per existentiam verbi. Ex quo sequitur in hoc homine, designato Christo, esse compositionem ex natura humana, & esse diuino, ex qua resultat hoc existens in humanitate. Quoad secundum, quoniam de fide est humanitatem esse vnitam hypostatice verbo diuino, ex qua vnione resultat compositum ineffabile: & ita Deus, siue verbum est componibile alteri, tanquam suppositum cum natura. Denique quoad tertium, quoniam idem verbum diuinum est homo ratione humanitatis assumptæ: atque ita interuenit hic compositio ex eo, quod est, & quo est: Verbum quippe est homo, natura vero humana est id, quo verbum est homo: qua ratione

S. Thom. dixit Diuus Thom. 3. p. quæstion. secund. artic. quart. Verbum diuinum incarnatum habere duplicem rationem subsistendi: non ita, vt habeat duplicem subsistentiam, hoc enim esset hæreticum: sed quia habet duas naturas, in quarum altera subsistit vt Deus, in altera vt homo: & consequenter non repugnat Deum tanquam id, quod est, venire in compositionem cum eo, quo est. Exacta huius dubij explicatio pertinet ad materiam de incarnatione. Nunc vero quantum attinet ad præsens institutum, & primum modum respondetur in primis sententiam illam D. Thomæ à solis Thomistis defendi: atque adeo non cogere, vt admittamus ex natura humana, & esse, siue existentia diuina fieri aliquam compositionem, Thomistæ vero respondebunt ad hunc modum sicut ad reliquos: & quidem

Caietan. Caietan. 1. p. quæstion. 3. arti. 8. facile se expedit dicendo in verbo incarnato non esse compositionem, quoniam deficit tertia conditio, nempe actus, & potentia, nam verbum diuinum nullo modo est potentia, nec actus respectus creaturæ. Idem sentiunt aliqui ex alio fundamento, nempe quoniam componentia habere debent dependentiam vel inter se, vel à toto: ex parte autem verbi diuini nulla est dependentia, ita

Alensis. Richardus. Mayron. Alens. 1. p. q. 5. memb. 3. ad tertium. Richardus in 1. d. octau. artic. 3. quæstion. 1. Mayron. vero in 1. d. 8. quæstion. 7. art. 1. secunda parte art. 1. ex eo negant compositionem, quia ad eam requiritur, vt componentia sint eiusdem naturæ: At vero

S. Thom. Diuus Thomas loco tertiæ partis citato admittit compositionem in Christo, non quatenus est præcisè suppositum naturæ diuinæ, sed quatenus subsistit in duabus naturis, negat tamen ab illo rationem partis, quoniam hæc semper habet modum imperfectum, & completum.

VIII. *S. Thom.* Ego vero ita vtramq; sententiam conciliandam puto cum sancto Thom. in 3. d. 6. qu. 2. art. 3. vt negetur esse compositio similis naturali, non negetur autem genus quoddam compositionis alterius ordinis supernaturalis, & ineffabilis. Primũ patet quoniam in compositione naturali, ex esse, & natura esse est participatum, & ab ipsa natuta dependens: at si natura humana assumpta existit per esse verbi diuini, id nec est participatum, nec à natura dependens. Item in compositione ex eo, quod est, & quo est, id, quod est, non habet omnimodam perfectionem, & esse à se: imo secundum se sumptum indiget participatione formarum, quibus perficiatur: At verbum diuinum, vtpote Deus, est vndequaque perfectum, nec vllo modo perficitur humanitate assumpta, qua est homo: quoniam ipsam, & omnem perfectionem simpliciter in eadem permistam imperfectionibus continet eminenter puram, & ab omni perfectione liberam. Denique in compositione ex supposito creato, & natura suppositum quoad id, quo distinguitur à natura, est modus quidam dependens à natura, & ipsius participatione habens, quod sit hoc, vel illud: at verbum æternum non dependet vllo modo ab humanitate: & quamuis ratione ipsius sit homo, tamen absque illa est ens simpliciter perfectum, & infinitum: & ita compositiones eiusmodi in verbo incarnato plurimum distant à modo compositionum in rebus creatis. Non tamen proinde necessarium est, vt negemus ibi interuenire mirabilem quandam compositionem: nam, vbi est vnum per se non simplex, compositio intercedat necesse est: Christus, vt in duabus naturis subsistit, est vnum quid non simplex, quia constat duabus naturis realiter distinctis: ergo vnum compositione, quæ tamen careat imperfectionibus compositionum naturalium: & hoc modo

Magn. Dionys. Damascen. Magnus Dionysius capit. 4. de diuin. nominib. Damascen. lib. 3. de fid. cap. 3. 4. & 5. & alij qui referuntur in materia de incarnatione, vocant ineffabilem compositionem Christi. Si quis obijciat non posse cõstare rationem compositionis absque partibus: nam omne cõpositum est totũ, hoc aũt dicit habitudinẽ ad partes: rõem vero partis in mysterio incarnationis negat

Augu-

Augustin. Magister. D. Thom. Bonauent.

Augustinus libro prim. contra Maximin. capit. 10. & ex ipso Magister in 3. d. 7. Diu. Thomas tert. part. quæstion. secund. artic. quart. ad secundum, & Doctores communiter. Huic obiectioni respondetur cum Diuo Bonauentura in 3. d. 7. numero 1. partem multipliciter sumi: primo dicitur id, quod venit in alicuius compositionem, siue realem, siue rationalem: secundo quod venit in compositionem alicuius, secundum rem & naturam: tertio, & magis proprie, quod venit in constitutionem alicuius secundum quantitatem. Et his duobus modis non interuenit ratio partis in composito ineffabili, primo vero maxime. Doctores autem intelligendi sunt de propria ratione partis concurrentis ad aliquid vnum in genere naturæ. Ex quo patet conditiones, quas prætendit Caiet. Alens. & alij solum requiri ad compositionem naturalem constantem veris partibus.

Impossibile omnino est, etiam diuina virtute, vt deitas sit componibilis alteri, tanquam forma cum subiecto, aut natura cum supposito.

Caput XII.

I. Modi illi compositionis, qui resultarunt ex vnione hypostatica, non suapte natura, sed ex diuina potentia, atque miraculo componentibus conuenient. Ex quo sumitur occasio dubitandi, vtrum componibilitas cum alio in ratione naturæ, quamuis suapte natura non conueniat deitati, diuina saltem virtute conuenire possit. Ea vero multipliciter fingi potest, nimirum vel tanquam formæ cum materia, vel tanquam naturæ completæ cum altera natura: idque dupliciter, aut interueniente corruptione, ac mistione virtuali ipsarum, aut vtraque integra manente: vel denique tanquam natura cum supposito alieno. Non defuerunt qui hanc partem, quatenus intelligitur de componibilitate in ratione formæ possibilem existimarint: inprimis Ariani; qui, vt referunt Epiphanius hæresi sexagesimanona, paulo post medium, & Augusti. hæresi quadragesima nona dixerunt verbum diuinum fuisse corpori Christi Domini loco animæ: nam factum affirmantes, hoc ipso possibilitatem admiserunt, & Ecclesia damnauit asserentes factum, de possibilitate autem non curauit. Secundo vero modo hæretici Eutychiani, qui vt vnitatem suppositi contra Nestorium defenderent, vnam quoque naturam solum in Christo agnoscebant resultantem ex duabus per confusionem ipsarum, vel per conuersionem humanæ in diuinam: diuersimode enim à Patribus Eutychianæ hæresis sensus exponitur. Non defuerunt etiam, qui ex naturis integris eam compositionem astruerent, quorum meminit Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioan. secundum, qui tertium componibilitatis modum asseruerint nondum legi: quamuis autem prædicti errores, quod attinet ad factum impugnari soleant in materia de incarnatione ex proprijs ipsius principijs, quod tamen attinet ad possibilitatem, hic est proprius agendi locus, abstinebo tamen à fundamentis pendentibus ex facto.

Arian. Epiphanius. Augustin.

Eutychiani.

Iustinian.

II. Fundamentum primæ sententiæ, quatenus solam astruit possibilitatem, est, quoniam componibilitas formæ cum subiecto potest abstrahi ab omni imperfectione, qua sublata non est vnde sumatur repugnantia, siquidem enti summe perfecto solum repugnat ratio imperfectionis. Antecedens vero suadetur, quoniam forma in maxime communi abstractione conuenit deitati, quæ dicitur ab Apostolo, ad Philippens. 2. *forma Dei*: nec repugnat illi, quatenus formaliter causat: hac enim ratione verbum æternum ab Augustino sermone 38. de verb. Domini in illa verba: *In principio erat verbum*, dicitur forma. Respondeti potest non repugnare deitati rationem formę separatæ habentis rationem causæ formalis extrinsecæ, siue exemplaris, repugnare tamen rationem formæ cõiunctæ, & habentis rationem causæ formalis intrinsecæ, qualis est omnis forma componibilis alteri, tanquam subiecto. Contra obijcitur primo, forma informans secundum se non pendet à materia, vt patet in anima rationali, respectu cuius materia non habet vllam causalitatem, nec mutuatur ab ipsa vllam perfectionem, imo suam ill. impertitur, vt constat in eadem anima, quæ vitam corpori communicat: communicare vero alteri perfectionem non est imperfectio, conuenit enim Deo ad intra, & ad extra. Dicat aliquis non consistere imperfectionem in ijs, sed in coniunctione ad materiam, modus enim existendi separate est perfectior, à quo natura diuina transire poterit ad minus perfectum, si possit esse forma

ad Phil. 2.

Augustinus.

infor-

informans, & consequenter erit mutabilis in deterius: quod inuoluit contradictionem. Non soluitur tamen argumentum, quoniam sola coniunctio realis ad materiam, non est impossibis Deo: nam hypostasis diuina verbi, & consequenter eius natura est realiter vnita corpori Christi Domini: & confirmatur, quoniam ex tali coniunctione non desinet natura diuina esse in se natura separata, & impermista, quemadmodum reuera manet nunc, etiamsi sit realiter coniuncta corpori, non enim ad ipsum terminatur, ac diffinitur, sed vbique tota intra, & extra illud existit: ergo ex ratione coniunctionis ad materiam non oritur talis repugnantia, vt sit contradictio. Secundo Deus potest impedire quominus sequantur absurda, & imperfectiones propriæ formarum naturaliter informantium: non enim necessario sequitur limitatio ad corpus informatum: nam, si non desunt, qui affirment formam naturalem diuina virtute posse informare duas materias, & consequenter etiam posse existere informatiue in materia, & extra illam, cur ipsa deitas circumscriberetur materia, si ipsam informaret? Et confirmatur, quoniam suppositum naturale ita determinatum est ad propriam naturam, vt sine illa, aut extra illam esse nequeat: & nihilominus verbum diuinum ita coniungitur naturæ assumptæ, vt maneat eodem modo liberum, & incircumscriptum, quo erat ante incarnationem: ergo, quamuis formæ naturales suapte natura ita determinentur ad materiam vt eius terminis claudantur, natura diuina non ita necessario circumscribetur, sed remanebit in sua immensitate. Non sequeretur etiam commensuratio, & appetitus ad materiam, qui est naturalis omni formæ informanti: nam in ijs, quæ super naturam fiunt, nihil eiusmodi requiritur, sed sola non repugnantia; non requireretur agens extrinsecum, à quo fieret coniunctio deitatis cum subiecto: Nam, sicut verbũ diuinũ efficiẽter cõiunxit sibi naturã humanã hypostatice, ita diuinitas posset materiam creatam sibi copulare. Deniq; non sequeretur ratio incompleti, atque imperfecti: non incompleti, nam hæc solum datur quando est subiectum, vel forma suapte natura commensurata, & ordinata, ad vlteriorem perfectionem sibi debitam in genere substantiæ, idcirco enim prima substantia, etsi recipiat formas accidentales, non est ens incompletum, quia ipsa terminata est, & completa in genere substantiæ: natura autem diuina est completa, & perfecta in genere substantiæ: ergo, quamuis subiecto coniungatur non propterea desinet esse completa: Non sequeretur ratio imperfecti, quoniam non opus est, vt compositum supernaturale sit necessario perfectius altero componente: Christus enim Dominus est compositum ineffabile ex duabus naturis: & nihilominus non est perfectius sola natura diuina per se sumpta: quare, licet ex deitate coniuncta materiæ fieret vnum compositum, non opus esset, vt id esset perfectius deitate: sed sola ea exæquaret perfectionem totius manens infinite perfecta. Eisdem fere rationibus vti possumus ad ostendendam possibilitatem alterius componibilitatis essentiæ in ratione naturæ cum supposito creato: nam ratione solius coniunctionis entis diuini cum creato non repugnat: non sequeretur vero ratio potentiæ passiuæ, aut imperfectio in deitate: non imperfectio, quoniam deitas considerata cum præcisione à relationibus est infinite perfecta, neque vlla illi perfectio accrescit ex personalitatibus: ergo, si copularetur supposito creato, nihil illi perfectionis accederet, aut decederet, & consequenter non esset in potentia, hæc enim non est nisi ad actum: at vero respectu naturæ diuinæ personalitas non habet rationem actus.

III. Opposita sententia est omnino certa, omnes enim Theologi aiunt impossibilem esse coniunctionem naturæ diuinæ cum alia natura creata, siue completa, siue incompleta ad constitutionem vnius entis per se in genere naturæ, ita Albert. 1.p. tract. 4. q. 20. memb. 2. argumento 4. Sanct. Thom. 3.p.q.2.art.1. Henric. in summ. ar. 29. q. 8. Richard. in 1. d. 8. ar. 3. q. 1. Scot. q. 1. §. *Secundo probo*, Aureol. q. 4. ar. 1. Petrus de Tarantas. apud Carthus. q. 5. & alij cit. cap. præced. num. 4. idem sumitur ex Philosophis, qui duas naturas creatas integras, & cõpletas in suo genere in vnam tertiã componi posse negant: & idcirco, cum adhiberi volũt exẽplum alicuius figmenti impossibilis proferũt hircocerũ, hypocẽtaurũ, & similia, q̃ concipiunt cõposita ex diuersis naturis cõpletis: multo vero magis repugnat naturã diuinã, q̃ creatã venire in compositionem tertiæ naturæ: nã diuina superat oẽs creatas integritate, & cõplemento: atq; adeo, si naturis creatis completis repugnat cõponibilitas cum altera natura ad constituendũ vnũ tertiũ in genere naturæ, etiam repugnabit diuinæ. Sed tota difficultas est in assignanda cõtradictione, quę exinde sequatur: & tradenda ratione, cur non repugnet cõponi Deum cum creatura tanquam

Albertus. *S. Thom.* *Henricus.* *Richardus.* *Scotus.* *Aureol.* *Tarantasia.*

in sup-

suppositum cum natura, repugnet autem componi tanquam formam cum materia, aut naturam cum supposito extraneo, vel tum alia natura.

IV. Ex citatis autoribus sumi possunt hæc fundamenta. Primum, cum ex cõpositione resultat vna tertia natura cõposita ex duabus, non potest abstrahi à componentibus ratio partis: pars vero est aliquid imperfectius toto, incompletum, & in potentia ad aliam partem, vel saltem respectu totius: hæc omnia repugnant deitati, ita vt inuoluat contradictionem ipsorũ cum deitate coniunctio: ergo etiam repugnat cõponibilitas. Maior propositio quoad priorẽ partẽ ostenditur: nam tertia natura nõ aliter coalescit ex duabus, q̃ coitione harum inter se, & communicatione propria entitatis, tũ inter se mutuo, tũ respectu naturæ ex ipsis integratæ: ex hoc vero sequitur, vt quæuis ipsarum non sit tota entitas naturæ compositæ, sed aliquid illius: in hoc aũt cõsistit ratio partis: nam Arist. li. 5. Met. t. 30. inter varias partis acceptiones refert componẽtia tanquam formam, & materiam his verbis: *item* intellige, sunt partes, de his enim ibi tractat, *in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum componitur, aut ipsa forma, aut quod formam habet*, hoc est subiectũ, quod actuatur à forma: quapropter qui admittit naturam informare subiectum ad instar formæ, hoc ipso concedit in ea rationem partis. Secunda pars maioris probatur, quoniam pars, & totum proprie sunt primo dicta de quanto: ideoq; Philosophus vbi supra primo loco posuit eam partis acceptionẽ, qua dicitur *id, in quod quoquo modo quantũ diuidi potest*. Et quemadmodũ quantum cõtinet plus aliquid, quam singula eorum, in quæ diuiditur, & in genere quanti est perfectius ijsdem: ita, quæ alijs modis dicuntur partes admittunt diuisionem, si non realem propter necessariam connexionem, saltem intentionalem respondentem partibus rei: & continent minus aliquid quam totum, quod integrant, & ob id ipsum sunt eo imperfectiores: nam, quemadmodum Philosophus lib. 3. Phys. t. 64. totum, & perfectum idem esse vult, ita pars, & imperfectũ coincidunt, quia pars caret complemento, quod habet totum ad assione alterius: hæc autem omnia conuenirent naturæ cuicunque per modum formæ actuantis alteram, vt subiectum: nam ipsa non includeret formaliter alteram, & sic posset ab ea diuidi saltem secundum intellectum adæquatum rebus: item contineret aliquid minus toto, & consequenter esset in potentia ad modum existendi totius: quod, vt ex Philosopho docet sanctus Thomas prim. part. quæstion. tertia, arti. septim. est formale respectu partium, hæ vero respectu illius habent rationem materiæ. Et ita ex ratione partis recte sequitur potentialitas, ratio incompleti, finitudo: quæ omnia pugnant cum ratione actus puri omnino perfecti, & infiniti, qualis est Deus. *S. Thom.*

Secundum fundamentum. Omnis forma substantialis intrinsece, & formaliter actuans subiectum, est subordinata actioni superioris agentis, commensurata, & proportionata subiecto, & consequenter actus naturalis illius: hæc omnia repugnant deitati: ergo nulla omnino virtute potest copulari materiæ ad compositionem vnius per se. Assumptio patet, nam prima causa non subditur actioni alterius agentis: actus purus infinite perfectus excedit omnem capacitatem subiecti, ideoq; commensurari illi nequit: nam, si commensuraretur, esset eiusdem ordinis cum illo: quod cadere nequit in deitatem respectu vllius creaturæ: & ob eandem causam nequit esse actus naturalis materiæ, quia actus, & potentia connaturales sunt eiusdem ordinis: tum vero, quia aliter diuinitas nunc à materia separata esset modo non naturali, sicut est omnis forma separata à materia, cuius actus naturalis est: Deo vero nihil præter naturam posset accidere: quia id prouenit à causa extrinseca prædominante virtuti eius, quod deijcitur à statu naturali ad eum, qui est contra, vel præter naturam: & ita omnia illa repugnant Deo. Ea vero esse inseparabilia à forma actuante ostenditur, qnoniam in omni copulatione formæ ad materiam interuenit actio alicuius agentis: hoc non potest esse ipsa forma: ergo aliud, à quo ea effectiue introducatur. Maior propositio est euidens, itemque consecutio. Assumptionem probo, quia terminus intrinsecus actionis nequit esse principium ipsius: forma vero est terminus intrinsecus actionis copulantis ipsam cum materia: quare non potest esse principium eius efficiens. Respondebitur ad maiorem propositionem, duplicem esse terminum intrinsecum actionis: nimirum eum, qui simul fit cum producto totali: & eum, qui non fit, sed solum iam præexistens introducitur in subiectũ: qua ratione anima rationalis in resurrectione erit terminus extrinsecus actionis copulantis ipsum materiæ: & primum quidem non posse simul esse principium actiuum actionis, qua fit, posterius vero posse: quomodo non desunt, qui cõcedant animã V.

ratio-

rationalem, si ponatur indistans à materia dispositа, suapte vi se illi copulare: & hac ratione, si aliunde non repugnet, posse diuinitatem sibi copulare materiam, siue aliam naturam creatam. Verum solutio non est adæquata: etenim terminus omnis intrinsecus actionis spectatus secundum se in eo priore, quo præcedit actionem, non est actu in se ipso, sed est in potentia passiua subiecti, & actiua efficientis: vel simpliciter, vel quoad eum essendi modum, quem ex vi talis actionis de nouo sortitur, exempli causa in equi generatione anima antequam educeretur de potentia materiæ, erat solum in potentia actiua generantis, & passiua materiæ: anima vero hominis, cum denuo iterum coniungitur materiæ, ipsa quidem secundum se est actu, verum quoad modum existendi in corpore nequaquã, sed solum in potentia, sed nulla actio potest emanare ab eo, quod non est actu, sed solum potentia in alio, nihil enim agit, nisi secundum quod est actu: & ideo, cum forma quoad id, quo est terminus actionis, non sit in actu, neutiquã poterit esse principium actiuum eius actionis, cuius ipsa est terminus formalis intrinsecus. Requiri vero, vt forma sit commensurata subiecto est per se euidens: forma enim non est actus cuiusuis subiecti, sed proprij: proprium vero dicitur secundum commensurationem, & aptitudinem proximam ad formam: ex quo tandem sequitur, vt sit actus naturalis eius: natura enim non coalescit ex quauis potentia, & actu, sed ex naturaliter commensuratis: ex coniunctione vero formæ substantialis cum materia componitur natura: ergo semper forma debet esse actus naturalis materiæ.

VI. Ex ijsdem quoq; principijs dicendum fieri non posse, vt natura diuina veniat simul cum natura creata completa in compositionem tertiæ naturæ ex vtraq; compositæ. Inprimis non per mistionem, aut confusionem vtriusq;, aut conuersionem diuinæ increatam: id enim repugnat diuinæ immutabilitati, vt constabit tractat. 7. non per conuersionem creatæ in diuinam: nam conuersio si nihil maneat rei conuersæ, non facit compositionem eius cum termino conuersionis: non enim in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento est vlla compositio ex substantia panis, & corpore Christi Domini: non denique manente vtraq; natura in propria integritate, & completo: etenim eo dato vtraq; esset completa, & incompleta: completa, quia modus cõpleti in naturis substantialibus consideratis secundum essentiam, & non in ordine ad totum, vel partes integrantes est inseparabilis, & intrinsecus: idque saltem in natura diuina est per se notũ: incompleta vero, quia concurrit vt pars ad constitutionem vnius tertiæ naturæ. Item sequeretur suppositum subsistens in tertia illa natura composita ex duabus, v.g. diuina, atq; Angelica esse Deum, & non Deum, Angelum, & non Angelum, quæ est aperta contradictio. Probatur sequi, etenim omne suppositum subsistens in natura substantiali cõpleta denominatur ab illa substantiue, illud suppositum subsisteret in natura diuina, & Angelica, quę sunt naturæ completę: ergo esset Deus, & Angelus. Contra vero ex eo, quod hæ componant tertiam aliam naturam sequitur non esse: nullum enim suppositum denominatur substantiue à partibus componentibus naturam, in qua per se primo, & adæquate subsistit: vt per singula discurrendo videri potest. Denique natura est principium motus, & quietis eius, in quo per se inest, ita vt cuiuis naturæ per se conueniat vnus motus: natura vero ex duabus alijs integris, & completis resultans non posse esse principium commune, & adæquatum vnius motus, siue operationis: quandoquidem singulæ naturæ per se essent propria principia naturalium suarum operationum: atque ita non vnirentur ad constituendum per se vnum principium motus: ergo impossibile est, vt concurrant ad constituendam vnam tertiam naturam.

VII. Vltimo dicendum repugnare prorsus, vt natura diuina veniat in compositionem cum supposito creato. Non est huius loci disquirere, an natura personata propria personalitate, & existens in proprio supposito assumi possit: hoc enim pertinet ad materiam de incarnatione: sed solum intendo excludere à natura diuina componibilitatem immediatam cum alieno supposito. Fundamentum est, quoniam non aliter intelligimus coniunctionem naturæ ad suppositum alienum, quam per terminationem dependentiæ illius ab hoc, ita enim doctores explicant vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum verbo diuino, atqui natura diuina non potest fieri dependens ab vlla re: ergo neque venire cum supposito alieno in compositionem. Præterea subsistentia aliena supponit aliquam potentialitatem, & mutationem in natura, cui aduenit, & quam reddit formaliter subsistentem: nam secundum se caret eiusmodi subsistentia, & est apta suscipere

illam

illam per actionem alicuius agentis: actio vero non recipitur immediate in supposito, sed in natura, in qua subsistit: suppositum enim ratione suppositalitatis præcisè non recipit, aut sustentat immediate actionem, sed interuentu naturæ, quam suppositat: & ita cum omnis actio realis de nouo recepta in natura supponat in ipsa priuationem eius, quod aduenit, & sit vera mutatio realis opposita immutabilitati diuinæ, fieri nequit vllo modo, vt deitas veniat in compositionem cum alieno supposito: sed de his satis pro præsenti instituto.

VIII. Ad primum argumentum initio propositum recte ibidem respondetur rationem formæ, imo & causæ formalis, prout abstrahit à separata, & coniuncta extrinseca, & intrinseca non repugnare deitati. Ad rationem vero, qua probatur non repugnare etiam rationem formæ coniunctæ, respondetur eam, etsi nihil acciperet à materia, saltem participare perfectionem totius, quæ est formalior & perfectior partibus: & consequenter non esse simpliciter perfectam. Probari etiam potest responsio ibidem assignata: & ad eius impugnationem respondetur coniunctionem naturæ diuinæ tanquam formæ cum materia non repugnare præcisè, quatenus est coniunctio realis diuinitatis cum creatura, vt bene probatur exemplo incarnationis: sed quatenus est coniunctio formæ intrinsecæ ob imperfectiones assignatas, quæ non interueniunt in vnione hypostatica, vt fusè probant Doctores in tert. d. prim. & alibi, cum agunt de possibilitate incarnationis. Ad confirmationem respondeo, si supponatur naturam diuinam re ipsa coniungi cum materia, sequi & id, quod arguens vult, nempe manere simul impermistam, & illimitatam, quia natura diuina est: & eius oppositum, hoc est circumscriptam ad corpus, quia eius forma intrinseca est, quod implicat contradictionem, hæc vero sequitur ex suppositione illa falsa. Ad secundum respondeo, quamuis fortè aliquæ ex imperfectionibus repertis in formis creatis impediri possent, non tamen omnes: & ita, quidquid sit de circumscriptione, saltem remaneret commensuratio ad materiam, & aliæ imperfectiones, vt dixi, & ad primam impugnationem respondeo, si deitas esset forma, & actus materiæ, necessario fore naturalem, non super naturam illius, omnis enim actus proprius substantialis materiæ constituit cum ipsa naturam, & consequenter est naturalis. Ad secundam neganda est consequentia: ratio diuersitatis est, quoniam si natura diuina copularetur materiæ, vt forma, esset terminus intrinsecus actionis, & ideo non posset esse principium illius: Verbum autem est terminus extrinsecus assumptionis naturæ humanæ, & ideo potest esse causa eius efficiens: nam terminus extrinsecus potest esse causa motus ad ipsum, vt patet in tractione, quæ terminatur extrinsece ad eum, qui efficienter trahit. Ad tertiam negandum est antecedens, & ad argumentum, quo suadetur non fore rationem incompleti, dicendum est facta hypothesi, quod natura diuina copuletur vt forma materiæ, hoc ipso non posse intelligi rationem entis completi, quoniam esset actus eius connaturalis ordinatus ad complementum naturæ ex vtraque resultantis. Ad eam, qua probatur non fore rationem imperfecti, respondetur facta illa hypothesi compositum illud fore naturale, quoniam forma totius esset vere natura, atque adeo pars eius esset imperfectior toto, in vnione autem hypostatica non est compositio in natura, sed secundum hypostasim, quæ est supernaturalis: & ideo nil mirum si totum non sit perfectius altero ex cõponẽtibus. Si quis vero vrgeat dicendũ esse compositum supernaturale, quia forma est supernaturalis: respondeatur vtrumque sequi nempe vt sit naturale, ac supernaturale: & forma æque, ac minus perfecta toto: quæ omnia sunt absurda.

IX. Ad argumenta, quibus suadebatur possibilitas compositionis ex natura diuina, ac supposito creato, respondeo huiusmodi compositionem non repugnare solum ratione coniunctionis realis diuinitatis cum creatura, vt dictum est, sed ratione talis coniunctionis, ex qua sequitur ratio potentialitatis, & dependentiæ. Ad rationẽ in oppositum respondeo ad potentiam passiuam non necessario requiri, vt actus aduenions sit secundum omnia perfectio simpliciter, nam aqua habet potentiam passiuam respectu caloris ab igne recipiendi, & tamen calor non est perfectio simpliciter, nisi secundum rationem communem entis. Hoc posito dico, quamuis natura diuina secundum se sit infinite perfecta, & personalitates non addant illi perfectionem simpliciter, vt plerique dicunt, de quo alias, tamen, si illæ distinguerentur re ab essentia, & aduenirent ipsi actione alicuius agentis, sane futuram in ea

potentiam passiuam respectu ipsarum, & principium mutationis: nunc autem quia necessario est idem prorsus cum ipsis, & cum actionibus personalibus, nec habet potentiam ad ipsas, nec principium mutationis: At respectu suppositi creati habet distinctionem realem: & cum illud sit aliquo modo actus profecto accessu eius subiret mutationem, & consequenter haberet potentiam passiuam; quæ est principium, & fundamentum mutabilitatis.

Compositio rationis concedi potest in rebus simplicibus admittentibus distinctionem, ac multiplicitatem rationis in re fundatam.

Caput XIII.

I. QVoniam est etiam controuersia inter Theologos an admitti possit in Deo compositio rationis, videndum prius vtrum sit, & quid sit? & quidem in rebus actu minime distinctis dari posse compositionem rationis doctores communiter admittunt, sed circa eius conditiones est opinionum diuersitas, quas vt expendam suppono compositionem rationis distinctam à compositione actuali consistere proprie in actu intellectus copulantis prædicatum subiecto. Verum eiusmodi compositio à nemine negabitur: hoc enim admittitur etiam inter nomina synonima, vt patet in propositione identica, qua idem prorsus per affirmationem sibi ipsi componitur, & ideo datur etiam in terminis diuinis: nec de hac sermo est, sed de illa, quæ saltem per denominationem extrinsecam redundet in rem, ita vt composita dici possit saltem virtute, ac fundamentaliter tanquam obiectum vnius rationis intellectualis adæquatæ resultantis ex pluribus quasi partialibus, & in adæquatis: quomodo nó denominatur ex compositione enunciatiua: non enim ex eo, quod aliquis mente dicat, *substantia est substantia*, vel *Deus est Deus*, denominatur Deus, vel substantia composita: siquidem ad rationem cõpositionis denominantis rem compositam requiritur aliqua distinctio inter partes, ex quib. compositio coalescit: in his vero compositionibus mentalibus non est discrimen secundum rationes formales, & obiectiuas: nam sub eadem omnino ratione percipitur obiectum conceptu habente se ex parte subiecti, sub qua percipitur eo, qui se habet ex parte prædicati. Ex quo deinde colligitur ea, quæ nequeunt apprehendi plurib. conceptibus inadæquatis non synonimis, nullo modo admittere compositionem rationis: etenim ad omnem compositionem requiritur multiplicitas, est enim compositum vnum ex multis: quare ad compositionem rationis requiritur multiplicitas rationum; hæc vero non datur, vbi haberi nequeunt plures conceptus non synonimi de eodem obiecto.

II. Hoc statuto de communi sententia sequitur vt aliæ conditiones expendantur. Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus ad argumenta Aureoli, quem sequitur Soncinas ibidem, & 4. Metaph. q. 28. duas præcipue exigit. Prima est, vt omnis compositio rationis reducatur ad aliquam realem, in eaque fundetur: altera, vt interueniat in ipsa ratio potentiæ, & actus. Prior sumitur ex discrimine, quod statuit inter Deú, & speciem compositam ex genere, ac differentia: nam ideo negat in Deo compositionem rationis, quia in ipso non est vlla compositio realis, ad quam reducatur, sicut est in specie composita ex genere, ac differentia. Quæ responsio supponit ad compositionem rationis omnino requiri, ac supponi realem, à qua desumatur, alioquin impertinens est solutio: nam, si compositio rationis nó supponit realem, adhuc esse in Deo poterat, & si in ipso non esset realis. Id vero ex Diu. Thoma colligere sibi videtur Capreol. nam Diu. Tho. q. 3. de verit art. 2. ad 3. ita habet: *Pluralitas rationis quandoque reducitur ad aliquam diuersitatem rei, sicut Socrates & Socrates sedens differunt ratione, & hæc reducitur ad diuersitatem substantiæ & accidentis, & similiter homo, & animal ratione differunt, & hæc differentia reducitur ad diuersitatem materiæ, quia genus sumitur à materia, differentia vero specifica sumitur à forma.* Ex quibus verbis colligitur de sancto Thoma multiplicitatem, & compositionem rationis, q̃ datur in specie fundari in multiplicitate reali materiæ, ac formæ, ex quibus desumuntur gradus metaphysici. Potest autem suaderi, quoniam compositio omnis requirit aliquem modum saltem virtualem actus, & potentiæ: vbi autem non interuenit vlla distinctio, & compositio actualis, non potest concipi ratio actus, & potentiæ ratione distincta: quare ad compositionem rationis necessario supponitur compositio realis. Maior propositio ostenditur, quandoquidem in compositione rationis debent interuenire, si non actu secundum rem, virtute tamen, ac secundum

Capreol. *Soncinas.* *S. Thom.*

ratio-

rationem ea, quæ interueniunt actu in cōpositione reali: in hac autem reipsa reperitur ratio actus, & potentiæ in partibus actualiter distinctis: ergo in illa dari debet ratio actus, & potentiæ secundum rationem in partibus virtute distinctis: intellectus enim concipere nequit plures rationes per modum vnius, nisi concipiat aliquas ex his tanquam determinabiles per modum potentiæ, alias tanquam determinantes per modum actus. Assumptio patet: nam, vt conceptio eiusmodi non sit vana, & inepta, opus est, vt ex parte obiecti habeat fundamentum, & respondeat in ipso aliqua perfectio, vel entitas, cui secundum se non repugnet determinabilitas: hoc autem fieri nequit absque suppositione alicuius distinctionis, & compositionis actualis: vbi enim nulla est distinctio actualis, non potest fundari ratio determinantis, ac determinabilis.

III. Posterior vero ostenditur. Primo quoniam in omni compositione id, quod est, vel concipitur per modum partis, habet annexam negationem, saltem præcisionis, perfectionis propriæ alterius partis: hoc autem posito necessario intelligitur ratio potentialitatis: nam per compositionem vnius partis cum altera vtraque, vel saltem vna fit particeps perfectionis alterius, quā ipsa non claudit intrinsece in sua ratione formali: & consequenter habet rationem potentiæ respectu illius, siquidem secundum se caret illa, & est apta nata perfici per illam. Secundo, quoniam licet fortè sit aliqua compositio, in qua partes non videantur habere inter se inuicem rationem actus, & potentiæ, vt fortè res habet in partibus continui, omnes tamen respectu totius habent rationem materiæ, ac proinde potentiæ: quia perfectius quid est totum, quam partes: & ideò respectu ipsarum habet rationem formæ: vt ex Aristotel. ostendi cap. in omni vero compositione, etiam rationis compositum est quid perfectius saltem ratione, quam sint componentia: nam perfectior est homo, quam animal, aut rationale seorsum sumpta, perfectior item est vis mentis nostræ secundum omnia tria genera operationum mentalium, quam secundum vnum tantum ipsorum. Et singulæ partes minus perfectionis continent, quam compositum: nam maxima illa Mathematicorum. *Omne totum est maius sua parte*, non solū est vera in toto quantitatiuo, sed proportione seruata in quouis composito, omne enim compositum continet partem, & aliquid amplius secundum quoduis genus compositionis: nam, si sit reale, plus entitatis erit in toto, quam in singulis partibus, si vero sit rationis, plures rationes erunt in toto, quam in singulis componentibus, aliter intelligi nequit ratio componentium, & compositi: ex quo etiam colligitur componentia inducere rationem incompleti, quandoquidem singula sumi debent saltem sub abstractione præcisionis à perfectione aliarum, ac totius: vbi vero ex pluribus rationibus aptis conuenire in constitutionem vnius perfecti, atque completi concipitur vna sine alijs, ea non potest habere rationem completi, atque perfecti, sed comparatione totius est inadæquata, atque incompleta. Ex quo tandem concluditur necessario debere interuenire modum aliquem potentialitatis, nam ratio inadæquata, & incompleta complenda per accessum alterius, vel aliarum necessario intelligitur sub negatione aliarum, & aptitudine ad complementum totius: in his vero duobus consistit ratio potentialitatis: vbicunque enim interuenit carentia formæ, & aptitudo ad ipsam, potentialitas est, vt discurrenti per singula perspicuum fiet.

IV. Dico primum: ad compositionem rationis requiritur, ac sufficit multiplicitas cum vnitate per se. Vt hæc ostendatur, oportet obseruare vnum, & multa opponi, ita vt omnino repugnet eandem rem esse simul vnum, & multa simpliciter: & consequenter, si in re aliqua sit simul multiplicitas, & vnitas, necessario erit multiplicitas secundum quid, & vnitas simpliciter, ac vice versa vnitas secundum quid, multiplicitas vero simpliciter, vnitas autem per se, semper est vnitas simpliciter: quæ vel sumitur à forma vna simplici, & tunc cohærere nequit etiam cum multiplicitate actuali secundum quid, vel à forma vna per compositionem, & tunc admittit multiplicitatem secundum quid. Nam, cum compositio sit quasi simul positio, oportet vt sint plura, quæ ponantur, & sit vnum, in quo simul ponantur, ex quo sequitur sublata ratione plurium partium, quarum singulæ contineant aliquid non contentum alijs, & ratione vnius omnes, ac singulas continentis, esse, vel intelligi minime posse rationem compositionis, aut compositi: econtra vero ijsdem positis necessario vtramque existere: etenim plura claudi vno, aut vnum fieri ex pluribus aliter non contingit, quam via compositi-

onis: id enim, cuius vnitas ex compositione non pendet, semper manet vnum, etiamsi compositio dissoluatur: quod vero intelligi nequit vnum absque plurium adunatione, non nisi compositione vnum est. Hæc suo modo applicari possunt compositioni rationis, ex qua resultat ratio vna ex pluribus secundum quid, in qua necessario datur multiplicitas rationum, & vnitas alicuius per eas constituti: multiplicitas admittitur communiter à doctoribus referendis tract. sext. capit. 6. numero secund. & ita à Capreolo non negatur, imo recte defenditur aduersus argumenta Aureoli ipsum impugnantis in Deo: sed de Deo infra, nunc autem absolute loquendo non repugnat rem eandem concipi sub diuersis rationibus actu minime distinctis, vt concipitur species cum diffinitiue cognoscitur secundum gradus Metaphysicos, vt concipitur punctum sub ratione finis, ac principij, & sexcenta alia. Posse vero interuenire vnitatem constat, quoniam mens apprehendere potest vnam rationem obiectiuam adæquatam, quasi constitutam ex multis rationibus inadæquatis illi intrinsecis, quomodo concipitur natura diffiniti per diffinitionem mentalem, non enim intellectus tendit in partes diffinitionis, quasi in rationes disparatas, atque discretas, sed in vnam naturam diffiniti coadunatas, & sic concipit vnum, & plura: vnum per modum totius, atque compositi: plura per modum partium. Eodemque modo se res habet, cum intellectus concipit plures rationes quasi coniunctas, & intrinsecas vni rationi adæquatæ. Ex quo discursu confirmatur proposita assertio: Fieri nequit vt intelligatur multiplicitas cum vnitate absque compositione: sed in plerisque rebus datur multiplicitas rationum inadæquatarum cum vnitate vnius rationis integræ, atque adæquatæ ex omnibus constitutæ: hic autem non interuenit compositio realis, quæ solum datur, cum partes distinguuntur ex natura rei: ergo necessario erit compositio rationis.

V. Dico secundum compositio rationis non necessario supponit realem, in qua fundetur. Hæc est de mente doctorum, quos referam capite sequent. numero 4. Probatur vero, quoniam, vt patet ex prima assertione, vbicunque datur multiplicitas cum vnitate est compositio: in plerisque autem carentibus omni distinctione reali datur multiplicitas rationum cum vnitate: ergo ad compositionem rationis non necessario supponitur compositio realis, qua fundetur. Assumptio patet, quoniam compositio ex genere, ac differentia, quam rationis esse Capreolus admittit, non solum reperitur in ijs, quæ constant materia, & forma, sed in rebus etiam expertibus Physicæ compositionis, verbi gratia, in substantijs separatis, & accidentibus tam spiritualibus, quam corporalibus: in quibus non potest ostendi aliquid ex natura rei distinctum, ex quo desumatur ratio generis, & aliud, ex quo eliciatur ratio differentiæ: sed in vna, eademque entitate reperit intellectus sufficientem veritatem obiectiuam, vt formare possit distinctos conceptus, siue rationes formales coadunatas in vnicam, & adæquatam rationem formalem obiecti. Accedit, quod ad multiplicitatem rationum formalium nõ requiritur multiplicitas actualis rerum, sed de vna re simplicissima formari possunt plures rationes: ergo ad compositionem rationis non requiritur compositio actualis. Patet consequentia, quoniam eadem est proportio multiplicitatis secundum rationem ad actualem, quæ est compositionis secundum rationem ad compositionem actualem: atque adeo, si multiplicitas rationis non necessario supponit actualem, nec compositio supponet.

Nec vero Diuus Thomas fauet vllo modo Capreolo: in primis quia eo loco non agit de compositione, nec asserit compositionem rationis supponere realem, sed loquitur de multiplicitate, vt patet ex ipsis verbis. Neque vult multiplicitatem rationis semper fundari in multiplicitate reali, imo oppositum, subdit enim: *Quandoque vero differentia secundum rationem non reducitur ad aliquam rei diuersitatem, sed ad vnitatem rei, quæ est diuersimode intelligibilis.* Solum vero loquitur de multiplicitate opposita simplicitati: nam postquam dixit quandam multiplicitatem rationum reduci ad diuersitatem rei, idque exemplis ostendit, subungit: *Talis differentia secundum rationem repugnat maxime vnitati, ac simplicitati*: Illam vero alteram, cui non respondet diuersitas in re, censet non repugnare: & ideo concedit Deo: & ita locus hic nihil ad compositionem facit, quoniam non loquitur de ea, sed de multiplicitate: & quemadmodum ad hanc non necessario exigit diuersitatem rei, ita neque ad compositionem rationis exigit compositionem rei. Deinde vero sanct. Thom. non ait multiplicitatem generis, ac differentiæ sumi semper à multiplicitate

VI. S. Thom.

actua-

actuali materiæ, ac formæ, sed loquitur in subiecta materia, hoc est in compositione hominis, cuius genus, ac differentia sumuntur ex ipsius materia, ac forma: quod sat erat ad proponendum exemplum multiplicitatis secundum rationem repugnantis simplicitati, quod erat intētum S. Thomæ, hoc ipsum indicauit q. 7. de potent. ar. 3. in corpore: nam, cum dixisset similiter in homine naturam sensibilem, ex qua sumitur ratio animalis, esse materialem respectu rationis, ex qua sumitur differentia rationalis, ita concludit, *vnde in omni eo, quod est in genere, oportet esse compositionem materiæ, & formæ, vel actus, & potentiæ*: qua disiunctione significatur posse esse compositionem actus, & potentię, & si non interueniat compositio materiæ, & formæ. Argumentum in confirmationem eiusdem rei inductum soluitur dicendo, siue ratio actus, & potentiæ per se requiratur ad compositionem rationis siue non, absq; suppositione tamen distinctionis, & compositionis actualis in re composita secūdum rationem posse reperiri diuersitatem rationis in partibus sola ratione distinctis: vt perspicuum est in compositione rerum spiritualium, & accidentium ex genere, ac differentia: in hac enim genus habet rationem potentiæ, differentia actus: nec tamen hæc diuersitas reducitur ad distinctionem, aut compositionem actualem: & ideo admissa interim maiore propositione, neganda est assumptio. Ad cuius probationem respondeo, vt non sit inanis conceptio rationum partialium alterius per modum potentiæ, alterius per modum actus, non requiri plures res actu distinctas, quarum vna habeat rationem actus, altera potentiæ: sed sat esse vnam, eandemque rem, quæ secundum vnam rationem sit in potentia, ac determinabilis, secundum alteram sit actus, ac determinans: vt reuera est quæuis species composita ex genere, ac differentia: nam, quatenus respondet rationi genericæ, est determinabilis, quatenus conceptui differentiæ est determinans: & ita ex hoc capite non necessario requiritur, vt res, quæ dicitur composita secundum rationem, sit etiam composita realiter.

VII. Dico tertium. Ad compositionem rationis minime requiritur actualis, aut virtualis ratio potentiæ, aut incompleti. Hæc etiam est de mente eorum, quos referam cap. sequent. numero quart. Fundamentum est, quoniam vbi adest multiplicitas, & vnitas non potest non intelligi compositio eiusdem ordinis cum eo, ad quem pertinet multiplicitas, & vnitas: atqui datur multiplicitas rationum formalium simul cum vnitate absque ratione actus, & potentiæ: ergo datur compositio rationis absque eisdem. Maior propositio patet ex prima assertione. Assumptio quoad rationem actualem potentiæ per se patet: quoniam vbi non est vlla distinctio ex natura rei non potest esse propria, & actualis ratio potentiæ passiuæ: quoad virtualem vero ostenditur, quoniam ad virtualem multiplicitatem sat est continere eminenter plura actu distincta: ad vnitatem vero sufficit, vt mens obiectum plura eminenter continens, pluribus rationibus conceptibiliter coniunctis concipiat per modum vnius: quæ duo dari possunt absque virtuali ratione actus, ac potentię. In primis multiplicitas, vt ipsemet Capreol. tenetur admittere: nam in Deo concedit virtualem multiplicitatem absq; vlla prorsus etiam virtuali ratione potentiæ. Et facile suadetur, nam ad multiplicitatem sufficit subiectum eminenter continens plura actu distincta, ad virtualem vero rationem actus, & potentiæ, non sufficit, vt in vna, eademque re simplici contineantur eminenter plura distincta ex natura rei, quorum alterum sit potentia, respectu alterius, alterum vero actus: etenim diuina essentia eminenter continet plures creaturas, quæ inuicem comparatæ habent rationem actus & potentiæ, & tamen nemo dixerit Deum esse virtute potētiam passiuam, seu habere virtualem rationem potentiæ passiuæ: siquidem potentia passiua etiam virtualis includit imperfectionem, vt constat in omni ratione generica, respectu differentiæ specificæ: nam, cum non distinguantur inuicem ex natura rei in genere coniuncto differētiæ non est actualis ratio potentiæ passiuę: quia tamen distinguuntur ratione ratiocinata, & genus secundum propriam rationem vniuocam consideratam reperitur in distinctis speciebus separatum ab alijs differentijs, etiam coniunctum habet virtualem rationem potentiæ, respectu differentiæ contrahentis: quoniam per illam ita contrahitur, determinatur, ac perficitur, vt si actu distinguerentur, differentia vere esset actus realis aduenies rationi genericæ, tanquam potentiæ passiuæ ipsius. Posse vero absq; ratione potentiæ passiuæ virtualis consistere vnitatē vnius rationis adæquatæ ex multis conflatæ ostenditur: quoniam, sicut mens pluribus conceptibus definitiuis concipit per modum vnius compositum constans ex partibus actu distinctis, poterit etiam plurib. rationib. mentalibus concipere per modum vnius obiectū

virtute multiplex: nam ob sui maximam vnitatem magis repugnat diuisioni, quam vnitati, quare, si quod re vnum est, potest animus distinguere pluribus rationibus, siue habeant se per modum actus, & potentiæ, siue non, multo magis poterit sub illis omnibus concipere idem obiectū per modum vnius ex illis omnibus constituti, q̃uis inter eiusmodi rationes nulla sit per modū potentiæ. Et confirmatur, quoniam neq; ad oēm compositionem actualem necessario requiritur ratio potentiæ vnius partis respectu alterius, sed solū respectu totius, vt videre est in partibus continui, quę proprie loquendo inter se non habent rationem potentiæ, vel actus, sed solū respectu totius habent aliquem modum potentiæ, quatenus vnitæ assumuntur ad esse totius, quod est perfectius, ac formalius, q̃ sit esse partium: quare de ratione compositionis secūdum rōem non erit virtualis ratio potentiæ vnius partis ad aliam. Nec vero etiam respectu compositi: quandoquidem ratio potentialitatis in partibus respectu totius consistit in eo, quod esse imperfectum ipsarum perficitur, & actuatur quodammodo ipso esse totius: at esse plurium rationum virtualium eiusdem rei simplicis, non est imperfectum, aut perfectibile per ipsum esse totius imò est ipsummet esse totius sub ratione aliqua formali inædquata: verbi gratia cum dicimus sapientiam diuinam, dicimus ipsum esse diuinum subsistens sub ratione formali sapientiæ: & ideo hæc ratio non concipitur vt imperfecta, aut in potentia ad aliquod esse, sed vt perfecta secundum esse diuinum sub sua ratione formali.

VIII. Obseruandum tamen est, licet in compositione rationis non necessario requiratur virtualis ratio potentiæ, interuenire tamen ex defectu nostri intellectus in concipiendo aliquid ipsi simile: nam potentia passiua significat indifferentiam rei vt perficiatur actu à se quoquo modo distincto, ita vt ex vi proprię rationis intrinsecæ non repugnet esse absq; illo, quomodo se habet ratio generica ad differentiam specificam: nam q̃uis, quatenus illi identificatur, nequeat ab illa seiungi, potest tamen considerata secundum propriam rōem formalem intrinsecam abstrahendo à singulis differentijs: fieri autem potest, vt plurium rationum formalium virtute differentiū nulla possit ab altera separari secundum proprium conceptum, atque adeo sublata indifferentia tollitur propria ratio potentiæ. Verum, quemadmodum in potentia passiua est negatio actus, saltem præcisiua, & indifferentia, vt sit sine ipso, ita in vno ex pluribus ratione distinctis interuenit negatio præcisiua alterius: nam, quatenus obiectum præcisè terminat cōceptum sub ratione vnius perfectionis, non terminat sub alia, exempli causa punctum, quatenus concipitur vt principium vnius lineæ, non concipitur vt finis alterius: & ita in ipso ratio principij habet negationem saltem præcisiuam rationis finis. Item, quemadmodum potentia passiua requirit indifferentiam in ipso obiecto, cui conuenit, ita ratio vna habet aptitudinem & indifferentiam, vt concipiatur vel sola per se, vel simul cum alijs per modum plurium constituentium vnum: quæ indifferentia non est ad coniunctionem cum alijs secundum esse actuale, fieri namque potest, vt cum illis re ipsa necessario copuletur: sed secundum esse cognitum ab intellectu, secundum quod in intellectu viatoris non necessario coniungitur. Ex quo consequenter efficitur, vt plura sola ratione distincta possint habere conceptibiliter rationem partium, quatenus singula secundum proprias præcisè rationes non adæquant vnicam perfectam rationem obiecti, quatenus vero concipiuntur coadunata in vnam rationem adæquatam ex omnibus constitutam possint habere conceptibiliter rationem totius, & compositi: & ita sine ratione potentiæ, etiam virtuali ex parte obiecti intelligi potest ratio compositionis secundum rationem: quoniam sine ratione potentiæ concipi potest multiplicitas, & vnitas secundum rationem.

IX. Sed inquiret aliquis quomodo resultet hæc vnitas plurium rationum mentalium: nam ipsæ secundum se, cum sint qualitates numero distinctæ, & vna non habeat rationem potentiæ respectu alterius, non vniuntur per se realiter, sed solum per accidens in subiecto, cui insunt: quæ coniunctio non facit ad vnitatem, de qua nunc agimus: quandoquidem hoc modo rationes obiectorum disparatorum possunt vniri, nec tamen proinde dicuntur coadunari in vnam ex ijs compositam. Item coniunctio per affirmationem non sufficit, vt iam supra dixi: nec vlla alia se offert. Ad huius dubij solutionem, notandum compositionem rationis, de qua sermo est, non esse secundum esse reale ipsarum rationum mentalium, vt probant rationes inductæ: sed secundum esse intellectum, ita vt obiectum, quatenus interuentu plurium rationum habet esse intellectum

multi-

multiplex, & vnum denominetur compositum secundum rationem, & ita vnitas ad eiusmodi compositionem necessaria non fundatur in vnitate reali ipsarum intentionum mentalium, sed in vnitate obiectiua sub esse intellecto: quapropter duo ad ipsam requiruntur, vnitas obiectiua materialis, & formalis sub esse intellecto: requiri materialem patet, quoniam ea, quæ nullo modo habent vnitatem in se, si secundum intentiones mentales coniungantur, non dicuntur vnum secundum rationem, nisi cum addito, hoc est vnū figmentum: quapropter, quoniam partes chymæræ, quas intellectus concipit adunatas in vnum compositum, non habent coniunctionem, aut vnitatem obiectiuam materialem, chymæra non dicitur simpliciter vnum, sed vnum figmentum. Non sufficere autem vnitatem obiectiuam materialem patet: nam, si duas rationes habentes à parte rei aliquam coniunctionem, & vnitatē intellectus non concipiat vt coniunctas, sed vtramque per se sine ordine ad aliam, nequaquam erit compositio rationis: exempli causa à parte rei datur compositio subiecti, & accidentis coniunctione candoris cum niue: & tamen si intellectus concipiat vtramque conceptibus respondentibꝰ his nominibus, *Nix, candor*, nequaquam erit compositio rationum, quoniam cōceptus formæ in abstracto nō apprehendit compositionē eius ad subiectum, & ita non est in mente conceptibiliter: ex quo factum est, vt diffinitiones, quibus explicatur essentia diffiniti tanquam compositi ex pluribus partibus essentialibus, nō tradantur per nomina abstracta: nō enim dicimus homo est animalitas rationalitas, vel homo est animal rationalitas, quia neutro modo significantur partes, vt cōiunctæ, in diffinitionibus autem physicis, licet partes ponantur in abstracto, non prędicantur tamen in recto, sed in obliquo, semper enim prędmittitur aliquid per modum subiecti, in quo vnitæ intelligantur, & ita dicimus homo est substantia constans corpore, & animo rationali, qua oratione significantur duæ illæ partes coniunctæ in eadem re, & eodem modo intelliguntur per conceptus respondentes eidem orationi: quia ergo nō repugnat obiectū actu, & potentia indiuisum concipere pluribus conceptibus, intelligibiliter coniunctis, ita vt non attingatur obiectum disparatè sub singulis rationibus, sed etiam cōiunctè, cùm scilicet conceptiones terminantur ad plures rationes virtuales obiectiuas, vt coniunctas, & non solum repręsentant singulas secundū se, sed ipsam quoque coniunctionem, siue identitatem obiectiuam ad eum modum, quo diffinitio mentalis repræsentant partes diffiniti, & ipsarum connexionem, conceptus vero compositi accidentalis subiectum ipsum, & formam cum coniunctione vtriusque.

X.

Ex dictis patet solutio ad primum argumentum in contrarium: nam potentialitas respondet compositioni vnius partis cum alia: & in ijs, quæ sola ratione distinguuntur, hæc compositio fit solum per intellectum, & ita non est absurdum, vt rationes formales intellectus, quibus respondent obiectiuæ virtuales, habeant suo modo potentiam, vt inuicem copulentur: siquidem modo seorsim, modo simul concipiuntur, ex hac autem potentialitate nulla colligitur imperfectio obiecti, sed intellectus inadæquatè concipientis, & rationum ipsarum formalium, quarum singulæ deficiunt à perfecta repræsentatione obiecti in se. Ad secundum respondetur, si rationes partiales sint necessario coniunctæ cum alijs componentibus, & habeant idem esse cum toto, non per modum participationis, vt habent partes actuales, sed ex se, naturaque sua, non requiri ad rationem compositionis ex eiusmodi rationibus vllam rationem potentiæ passiuæ, in vlla ratione obiectiua partiali, quandoquidē, si per impossibile fingeretur esse per se sola, deberet vēdicare idē omninò esse, cp habet simul cū toto: & hoc modo se res habet in perfectionibꝰ diuinis virtute distinctis: etenim, si p impossibile quis concipiat dari hanc diuinam sapientiam quoad conceptum adæquatum ipsius absque alijs perfectionibus adiunctis, adhuc subsisteret per ipsum esse diuinum, quomodo nunc subsistit: quando enim ratio obiectiua ita se habet, nō perficitur per rationem totius, vt cæteræ partes, quæ secundum suos conceptus non vendicant esse perfectum. Ad rationē vero in oppositum respondeo solam maiorem perfectionem compositi secundum rationem non arguere potentialitatem partis secundū esse obiectiuum, sed solum secundū esse intellectum: quoniam non est vlla maior perfectio actualiter, sed solum conceptibiliter: quatenus idem obiectū modo cōcipitur sub vna ratione formali adæquata ex pluribus cōstituta, nunc vero sub vna tantum ratione inadæquata, quæ modo apprehenditur sub negatione præcisa alterius perfectionis, ac totius, modo cum illis coniuncta: hoc autem nullā arguit imperfectionē in obiecto: nā aptitudo ad esse extrinsecum quod absq; mutatione

subiecti denominati accedit, ac recedit, nihil imperfectionis inuoluit, nihil enim accrescit, vel decrescit obiecto ex eo, quod possit aliter, atque aliter apprehendi ab intellectu, similiter obiectum ipsum dici non debet perfectius, aut imperfectius, completum, vel incompletum, sed magis, vel minus perfectè, adæquatè, vel inadæquatè conceptum, vndè tota hæc diuersitas formaliter est in ipsis rationibus mentalibus, extrinsecè vero, ac denominatiuè in obiecto: quemadmodum multiplicitas actualiter est in conceptibus ipsis, extrinsecè, ac denominatiuè in obiecto. Ex hoc autem non sequitur vlla potentialitas in ipso obiecto, namque ad rationem potentialitatis necessario exigitur carentia actus, & indifferentia ad ipsum, & eius priuationem: quę duo non necessario interueniunt, quotiescunque est multiplicitas solum secundum rationes formales ab intellectu conceptas, & negatio præcisionis secundum ipsas cum aptitudine coniunctionis intellectualis: namque in diuinis, vt patet ex superioribus, est multiplicitas rationum formalium cum negatione pręcisionis, & aptitudo vt concipiantur per modum plurium adunatorum, siue etiam vnius ex pluribus constituti: nec tamen est vlla potentialitas etiam virtualis: quia in nulla prorsus ratione obiectiua est indifferentia ad alias, & priuationem ipsarum, sed omnium necessaria, & determinata coniunctio.

Non ineptè concedi potest in diuinis compositio rationis.

Caput XIV.

I. EX superiore capite constat compositionem rationis secundum se non esse impossibilem, atque adeò reperiri in creaturis: restat vt videamus an conuenire Deo possit. Negat Aureolus quodlibet. 5. art. 2. & in 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. & d. 8. quæst. 4. art. 1. Mayron. quæst. 7. art. 1. 3. p. articuli ad primam difficultatem. Soncin. 12. Metaph. quæst. 29. ad tertium, consentit Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus argumentorum Aureoli, siquidem reprobat secundam solutionem Aureoli ad 4. argumentum, qua dicebatur esse absurdum admittere in personis diuinis compositionem rationis, & conceptuum fabricatorum per intellectum, & recipit tertiam, qua dicitur etsi in persona filij, sint plura secundum rationem, vel plures conceptus, non tamen facere compositionem, quia non habent vnionem: & ita à plerisque pro hac ipsa sententia adducitur, & immerito ab alijs in cõtrariam detorquetur, dicentibus Capreolum solũ negare compositionem, quæ sit intrinseca Deo, in conceptu autem nostro, sicut admittit multitudinem, ita admittere compositionem, quam Deo inquit esse extrinsecam, sicut etiam Spiritus diuinus dicitur multiplex, & multiformis. Verùm Capreol. admittit quidem in Deo multiplicitatẽ rationis extrinsecam, quia multis conceptibus nostri intellectus respondet, compositionem vero etiam secundum hunc modum nunquam admittit: imò vero in responsione ad impugnationem tertiæ responsionis quarti argumenti expresè illam negat: nam, cùm retulisset verba D. Thomæ concedentis in diuinis multiplicitatem rationis propter diuersitatem conceptuum, quibus intellectus eandem rem multipliciter apprehendit, subdit hæc verba. *Ex quibus patet quod Deus dici potest multiplex, non tamen compositus secundum rationem.* Eodem modo, quo multiplicem cõcedit, negat compositum: concedit autem multiplicem secundum rationem, atque extrinsecè: eodem ergo modo compositum negat. Itaque clarius apparet ex ratione, quam subijcit. *Quia illæ rationes non componuntur ad inuicem in Deo, nec in intellectu, cùm non habeant vnionem in intellectu ad inuicem, nec in Deo sint subiectiuè*, quibus verbis excludit compositionem rationis intrinsecam, atque extrinsecam: intrinsecam, quoniam rationes illæ non sunt in ipso Deo subiectiuè & compositæ ad inuicem: sunt enim in intellectu, vt ibidem de sententia D. Thomæ explicauerat: extrinsecam vero, quoniam rationes eædem in intellectu, in quo sunt subiectiuè, non habent vnionem, quæ omnino requiritur ad rationem compositionis. Ex quo patet ita Capreolum concedere Deo multiplicitatem rationis extrinsecam, vt in eodem genere neget compositionem rationis.

Aureol. *Mayronius.* *Soncinas.* *Capreol.*

II. Inprimis autem fauere huic opinioni videtur Anselmus lib. de incarnatione Verbi cap. 3. versus finem, vbi ait simplicia præstare compositis quantum ad simplicitatem & compositionem: & compositum omne necessariò dissolui posse actu, vel intellectu: ex quo deinde infert quod si Deus compositus est, aut nulla natura simplex est, aut aliqua natura est, quæ natura Dei præstantior est: quod enim nec actu, nec intellectu potest dissolui, maius est quam id, quod actu, vel intellectu dissolui potest. Similiter docet in Prosologio cap. 18.

Anselm.

Quid-

Quidquid, inquiens, *est partibus iunctum, non esse omninò vnum, sed quodammodo plura, & diuersum à se ipso, & vel actu, vel ab intellectu dissolui potest, quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari potest.* Ex quo perspicuum redditur Dei naturam, neque actu, neque intellectu dissolui posse: atque adeò non solum expertem esse compositionis realis, qua fit id, quod actu dissolui potest: sed etiam rationis, qua cõstituitur id, quod per intellectum dissoluitur; fauet etiam Aristoteles lib. 5. Met. text. 11. vbi de vno disputans sic habet: *Et omninò quorumcunq; intellectio, quæ quod quid erat esse intelligit, indiuisibilis est, neq; separari potest, nec tempore, nec loco, nec ratione, hæc maximè vnum sunt.* Quapropter, cùm Deus sit maximè vnus, intellectio attingens eius essentiam nõ poterit ratione separari, atque adeò nec ratione componi: nam compositio supponit saltem distinctionem rationis inter componentia. Idem probat Aureol. vbi proximè, quoniam Theologi negare nõ debent Deo perfectionem, quam tribuunt Philosophi: at Philosophi scilicet Aristoteles, Auerr. & Auicen. tribuunt Deo perfectissimam simplicitatem absque vlla compositione etiam rationis: id vero ostendit ex 12. Metaphys. text. 39. vbi Auerr. ait non posse admitti intentionem additã primo principio, quia tali additioni dubitatur accidere compositio: esse autem compositum est esse nouum. At vero Comment. 49. omnes substantias separatas ait esse simplices, maximè vero primam: quæ est simplex sine vlla multiplicitate, nec propter alietatem intellectus, & intellecti, nec propter multitudinem intellectorum: ex quibus deducitur multiplicitatem rationis prouenientem ex pluribus conceptibus non inducere compositionem: & ideò de sententia Auerrois non cadere in naturam diuinam compositionem rationis. Auicen. verò lib. 8. Metaphys. cap. vltimo asserit proprietates primi principij non facere in ipsa multitudinem aliquo modo. Ratione verò sic ostenditur, nõ est neganda Deo perfectio, quæ reperitur in creatura, in creaturis autem sunt quædam adeò simplices, vt neque compositionem rationis admittant, & ideò sunt omninò irresolubiles, quæ statim sunt vnum, & ens: quomodo ait idem Auerroes lib. 8. Metaphys. Comment. 16. rationes altissimorum generum esse simplices: ergo nè demus excedi quoad aliquid perfectionem diuinam à creata, cõcedere debemus compositionem rationis in Deum minimè cadere. Secundò nulla ratio prior concipi potest composita etiam secundum rationem à posteriore: at ratio essentiæ diuinæ, est positiuè prior omni prorsus ratione à se quomodolibet distincta: ergo non potest concipi composita secundum rationem: Maior patet quoniam componentia cuiuslibet generis secundum idem genus habent ordinẽ prioris respectu compositi: ideoque repugnat, vt id, quod est ratione prius cæteris omnibus, admittat compositionem rationis. Assumptio item est manifesta: nam essentia diuina concipitur per modum substantiæ, ac naturæ: hoc autem modo concepta est prior omni ratione attributali, ac notionali, quibus continentur omnia, quæ de Deo prædicantur. Tertiò ratio Deitatis est actualissima, ac simplicissima: neutrum vero haberet, si esset composita ex pluribus rationibus: non summam actualitatem, quoniam esset constituta ex ratione actuali, ac potentiali, & determinabili, ac determinante, nõ summam simplicitatem, quoniam simplicius est id, quod ipsum per summam identitatem, ac simplicitatem, est omnis ratio, quæ sibi competit, quam quod habet multiplicem rationem tanquã partem suæ integræ, adæquatæque rationis: ergo nullo modo concedendum est vllam compositionem rationis conuenire Deo. Quartò quemadmodum essentia diuina, & personæ sunt perfectæ secundum rem, ita etiam secundum rationem: ideoque sicut in ijs non admitti debet aliquid imperfectum secundũ rem, ita neque secundum rationem, sed compositio rationis est imperfectio secundum rationem: ergo remouenda est à Deo. Probatur assumptio, quoniam vbi est compositio conceptuum, ibi alter conceptuum est perfectibilis per alterum tanquam per sui perfectionem, vt conceptus animalis perficitur per rationale, & absolutè quotiescunque datur compositio, alterum componentium habet rationem actus, alterum potentiæ: & ita inter plures rationes concurrentes ad compositionem vnius, altera erit instar potentiæ perficiendæ per alteram.

Aristot. Aureol. Aristot. Auerr. Auicenna.

III.

Hæc controuersia ex duobus capitibus habet difficultatem: nimirum ex multiplicitate, & vnitate: hæc enim duo superius dixi sat esse ad compositionem rationis. Et quidẽ Aureol. quia existimat pugnare cum diuina simplicitate multiplicitatẽ rationũ, negat etiam Deo compositionẽ rationis: nã multiplicitate admissa cõsequens esset dicere Deum, sicut esset multiplex secundũ rationem, ita etiã compositũ fore, vt patet ex 4. argumento, quod ex ipso refert Capreol. vbi supra in hunc modum. Id cuius con-

stituentia

stituentia sunt seorsum conceptibilia, & habentes proprias vnitates, necessario est compositum, saltem secundum rationem: ad quod adhibet hanc responsionem: nempè, quamuis ratione differant, non facere compositionem, quoniam sunt omnino idem secundum rem. Contra quam obijcit iterum in hunc modum: similis est habitudo secundum rationem inter aliqua ratione distincta, qualis est inter ea secundum rem quando sunt realiter distincta, sed si essentia, ac paternitas secundum rem essent realiter distincta, non dubium, quin facerent compositionem realem, secundum doctrinam Philosophi *Aristot.* lib. 7. Metaphys. asserentis ex substantia, & alijs prædicamentis esse compositionem, etiam ex ad aliquid, & relatione: ergo vbi essentia, & paternitas distinguuntur sola ratione, facient compositionem rationis. Ex quo discursu perspicuum est propterea Aureolum negare in diuinis compositionem rationis, quoniam negat multiplicitatem rationum: si hæc vero detur, credere necessario illam admittendam. Contra vero Capreol. admittens cum Diuo Thoma in diuinis rationum pluralitatem adhuc negat esse compositionem propter rationes ferè initio propositas: sed totum eius fundamentum consistit in duobus principijs: alterum est, quoniam omnis compositio supponit potentialitatem aliquam componentium: quę nullo modo in diuinis admittenda est. Alterum vero, quoniam compositio sit non secundum rationes formales, sed secundum esse actuale, ita vt sit multitudo ipsius esse, sicut cum relatio creata facit compositionem cum subiecto: vel, cùm sunt duo habentia idem esse, sed illud habet vnum illorum per alterum, sicut cum forma componit cum materia, vel cum sunt multa habentia idem esse, quod est primo totius, & consequenter partium, sicut cum pars componit cum parte: vbi autem est vnicum esse subsistens nó distinctum ab eo, quod est per illud esse, sed est ipsummet esse, non potest ibi esse compositio, quoniam omnia sunt actus purus, in diuinis autem quamuis sint plures rationes formales, est tamen vnum esse: quod fundamentum videtur attigisse D. Thom. in *S. Thom.* 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. & d. 8. quæst. 4. art. 1. ad secundum vbi ideò docet attributa nullam in Deo compositionem facere, quia sapientia, aut quoduis aliud attributum secundum suam rationem non facit compositionem, secundum suum esse, prout est subiecto realiter differens ab illo, quæ ratio ex æquo militat contra omnem compositionem tam realem, quam rationis.

IV.

Dicendum non incongruè dici posse dari in diuinis compositionem rationis. Hanc conclusionē expressè docet Sanctus Thomas in 1. d. 24. quæst. 1. art. 2. ad 4. & d. 25. quæst. vnica art. 1. ad 2. Bonauent. d. 34. art. 1. quæst. 1. Ægydius in 1. d. 4. 3. p. quæst. 1. ad primum, & d. 8. 1. p. secundæ partis principalis quæst. 2. ad 2. & quæst. 3. ad 3. & d. 22. quæst. 1. ad 3. & quæst. 2. ad primum. Argent. d. 8. q. 1. art. 1. ad quintum, & art. 3. Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 58. §. *Aduerte*. Hæc est sententia Patrum, qui cum dicant simplicitatem opponi compositioni eo ipso quod in Deo cõcedunt multiplicitatem rationis, etiam fatentur aliquã compositionem rationis, Deum vero esse multiplicem ratione attributorũ asserunt Patres citandi tractat. 5. cap. 7. num. 4. & tractat. 6. cap. 6. num. 2. fauent Doctores, qui loquentes de rebus diuinis vsurpant terminos partialiter, partem, totum, non quidẽ simpliciter, sed cum addito (nostro intelligendi modo:) hi enim satis indicant agnoscere se compositionem rationis propter imperfectum modum, quo diuina intelligimus, & ita tota imperfectio compositionis se habet ex parte intellectus, summa autem perfectio ex parte obiecti, quod propter eminẽtiam suæ entitatis, vnũ cum sit, æquipollet pluribus actu distinctis, & ideò admittit distinctionem virtualem siue rationis, & cum sit simplex, æquipollet compositis: ideoque admittit denominationem à compositione rationis: nam sicut distinctio actualis est verè imperfectio repugnans Deo, virtualis autem, siue rationis minimè, ita compositio actualis est imperfectio à Deitate aliena, compositio vero rationis nequaquam: quoniam sicut distinctio virtualis non affert diuisionem, neque officit vnitati diuinæ, imò eam maximè commendat, ita compositio rationis non excludit simplicitatem diuinam, sed indicat summam eius perfectionem: sicut enim est summa perfectio vnitatis sub omnimoda indiuisione actuali continere per modũ vnius perfectiones omnes simpliciter repertas in creaturis, ita est summa perfectio simplicitatis modo maximè simplici, & actualiter incomposito continere perfectionem compositorum actualium: facilè vero ostẽditur ex dictis cap. superiore, quo statutum est ad compositionem rationis sat esse multiplicitatem rationum cum vnitate: At in diuinis extrinsecè saltem, & conceptibiliter dantur hæc duo:

S. Thom. Bonauent. Ægyd.

Argentin. Ferrarien.

ergo

ergo datur compositio rationis Assumptio quoad multiplicitatem probanda est tract. 6. Quoad vnitatem vero ostenditur contra Capreolum, vnitas plurium rationum formalium secundum esse intellectum; cui respondeat idem esse obiectiuum à parte rei, non repugnat absolutè, & respectu cuiuscunque obiecti: ex parte Dei non datur particularis aliqua repugnantia, dari ergo poterit. Maior propositio constat ex cap. superiore, & patet inductione plurimarum rerum, quæ concipiuntur per modum vnius coniuncti ex pluribus rationibus non actu, sed sola ratione distinctis, vt se habet compositum Metaphysicum ex genere, ac differentia, compositio eiusdem rei ex potentia, & actu: nam in ijs, quæ non sunt actus purus, eadem prorsus res ex natura rei indistincta est simul actus, & potentia. Assumptio ostenditur, quoniam simplicitas diuina magis repugnat multiplicitati, quam vnitati: sed ea non obstante datur multiplicitas virtualis rationum diuinarum: ergo dari etiam poterit similis coniunctio earundem in vnam rationem ex illis virtute compositam. Huic argumento respondet Capreolus ad vnitatem ex compositione resultantem requiri vnionem componentium, has vero rationes non esse capaces vnionis: non quidem obiectiuè in ipso Deo, quoniam sunt idem omnino, nec habent rationem potentiæ, & actus, non in intellectu, quoniam rationes ipsæ mentales sunt actu diuisæ, nec in vnum coadunabiles, hæc tamen solutio non satisfacit: Iam enim superiore capite ostendi ad compositionem secundum rationem non requiri rationem potentiæ in componentibus, nec vnitionem rationum mentalium secundum esse reale, quo insunt in subiecto, sed sat esse vnionem secundum esse intellectum: quæ est actu in conceptione ipsa mentali, obiectiuè autem in re intellecta fundata in eius perfecta vnitate coniuncta cum multiplicitate virtuali: hæc vero omnia reperiuntur in Deo: nam propter summam excellentiam est vnum, atque idem obiectum multipliciter intelligibile, ita vt mens nostra postquam plures ipsius perfectiones virtute distinctas diuersis conceptibus intellexit, possit eas omnes inter se comparare, atque connectere tanquam perfectiones intrinsecas vnius, eiusdemque essentiæ diuinæ, & ex ijs omnibus conflare conceptionem quandam compositam nominaliter instar diffinitionis, qua singulæ rationes obiectiuæ attinguntur, vt partialiter distinctæ inter se, & vt coniunctæ in vna adæquata ratione: & ita, quamuis à parte rei non detur vera vnio, sed potius vnitas, atque identitas rationum formalium virtute distinctarum, hæc tamen sat est, vt in intellectu distinguente actu eiusmodi rationes per plures conceptiones, & in vnam integram, adæquatamque rationem formalem conceptibiliter adunante sit vnio intellectualis earundem rationum formalium habens fundamentum in identitate obiectiua ipsarum in essentia diuina. Itaque non desideratur vnio rationis, quæ solum requiritur ad compositionem rationis: hæc autem non debet esse necessario actu ex parte obiecti, sed solum fundamentaliter vt re ipsa est in Deo: nam quemadmodum in ipso est fundamentaliter distinctio rationis attributorum, quia est vnica perfectio inadæquatè concepta pluribus intellectionibus non Synonimis, ita quoque est vnio rationis, quoniam sicut propter illimitationem perfectionis respondet distinctis conceptibus, ita propter identitatem respondet mentali connexioni ipsorum per modum vnius. Secundo suadetur, quoniam fieri nequit, vt sit vnum, & plura absque compositione: in Deo est vna ratio respondens adæquatè toti perfectioni, atque intelligibilitati diuinæ essentiæ, sunt etiam plures pro diuersitate conceptuum inadæquatorum, & hæ sunt de intrinseca, & formali ratione illius adæquata: ergo illa necessario intelligi debet composita secundum rationem. Maior propositio est certa: nam plura, quatenus plura, non possunt conuenire in vnum absque interuentu vnionis: hac enim desiderata potius habent rationem multitudinis, quam vnius: ea vero posita necessario subsequitur compositio, quæ est constitutio vnius ex pluribus inuicem vnitis.

V. Huic argumento Capreol. vbi supra dupliciter respondet: inprimis ait diuinam personam esse conceptibilem vnica perfecta ratione, quam Deus habet, verum nullum conceptum viatoris posse repræsentare omnia, quæ sunt in persona diuina: & ita personam diuinam esse vnum conceptibile, & vnum formale obiectum intellectus in se, non tamen respectu intellectus viatoris, respectucuius est multiplex nõ intrinsecè in se, sed extrinsecè, quatenus vnica illa perfectio non vna, sed pluribus conceptionibus capi potest. Respondet secundo, vt obiectum sit vnum ratione, non

opus

opus esse, vt rationes omnes per intellectũ de eo formatæ, & fundatæ in re intellecta habeant vnionem ad inuicem, sed sat esse vt sit eiusmodi vnitas in obiecto, vt idem omnino cuilibet rationi respondeat, licet imperfectè per singulas repræsentetur, & aliter per vnam, quam per aliam. Verùm hæ solutiones non satisfaciunt: Non prior, quoniam etsi nulla creatura adæquatè, ac distinctè queat concipere vnicam illam rationem personæ diuinæ, sicut in se est, potest tamen inadæquatè concipere plures rationes, vt intrinsecè pertinentes ad vnicam illam rationem ad instar partium essentialium: in qua conceptione intellectus concipit vnicam eam rationem intrinsecè constitutam ex pluribus, quod fieri nequit absque vlla vnione: nam sicut nequit esse vnũ ex pluribus actu distinctis absque vnione actuali, ita concipi nequit vnum ex pluribus virtute distinctis absque vnione, saltem rationis: contra secundam vero obijcitur, vnitatem obiectiuam esse realem, & actualem, quæ non distrahitur re ipsa per distinctionem virtualem, & pluralitatem rationum formalium: verum ad vnitatem rationis non sat est vnitas realis si res, cui ipsa conuenit, sit obiectum plurium rationum formalium nullo nexu copulatarum, vt videre est in vnitate reali motus, de sententia eorum, qui dicunt ipsum esse idem re cum actione & passione, etenim tres hæ rationes, motus, actio, passio, sunt per se disparatæ, neque cõueniunt in vnam, quoniam sunt primo diuersæ, nec vllo nexu secundum rationé copulantur. Quapropter, si plures rationes perfectionum diuinarum in vna entitate diuinæ essentiæ fundatæ nõ copulentur modo aliquo vnionis secundum rationem, nõ erit vnica ratio formalis ipsius secundum esse conceptum, quantumcunque omnibus respondeat eadem prorsus res secundum se habens vnam rationem formalem obiectiuam.

VI. Ex dictis constat congruentius loqui Aureolum, quam Capreolum: etenim posita multiplicitate rationum alicuius obiecti necessario sequitur compositio secundum rationem, quæ non est aliud, quam plurium rationum sola virtute, siue conceptibiliter distinctarum coadunatio secundum esse intellectum in vnam rationem formalem adæquatam habens fundamentum in identitate obiecti. Quæ tota ratio distinctionis, multiplicitatis, & compositionis, cum solum sit actu in intellectu, non autem in obiecto, non dicit imperfectionem, vt iam notaui, & argumentum Aureoli sumptum à similitudine plurium rationum distinctarum eiusdem obiecti ad res actu distinctas, & coniunctas in eodem est valdè firmum: & indicatũ est ab Auerr. lib. 12. Metaphys. com. 39. nam, cùm dixisset nõ dari in Deo additionem, distinctionem, aut compositionem secundum rem, subdit hæc verba; *sed cum intellectus componit aliquam propositionem, ex dispositione, ac disposito in talibus rebus*, id est, simplicibus, de quibus loquitur, *tunc non intelligit ex eis nomina Synonima, ita quod dispositio sit secundum nomen, non secundum intentionem, sed intelligit ea esse differentia secundum assimilationem, scilicet quod in talibus accipit duo, quorum proportio ad inuicem alterius ad alterum est sicut proportio prædicati ad subiectum, & ex eis componit propositionem categoricam, & nullam intelligit differentiam, inter ea esse omnino, nisi secundum acceptionem.* Ex quibus constat ipsum agnoscere compositionem mentalem in terminis diuinis fundatam in distinctione rationis, & identitate omnimoda obiecti. Et ne Capreolus dicat loqui solum de multiplicitate, non vero de compositione, perpendenda sunt verba sequentia in eodem contextu: *Intellectus enim*, inquit, *potest intelligere idem his duobus modis; secundum similitudinem, ad propositionem categoricam in rebus compositis. sicut intelligit multa secundum similitudinem.* Quorum verborum sensus hic est, sicut intellectus per similitudinem ad rem actu distinctas, intelligit multa scilicet secundum rationem in re simplicissima, ita quoque per similitudinem ad modum intelligendi res compositas per modum vnius, obiectum re ipsa simplex, ratione tamen distinctum, intelligit vt idem per compositionem, hoc argumentum Capreolus vbi supra soluere conatur respondens nequaquam opus esse, vt sit idem ordo, & habitudo inter aliqua distincta sola ratione, qualis esset inter ea, si realiter distinguerentur: quod ait esse verum quoad omnia, præterquam quoad habitudines, quæ sequuntur rationes ipsas: compositio autem non consequitur essentiam, aut relationem, aut quamuis aliam perfectionem quoad ipsarum rationes, sed quantum ad ipsum esse: esse vero diuinum est simplex, & incompositum. Quæ solutio non est adæquata: nam, quamuis non omnis habitudo; quæ est inter duo re ipsa distincta, interueniat necessario inter eadem, si sola ratione distinguantur, datur enim habitudo causæ, & effectus inter sapientiam, & intellectum creatum, & inter proprietates, ac subiectum, quæ tamen nullo modo interuenit inter intellectum, sapientiamque diuinam, inter essentiam, &

Auerr.

attributa,

attributa, tamen habitudo, quæ consequitur modum ipsum distinctionis, nõ est cum negetur: at compositio sequitur distinctionem plurium adunatorum in vnum: quare si hæc ratio interuenit in ijs, quæ ratione distinguuntur, vt iam ostensum est, cur etiam non erit admittenda compositio eiusdem generis, cuius est multiplicitas? & ita quamuis compositio propria, ac realis non consequatur solas rationes formales, sed esse ipsarum distinctum: quandoquidẽ compositio per se tendit ad aliquod esse compositum: compositio tamen rationis sequitur ad rationes distinctas, quandoquidem non connectit plura secundum esse reale, sed secundum rationem, siue secundum esse intellectum. Addiderim licet plures rationes virtute distinctæ in Deo non vendicent aliud, atque aliud esse reale, nihilominus, sicut ipsæ ratione distinguuntur ita posse concipi sub esse virtute distincto: ita vt esse sapientiæ diuinæ, quatenus præcisè concipitur, vt actualitas sapientiæ distinguatur virtute ab esse iustitiæ, & sic in cæteris. Et quemadmodum in rebus creatis fit actualis compositio ex concursu plurium partium secundum aliud, atque aliud esse partiale, ita in diuinis erit compositio rationis propter distinctionẽ virtualẽ ipsius esse diuini pro multiplicitate rationũ formalium. Ex quo etiam sumitur responsio ad secundũ fundamẽtum Capreoli, dicendum vero est compositionẽ actualem fieri secundum esse actuale, compositionẽ vero rationis secundũ plures rationes virtuales eiusdẽ esse: & ideò, quamuis in diuinis non sit multiplex esse actuale, esse tamen plures rationes eiusdẽ esse, siue multiplex esse secundum rationem, quod est satis ad compositionem rationis. Primi vero dissolutio constat ex capite superiore, vbi dictum est ad compositionem rationis minimè necessariam esse rationẽ potentialitatis obiectiuæ, sed sat esse præcisionem vnius rationis ab alia secundum esse intellectum.

VII. Vt autem respondeatur ad auctoritatem Anselmi, oportet intelligere prius eius institutum eo loco: agebat autẽ contra quendam asserentẽ tres personas esse tres res, aduersus quẽ arguebat esse qũidẽ tres relatiuè, non autem secundum substantiam, ex hoc enim sequeretur esse tres Deos: deinde fingit responderi sibi ab eo, nõ esse tres Deos, quoniã tres illæ res simul sunt vnus Deus: contra quã responsionem arguit ex ea sequi Deum nõ dici singulariter de singulis personis, sed solum de omnibus tribus simul sumptis & consequenter esse compositum: atque adeò re, vel intellectu posse dissolui: & cum omne simplex sit præstantius composito, aliquid, quod non sit Deus, hoc est vnũ ex componentibus, erit supra Deum. Ex quo discursu manifestè cõstat D. Anselmum loqui de dissolutione per intellectũ fundata in distinctione ex natura rei: nã rerum actu distinctarum, & componentium vnam tertiã dissolutionẽ vel fieri potest re ipsa per separationẽ vnius ab altera, vel per intellectũ cõcipientem eas actu distinctas, vt re vera sunt, vt enim 12. Metaph. comm. 39. docet Auerr. intellectus natus est diuidere adunata in ea, ex quib' componuntur, quamuis non diuidantur in esse: sicut diuidit materiam à forma, & formã à composito ex materia & forma, quod fusius ibidem explicat, & ad eum modũ intelligendus est Anselmus. Et quoniam Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita suaptè natura sunt vnum, vt re ipsa separari nequeant, ideò addidit Anselmus, si sunt partes vnius Dei, & possunt per intellectum separari, aliquid esse simplicius, atque adeò perfectius Deo: cum itaque negat simplicia posse intellectu dissolui, loquitur de dissolutione adæquata distinctione obiectorum, non vero de distinctione rationis, quę cõsequitur ad diuersas eiusdẽ perfectionis apprehensiones: nam, qui vnã rationem formalem præcisè apprehendit, ex vi talis conceptionis eam non dissoluit à cæteris: conceptio quippe præcisiua de se non diuidit obiecta, nec diuisa supponit: & ideò rectè ait Auerroes vbi proximè cum cõsiderata fuerit dispositio, ac dispositũ in eis, quę non sunt in materia, tunc deduci ad vnam intentionẽ omnibus modis, & nullus modus erit, quo prædicatum distinguatur à subiecto, & dispositio extra intellectum, scilicet in essentia rei: itaque solam diuisionem, ac distinctionem excludit extra intellectum in ipsa rei essentia: quæ si nõ adsit, licet adsit distinctio per solum intellectum, erit vna intentio.

Anselm.

Auerr.

VIII. Ad argumentum sumptum ex auctoritate Philosophorũ dicendũ ex locis Auerr. & Auicen. solum colligi nõ dari veram, ac propriam multiplicitatem, & compositionem. Quod vero inprimis attinet ad primũ locum Auerr. dico in ea re non esse curandam auctoritatẽ eius, qui eodem commento carpit nostram fidẽ impugnans trinitatem, & ad hoc ferè institutum adducit verba ab Aureolo citata. Respondeo deinde ex toto discursu illius cõmenti cõstare ipsum loqui de additione intentionis iuxta modum, quo in nobis adduntur subiectis intentiones, siue prędicata re ipsa distincta: & hanc additionẽ negare non vero eam, quæ sit per solum intellectum, cùm ibidem per-

Auerr.

spicuè concedat multiplicitatem, ac differentiam in diuinis non quidem in esse, sed secundũ intellectum. Deinde vero respondeti potest primo principio, siue Deo, quatenus intelligitur subsistens secundũ suam rationẽ formalem adæquatam, nihil omnino additũ intelligi posse: id enim iam esset extra naturam diuinam, atque adeò cum ea compositionem faceret: cùm vero esset extraneum, & accidens, nõ semper Deo competeret, ideoque ex Deo, & eiusmodi intẽtione addita fieret aliquid nouum, quod repugnat: at in cõpositione rationis, de qua loquimur, componẽtia sola ratione distincta non sunt aliquid extra Deum, sed sunt ipsemet Deus conceptus sub ratione aliqua formali inadæquata. Secundus itẽ locus est similiter intelligẽdus de multiplicitate reali, ne dicamus Commentatorem sibi contradicere: nã lib. 12. Metaph. com. 39. concedit multiplicitatẽ in Deo solũ secundum differẽtiam in intellectu, & nõ in esse, verba autẽ illa: *Nec propter alietatem intellectus, & intellecti, nec propter multitudinem intellectorum*, non faciunt sensum, quem arguens intendit: nõ enim hæc ait Auerroes ad excludendam distinctionẽ rationis ortã ex multiplicitate conceptuum, sed ad excludendã distinctionem actualem, quæ in intellectu creato cernitur inter ipsum, & obiectũ intellectum secundũ esse intentionale, quod habet, vt patet ex verbis, quę statim subdit: *Multitudo enim intellectorũ in eodem intellectu, sicut est in intellectu in nobis, consequitur alietatem, quæ inuenitur in eo, scilicet alietatem intellectus, & intellecti in nobis*, quia scilicet in nobis non est idem intelligens, & intellectũ, vt in Deo, in nobis enim distinguitur intellectus, species obiecti, & intellectio: item si multa intelligamus, plures species & intellectiones habemus: at in Deo, cùm idẽ sit intellectus, intellectio, & id, quo intelligit, ob diuersitatẽ obiectorum, nõ sequitur multiplicitas actualis, vndè patet testimonium hoc nõ facere ad institutum Aureoli. At vero ex testimonio Auicen. solum colligitur proprietates diuinas nõ facere multitudinem actualem: nam, si non facerent aliquam multiplicitatem rationis, ineptè dicerentur in plurali numero proprietates: & idcirco Auicen. proprietates appellans distinctionem rationis indicat, & negans facere multitudinem, consequenter negat eam distinctionem esse realem.

IX. Ad primum argumentũ respondeo simplicitatem omnino irresolubilem in plures rationes formales sola virtute distinctas nõ esse perfectissimã, imò valdè imperfectã: nam, quemadmodũ perfectio vnitatis diuinæ nõ cõsistit solum in eo, quod sit indiuisa, sed quod cũ perfectione æquipollente omnib⁹ perfectionibus creatis actu distinctis, sit summa indiuisio, ita etiã perfectio simplicitatis nõ consistit in sola negatione compositionis actualis, sed in negatione compositionis cũ summa perfectione diuina superante perfectionẽ omnium compositorum: & ita, quamuis quoad negationẽ actualis compositionis nõ sit excessus Deitatis supra rationes aliquas creatas, siquidẽ vt ait D. Thomas in 1. d. 8. q. 5. art. 1. non quidquid deficit à simplicitate, incidit in compositionem, intellige passiuam, & intrinsecam, est tamẽ in eo, quod cum infinita perfectione retinet omnimodã simplicitatem, nec est in potẽtia ad alterum, vt sunt rationes illæ simplices, de quibus in argumento fit mentio: ita enim sunt simplices quoad entitatem, vt retineant compositionem potentialitatis, & cõsequenter aptitudinem, vt componantur cum alijs, vt docet idẽ D. Thomas, & alij. Ad secundũ respondeo, quemadmodũ id, quod est actu prius, componi actu nequit à posteriore, ita id, quod est ratione prius, nõ pati compositionem rationis cum posteriore: & hoc modo essentiam diuinam, quatenus cõcipitur precisè sub ratione subsistãtiæ, nõ pati compositionẽ rationis ex attributis. Verùm, quemadmodum apud nos homo re ipsa componitur cum sapientia, ex qua compositione resultat homo sapiens, ita Deus conceptus secundum præcisam rationem substantiæ, componi intelligibiliter potest cum sua sapientia, & ita ex duabus rationibus inadæquatis resultabit vna nempè Deus sapiens, qua nostro intelligẽdi modo est prior Deitas, quam sapientia. Verùm si ipsammet essentiam cõcipiamus, vt est forma adæquata Dei, nõ repugnat, vt mens nostra concipiat omnes perfectiones positiuas, & absolutas, quasi rationes essentiales intrinsecas ipsius, & ipsam quasi ex ijs compositam: secundũ quã considerationẽ singulæ per se cõsideratæ non re, sed virtute, & secundum rationẽ dici possunt priores, ad modũ ferè similem quo inter nos partes diffinitionis dicuntur priores definito: Et hoc modo perfectiones diuinæ nõ cõcipiuntur vt attributa, sed vt rationes essentiales intrinsecæ Deo, ad modum explicatum tract. 1. cap. vlt. contra quod nõ militat probatio assumptionis: nã secundum hanc considerationẽ perfectiones diuinæ non concipiuntur per modũ attributi, vt in argumento assumitur. Ad tertium patet solutio ex dictis non enim ad compositionẽ rationis est necessaria potentialitas, nec multiplicitas secundum intel-

S. Thom.

lectum

lectum dissoluit omnimodâ identitatem actualem eius, q̃ est, & quo est, vt superius dixi. Ad quartũ respondeo dupliciter aliquid dici imperfectũ secundum rationem, primum quidẽ ita, vt ratio obiectiua sit in se imperfecta, qua ratione in homine ratio animalis obiectiuè est imperfecta, deinde vero ita vt sola imperfectio sit ex parte intellectus inadæquatè, & imperfectè concipientis rem summe perfectã: prima potest dici imperfectio obiectiua, quæ repugnat Deo, nec est necessario cõiuncta cum compositione rationis, altera imperfectio secundum esse intellectum, quę interuenit in compositione rationis: & hæc nõ repugnat Deo, siquidem est formaliter in ipsis rationibus mẽtalibus, nec denominat Deum secundum esse actuale, sed secundũ est intellectum: non enim quia mens creata inadæquatis rationib⁹ apprehendit essentiam diuinam, ea dicitur in se imperfecta, sed solum imperfecte apprehensa: hoc vero nullo modo redundat in aliquem defectum eius, sed intellectus non percipientis ipsam conceptu perfecto, & adæquato.

Deus est summe simplex.

Caput XV.

I. EXplicata vtraque ratione simplicitatis diuinæ, quatenus negat componibilitatem actiuam & passiuam, restat, vt comparetur cum simplicitate rerũ creatarum. Inprimis autem videbitur esse creaturam magis simplicem Deo, quoniam in Deo est trinitas personarum realiter distinctarum, in Angelo vero non est vlla distinctio realis quoad substantialia; vbi vero est maior distinctio, ibi maior compositio. Præterea id videtur magis accedere ad simplicitatem, quod minus habet distinctionis: at creaturæ aliquæ minus distinguuntur, quã perfectiones attributales: ergo sunt magis simplices. Assumptio patet, quoniam distinctio solius rationis ratiocinantis est minor distinctione rationis ratiocinatæ, siue virtuali: attributa diuina admittunt hanc posteriorem, nonnullæ vero creaturæ solam priorem, vt patet in actuali existentia. Deinde suadetur esse æquè simplicem, quia sunt creaturæ carentes omni compositione intrinseca, siue passiua, & quoad hoc sunt æquè simplices, ac Deus: nam vbi negatio nõ permiscetur formæ oppositæ, nõ est penes illã magis, ac minus: si vero sunt capaces alicuius compositionis actiuæ, hęc etiam secundum aliquos modos nõ repugnat Deo, vt visum est supra, ergo non est, cur is dicatur simplicior eiusmodi creaturis.

II. Quoniam indignum est Deum quoad rationem aliquam perfectionis simpliciter cedere, aut saltem æqualem esse creaturæ, plerique ad huius dubij solutionem vim faciunt vtrũ simplicitas sit perfectio simpliciter. Affirmat Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. argumentum cum Lycheto ibidem, & in reportat. q. 2. ad 1. Durand. 2. p. distinctionis q. 1. ad 1. Andreas de Nouo Castro q. 2. ad 1. contra secundam Conclusionem. Maior q. 3. in fine, quia, vt ait D. August. Bernard. & Anselm. citandi num. 7. simplex perfectius est compositio: omnis vero perfectio, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa, est perfectio simpliciter. Contra vero negant Holkoth in 1. q. 6. ad 1. dubium Alliacens. q. 5. art. 1. lit. G. in fine, & Anton. Andr. q. 1. ad 1. quoniam plurimæ res compositæ sunt perfectiores simplicibus, vt mista elementis, compositum physicum suis partibus, & in vniuersum semper totum est perfectius partibus: ideoque teste Arist. 3. Phys. t. 66. hæ respectu illius habent rationem materiæ, totũ vero respectu ipsarum formæ, ijdem tamen Doctores concedunt simplicitatem, prout opponitur componibilitati esse perfectionem simpliciter. Verùm nisi vis fiat in ratione negationis, quã nonnulli, quos retuli cap. 1. num. 10. negant esse perfectionem simpliciter, & cõsequenter dicunt simplicitatem, vtpote attributũ negatiuum, talem non esse, nisi inquam vis fiat in negatione, & solum consideretur id, quod melius est cuiuis enti, quatenus ens est, absque dubio dicendum simplicitatem habere rationem perfectionis simpliciter: quoniam, vt ait Anselmus, simplex, quatenus simplex melius, ac perfectius est, quam compositum. Parum vero refert vtrum aliquod compositum secundum entitatem sit perfectius ex ratione alterius perfectionis simpliciter, nempè ratione complementi: nã ratio completi est etiam perfectio simpliciter; quia verò toti adest ratio completi, & parti ratio incompleti, idcirco totum, quatenus magis actuale, est perfectius parte: quod rectè notarunt Doctores superius citati: id vero non obstat, namque vt ait Anselm. in Monologio cap. 15. melius est esse sapientem, quam non sapientem, licet enim iustus non sapiens, sit melior quam sapiens non iustus, tamen non sapiens foret melior si esset sapiens, itaque si abstrahantur aliæ rationes, quæ accidunt simplici, & composito, & relinquatur sola ratio simplicitatis, & compositionis, semper ille est nobilior hac: partes vero sunt imperfectiores toto propter alia, non præcisè ratione simplicitatis, & compositionis; sed iam ad

Scot. *Lychet.* *Durand.* *Nouo Castro.* *Maior.* *Augustin.* *Bernard.* *Anselm.* *Holkoth.* *Alliacensis.* *Anton. Andr.* *Aristot.* *Anselm.*

ipsam comparationē veniamus: cuius duæ erunt partes: in priore dicam, num simplicitas aliquo modo conueniat creaturæ: in altera vtrum quoad aliquid possit æquiparari diuinæ.

III. Quod attinet ad priorem, dico primum, nullum ens creatum per se est expers componibilitatis cum alio, nonnulla tamen carent compositione reali ex alijs, non autem compositione rationis opposita simplicitati. Prima pars est communis Doctorum, quos referam num. 6. qui in eo maximè constituunt discrimen inter Deum, & creaturas, quod ille non sit componibilis cum alijs, hæ vero omnes maximè, & facilè conuincitur: quoniam creatura omnis vel est substantia, vel accidens, vtrunque vero horum est componibile, accidens quidē cum subiecto, substantia vero si est incompleta venit in compositionem completæ simul cum alia parte substantiali, si vero completa substat accidentibus, & cōsequenter venit in compositionem cum illis. Secunda quoque pars cōmunis est. Ita docent Alens. 1. p. q. 5. memb. 3. & 2. p. q. 12. memb. 1. Albert. 1. p. tract. 4. q. 20. m. 4. S. Thom. in 1. d. 8. q. 5. art. 1. & in 2. scripto q. 4. art. 1. S. Bonauent. art. 3. q. 2. Ægydius 2. p. secundæ partis principalis q. 1. Richard. art. 3. q. 2. Scot. q. 2. Aureolus q. 4. art. 3. Bassolis q. 2. art. 3. Mayron. q. 7. art. 1. 1. p. art. Holkoth q. 6. Conclusione 1. Andr. de Nouo Castro d. 8. q. 2. art. 2. propositione 2. Alliacens. q. 5. art. 1. lit. G. propositione 3. Gabriel. d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 2. Heruæus q. 2. ad secundum. Et probatur, quoniam in compositione omni reali, præterquam compositi quanti secundum partes proportionales, fit resolutio in partes componentes, nō compositas: atque adeò partes, in quas vltimo fit resolutio, nō sunt compositæ realiter ex alijs. Tertia denique pars sumitur ex ijs auctoribus, qui cum fateantur compositionē ex genere, ac differentia, essentia, & esse nō esse realem, eam tamen negant Deo tanquā eius simplicitati repugnantem: quod etiam aliqui asserunt de potentia, & actu rei omninò indistinctæ. At non est vlla omninò res, etsi re ipsa incomposita, & indiuisibilis, quæ saltem non habeat compositionem ex esse, atque essentia, potentia, & actu, nulla enim res creata essentialiter vēdicat ipsum esse: & ita cum id cadat extra essentiam, facit cum ea compositionem oppositam simplicitati. At dicet aliquis ipsum esse creatū nō componitur ex esse, & essentia, nec ex potētia, & actu, sed solum est esse, & actus: & proinde est immune ab omni compositione ex his: Respondeo inprimis assertionem intelligi de entibus, non vero de esse, quod est actus omniū entium. Respondeo deinde cū Alberto in 1. d. 8. art. 24. ad primum, Scot. q. 2. & Scotistis ibidē ipsum esse creatū componi, si non ex esse, & essentia saltē ex actu, & potentia. Ratio est, quoniā est dependens, ac participatū à causa prima: vbi vero est dependētia, & participatio necessario est ratio potentialitatis: nā id, quod dependet à causa efficiente respicit potentiam eius actiuam, nōnisi per potētiam passiuam, si nō realem ac physicā, saltē obiectiuam: & ita esse creatū antequā existat concipi potest solum in potētia logica, & obedientiali, vt sit: existens vero in potentia, vt conseruetur, ac permaneat: quod enim nō necessariò permanet, & potest permanere, habet potētiam passiuam saltē Metaphysicam, vt permaneat: quare, cùm ipsum esse, quodquod omniū actualissimū est, habeat in creatura admistā rationē potentiæ, omnis prorsus res, ac modus realis entis creati admittit compositionē ex actu, & potētia.

IV. Quod vero spectat ad alterā partē comparationis. Alliacens. in 1. q. 5. art. 1. lit. G. ait simplicitatem dupliciter accipi: nempè quatenus opponitur pluralitati, & compositioni: vtrique adhuc dupliciter opponitur: pluralitati vel excludēdo omnē prorsus multitudinē tā realem, quā essentialem, vel solum essentialem: compositioni vero excludendo compositionē ex his, & cū his. Hoc posito respondet essentiam diuinā nō esse primo modo simpliciter simplicem, quoniam admittit Trinitatem personarū realiter distinctarū: cui fauet dictū auctoris lib. de speculo cap. 20. vbi cum Deo loquens. *Tu vero*, inquit, *Trinitas Deitatis, personarū pluralitate multiplex*, & ita iuxta eum modū ait Alliacus Trinitatem nō esse tam simplicem, quā sit quæuis persona, quia essentia est plures res, nō autē persona: subdit tamen simplicitatem hoc modo sumptam non dicere perfectionē simpliciter, & ideò mirū non esse, si nō conueniat essentiæ diuinæ. Hic dicendi modus, tametsi materialiter sit verus posita acceptione terminorum, tamen non est verus formaliter, nec vsurpandus: quia cum Deus sit summe simplex, nō est absolutè concedendum deesse ipsi aliquid pertinens ad rationē simplicitatis, aut personā esse magis simplicem, quā sit essentia. Et D. Aug. lib. 6. de Trinitate cap. 7. contendit pluralitatem personarum non officere simplicitati. Quod etiam docent ex professo Alensis 1. p. q. 5. m. 2. Albertus 1. p. tract. 4. q. 20. m. 3. ad 4. Bonau. in 1. d. 8. art. 3. q. 1. & communiter omnes Scholastici fatentur in materia de Trinitate.

Et con-

Alensis. Albertus. S. Thom. Bonauent. AEgyd. Richard. Scotus. Aureol. Bassol. Mayronius. Holkoth. Nouo Castro. Alliacensis. Gabriel. Heruæus.

Albert. Scot.

Alliacensis.

Auctor lib. de spec.

Augustin.

Alensis. Albert. Bonauent.

Et confirmatur, quoniam simplici opponitur multiplex, vt patet ex Philosopho in Metaphys. verbi gratia duplex, triplex, quadruplex, &c. hæc enim sunt quasi species multiplicis: atque adeò, si propter Trinitatem personarum Deus recederet à simplicitate, diceretur triplex: id vero negat Augustinus ibidem: ex quo patet non admittendam locutionem auctoris libri de speculo, qui refertur inter opera Augustini, non tamen illius est, vt docti viri notarunt. Ratio vero traditæ doctrinæ, non est ea, quam reddit Gabriel. in 1. d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 3. volens vt pluralitas simplicitati opposita importet distinctionem realem, & essentialem plurium inter se, & à toto, quod integrant, nititur enim opinioni dubiæ de distinctione reali totius à partibus simul sumptis; ratio igitur est, quoniam non quæuis pluralitas opponitur simplicitati, sed ea solum, cuius vnitates admittunt compositionem actiuam, vel passiuam: singulæ personæ passiuam non habent, vt patet ex dictis, ad actiuam vero requiritur, vt vnitates coniunctæ faciant vnum ex omnibus simul vnitis resultans, ita vt singulæ non sint totum, quod sunt, sed integrent vnum constans omnibus ijs, hoc enim significat multiplex, nempè vnum constans multis: at singulæ personæ diuinæ sunt totum, quod sunt, completæ, ac perfectæ in ratione essentiali, ac suppositali: nec integrant, aut componunt Deitatem, sed in illa tanquam in propria natura subsistunt: & ideò Diuus Augustinus lib. 11. de Trinitate cap. 10. *hæc*, inquit, *Trinitas vnus est Deus, nec ideò non simplex, quia Trinitas*, & subdit rationem, quia non dicitur simplex ab vnitate personæ, sed ex eo, quod in ea est hoc ipsum, quod habet, excepto, quod relatiuè quæuis persona ad alteram dicitur. At inquies integrant tamen Trinitatem, cuius sunt partes: ternarius enim personarum constat singulis earum vnitatibus, atque adeò Trinitas non est simplex. Respondeo modum integrandi numerum non obstare simplicitati, quoniam vnitates non vniuntur, aut copulantur inter se tanquam partes vnius entis resultantis ex ipsarum coniunctione: & ita personæ diuinæ non aliter sunt vnum, quam eiusdem naturæ communicatione: ratio vero proprietatum, & hypostaseon sunt potius oppositæ, nempè relatiuè, quam coadunatæ in vnum aliquid ex tribus conflatum.

Augustin. *Gabriel.* *Augustin.*

V. Quod si comparetur Deus cum creaturis quoad compositionem ex partibus intrinsecis, censet idem Alliacensis, simplicitatem non esse illi propriam, sed communem cum creaturis: quia, vt supra dicebam, necessariò deueniendum est ad aliquas expertes omninò compositionis realis. Hoc dictum si intelligatur de simplicitate sumpta pro præcisa negatione compositionis passiuæ realis, verum est; Veruntamen etiam cum loquimur de simplicitate secundum hanc acceptionem, absolutè concedi debet Deum esse maximè simplicem inter omnes res: tum quia caret omni compositione rationis sonante imperfectionem, qua non caret creatura, vt antea dictum est, tum quia, vt de vnitate dictum est, perfectio simplicitatis non consistit in sola negatione compositionis, sed in connotatione entitatis simul cum negatione: &, quia Deus Optimus Maximus est pelagus perfectionis infinitæ, continens absque compositione vlla perfectiones omnes, quæ in creaturis nonnisi compositæ reperiuntur, est maximè simplex: nam in eo est essentia & esse, natura ac suppositum, vita & actus vitales, potentiæ & operationes absque vlla multiplicitate & compositione, in creatura vero nonnisi cum compositione. Itaque, si conferatur vita diuina cum creata, multo simplicior est, quam illa: quoniam vita creata componitur ex substantia & esse, inuoluit potentias & actus, & reliqua omnia, quibus homo viuit: diuina vero eas omnes perfectiones vnica simplici entitate complectitur: ideoque licet quoad puram negationem realis compositionis creatæ aliquæ sint omninò simplices, adhuc tamen absolutè dicendũ est Deum secundum rationé compositionis ex his esse magis simplicem omnibus creaturis. Quam doctrinã optimè, & clarissimè tradidit Richard. de S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 20. *Incomparabiliter*, inquiens, *& incomprehensibiliter, super huiusmodi omnes*, nempè vnitates, quas ante numerauerat, *constat hanc fore, quæ in infinitatis identitate habet summe simplex, & incommutabile esse: in illo itaq; summo bono, vniuersaliterq; perfecto vnitas vera, vnitas in illo summa, simplicitas in illo est vera, & summe simplex identitas. Ibi quod adhuc mirabilius est, vera vnitas cum plenitudinis vniuersitate, ibi summa simplicitas cum perfectionis immensitate, ibi summe simplex identitas cum totius consummationis infinitate, attende ergo quam sit incomprehensibilis, & omninò inæstimabilis simplicitas illa veræ, & summæ vnitatis.* Eodem videtur respexisse Commentator lib. 12. Metaphys. Comment. 17. cum dixit primum

Alliacensis. *Rich. Victor.*

mouens esse infinitæ nobilitatis, simplicitatis, & vnitatis: nam, si solam negationem compositionis attenderet, non erat cur simplicitatem Dei appellaret infinitam, respexit itaque ad infinitam nobilitatem, & perfectionem entitatiuam: ratione cuius simplicitas merito dicitur infinita, quatenus vna perfectio æquipollens infinitis componibilibus, ipsa in se absque vlla componibilitate est totum, quod est.

VI. Tandem, si fiat comparatio secundum negationē compositionis actiua, siue cum his, Deus solus est simpliciter, & absolutè simplex. Hæc est Alberti 1. p. tract. 4. q. 20. memb. 4. & 5. Alensis, Sanct. Thom. S. Bonauent. Ægyd. Rich. Scoti. Aureol. Mayron. Bassol. Gabriel. Heruæ. vbi supra Henr. in summ. art. 29. q. 8. Holkoth. q. 6. Conclusione 2. Andr. de Nouo Castro dist. 8. q. 2. art. 2. propositione 1. Dionys. Cistercien. quæst. vn. art. 2. Alliacen. q. 5. art. 1. lit. G. propositione 4. Maioris q. 3. in fine, Antonij Andreæ quæst. 2. Et patet ex dictis, quoniam creatura omnis est componibilis alteri realiter: quamuis autē sint aliquæ compositiones, quę non videntur reales, verbi gratia ex genere, ac differentia, ex potentia, & actu nō distinctis realiter, nihilominus eædem res componi possunt cum alijs à se realiter distinctis: verbi gratia animal, rationale, & omnes gradus Metaphysici hominis componuntur in Petro cum accidentibus: & ita non est vllum ens non componibile realiter alicui alteri: est & alia imperfectio rerum hoc modo componibilium: quoniam eiusmodi aptitudo prouenit ex defectu perfectionis propriæ, quę suppletur accessu alterius rei: verbi gratia humanitas ita est perfecta in suo genere, vt careat, & indigeat perfectione accidentium, quorū habet naturalē appetitum: at Deus secundum se consideratus nō est indigus vllius perfectionis alterius à se, ideoque nō habet naturalem ordinem, aut appetitū, vt componatur cum alijs. Quod si in mysterio incarnationis Verbum diuinū quodammodo componitur cum humanitate tanquam suppositū cum natura, is modus compositionis ineffabilis non officit perfectioni simplicitatis diuinæ: plurimū namque distat à modo, quo suppositū creatum componitur cum tota natura, nempè ex indigentia vtriusque: naturæ quidem vt terminetur, atque subsistat: suppositalitatis autē, vt habeat fundamētum suæ subsistentiæ, quæ esse nequit absq; natura, cuius modus, & terminus est. Præterea nec suppositalitas per se sola, neque natura creata est vnum simpliciter perfectū in genere substātiæ, sed suppositū ex vtraque coalescens: & ita natura, & suppositalitas creata respectu suppositi subeunt veram, ac propriam rationē partis: nō enim inconueniens est, vt quod est completum in genere naturæ habeat rationē partis respectu suppositi constituti ex illa, & modo suppositalitatis. At in mysterio incarnationis Verbum diuinum, quod supplet vicem suppositi creati, non eget ope alienæ naturæ, vt subsistat: neque ipsa habet rationem entis incompleti, sed permanet totum completum, atque perfectum: & ideò non dicitur propriè pars nec componibilis alteri compositione opposita simplicitati.

Albert. Alensis. S. Thom. S. Bonauent. Ægyd. Richardus. Scot. Aureol. Mayronius. Bassol. Gabriel. Heruæus. Henricus. Holkoth. Nouo Castro. Cistercienſis. Alliacensis. Maior.

VII. Ex his constat Deum absolutè, & absque distinctione esse summe simplicem super res omnes creatas. Quod fusè per varia rerum simplicium genera discurrendo ostendit Albertus 1. p. tract. 4. quæst. 20. m. 2. & 4. & in 1. d. 8. art. 24. & adeò verum suppositum Augustinus, vt solum Deum absolutè simplicem vocet, creaturas autē comparatè, vt patet lib. 11. de Ciuitat. cap. 10. est, *solùm bonum simplex. quod est Deus: & ob hoc solum incommutabile est, ab hoc bono creata sunt alia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia,* & lib. 6. de Trinit. cap. 6. ex instituto probat solum Deum esse simplicem, & Bernard. serm. 80. in Cant. *Sola,* inquit, *summa, & increata natura; hanc sibi vendicat meram, singularemq; suæ essentiæ simplicitatem, vt non aliud, & aliud inueniatur in ea,* fundamentum huius est, quoniam Deo tribuendum est id, quod est melius, ac perfectius: & consequenter etiam concedendus excessus in omni perfectione cum creatura aliquo modo communi: at vt ait Bernard. lib. 5. de consideral. cap. 7. *Natura simplex multiplici antefertur.* & Anselmus in Monologio cap. 17. & de incarnatione Verbi cap. 6. *Omne simplex, qua simplex est perfectius composito,* & vt ait Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 11. *pluris perfecto habendum est id, quod diuidi non potest: præponamus igitur necesse est, & quod minus diuidi potest: omninò ergo præponendum est, quod omninò diuidi non potest, & omni compositione caret.* Idcirco autem simplicia præstant compositis, quoniam quatenus simplicia, magis entia sunt: vt enim ait Augustinus de moribus Manichæorum, cap. 6. *nihil aliud est esse, quam vnum esse:* & ita, quæ magis vnum sunt, magis sunt: quæ vero sunt vnum simplicitate, sunt magis vnum, quam quæ compositione. Hanc rationem videtur attigisse Hugo de Sancto Victore in cap. 7. cœlestis hierarchiæ his verbis: *Vnum collectione dicitur, & vnum compositione, & vnum similitu-*

Albert. Augustin. Bernard. Anselm. Augustinus.

similitudine: quæ omnia, quia non totũ quod sunt, vnũ sunt verè vnũ non sunt, & vnitatis nomen similitudine tantũ mutuantur, non proprietate: diuinæ aũt naturæ, cuius est vnũ esse, & simplex esse totum q̃ est verè vnũ esse est: & ideo rectè nõ solũ monas, sed enas quoq; appellari debuit, quia vnitas eius in veræ eiusdem, atq; indiuisæ substantiæ semper simplicitate subsistit. Itaq; magis est id, quod est, res simplex, quam composita: quia simplex est totum suum esse: nihil enim in ea est, quod non sit ipsa: composita vero non est totum, quod est, imo singulæ eius partes non sunt idem, quod ipsa: atque adeo, cum Deus sit idem, quod ipse perfectissimo modo, quo esse aliquid potest, necessarium est, vt sit simplicissimus: & excedat omnem modum simplicitatis repertum in creaturis.

VIII. Ad primum respondetur non quamuis distinctionem arguere compositionem passiuam: sed eam, quæ intercedit inter plura concurrentia ad constandum vnam entitatem: & consequenter solam hanc, si sit maior, arguere maiorem compositionem, ac distantiam à simplicitate. At pluralitas personarum diuinarum non componit vllam entitatem vnam: in diuinis enim non est alia vnitas communis tribus: quam vnitas essentiæ: hæc autem non componitur ex personis, quæ ratione eius sunt vnum secundum essentiam: ideoque eiusmodi pluralitas, ac distinctio non inducit vllam compositionem: & propterea, quamuis sit maior quam distinctio reperta inter prædicata substantialia Michaelis, non proinde arguit maiorem componibilitatem, & distantiam à simplicitate. Ad secundum respondeo solam distinctionem rationis virtualem non repugnare simplicitati diuinæ: imo magis illam commendat, quatenus indicat infinitas perfectiones in creaturis multiplici distinctione compositas conuenire in Deo in vnã simplicem, & indiuisam entitatem; Quin vero nulla est creatura, quæ in ipsa distinctione rationis non inuoluat aliquam imperfectionem, vt patet in ipsa existentia in argumento adducta: hæc enim, vt est actu in hoc momento cum aptitudine, ac indifferentia ad permanendum in sequenti tempore, est cõposita saltem Metaphysice ex actu, & potentia. Ad tertium dicendum est, licet aliquæ creaturæ careant omni compositione reali intrinseca, omnes tamen habere compositionem ex actu, & potentia, & alijs similibus, quæ in Deum minime cadunt. Deinde vero omnes esse componibiles alteri vera, & reali compositione propter imperfectionem, ac limitationem propriæ entitatis intrinsecæ: Deus autem, tametsi in ratione suppositi venire possit in compositionem compositi ineffabilis, ea tamen non est proprie compositio, nec supponit imperfectionem in Deo, nec vllo modo repugnat eius omnimodæ simplicitati.

TRACTATVS QVINTVS, DE IDENTITATE PERFECTIONVM diuinarum.

IDentitatem esse quandam essentiæ vnitatẽ docuit Philosophus lib.5.Met.c.9.tex.16. quod non est intelligendum formaliter, quasi identitas sit priuatio, siue indiuisio, sed materialiter quoniam in vnitate fundatur: & ideo lib.10.tex.10.ait idem Arist. idem, simile & æquale pertinere ad vnum: ad multitudinem vero diuersum, dissimile, & inæquale. Ex quibus constat idem, atque diuersum opponi suo modo secundum indiuisionem, ac diuisionem: quæcumq; enim idem sunt, quatenus talia, subeunt indiuisionem sub aliqua ratione, qua conueniunt: diuersa vero diuisionem: & ideo post tractatum de vnitate, & simplicitate diuina, quæ in negatione consistunt, sequitur, vt dicam de identitate, ac diuersitate perfectionum diuinarum, quæ sunt respectus fundati in vnitate, vel multitudine, & quamuis diuersa à multis dicantur solum ea, quæ seipsis primo distinguuntur, quin conueniant in ratione aliqua vniuoca, tamen diuersum, quatenus est oppositum eiusdem, vt docet Arist.cap.9. cit. sumi debet latius, vt comprehendit etiam ea, quæ proprie differunt: nam Alexander, & Bucephalus proprie differunt, & tamen quatenus non sunt eiusdem speciei, dicuntur etiam diuersi secundum speciem. Verum causa vitandæ æquiuocationis omittam nomen diuersitatis, & vtar nomine distinctionis, quo Theologi communiter vtuntur. Quoniam vero magna est inter Theologos controuersia de natura distinctionis, & de varijs generibus illius, præmittendum breuiter est quid sit identitas, quid distinctio, & quot vtriusq; modi.

Aristoteles.

Aristot.

(.·.)

Quid, & quotuplex sit identitas, ac distinctio.

Caput I.

I. IDentitas, vt paulo ante perstrinxi, aut sumitur materialiter, aut formaliter: sumpta formaliter est relatio inter extrema conuenientia sub ratione aliqua essentiali: ideo enim Philosophus lib. 5. Metaphys. cap. 15. t. 20. idem numerat inter relata & ait, *eadem esse quorum substantia vna*: quia sicut similitudo est conueniéntia in qualitate, ita identitas in substantia, hoc est essentia. Materialiter vero est vnitas, siue indiuisio in ratione substantiæ, siue essentiæ, quoniam identitas sumpta relatiue habet pro fundamento, siue ratione fundandi modum aliquem vnitatis, vt docet Henric. in summ. art. 51. quæstio. 1. ad 1. principale, Bassol. in 1. d. 22. quæstio. 4. art. 2. §. 1. & Mayronius d. 8. quæstion. 7. artic. 2. prima parte articuli: ob hoc enim Philosophus vbi proxime ait *eadem esse, quorum substantia vna*. Si vero sumatur pro indiuisione ipsa, tunc est modus vnitatis, vt constat ex eo, quod ait Philosophus eodem libro cap. 9. text. 16. *identitas vnitas quædam essentiæ est*. Consistit autem in indiuisione plurium vel eiusdem sub aliqua ratione, vt enim ait Aristoteles loco citato, possumus vti vno, vt pluribus, cum aliquid idem sibi esse dicimus. Identitas hoc modo sumpta est negatio diuisionis duorum extremorum ab inuicem sub vna aliqua ratione: quo modo homo, & equus sunt idem genere, quoniam animal est quidem diuisum in eis specifice, non tamen generice. Eius modos, seu species tradit Philosophus vbi proxime: nam quædam sunt idem secundum accidens, nempe ea, quorum vnum non est de ratione alterius, sed alterum accidit alteri, aut vtrumq; vni tertio: qua ratione Socrates, & Philosophus sunt idem per accidens, quoniam Philosophus accidit Socrati: item album, ac dulce, quoniam vtrumque accidit lacti. Alia sunt idem per se, nempe quæ habent indiuisionem in aliqua ratione per se, vt homo & equus idem genere, Socrates & Plato idem specie, Socrates idem numero secum ipse: identitatem per se diuidit Philosophus in tria mẽbra: asia namq; sunt eadem, quia constant eadem specie materia, alia eadem numero: alia, quorum substantia vna: quo vltimo membro complecti voluit omnem alium modum identitatis distinctum ab his duobus: quæcumque enim conueniunt in vna ratione intrinseca substantiali, licet careant materia, sunt idem inter se, vt substantiæ separatæ in ratione essentiæ, Gabriel secum ipse in propria, indiuiduaque natura.

Aristot. *Henricus.* *Bassol.* *Mayron.* *Aristotel.*

II. Diuersitas autem, siue distinctio est identitati oppositа, vt ait Philosophus t. 16. citat. *diuersum dicitur oppositè ad id, quod idem dicitur*, ac proinde vel sumitur formaliter pro relatione fundata super diuisionem, & separationem duorum extremorum, vt sumit Henric. citat. & Mayron. in 1. d. 8. quæstion. 1. artic. 1. vel fundamentaliter, & est diuisio plurium per diuersas rationes, vel formas entitatiuas, aut negatiuas: diuisio enim separat, ac distinguit ea, quibus conuenit: ita vt vnum non sit alterum sub eo nomine, ac ratione, quibus distinguitur: hoc modo Socrates, & Buccephalus distinguũtur specie, quia neuter est idem specie animal cum altero. Hæc vero diuisio non est realis, sed similis ei, quæ reperitur in multitudine: diuersitas enim ad multitudinem spectat, vt identitas ipsi opposita ad vnitatem, vt ait Philosophus lib. 4. Met. t. 4. diuisio vero ad multitudinem pertinens negatione continetur, quatenus scilicet datur hoc, & hoc, quorum neutrum est aliud, & ita distinctio necessario supponit hoc, cui inest negatio alterius: vnde sumpta est regula, qua vtitur D. Tho. in 1. d. 5. q. 1. ar. 1. ad 1. & d. 34. q. 1. ar. 1. ad 2. & alij Doctores, nimirũ, quamuis distinctionem sufficere ad affirmationem & negationẽ, necessario enim includit vtramque: datur enim extremum distinctionis, quod est ipsum: & ideo potest de se vere affirmari, & non est aliud, & consequenter potest de illo negari. Diuersitatem siue distinctionem identitati oppositam similiter, ac illam diuidit Philosophus loco cit. his verbis: *sunt enim diuersa, quorum sunt species plures, aut materia, aut substantia*: nomine vero substantiæ essentiam, siue rationem essentialem intelligit, vt patet ex cap. 6. eiusdem libri, vbi fere similes diuisiones tradit vnitatis, ac multitudinis: & inter genera vnitatis vltimo loco retulit vnum ratione, & in fine exponens multitudinem illi oppositam dixit quædam dici multa, eo quod rationẽs quod quid erat esse dicentes plures sunt: ex quo patet distinctionem, quam aliqui essentialem vocant, non abhorrere à modo loquendi peripatetico.

Henricus. Mayron. *Aristoteles.* *S. Thom.* *Aristot.*

III. Verum Theologi propter perfectiones diuinas, & ineffabile mysterium Trinitatis non contenti his distinctionibus alias diuisiones distinctionis tradiderunt: in primis autem diuidunt distinctionem in realẽ, &

ratio-

rationis, q̃ est fere cómunis sentẽtia Theologorũ. In præsenti tractatu solũ agẽdum erit de distinctione ex natura rei, & identitate illi opposita; est vero identitas indiuisio actualis sub ratione aliqua positiua, diuersitas autem, siue distinctio consistit in diuisione actuali entitatis vnius ab altera, ita vt ante omnẽ actum mentis vna non sit altera. Verum, quemadmodũ est multiplex identitas, ita & distinctio: sunt enim eadem, vel distincta subiecto, genere, specie, & numero, qui modi distinctionis sunt manifesti, in rebus per se existentibus, facile enim dignoscitur distinctio plantæ ab animali, hominis ab equo, Petri à Paulo: at quando sunt res necessario connexæ in eadem substantia indiuidua, ita vt naturaliter separari nequeant difficillimum est internoscere sint ne actu distinctæ ex natura rei, nec ne, vt constat in potentijs animæ inter se, & cum anima ipsa comparatis, de quorum distinctione, vel identitate reali est problema Philosophicum. Et quoniam hęc præmitto ad discernendam identitatem, aut distinctionem perfectionum diuinarum, quæ inter se, & cum essentia diuina inseparabiliter cohærent, opus erit tradere veram, ac propriam rationem distinctionis ex natura rei, quam alij communiter realem vocant. Non curo autem de relatione ipsa distinctionis, vtrum sit realis an non, quam respiciens Mayron. in 1. d. 8. qu. 2. & Bassol. d. 2. quæst. 4. art. 2. §. 1. aiunt diuina attributa, quamuis non habeant identitatem formalem, non tamen esse distincta, quia non habent relationem distinctionis realem. Verum Doctores communiter non curant de relatione, sed de fundamento ipsius, & ex illo dicũt rem distingui realiter, si à parte rei ante omnẽ actum intellectus est diuisum ab altero extremo distinctionis: qua ratione Deus distinguitur realiter ab Angelo, nec habet relationem distinctionis realem, verum quidem esset, si extrema sint capacia relationis realis, eam semper interuenire, quoties realiter distinguuntur vt docet Mayronius in 1. d. 8. qu. 1. art. 1. ad finem, & qu. 2. & alij, sed ad quæstionem Metaphysicam, vel Theologicam id parum refert.

Mayron. Bassol.

IV. Traduntur autem ab Authoribus nonnulla signa ad discernendam distinctionem realem ab ea, quæ est per solum intellectum: primum, ac præcipuum est, cum vtrumque distinctionis extremum potest seorsim ab alio existere, ita vt vtrumque separatum ab alio cohæreat, quod sumitur ex Bernard. serm. 80. in Cant. & vsurpatur communiter à Theologis. Et ratione patet quoniam nihil à se ipso diuisum esse potest, ratio enim vnius, quod est passio entis, in indiuisione consistit: & ideo omne ens est indiuisum à se, non solum quia habet necessario annexam priuationem negationis sui ipsius, verũ etiam quia re ipsa disiungi nequit, ita vt sint duæ entitates seorsim sũptæ cum mutua negatione sui, hoc enim modo intelligendum est signum traditum: nam si quomodo per miraculum eadem res simul sit in duobus locis, non est indicium distinctionis realis, quoniam eadem in vno loco erit idem sibi ipsi existenti in altero: non enim per distantiam localem impeditur identitas. At signũ intelligitur, quando interuenit aliqua distinctio, & res sub ea distinctione existit seorsim, ita vt ratio formalis, secundum quam est distinctio, non sit vtrobiq;. Debet etiam intelligi de rebꝰ secundum existentiam singularem, quam habent actu in rerum natura: namq; secundum rationes cõmunes non repugnat idem esse seorsim in pluribus actu disiunctis, sicuti ratio animalis est in Alexandro, & Bucephalo, quod non est signum distinctionis actualis rationis genericæ præcisè sumptæ: esset autem, si animal secundum entitatem singularem, quam habet in Alexandro, posset ab eo seorsim existere, & vice versa Alexander sine singulari illa entitate animalis. Alterum signũ huic affine sumptum ex Arist. lib. 7. Topic. cap. 1. loco 15. & Augustin. libr. 6. de Trinitate capit. 6. est, si extrema, quamuis re ipsa nequeant simul esse distincta, tamen ita se habent, vt alterutrum possit manere desinente altero, aut incipere illo non incipiente, sunt distincta ex natura rei, quod aliqui recentiores extendunt etiam, quando vel vnum tantum possit conseruari absque altero. Quod non probant aliter, quam rationibus ijsdem, quibus præcedens signum ostendi solet.

Aristoteles. *Augustin.*

V. Vt autem incipiam ab hoc posteriore signo, id vero quoad vltimam eius partem non videtur verum absolute, & sine distinctione, vt proponitur: ex eo enim sequitur in diuinis actibus liberis esse duas entitates reipsa distinctas, quod nemo Theologus admiserit, vt suo loco patebit, consequentia probatur, quoniam actus liberi Dei includunt entitatem essentiæ diuinæ, & actuum necessariorum: & secundum suam rationem considerati poterant non esse existente diuina essentia, & actibus necessarijs, nec satisfit dicendo, post quam semel sunt, non posse non esse, quoniam hoc non prouenit ex idẽtitate, aut necessaria connexione cũ essentia, sed ex immutabilitate

diuina:

diuina: & si consideretur essentia in eo priore, quo Deus concipitur liber ad volendū hoc, vel illud, non habet rationem formalem actus liberi, & potest ipso carere, vt de facto caret plurimis, quos potuit habere: ergo voluntas diuina ita se habet ad suos actus, vt ipsa necessario sit, siue illi futuri sint, siue non: atque adeo admittit separationem ab illis non mutuam, hoc est existentiam sine illis, & consequenter, si vltima pars signi est vera, distinguitur ab illis ex natura rei. Quapropter adhibenda est aliqua moderatio: pro qua animaduertendum est rationes formales, secundum quas resultat aliqua distinctio, quasdam esse absolutas ab omni respectu, & connotatione, quasdam respectiuas accedēte connotatione alterius rei: priore modo se habēt quantitas & figura, posteriore actio, & passio, q̄ in suo cōceptu includunt habitudinem ad aliquid extrinsecum, nempe actio ad principium efficiens, passio ad subiectum recipiens. Hoc posito dicendum est, si rationes formales sint respectiuæ, aut connotatiuæ, non necessario ex prædicto documēto colligi distinctionem ex natura rei actualem inter ea, quæ admittunt separationem non mutuam, colligi vero si rationes sint absolutæ. Prior pars constat, quoniam ratio respectiua, & connotatiua desinit dimnente termino respectus, aut connotationis, etiamsi nihil entitatis pereat ex parte rei fundantis respectum, aut connotationem, qua ratione illi, qui censent actionem, & passionem non distingui ex natura rei à termino formali ipsarum, dicunt posse manere calorem non manente calefactione, quoniam calor per se solus absque respectu ad agens non est, aut dicitur actio. Dices hic supponi, quod est probandum, nempe actionem non distingui ex natura rei, à termino, quod alij negant. Verum nihil eiusmodi supponitur, sed solum ostenditur, quomodo si rationes sint respectiuæ, aut connotatiuæ, signum superius traditum non est certum, quoniam cum respectus sit indifferens ad esse reale, ac rationis, fieri potest, vt sit respectus rationis, & desinat manēte subiecto, ac fundamento, ob solam desitionem termini: & ita, si ratio, secundum q̄ sumitur diuersitas, est respectiua ex eo, quod res secundū vnā maneat & secundū alterā corrūpatur, non pōt sumi certum argumentum distinctionis ex natura rei. Posterior pars ostenditur, quoniam quando eadem res secundum suam entitatem substat pluribus rationibus formalibus absolutis, fieri nequit, vt salua re desinat vlla ex ijs rationibus, aut vice versa: nam rationes eiusmodi, quamuis re ipsa non distinguantur, sunt tamen reales, exempli gratia, etiam de sententia negantium gradus Metaphysicos distingui ex natura rei, rationalitas, animalitas, vita, sunt prædicata realia, nam cum dico Socrates est viuus prædico de ipso aliquid reale absolutum absque respectu, aut connotatione ad terminum extrinsecum: quare salua individua entitate complectente omnes eiusmodi rationes, fieri nequit, vt aliqua ipsarum desinat altera manente, alioquin entitas illa per se sola, & absolute sumpta non erat sufficiens fundamentum omnium illarum rationum: nam, si non distinguuntur manente vna manet entitas, quæ est illius fundamentum, ergo si manente vna desinit altera, entitas absoluta per se sola non erat sufficiens fundamētum ipsarum, & consequenter erit opus alia entitate distincta ex natura rei.

VI. Hæc duo signa ad modum explicatum sunt sufficientia ad indicandum ea, in quibus reperta fuerint, distingui ex natura rei. Nondum tamen constat, an sit propria illis, ita vt omnia, & sola ea, quæ ita separari possunt, distinguantur ex natura rei: & consequenter, quæ non possunt, sint idem: an vero conueniant quidem solis rebus ex natura rei distinctis, non tamen omnibus. Quidam recentiores videntur existimare hęc signa recurrere cum distinctione ex natura rei: maxime, si attendamus potentiam diuinam, quę enim alia causa esse potest, cur duo respuant separationem saltem non mutuam, ita vt ne à Deo quidem separari queant, quam omnimoda identitas ex natura rei? Verum id neq; naturali lumine perspicuum, neq; certum, neque philosophantibus vtile est, non perspicuum, quia præter identitatem possunt esse aliæ causæ cōnexionis mutuæ, & inseparabilis, vnde enim constat non dari duas aliquas res habentes mutuā dependentiam, aut connexionem essentialem, ita vt neutra sine altera nullo modo possit existere? quomodo se habent actio, & passio de mente eorum, qui eas volunt ex natura rei distingui: itē cōseruatio actiua Dei manutentis creaturam in suo esse, & creatura ipsa: neutra enim sine altera potest existere, nec desunt, qui velint eas suapte natura distingui: & ita signum hoc non est certū, quatenus habet non distingui ex natura rei, quæ nō patiuntur separationē saltē non mutuam, quoniam habet multas instantias in diuersis opinionibus, vt patet in allatis exēplis, itē in toto, ac partibus simul sumptis, atq; vnitis: q̄ de multorū sententia di-

tia distinguuntur realiter, nec tamen totum potest esse sine partibus, aut illæ inter se coniunctæ, quin sit totum, atque ita Bernardus serm.80.in Cantic. docet multa distingui ex natura rei, quæ tamen separabilia non sunt. Denique nec est vsui philosophantibus: nam exceptis accidentibus in Eucharistiæ Sacramento, quæ diuina virtute conseruantur absque substantia panis, & natura humana Christi Domini, quæ est absque propria personalitate creata, non scimus alia diuina virtute separata, nec possumus scire vtrum aliqua separari possint, nisi simul sciamus esse distincta ex natura rei: nam, si hoc dubium fuerit, illud quoque sub dubio erit, quare ex necessaria, & indissolubili connexione duarum rationum formalium non colligitur realis identitas, sicut ex reali separatione etiam non mutua colligitur distinctio realis.

VII. Ex quibus colligitur non esse firmum fundamentum, quo ijdem recentiores probare nitũtur dari certum signum, quo discernatur distinctio rationis ratiocinatæ, & identitas ex natura rei. Aiunt autem, vbi est diuersitas formalis in conceptibus obiectiuis, sat esse ad iudicandum esse distinctionem solius rationis, & non ex natura rei, quando non adest vllum signum ex assignatis. Probant vero, quoniam non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: quare, cum sola distinctio conceptuum non sit satis ad arguendam distinctionem ex natura rei, quoties illi non accedit signum aliquod maioris distinctionis, iudicanda erit distinctio rationis, & non rei: ex quo inferunt quando duo ita re ipsa copulata, atque connexa sunt, vt in indiuiduo sint prorsus inseparabilia, tam mutuo, quam non mutuo, tam naturaliter, quam per diuinam potentiam, tam quoad esse, quam quoad vnionem inter se, esse fere certum argumentum, non distingui actu, sed sola ratione ratiocinata: idq; præter rationes iam perstrictas, probant inductione: quoniam Petrus, homo, animal, & cætera prædicata, prout re ipsa sunt in Petro, non distinguuntur ex natura rei, item ratio superior & inferior, synderesis, memoria, & alia attributa intellectus sunt idem ex natura rei, neque possunt vllo modo, etiam diuinitus, separari. Ad hoc respondetur solum probari, si non adsit vllum ex traditis indicijs distinctionis ex natura rei, non haberi certum fundamentum eam astruendi, non tamen hoc ipso constare illam minime dari, quoniam multa sunt in re ipsa, quorum rationes, & fundamenta nos latent: & idcirco ex eo, quod desint ea signa, non constat certo distinctionem esse tantum secũdum rationem: maxime quia signa ea non traduntur ab Autoribus tanq; mutuo conuertibilia cum distinctione ex natura rei: sed solum ex parte sua cum ea necessario connexa, quamuis distinctio ipsa non habeat necessariam connexionem cum signis, imo possit esse sine illis. Nec inductio est sufficiens, tum quia gradus metaphysicos non distingui actu ex natura rei, non est ita certum quin sit problema inter Philosophos, tum quia licet admittantur duo illa exempla, in alijs non erit eadem ratio, vt constat in exemplis supra allatis, & alijs, quæ iuxta diuersas sententias adduci possunt.

VIII. Vt autem statuam verum discrimen inter distinctionem ex natura rei, & secũdum rationem, recolendum est id, quod ait Arist. li.4.Met.ca.7.t.27. ex eo, quod res est, aut nõ est, propositio est vera, vel falsa, ex quo patet veritatẽ assertionis mentalis affirmantis niti idẽtitate obiectiua extremorũ negantis vero nõ identitate, siue diuisione eorũdem, idcirco enim propositio negatiua dicitur diuisio, quia separat, ac diuidit extrema, eaq; de causa, si obiectiue non sunt diuisa, est falsa, vera autem, si sint diuisa. Cum vero multiplex sit distinctio, & identitas ex natura rei, scilicet generica, specifica, numerica, ad negationem veram sufficit quæuis distinctio: ad affirmationem vero non satis est quæuis identitas: nam plurima sunt idem genere, ac specie, quæ tamen falso de se prædicantur. Itaque ad veram affirmationem opus est identitate numerica, siue quoad formale significatum, siue quoad connotatum: quod dixerim propterea, quæ sunt idem subiecto, & dicuntur denominatiue, hæc enim conueniunt numerice in subiecto connotato, & nihilominus differre possunt secundum rem, cætera vero, quorum est identitas singularis omnimoda ex natura rei, vere de se inuicem affirmari possunt: nam ex eo quod res est propositio est vera: at cum non est vlla distinctio ex natura rei, sed solum secundum rationem, obiectum significatum per nomen, cui respondet vna ratio, est idem omnino cum obiecto significato per nomen, cui respondet altera: ergo si componantur conceptus respondentes illis nominibus, propositio affirmatiua erit vera. Nam si hoc est omnino idem cum illo, verum erit dicere hoc est illud, sin autem non est illud, vel se toto distinguitur ab

illo,

illo, vel includit aliquid ex natura rei distinctum, quod non includatur ab illo. Et ita colliguntur oppositæ proprietates distinctionis, & identitatis ex natura rei, distinctionis quidem vt eorum, quæ vere distincta sunt, vnum vere, ac proprie de altero negetur: identitatis autem vt eorum, quæ sunt omnino idem ex natura rei, vnum vere, ac proprie de altero affirmetur.

Ocham. *Gabriel.* *Alliacens.* Huius sententiæ sunt Ocham. in 1. dist. 2. q. 1. à lit. D. Gabriel. q. 1. art. 1. & ar. 3. dub. 1. & 2. Alliacens. quæstion. 6. art. 2. lit. M. & N. qui ex prædicatione contradictoriorum colligunt distinctionem realem, & *Bonettus.* Nicolaus Bonettus libr. 3. Metaphys. cap. 8. *Achillin.* Alex. Achillin. tractat. de distinctionibus cap. 20. & Scotistæ quos referam ca. 5. numero primo qui contendunt saltem colligi formalem ex natura rei: fauet *S. Thom.* S. Thomas in prim. d. 34. quæstion. 1. artic. 1. ad secund.

IX. Obijcies quamuis distinctionem, etiam rationis, sat esse ad veram negationem, quod inferius ostendetur tractat. 6. capit. 1. numero 4. hic vero dicitur affirmationem esse veram cum componuntur termini significantes eandem omnino rem sub diuersis rationibus, quæ arguunt distinctionem secundum rationem, aut ergo erunt duæ contradictoriæ simul veræ: aut alterum ex dictis est falsum. Respondeo neutrum sequi, si tamen recte intelligatur vtrumque dictum. Pro cuius explicatione noto enunciationes interdum constare terminis significantibus res ipsas in se, quin simul ex parte obiecti significati inuoluant vllam rationem mentalem, vt cum dicitur figura est qualitas, linea est quantitas: aliquando vero importare ex parte obiecti significati aliquid pertinens ad distinctionem rationis, vt cum dicitur rationalitas est differentia, intellectus est ratio discurrendi: nam differentia, vtpote ens rationis inuoluit distinctionem secundum rationem, intellectus autem secundum suam adæquatam rationem formalem non solum est ratio, ac principium discurrendi, verum etiã apprehendêdi simplicia, & iudicandi composita, & ideo cum à parte prædicati limitate dicitur ratio discurrendi, iam ibi interuenit distinctio rationis, secundum quam concipitur sub ea præcisè ratione formali, qua est principium discursus. Hoc posito duo illa, quæ repugnare videbantur, interpretanda sunt in hunc modum, vt distinctio rationis sufficiat ad negationem, quando in ipsis terminis propositionis inuoluitur, aut indicatur distinctio rationis, cum vero non indicatur, sed simpliciter, & absolute componuntur inter se termini significantes obiectum idem omnino in se, quod alioquin ratione distinguitur, distinctio rationis concomitans non sufficit ad negationem, sed omnimoda identitas ex natura rei exigit affirmationem. Primum patet: nam quia ratio analogi, differentiæ, generis, & similia pertinent ad rationem, & conueniunt subiectis, non prout sunt idem, sed quatenus ratione distinguuntur, si affirmentur de rebus sola ratione distinctis, non eodem modo dicentur, sed vere de vno, falso de altero: exempli causa ens, & substantia sunt idem ex natura rei, & tamen vere dicitur, ens est analogum, falso autem substantia est analogum: item in sententia Autorum non distinguentium gradus metaphysicos ex natura rei, animal & rationale non distinguuntur, & nihilominus vere dicitur animal est genus, rationale differentia, falso autem rationale est genus, animal est differentia. Secundum vero ostenditur, quoniam in omni enunciatione mentali intercedit distinctio rationis inter prædicatum, & subiectum, vt probat D. Thom. 1. p. q. 13. art. 12. & tamen non omnis enunciatio est falsa: quare distinctio rationis concomitans non impedit veritatem propositionis enunciantis idem de se ipso: & ideo cum dicitur substantia est ens, vera est propositio, quamuis in obiecto significato, prout substat duobus conceptibus respondentibus voci *ens*, & voci *substantia*, sit distinctio rationis, quia scilicet illis vocibus non significatur ipsa distinctio: tradere vero normas internoscendi singulos prædicandi modos, quibus aut prædicatur res sine respectu rationis, aut hic simul inuoluitur in significato, vel modo significandi, non spectat ad Theologum, sed ad Logicum à quo hæc petenda sunt. *S. Thom.*

X. Videri forsan alicui poterit huiusmodi signum nec certum esse, neque vtile: non certum quoniam non solum ea, quæ sunt idem omnino ex natura rei inuicem prædicantur, nec sola, quæ distinguuntur, negantur: sapientia enim, ac iustitia dicuntur de homine, cum quo non sunt omnino idem ex natura rei, negatur autem passio de actione, quoniam genera summa sunt primo diuersa, & vere negantur mutuo, & tamen ab ea ex natura rei nullo modo distinguitur. Inutile vero, quoniam eadem est difficultas in agnoscenda veritate, aut falsitate propositionum, ac in percipienda extremorum distinctione, vel identitate: & proinde signu hoc Theologo non erit vsui. Hæc tamen signi certi-

tudinem,

tudinem, & vtilitatem non euertunt. Ad rationem, qua impugnatur certitudo, respondeo ex ea ipsa colligi eius veritatem: nam ex eo sapientia, & iustitia in abstracto non dicuntur de homine, quia non habent identitatem cum illo, sapiens vero, ac iustum dicuntur propter identitatem in subiecto, addo vero hoc esse discrimen inter ea, quæ sunt simpliciter, & omnino idem ex natura rei, & alia, quæ sunt simpliciter distincta, eadem vero secundum quid: quod priora vere prædicantur in abstracto de seipsis, nisi ex parte obiecti significati inuoluatur ratio distinctionis secundum rationem, posteriora nequaquam, vt patet in allatis exemplis, & ita prædicatio vera in abstracto est signum recurrens cum omnimoda identitate: in quo sensu non procedit argumentum, quoniam sapientia, & iustitia in abstracto non prædicantur de homine. Alia pars eiusdem probationis, quæ habet non sola ea, quæ ex natura rei distinguuntur, de se inuicem negari, dissoluitur adhibita distinctione superius tradita, nimirum concedendo, quod assumitur, cum termini inuoluunt ex parte significati distinctionem rationis, negando vero, cum res ipsas absolute significant. Ad exemplum vero actionis, & passionis respondeo iuxta diuersas sententias de ipsarum distinctione, nam qui senserit ex natura rei distingui, dicet ob id ipsum, non vere affirmari vnam de altera: qui vero non agnouerit inter eas distinctionem ex natura rei, respondebit nomina illa importare ex parte significati distinctionem secundum rationem, nempe nomen *actio*, respectum rationis ad principium efficiens, *passio* vero ad subiectum recipiens, & idcirco etiam negari, quod non pugnat cum dictis. Ad argumentum contra vtilitatem signi respondeo, forsan habere vim in ordine ad Philosophum, qui non autoritate ducitur, sed ratione, non tamen in ordine ad Theologum, cuius præcipua fundamenta ducuntur ex autoritate: & ex modis affirmandi aliquid de Deo vsurpatis ab scriptura, Ecclesia, & Patribus potest sumere argumentum ad indagandam identitatem, id est, distinctionem perfectionum diuinarum.

Distinctio ex natura rei multipliciter accipitur.

CAPVT II.

I. DIstinctio ex natura rei actualis à plerisque solet appellari realis: alij vero realem accipiunt pro specie quadam distinctionis ex natura rei, quam multipliciter diuidunt. Et quoniam hæ diuisiones magna ex parte inuentæ sunt ad explicandam identitatem, ac distinctionem perfectionum diuinarum, breuiter statuendum est, quid de illis sentiendum sit: vt doctrinam communem de identitate, ac distinctione postea ad diuina applicemus. Sunt vero Autores, qui nullam distinctionem ex natura rei ante omnem operationem intellectus admittunt præter realem. Hanc opinionem communem fuisse inter antiquos merito fatetur Mayronius in 1. d. 8. quæstion. 5. initio, illam sequitur sanctus Thomas quæstion. 7. de potentia artic. 6. & sæpe alibi. Henricus in summ. art. 27. quæstion. 1. ad 5. & quodlibet. 5. quæstion. 6. in corpore, & quæstion. 12. Aegyd. in 1. d. 2. 1. p. distinctionis quæstion. 3. & d. 8. 1. p. secundæ partis principalis quæst. 4. ad 3. & 4. Richard. d. 2. art. 1. qu. 3. art. 2. Heruæus quodlib. 1. q. 2. §. *Modo restat tertio*, & quodlib. 3. q. 3. art. 1. Toletan. in 1. d. 8. q. vn. art. 2. conclusione 3. Durand. d. 2. quæstion. 2. numero 6. & d. 33. q. 1. Rubion. d. 8. q. 3. art. 1. Andreas de nouo Castr. d. 32. q. 1. §. *Notandum*. Argentin. dist. 6. qu. 1. art. 2. & saltem in creaturis non dari aliam distinctionem præter realem, & rationis docent Nominales Ocham. in 1. d. 2. qu. 1. à lit. D. Gabriel. qu. 1. Alliacens. qu. 6. ar. 2. lit. N. & O. Idem ex Philosophis vniuersaliter docent Soncin. lib. 7. Metaph. quæstio. 36. §. *Respondeo*. Iauellus tom. 1. tracta. de transcendentibus c. 1. Sot. q. 3. de vniuersal. ar. 2. & cap. de proprio q. 2. conclusione 2. suadetur autem inprimis autoritate Philosophi lib. 4. Metaphys. cap. 2. qui vnum ait non dicere aliam naturam quam ens: vnum vero, & multa opponuntur priuatiue circa idem subiectum, nempe circa ens: quare cum eodē Philosopho autore li. 10. Met. t. 10. idem pertineat ad vnum, diuersum, hue distinctum ad multa, identitas, ac distinctio ex natura rei non nisi entium erit, & consequēter semper realis. Idē patet ex li. 4. Met. tex. 4. & 5. & libr. 10. text. 11. vbi habetur idem, ac diuersum adæquate diuidere ens: & constat ex eo, quod omne ens comparatum ad aliud vel conuenit cum illo, ve

Mayron. *S. Thom.* *Henricus.* *Aegyd.* *Richardus.* *Heruæus.* *Tolet.* *Durand.* *Rubion.* *Nou. Castr.* *Argent.* *Ocham.* *Gabriel.* *Alliacens.* *Soncinas.* *Iauellus.* *Sotus.* *Aristoteles.*

differt,si conuenit, est idem: si differt,distinctum:&ita est immediata oppositio inter idem, ac diuersum realiter, quare non est vlla distinctio ex natura rei non realis. Et confirmatur, quoniam aut vtrumque comparationis extremum est ens reale,aut vtrumque ens rationis, aut alterum reale: alterum rationis:si vtrumque sit ens rationis non est distinctio realis: si alterum reale, alterum rationis, erit distinctio realis non mutua: Si vero vtrumque reale, erit realis mutua: atque adeo, cum diuisio illa sit adæquata, non erit distinctio à parte rei,quæ non sit realis. Secundo quæcumq; sunt idem realiter secundum propriam rationem entis sunt omnino idem, nec admittūt vllam distinctionem ex natura rei: ergo non datur vlla distinctio media inter realem, ac rationis. Et confirmatur, quoniam,si esset distinctio media deberet cohærere cū identitate reali,ita vt aliqua duo essent idem realiter,distincta essentialiter, aut modaliter,hoc autē est falsum: ergo & illud. Patet consequentia, nisi enim essent idem realiter,distingui deberent realiter, & consequenter non haberent distinctionem minorem reali. Assumptio ostēditur, quoniam in rebus entitas, & essentia non distinguuntur:quis enim vnquam cōmentus est entitatē hominis esse aliquid distinctum ab eius essentia? Si enim distinguerentur,possent vt distincta cognosci: ita vt entitas posset apprehendi præcisa ab essentia,hæc vicissim præcisa ab illa: hoc autem est falsum, quoniam entitas hominis non potest apprehendi non apprehensa saltem confusè eius quidditate, neq; hæc non apprehensa entitate. Primum patet: nam, vt *Aristotel.* ait Philosophus lib.4.Metaphys. t.11. *Ratio, quam nomen significat, est diffinitio*: mens autem apprehendit id,quod nomen significat: & ita concipi nequit entitas hominis ignorata quidditate. Secundum probatur, nam sublata ratione entitatis non apprehenditur res tanquam ens, sed tanquam non ens: & ideo implicat apprehendi essentiam non apprehensa entitate.

II. Contrariam sententiam sequūtur Autores referendi nu.4.Aliqui conantur eam ex Aristotel.deducere:nam frequenter ait quædam esse eandem rem, distingui vero *Aristot.* ratione,vt li.3.Phys. text. 21. actionem, ac passionem esse eundem motum sub diuersis rationibus,& li.4.ca.11.tempus, & motum non distinguere, sed ratione, ac diffinitione,& in prædicamentis capite de qualitate, calorem collocat sub duabus speciebus. His autoritatibus respondent aliqui non probari institutum quoniam exponi possunt de distinctione secundum rationem,hoc est per intellectum: sed esto prima sic exponi possit,duę aliæ non possunt, quoniam species sub eodem genere reali contradiuisæ includunt differentias positiuas essentialiter oppositas, ideoq; debent distingui ex natura rei: at calor de sententia Philosophi est sub diuersis speciebus qualitatis, tempus, ac motus sunt diuersæ species quantitatis: ergo cum Aristoteles ait hæc differre ratione, non debet intelligi de sola distinctione per intellectum,sed de essentiali,& quidditatiua ex natura rei. Maior propositio ostenditur,quoniam genus reale habens veram essentiam non debet diuidi per differentias, quæ sint entia rationis, sed esse debent, saltem modi aliqui essentiales:si enim per entia rationis diuideretur non constitueret cum eis veras species essentialiter differentes, sed composita per accidens ex ente vero,ac ficto:& ita potius esset diuisio subiecti in accidentia,quam generis in species. Ratione idem suadetur quoniam quæcunq; diffinitione, & essentia distinguuntur habent distinctionem ex natura rei,non vero solius rationis: sunt autem pleraque non distincta realiter, quæ habent diuersam essentiam, ac diffinitionem: ergo est distinctio ex natura rei minor,quam realis. Maior propositio ostenditur,quoniā diffinitio,&essentia conueniunt rei diffinitæ ante omnē actum intellectus: atq; adeo distinctio ex diffinitione sumpta est ante actum intellectus ex natura rei: quando enim ratio distinctiua ex natura rei conuenit vni, non alteri, distinctio non est per solam rationem,sed ex natura rei. Assumptio constat in tempore ac motu, calefactione actiua & passiua, & plerisq; alijs,quæ conueniunt entitate,non diffinitione.Huic argumento respondent aliqui cum distinctione: nam,si diffinitio, inquiunt, & essentia sumatur, prout sunt rei in se,vera est maior propositio:falsa vero, si sumatur prout competunt rebus secundum nostrum concipiendi modum: nos autem plerumq; res non concipimus adæquate, prout sunt in se, sed per conceptus inadæquatos,& ita fieri potest,vt diffinitio non sit adęquata obiecto secundum omnem sui rationem, sed secundum aliquam: & proinde obiectum ipsius non est distinctum ex natura rei essentialiter ab obiecto alterius diffinitionis similiter inadæquatæ. Hæc tamen responsio non omnino satisfacit, supponit enim in omnibus eiusmodi rebus esse vnam aliquam essentiam à parte rei vnica ratione diffinibilē: id vero est falsum;non enim fingi potest v-

nica ra-

nica ratio essentialis adæquata alicuius obiecti vnius per se continens rationem caloris, motus, actionis, & passionis: horum enim rationes sunt disparatæ, neque conuenire possunt ad integrandam vnicam rationem essentialem obiectiuam in re, cui intimæ, & essentiales sint: quare videntur à parte rei distingui ratione essentiali, & identificari eadem entitate reali.

III. Inter has sententias potest esse discrimen, aut solum penes modum loquendi: aut penes rem: penes modum loquendi, si prior confundat distinctionem ex natura rei cum reali, & quidquid ante operationem intellectus actu distinguitur, velit distingui realiter: quoniam est res, siue ens, & in genere entis ab alio distinguitur absq; rationis operatione, posterior vero solum appellet distinctionem realem, eam, quæ intercedit inter res stabiles, ac habentes esse firmum. Penes rem vero erit quæstio, si prior omnem distinctionem ex natura rei velit esse inter res actu distinctas, nec admittat minorem distinctionem ea, quæ est inter rem, & rem. De controuersia verbali non est curandum, si quoad rem sit consensio. Et quidem ex Autoribus prioris sententiæ fere omnes excepto Henrico solum verbo tenus dissentire videntur à posteriore: quandoquidem interdum vsurpant nomen distinctionis modalis: & consequenter agnoscunt aliquam latitudinem in distinctione ex natura rei, vt videre est apud Durand. d. trigesf. tert. quæstion. 1. §. *Quantum ad secundum.* Gabrielem quæstion. citat. artic. 1. & alios: imo Scotistæ etiam concedunt distinctionem ex natura rei posse dici realem latè, Sirectus in formalitat. artic. secund. partiali in fine, & artic. vltimo ad primum & secundum argumentum principale, Bassolis in 1. d. 22. quæstion. tert. §. vltim. ad 3. & alij. Vt autem ad controuersiam de re accedamus, non est dubium inter genera distinctionum ab Aristotele tradita esse discrimen penes maius, ac minus: nam distinctio analogica est maior quam generica: & hæc quam specifica: & hæc maior, quam numerica. Verum de his ipsis potest esse controuersia an omnia, quæ omnibus illis modis distinguuntur, solam admittant distinctionem realem, an vero cum singulis cohærere possit minor aliqua distinctio: verbi gratia vtrum res distinctæ genere prædicamentali, vt candor, ac similitudo, item distinctæ specie, vt tempus, ac motus, aut id genus aliæ habeant distinctionem ex natura rei minorem reali.

IV. Dico vero, in rebus creatis datur distinctio ex natura rei minor reali proprie, ac presse sumpta: Hæc assertio traditur à Nicolao Bonetto lib. 3. Met. cap. 38. Fonseca lib. 5. Met. cap. 6. q. 6. sect. 2. Bannes 1. p. q. 3. art. 3. dub. 1. Notab. 3. Aquario in additionibus super Capreol. in 1. d. 33. Alexand. Achillino in tractatu de distinctionibus cap. 23. & 26. Francisc. à Christo in 1. d. 2. q. 3. Gulielmo Vorrilong. in 1. d. 8. q. vnica art. 1. Constantio Sarnano in director. Theologico verbo distinctio, Scoto, Lycheto, Bargio, Bassolio, Mayronio, Aquilano, Antonio Andrea, Nicolao de Orbellis, Petro Thoma, Sirecto, Pistorio, Nicol. de Nysse, & Petro de Candia referendis cap. 5. num. 1. Huius assertionis veritas colligi potest à signo, & experientia: quoniam videmus res quasdam ab alijs re, vel cogitatione mutuo separabiles, alias vero neutro modo: signum ergo est has habere maiorem aliquam identitatem, & consequenter minorem distinctionem quam illas, non secundum genus, aut speciem: ergo secundum rationem distinctionis realis, ac non realis. Maior propositio quoad priorem partem est manifesta: quoad posteriorem vero patet in figura, & quantitate, in natura, & suppositalitate, in accidente, & eius inhærentia actuali, & id genus alijs rebus: nam figura nec esse, nec intelligi potest sine quantitate, sicut nec suppositalitas sine natura, nec inhærentia sine accidente. Et quanuis sola inseparabilitas secundum esse intellectum, non arguat distinctionem minorem reali, quandoquidem pater, & filius, & alia relatiue opposita habent veram distinctionem realem, & nihilominus nequeunt quoad agnitionem separari, tamen inseparabilitas quoad esse obiectiuũ, in re, & intellectu arguit minorem distinctionem reali: cur enim si sunt duæ res per se stabiles, nequeunt mutuo re, & cognitione separari, nisi ob minorẽ distinctionem, quam sit inter eas, quæ sunt capaces vtriusque separationis. Et quamuis si vires naturæ spectemus multa presse, ac proprie distincta realiter vtramq; inseparabilitatem habeant, vt accidens respectu substantiæ, sine qua nec intelligi, nec naturaliter existere potest, tamen habemus ex fide quoad rem posse separari: vt patet in speciebus consecratis: in alijs vero naturali ratione demonstratur, nec diuinitus posse fieri, vt mutuo disiungantur, vt inhærentia ab accidente, figura à quantitate, cumq; non sint proprie relatiua ad illa eiusmodi inseparabilitas videtur nasci ex maiore affinitate reali, quam sit in mutuo separabilibus: Accedunt etiam argumenta adducta pro

Bonettus. Fonseca. Bannes. Aquarius. Achillin. Frãc. à Christ. Vorrilong. Sarnanus. Scotus. Lychet. Bargius. Bassol. Mayron. Aquilan. Anton. Andr. Orbellis. Petr. Thom. Sirectus. Pistorius. Nysse. Candia.

Durand. Gabriel. Sirectus. Bassol.

secunda sententia, quæ & si non omnino conuincant, tamen plurimum conferunt ad eius confirmationem, neque egent solutione, quoniam non repugnant dictis. Solum aduerterim fundamentum Mayron. non esse firmum, quoniam existimat distinctionem realem non nisi inter res actu existentes reperiri: quod licet admitti possit quoad actualem relationem, in qua ipse collocat rationem distinctionis, quoniam non est actu nisi existant extrema, quæ distinguuntur, tamen secundum rationem conuenientiæ aptitudinalis, non minus necessario conuenit rebus etiam non existentibus, quam aliæ proprietates, quemadmodum vnitas ac multitudo, quæ sunt fundamenta proxima identitatis, ac distinctionis realis conueniunt rebus non existentibus: & ita non est quoad hoc vlla diuersitas in distinctione formali, ac reali; namque vtraque secundum actum non nisi existentibus conuenit, secundum aptitudinem vero etiam non existentibus.

V. Argumenta pro prima opinione solum probant omnem distinctionem ex natura rei esse realem, hoc est entitatiuam, siue duorum extremorum diuersorum sub ratione aliqua, vel modo entis. Et hac ratione Aristot. cum ait vnum non dicere naturam aliam, quam ens, solum intendit vnitatem non addere aliquid positiuum ad rationem entis latissime sumpti, & ita vnum, & multa, idem, ac diuersum semper connotant ens eo modo acceptum, ex quo non sequitur quæcumque distincta sunt ex natura rei, distingui tanquam rem à re, sed tanquam aliquid quomodolibet intrinsece participans rationem entis, siue sit res proprie dicta, siue sit ratio, aut modus entis, dummodo sit supra nihil habens esse absque operatione intellectus. Eodem modo interpretandus est, cum ait idem, ac diuersum adæquate diuidere ens, nempe latissime sumptum: & ad rationem ex hoc dicto sumptam respondetur solum probari non esse medium inter idem, ac diuersum realiter, hoc est in ratione entis latissime sumpti: cum quo non pugnat, vt sit medium inter idem, ac diuersum realiter, si vox *realiter* sumatur prestius pro rebus habentibus esse firmum, ac ratum absque necessaria, & indissolubili adhæsione vnius ad alteram: Ad confirmationem respondeo maiorem esse falsam, si ens sumatur presse modo paulo ante explicato: nam fieri potest, vt vtrumque extremum sit modus entis, & non res proprie dicta: & consequenter non est opus, vt distinctio ipsorum sit proprie, ac presse realis, si vero sumatur late, quatenus est idem, ac aliquid supra nihil existens in re absque operatione intellectus, vera est maior: sed ex ea in hoc sensu solum infertur distinctio realis, hoc est ex natura rei mutua, vel non mutua: non autem realis proprie dicta. Secundum argumentum præbet occasionem explicandi quomodo intelligendum sit id, quod dicitur ab autoribus secundæ sententiæ, nempe aliqua duo distingui formaliter, esse vero idem realiter, qua de re paulo post dicam: nunc vero sat est respondere, cum duo dicuntur idem realiter, intelligi negatiue, hoc est non sunt duæ res per se firmæ, ratæ, & indissolubiles, & in hoc sensu negandum est antecedens: non enim quæcunq; hoc modo sunt idem habent omnimodam identitatem ex natura rei. Ad confirmationem respondeo non requiri, vt distinctio media cohæreat positiue cum identitate reali, sed sat est si cohæreat negatiue: hoc est non sit alia res per se. Ad probationem cõsequentiæ respondeo idem, ac diuersum realiter presse sumpta non esse immediate opposita respectu entis latissime sumpti: ideoque ex eo, quod duo extrema inuicem comparata non sint idem eodem modo, non sequi esse diuersa realiter.

VI. Doctores, qui agnoscunt distinctionem mediam inter realem & rationis constituunt quasi genus distinctionem ex natura rei, eamque diuidunt in realem, formalem, ac modalem. Non nulli tamen recentiores formalem tanquam superfluam excludunt: inprimis quia nomen eius est æquiuocum, & frequenter accommodatur rebus distinctis realiter, quæcũq;. n. habent diuersas formas formaliter distinguũtur, vt homo, equus, leo: quin & ipsæ personæ diuinæ, quæ non essentialiter, sed realiter distinguuntur, possunt dici formaliter distinctæ in obiectiuis rationibus relationum: ex alia vero parte accommodari etiam potest ad ea, quæ distinguuntur solis rationibus formalibus conceptis, ac distinctis ope intellectus non ex natura rei: atque adeo, cum distinctio formalis transcendat distinctionem ex natura rei, & interdum coincidat cum altero membro diuisionis, nempe cum reali, non potest constitui tanquam membrum distinctionis ex natura rei ab alijs contra diuisum. Deinde vero probant, nam, si extrema distinctionis à parte rei actu distinguuntur, aut vtrumque est vera res habens propriam entitatem simplicem, vel compositam, aut vnum est res, & aliud modus

eius:

eius: priore modo constituitur distinctio realis, posteriore modalis: non est autem intelligibilis alia habitudo, neq; aliud medium inter extrema distinctionis: includunt enim in se immediatam oppositionem quasi contradictionis: ergo non est alius modus distinctionis.

VII. Hac de re potest esse controuersia verbalis tantum: scilicet vtrum causa vitandæ æquiuocationis omitti debeat nomen formalis distinctionis: & de re ipsa, nempe vtrum præter distinctionem realem, ac modalem sit aliqua ex natura rei, quæ formalis appelletur. Quod ad primum attinet eadem est pene æquiuocatio in nomine distinctionis modalis: nam etiam pleraque realiter distincta dicuntur modi aliarum rerum: qua ratione omne accidens dicitur modus subiecti, idcirco enim Aristoteles libr. septimo Metaphys. tex. 2. accidentia non vocat simpliciter entia, sed entis, & vt notat Diuus Tho. 1.2. quæstio. 49. artic. 2. qualitas omnis solet appellari modus substantiæ: item distincta sola ratione, exempli causa infinitas, necessitas, & huiusmodi alia dicuntur à doctoribus modi essentiæ diuinæ: & tamen non ex natura rei, sed sola ratione distinguuntur, item modi prædicamentales, quibus ens diuiditur in substantiam, quantitatem, & reliqua prædicamenta, qui non distinguuntur ex natura rei ab entibus, quorum sunt modi, vt explicat Fonseca loco citato. Et idcirco ex hac parte non minus æquiuocum censeri debet nomen distinctionis modalis, quam formalis. Et quemadmodum distinctio modalis ita circumscribi potest, vt accipiatur solum pro puro modali, ita formalis poterit eo modo finiri, vt accipiatur pro particulari modo distinctionis ex natura rei contra diuiso à reali, ac modali: nam à distinctione rationis separatur genere ipso, si dicatur distinctio ex natura rei, ab alijs vero duabus sua propria ratione inferius explicanda.

VIII. Hæc de primo, si vero loquamur de secundo omnino statuendum est dari aliquam distinctionem ex natura rei formalem diuersam à reali, ac modali: in qua sententia conueniunt Autores citati numero quarto, probatur autem quoniam sunt quædam distincta à parte rei, non tamen realiter, & habent maiorem distinctionem, quam modalem: non restat aliud genus distinctionis, quam formalis: ergo hęc est admittenda. Prior pars maioris propositionis patet ex dictis, & conceditur ab aduersarijs. Posterior ostenditur, quoniam figura, quæ de ipsorum sententia, & communi distinguitur à magnitudine, non tamen realiter, non est proprie modus vnius tertij: atque adeo distinguitur ab ipsa plusquam modaliter: nam distinctio modalis solum est inter rem, & modum ipsius, aut inter plures modos eiusdem rei. Non esse vero vtramque modum alterius rei patet, quoniam magnitudo est verè res, & non proprie modus rei: quod autem figura non sit proprie modus magnitudinis, patet ex ipsorum dictis, aiunt enim modum non addere vllam prorsus entitatem rei, cuius est modus: at figura vere addit entitatem, importat enim præter quantitatem, quam significat in obliquo, rationem qualitatis, quæ vere entitas est: quis.n. neget qualitatē secūdum se importare entitatem ex natura rei distinctam à quantitate. Respondere tamen possunt qualitatem non importare entitatem presè sumptam, nempe pro re, quæ ex se, & in se ita est aliquid, vt non postulet omnino intrinsece, & essentialiter esse affixam alteri, sed vel non sit alteri vnibilis, vel saltem vniri non possit, nisi medio aliquo modo ex natura rei à se distincto: qualitas enim licet pro diuersitate inferiorum possit aliquando esse verè entitas, quia vnitur modo vnionis distincto ex natura rei ab ijsdem: vt cum ratione candoris copulatur niui, ratione sapientiæ intellectui, vtrobique enim intercedit vera vnio cum subiecto: Non semper tamen id vendicat: nam ratione aliorum non habet propriam rationem entitatis, quoniam sunt intrinsece, & essentialiter affixa rebus alijs, ijsque vniuntur non interueniente modo vllo vnionis ab ipsis distincto ex natura rei.

IX. Verum hæc descriptio entitatis est ad libitum tradita, recurrit enim cum realitate, & supponit id, de quo est controuersia, inuestigamus enim an sit entitas aliqua distincta non realiter ab alia: & ideo, qui sic describit entitatem sumit id, quod vertitur in quæstionem. Deinde vero etiam ea posita non soluitur argumentum: nam ratio entitatis non prouenit superioribus ab inferioribus, sed vice versa ab illis ad hæc deriuatur: atque adeo qualitas secundum se sumpta habet rationem entitatis: nec est indifferens, vt ratione horum sit entitas, ratione aliorum non sit: alioquin ratio entitatis non esset illi intrinseca, & essentialis: si quis dicat solum illi esse intrinsecam rationem entitatis communissimè sumptæ, quatenus dicit aliquid supra nihil,

non autem entitatis proprie dictæ,non soluet argumentum : ego enim non ago de ratione analoga entitatis , prout est communis ad omnia entia,& modos entis, sed de proprio modo generico,quo qualitas intelligitur constituta in ratione qualitatis, & distincta ab alijs generibus: hic autem sumptus secundum se non postulat, vt sit essentialiter affixus alteri, & proinde secundum se est proprie entitas à puro modo essendi diuersa: quare ex coniunctione ad inferiora non sortitur rationem modi, aut exuit rationem entitatis, quæ enim per se conueniunt naturis communibus, non amittuntur per coniunctionem cum inferioribus. Et idcirco figura includens in se rationem formalem qualitatis, quæ est vere, ac proprie entitas, ipsa quoque entitas censenda est: & à magnitudine ex natura rei formaliter distincta. Eodem modo loquendum est in sententia eorum, qui censent ex natura rei distingui relationem à fundamento,genus à differentia,& gradus omnes metaphysicos inter se,relatio enim non est purus modus fundamenti, nec differentia generis,sed habent veram,ac propriam rationem formalem entitatiuam, quæ est fundamentum distinctionis formalis. Quæ attigi exempli causa ad explicandum quomodo distinguatur distinctio formalis à modali:nam de ipsorum determinata distinctione non est Theologi, sed Metaphysici disputare. Ex quo patet falsum esse fundamentum oppositæ sententiæ:sunt.n.plura ex natura rei distincta non proprie realiter, ac modaliter, & ideo non omnis distinctio ex natura rei non realis reuocari potest ad modalem.

X. *Mayron.* Distinctionis ex natura rei quatuor genera recenset Mayron.in 1.d.8.qu.1.art.2. nempe essentialem,realé, formalem, modalem. Essentialis est, quando quidditas cum sua existétia est distincta ab alia quidditate cum sua existentia: realis est inter rem,ac rem,vt inter patrem,ac filium: formalis est inter quidditatem, & quidditatem,quomodo homo & equus in potentia obiectiua distinguuntur:quę distinctio est propria rationum distinctarum: modalis denique est inter quidditatem, & modum eius intrinsecum, vt inter hominem, & eius finitatem, inter albedinem & eius intensionem. Addit vero primum esse maximam, quoniam , quæ ita distinguuntur, omnibus alijs modis distinguuntur, deinde cæteras eo ordine , quo numeratæ sunt esse alias alijs maiores. Porro distinctionem essentialé solum agnoscit inter ea,quæ saltem specie distinguúntur,nam indiuidua eiusdem speciei conueniunt in essentia, & differunt quodammodo materialiter : realem vero solum inter entia actu existentia: nam, quæ sunt in potentia,non habent vllam realitatem,idem docet Sirectus in tractat.formalit. art. 4. minus principali. Lychet.in 1.d.8.quæstion.3. §.*Respondeo per ordinem*, & communiter alij Scotistæ. *Sirectus. Lychet.* Inter formalem vero, quam etiam quidditatiuam vocat, & essentialem statuit modum quendam subalternationis,ita vt omnis essentia sit quidditas, non vice versa:quoniam essentia addit aliquid supra quidditatem, & quamuis expressa non explicet quidnam id sit, videtur tamen esse existentia: ita vt ratio formalis existens sit essentia,eadem vero sumpta secundum esse obiectiuum cum abstractione ab existentia sit quidditas: quod colligitur ex descriptione distinctionis essentialis ab ipso traditæ, quæ tunc est, cum quidditas cum sua existentia est distincta ab alia quidditate cum sua existentia: vbi præter quidditatem addit solam existentiam : signum ergo est de mente eiusdem distinctionem essentialem esse inter quidditates actu existentes per diuersas existentias : ex quo vlterius colligitur, nunquam inter res existentes dari solam distinctionem formalem nisi quando plures rationes formales existerent actu eadem numero existentia, quod videtur addidisse, ne in perfectionibus diuinis attributalibus, quas cum Scoto sentit distingui formaliter,cogeretur admittere distinctionem essentialem. Eandem doctrinam tradunt Petrus Thomas,& Sirectus in tractatibus de formalitatibus , & alijs Scotistæ interpretes ibidem. *Pet.Thom. Sirectus.* Ad internoscendas autem has distinctiones inter se plura proponit indicia, quorum si quæ vsui erunt, aliqua inferius interseram.

XI. Non placet tamen hæc diuisio quadripartita. Inprimis quoniá absq; necessitate separat distinctionẽ essentialem à formali, siue quidditatiua, etenim quidditas & essentia coincidunt, & rerũ essentias diffinitione explicamus, est aũt diffinitio oratio significans quidditatẽ rei:quemadmodum vero diffinitio solã continet rõem formalem,neq; rerũ existentiam curat,ita essentia abstrahit ab existentia, loquor autẽ de creata, nam diuinæ intrinseca est ipsa existentia. Ex quo sequitur hominem non existentem non minus distingui essentialiter ab equo non existente,quam si vterq; existeret:nam cũ existentia sit semper extrinseca essentiæ creatæ,fieri nequit,vt addita, vel dempta mutet distinctionem rrum

essen-

essentialem. Itaque quemadmodum reliquæ proprietates necessario connexæ cum naturis rerũ conueniunt etiam nõ existentibus, distinctio quoque essentialis fundata in ipsa ratione formali intrinseca rerum conuenire debet eisdem, quamuis non existant. Quapropter non est opus constituere tanquam duo membra distinctionis opposita, distinctionẽ formalem & essentialem, quoniam essentialis vel reciprocatur cum formali, vel saltem sub ea continetur. Illud quoque, quod exigit ad distinctionẽ realem, vt sit inter res actu existentes minimè requiritur: res enim est prædicatum transcendens essentiale, atque adeò conueniens rebus secluſa existentia: sicut enim Antichristus nõ existens dicitur substantia, ita quoque res dici potest: atqui distinctio inter duas res, siue inter rem, & rem est realis: ergo ea, quæ intercedit inter Antichristum, & Alexandrum, realis est. Ex quo etiam constat admittendũ non esse id, quod Mayron. ibidem docet, nempè realitatem esse modum rerum: nam si modus est, quæ realiter distinguuntur, modaliter solum distinguentur: quod tamen est contra sententiam ipsius, & communem. Præterea, vt vtar eius argumento, modi non sunt primi in entibus, sed supponunt ea, quorum sunt modi: at primus conceptus, ac veluti fundamentũ reliquorum est conceptus rei, sublata quippe realitate modus omnis, formalitasque dissoluitur: quare realitas non est modus. Denique nullus modus prædicatur in recto, & in quid nomine substantiuo de re, cuius est modus, res autem prædicatur eo modo de ijs, quæ realiter, & essentialiter distinguuntur: hæ enim prædicationes, homo est res, Angelus est res, substantiales, siue essentiales sunt: non est igitur res modus, sed verè ipsum quid est.

De signis, quibus distinctiones internosci possunt.

Caput III.

I. ADmissa hac tripartita diuisione oportet adhibere signa, quibus singulæ distinctiones internosci possint. Incipiendum vero est à reali. Pro qua quatuor conditiones exigit Bassol. in 1. d. 22. quæst. 2. art. 1. post medium: prima est vt distincta realiter non sint idem quidditatiuè per se primo modo, sicut definitio, ac diffinitum: secunda vt vtrunque sit aliquid positiuum: tertia, vt sint extra intellectum: quarta denique, vt neutrum habeat vndè possit includere alterum per identitatem, & realitatem eiusdem. Ex quibus tandem contexit diffinitionem eorum, quæ realiter distinguuntur in hunc modum: illæ sunt distinctæ realitates, quæ sunt aliqua positiua extra intellectum nõ eadem per se primo modo, quorum neutrum ex sua immensitate includit realitatem alterius. Verùm tria priora signa nõ magis conueniunt distinctioni reali, quam cuilibet alteri ex natura rei: & idcirco non faciunt ad internoscendam distinctionem realem ab alijs: quartum vero nõ est sufficiens: nam, quidquid sentiat idem Bassol. quæst. 4. art. 3. initio, in creatis sunt aliqua distincta solum formaliter, quæ sunt intrinsecè finita: atque ita neutrum ipsorum propter sui immensitatem includit realitatem alterius: ergo conditio illa tribus alijs addita non sufficit ad explicandam rationẽ distinctionis realis. Esset quidem satis, si tollerentur illa verba, *ex sua immensitate*, ac diceretur, distincta realiter sunt entia positiua distincta ex natura rei, quorum neutrum includit realitatem alterius. Sed hoc non est tradere signum distinctionis realis, hoc ipsum enim inuestigatur, quę sint illa, quorum neutrum includat realitatem alterius. Petrus Thomas in suis formalitatibus propositione 4. dicit realiter ea distingui, quorum vnum ab alio vltimate abstractũ nullo modo includit aliud, nec de eo potest verè, & affirmatiuè prædicari. Sed huiusmodi signum falsum est: nam non potest verè dici, quantitas est figura, vel relatio, & tamen hæc non realiter, sed formaliter tantum distinguuntur: quod in multis alijs, quæ solum modaliter distinguuntur, patere potest. *Petrus Thom.*

II. Mitto etiam signum aliquorum apud Fonsec. quæst. 6. cit. sect. 1. sumptum ab existentia: nempè vt illa, quæ diuersas habent existentias, sint distincta realiter, non vero ea, quæ eandem. Namque, etsi foret omninò certum, est inutile: dixi etsi foret certum, quoniam de fide est tres personas diuinas distingui realiter, controuersum vero inter Theologos, vtrum habeant distinctas existentias, imò & Scotistæ, vt Lych. in d. 8. q. 3. §. *Occurrit*, in fine, docent quæ formaliter distinguuntur in Deo, habere etiam existẽtias formaliter distinctas. In creatis etiam figura & magnitudo non distinguuntur realiter, habent tamen diuersas existentias, sæpè enim perit figura permanente eadem magnitudine. Et vero inutile, quoniam eadem difficultas est in distinguendis rerum existentijs, ac rebus ipsis. Nec vero omninò est aptum signum, *Lychet.*

Fonseca. Aristot.

quod adhibetur ab aliquibus apud Fonsec. quæst. cit. sect. 1. ex Aristotele lib. 4. Metaphys. text. 3. nempè illa non distinguì realiter, quæ eadem generatione generantur, & corruptione intereunt: nam, licet verum sit de ijs, quæ fiunt per se, & immediatè vnica actione reali, non tamen est certum, quando plura simul cum subiecto producuntur, vtrum eadem omninò actione reali, an diuersa producantur: nam quemadmodum Aristot. eo loco probat ens, & vnum esse idem, quia vnica generatione generantur, poterit aliquis credere mentem, & eius potentias esse idem, quia eadē actione producuntur: si quis autem respondeat nō fieri immediatè eadem actione reali, ita quoque responderi posset ens per se primo fieri vnica actione, vnum vero resultare per aliam primæ illi coniunctam. Itaque, cùm eadem sit difficultas in agnoscenda distinctione actionum, ac terminorum ipsius, hoc signum non erit vsui.

III.

S. Thom. Mayronius. Sirect. Fonseca.

Ab alijs tanquam infallibilis nota proponitur oppositio relatiua producentis, ac producti. S. Thom. 1. p. quæst. 41. art. 4. ad 3. Mayron. in 1. d. 8. quæst. 1. art. 3. & in tractat. formalit. art. 2. §. *Nunc autem*, Sirect. in formalit. art. 4. minus principali, & art. vlt. principali parte 1. & Fonseca vbi proximè. Quam quidem recentiores multipliciter limitant, & coarctant, vt intelligatur vel de productione substantiali propria, perfecta, atque primaria, vel de accidentali terminata ad aliquid, quod producenti nequaquam vniatur. Rationem prioris assignant quoniam idem suppositum substantiale non potest se ipsum propriè, ac primario producere, vt enim producat oportet, vt existat, atque adeò, si productio est primaria, terminatur ad aliquid re ipsa à producente distinctum: at productione secundaria fieri potest, vt aliquid seipsum producat: si nempè existat, ac se ipsum alibi per modum conseruationis actiuè producat. Posterioris vero ratio est, quoniam, quando duo entia distincta ex natura rei seorsim existunt distinguuntur realiter, at si productum nō vniatur producenti, seorsim ab illo est: quare; cùm inter producens, & productum sit distinctio ex natura rei, si vnum alteri non vnitur, realiter distinguuntur. Cùm vero non vniuntur non est sufficiens indicium realis distinctionis: nam, quamuis effectus aliqui realiter inhærentes producenti realiter distinguantur ab ipso, vt intellectio ab intelligente, amor à voluntate, & id genus alia, tamen aliqui non ita distinguuntur: vt patet in præsentia locali, quam in se efficit is, qui se ipsum mouet, & in subsistentia, quæ emanat à natura.

IV.

Magister.

Mihi tamen non videntur necessariæ eiusmodi limitationes, sed sat est, vt proposita regula intelligatur de ijs, quæ simpliciter producunt, ac producuntur: quo modo explicata arguit quidem distinctionem inter habentia oppositionem producentis, ac producti: eius tamen negatio non arguit identitatem: quoniam pleraque, inter quæ non est eiusmodi habitudo, distinguuntur realiter, nempè materia, & forma, homo, & equus, & similia. Inprimis autem non placet restrictio illa ad productionem primariam: nam, si semel admittamus aliquid siue primario, siue secundario productum esse idem realiter cum producente, eneruatur argumentum, quo vtuntur Patres apud Magistrum in 1. d. 9. ad probandum Trinitatem, ac distinctionem personarum diuinarum: quam colligunt ex productionibus diuinis quia non potest esse idem generans, ac genitum, spirans, & spiratum. Respondebit enim Sabellianus aliquis, non repugnare vt id, quod est actu, se ipsum re producat: atque adeò Deum se iterato producentem per intellectum, sortiri nomen Patris ac Filij: & productum iterum à se ipso per voluntatem, habere rationem Spiritus sancti sine distinctione hypostaseon: si enim non repugnat id, quod prius est ab alio productum, seipsum iterum producat, vndè probabitur repugnare, vt id, quod est à se, se ipsum producat non vt primo, sed vt iterato quodammodo existat? Et quamuis adduci queant rationes aliquæ disparitatis, non tamen omninò firmæ: Et idcirco congruentius est, si dicamus idem non posse vllo modo nec primario, nec secundario producere semetipsum: & consequenter inter producens, & productum semper esse distinctionem realem. Et confirmatur, quoniam repugnat, vt opposita eidem simul insint: at vero producens, ac productum sunt relatiuè opposita: & proinde nequeunt conuenire eidem subiecto. Verùm, quoniam non est huius loci examinare vtrum aliquid existens possit se iterum producere, illud certo constat, si ad hoc eleuetur non fore causam principalem, sed instrumentariam à prima eleuatam, & ita certum quoque esse debet inter productū, & producens principale necessario intercedere distinctionē realem. Non

etiam

etiam opus est coarctare regulam ad productum substantiale, aut accidentale non vnitum producenti: sed sat est, vt sit simpliciter productum. Ratio est, quoniam, sicut res se habet ad esse, ita & ad produci: & idcirco ea, quæ non sunt simpliciter entia in se, sed dependenter ab alijs, quibus innituntur, & cum quibus habent necessariam connexionem, non dicuntur simpliciter, & absolutè produci: non enim producitur inhærentia accidentis cum subiecto, nec subsistentia suppositi, sed res ipsæ, cùm his, vel sub illis modis. Cætera vero omnia, quæ non habent dependentem existentiam ab alio, tanquam à re, cuius sunt modi, aut rationes formales, siue cum ipsis vniantur, siue non, sicut sunt verè entia, ita propriè, ac simpliciter produci dicuntur, vt se habent actiones vitales respectu viuentis, primæ quatuor qualitates respectu elementorum, & alia eiusdem rationis.

V. Mutua quoque separabilitas est signum certissimum distinctionis realis, siue illa viribus naturæ, siue diuinitus reducenda sit in actum, hanc regulam tradunt Mayron. in 1. d. 8. quæst. 1. art. 3. & in tractat. formalit. art. 2. §. *Nunc autem.* Sirect. tractat. formalit. art. 4. minus principali, & art. vltimo principali parte 1. Hoc autem signum nititur illo principio, scilicet; quod ea, quæ ad hunc modum separari possunt, singula habent à se ipsis propriam, ac veram realitatem, absque essentiali connexione ad alterum, quod per se sit propriè ens ratum, ac firmum præbens suam realitatem, tanquam fulcimentum alteri: quæ vero ita se habent, sunt propriè res, & consequenter distinctio inter ipsas est inter rem, & rem: Hoc etiam signum non est reciprocum cum distinctione reali: nam, licet omnia ita separabilia distinguantur realiter, non tamen omnia ita realiter distincta possunt ab inuicem separari, vel saltem non constat, vtrum separari queant: exempli causa potentiæ vitales creatæ, & actus ab eis eliciti distinguuntur realiter, & tamen quamuis potentiæ possint esse sine actibus, non constat vtrum diuinitus fieri possit, & actus ipsi existant absque potentijs: Imò vero in opinione, quæ asserit vnionem duorum re ipsa distinctorum, & coeuntium ad constitutionem vnius per se, distingui ex natura rei ab vtroque extremo vnito, quæ est valdè probabilis, si partes vnitæ mutuo pendeant ex parte vtriusque datur vnio: quæ cum sit modus rerum ex natura rei distinctarum, altera ab altera distinguitur realiter, nec tamen etiam diuina virtute potest vna existere sine alia: exempli causa, vnio inter materiam & formam equi est mutua, & ea, quæ est modus formæ, distinguitur ab ea, quæ est modus materiæ, & tamen est aperta contradictio, quod sit vnio ex parte materiæ, quin sit ex parte formæ, & vice versa: video responderi posse has vniones, licet secundum proprias rationes formales separari nequeant, posse tamen ratione vnitorum, cùm quibus sunt idem realiter. Verùm ex hoc ipso constat hoc signum non esse omninò certum, & euidens.

Mayronius. Sirectus.

VI. Itaque considerando singulas notas distinctionis realis communiter adhiberi solitas non est vlla ita propria, vt cum illa reciprocetur, & possit subire locum proprietatis ad tradendam propriam eius descriptionem: vtcunque, tamen describi poterit, & à formali, & modali separari in hunc modum. Est distinctio ex natura rei inter entia ratum, ac firmum esse habentia. Cùm dicitur distinctio ex natura rei, remouetur distinctio rationis, cùm dicitur entia, excluditur distinctio modalis, quæ non est simpliciter inter entia: quamuis enim ex vna parte queat esse simpliciter ens, non tamen ex vtraque, sed semper saltem ex altera erit modus entis, qui non est simpliciter ens: denique per vltima verba excluditur distinctio formalis: hæc enim non exigit, vt vtrunque extremum sit ens firmum, ac ratum per se, & non immistum alterius realitati, vt constat in magnitudine, ac figura, in qualitate, & relatione: etenim figura per se sumpta absque magnitudine non est ens firmum, & ratum, sicut neque relatio absque qualitate, quæ est ipsius fundamentum. Cætera vero omnia, quæ ex natura rei distinguuntur, & sunt simpliciter entia, & ex propria ratione important entitatem firmam, ac stabilem, & per se primo propria, ac vera actione produci possunt, sortiuntur distinctionem realem. Addidi vero hoc vltimum ad indicandum, quæ nam entia dicantur propriè habere esse stabile, ac firmum: sunt vero solum ea, quæ pertinent ad tria priora prædicamenta, si nonnullæ quantitatis, aut qualitatis species excipiantur, vt figura, tempus, ac motus: quæ sicut & ea, quæ pertinent ad septem alia prædicamenta, sunt vel modi, vel formalitates diuersæ repertæ simul, & inseparabiliter cum aliqua

restabili

reſtabili priorũ trium prædicamentorum, vt diſcurrenti per ſingula patebit. Et proinde ad diſcernendam diſtinctionem realem ipſorum ad inuicem, vel reſpectu aliorum recurrendum ſemper eſt ad ens firmum, ac ratum, cùm quo illa dicuntur eſſe idem realiter.

VII. *Mayronius.* Quod attinet ad diſtinctionem formalem, quidam apud Mayron. in 1. d. 8. q. 5. §. *Ad cuius euidentiam*, & in tract. formalit. art. 1. cùm formalitatem à forma dictam putent, exigunt plures formas; vt ſint plures formalitates. Quod ipſe reprehendit, quoniam in Deo eſt vnica eſſentia, & tamen ſunt plura eſſentialia. Verùm hoc eius argumentum ſupponit communem doctrinam Scotiſtarum de diſtinctione formali ex natura rei inter attributa diuina, quæ eſt falſa, vt inferius oſtendam: & idcirco non habet vim. Dixerim tamen formalitatem nõ ſumi à forma phyſica, quę eſt altera pars compoſiti naturalis, alioquin in ſolis ſubſtantijs corporeis reperiri poſſet diſtinctio formalis, quod eſt falſum: ſumitur itaque formalitas à forma ſiue phyſica, ſiue metaphyſica, qua aliquid eſſentialiter, & intrinſecè eſt tale: Ea vero ſi ſit vna, erit etiam vna ratio formalis adæquata, nõ tamen repugnat, vt ſint plures, quaſi partiales, & inadæquatæ. Et hoc eſt, quod ſubdit idẽmet auctor, cùm formalitatẽ in hunc modum diffinit, eſt quidditas vniuſcuiuſque habentis quidditatẽ, ſiue diffiniri poſsit ſiue non: quod addit ad includẽdas rationes formales generũ ſummorum, quę verè tales ſunt, etiamſi, quia ſunt ſimplices, & nõ conſtant genere, ac differentia, propriè diffiniri nequeant. Verùm formalitas hoc modo ſumpta latè patet, & cõuenit etiam realiter diſtinctis: nam alia eſt formalitas hominis; alia equi, inter quos eſt diſtinctio realis: Nunc vero indagatur quid ſit formalitas, à qua ſumitur diſtinctio media inter realem, ac modalem. Mayron. in 1. d. 8. q. 1. art. 3. & ex ipſo Sirectus tractat. formalit. art. vlt. p. 1. tradit quinque modos indagandi diſtinctionem formalem: ait enim illa formaliter diſtingui, quæ habent diuerſam diffinitionem, vel deſcriptionem, vel differentijs oppoſitis conſtituuntur, vel, quæ habent diuerſas paſsiones, vel ea, de quibus oppoſita ſub reduplicatione prædicantur. At huiuſmodi ſigna ſunt communia rebus realiter diſtinctis, & ijs, quæ ſola ratione diſtinguuntur.

Mayron. *Sirect.*

VIII. Itaque omiſsis his, atque alijs explicandi modis, poteſt in hunc modum diffiniri, formalitas eſt quidditas entis non habentis ex ea præcisè eſſe rei tũ, ac firmum. Dictum eſt quidditas entis ad excludendos modos, qui non ſunt propriè entia, cætera ſunt addita ad excludendas formalitates, quæ conferuut rebus veram, ac propriam realitatem, & conſequenter inducunt diſtinctionem realem, vt formalitas Deitatis, & humanitatis: at formalitas, de qua loquimur, eſt quidem entitas, & pertinet per ſe ad diuerſa rerum genera, vt patet in figura, quæ pertinet ad genus qualitatis, & in ſimilitudine, quæ pertinet ad genus relationis: quo differt à modo, qui non per ſe, ſed ratione rei, cuius eſt modus, ad genus pertinet: vt rectè notat Mayronius vbi ſupra: §. *Viſo quid formalitas.* Verùm non eſt per ſe rata, ac firma, ita vt ſit per ſe primo, ac propriè producibilis, & habeat alias conditiones rei propriè, ac preſſe dictæ, & hoc differt à realitate. Ex quibus patet diſtinctionem formalem eſſe eam, quæ intercedit inter extrema eadem realiter per huiuſmodi formalitates conſtituta. *Mayron.*

IX. Modus autem preſſe ſumptus, à quo ſumitur diſtinctio modalis, à quibuſdam apud eundem auctorem vbi ſupra §. *Viſo quid ſit formalitas*, dicitur id, quod ingreditur quidditatem rei, deque ea prædicatur in primo modo dicendi per ſe. Hoc tamen facilè impugnatur: quoniam modus eſt poſterior re, cuius eſt modus: omnia vero, quæ ingrediuntur rationem quidditatiuam, & pertinent ad primum modum dicendi per ſe, ſunt priora, vel ſaltem non poſteriora re, de cuius intrinſeca ratione ſunt: quare non poſſunt verè habere rationem modi, niſi latè, ac abuſiue, quemadmodum rationes ipſæ generum ſummorum dicuntur modi: Ex quo rectè dixit Suar. in Metaphyſ. diſput. 7. ſect. 1. num. 18. quoſdam quaſi modos eſſentiales, qualis eſt ratio neceſſarij, ac contingentis, completi, & incompleti, in ijs, quæ talia ſunt ſuaptè natura, nõ eſſe verè modos, nec habere diſtinctionẽ ex natura rei ab entibus, quorum finguntur modi, ſunt enim rationes quædam tranſcendentes intrinſecæ rebus, & ab eis nequaquam diſtinctæ ex natura rei, quod eſt commune rationibus omnibus tranſcendentibus eſſentialibus: nam, cùm ſint analogæ, non dicunt conceptum obiectiuum præciſum, ac diſtinctũ ex natura rei ab analogatis: alioquin hæc nõ eodem conuenirent, ac differrent, vt docent communiter Metaph. ſed conſtarent duobus ex natura rei diſtinctis, quorum altero conuenirent, altero differrent. Hac igitur ententia omiſſa rectè Mayron. in 1. d. 8. q. . art. 2. & q. 5. §. cit. & tract. formalit. art. 2. punct. 1. & ex ipſo Sirect. in formalit. art. 2. *Suarius.* *Mayron.* *Sirect.*

partiali,

partiali, & Nicolaus Bonettus lib. 3. Met. cap.5. hac ferè ratione modum diffiniunt. Modus est id, quod adueniens alicui enti, vel ab eo recedens nõ variat eius rationem formalem, intellige nec intrinsecè, nec extrinsecè: quædã enim, licet non varient intrinsecè, quia non tollunt propriam, & intrinsecam rationem formalem subiecti, cui adueniunt, variant tamen extrinsecè, quoniam accessu suo important nouam formalitatem, quæ addita præexistenti reponit illud saltẽ extrinsecè sub alia ratione formali; qua ratione sapientia adueniens Socrati importat rationem formalem qualitatis, & habitus: prædicata vero essentialia variant intrinsecè: nam, si fingatur aduenire Socrati irrationalitatem recedente rationalitate, variatur intrinsecè ratio formalis, & ita illi, qui prædicata Metaphysica volunt ex natura rei distingui inter ipsa, non realem, aut modalem, sed formalẽ distinctionem constituere debent.

X. Itaque modus propriè, ac presse sumptus non est simpliciter ens, nec propriè habet essentiam, nec eam, cui aduenit, extrahit à propria ratione formali. Ex quo colligitur modũ nulla virtute etiã diuina existere, aut intelligi posse absque re, cuius est modus: nam, cùm ex se non habeat entitatẽ, indiget alterius adminiculo, vt existat: cùm non habeat propriè essentiam, aut rationem formalem, opus est, vt intelligatur simul cum ratione formali eius, cuius est modus: qua ratione intensio, ac remissio nec est, nec intelligitur absque qualitate, neque inhærẽtia sine accidente, neque personalitas sine natura, neque finitas, aut infinitas sine quantitate, neque ratio completi, aut incompleti sine re cui vicissim altera ipsarum accedit, loquor enim de ratione completi, & incompleti, non essentiali, sed accidentali, qualis cernitur in rebus quantis homogenijs: nam aqua, quæ modo erat totum per se, & completa, potest coniungi cum alia, & subire rationem entis incompleti, & vicè versa: Ex quibus iam facilè sumi potest ratio distinctionis modalis, est autem distinctio ex natura rei inter plures modos eiusdem rei, vel inter rem, & modum ipsius qua ratione natura distinguitur à suppositalitate, inhærentia actualis ab accidente: & eadem inhærentia, & intensio qualitatis inter se.

XI. Explicata distinctione, & eius generibus facilè est identitatem, & eius genera describere: est autem identitas ex natura rei indiuisio, seu indistinctio secundum rationem aliquam entitatis: quæcunque enim secundum quamuis rationẽ entis indiuisa sunt, idẽ sunt: exempli causa calor, & calefactio sunt idem ex natura rei realiter, quoniam calefactio non est diuisa realiter à calore, nec enim est alia realitas ab ipso, & sic in cæteris. Notandum tamẽ est, sicut tres distinctiones numeratæ possunt simul cohærere in eadem re respectu alterius, verbi gratia, si comparetur candor intensus cum nigredine remissa, differunt enim realiter, ac formaliter vt patet, itemque modaliter quoad intensionem, ac remissionem, ita quoque posse eandem rem habere omnem rationẽ identitatis realis, formalis, ac modalis, quando idẽ omninò, & prorsus indiuisum comparatur sibi ipsi, vt se habẽt diffinitio, ac diffinitum, inter quæ est perfecta identitas. Verùm identitas modalis accipi potest dupliciter, nempè negatiuè, ac positiuè: negatiuè sumitur, quando nõ est diuisio secundum modũ essendi, siue modus sit in re, siue non: & hac ratione Socrates potest dici idẽ sibi etiam modaliter, quoniam in ipso nõ est discretio secundum modum: non enim, quatenus subit vicem duorum extremorum, quæ comparantur secundum identitatem, habet ex vna parte modum, & nõ ex alia, sed idem prorsus est vtrobique: positiuè autem, quando est modus, & identitas secundum illum, qua ratione vnio accidentis ad subiectum, & inhærentia sunt idẽ modaliter: nõ enim sunt duo, sed vnus modus ratione distinctus. Sed omissa hac perfecta, & omnimoda idẽtitate, quæ omnia identitatis genera includit, statuenda sunt etiam tria genera identitatis, opposita explicatis generib' distinctionis. Inprimis est distinctio realis, cùm est diuisio secundum rem: formalis, cùm secundum rationes formales distinctas quidem ex natura rei, non tamen realiter: modalis denique, cùm est diuisio secundum modum essendi. Sed de his fortasse pluribus disserui, quam desiderari posset à Theologo, sed non sine exemplo, & occasione: aliqui enim Doctores Theologi hoc argumentũ fusè tractant ad intelligendã identitatem, ac distinctionem perfectionum diuinarum, qua de re deinceps agere incipiam.

In Deo penes essentialia non est distinctio realis, aut modalis.

Caput IV.

DVpliciter ens aliquod comparari potest quoad distinctionem, & identitatem, nempè cum alijs à se, & extrinsecis, vel cũijs, quę sunt aliquid sui, & intrinseca. I.

Si prio-

Si priore modo consideretur Deus, nullam omninò cum rebus alijs à se habet identitatem, sed omnimodam distinctionem, cùm sit primo diuersus à creatura in nullo prædicato vniuoco cum ea conueniens: nec item potest esse idem subiecto cum re alia à se, cùm nec sit accidens, nec capax illius: illud tamen notandum coniunctionem naturæ diuinæ, atque humanæ in eadem hypostasi verbi, ex qua prouenit, vt in concreto de se inuicem prędicentur, reduci aliquo modo ad identitatem subiecti: non quod re vera Verbum habeat propriam rationem subiecti, sed quia, cùm omnis vera affirmatio nitatur aliqua identitate, & duæ naturæ in Christo cæteroqui diuersæ verè enuncientur tum de Verbo, tum de se inuicem in concreto, habere debent aliquem modum identitatis: non est autem vllus, cùm quo maiorem habeat similitudinem, quam cum eo, quo dicuntur aliqua idem subiecto: quia scilicet, sicut hæc diuersa sunt inter se, & conueniunt in vno subiecto, cui inhærent, ita natura diuina, & humana in Christo sunt diuersæ, nec aliam habẽt cõuenientiam, quã in hypostasi Verbi, in qua subsistunt. Porrò intrinseca Deo, penes quę est alter cõparandi modus, quædã essentialia, quædã notionalia aut personalia sunt: de his nõ est hic agendi locus, sed in materia de Trinitate: ideoque ijs omissis solum dicam de idẽtitate, aut distinctione essentialium; incipiam vero ab his, quæ faciliora sunt, nempè à distinctione reali, aut modali. Obseruandum vero est nõ agi hic de attributis, prout significant quædam prædicabilia de Deo mentalia, vel vocalia, in qua acceptione esse inter se, & ab essentia diuina realiter, & essentialiter distincta ex professo tradunt Ocham. in 1. d. 2. quæst. 2. à lit. F. Gabriel. quæst. 2. art. 2. Gulielm. de Rubione in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. Conclusione 1. & quæst. 4. art. 1. Conclusione 1. Alliacens. quæst. 6. art. 2. lit. I. Sed de perfectionibus significatis per huiusmodi nomina, vel conceptus, tum quia hæc solum propriè dicuntur attributa, vt ostendi hoc lib. tract. 2. cap. 5. tum quia de his solum potest esse difficultas.

Ocham. *Rubionius.* *Alliacensis.*

II. Non defuerunt autem, qui assererent attributa diuina, & ab essentia, & inter se distingui realiter, quos tacito nomine refert Nyph. lib. 12. Metaph. disput. 13. cap. 3. pro qua sententia nominatim refertur quidã Gualterus. Fundamentum eius erat, quoniam, quæ pertinent ad diuersa prædicamenta, vel ita se habent quasi ad ea pertineant realiter distinguuntur: essentia vero diuina, & attributa ita se habent: nam essentia est vt in prædicamento substantiæ, attributa, vt in prædicamentis accidentium: quare & inter se, & ab essentia re ipsa differunt. Idem ferè argumentum repetitassumpto alio principio: nempè quoniam ea, quæ non sunt eadem genere, aut specie, distinguuntur realiter: at sapientia, iustitia, & alia attributa non pertinent ad idem genus, aut speciem: admittunt enim realem distinctionem secundum proprias rationes considerata: ergo etiam in Deo admittent. Quoniam vero multiplicitas realis obstare videtur simplicitati diuinæ, respondet non obstare nisi interueniat compositio: hæc autem exigit diuersas partes, quarum aliæ habeant rationem actus, aliæ rationem potentiæ: at perfectionum diuinarum nulla habet rationem potentiæ: & idcirco ipsarum multiplicitas compositionem non arguit, & consequenter simplicitati diuinæ non repugnat.

Nyphus. *Gualterus.*

III. Hæc sententia, si nomen realis distinctionis vsurpet ad mentem auctorum, qui omnem distinctionẽ ex natura rei realem vocant, non est digna maiore censura, quam sententiam Scotistarum, de qua inferius: & fortasse Gualterius nihil aliud voluit. Verùm, quoniam refertur nomine distinctionis realis, impugnanda est iuxta acceptionem distinctionis realis presse sumptæ. In hac eadem sententia ita explicata credunt nonnulli fuisse Gilbertum Porretanum Episcopum Pictauiensem ex eo, quod negauerit in rigore esse veras propositiones huiusmodi, Deus est sua diuinitas, sua sapientia, &c. vt refert Bernard. serm. 80. in Cantica, & habetur in commentarijs ipsius in lib. 1. Boëtij de Trinitate, §. *Rursus*, ad medium, & in lib. 2. §. *Idque signi erit*, sed ex hoc non colligitur ipsum constituere distinctionem vllam inter essentiam, & attributa: sed inter essentiam, & personas, quoniam non loquutus est de Deo, quatenus est nomen essentiale, sed quatenus supponit pro personis, vt refert Otto Episcopus Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici primi Imperatoris cap. 56. Et ita ipsius error consistebat in eo, quod inter relationes, & essentiam constitueret distinctionem, non vero inter essentiam, & attributa. Verosimilius pro hac sententia referri posset ex eo, quod docet in commentarijs in lib. 1. Boëtij de Trinitate non longè à fine: explicans enim quid intelligat Boëtius per prædicationem secundum se. *id est*, inquit, *qua vel αὐτὰ ipsa prædicatur, vt Deus, vel secundum αὐτὰ quodlibet extrinsecus affixorum, vt semper esse, vel vbiq;, vel operari*: vbi manifestè docet æternitatem, & immensi-

Gilbertus. *Bernard.* *Otto Frisingensis.*

tatem

tatem esse extrinsecus affixas, quæ proinde necessariò realiter ab essentia distinguendæ sunt. Sed neque hæc probant ipsum agnouisse distinctionem vllam inter attributa: Eodem enim lib. & alibi clarissimè docuit, attributa esse de intrinseca ratione essentiæ, & nulla ratione ab illa distingui. testimonia retuli tractat. 1. cap. 8. & referam hoc tract. cap. 6. Pro solutione autem notandum est, Gilbertum à §. *Sed hæc*, ex doctrina Boëtij eam ponere distinctionem inter res primorum trium prædicamentorum, ac reliquorum, quoniam, quæ ad tria prima pertinent, quando de aliquo prædicantur, significant ipsum esse rei, vel ipsam rem esse: dicimus enim hominem esse, vel Deum esse, esse magnum, esse bonum: aliarum categoriarum prædicationes. *non*, inquit Boëtius, *monstrant rem esse, sed potius extrinsecus aliquid quodammodo affigunt*, quia nimirum significant cum collatione, vel respectu ad aliud: vt esse vbique, & semper, significat Deum, vt correspondet omni tempori, & loco: vnde nihil amplius docet Gilbertus, quàm Boëtius, sed illius sententiam fusius exponit: neque sequitur in eorum sententia immensitatem, & æternitatem, vt dicunt perfectionem intrinsecam Deo, esse extrinsecus affixas, sed vt comparantur ad extrinseca, & significantur per esse vbique, & semper: quod non est absurdum, hoc enim modo significant solam relationem rationis.

Gilbertus.

IV. Sententia Gualteri est absurda, à fide, & à vera Philosophia aliena. A fide, quoniam decretum Eugenij tertij quo damnatur error Gilberti de distinctione relationum ab essentia, cuius meminit Bernardus serm. 80. in Cantica. Otto lib. citato cap. 57. & Auctor Commentariorum in lib. 1. Boëtij de Trinitate, apud Bedam tom. 8. columna 1113. non minus militat contra hanc positionem: nam, siue attendamus vnitatem, siue simplicitatẽ Dei, aut quamuis aliam perfectionem, cui Patres Concilij crediderunt repugnare distinctionem realem inter essentiam, ac relationẽ, comperiemus non minus repugnare ijs distinctionem realem essentiæ, & attributorum, item omnes auctoritates Patrum, quas infra adducam aduersus sententiam Scotistarum, hanc manifestius conuincunt: nam, si sapientia Dei distinguitur realiter ab eius essentia, fieri nequit, vt in Deo idem sit habens, & habitum, quod passim inculcatur à Patribus: patet consequentia, quoniam in nobis ob eam causam non est idem substantia sapiens, ac sapientia, quoniam hæc ab illa realiter distinguitur.

Eugenius. Bernard. Otto Frising. Auctor. Com.

Hanc ficet veritatem ex professo probant Adamus in 1. d. 6. q. 1. conclusione 1. Ioan. Bassolis. d. 22. q. 2. art. 4. Rubion. d. 8. q. 5. art. 1. conclusione 1. Marsil. quæst. 12. art. 3. prima p. articuli conclusione 1. & Francisc. à Christo d. 2. q. 3. conclusione 1. & facilè ostenditur breui discursu in hunc modum. Quæcunque sunt plura, & distincta realiter, aut habent distinctas subsistentias, cùm vnitate naturæ: aut cum huius distinctione se ipsis seorsim subsistunt absque vllo nexu, & coniunctione: aut aliqua connexione, & vnitate interueniente existunt alia in alijs, aut omnia in vno tertio: nullus ex his modis admitti potest in perfectionibus diuinis, si realiter distinguantur: non ergo distingui possunt. Maior propositio patet ex sufficiente enumeratione: omnis enim distinctio realis aut est solum penes suppositalitates, aut penes naturam, nomine vero naturæ intellige omnem rationem essentialem à suppositalitate distinctam, aut penes vtrunque, primum verò membrum sumitur à distinctione secundum suppositalitates, secundum à distinctione secundũ naturam, tertium à distinctione secundũ vtrunque: & ita distinctio est adæquata, & necessaria. Assumptio quoad primum membrum ostẽditur: quoniam attributa, si realiter distinguuntur, habere debent distinctionẽm in genere naturæ, alia enim est ratio essentialis absoluta sapientiæ, alia iustitiæ, & ita nõ possunt habere distinctas subsistẽtias cum vnitate naturæ. Nam, si haberent, essent tot personæ diuinæ, quot attributa: id vero absurdum, & hæreticum est, vt patet. Quoad tertium ostenditur, quoniam eo dato essent plures dij, quod & fidei, & rationi repugnat. Patet consequentia, quoniam essent plura entia per se subsistentia cum distinctione suppositali, & essentiali; quæ vero ita se habent nullo modo sunt vnum: singula vero essent à se increata, & æterna: ergo plures dij. Vtrunque vero membrum horum potest eadem ratione impugnari: nam quæ altero ex his modis distinguuntur, nullo modo inuicem prædicantur, vt per se patet, propria enim vnius habentis propriam subsistentiam non dicuntur de alijs per se subsistentibus: attributa vero diuina inuicem prædicantur, & de essentia: nam, Deus dicitur sapiens, ac iustus: item æternus dicitur, immutabilis, & viceuersa: quare fieri nequit, vt sint diuersa realiter secundum rationem subsistentiæ, siue cum identitate, siue cum diuersitate naturæ: Denique secundum membrum bifariam adhuc potest diuidi: nam diuersæ naturæ aut sunt

V. *Adamus. Bassol. Rubionius. Marsil. Francisc. à Christo.*

subſtantiales, aut accidentales: ſubſtantiales, aut ſunt integræ, atque completæ: quomodo natura diuina, & humana intercedente vnione hypoſtatica ſubſiſtunt in hypoſtaſi Verbi: aut partiales, & completæ, ſicut anima, & corpus ſe habent ad ſubſtantiam creatam hominis. omnes hi modi repugnant perfectionibus diuinis, quoniam non ſunt accidentia extrinſeca eſſentiæ, ſed de eius ratione formali intrinſeca: non naturæ completæ: nam ſingula requirerent propriam ſuppoſitalitatem: ſi enim inter creaturas quæuis natura ſubſtantialis completa propriam vendicat ſuppoſitalitatem, cur eandem non expoſcerent perfectiones increatæ, ſi eſſent naturæ completæ realiter diſtinctæ? non incompletæ, ac partiales, quoniam à naturis incompletis non poteſt remoueri ratio partis, ex quo ſequitur compoſitio naturæ completæ ex ijſdem coaleſcentis, quæ repugnat ſimplicitati diuinæ.

VI. Fundamenta Gualteri non ſunt illius momenti: tum quia non eſt opus, vt quæcunque diſtinguuntur prædicamento, aut genere, aut ſpecie diſtinguantur realiter preſsè, vt hic agimus: etenim actio, & paſſio diſtinguuntur prędicamento, & nihilominus de ſententia Philoſophi 3. Phyſic. t. 21. non diſtinguuntur realiter: item ſimilitudo, ac diſſimilitudo, quæ continentur ſub diuerſo genere prædicamenti, quia illa eſt relatio æqualis, hæc inæqualis comparationis: & tamen quando reſpectu diuerſorum idem quantum dicitur æquale, & inæquale, ſunt idem realiter: denique tempus, ac motus, quæ ſub eodẽ genere proximo ſpecie differunt, ſunt idem realiter. Quin vero licet omnes creaturæ in diuerſis prædicamentis diſpoſitæ realiter differrent, vt differunt Angelus, & ſapientia creata, non proinde prædicata diuina, conuenientia cum creatis in communi aliqua ratione analogica eodẽ modo differre debent: nã id habent creatæ ex eo, quod ſunt entia per participationem, ac limitata, ac proinde, non quidquid ſunt, ſe ipſis, ac per eſſentiam ſunt, ſed intrinſeca perfectio ipſorũ reſtringitur ad certum genus, quod prẽterea indiget perfectionib⁹ alijs extrinſecis à ſe re ipſa diſtinctis. At Deus eſt perfectio omnis per eſſentiam, non alterius participatione: ideoq; quidquid eſt ſeipſo, & non alio eſt: atque adeò non eſt in ipſo aliud, & aliud, ſed omnia ſunt idem, vt recte docet Aug. lib. 6. de Trinitate cap. 6. nam, cùm dixiſſet Deum eſſe magnum, bonum, ſapientem, beatum, & cætera, ſubdit: *Sed eadem magnitudo eius, quæ ſapientia: non enim mole magnus eſt, ſed virtute; & eadem bonitas, quæ ſapientia, & mægnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia, & non eſt ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnum, aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe, aut omninò ipſum eſſe.*

Ariſtot.

Auguſtin.

VII. Iam vero ſolutio, qua vtuntur ad vitandam compoſitionem, non eſt idonea. Etenim ſuppoſita ipſorum ſententia neceſſario ſequitur, aut perfectiones diuinas nõ eſſe vnum, ſed aggregatum quoddam per accidens, aut inter ipſas interuenire rationem actus, & potẽtiæ. Id vero ſequi oſtendo, quoniam aut inter ſe, & cum eſſentia, nexu aliquo copulantur, aut ſunt diſſolutæ, & ſeparatæ: ſi detur hoc ſecundum, eſt aggregatum per accidens, quod cõſtat pluribus entibus per ſe nullo vinculo colligatis: ſi detur primum, neceſſariò admitti debet ratio actus, & potentiæ. Probatur vltima pars, quoniam nexus omnis, & copula naturalis naſcitur ex appetitu alterius ex extremis copulatis, aut vtriuſque: appetitus autem radicatur, vel conſiſtit in ratione potentiæ: at vero perfectiones diuinæ, ſi differrent re ipſa, & interueniente copula iungerentur, eam naturaliter exigerent: quidquid enim Deo competit independenter ab eius actu libero, naturale omninò illi eſt, ergo ſi perfectiones diuinæ re ipſa diſtinguerentur, & nexu aliquo copularentur, aliqua ipſarum haberet appetitum, ac rationem potentiæ reſpectu cæterarum. Nexum vero omnem naturalem naſci ex appetitu patet, quoniam niſi adſit naturalis appetitus coniunctionis, non eſt vis, aut naturale principium actiuum coniunctionis, cuilibet enim potentiæ actiuæ naturali reſpondet naturalis appetitus coniunctionis, cuilibet enim potentiæ actiuæ naturali reſpondet naturalis appetitus ſubiecti: naturale enim dicitur id, quod eſt ſecundum appetitum naturæ, & eo diſtinguitur à violento, quod ad hoc non eſt appetitus in natura, ad illud vero maximè: nec aſſignabitur vlla coniunctio naturalis, ad quam non ſupponatur appetitus naturalis vnius extremi reſpectu alterius: appetitum vero omnem naturalem radicari in potentia paſsiua: vel eſſe idem cum ipſa patet, quoniam nihil appetit naturaliter id, quod ſibi impoſsibile, aut intrinſecum, & eſſentiale eſt: quia ſecundum eſſentialia eſt actu, ad impoſsibilia habet repugnantiam: ſolùm vero appetitur perfectio extrinſeca eſſentiæ, & cõſequenter accidentaria, ac poſſibilis haberi: ſed omnis natura, quæ ſecundum ſe conſiderata nõ vendicat intrinſecè perfectionem aliquam à ſe diſtinctam realiter, eſtque apta habere illam, eſt in potentia

tentia ad ipsam: omnis quippe res considerata respectu alterius perfectionis sibi non repugnantis vel est actu, vel potentia: quare, si secundum rationes essentiales nō vendicat actu eam perfectionē, erit in potentia respectu eius, & consequenter appetitus omnis naturalis vel radicatur, vel consistit in potentia respectu actus, quem appetit.

VIII. Non defuerunt etiam, qui distinctionem ex natura rei modalem agnoscerent, in perfectionibus attributalibus, quidam in omnibus, quidam in aliquibus. Omnes distingui modaliter asseruit Ioan. de Viterbio, cuius meminerunt Argent. in 1. d. 8. q. 1. art. 4. Toletan. ead. d. q. 1. art. 2. & 3. & Francisc. à Christo d. 2. q. 3. Existimabat autē perfectiones attributales esse in Deo distinctas ex natura rei, nō quidem tanquam res diuersas, sed tanquā diuersos modos reales eiusdē rei, ita vt pluralitas ipsorum non sit pluralitas simpliciter, sed secundum quid. Probat auctoritate Auerr. 12. Metaphys. dicentis vitam, & viuens in Deo esse idē in subiecto, & duo secundum modum, quia non significant idem omnibus modis, sicut nomina synonyma: deinde quoniam non minus differunt attributa diuina inter se; quā ens, & vnum: quæ sunt idem, & vna natura, vt ait Philosophus lib. 4. Metaphys. cap. 2. at ens, & vnum de sententia Comment. 4. Met. Comment significant vnam, & eandem naturam in forma, sed differunt in modo. Denique ratione, quoniam modi significandi sequuntur modos intelligendi, hi vero modos essendi: ergo diuersis modis intelligēdi perfectiones diuinas respondet aliquid in re, vel nihil: si nihil, sunt potius figmenta intellectus, quā diuina attributa: ergo aliquid: cùm vero esse nequeant diuersæ res absolutæ, erunt diuersi modi absoluti reales. Mitto alias eius rationes, quoniam sunt ferè eædē cum ijs, quibus vtuntur Scotistæ ad probandam distinctionē formalem, quas infra expendam. Nec vero positio hæc videatur repugnare simplicitati diuinæ, ait diuersitatem, quæ prouenit ex perfectione, nec inducit compositionem, non opponi simplicitati: eiusmodi vero esse pluralitatem modorum, qui dicunt diuersas perfectiones: atque adeò hæc pluralitas ex perfectione manat, nō inducunt autē compositionem, quoniam non dicunt diuersam rem, aut esse, sed in vna re, & in vno esse simplici radicantur: Ea vero sola compositionem inducunt, quæ diuersam rem, & esse dicunt. Itaque modi ipsi essendi sunt diuersi, sunt tamen in essentia diuina vnitissimè, sicut diuersitas linearum quasi in suo principio, vel termino in centro indiuisibili continetur: & sicut omnis varietas numerorū vnitissimè, & indiuisibiliter, tanquam in sua origine, continetur in vnitate.

Viterbius. Argentin. Toletan. Francisc. à Christo.

IX. Hæc tamen sententia asserens omnia attributa esse modos reales ex natura rei distinctos, vel accipit modos latè, qua ratione formalitates modi quidam dicuntur, & ita coincidit cum opinione Scotistarum, vndè Aquilanus in 1. d. 8. quæst. 4. art. 2. in principio docet dari in diuinis distinctionem attributorum ex natura rei, quę potest appellari formalis, siue modalis: vel accipit modos propriè, vt cap. 3. explicaui: & quidem in priore sensu inferius impugnabitur, nunc solùm in posteriore: contraria est communis, ideoque non oportet citare singulos, quàm vero censuram mereatur dicam, cum sermo erit de distinctione formali: Nunc vero omittam auctoritates, & reliqua argumenta inferiùs producenda contra omnem distinctionem ex natura rei; solumque ex ipsa ratione distinctionis modalis arguam. Inprimis vero quoniam modi non important diuersam rationem formalem ab ea, quàm habet res, cuius sunt modi; at pleraque attributa diuina habent diuersam rationem formalem ab inuicem, & ab essentia, alia enim est ratio formalis vitæ diuinæ, alia sapientiæ, alia iustitiæ, & similium: quare, si ex natura rei distinguuntur, plusquam modaliter distinguuntur. Secundo modi propriè dicti, à quibus sumitur distinctio modalis, cum non sint propriè res, vt ipsemet Iacobus admittit, habent imperfectum modum essendi, & dependentiam à re, cuius sunt modi, absurdum vero est concedere huiusmodi imperfectiones in diuinis attributis. Tertio prædicata omnia communia Deo, & creaturis sunt in illo perfectius, & eminentius, quam in creaturis: absurdum quippe esset formas in suo fonte, ac origine deteriores esse, quam in riuulis à fonte deriuatis, & entia per participationem excellere ea, quæ sunt à se, & ab alijs participantur: at sapientia, iustitia, intellectus, & similia, quæ conueniunt creaturis ex participatione summi boni, in creaturis nō sunt modi, sed res absolutæ: ergo nec in Deo erunt modi, sed res, atque adeò, vt rectè arguit Toletanus vbi supra. si ex natura rei distinguuntur, non modaliter, sed realiter distingui debent. Et confirmatur, quoniam non sunt minus perfecti, nec minus ponunt numero modi reales absoluti, quam respectiui: sed respectiui, vt idemmet auctor concedit, simul cum essentia cōstituunt personas, quæ sunt verè plures res, & non modi

Aquilanus.

Toletan.

rerum: ergo etiam absoluti constituunt plures res absolutas ad inuicem distinctas, quod nec ipse admittit, nec patitur fides de perfecta vnitate Dei, & Trinitate personarum.

X. Auctoritates Auerrois non fauent sententiæ Iacobi. loquitur enim de modo significandi, siue intelligendi, non autem de modo essendi, vt ait Toletan. vbi supra art. 4. ad argumenta. Etenim Commentator, vt cap. sequent. num. 5. ex eiusdē sententia ostendam, censuit nō dari in diuinis distinctionē vllam ex natura rei. nunc autem ex ipsismet dictis, quæ obijciuntur res ostendi potest: certum quippe est viuens, ac vitam non esse attributa diuina, prout à nobis concipiuntur, sed prædicata intrinseca, & solùm differentia penes modū significandi concrete, & abstracte, nō vero penes modum essendi: nam, vt ex Patrum sententia ostendi hoc lib. tract. 1. cap. 10. num. 8. in Deo non differt vllo modo, quod est, & quo est: & ita nec viuens, & vita. tantum ergo requirit Commentator diuersitatem modi sufficientis, ne nomina viuens, & vita Synonyma censeantur: ad hoc autem, vt dicam inferiùs, sat est diuersus intelligendi, & significandi modus. Secundum dictū eiusdem similiter exponi debet: nam, cùm dixisset ens, & vnum, significare vnam, & eandem naturam in forma, addidit differre in modo, nempè significandi: quia ens significat illā formaliter, & in recto, vnum vero materialiter, & in obliquo. Ad argumentum respōdetur, singula attributa diuina significare aliquid à parte rei, non tamen distinctum re ipsa à significato reliquorum: sed vnum, & idem à parte rei, & solùm virtute, siue per intellectum distinctum, vt infra fusius explicabo: ex quo non sequitur esse plures modos reales ex natura rei distinctos. Nam etiam substantia, & ens significant aliquid verum in re ipsa, & non figmentum intellectus: nec tamen in Socrate ratio entis distinguitur ex natura rei à ratione substantiæ, nec sunt plures res, aut modi reales.

Toletan. Auerr.

XI. Modus autem conciliandi pluritatem modorum cum simplicitate diuina non est aptus. Etenim ad compositionem non requiritur diuersitas inter rem, & rem: sed sat est quæuis distinctio ex natura rei duorum coeuntium in vnum per se, vel per accidens. At res, & modus ipsius ita se habent, maximè quando modus est perfectio rei: tunc enim habet se ad illam per modum actus, res autem per modum potentiæ appetentis perfectionem non intrinsecam, sed superadditam essentiæ: qua ratione natura appetit suppositalitatem, qualitas intensionem, & sic in cæteris. Quoties enim est diuersitas actualis penes habens, & habitum, aut penes id, quod est, & quo est, interuenit ratio compositionis: in omni vero distinctione modali importatur huiusmodi diuersitas: nam accidens ab inhærentia actuali dicitur formaliter inhærens natura à subsistentia subsistens, anima vnione vnita corpori: & ita datur compositio ex inhærentia, & accidente inhærente, ex subsistentia, & natura subsistente, ex vnione, & anima vnita. Eodem modo, si sapientia, & iustitia essent modi reales ab inuicem, & ab essentia distincti ex natura rei, cùm Deus sit sapientia sapiens, iustitia iustus, esset in ipso compositio ex eo, quod est, & quo est. Iam vero, vt notat Argentinas vbi supra, exempla puncti, & vnitatis non sunt ad rem: lineæ enim secundum suam entitatem diuisibilem nō sunt actu, & formaliter in puncto, nec numerus in vnitate, sed solùm tanquam in termino, vel principio: Si vero lineæ essent per impossibile formaliter in puncto, non distinguerentur inter se ob simplicitatem, & indiuisibilitatem puncti, vel si distinguerentur. punctum esset diuisibile, & compositum. At attributa diuina sunt formaliter in Deo secundum totam suam entitatem: ideoque non possunt distingui intrinsecè tanquam modi reales absque operatione intellectus, quin essentia diuina ratione illorū composita dicatur. Ex quibus elicitur distinctionē modalem euertere simplicitatem, ideoque remouendā à perfectionibus diuinis.

Argentin.

XII. Mayronius quamuis communiter cum alijs Scotistis admittit in attributis diuinis distinctionem ex natura rei formalem, in quibusdā tamen agnoscit modalem: nempè in infinitate, & æternitate, vt videre est in 1. d. 8. q. 1. art. 3. & 4. Conclusione 4. & q. 5. §. *Viso quid sit formalitas*: & §. *His visis*, ad nonā difficultatem, & q. 7. art. 2. ad finem, & tractat. formalitatum art. 3. ounct. 2. & 3. Consentiunt alij Scotistæ, quos referam tract. de infinitate diuina. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam infinitas non est per se propria, & particularis ratio formalis, sed communis modus perfectionum diuinarum: non enim sola essentia est infinita, sed sapientia, omnipotentia, & cætera: & ita infinitas, quatenus est modus essentiæ, solùm dicit rationem essentiæ interminatam: quatenus vero modus sapientiæ, rationem sapientiæ interminatam, & sic in cæteris. Et ostenditur à simili, quoniam finitas, & infinitas secundum quantitatem sunt modi quantitatis creatæ, à cuius

Mayronius.

ratione

ratione formali egrediuntur: ergo etiam infinitas in Deo erit modus magnitudinis eius virtualis. Et idem sentit de æternitate, necessitate, & alijs, quæ ex æquo conueniunt omnibus perfectionibus Dei. Hanc vero positionem probari posse ait applicando rationes à se traditas ad inuestigandam distinctionem modalem: sed eo art. 3. & 4. solùm dixerat distinctionem modalem inuestigari posse eadē via, qua modi ipsi inuestigantur: eam vero non alibi tradit, quam quæst. 5. vbi assignauit diuersa genera modorum. De distinctione formali inferiùs agendum est; modalis si sit ex natura rei, ijsdem medijs impugnatur, quibus paulò antè vsus sum contra positionem Iacobi de Viterbio: si vero sit solùm virtualis, & secundum rationem, non est cur negetur in nonnullis attributis diuinis, vt suo loco dicam: & ideò absurdum non est concedere infinitatem, & quædam alia attributa significare modos se habendi perfectionum diuinarum, non quidem actu distinctos antè operationem intellectus, sed virtute solùm. An verè æternitas habere debeat rationem modi, an propriæ formalitatis, in tractatu proprio dicetur.

In Deo non esse distinctionem formalem ex natura rei, probatur auctoritate Scholastico-rum, & Philoso-phorum.

Caput V.

I. MAximè celebris controuersia est inter Scotistas, ac reliquos Theologos de distinctione formali perfectionum diuinarum attributalium, tum inter se, tum ab essentia diuina antè omnem operationem intellectus. Et quoniam hæc difficultas varijs dubitationibus, argumentis, ac responsionibus est intricata, claritatis gratia incipiam à confirmatione partis, quam certam puto: deinde dissoluam argumenta contrariæ: & primo quidem vtar argumentis ab auctoritate, postea rationibus expendens simul solutiones à Scotistis adhiberi solitas. Inprimis quod attinet ad Scotum, non ita clarè locutus est, vt non reliquerit locum dubitandi de propria sententia ipsius, quidam enim quos tacito nomine refert Gregor. in 1. d. 8. quæst. 1. art. 1. existimarunt ipsum non docuisse dari distinctionem actualem diuinorum attributorum inter se, & ab essentia diuina antè omnem intellectus operationem, sed tantum virtualem: & in hunc sensum Scotum interpretantur Guilielm. de Rubione q. 3. art. 2. ad finem, & Chrysostomus Iauellus lib. 12. Metaphys. quæst. 19. art. 3. sed huiusmodi interpretationem benè confutat Gregorius vbi supra ex dictis ipsius Scoti, idque satis confirmatur ex eo, quod ipsius discipuli eam sententiam apertè sequuntur, tanquam de mente ipsius: & Doctores oppositæ sententiæ, quos post Durandum mox referam, in eodem sensu Scotum impugnant. Perfectiones igitur Dei attributales antè omnem operationem intellectus ex natura rei distingui formaliter, tradidit Scot. in 1. d. 8. quæst. 3. alias 4. §. *Ista tamen positio*, & sequent. cum Lycheto, & Bargio ibidem, & quodlibet. q. 1. §. *De primo*, Bassol. in 1. d. 22. quæst. 3. art. 2. §. 1. quæst. 4. art. 2. & 3. Franciscus Mayronius d. 8. quæst. 3. 5. & 7. Petrus de Aquila quæst. 4. & 3. Antonius Andreas, & Nicolaus de Orbellis quæst. 4. Petrus Thomas in suis formalitatibus, tertia propositione, Sirectus in formalitatibus art. 3. minus principali in Corollario 2. Secundæ conclusionis cum Hieronymo à Pistorio ibidem lect. 29. Nicolaus de Nysse tractat. 1. p. 3. port. 1. quæst. vn. Gulielm. Vorrilong. in 1. d. 8. quæst. vn. art. 2. conclusione 2. Nicolaus Bonettus lib. 2. Theologiæ naturalis cap. 1. §. *Dicamus*. & cap. 2. Cardinalis Sarnanus in directorio Theologico Verbo: *Attributo*. in eandem sententiam inclinat Petrus de Candia apud Carthusianum in 1. d. 2. quæst. 2.

Cubionius. *Iauellus.* *Gregor.* *Scot.* *Lycheus.* *Bargius.* *Bassol.* *Mayronius.* *Aquilanus.* *Anton. Andr.* *Nic. de Orbell.* *Petrus Thom.* *Sirect.* *Pistorius.* *Nysse.* *Vorrilong.* *Bonettus.* *Sarnanus.* *Candia.*

II. Scotistæ autem, ne soli ipsi existimentur eius sententiæ assertores, contendunt antiquos Theologos idem censuisse, si non expressè, saltem implicitè. Quod colligit Mayronius quæst. 5. citata. §. *His visis*, quoniam omnes demonstrant vnum attributum per aliud: & concedunt demonstrabilem esse de Deo necessitatem, ac æternitatem: circa infinitatem vero plurium laborant. At si inter ea non esset distinctio, nec vnū per aliud demonstrari, nec vnum sine alio euidenter posset agnosci. Præterea omnes disputant contra Philosophos, qui posuerunt Deum esse principium creaturarum per intellectum, non per voluntatem: quæ si non distinguuntur, ipsi sentiunt idem, quod Philosophi, quos impugnant: ideoque, vt ipsi non iudicentur inepti, distinctionem aliquam ex natura rei agnouisse credendi sunt. Denique omnes communiter docent essentiam diuinā sub præcisa ratione essentiæ absque vlla ratione attributali nō esse principium productiuum Verbi, aut Spiritus sancti. Quod nihil

Mayronius.

omnino referret, si à parte rei nõ sit aliqua non identitas inter essentiam, & attributa.

III. Nihilominus excepto Scoto, & eius assectis communis omnium Theologorum sentẽtia docet perfectiones diuinas absolutas neque inter se, neque ab essentia distingui actualiter ex natura rei. Ita Magist. in 1. d. 8. lit. D. & F. & d. 45. initio. Altisiodor. lib. 1. cap. 2. quæst. 1. & cap. 4. q. 2. Alens. 1. p. quæst. 23. m. 4. art. 1. Albert. in sum. tractat. 4. quæst. 20. m. 3. ad 3. tractat. 14. quæst. 59. m. 4. particula 3. & in 1. d. 8. art. 3. S. Thom. opusc. 9. quæst. 1. 2. & 3. quæst. 7. de potentia art. 6. & in 1. d. 2. quæst. vnica, art. 2. & 3. & d. 22. quæst. vnica, art. 3. S. Bonauent. d. 34. quæst. 2. ad 5. Ægid. d. 2. 1. p. distinctionis quæst. 3. & d. 8. 1. p. secundæ partis principalis q. 4. ad 3. & 4. Henr. in sum. art. 28. quæst. 4. ad 1. art. 51. quæst. 1. quodlibet. 5. quæst. 1. & quodlib. 13. quæst. 1. Richard. in 1. d. 2. art. 1. quæst. 2. 3. & 4. Durand. q. 2. Heruæus quodlib. 1. quæst. 2. & quodlibet. 3. quæst. 3. art. 1. Aureol. in 1. d. 8. quæst. 3. art. 5. & 6. & d. 45. quæst. vn. art. 2. & 3. & apud eundem art. 1. q. 3. cit. Goffredus, & Gulielm. Varro. Ocham. quodlibet. 3. quæst. 2. & in 1. d. 2. quæst. 1. Adam. q. etiam 1. conclusione 2. & 3. Rubionius d. 8. quæst. 3. art. 1. conclusione 2. & art. 2. Coroll. 1. & 2. Alphons. de Toleto quæst. vn. art. 2. conclusione 2. & 3. Bachon. d. 2. quæst. 1. art. 3. q. 2. art. 3. & d. 39. quæst. vn. art. 3. Landulphus apud Lychetum d. 8. q. 3. Andr. de Nouo Castro d. 32. quæst. 1. Gregor. d. 8. quæst. 1. art. 2. Argentin. d. 6. quæst. 1. art. 2. Marsil. q. 12. art. 3. 1. p. articuli conclusione 2. & 3. Alliacens. quæst. 6. art. 2. à lit. L. Ioan. Gerson. 3. p. tractat. de illuminat. cordis alphabet. 69. lit. N. & 4. p. alphabet. 13. à lit. B. Capreol. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusione 1. Carthusian. d. 2. quæst. 2. & apud eundem Petrus de Taranthasia, Dionysius Cistercienss. d. 22. quæst. vn. art. 2. conclusione 4. & 5. Franciscus à Christo d. 2. q. 3. conclusione 3. Syluest. in conflat. quæst. 13. art. 7. Hispal. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusione 1. Soncin. eadem quæst. conclusione 4. Augustin. Nyphus 12. Metaph. disp. 13. cap. 3. 4. & 5. Petrus Niger in clypeo Thomistarum quæst. 10. in Porphyr. art. 1. Gabriel. lect. 49. in Canon. lit. M. & in 1. d. 2. quæst. 1. art. 2. Maior d. 8. quæst. 1. aliàs 4. conclusione 1. Caietan. de ente, & essen. quæst. 12. propositione 1. Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 24. §. *Dicitur ergo*, cap. 25. circa primam rationem S. Thomæ & cap. 32. §. *Quantum ad primum*. Michaël de Palatio in 1. d. 2. disput. 2. Chrysostomus Iauellus lib. 12. Metaph. q. 19. art. 2. Bartholomæus Torres in 1. p. S. Thom. quæst. 28. art. 1. 2. disput. 1. & recentiores interpretes ibidem.

Magister. *Altisiodor.* *Alensis.* *Albertus.* *S. Thom.* *S. Bonauent.* *Ægid.* *Henricus.* *Richardus.* *Durand.* *Heruæus.* *Aureol.* *Goffredus.* *Varro.* *Ocham.* *Adamus.* *Rubionius.* *Toletan.* *Bachon.* *Landulphus.* *Nouo Castro.* *Gregor.* *Argentin.* *Marsil.* *Alliacensis.* *Gerson.* *Capreol.* *Carthusianus.* *Tarantas.* *Cistercienss.* *Francisc. à Christo.* *Sylvest.* *Hispalens.* *Soncinas.* *Nyphus.* *Clypeus.* *Gabriel.* *Maior.* *Caietanus.* *Ferrarienss.* *Palatius.* *Iauellus.* *Torres.*

IV. Ex ipsis vero signis, quibus Scotistæ vtuntur ad probandum sententiam suam esse communem, magnum argumentum sumitur contra ipsos: non enim proferunt vllum auctorem extra suam scholam, qui hanc eorum sententiam expresè sequatur, cùm in alijs rebus non desint, qui ipsorum placita tueantur: Nec vero rectè ex indicijs proceditur, cùm auctores suam mentem apertè aperiunt, vt ferè omnes contra sententiam Scoti præstitere in hac materia, sicut patet ex locis quæ citaui. Et auctores, qui negant distinctionem ex natura rei inter perfectiones diuinas, soluunt argumenta paulò antè indicata ex Mayron. & alia similia, putantes ex ijs minimè inferri distinctionem: non est autem consentaneum impingere opinionem auctoribus, eo quod aliquid asseruerint, ex quo aliquis putat illam inferri, illi vero negant. Quin vero, etiamsi aliqui hac de re non fuissent expresè loquuti, indicia ipsa per se non sufficiunt. Non primum, quoniam vt respondet Toletan. quæst. citata art. 4. ad 11. Mayron. contra 3. conclusionem, ad habendum distinctos conceptus de obiecto re ipsa indistincto sat est distinctio virtualis ipsius, ratione cuius æquipollet rebus distinctis: & hoc ipsum sufficit, vt agnosci queat sub vna ratione, ignorari sub alia: & sub vna sumi, vt medium demonstrationis, sub alia vt subiectum, vel passio. Secundum etiam non est sufficiens: quoniam Philosophi, & Patres, vel Theologi contra eos disputantes non curabant de identitate, aut distinctione diuini intellectus à voluntate, sed tota inter eos dissensio erat vtrum creaturæ per voluntatem, hoc est liberè à Deo conditæ sint, an vero ex necessitate: ad quam quæstionem parum interest vtrum intellectus, ac voluntas diuina ex natura rei actu, an solùm virtute distinguantur. Nam libertas non pendet ex identitate, aut distinctione voluntatis ab alia potentia necessario operante, sed ab indifferentia ipsius, quatenus appetitus quidam est in ordine ad hoc, vel illud obiectum. Quod necessario cõuincitur etiam secundum opinionem Scotistarum, qui voluntatem eandem ponunt principium actuum necessariorum, ac liberorum: si igitur in eadem potentia volendi sub eadem omnino ratione formali, & habitudine ad obiectum bonum cohærere potest

Toletan.

neces-

necessitas, ac libertas respectu diuersorum obiectorum, cur non poterit fieri, vt eadem perfectio ex natura rei indistincta sub vna ratione formali virtuali in ordine ad obiectum alterius rationis habeat rationem potentiæ necessariæ, sub altera vero liberæ? Itaque Theologi, cum Philosophos impugnant, nec supponunt distinctionem ex natura rei inter voluntatem, & intellectum: neque cùm illis sentiunt, qui probant Deum libere rerum vniuersitatem condidisse, quod illi perperam negabant. Tertium, quod sumitur à terminis contradictorijs dictis de perfectionibus diuinis, soluitur dicendo, cùm non sint ijdem termini non esse verè contradictorias propositiones: at distinctio virtualis est in causa, vt non sint ijdem termini, sed de materia huius argumenti fusiùs agitur cap.13.

V.

Eadem etiam fuit communis Sententia inter Philosophos, in primis Aristotelis; nam 12. Metaphysic. t.39. sic ait: *Cæterum vita quoque inexistit, si quidem intellectus operatio vita est: ille vero est actus, actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque viuens esse: quare vita, & æuum, continuum, & æternum Deo inest, hoc enim Deus.* & tit. si docet intelligere Dei ipsius substantiam. Quod verò de intellectione dicit, credendus est de alijs attributis sensisse: est enim eadem ratio, vt Scotistæ fatentur. Autor Commentar. in libr. primum Boetij de Trinitate, qui habentur in tom.8. operum Bedæ colum. 1106. in fine refert descriptionem Dei datam à Parmenide Philosopho. *Deus*, inquit, *est, cui quodlibet esse quod est, est esse omne id, quod est.* subdit verò. *Quid sibi voluit Philosophus, nunquid per omne, & quodlibet pluralitatem in Deo constituit? absit, imò tantum pluralitatem vocabulorum complexus est: intellexit igitur, quod Deum esse iustum, non est aliud quam Deum esse, vel Deum esse magnum, fortem, pium, &cæt. huiusmodi, quam Deum esse Deum, nullam enim pluralitatem ponunt in Deo omnia prædicta*, vbi vero est distinctio formalis ex natura rei, non quodlibet, quod aliquis est, potest esse omne id, quod est, & aliud est esse iustum, aliud sapientem, si sapientia, & iustitia distinguuntur formaliter ex natura rei. sed hæc, & similia dicta Philosophorum non pressiùs vrgeo, habent enim eandem vim cum dictis Patrum infrà referendis, quæ penticulatè expendam. Alcinous in doctrina Platonis, quem refert Ludouicus Viues in libr. octauo, de Ciuitate Dei. cap. 6. *Deus*, inquit, *supremus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, nullius rei indigus, semperque, & vndique absolutè perfectus, diuinitas, essentiæ ratio, veritas, harmonia, bonum existit. Neque verò hæc ita dinumero, vt inter se ipsa disiungam, imò vt vnum potius cuncta considero.* Epictetus Philosophus apud Augustin. Eugubinum libr. sexto de perenni Philosophia cap. decimo. *Deus*, inquit, *est vtilis, sed & bonum est vtile: veri igitur simile, vbi sit substantia Dei, illic esse, & substantiam bonitatis: quæ igitur est substantia Dei? caro? absit: ager? fama? absit. Mens, scientia, recta ratio. Hic igitur simpliciter quære substantiam boni.* Auerroes 12. Metaph. comment.39. multis verbis hanc veritatem docet, & inter alia, *Multiplicitas*, inquit, *in Deo non est, nisi in intellectu differentia, non ineſſe.* Auicenna 8. Metaph. capit. vltim. post medium, ait perfectiones, & actiones intellectus, & voluntatis non esse alias à vita Dei, *quia hoc totum est ei per suam essentiam.* Et paulò pòst: *Vnde voluntas eius, qui est necesse esse, non est altera in essentia ab eius scientia, nec est altera ab eo, quod intelligitur de eius scientia. Iam igitur ostendimus quod scientia, quæ est ei, est ipsa eadem voluntas, quæ est ei, & similiter ostensum est quod posse, quod est ei, est ipsum suam essentiam esse intelligentem.* Algazelus libro 3. Metaphys. capit.1. docet in Deo nullam esse pluralitatem, & multitudinem perfectionum, cuius verba refert Capreolus q. citata art.1. conclusione 1. Autor lib. de causis propositione 4. *In ente primo, & vno vero non est multitudo aliquorum bonorum,* & propositione 20. *Et bonitas prima non influit bonitates supra omnes res, nisi per modum vnum, quia non est bonitas*, nempè diuina influens in res, vt supplet AEgid. ibidem: *Nisi per suum esse, & per suam essentiam, & per suam virtutem, ita quod bonitas eius, & virtus, & esse, & essentia sunt res vna.* Et inferiùs sæpè repetit; Deum tantum agere per esse, & essentiam suam, per quæ excludit omnem distinctionem potentiæ ab essentia; & propositione 21. omnè pluralitatem, & diuersitatem à Deo excludit. Plotin. Ennead. 6. lib. 7. cap. 39. *Cùm non sit ibi*, nempè in Deo, *differentia ad se ipsum prorsus vlla, merito hoc ipsum, quod dicitur intendi in se, vel intueri se ipsum, nihil aliud, nisi ipsummet existit.* Et lib. 8. cap. 13. sæpè repetit voluntatem diuinam idem omnino esse cum essentia. Ex quibus manifestum est meritò dixisse Adam, & Carthusianum vbi suprà, Scoti sententiam esse contrariam communi Philosophorum.

Aristot. *Autor Comment.* *Parmenid. Alcinous. Viues.* *Epictet.* *Eugubin.* *Auerroes.* *Auicenna.* *Algazel.* *Capreol.* *Auto. de caus.* *Plotinus.* *Adam.* *Carthusian.*

Nullam dari distinctionem ex natura rei, inter perfectiones diuinas, ostenditur auctoritate Patrum.

CAPVT VI.

I. SEquitur vt eandem veritatem confirmem testimonijs Patrum. Prius tamen obseruandum est eandem esse rationem duorum attributorum inter se, vel essentiæ cum vno attributo, atque omnium inter se, vel cum essentia: & consequenter, quamuis aliquando Patres non loquantur de omnibus, sed de singulis attributis; tamen credendum est idem sensisse de omnibus alijs: quare ad hanc etiam veritatem comprobandam pertinent omnia Patrem testimonia, quibus tract. 1. ca. 8. & 9. ostendi attributa esse de ratione intrinseca essentiæ diuinæ: nam, vt rectè notauit *Toletan.* Alphonsus de Toleto in 1. dist. 8. qu. vn. articul. 2. conclusione 2. in prima probatione, si essentia diuina includit formaliter attributa, hæc, etiam secundùm Scotistas, nullo modo ab illa, & consequenter neque inter se distinguentur: verè enim *Rich. Victor.* dixit Richard. de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate capit. decimo tertio. *Consequens autem est, quoniam si vtraque illarum,* nempè potentia, & sapientia, *est idem quod summa substantia, quælibet illarum est idem, quod altera.*

III. Multa alia sunt Sanctorum dicta, quibus hanc veritatem apertè tradiderunt, quæ ego ad certa capita reducam. Primùm est, cum aiunt idem ipsum, vel id ipsum esse essentiam, quod sapientiam, idem ipsum esse vnum, quod omnia: & omnia idem, quod vnum. Ita loquitur Augustinus *Augustinus.* serm. 38. de tempore, qui est tertius de Trinitate, & columba ad finem: *Dei id ipsum est, & potentia, & substantia, & diuinitas, & hæc omnia vnum.* Et serm. 40. de tempore, qui est secundus de Dominica prima post Octauam Epiphaniæ, paulò pòst medium. *In Deo,* inquit, *omne quod dicitur, id ipsum est:* & infrà, *hoc est in Domino virtus, quod iustitia: quidquid de illo dixeris, hoc idem dicis*; Similiter loquitur Alcuin. libro se- *Alcuin.* cundo de Trinitate cap. secundo. Et Richard. de Sancto Victore lib. 1. de Trinita- *Rich. Victor.* te cap. 17. in fine: & lib. 2. cap. 13. & 18. Et *Boet.* Boetius lib. 1. de Trinitate, paulò pòst medium. Ex hoc loquendi modo apertè colligitur intentum: quoniam illa, quæ ex natura rei habent aliquam distinctionem, non dicuntur simpliciter, & absque addito esse eadem: nam idem simpliciter dictum stat pro potiori significato, hoc est pro omnimoda identate ex natura rei: non enim duo homines, quamuis sint vnum, atque idem specie, dicuntur esse idem simpliciter, sed cum addito secundùm speciem, neque natura creata dicitur idem, quod ipsius suppositalitas, quamuis non realiter, sed modaliter tantum distinguantur: at qui Patres loquentes de essentia, & attributis simpliciter, & absque addito dicunt idem esse vnum, atque aliud: ergò censent nullo modo distingui ex natura rei, quandoquidem idem simpliciter dictum opponitur omni distinctioni ex natura rei actuali. Et ita non possunt hæc, & alia dicta eiusdem generis explicari de identate reali, hæc enim sola sine formali est identitas secundum quid, nec intelligitur sola, quando duo dicuntur simpliciter esse idem. Adde, quod citati Patres non solum dicunt esse vnum id, quod aliud, vel idem cum alio, sed id ipsum, vel idem ipsum, quod aliud, vt scilicet omnimodam identitatem clariùs explicarent. Verum, vt omnis via euadendi intercluderetur, ijdem Patres addiderunt alia verba indicantia omnimodam identitatem: nam sæpè identitatem reduplicant genere fœmineo suprà formam in abstracto, satis significantes non esse solum identitatem realem, & quasi subiectiuam, sed formalem sub eâdem omnino ratione. Ita loquitur Augustinus libr. 6. de Trinitate *Augustin.* cap. 7. *Deus multipliciter quidem, dicitur Magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indigne dici videtur, sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia. non enim mole magnus est, sed virtute: & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia.* & libr. 7. cap. 1. *Eadem eius magnitudo, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo.* Et lib. 15. cap. 5. *Quæ iustitia, ipsa bonitas, ipsa beatitudo.* Marius Victorin. lib. 1. *Mar. Victor.* aduersus Arium non longè a principio, *Dei eadem ipsa est, & potentia, & substantia, & diuinitas, & actio: omnia enim vnum, &* *Rich. Victor.* *vnum simplex.* Tandem clariùs adhuc omnimodam identatem asserit Richardus de Sancto Victore libr. 1. de Trinitate cap. decimo quinto. *Ipsa,* inquit, *primordialis substantia idem omnino, quod summa sapientia est:* & cap. 18 *Dei sapientia, & Dei omnipotentia vnum, idemq; sunt per omnia:* Idem asserit libr. secundo, capit. duodecimo, in fine de immensitate, & æternitate Dei. & Gilbertus in commentar. super lib. *Gilbert.* Boetij de hebdomad. regula septima: *Patri, Filio,*

tri, Filio, & amborum spiritui idem omnino est, & esse, & potentem esse, & sapientem esse, &c. Sanè quod ex natura rei formaliter ab alio distinguitur, nequaquam potest vere dici omninò, & per omnia idē, quod illud: nō enim omnino idem est, quod aliqua ex parte distinctum est: omnimoda quippè identitas pugnat cum quauis etiam minima ratione distinctionis. Eandem vim habet testimonium Nysseni oratione prima, in Cantica satis post medium, vbi *ea*, nempè virtus diuina, *est ille ipse, qui prorsus est sapientia, & ipsa iustitia, & ipsa veritas, & sigillatim omnia*; Et Anselm. in Monolog. capit. decimo sexto. *Cùm illa natura nullo modo composita sit, & tamen omni modo tot illa bona sit, nec esse est, vt illa omnia non plura, sed vnum sint*. Si ex natura rei distinguitur sapientia à natura diuina, non erit DEVS prorsus, & omni modo sapientia, quod tamen Nyssen. & Anselmus asseuerant. *Nyssenus. Anselm.*

III. Idem sumitur ex alia Patrum sententia: dicunt enim non esse vllam inter diuinas perfectiones differentiam, aut diuersitatem, nihil differre vnum ab alio, non esse alterum, & alterum. Augustinus de triplici habitaculo capit. sexto. *Sapientia & veritas Dei, & æternitas non diuersa sunt inter se, sed vnum sunt, sicut & omnia.* Hugo Victorin. libr. primo, de Sacram. p. 3. capit. vigesimo septimo. *Deo*, inquit, *totum quod est esse, vnum est: & non potest diuersum inueniri, quod in simplici natura idem est*. Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi sexta: *Neque eo, quod vocatur bonus, & iustus, & omnipotens, & Sabaoth, propterea differens est: sed ipse vnus existens millenas emittit diuinitatis operationes:* profectò, si inter illa esset ex natura rei distinctio, & ipsa forent inter se diuersa, & Deus per illa differens esset: primùm negat Augustinus, & Richard. Secundùm Cyrillus: Theodorus verò apud Cyparissiotam decad. 10. capit. quarto, ait in Deo substantiam, & operationem nihil differre; Neque esse discernendas. Marius Victorin. libr. quarto, aduersus Arium paulò pòst medium, ait in Deo esse, viuere, & intelligere esse, *necessario vnum, nec vllo modo alterum*. quomodo autem verè dicetur nihil differre, nec vllo modo vnum esse alterum ab alio, si ex natura rei formaliter distinguuntur? Huc etiam pertinet alius loquendi modus Patrum, cùm negant in Deo aliud esse viuere, aliud sapere, aliud bonum esse, & sic de cæteris. ita loquitur Augustinus libro sexto, de Trinitate capit. 5. 6. & 10. libr. 7. capit. 1. libr. 5. cap. 6. Serm. trigesimo octauo de tempore, qui est tertius in Dominica infrà Octauam Epiphanię, non longè à fine: & sermo quadragesimo, qui est secundus in Dominica prima post Octauam Epiphaniæ. Cyrillus Alexandrinus libr. decimo quarto. Thesaur. cap. 1. Faustin. de fide contra Arian. cap. 1 in fine. Gregorius lib. 18. moralium cap. vigesimoseptimo, super illa verba: *Non commemorabuntur in comparatione eius*. Isidorus lib. 1. de summo bono, cap. 1. sententia 5. & 6. Bernard. serm. 80. in Cantica. Cyparissio. decad. 10. cap. 6. & 7. in fine. Hugo vbi suprà, & Richard. de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate c. 13. 16. 18. 21. & 24. & lib. 2. cap. 5. 7. 11. & 18. Dicent Scotistę ad alietatem non sat esse quāuis distinctionem, sed requiri realem: maximè, si alietas significetur genere neutro. Verum non soluunt argumentum: nam omnis diuersitas ex natura rei est quædam alietas: &, si sit solum suppositalis, ea quæ differunt dicuntur alia adiectiuè, vt constat in personis diuinis: nam pater dicitur non aliud, sed alius à filio: si vero sit penes rationem formalem entitatiuam, & pertinentem ad naturam, dici debent aliud, & aliud substantiuè: quod colligitur ex Diuo Augustino lib. 6. de Trinitate ca. 6. & lib. 7. cap. 1. vbi inter ea, quæ sunt aliud, & aliud, numerat quantitatem, ac figuram. & Bernard. serm. 80. in Cantica, animam. & eius magnitudinem, quę tamen sunt idem realiter. Deinde Augustinus libr. 7. de Trinitate, cap. 4. in fine, *aliud est*, inquit, *Deum esse, aliud Patrem esse*. At neque in sententia Scotistarum inter Deitatem, & relationes datur distinctio realis: ergò, quando Augustin. & alij Patres negant in Deo esse aliud, & aliud, omnem excludunt distinctionem ex natura rei. Tandem Patres sępè addunt aliqua, quibus expresè significant se excludere omne genus alietatis. Ita Augustin. in quæstiunculis de Trinitate, ad interrogationem: *An aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse: respondet, nullatenus aliud est in Deo esse, aliud viuere, aliud intelligere, aliud posse*. Gilber. in lib. 1. Boetij de Trinitate §. *Sed hæc*, sic habet, *Ipse nihil aliud est prorsus, nisi id solum singulare, & simplex quod ipse est: nihil scilicet, quo ipse sit, habet nisi singularem, simplicemq; essentiam*, & in libro de hebdomad. vbi suprà: *Nulla ratione intelligi debet aliud esse, quo est, & aliud, quo potes est*, & Autor Cōmentarij super libr. 1. Boetij de Trinitate, cit. cap. 4. Nullam pluralitatem, nisi nominum ponere in Deo diuersa, attributa diserte asseruit. Ex prædictis loquendi modis, sic elicio

Augustinus. Cyrill. Alex. Faustin. Gregorius. Isidorus. Bernard. Cyparissiot. Hugo Victor. Richar. Vict. Augustin. Bernard. Augustin. Augustin. Gilbertus. Autor Comment.

Augustin. Hug. Victor. Cyrill. Hier. Theodorus. Cyparissiot. Mar. Victor.

propoſi-

propositam assertionem. Ex omni distinctione ex natura rei sumitur diuersitas, alietas, aut differentia: de mente vero Patrum inter perfectiones attributales secum ipsis, vel cum essentia comparatis, non est vlla diuersitas, alietas, aut differentia: ergò etiam non est vlla distinctio ex natura rei. Iubet adiicere Cyparissio. decad.10.cap.8. in fine, vbi sic ait, *Omnia, quæ in ipsa dicuntur, sunt diuina, & beata eius substantia, vtpotè, quæ est essentia ex pluribus in vnam vnitatem congregatis*: quibus verbis quoniam fauere videbatur oppositæ sententiæ, mox se ipsum sequentibus declarat: *Omni differentia omnibus modis in congregatis sublata: & quæ inest in his sine habitudine, & singulariter, & non tanquam alterum in altero, sed maximè supra quam copulatè, nulla duplicatione posita*. Ecce quomodo, & omnem differentiam excludit, & alietatem, & rationem omnem duplicitatis, quæ omnia in sententia Scoti admittenda sunt, scilicet differentia, & alietas vnius rationis formalis ab altera, & omnium multiplicitas.

Cyparissiot.

VI. Alterum fundamentum sumitur ex eo, quod aiunt Deum esse totum oculum, auditum, fontem bonorum omnium, totum sapientiam, & sic de cæteris attributis. Ita, Iren.lib.1.cap.6. & lib.2. cap.16. 18. & 47. Origen.libr.1. Periarch.cap.1. Cyrillus Hierosolymit. Cateches. 6. Epiphan. libr.1.tom.3.contra hæresim 33. circa principium, Marius Victorin. libr.1. aduersus Arium propè finem. Iustinus Marty.in responsione centesima quadragesima quarta, ad orthodoxos. Hierony. in illud Psalm. 93. *qui plantauit aurem non audiet*: Et Anselm. in Monolog. cap.16. cùm dixisset omnia bona de Deo essentialiter dici, addit, *quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsa est*: & prosolog. cap.18. *ergò*, inquit, *vita, & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum, & vnumquodq; horum est totum, quod est, & quod sunt reliqua omnia*, cum plura aliquo modo ex natura rei distinguuntur, singula ipsorum non dicuntur esse totum quod alia substantive, vel in abstracto: non enim totus homo dicitur intellectus, aut rationalitas, aut voluntas: nec totus Alexander dicitur suppositalitas: nam hic loquendi modus significat nihil esse in subiecto, quod non identificetur omnino cum ea ratione formali, secundùm quam dicitur totum: Deus autem iuxta placitum Sanctorum Patrum dicitur totus oculus, totus sapientia, totus iustitia, & sic de cæteris: ergo non est aliquid in ipso, quod aliquo modo distinguatur ab aliis perfectionibus absolutis: nam, si verè, & in rigore iustitia diuina non est sapientia, Deus secundum iustitiam non est sapientia: & ita non est totus sapientia. Et confirmatur, quoniam in ijs, quæ composita sunt ex partibus realiter diuersis, non dicitur aliquid totum, secundùm aliquam formam, si qua pars illius ea careat, qua ratione homo non dicitur totus spiritus, quoniam altera eius pars est corpus: ergo etiam subiectum constans pluribus perfectionibus non debet dici totum singulæ, nisi singulæ inter se idem omninò sint: patet consequentia: nam locutio huiusmodi translata est à rebus corporeis, aut realiter compositis ad simplices. Et confirmatur, quoniam nec in compositis Metaphysicis, inter quorum partes, vel nulla est distinctio ex natura rei, vel solum formalis de mente Scotistarum, singulæ partes sunt totum, quod aliæ, vt constat ex verbis Diui Anselmi in Monolog. capit. decimo sexto: *Cùm enim aliquis homo dicatur corpus, & rationalis, & homo, non vno, & consideratione hæc tria dicitur: secundum aliud enim est corpus, & secundum aliud rationale, & singulum horum non est totum id, quod est homo*. Deinde verò huic contraponit diuinam essentiam, & concludit quod quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsum est.

Ivenæus. Origenes. Cyrill.Hier. Epiphanius. Mar.Victor. Iustinus. Hierony. Anselm.

Anselm.

V. Huic est affinis alter modus loquendi eorundem Patrum asserentium vnum attributum esse omnia, & non esse vnum minus, quàm duo: nec duo plus, quàm vnum: Ita loquitur Diuus Augustinus lib.7. de Trinitate cap.1. *Si hæc omnia*, inquiens, nempè magnitudo, bonitas, ac iustitia, de quibus loquebatur, *pluribus vocabulis in eadem sapientia, & virtute intelliguntur, vt ea sit magnitudo, quæ virtus: ea bonitas, quæ sapientia, ea rursus sapientia quæ virtus, sicut iam tractauimus: meminerimus, cum aliquid horum nomino, sic accipiendum esse; ac si omnia commemorem*. Vno attributo solo nominato vult cætera hoc ipso commemorata censeri, haud dubiè, quia idem omnino sunt: quam rationem ipsemet Augustinus perstringit: ob quam etiam causam libr.15. de Trinitate cap.5. cum tres ternarios attributorum numerasset, omnes ad vnum ternarium reduxit, & hunc ipsum ad vnum attributum beatitudinis diuinæ, quo cætera continentur. Idem eleganter docuit Bernard. libro quinto, de consideratione cap.decimotertio, agens de latitu-

Augustin.

Bernard.

dine,

dine, longitudine, altitudine, ac profunditate: *Hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul: hæc quatuor ipsa, quod singulum est.* Et nequis dicat id dictum ratione deitatis, rursus ait, *vides tantam esse latitudinem,* scilicet charitatem, *quantam longitudinem*, nempè æternitatem, *vtinam sic videas non tantam esse, sed ipsam id esse vnam, quod alteram: non minus vnam, quam duas, nec plus duas quam vnam: Deus æternitas, Deus charitas est.* Hæc qua ratione intelligi, aut explicari queant, posita inter diuina attributa distinctione ex natura rei, non video. Nam ea distinctione admissa minus est vna ratio, quàm altera, si non realiter, saltem formaliter: & plus continent omnes simul quàm vna, vel altera. At Augustin. & Bernard. docent oppositum: consentit Anselmus in Monolog. capite decimosexto, cuius verba habent peculiarem vim, ait enim: *Idem est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: vt, cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula:* sanè cum abstracta, non significent ea, quæ sunt aliena à ratione formali, ab eaque ex natura rei distincta, si iustitia significat idem, quod cætera omnia attributa, vel sigillatim, vel simul sumpta, fieri nequit, vt inter ipsa interueniat distinctio ex natura rei; nam, quæ ita distinguuntur, ita proprijs nominibus significantur, vt vnum non significet idem, quod alterum, ne dum quod omnia simul sumpta. Eandem vim habent verba illa Augustin. serm. quadragesimo, de tempore, qui est secundus de Dominica prima post Octauam Epiphaniæ post medium: *Hoc est in Domino virtus, quod iustitia quidquid de illo dixeris, hoc idem dicis.* Et Gilber. in libr. 1. Boetij de Trinitate §. *Sed hæc,* discrimen ponit inter omnia, quæ significant perfectiones creatas, & diuinas, quod hæc significent totum, quod est in Deo, illa vero non significent totum, quod est creatura: *Cùm vero,* inquit, *dicitur Deus est iustus, toto eo, quo ipse est, dicitur esse iustus: nec aliquid prorsus, quo ipse sit, dictio hæc dimittit:* at, si distinguitur iustitia à parte rei ab aliis perfectionibus, omnes illas dimittit.

VI. Huc etiam pertinet, quod Patres nonnunquam significantes attributa esse plura statim se corrigunt, dicuntque non esse ibi nisi vnum. Marius Victorin. libro quarto aduersus Arium ante medium. *Hoc quod est esse, hoc est spiritus, & lumen: ita enim in vno, ac simplici, imò vnum, ac simplex:* Augustin. sententia trecentesima sexagesima sexta, quæ decerpta est ex tractat. nonagesimo nono in Ioannem: *Non sic habet scientiam, vt aliud sit illi scientia, qua scit, aliud essentia, qua est, sed vtrunque vnum est: nec vtrunque dicendum est, quod simpliciter vnum est.* Gilbertus in libro secundo Boetij de Trinitate §. *Idque signi erit,* in fine; *Quod si sunt,* nempè diuina attributa (*vt vtique sunt*) *vna horum trium,* scilicet personarum, *substantia, manifestum est ea, imò sub multorum diuersitate nominum id de ipsis substantialiter dici.* Si autem perfectiones diuinæ distinguerentur ex natura rei, propriè dici posset ista, ea, & vtrunque: quòd tamen Patres negant, quia nimirum omnimoda est identitas inter illa: quam expressit Anselm. in Monolog. cap. 16. *Cùm illa,* inquiens, *natura omnimodo tot illa bona sit, necesse est, vt illa omnia non plura, sed vnum sint.*

VII. Magnam etiam vim habet alter loquendi modus, quo vtitur Diuus Gregor. homil. 17. super Ezechiel. paulò antè medium. *Omnipotens,* inquit, *Deus, quia sibimet ipsi similis, ea virtute videt, qua audit: omma virtute creat, qua iudicat creata:* nam, licet etiam substantiæ intellectuales ea virtute videant, qua audiunt, quoniam intellectus vnus, & idem æquipollet diuersis potentijs sensitiuis, tamen in nobis diuersa est virtus agendi, & iudicandi, siue discernendi: in Deo autem eadem prorsus est: Et ideo verè dicitur creare eadé virtute, qua iudicat, quod verum esse nequaquam potest, si in ipso intellectus, & omnipotentia à parte rei distinguuntur. Sanè D. Gregor. vtendo virtute audiendi, ac videndi tanquam pluribus, satis ostédit eam esse rationem in perfectionibus diuinis absolutis, ac est in intellectu creato, quatenus est potentia videndi, & audiendi, scilicet vna, & eadem ex natura rei omninò indistincta: sicut ergo propterea Angelus verè dici potest videre eadem virtute qua audit, ita ob eandem causam Deus verè dicitur creare eadem potentia, qua iudicat, quoniam est omnino indistincta ex natura rei. Ex hac mutua identitate attributorum sumpserunt ijdem Patres occasionem dicendi in Deum eo sapientem, quo Deus, eodem esse magnum, quo bonus est. ita Diuus Augustinus libro septimo de Trinitate cap. 1. Deum hoc ipso esse dicit, quo sapiens est, & non alio magnum, alio Deum, sed eo magnũ, quo Deus, & c. 2. *Sapientia,* inquit, *eo quo essentia,* & Ser. 38. de tempore, qui est tertius in Dominica infrà Octauam Epipha. vbi *nec Deo,* inquit, *aliud est esse, aliud magnum esse, aliud bonũ esse:*

sed eo,

Gilbert. *Anselm.* *Augustin.*

sed eo, quo magnus est, & quæstiunculis de Trinitate cit. *Deus eo ipso, quo est, viuit, & eo, quo viuit, intelligit: & eo, quo intelligit, potest: & eo, quo potest, est: quia simplex deitatis natura vnum habet esse, viuere, & intelligere, & omnia posse*. Non est dubium apud Philosophos, & Theologos terminum *quo* significare rationem formalem, qua res est id, quod est: verbi gratia, si petas quo est Socrates candidus, petis rationem formalem, & ita rectè respondebitur, est candore candidus: quare, si de mente Augustin. Deus est sapientia, quo essentia, eo est bonus, quo magnus, eo intelligit, quo potest, &cæt. Non est distinctio ex natura rei formalis inter sapientiam, & essentiam, magnitudinem, & bonitatem, intellectum, & potentiam, &c. alioquin nō eodem esset sapientia, quo essentia, & bonus, quo magnus, sed alio.

VIII. Confirmatur eadem veritas ex Patribus, asserentibus in Deo idem esse habere perfectionem, & esse illam, imò non propriè dici habere illam, sed esse, eos verò retuli. tract.1.cap.10. quæ vera esse non possunt, posita distinctione aliqua ex natura rei. Ad hunc loquendi modum respondet *Lychetus.* Lychetus in 1. d.8. q. 3. §. *Quarto principaliter, & vltimo* ad 5. vbi ait solam distinctionem formalem non satesse, vt res dicatur haberi propriè. Deindè verò subdit posse aliquo modo dici habere ipsam, nempè per identitatem realem, qua ratione & habet ipsam, & est ipsa: formaliter tamen nec habere ipsam, neque esse ipsam. Quæ solutio deficit in primis in fundamento: quoniam subiectū, quod verè denominatur ab aliqua forma, propriè, & in rigore loquēdo vel est ipsa, vel habet ipsam: at sunt formæ non distinctæ realiter à subiecto communicantes illi suam formalem denominationem, & tamen non sunt ipsum subiectum; ergò habentur ab ipso: atque adeò, vt forma propriè dicatur haberi, sat est distinctio eius formalis à subiecto. Maior est euidens, quoniam omnis veritas propositionis fundatur identitate extremorū vel omnimoda, & sic vnum est alterum: vel secundum quid, & tunc vnū habet alterum. Assumptio patet, quoniam homo, & humanitas non distinguuntur realiter: & homo dicitur formaliter ab humanitate, nec tamen est ipsa humanitas: ergo habet humanitatem: similiter homo, & intellectus, vel risibilitas in opinione Scotistarum solum distinguuntur formaliter, & tamen negari non potest hominem verè & propriè habere intellectum, & risibilitatem. Quapropter cum Deus denominetur sapiens à sapientia, si formaliter loquendo non sit sapientia, vt Lychetus ait, necessario dicendus est habere sapientiam. Deinde etiam quod secundò loco subdit, non cōstat: nam repugnat rem habere id, quod est, vel esse, id ipsum, quod habet: namque Socrates est homo, non habet hominem: est iustus, non habet iustum: contra verò habet humanitatem, non est humanitas: habet iustitiam, non est iustitia: Et ideò, si Deus est identice sapientia, nō habet illam identice, contra verò, si non est formaliter sapientia, & dicitur sapiens, dicetur habere formaliter sapientiam. Denique vltimum quoque dictum est expositum calumnijs. Vt enim subiectum verè, ac propriè loquendo dici possit in sensu formali habere aliquam formam, non requiritur, vt inter ipsum, ac formam sit identitas formalis, sed sat est vt illa quouis modò communicet ipsi suam denominationem formalem in sensu vero, ac proprio: qua ratione homo, qui est sapiens, iustus, & animatus, habet sapientiam, iustitiam, & animam rationalem: Et tamen non est idem formaliter cum ipsis: ergò si perfectiones diuinæ distinguuntur formaliter ab essentia, & conferunt Deo suas denominationes in sensu proprio, & formali, in eodem quoque dici potest Deus habere ipsas. Hic verò accipio sensum formalem eodem modo, quo subiecta creata dicuntur denominari formaliter à formis siue essentialibus, & intrinsecis, siue non essentialibus: hoc enim modò volunt Patres haberi propriè à Deo perfectiones attributales.

IX. Alter modus loquendi inuenitur apud Patres, ex quo idem efficaciter colligitur: nempè cum aiunt perfectiones diuinas in se non esse plura, sed vnum, quid concipi tamen à nobis pro captu nostro tanquam plura. Ita Bernard. lib.5. de consid. cap.13. *Bernardus.* *Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Visus sum protulisse plura, sed vnum est. Vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu: diuisus est hic, nomine. Voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnum per eas significatur, vnum quæritur*. Et paulò pòst, *hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul, hoc quatuor ipsa, quod singulum est. Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum interim videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis actus mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, diffilietve in tam pluralitatem. Colliget se magis, adunabit, conformabit*

midabitq; vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vnifacies respondeat faciei. Vbi suaptè natura est distinctio, non sunt plura solum pro captu nostro, aut modo intelligendi, sed in se ipsis: & ita vt plura etiam in patria cognosci poterunt: sed Bernard. pluralitatem totam reuocat ad modum intelligendi viatorum: eamque negat futuram in patria: ergò eiusmodi vocibus, & conceptibus non respondet vlla pluralitas obiectiua ex natura rei, alioquin falsò recurreret Bernard. ad modum intelligendi nostrum; similiter loquitur Cyparissiota decad. 10. cap. 1. in fine. *Ex quibus,* inquiens, *fit manifestum, quod in vnitate, quæ supra substantiam est, non oportet quærere habitus, & dispositiones, nec an sint circa ipsum aliqua naturalia, & substantiæ propria ad complendam substantiam ipsam, nisi fortè à nobis sic dicuntur consuetudine intelligetiæ nostræ, & quia non possumus aliter intelligere qui nunc vitam per speculum, & in ænigmate transigimus,* sanè cum Scotistæ concedant attributa esse naturales diuinæ essentiæ proprietates ab illa ex natura rei distinctas, quod ita à nobis conciperentur ex ipsorum natura, non ex nostro defectu proueniret, quod tamen negat Cyparissiota.

X. Idem suadetur ex eo, quod Patres sæpè probant perfectiones diuinas esse omninò æquales, quia sunt idem, quæ probatio nihil valeret, vt rectè notauit Bachonus in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. §. *Probatur igitur,* si cum reali identate haberent diuersas formalitates: Passiones enim sunt idem realiter cum subiecto in sententia Scotistarum, nec tamen ideo sunt æquales in perfectione. Ita verò probat Augustin. libr. 8. de Trinitate cap. 1. & 2. serm. 40. de tempore, qui est secundus in Dominica prima post Octauam Epiphaniæ. Fulgent. libr. 2. ad Trasimundum paulò antè medium. *Hoc est Deo videre quod esse, & quantam insinuat visionem suam, tantam vult credi substantiam suam: vt cum audimus omnia nuda, & aperta esse oculis eius, nullum terminum putemus substantiæ eius.* Richard. de Sancto Victore libr. 1. de Trinitate cap. 18. sic habet: *Nihil maius, nihilq; melius est in eius nosse, quàm in eius posse, & eo ipso in eius esse, quia non est aliud aliquid eius posse, quam eius esse.* Et infrà: *De substantia, cum nihil sit aliud, quàm eius potentia, vel sapientia, si se latius per sapientiam, quàm per potentiam extenderet, si se per illam, quàm per istam latius extendere potuisset, esset vtique vna, eademq; substantia potentiæ comparatione se ipsa per sapientiam maior, esset eadem ipsa sapientiæ comparatione sese vtiq; per potentiam minor.* similia habet cap. 21. & 23. & lib. 2. cap. 5.

Denique, vt concludam hunc locum à Patrum autoritate, nihil à se ipso ex natura rei distinguitur: nec potest maior identitas fingi, quàm eiusdem ad se: exempli causa sapientiæ ad se ipsam, iustitiæ ad seipsam: atqui ex Patrum sententia vnum attributum non est magis ipsum, quam aliud: ergo vnius ab alio non est vlla distinctio ex natura rei: discursus est euidens, si assumptio sit vera: Ea verò asseritur à Diuo Augustino de triplici habitaculo cap. 6. his verbis: *Sapientia, & veritas Dei, & æternitas non diuersa sunt inter se, sed vnum sunt, sicut & omnia. sapientia enim Dei non magis sapientia, quàm veritas est, & non magis veritas est, quam sapientia, quàm æternitas, quàm cætera Dei omnia: vnum enim sunt in Deo. Et non solum hæc inter se, eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt, quàm ipse Deus:* quid expressiùs dici potuit ad declarandam omnimodam identitatem attributorum inter se, & cum essentia, quam dicendo sunt eadem, non diuersa, non aliud sed vnum: & non magis singula sunt quod ipsa, quam quod alia? sed audiamus Richard. de Sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 18. similia fere dicentem. *Non,* inquit, *est ei aliud esse, quàm viuere, nec viuere, quàm intelligere: nec ab his aliud, atque aliud potentem, vel sapientem fore: sed nec ab eis, sicut nec à semetipsis, diuersum aliquid bonum, vel beatum esse:* si attributa alia ab aliis non sunt diuersa, sicut nec à semetipsis, eandem habent cum aliis, ac secum ipsis identitatem: identitas autem eiusdem ad se excludit omnem prorsus distinctionem ex natura rei, ergò eam quoque excludit identitas attributorum inter se, & cum essentia. Tandem expressè excluditur distinctio formalis à Scotistis adinuenta, cùm dicitur eandem esse rationem substantiæ, & potentiæ, siue operationis diuinæ. ita Basilius apud Cyparissiotam decad. 10. cap. 4. *in simplici, & in corporea natura eandem rationem habet substantia, & energia eius.* supra quod dictum Basilij, ita ait Theodorus apud eundem Cyparissiotam, *sic pie intelligatur diuina energia, siue operatio æterna, quin potius ipsa per se energia, vt non distinguatur à substantia, sed potius eandem rationem habeat propter proprietatem simplicitatis.* Si eadem est substantiæ diuinæ operationis ratio, ita vt penes eam propter simplicitatem minimè distinguantur, non possunt inter se distingui ratione formali ex natura rei. Et Gilbertus super Boetium de hebdomad. regul. 7. *In Deo,* inquit, *est essentia, qua ipse est: & potentia, qua potens est: & sapientia, qua sapiens est, & huiusmodi, non tamen cogitamus ab essentia, qua illum esse prædicamus, potentiam*

XI.

Cyarissio. *Bachonus.* *Augustin.* *Fulgentius.* *Richar. Vict.* *Augustinus.* *Rich. Victor.* *Basilius.* *Cyparissiot.* *Theodorus.* *Gilbertus.*

tiam, aut sapientiam eius, in illa ratione esse diuersam. Vbi expresè affirmat attributa potentiæ, & sapientiæ, non esse diuersa ab essentia, in ratione essentiæ.

XII. Ex dictis manifestè patet propositam assertionem esse communem Patrum sententiam. vnde merito Adam. in 1. dist. 6. q. 1. conclus. 3. Ioannes de Bachone d. 2. q. 2. art. 3. initio Marsil. q. 12. art. 3. 1. p. articuli conclusione 3. & Dionys. Carthusia. d. 2. quæst. 2. opinionem Scoti reijciunt vt omninò contrariam communi sententiæ Patrum, quam negare non est tutum. Et ob hanc causam contraria sententia malè audit apud nonnullos Theologos, quorum aliqui eam absurdam, vel erroneam appellant, inter quos est Ioannes Gerson cit. c. superiori. Ego autem à censura temperabo propter autoritatem Scoti, & sectorum eius, quorum sententiam nulla scripturæ, vel Patrum autoritate posse confirmari capite sequente ostendam.

Adam. Bachonius. Marsilius. Carthusian.

Gerson.

Ex sacris literis, aut Patribus non colligitur distinctio ex natura rei inter perfectiones diuinas absolutas.

CAPVT VII.

I. MAyronius in 1. d. 8. q. 5. §. *His visis,* & Scotistæ, ne ipsorum sententia noua, & proinde spernenda videatur, quoniam de sententia Magn. Dionys. cap. 1. de diuinis nominibus initio: *non est audendum dicere, aut cogitare aliquid desuper substantiali diuinitate præter ea, quæ in sacris literis expressa, aut à Sanctis tradita sunt,* conantur eam ex sacris literis, ac Patribus deducere. In primis enim in scriptura perfectiones essentiales ponuntur in numero plurali: ideoque indicatur distinctio ex natura rei. Antecedens constat ex Paul. cap. 1. ad Roman. *inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* quo loco per *inuisibilia* non possunt intelligi personæ, aut ipsarum proprietates, & notiones: tum quia hæc non conceduntur plura in neutro genere secundum doctrinam Hilarij, & Augustin. tum quia personalia non innotescunt sufficienter ex creaturis, Paulus verò ait inuisibilia Dei à nobis ex creaturis cognosci: restat ergo, vt intelligantur perfectiones absolutæ. Idem sumitur ex prim. ad Corinth. 2. illis verbis: *Ea, quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei,* & aliis eiusmodi. Secundò in scripturis quædam perfectiones adduntur alijs: quasi ea, quæ posteriore loco ponitur, sit quidpiam distinctum ab ea, quæ priore: vt cùm ad Roman. 11. dicitur: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* & in Psalm. 114. *Misericors Dominus, & iustus.* & Psalm. 85. *Patiens, multæ misericordiæ, & verax:* & sexcenta alia, quibus nomina attributalia copulantur: nisi vero interueniat aliqua distinctio ex natura rei, inanis esset repetitio, & aliena à diuina sapientia, quæ dictauit scripturas. Tertiò perfectionibus diuinis diuersis tribuuntur effectus diuersi, vt misericordiæ parcere, vocare, & adducere ad pœnitentiam: iustitiæ punire & tribuere singulis pro qualitate, ac mensura meritorum, & cætera. Signum ergo est ea distingui ex natura rei: alioquin scriptura effectus omnes indifferenter tribueret cuilibet attributo. Antecedens patet ex Paul. ad Roman. 2. *Nescis, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; secundùm opera sua:* plura huius generis occurrent passim in scriptura.

Mayron.

Magn. Dionys.

Ad Rom. 1.

1. Ad Cor. 2.

Ad Rom. 11. *Psalm. 114.* *Psalm. 85.*

Ad Rom. 2.

II. Pro expositione horum locorum, ac similem suppono id, quod cap. penult. ex professo ostendam, scilicet distinctionem virtualem sat esse, vt id, quod à parte rei est vnum omninò indistinctum, sub diuersis rationibus cõceptum enunciari possit in numero plurali, & significari diuersis nominibus non synonymis, quorum quodlibet alteri addi non ineptè possit. Id vero sumo ex Patribus supposita sententia de omnimoda identitate etiam formali perfectionum diuinarum, quæ substantiam significant, qualis est substantia, spiritus, vita, & ipsum esse, in qua ipsi quoque Scotistæ conueniunt, ea tamen Patres de perfectionibus diuinis loquentes hæc ipsa inter alia referunt, & sibi ipsis annumerant, deque ijs loquuntur per modum plurium. Ita D. Augustin. serm. trigesimo octauo, de tempore, qui est de Trinitate & columba: *Dei,* inquit, *id ipsum est potentia, & substantia, & diuinitas, & hæc omnia vnum.* Ecce quomodo substantiæ addit diuinitatem, & quæ recensuit, omnia appellat, quod nisi de tribus saltem dici non potest, & tamen duo ex illis sunt substantia, & diuinitas, quæ in sententia Scoti sola ratione distinguuntur: eadem fere verba ex Augustino mutuatus repetit Alcuin. lib. 2. de Trinitate cap. 2. Item Mar. Victor. lib. 3. aduersus Arium initio: *omne quod sibi, simplex, & hoc Deus, quod lumen, quod optimum,*

Augustin.

Alcuin. *Mar. Victor.*

quòd

quod existentia, quod vita, quod intelligentia: vitam annectit existentiæ, quæ in Deo, vtpotè intrinseca conceptui formali essentiæ, etiam de mente Scoti non distinguuntur ex natura rei, similiter substantialia inter attributalia referendo annumerat, libr. 1. aduersus eundem longè ante medium. & Hilarius lib. 7. de Trinitate, *Totum,* inquit, *in eo, quod est, vnum est, vt quod spiritus est, & lux, & virtus, & vita sit; & quod vita est, & lux, & virtus, & spiritus sit,* totum vocat, & vnum, & nihilominus vnum addit alteri: Similiter etiam substantialia sibi & aliis annumerat Cyparissiota decad. 10. cap. 6. & 7. & eadem omnia appellat. Ex quo patet modum loquendi in plurali numero etiam in neutro genere nequaquam arguere distinctionem ex natura rei: quod indicauit Bernardus serm. 80. in Cantica de diuinitate his verbis loquens: *In ea, & multa vnum, & diuersa in idem rediguntur, vt nec numerositate rerum, sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat.* Quorum sensus est, perfectiones, quæ in creaturis multæ sunt, ac diuersæ, in Deo vnum, ac idem sunt: & quamuis pro captu nostro illa ad modum eorum, cum quibus analogicè conueniunt, numeremus, non tamen huic numero substernitur à parte rei vlla pluralitas, aut distinctio, qua vna sit vere altera ab alia: Constat etiam absque additione ex parte obiecti posse verba idem diuersimode significantia mutuo adnecti, quod expressit idem Bernardus libro quinto de consideratione cap. 6. *Si bonum,* inquiens, *si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur quod est, est: nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse: si & centum talia addas non resistit ab esse, si ea dixeris nihil addidisti, si non dixeris nihil minuisti.* Ex quo loco patet ex sententia Bernardi cum vsitato more loquendi: perfectiones quædam aliis adduntur, si de Deo loquamur, non respondere verbis, aut conceptibus nostris vllam additionem ex parte rerum. Nam etsi centum alia addas, vt Bernardus ait, nihil addidisti: quomodo si addas, non addidisti? nempè quia verbo tenus addidisti, sed re ipsa nihil plus omnibus, quàm vno dixisti: quia scilicet illud vnum, nempè ipsum esse diuinum includit omnia essentialiter, & formaliter: nam si non includeret, & ex natura rei formaliter à cæteris distingueretur, falsò sanè dixisset Bernardus. *Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.* Nec verò solum apud Patres est hic modus loquendi, sed ex scripturis etiam habetur Sapien. decimo septimo. Verbum diuinum dicitur, *Splendor gloriæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius:* quę tria in Verbo æterno non distinguuntur ex natura rei, sed continentur intrinsecè ipsa Verbi notione, sicut & illa, quæ numerat Paulus ad Hebr. 1. *Qui, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,* & nihilominus vnum additur alteri. item Psalm. 102. *Miserator, & misericors Dominus longanimus, & multum misericors,* adduntur verba verbis, & tamen res est eadem diuerso modo significata: per omnia quippè nomina illa perfectio diuinæ misericordiæ significatur, nec tamen misericordia à se ipsa ex natura rei distinguitur in Deo. Item in Cantico Moysis: Deuteronom. trigesimosecundo, *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus, & rectus.* Rationes communes in Deo etiam de sententia Scoti: non distinguuntur ex natura rei à particularibus: verbi gratia, ratio virtutis à ratione misericordiæ, quoniam illa in hac includitur formaliter: iustitia vero, & rectitudo vel sunt omnino idem, vel rectitudo in iustitia tanquam ratio communis in particulari includitur: atque adeo in Deo de sententia Scoti non debent ex natura rei distingui: & tamen Moyses vnam alteri addit dicendo iustus, & rectus; Mens, & spiritus in nobis non distinguitur ex natura rei. & tamen Paulus ait, 2. ad Corinth. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente.* Denique etiam apud Philosophos vsitatus est hic loquendi modus. dicunt enim intellectum practicum & speculatiuum: & tamen, vt est verior sententia, non distinguuntur ex natura rei: mitto alia eiusdem generis, quæ possent adduci.

Sapient. 17. Ad Hebr. 1. Psalm. 102. Deuter. 23. 2. ad Corin. 14.

III. Ex dictis facilè respondetur ad primum, & secundum, modum loquendi scripturarum negando, opus esse distinctione ex natura rei ad vsurpandum numerum pluralem, vel in singulari addendum verba verbis idem diuerso modo significantia. Et ita concedendum primum illum locum Pauli ad Roman. intelligendum de essentialibus: sed vt dicantur in plurali numero *inuisibilia,* non requiri vllam distinctionem ex natura rei. Secundus locus non necessario intelligi debet de ijsdem: nam verba illa, *Ea, quæ sunt Dei,* applicari etiam possunt personalibus, sed licet de essentialibus solum intelligeretur, eodem modo exponi debet. Ad estimonia secundo loco inducta respondetur, additionem non esse inanem, quando idem ex natura rei indistinctum, diuerso

uerſo tamen modo ſignificatum expreſſius in oratione repetitur: & perfectio vnica diuina diuerſimode per diuerſa nomina ſignificatur: & idcirco, cùm de Deo loquimur, eiuſmodi additionibus non ineptè vtimur. Teſtimonia vltimo loco poſita tangunt difficultatem inferiùs explicandam, circa modum loquendi in diuinis, præcipuè quando perfectioni abſtracte ſignificatæ per modum potentiæ, vel habitus tribuimus actus ad intra, ſiue operationes ad extra: à qua modo abſtinebo, quoniam longa indiget diſputatione: reſpondeo tamen breuiter, quando res eadem virtute diſtincta ſub vna ratione ſecundum quod ipſa eſt principium alicuius operationis, non ſolere aſcribi operationes alijs eiuſdem rationibus ſola virtute diſtinctis: vt patet in noſtro intellectu, qui vnus, & indiſtinctus ex natura rei eſt practicus, & ſpeculatiuus, eſt ratio, & memoria. Et tamen non dicimus, intellectus Speculatiuus eſt directiuus praxeos, aut intellectus practicus eſt ſola ſpeculatione contentus, nec quatenus ſpeculatiuus eſt menſura praxis. Eundem loquendi modum ſcriptura tenet, & cùm Deus vnica ſua ratione formali adæquata ſit principium omnium operationum: &, ſi ea adæquate à nobis conciperetur, aut ſignificaretur, poſſet reddi tanquam propria ratio omnium: tamen, quia eam inadæquate concipimus, merito diuerſis operationibus diuerſę rationes principij aſsignantur, eæ ſcilicet, ſub quibus ſumpta diuina eſſentia cæteris omnibus præciſis, eſt ſufficiens principium illarum. Hinc eſt, vt miſericordiæ aſcribatur vocatio ad pęnitentiam, iuſtitiæ retributio meritorum, & ſic in cæteris.

IV. Poſt autoritates ſcripturæ vtuntur dictis Sanctorum. Arguit in primis Scotus in 1. diſtinct. 8. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionem,* ex Diuo Auguſtino libr. decimoquinto de Trinitate cap. tertio, vbi ait omnia attributa eſſe æqualia, nihil autem eſt ſibi ęquale, & ineptè dicitur aliquid ſub vna relatione rationis eſſe æquale ſibimet conſiderato ſub altera relatione rationis. Arguit ſecundò ex eodem Auguſtin. lib. contra Maximinum, ex eo oſtendente Deum, quamuis ſit Trinus, non eſſe compoſitum, quoniam eſt bonus, ſapiens, iuſtus, & cæt. & tamen non eſt compoſitus: quod argumentum vim non habet, ſi bonitas, ſapientia, ac iuſtitia non diſtinguuntur ex natura rei, ſed ſolùm ratione: non enim ſequitur, ſi relationes rationis, non faciunt compoſitionem, ergo neque reales. Locus autem Auguſtini, quamuis non indicetur ab Scoto, habetur libr. 3. contra Maximin. cap. decimo. vbi poſtquam introductus eſt Maximinus, concedens Deum Patrem eſſe bonum, ſapientem, clementem, ac potentem, & nihilominùs eſſe ſimplicem, & eas perfectiones non eſſe vnius Dei partes, ſubdit: *Si ergò in vna Patris perſona, & plura inuenis, & partes non inuenis: quanto magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam deitatem vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem tres perſonæ ſunt: & propter ſingulorum perfectionem partes vnius Dei non ſunt.* Affert autem Baſſolis in 1. diſtinct. 22. quæſt. 4. §. *His ergò,* quædam loca Anſelmi numerantis ſingula attributa addendo vnum alteri, ſed hæc, & ſimilia ex dictis explicari poſſunt, dicendo ad eam additionē ſat eſſe diſtinctionem virtualem, ratione cuius eadem res diuerſimode concipi, & ſignificari poteſt. Illa videntur plus habere momenti, quæ adducit Mayronius vbi ſuprà, quibus Sancti multiplicitatem agnoſcunt, & ſatentur. ita Dionyſius *Deo,* inquiens, *attribuitur multiplex ſimplicitas, & ſimplex multiplicitas,* quæ dico optimè cohærent tuendo ſimplicitatem ſecundum rem, multiplicitatem ſecundum rationes formales, & lib. de diuinis nominibus cap. nono, de diuina alteritate ſic loquitur: *Nunc autem ipſam diuinam alteritatem, non variationem quandam ſuper inconuerſibilis identitatis ſuſpicemur, ſed vnitiuam, id eſt multiplicem formationem, & vniformes multæ fœcunditatis omnino proceſſiones,* multiplicem formationē admittit, hæc autem multiplicem quoque formam exigit, & conſequenter multiplices rationes formales: eodem modo Auguſtin. libr. ſexto, de Trinitate cap. ſexto appellat ſimplicem multiplicitatem, & multiplicem ſimplicitatem; Deinde adducit teſtimonia Patrum aſcribentium quaſdam operationes diuinas vni perfectioni, & ab alijs remouentium: ita Anſelm. in Monolog. cap. quadrageſimo octauo, *Planum eſt certè rationem habenti ſummum ſpiritum* ſcilicet *non idcirco ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat, ſed idcirco ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit.* Si inter hæc non eſſet vlla diſtinctio, aut ordo, nō magis dici poſſet, ideo Deum ſe amare, quia ſe intelligit, quàm ideo ſe intelligere, quia ſe amat; quia ratio cauſalitatis non eſt, vbi nulla diuerſitas eſt. Hilar. item lib. octauo de Trinitate ſic ſcribit: *Non efficit creaturam voluntas, ſed poteſtas,* & indicat velle non eſſe idem quod poſſe. Alij Scotiſtæ

Scotus. *Auguſtin.* *Auguſtin.* *Mayron.* *Magn. Dion.* *Auguſtin.* *Anſelm.* *Baſſol.* *Anſelm.* *Hilarius.*

probant

Augustin. Damascen.

probant ex testimonio Augustini libr. decimo quinto, de Trinitate cap. quinto, vbi sic habet: *Si dicam æternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium nouissimum, quod posui videtur significare substantiam, cætera vero huius substantiæ qualitates.* Tandem plerique vtuntur autoritate Damasceni lib. 1. de fide, cap. 4. dicentis: *Si iustum, si bonum, si quid tale dixeris, non naturam dicis Dei, sed quæ circa naturam sunt.* quibus verbis Augustinus, & Damascen. clarè affirmant attributa non includi in ratione essentiæ, ac proinde formaliter ab illa distingui.

V. Verum qui exacte perpenderit dicta Sanctorum à me prolata cap. præcedenti, ad ostendendam omnimodam indistinctionem perfectionum diuinarum, nequaquam mouebitur vno, vel altero dicto ambiguo ipsorum: qualia sunt, quæ ab Scotistis adducuntur: quæ in distinctionem suadent innumera sunt, & perspicua, quæ in patrocinium distinctionis proferunt, pauca sunt, & obscura. Ad primùm, multipliciter respondent Doctores, Heruæus quodlibet. 1. quæst. 2. in fine, & Toletanus in prima distinct. 8. quæst. vnica articul. quarta, ad vltimam authoritatem allatam à Mayronio contra tertiam Conclusionem aiunt, non esse intelligendum Augustin. de æqualitate reali, prout importat relationem realem, sed solum prout importat priuationem excessus, ac defectus: Ocham. in prima distinct. 2. quæstion. 1. liter. R. ad vltimam autoritatem ait accipi inæqualitatem improprie pro æqualitate respectu sui, non verò sub alia, atque alia relatione rationis: Similiter ferè interpretatur Gregor. distinct. 8. quæst. 1. art. 2. dicens esse æqualia, hoc est non inæqualia. & Socin. quæst. 4. ad septimum. Scoti contra quintam conclusionem ex Capreol. quæst. 4. art. 2. ad nonam, contra primam Conclusionem, dum ait dici æqualia negatiuè. Ex quorum sententia dicendum est, primo quidem non esse æqualitatem eiusdem ad se sub alia, atque alia relatione rationis: nam æqualitas, de qua loquitur Augustinus, non est secundùm respectus rationis, sed secundùm perfectionis ipsas reales virtute distinctas: nec enim sapientia, & bonitas diuina sunt æquales quo ad relationes rationis, sed quo ad id, quod ex parte obiecti respondet his nominibus, & conceptibus, quos ijs auditis formamus. Deinde verò dicendum sicut inter ea, quæ distinguuntur actu est vera, & realis æqualitas, vel inæqualitas, ita inter ea, quæ virtute distinguuntur, posse concipi virtualem æqualitatem, quæ, quia non cernitur inter plura ex natura rei distincta, rectè explicatur per negationem, vt aiunt Autores citati. Itaque ad obiectionem Scoti respondetur nihil dici æquale sibi, quatenus concipitur vt vnum, atque idem: non repugnare tamen, vt quando concipitur per modum plurium, ratione plurium rationũ formalium virtute distinctarum, dicatur æquale, saltem negatiuè.

Ad secundum testimonium Augustini respondet Toletan. art. cit. ad tertiam autoritatem. Argentin. in 1. dist. 6. qu. 1. art. 2. ad 10. Gregor. art. 2. cit. retorquendo illud in Scotum: nam si vim habet, ex eo sequitur attributa distingui realiter: non enim sequitur, si plura distincta solum formaliter non faciunt compositionem: ergo neque facient distincta realiter: atque adeo Augustin. in illo argumento non facit vim in distinctione, aut identitate attributorum, ac personarum inter se: sed in ratione perfectionis, vt notarunt Toletan. & Gregor. citati, & patet ex illis verbis *propter singulorum perfectionem*, nam res omnimodo perfecta completa est in suo genere, & ideo rationem partis habere non potest: At verò vt notat Grego. perfectiones attributales in rebus creatis magis habent rationem partis, quam supposita substantiæ: & ideo, rectè ait Augustin. si perfectiones attributales, quæ inter nos habent rationem partis, in diuinis non habent, multò minùs habebunt suppositа, quæ in creatis non habent. Apta quoque est solutio Capreol. ar. citat. ad 13. contra primam conclusionem, & Soncin. ad 10. Scoti contra quintam conclusionem, dicentium argumentum Augustin. habere hanc vim: qualitates creatæ maiorem compositionem faciũt cum subiecto, quam relationes cum fundamento: ergo si perfectiones diuinæ significatæ per modum qualitatum eam non faciunt, nec relationes facient, aliter soluit D. Thom. in 1. d. 19. in expositione literæ, Argentin. vbi suprà & alij, sed prior expositio videtur magis ad mentem D. Augustini.

VI.

Toletus. Argentin. Gregorius.

Capreol.

Soncinas.

S. Thom. Argentin.

Primus modus loquendi Patrum, quo suam sententiam confirmat Mayron. potius in distinctionem sonat: nam hoc ipso, quo astruitur simplicitas, aut multiplicitas simplex, significatur multiplicitatem esse eiusmodi, vt cum simplicitate minimè pugnet:

VII.

Heruæus. Toletan. Ocham. Soncinas. Gregorius. Capreol.

pugnet: cum ea vero pugnat multiplicitas omnis, quæ datur actu in rebus ante operationem intellectus, vt iam ostensum est: atque adeo, cum Sancti de diuinis loquentes multiplicitatem nominant, de virtuali, aut secundùm rationem sunt intelligendi. Idque colligitur ex alijs ipsorum dictis relatis cap.6.num.6. negant enim in diuinis esse admittēda plura, aut vtrunq;. qui plura esse negat, multiplicitatem negat: hæc enim est quædam multitudo, hæ, & similes autoritates habent magnam vim, quia proferuntur à Sanctis ad cauendam deceptionem, quæ fortè oriri posset ex eo, quod perfectiones numero multitudinis appellarent, vel in singulari alias alijs addendo recenserent; quasi dicere voluerint, non propterea veram pluralitatem, aut multiplicitatem existimandam, quamuis diuina à nobis per modum plurium concipiantur, ac significentur. Idem sumitur ex ijs Patribus, qui eam multiplicitatem referūt in defectum nostri intellectus, qui nequit aliter quàm per modum plurium cōcipere vnicam illam, & infinitam perfectionem Dei. Nam, si multiplicitas est à parte rei in rationibus formalibus, id non prouenit præcisè ex imbecillitate mētis, sed ex multiplici intelligibilitate obiecti: soli vero imbecillitati id tribuit Bernard. libr.5. de consideratione cap.13.

Bernard.

VIII. Ex his patet solutio ad primam autoritatem Dionys. & August. loquuntur enim de multiplicitate virtuali, siue secundùm rationem, vt rectè explicauit Magister in 1.d.8.litera F. quod colligo ex Aug. lib.6. de Trinitat. cap.6. vbi proponit inquirendum, qnomodo substantia diuina sit simplex, & multiplex: id verò docet ostendendo prius quomodo creatura sit multiplex, non verò simplex: scilicet, quia in ea est aliud, & aliud: *Deus vero*, inquit, *multipliciter quidem dicitur magnus, sapiens, &c. Sed eadem*, inquit, *magnitudo eius, quæ sapientia*, quasi dicat hæc multiplicitas non est in re ipsa formaliter, quoniam in ea non est vlla distinctio, & quæ à nobis multipliciter dici videntur, eadem sunt: secunda autoritas Dionys. eodem modo exponi potest. Et enim Sanctus Pater non loquitur eo loco de alteritate diuinarum personarum inter se, sed respectu operationū externarum: nam, cùm egisset de eodē, incipit agere de altero his verbis: *Porrò alterum dicitur, quia omnibus prouidentiæ ratione Deus adest; & omnia in omnibus pro omniū salute fit in se ipso, & in sua identitate manens*: at prouidētię ratio, etiam secundùm Scotum, vna atque indiuisa omnino est: ideoq; si ratione diuersorum effectuū Deus alter dicitur, ea alteritas non est quo ad prædicata in ipso ex natura rei distincta, sed quo ad varios respectus rationis ad creaturas fundatos in eadēmet indiuisa ratione formali prouidentię: & deinde eodem modo philosophatur de varijs figuris, ac visionibus Dei traditis in sacris literis, quibus multipliciter significantur eius perfectiones: tunc demū concludit discursū verbis in cōtrarium adductis. Sed enim in ijs ipsis non aliā multiplicitatem indicat, quā respectuū ad creaturas: ideo enim initio ait non suspicandum diuinam alteritatem esse immutationē aliquam inuertibilis idētitatis, ne putaremus quando aliter, atque aliter figuratur, violari intrinsecus eius identitatem, sed solum significari varias progressiones ipsius in creaturas: quod indicant verba sequentia: *vniformes multæ fœcunditates omnino progressiones*, siue vt alia versio habet *vniformes ad omnia fœcunditatis diuinæ progressus*: quibus significantur operationes ad extra per varias figuras designatæ, itaque non agit de distinctione attributorum in se, sed ordinis, siue habitudinum ad varios effectus ad extra.

Magister. Augustin.

Magn. Diony.

IX. Autoritates secundo loco inductæ tangunt aliam difficultatē similem illi, quam suprà in alium locum reieci: nempè vtrum dici possit Deum intellectu velle, voluntate intelligere, & similes aliæ loquutiones vsurpari: quæ difficultas solum ex eo, quod perfectiones diuinæ non distinguantur ex natura rei, non multum vrget: nam multi, & graues Autores negāt distinctionē ex natura rei: inter genus, & differētiam, qui tamen aiunt hominem non esse animalitate rationalē, nec rationalitate animal: & ita ex eo, quod negetur de aliquo subiecto ratio agendi, aut conferendi alicui effectum formalem, quæ tribuitur alteri, non proinde necessario sequitur distinctio actualis ex natura rei. Et quemadmodū D. Ansel. ait, Deum nō idcirco se intelligere, quia se amat: sed idcirco se amare, quia se intelligit, dici etiā potest Socratē non ideo esse hominem, quia animal est; & ideo esse animal, quia homo est: ex quo Doctores non colligunt distinctionem ex natura rei inter animal, & hominem. Item nō est improbabilis sententia Doctorum, qui negant potentias animæ ab illa, aut inter se distingui ex natura rei; & nihilominùs ijdem non concedunt hominem voluntate intelligere, intellectu autem amare. Similiter ex eo, quod Hilarius ait non voluntatem, sed potestatem efficere creaturam, non necessariò sequitur voluntatem, &

Anselm.

rem, & poteſtatem Dei diſtingui à parte rei actualiter.

X. *Auguſtinus.* Quod attinet ad teſtimonium ſumptum ex Auguſtin. lib. 15. de Ciuitate cap. 6. ſi Scot. & eius aſſeclæ obſeruaſſent id, quod ſuperiore lib. tractat. 7. de locis cap. 14. num. 7. obſeruandum monui in Patrum dictis referendis, nimirum ne truncentur ſententiæ, & omittantur ea, quæ ad rem, de qua agitur, maximè conducunt, nequaquã eo vſi fuiſſent, quin potius eo ipſo viderent labefactari ſuam ſententiam: nam D. Auguſtinus non ait, nomina illa bonus, æternus, & ſimilia ſignificare qualitates, ſed videri ita ſignificare, quaſi hoc referat ad noſtrum modum concipiendi, ac ſignificandi per nomina, non vero ad rem ipſam: ſed, ne relinqueret dubitandi locum, ipſe ſe explicauit verbis ſequentibus, quæ Scot omiſit: nam poſtquã dixit. *Horum omnium nouiſſimum, quod poſui, quaſi tantummodo videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates:* ne ita rem habere crederemus, ſubdit, *Sed non ita eſt in illa ineffabili, ſimpliciq; natura. quidquid enim ſecundum qualitates illuc dici videntur, ſecundum ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum.* Ex quibus patet, ꝙ priora verba viſa ſunt Scoto ſignificare perfectiones ijs ſignificatas, non eſſe intimas rationi formali eſſentiæ diuinæ, neceſſario per poſteriora, quæ idipſum negant, quod priora ſignificare videbantur, teſtatum reliquiſſe D. Auguſtin. non ita ſe rem habere, vt Scot. credit, ſed eaſdem perfectiones, quæ defectu intelligentiæ noſtræ, & vocum ſignificantur per modum qualitatis, verè, ac propriè eſſe de intima ac formali ratione eſſentiæ diuinæ.

XI. Auctoritas Damaſcen. etſi fauere videatur ſententiæ Scoti, nequaquam fauet, ſi mens, & inſtitutum illius attendatur. Etenim eo cap. 4. vult oſtendere Deitatem eſſe incomprehenſibilem ſecundum ſubſtantiam, atque naturam, atque adeò nos in vita non habere proprium conceptũ quidditatis ipſius, neque per affirmationem aliquid quidditatiuè de eo dici poſſe. non vero curat vtrum perfectiones illis nominibus ſignificatæ includantur à parte rei in eſſentia: alioquin de mente eius concedendum eſſet, quidquid per Theologiam affirmatiuam dicitur de Deo, eſſe extrinſecum eſſentiæ ſecundum ſe, quandoquidem illa omnia de mente illius, nõ naturam, ſed ea, quæ ſunt circa naturam inſinuant, vt eodem capite docet, ſed de explicatione huius loci ſatis dictum eſt tract. 2. cap. 2. num. 6.

Ex ſumma identitate & vnitate Dei oſtenditur ſumma indiſtinctio formalis, inter perfectiones Dei abſolutas.

CAPVT VIII.

I. POſt teſtimonia Patrum rationib⁹ agendum eſt. Prima vero ſumitur ab omnimoda, & perfecta identitate Dei, qua vtitur Dionyſ. Ciſtercienſ. in 1. d. 22. q. vn. art. 2. concluſione 4. & benè proſequitur Dionyſ. Carthuſ. d. 2. quæſt. 2. poſt relatas Doctorũ ſententias, & eſt optima. Etenim diſtinctio, & identitas ſunt oppoſita: at vero vnum oppoſitorũ in ſummo gradu perfectionis nullo modo admittit alterum: ergo, ſi Deus habet ſummã identitatem, caret omni diſtinctione perfectionum abſolutarum. Dei vero identitatẽ eſſe maximã patet, quoniam omnia, quæ ſunt aliquo modo communia Deo, & creaturis, cõueniunt Deo in perfectiore gradu, quam illis, atque adeò in ſummo: identitas autem conuenit creaturis, ac Deo, vt per ſe patet: ergo eſt ſumma in Deo: nã ſi maior ſit, aut eſſe poſſit, aliquid erit perfectius Deo ſaltẽ ſecundum quid. Mayron. in d. 8. q. 7. art. 2. in ſecunda eius parte negat, Deum eſſe ſumme idem, nec id reputat abſurdum, quoniam identitatẽ credit nõ eſſe perfectionem ſimpliciter. At ſummam identitatem Deo tribuunt præter Patres, quos retuli cap. 6. n. 2. aſſerẽtes omnia in Deo eſſe prorſus, & omnino idem, Richard. de S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 20. *In illo*, inquiens, *ſummo bono, vniuerſaliterq; perfecto eſt vera, & ſumme ſimplex identitas.* & paulò pòſt, *Ibi ſumme ſimplex identitas cum totius conſummationis infinitate.* & Dionyſ. cap. 9. de diuinis nominibus, de identitate Dei loquens ſic habet, *Ipſumq; ſecundum ſe ipſum in ſe ipſo firmiter, & intemerate in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum.* id quod eſt in fine alicuius perfectionis, attingit vtique ſupremum eius gradum: nam, ſi infra illũ eſſet, in finib⁹ minimè eſſet: habet ergo Deus ſupremum gradũ idẽtitatis: quod infer ùs magis explicans ſubdit: *Idem ſit ſecundum ſe ipſum, atq; à ſe ipſo vniformiter, eademq; ſpecie determinatum.* Sanè vniformitas ſecundũ identitatem, & ſpeciem, ſiue formã indicat maximã identitatẽ, & excludit omnẽ diſtinctionem, quæ difformitatem inuehit. Et paulò pòſt de ipſo Deo loquens, *Copia*, inquit, *identitatis, & cauſa in ſe ipſo etiã cõtraria eodem*

Mayronius. *Rich. Victor.* *Magn. Dion.* *Ciſtercienſ.* *Carthuſian.*

modo ante habens secundum vnam, atq; vnicam totius identitatis supereminentem causam. Deus est copia, & causa supereminens totius identitatis: ergo habet illam in summo gradu, alioquin perfectiore modo esset in effectu, quam in causa; quod est impossibile. Quamuis autem identitas quoad respectum rationis non sit perfectio simpliciter, est tamen quo ad eius fundamentum, nempè quo ad indistinctionem, quo enim natura minus distincta in se est, eo magis perfecta.

II. *Heruæus. Carthusian.* Idem ostenditur ab vnitate Dei: quo argumento vtuntur Heru. quodlibet. 1. quæst. 2. §. *Modo restat*, Dionys. Carthus. vbi proximè. Pro quo supponendum id, quod tractat. 3. dictum est, nempè Deum esse summe vnum. Quo posito probatur institutum; summæ vnitati repugnat pluralitas; hæc necessariò sequitur ex distinctione actuali perfectionum diuinarum: ergo ea non est admittenda. Pro explicatione maioris propositionis recolendum est id, quod in tractatu 3. dictum est: nimirum vnitatem quo ad negationem diuisionis actualis à se in plura, non suscipere magis, ac minus: hoc enim modo non minus indiuisus est in plures Petrus, quam Deus. Et ita Deus dicitur summe vnus non secundum hanc præcisam rationem, quatenus vnitas negat non solùm omnem diuisionem actualem in plura, quorum singula sint ipsum, ac non ipsum, sed etiam diuisionem potentialem, & entitatiuam in plura intrinseca eidem rei: quo pacto Angelus est magis vnus, quam homo, quia hic admittit diuisionem, hoc est non identitatem in partes physicas sibi intrinsecas, ille vero caret similium partium multitudine. Itaque vbicunque fuerint plura eidem rei intrinseca, non est summa vnitas: vbi vero fuerint plura simpliciter, *Ambros.* non est vnitas: vt enim ait Ambros. secundæ ad Corinth. 5. *Ibi est vnitas, vbi nulla est differentia:* atque adeò vtraque pluralitas repugnat summæ vnitati. Assumptio vero ostenditur, quoniam auctore *Aristot.* Philosopho lib. 10. Metaph. t. 10. diuersum, quod nos distinctum appellamus, pertinet ad multitudinem, sicut idem ad vnitatem: atque adeò, vbicunque est aliqua distinctio actualis ex natura rei, ibi quoque debet esse multitudo: at Scotistæ admittunt distinctionem ex natura rei inter perfectiones diuinas: ergo etiam debent admittere pluralitatem. Et confirmatur, quoniam vnum, & multa sunt opposita immediata: perfectiones apud ipsos non sunt vnum simpliciter: ergo plura simpliciter. Assumptio probatur, namque vnum simpliciter est omninò indiuisum: at rationes formales de mente ipsorum sunt ex natura rei distinctæ, ac diuisæ inter se: ergo non vnum simpliciter.

III. *Aureol.* Huic argumento respondent aliqui Scotistæ apud Aureolum in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. §. vltimo, non sequi pluralitatem: quandoquidem perfectiones diuinæ sunt vnum simpliciter, & distinctæ secundum quid: quorum dicta fusè refert, & impugnat idem Aureolus: præcipua fundamenta sunt hæc: aut attributa distinguuntur tanquam primo diuersa, aut conueniunt in aliquo, & aliquo sui distinguuntur: si priore modo differunt, se totis distinguuntur, atque adeò sunt simpliciter plura: nam iustitia diuina secundum se sumpta est quædam res tota, ac perfecta, & simpliciter summa, vt ipsi etiam admittunt: idemque dicendum de quouis alio attributo. Si vero conueniunt aliquo, hoc est in ipsa realitate essentiæ, & distinguuntur alio, hoc est suis formalitatibus, hæ necessario sunt additæ essentiæ, & ipsam quasi circunstant: & ita nec sapientia, nec iustitia, nec vllum aliud attributum est tota Deitas, vt ipsi aiunt. Præterea vel hoc, quo differunt, est ens simpliciter, vel secundum quid, & imminutum: in diuinis non est admittendum aliquid imperfectum, & imminutum: ergo omnes rationes formales sunt entia simpliciter, & consequenter attributa, cùm per ea constituantur, ac distinguantur, erunt simpliciter plura entia. Deinde repugnat aliqua esse non vnum, siue nō eadem secundum modum aliquem entitatis, quin sint plura, ac distincta secundum eundem modum: perfectiones diuinæ sunt non vnum, siue non eædem formaliter de mente horum auctorum: ergo sunt plura, ac distincta formaliter. Maiorem ostendo, quoniam vnum, ac multa, idem, ac distinctum opponuntur immediate respectu eiusdem: ergo cum negatione vnius est coniuncta ratio multitudinis, & cum negatione identitatis ratio distinctionis: nam ex eo aliquid non est vnum, quia est hoc, & hoc: vbi autem est hoc, & hoc, necessario sunt plura, in quæ intelligitur terminari diuisio, quam negat vnum: item ex eo aliquid non est idem, quia est aliud, & aliud: vbi vero est aliud, & aliud, necessariò est multitudo. Denique omnis vnitas multiplicata facit numerum: at quælibet perfectio attributalis secundum propriam rationem formalem est vna in se, & diuisa à

qualibet

qualibet alia: Verbi gratia sapientia est vna perfectio, & non eadem, qua iustitia: hæc est vna perfectio, non eadem, quæ sapientia: & sic in cæteris: ergo omnium vnitates coniunctæ faciunt multitudinem rationum formalium, & consequenter perfectionum attributalium, quæ per illas constituuntur. Et ita saltem admitti debet pluralitas secundum quid, quæ repugnat summæ vnitati: nam magis vnum est illud, quod excludit etiam pluralitatem secundum quid, quam quod illam admittit.

IV. Alij Scotistæ admittunt quidem pluralitatem actualem rationum formalium, sed conantur aliter soluere argumentum. alij enim negant summam vnitatem esse perfectionem simpliciter, & conuenire Deo: alij vero aiunt adhuc cum ea pluralitate dari summam vnitatem; Priore modo respondet Lychetus in 1. d. 8. quæst. 3. §. penult. vbi expresè fatetur in Deo non esse summam vnitatem: quam ideò negat esse perfectionem simpliciter, *alioquin* ait *albedo esset perfectior composito substantiali.* Idem videtur indicare Bassol. in 1. d. 22. quæstione 4. artic. 3. ideò negans vnitatem formalem in Deo, quia non dicit perfectionem: imò censet implicare contradictionem, vt sint in Deo perfectiones simpliciter secundum proprios conceptus, & non sint perfectæ, atque distinctæ secundum illos: eodem enim aliquid constituitur in se, & distinguitur ab alijs: quapropter si in Deo est ipsamet propria ratio sapientiæ, ac iustitiæ non minus, quam in creaturis, & in his est vera distinctio, & pluralitas ex natura rei, necessariò etiam in Deo erit.

Lychet. *Bassol.*

V. Hæc responsio, quatenus negat Deum, esse summe vnum, nullo modo ferenda est: siquidem pugnat cum communi sententia Patrum, & Theologorum: quorum dicta, quoniam alludunt etiam ad identitatem, siue indistinctionem, & excludunt omnem pluralitatem, libet apponere. Richard. de Sancto Victore libro secundo, de Trinitate capitulo decimoseptimo. *Vbi autem,* inquit, *summa simplicitas, ibi vera, & summa vnitas, quidquid ergo in summo bono est, verè, & summe vnum est: nec aliud, & aliud ibi esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est,* & cap. 19. in fine: *In illa verè, & summe fe-*

Rich. Victor.

ici diuinitate, est summa, & substantialis vnitas, & in ipsa vnitate vera, & summa simplicitas: vbi idem ipsum est totum, quod est. Similia dicit cap. vigesimo Bernard. libro quinto, de consideratione cap. septimo: *Non habens quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnum: vnum quippe est, sed non vnitum.* & infra. *Tam simplex Deus, quam vnus est: est autem vnus, & quomodo aliud nihil, si dici potest vnissimus est.* & paulò pòst, *hoc verè vnum in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præter id, quod est, compara huic vni omne, quod vnum dici potest, & vnum non erit,* & capit. decimotertio in fine: *Horum vtrunque nempè sapientiam, & potentiam, intuentes in Deo simplicissimam vnitatem.* Origen. libro primo, Periarchon. capit. primo. *Deus est intellectualis, natura simplex, nihil omninò in se adiunctionis admittens, vti ne maius aliquid, & inferius esse credatur, sed vt sit omni ex parte monas.* Boërius libro primo de Trinitate, *Hoc verè vnum,* inquit, *in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id, quod est.* Anselm. in prosolog. capit. decimooctauo. *Nullæ partes in te sunt Domine, nec es plura: sed sic es vnum quoddam, & idem tibi ipsi, vt in nullo tibi ipsi sis dissimilis: imò tu es ipsa vnitas nullo intellectu diuisibilis.* Cyrill. Alexandr. in actis sextæ Synodi apud Cypariſſiot. decad. decima, capit. sexto. *Sicut vnitas,* inquit, *non potest diuidi in duas vnitates (siquidem vnitas in has diuisa non erit vnitas, sed duo) sic quod est vnum summa copulatione, non potest diuidi in duo: alioqui non amplius erit Deus vniuersi simplex natura: siquidem est alia præter ipsum, quæ est in ipso vita.* Auctor lib. de causis, propositione vigesima prima. *Et significatio eius est vnitas eius: non quia vnitas eius sit sparsa in ipso, imò est vnitas eius pura, quoniam est infinitæ simplicitatis simplex.* Vel vt alia lectio habet, *quoniam est simplex in finem simplicitatis,* pro eodem accipit vnitatem puram, & non sparsam, quia non est vnitas ex pluribus aggregata, vt notat ibi Ægidius. non est autem opus denuo ratione ostendere summam Dei vnitatem, de hoc enim iam tractat. tertio, dictum est.

Bernard. *Origenes.* *Boetius.* *Anselm.* *Cyrill. Alex.* *Cypariſiota.* *Auctor de causis.* *Ægid.*

VI. Quatenus autem eadem responsio negat summam vnitatem esse perfectionem simpliciter, abhorret à communi sensu: namque experientia constat entia, quo magis vna sunt, & cęteris paribꝰ esse perfectiora: nã sensus communis perfectior est sensibus externis, quia vnite continet, quod in illis dispersum est: Virtus solis ob eam

causam

causam est præstantior virtutibus particularium agentium naturalium: idque in pluribus alijs videre est. Nec instantia, quàm adhibet Lychetus, vllius momenti est, non enim oportet, vt quidquid habet rationem aliquam perfectionis simpliciter, sit perfectius alijs, quæ illa carent: quandoquidem possunt vendicare rationem aliam perfectiorem qua illud careat: exempli causa scientia est perfectio simpliciter, nec tamen scientia creata est perfectior anima rationali, quæ in sua ratione formali non includit scientiam: siquidem anima includit vitam substantialem intellectualem, qua caret scientia, cùm sit accidens. Eodem modo, quamuis vnitas compositi substantialis sit minor, quam vnitas candoris, non proinde illud erit imperfectius candore: quoniam vendicat esse substantiale, cuius expers est candor. Fundamentum Bassolis est commune refugium Scotistarum, confugientium ad impossibilitatem vnitatis secundum rationes formales, immerito tamen: Si enim non repugnat, vt plures rationes formales analogicæ dispersæ in diuersis rebus creatis, coeant in vnam rationem adæquatam etiam creatam, cur repugnabit, vt similiter coeant in vnam increatam? Etenim vis percipiendi odores, sapores, & colores diuisa est in sensibus, vna intellectu: nec tamen in eo vis perceptiua coloris est alia à vi perceptiua saporis, sed vna, & eadem, ita licet scientia, & iustitia creatæ sint plura actu, increatæ erunt vnum. Ratio est quoniam
Heruæus. vt probat Heruæ. quodlib. 1. quæst. 2. non sunt plura propter rationem communem analogicam scientiæ, ac iustitiæ, sed ob rationes particulares iustitiæ, ac sapientiæ creatæ, quæ cum à Deo absint, abest quoque pluralitas, & manet vnitas.

VII. Alterum dicendi modum sequitur
Mayronius. Mayron. in 1. d. 8. quæst. 7. art. 3. 2. p. articuli pro cuius declaratione præmittit quadruplicem modum vnitatis. Prima est vnitas aggregationis. Secunda ordinis, tertia compositionis, quarta indiuisionis: quam solam ait esse veram vnitatem, quoniam illi soli conuenit formalis ratio vnitatis: namque aggregata ordinata, & componentia, quatenus talia, non sunt indiuisa: & ideò cætera omnia sunt vnum secundum quid, præter ea, quæ sunt vnum quarto modo. Hoc præmisso respondet, attributa diuina habere perfectam vnitatem in sua infinitate, realitate, & in eadem essentia: in infinitate, quoniam omnibus respondet vna infinitas indiuisa, secundum quam sunt vnum identice: in realitate quoniam omnibus respondet vna realitas præcisè, secundum quam sunt idem realiter in essentia, quoniam radicantur in vna natura indiuisa, cuius vnitatem veram habent, cùm sint inuicem in se ipsis in explicabili intimitate. Deinde vero, si considerentur eadem attributa secunduam suas rationes formales vltimatè præcisas, respondet nullam habere vnitatem: quoniam rationes formales, vtpote simplices, sunt primo diuersæ. Ex quibus infert primo attributa habere summam vnitatem, quoniam habent vnitatem essentiæ, quæ est summa, itemque infinitatis, ac realitatis, quæ est penitus indiuisa: Secundò attributa non esse summe vnum, quoniam quando passio conuenit per se primo alicui, & ratione eius alijs, principalius conuenit illi communi: at summa vnitas conuenit per se primo essentiæ, & ratione ipsius attributis: ergo illa est magis vna, quam attributa. Accedit quod illa non sunt summe vnum, quæ ex suis rationibus formalibus nullam vnitatem, aut indiuisionem habent, sed aliunde: eiusmodi vero sunt attributa, quare non sunt summe vna. Videns autem hanc secundam illationem destruere id, quod prius asseruerat, respondet vnitatem formalem non esse maiorem identica, sed vtramque esse summam.

VIII. Hæc conciliatio summæ vnitatis cum distinctione formali illam prorsus euertit. Omitto vero id, quod ait, scilicet vnum compositione non esse vnum indiuisione, est enim contra Philosophum, *Aristot.* qui lib. 5. Metaphys. cap. 6. & lib. 10. cap. 1. vnitatem simpliciter per indiuisionem definit, eamque agnoscit in omnibus entibus per se, siue simplicibus, siue compositis. vt autem ad propria quæstionis, in qua versamur, accedam, Obseruandum inprimis est, vnitatem vel posse considerari, quatenus est negatio determinatæ alicuius diuisionis, vel quatenus est aggregatum constans ex multis negationibus eiusmodi: exempli gratia, sicut est diuisio actualis, & potentialis, ita est negatio diuisionis actualis, quæ conuenit continuo quod est actu indiuisum, & negatio diuisionis potentialis, quæ conuenit substantijs

materiæ

materiæ expertibus, & potest etiam concipi vnitas quædam conflata ex vtraque negatione, quæ conuenit verbi gratia Raphaëli, qui, & actu, & potentia est indiuisus. Et ita comparatio penes vnitatem, aut diuisionem simpliciter fieri potest: primo comparando vnam cum altera, & videndo quænam sit maior quodammodo intensiuè: deinde comparando subiectum cum subiecto penes plures, aut pauciores modos vnitatis: nam quod omni modo est indiuisum, est quoque maximè vnum: quod vero cum indiuisione admittit aliquam diuisionem, est minus vnum: Quod attinet ad primum genus comparationis, notandum est etiam dari quasdam vnitates, quæ alias supponunt, & quodammodo includunt, vt vnitas specifica genericam, & numerica vtramque: qui ordo seruatur in vnitatibus oppositis diuisionibus inæqualibus secundum magis, ac minus, ita vt vnitas oppositæ maximè diuisioni sit maxima: vt se habet vnitas secundum genus prædicamenti: quæ enim prædicamento diuiduntur, maximè diuisa sunt, quæ vero secundum rationem prædicamenti sunt indiuisa, habent aliquam vnitatem, sed minimam: contra vero, quæ sub eadem specie solo numero diuiduntur, habent minimam distinctionem: ex opposito autem maximam vnitatem, quæ sunt idem numero, vt Socrates sibi ipsi. Et sicut se res habet in vnitate secundum gradus superiores, & inferiores, ita quoque se habet in vnitate ac indiuisione secundum eandem vnitatem singularem, ratione quarum res dicitur vna, vel multiplex realiter, formaliter, modaliter: nam maxima diuisio est realis, minor formalis, minima modalis, contra vero minima vnitas realis, maior formalis, maxima modalis: quæ enim ita sunt vnum, vt ne modalem quidem diuisionem admittant, habent vnitatem perfectam: quæ vero cum vnitate reali multitudinem formalem, aut modalem patiuntur, non sunt perfectè vnum.

IX. Hoc posito constat non esse perfectam, & summam vnitatem in diuinis, si perfectiones attributales ex natura rei formaliter distinguantur, quia desideratur vnitas intensiuè maior, nempè formalis quæ est maior reali: nam Mayron. & alij Scotistæ in sua opinione admittere debent essentiam diuinam præcisè consideratam esse magis vnam, quam sit sumpta simul cum sapientia: nam sola est vnum realiter, ac formaliter, coniuncta sapientiæ, est tantummodo vnum realiter, & plura formaliter. Et ita patet solutionem Mayron. non esse idoneam: tum quia vnitas realis non est summa: tum quia, licet esset summa, non redderet subiectum æquè vnum, ac reddit simul cum vnitate formali: nam sola admittit aliquam multitudinem, saltem rationum formalium: coniuncta formali nullam patitur diuisionem, aut multitudinem: quod ad summam Dei vnitatem requirunt Patres superius citati. Sequitur etiam vnitatem fundatam in realitate, essentia, & infinitudine non esse summam: non ratione realitatis, quoniam hæc, vt dictum est, admittit diuisionem, & multitudinẽ aliquam ex natura rei: non ratione radicationis in essentia: nam passiones omnes rerũ creatarum in eadem essentia radicantur, & tamen sunt simpliciter multæ, nec humanitas sumpta simul cum intellectu ac voluntate est tam perfectè vna, quam si sola consideretur. Denique nec ratione infinitudinis: quoniam hæc de mente Scoti, ac discipulorum est modus intrinsecus essentiæ: modus autem nõ inducit nouam rationem formalem, vt ijdem docent, atque ita essentia infinita in genere essentiæ non identificat sibi formaliter perfectiones alias à se formaliter distinctas, sed ad summum realiter: atqui ratione identitatis realis non vendicant sibi summam vnitatem, vt probatum est supra: ergo neque ratione infinitudinis.

Si quis obijciat, Distinctio realis personarum non lædit vnitatem essentiæ: ergo neque formalis distinctio attributorum eam lædit. Neganda est consequentia, ratio vero est, quoniam Trinitas personarum relinquit essentiam omnimodo indiuisam: non enim vel illa, vel aliquid ad ipsam intrinsecè pertinens multiplicatur in personis, sed idem omninò, ac indiuisum communitate reali inest omnibus, ac singulis. At perfectio omnis absoluta realis est de intrinseca ratione essentiæ, vt probatum est supra tract. 1. de essentia Dei, ideoque si rationes formales perfectionum diuinarum distinguuntur ex natura rei, multiplicatur aliquid intrinsecè pertinens ad essentiam, & eo ipso violatur eius vnitas. Verùm, quoniam Scotistæ negant perfectiones attributales esse de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, hoc argumentum non conuincit, nisi prius ex Patrum auctoritate, ac ratione cogantur id concedere. Deinde vero absolutè probari potest diuersa ratio, quoniam Ecclesia, & Patres nõ agnoscunt numerum in

X.

Deo,

Deo, nisi ex parte relationum, ac personarum, ex parte vero essentiæ meram, ac puram vnitatem: at, si perfectiones attributales sunt plures secundum rationes formales ex natura rei distinctas, non est ex parte essentiæ mera vnitas, sed permista multitudini.

Ex ratione actus puri rectè concluditur, non esse vllam distinctionem ex natura rei inter essentiam, & attributa.

CAPVT IX.

I. AD astruendam omnimodam identitatem perfectionum diuinarum, & impugnandam distinctionē earundem ex natura rei formalem, sumitur efficax argumentum ex ratione actus puri, quam superius ostendi esse Deo intrinsecam, & essentialem. Et ad hoc institutum vtuntur Andreas de Nouo Castro in 1. d. 32. quæst. 1. §. *Notandum*, & Carthusian. d. 2. quæst. 2. Vt vero eius vis appareat, supponendū id, quod tractat. 1. cap. 11. explicatum est, nimirum actum purum esse formam nō formatam, aut informantem, neque formabilem: ex quo sequitur ipsum esse quod est, & quo est: neque vllo modo habere perfectionem aliquam, aut entitatem, siue rationem formalem, quæ ipse non sit. Nam, si est formaliter aliquo, quod ipse nō sit, iam profecto est forma formata, & habet rationem subiecti, quod omninò abhorret à ratione actus puri, & illud, quo est, necessariò erit forma informans, & consequenter neque actus purus.

Nouo Castro. Carthusian.

II. Hoc posito ostenditur institutum: omnis perfectio positiua distincta ex natura rei ab alia, quam per se primo formaliter denominat, est respectu eius forma informans, & illa est subiectum, vel saltem forma informata: vtrunque repugnat rationi actus puri, vt patet ex dictis: ergo distinctio ex natura rei actualis cohærere nequit cum ratione actus puri. Maior propositio ostenditur: quoniam quidquid est formaliter tale, aut est formaliter se ipso, aut si est per formam à se distinctam, illa est forma informans: Cùm vero subiectum denominatur formaliter tale, verbi gratia sapiens à forma ab ipso distincta ex natura rei, non est formaliter se ipso sapiens: ergo per formam informantem. Maior patet, quoniam nihil est formaliter se ipso sapiens: ergo per formam aut subsistentem, quemadmodum primum ens est Deus deitate; aut informantem, quemadmodum Cygnus est candore candidus: nihil vero potest esse primo tale per formam subsistentem à se distinctam, quandoquidem forma subsistens est ipsum, quod est, & quo est: & ideò, si fortè denominat formaliter aliquid à se distinctum, hoc non est primo tale: sed supponit aliud, quod sit tale: qua ratione deitas, quæ est forma subsistens per communicationē idiomatum, denominat formaliter hominem, verè enim, ac formaliter ratione vnionis hypostaticæ dicitur, homo est Deus, & Deus est homo: verùm homo nō per se primo denominatur Deus, sed ratione Verbi diuini: ergo, si subiectum per se primo denominatur à forma ab ipso distincta actu ex natura rei, ea necessariò erit informans: nihil vero aliud à Deo est per se primo sapiens, iustus, omnipotens, & sic de reliquis perfectionibus essentialibus: ergo, si sapientia, iustitia, omnipotentia, & reliquæ perfectiones essentiales distinguantur ab illo ex natura rei, nō erunt formæ subsistentes, sed informantes: & consequenter neque ipse, nec illæ erunt actus purus.

III. Huic argumento responderi potest inprimis ex Scoto in 1. d. 8. quæst. 3. alias 4. §. *Contra istam solutionem*, formam in creaturis vendicare aliquid habens rationem imperfectionis, nempè vt sit informans, & pars compositi, & aliquid ab imperfectione immune, & proprium ipsius secundum propriam rationem essentialem, siue formalem ipsius, nempè vt sit id, quo aliquid est tale; & priores duas rationes nō reperiri in perfectionibus diuinis, nulla enim est forma informans, aut pars compositi, reperiri vero vltimam: quod ostendit in sapientia, quæ neque informat Deum, neque est pars alicuius compositi, est tamen id, quo Deus est sapiens per veram identitatem, qua sapientia propter sui infinitatem perfectam perfectè est idem cuilibet, cùm quo nata est esse. Deinde vero sibi obijcit, quomodo fieri posit, vt aliquid sit formaliter sapiens sapientia, quin hæc sit forma illius. Respondet vero, vt aliquid denominetur à forma, non requiri, vt ea sit forma eius informans: nam totum physicum denominatur à forma, quæ tamen non informat ipsum, sed corpus? Et ita, si forma aliqua veriore identitate sit idē alicui, quàm sit forma physica subiecto vel toti, poterit illud formaliter denominare, quamuis nō sit forma informans. Cuius solutionis vis consistit in hoc, quod denominatio sumitur ab identitate prædicati cum subiecto:

Scot.

atque

atque adeo si hæc detur absque informatione, poterit subiectum denominari à forma significata per prædicatum, quamuis ab illa non informetur.

IV. Duo in hac solutione dicuntur vera, & certa, nempè formam importare imperfectionem, quatenus est informans, aut pars compositi, non vero quatenus solùm dicit id, quo aliquid est tale formaliter: item vt sumatur vera denominatio, à forma non requiri, vt sit informans, sed vt sit idem cum subiecto denominato. Verùm adhuc non constat, vtrum fieri possit vt forma non informans ex natura rei distincta à subiecto sit id, quo subiectum est, ac dicitur tale. Scotus affirmat, sed non explicat quomodo id fiat, neque affert sufficiens exemplum. Nam forma physica, tametsi non informet totum, informat tamen materiam, quam informando simul causat, & componit totum: & ita necessario est forma informans, si non totius, saltem partis. Ex quo potest sumi argumentum contra responsionem Scoti in hunc modum. Nulla forma ex natura rei distincta à substantia per se existente potest esse illi ratio formalis vt sit, aut denominetur talis, nisi illam, aut partem eius informet: perfectiones diuinæ de mente Scoti distinguuntur ex natura rei à Deitate, non informant autem illam, aut eius partem, quia simplex est: ergo nequeunt esse ratio formalis, qua Deus sit, ac dicatur sapiens, iustus, &c. Assumptio est euidens, & admittitur ab Scoto. Maiorem ostendo, quoniam omnis forma, aut est per se subsistens, aut informans. duæ formæ per se subsistentes, & ex natura rei distinctæ non possunt se mutuo afficere, ac denominare: nam sicut singulæ per se sunt, ita sunt id quod sunt, & quo sunt, nec vna respectu alterius est id, quo est. Ad hoc enim requiritur vt altera tantum sit id, quod propriè est, altera vero, quo est: cùm vero vtraque per se subsistit, vtraque est id, quod est, & quo est: ex quo sequitur esse simpliciter plura per existentia, & neutrum denominare alterum: non enim sumitur denominatio à forma nisi in existente subiecto, vel identificata prorsus cum illo: quandoquidem ad veram prædicationem requiritur identitas subiecti, vel rationis omnimodæ: at si forma non inexistat subiecto, caret priore identitate, si distinguatur ab ipso ex natura rei, caret posteriore: quare non verè affirmabitur de illo. Nec sola realis identitas sufficit ad veram prædicationem, quoniam ad verã negationẽ sufficit distinctio ex natura rei formalis, vt cap. 1. ostendi. Et ex hoc natum credo commune axioma Patrum, asserentium in Deo idẽ esse quod est, & quo est: nam cum viderent duo per se existentia ex natura rei distincta, non posse verè mutuo prædicari absque aliquali informatione, quæ repugnat rationi actus puri, simulque scirent perfectiones diuinas, quæ per se existunt, verè de se mutuo, atque essentia prædicari, statuerunt fieri non posse, vt inter se, aut cum essentia haberent vllam distinctionem ex natura rei, ita vt Deus sit ipsa sapientia, & sapiens, ipsa iustitia, & iustus, & sic in cæteris. Itaque nec ratio formæ, vt sit id, quo aliud est tale, caret imperfectione, sed solùm quatenus ipsa est forma subsistens, & est quo, & quod: hoc autem non habet locum in sententia Scoti: item nec forma subsistens non informans, si vlla interuenit distinctio, potest denominare subiectũ ab ipsa distinctum: quare corruit vtraque Scoti solutio.

Responderi secundo poterit, formam subsistentem posse denominare aliquid, cui non est idem realiter, sed solùm vnita hypostatice, qua ratione Deitas denominat hominem: at vero identitatem realem habere eandem, aut maiorem vim, quam habeat vnio hypostatica. Si vero obijciatur Deitatem non per se primo denominare hominem Deum, sed secundariò per communicationem idiomatum ratione Verbi diuini, in quo vtraque natura copulatur, respondebitur etiam ipsam sapientiam per se primo dici sapientem, iustitiam iustam, & sic in cæteris: Deum vero secundariò propter realem identitatem, & coniunctionem in subsistentia absoluta: & ita ex distinctione actuali earum perfectionum ab essentia diuina minimè sequi, ipsas esse respectu Dei formas informantes. Verùm hæc responsio non potest stare: quandoquidem, quotiescunque distinguitur ex natura rei quod est, & quo est, ipsa forma non denominatur à se ipsa, vt quod, sed subiectum, quod per illam constituitur formaliter tale: Verbi gratia candor non dicitur candidus, nec sapientia sapiens: at secundum sententiam Scoti sapientia, iustitia, & omnipotentia diuina distinguuntur ex natura rei à Deo, ergo is per se primo est sapiens, iustus, omnipotens, vt quod, non vero ipsa sapientia, iustitia, omnipotentia. Præterea id per se primo ab aliqua forma denominatur vt quod, cui per se primo conuenit subsistentia, ratione cuius forma subsistit: subsistentia vero absoluta per se primo conuenit

V.

Deitati, & consequenter omnibus eius perfectionibus diuinis: ergo Deus, non vero sapientia per se primo est, ac dicitur sapiens. Et confirmatur, quoniam singula attributa non vendicant singulas subsistentias absolutas actu ex natura rei distinctas, alioquin possent dici plures substantiæ simpliciter, quod est absurdum: ergo omnia subsistunt eadem subsistentia Deitatis: atque adeò Deus per se primo erit sapiens, iustus, & omnipotens.

VI. Secundò actus purus excludit omnem rationem potentiæ passiuæ, vt patet ex dictis tractat. 1. cap. 11. At si perfectiones diuinæ distinguuntur ex natura rei, Deitas in eo priore, quo præcedit perfectiones attributales tanquam radix, & fundamentum ipsarum, erit aliquo modo potentia passiua respectu earundem: ergo non erit actus purus. Quare vt hoc absurdum euitetur, reijcienda est omnis prorsus distinctio ex natura rei formalis inter perfectiones diuinas. Assumptio ostenditur, quoniam quidquid ex se, atque intimè non est actu bonum, sed per rationem bonitatis superadditam, & distinctam ex natura rei, secundum se consideratum est in potentia ad bonitatem: nam quoduis subiectum ad perfectionem per se formaliter denominantem, habet vnam ex tribus habitudinibus: vel enim illam habet actu, vel potentiam ad ipsam, vel repugnantiam cum ipsa: diuinitas considerata secundum intima, & essentialia prædicata in eo priore considerationis, quo concipitur à nobis tanquam radix attributorum, non habet repugnantiam cum bonitate, sapientia, & reliquis perfectionibus simpliciter, non item eas actu vendicat: ergo est in potentia ad ipsas. Quod colligitur etiam ex modo respondendi Scotistarum. aiunt enim essentiam secundum intimam rationem formalem, nec esse sapientem, nec insipientem: quod vero ita est, non est actu sapiens, aut sapientia, & ita est sub negatione præcisiua ipsius: essentia vero diuina habet simul non repugnantiam ad sapientiam: ergo habet potentiam ad ipsam, potentia enim passiua non est aliud, quam aptitudo ad perfectionē ex natura rei distinctam, cum negatione ipsius saltem præcisiua in aliquo priore.

Rada. Huic argumento assignant Scotistæ varias solutiones. Respondet in primis Rada controuersia 4. in responsione ad argumenta contra quintam conclusionem, in Deo non esse aptitudinem vel potentiam ad eiusmodi perfectiones, neque se perfectibilem per ipsas, sed semper perfectum: quod quidem re ipsa verissimum est, sed videndum an iuxta Scoti sententiam defendi possit. Nam, si esse diuinum secundum se, quatenus est prius sapientia pro illo priore non vendicat illam formaliter, vt re ipsa concedunt Scotistæ, concedant oportet in ea prioritate non perfici, sed esse perfectibile per illam: repugnat enim subiectum perfici forma pro eo priore, quo illa nondum esse intelligitur. Respondet nullo modo concedendum Deum in eo priore non perfici per formam, sed solummodo non intelligi perfectum per ipsam: ex hoc tamen non colligi pro eodem priore esse, aut intelligi non perfectum, quoniam commutatur abstractio præcisiua, & non mendax in diuisiuam, & mendacem. Verùm, quamuis eiusmodi consideratio, & abstractio præcisiua non sit satis ad negationem absolutam de inesse, sat tamen est, vt subiectum sub ea præcisione dicatur esse aptum habere formam, quæ pro tunc nōdum intelligitur inesse, quamuis actu illi realiter insit: vt cernere est in naturis vniuersalibus, quæ abstractæ à singularibus, quibus actu insunt, dicuntur aptæ inesse in illis: quod multo aptius dici potest, quando est distinctio ex natura rei inter essentiam, & proprietates: qua ratione, licet homini, & Angelo ex primo instanti creationis insint proprietates naturales, ita vt nunquam verè de illis negari potuerint, tamen in priore natura verè concipitur natura eorum cum aptitudine ad illas, & consequenter cum potentialitate naturali, vt ab illis perficiatur: alioquin compositio ex natura, & proprietate non erit ex potentia, & actu, quod est absurdum; sequitur ergo rationem potentiæ passiuæ non tolli ex eo, quod actus sit semper coniunctus cum subiecto, si tamen sit perfectio inexistens illi, & non intima rationi eius formali: tunc enim, cùm ratio essentiæ non sit actu, verbi gratia sapiens per se, sed per rationem formalem sapientiæ, ipsa secundum se non erit actu sapiens, sed per sapientiam, tanquam perfectionem sibi extrinsecam: cui proinde comparata habebit rationem potentiæ: namque, vt initio dicebam, in quauis re secundum propriam, atque intimam rationem formalem considerata respectu alicuius perfectionis, vel est actus, vel potentia, vel repugnantia: quare, si essen-

tia

tia diuina ex intima ratione formali non est actu sapiens, erit potentia vt sit sapiens: Rada vbi supra negat consequentiam & vtitur hac instantia: nam, inquit, albedo in lacte non includit dulcedinem nec rationale includit animal: nec tamen rationale est in potentia ad animal aut albedo ad dulcedinem. Non est similis tamen ratio in exemplis adductis, & in re de qua agimus: namque candor, ac dulcedo in lacte per accidens non ratione sui, sed ratione subiecti coniunguntur: & rationale est posterius natura, quam sit ratio animalis: quod autem est posterius alio, non est in potentia ad illud, non enim dicimus formas actuantes subiectum esse in potentia ad ipsum: sed hoc ad illas: At perfectiones attributales per se, & non per accidens copulantur essentiæ diuinæ, qua sunt ratione posteriores. Et ita, si in hunc modum fiat argumentum, Res, cui per se, & non per accidens competit actus ex natura rei distinctus non inclusus in essentia, ipsaque posterior, est in potentia ad illum: At vero de sententia Scoti ita se habet essentia diuina ad perfectiones attributales: ergo est in potentia ad ipsas. Maior nullam patitur instantiam: quare, cùm consequens sit absurdum, & maior vera, necessariò fatendum est falsam esse assumptionem: atque adeo perfectiones omnes absolutas esse omnino indistinctas ex natura rei. Et confirmatur, quoniam quidquid est actu tale, aut est per se ipsum, aut per actum distinctum à se: Deus est actu sapiens, ac iustus, non per se ipsum formaliter, vt, volunt Scotistæ, qua se ipse sit ipsa actualis sapientia: ergo per actum à se distinctum: omne vero subiectum comparatum actui extrinseco propriæ rationi formali, habet rationem potentiæ: ergo, si sapientia, & bonitas sunt actus non intrinseci diuinæ essentiæ ab eaque distincti ex natura rei formaliter, vt Scotistæ volunt, essentia respectu illarum habet rationem potentiæ. Antecedens huius vltimi enthymematis ostenditur, quoniam ex subiecto, & actu sumitur nomen concretum, quo subiectum dicitur sapiens, aut iustum: hoc non significat ipsam puram iustitiam, ac sapientiam per se existentes, sed in subiecto cum contractione, & vnione ad ipsum: alioquin non denominarent illud sapiens, aut iustum: omnis autem concretio, & vnio duorum ex natura rei differentium potentialitatem exigit in eo, quod actuatur formaliter à forma cum ipso concreta, atque vnita: ergo subiectum comparatum actui sibi extrinseco est in potentia ad illud. Patet, quoniam secundum suum præcisè conceptum nihil ex illius actualitate formaliter continet: ergo continet in potentia. Si respondeatur continere in actiua, admittendum necessariò est contineri etiam in passiua: nam omni actiuæ respondet passiua, vel in ipso subiecto, vel extra: cùm vero actus est in eo, cui conuenit potentia actiua, eidem quoque conuenit passiua: quare, cùm respectu diuinarum perfectionum vtraque sit impossibilis, falsa quoque, & impossibilis est sententia: ex qua sequitur alteram ex illis conuenire Deo.

VIII. Ex eodem fundamento excluditur alia similis responsio. Aiunt enim ad rationem potentiæ non sufficere, vt ratio vnius non sit ratio alterius, sed præterea requiri, vt potentia sit tempore prior actu, & actuabilis ab illo: at vero diuina essentia nunquam est sine sapientia, quamuis in aliquo priore considerationis non intelligatur perfecta per ipsam. Verùm licet essentia nunquam sit sine sapientia, tamen, si secundum se non includit ipsam, ab eaque distinguitur, necessario exigit coniunctionem illius à se, vt ab illa denominatur: hæc autem supponit potentiam passiuam reducendam ad actum per coniunctionem in posteriore naturæ. Quemadmodum, iuxta sententiam existimantium, cœlum esse compositum ex materia, & forma, non antecessit tempus, quo materia caruerit forma, sed solùm prioritas naturæ, secundum quam materia concipitur in se non perfecta forma, apta tamen perfici: & nihilominus habet respectu formæ veram rationem potentiæ passiuæ contrariæ actui puro, quæ in posteriore naturæ reducta est ad actum per creationem, & coniunctionem formæ cum eadem. Huic obiectioni respondent, aliter perfici essentiam diuinam per sapientiam, & reliquas perfectiones attributales, aliter materiam per formam: namhæc perficitur, ac denominatur à forma informante, & actuante; essentia vero diuina nequaquam, sed solùm perficitur per suas proprietates tanquam per quidditatem, dantem esse absque vlla imperfectione: nam, sicut esse solummodo id, quo aliquid est tale, non dicit vllam imperfectionem ita denominari

aut esse tale illo ipso non importat imperfectionem ex parte subiecti; Sed neque hæc solutio satisfacit: tum quia iam probaui omnem modum formæ distinctæ à subiecto ex natura rei, & constituentis illum per se primo formaliter in aliquo esse includere imperfectionem: tum vero, quia non assignat discrimen inter formam informantem, & quidditatem dantem esse: nam quidditas dans esse potest habere se per modum formæ, vt respectu indiuidui se habent abstracta speciei, & generum superiorum: humanitas enim, & animalitas respectu Socratis sunt instar formæ, & actus: quamuis igitur perfectiones diuinæ non actuent, aut informent inhærendo, si ex natura rei distinguuntur ab essentia diuina, actuare illam possunt, tanquam formæ, quibus ea subsistit sapiens, iusta, &c.

IX. Respondent vltimo, Deitatem præcisè consideratam in eo priore, quo antecedit attributa, continere illa radicaliter, & quasi virtualiter, & identicè: & idcirco non posse esse in potentia ad illa, quoniam potentia nunquam ita continet actum. Verùm neque hæc responsio est idonea: quoniam non repugnat aliquid esse simul in potentia actiua, & passiua respectu eiusdem formæ, nempè actiua virtuali, & passiua formali, vt patet in nostro intellectu, respectu operationum, quas elicit. est enim principium efficiens, & subiectum recipiens: & quoduis subiectum naturale de sententia Scotistarum continet propria attributa radicaliter, virtualiter, ac identicè: & tamen secundum se sumptum est in potentia passiua respectu illorum: sicut humanitas respectu intellectus, ac voluntatis, si à parte rei distinguuntur ab ipsa saltem formaliter. Et confirma-

Rich. Victor. tur ex Richardo de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 13. vbi ad ostendendam omnimodam identitatem sapientiæ, & potentiæ diuinæ cum Deo sic ait, *Vt igitur habeat*, nempè summa substantia, de qua loquitur, *nonnisi à semetipsa, quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia, necesse est; vt illæ omninò non sint aliud aliquid, quam ipsa, alioquin sine potentia potens, vel sapiens esse non valet, quod ab ipsis habet, non tam à se quam aliundè h...t*;

Richard. quod Richardus absurdum reputat, & merito, quoniam multo excellentius est continere perfectionem simpliciter actu formaliter, quam virtute, & radicaliter: si enim Deus non esset actu intelligens, sed solùm causa intellectionis creatæ, non esset tam perfectus, ac est.

X. Denique fieri nequit, vt plura actu distincta conueniant in vnum simpliciter absque vnione: hæc dari nequit, nisi ex altera saltem parte sit ratio potentiæ passiuæ: quare cum perfectiones diuinæ non sint disgregatæ, ac separatæ, sed habeant perfectum modum vnionis, si ex natura rei distinguuntur, sequitur ex parte ipsarum dari modum potentiæ passiuæ oppositæ actui puro. Responderi potest ex Mayronio citando capite sequente, vnionem, quam non comitatur compositio, minimè repugnare actui puro: at vero vnionem perfectionum diuinarum non esse coniunctam cum compositione, ideoque non opponi rationi actus puri: quæ responsio non satisfacit, inprimis enim, vt ostendam, cap. sequente, omnis vnio necessario inuehit compositionem: deinde vero ex præcisa ratione vnionis sumitur repugnantia ad actum purum. Quod vt ostendam suppono inprimis, nomine vnionis non intelligi quamuis vnitatem, qua plura dicuntur vnum: siquidem personæ diuinæ sunt vnum in essentia, non vero vnitæ: sed eam, qua dicuntur vnum ex ea vnitate, cuius fundamentum est posterius ipsis vnitis secundum se sumptis. Hoc enim est discrimen inter vnitatem puræ identitatis, & vnitatem compositionis, siue vnionis: quoniam vnitas identitatis, siue eius fundamentum præcedit ea, quæ sunt vnum, vel saltem aliquod ipsorum: qua ratione essentia diuina eadem prorsus indiuisa, communicata realiter personis diuinis est fundamentum vnitatis, qua tres personæ dicuntur vnum, quas nostro intelligendi modo antecedit: at vero vnitas vnionis semper est posterior extremis vnitis, quoniam hæc illam suapte natura præcedunt: vnio vero præcedit vnitatem ex ipsa resultantem, vt videre est in vnitate, qua partes dicuntur vnum in toto: nam, cùm ipsis accidat vnio, ad eam præsupponi debent: vnitas autem, cùm pendeat ex vnione, necessariò est posterior ipsa: Deinde suppono omnem vnionem institutam esse à natura ad supplendum defectum aliquem alicuius ex extremis vnitis. Id vero probatur, quoniam fieri nequit, vt vtrumque extremum alicuius vnionis sit absolutè, & simpliciter

per-

perfectum absque indigentia alterius: ergo vnio instituta est à natura ad supplendum defectum alterius ex ipsis. Consequentia est manifesta: nam, si vnum est indigum alterius, & indigentia non aliter, quam vnione suppletur, sane vnio ad eam supplendam instituta est à natura. Antecedens probatur, quoniam, id, quod est per se omninò perfectum, & nullius alterius indigum, non aliter illi copulatur, quàm ad communicandum illi perfectionem aliquam, qua caret: ergo, si vtrunque sit simpliciter perfectum absque indigentia alterius, non est cur ex institutione naturæ in vnum coeant. antecedens vero ostenditur, quoniam in operibus naturæ nihil est fruſtra: at, si ens omninò perfectum, & nullius alterius indigum copulatur alteri, quin ordinetur ad eius bonum, & perfectionem, fruſtra erit ea coniunctio: ergo ad hoc necessario dirigi debet. Assumptionem probo, quoniam coniunctio immediate ordinatur ad bonũ vtriusque extremi, vel saltem alterius, nõ ad bonum extremi simpliciter perfecti: ergo ad bonum alterius.

XI. Ex hac suppositione facilè ostenditur institutum: fieri enim haud quaquam potest, vt vnius extremi coniunctio sit instituta à natura ad supplendum defectum alterius, quin ex parte eius intercedat ratio potentiæ passiuæ: sed omnis vnio instituta est ad eum finem, vt probatum est: quare in omni vnione interuenit ratio actus, & potentiæ. Maior propositio est euidens: nam defectus perfectionis cum aptitudine ad ipsam constituit rationem potentiæ passiuæ: si vero in quauis vnione defectus vnius extremi suppletur accessu alterius, interuenit defectus perfectionis cum aptitudine ad ipsam: atque adeò ratio potentiæ passiuæ. Et confirmatur, quoniam impossibile est, vt vnum extremum per vnionem ad alterum præexistens communicet suam perfectionem, quin alterum eam passiue recipiat: & consequenter sit in potentia passiua respectu illius. Denique vnum ex vnione resultans est perfectius quouis vnitorum, vel saltem aliquo: ergo semper in extremis vnitis est aliquod in potentia passiua. Patet consequentia quoniam perfectio vnius resultantis ex pluribus vnitis redundat in illud, quod est imperfectius ipso vno: & consequenter in eo præesse debuit potentia passiua ad eiusmodi perfectionem, cuius fit particeps per vnionem. Antecedens ostenditur, quoniam si vtrunque extremum distinctum est infinite perfectum, non possunt vniri, non est enim vlla ratio, aut finis eius vnionis: si vtrumque est finitæ perfectionis, vnum ex eorum coniunctione proueniens continet plus perfectionis vtroque per se sumpto, vt patet: si alterum habet finitam, alterum infinitam perfectionem, vnum, in quod coalescunt, est multo excellentius extremo perfectionis finitæ.

Ex simplicitate diuina ostenditur omnimoda indistinctio perfectionum diuinarum.

Caput X.

PRæcipuum fundamentum, quo Patres & Theologi vtuntur ad ostendendam summam identitatem, & remouendam omnem prorsus distinctionem ex natura rei à perfectionibus diuinis, sumitur à simplicitate Dei, cui, vt ostendi tractat. quarto, repugnat omnis ratio compositionis tam actiuæ, quam passiuæ: hæc autem necessario sequitur ex distinctione actuali ex natura rei perfectionum diuinarum. Quod argumentum indicarunt Patres infra citandi, ex Theologis vero Scholasticis ex instituto adducit Sanctus Thomas lib. primo contra Gent. capit. vigesimosecundo, in quinta ratione. Henric. quodlib. decimotertio, quæstione prima, & Argentin. in prim. distinct. sexta, quæstione prima, artic. secundo. Quoniam vero vbicunque datur compositio actiua, datur etiam passiua, & vice versa, non immorabor ostendendo, vtra ex his deberet competere Deitati, vel attributis, si ex natura Dei formaliter distinguerentur, sed absolute ostendam ex distinctione ipsorum sequi compositionem. I. *S. Thom.* *Henric.* *Argentin.*

Posita distinctione ex natura rei actuali inter perfectiones diuinas, sequitur pluralitas ipsarum, & simul est vnitas: repugnat autem, plura ex natura rei distincta conuenire in vnum, quin inter se, & cum illo componantur: ergo si perfectio- II.

fectiones distinguuntur ex natura rei, necessario admittenda est compositio in Deo. Maior quo ad priorem partem, constat ex dictis cap. 8. Altera pars asseritur communiter à Patribus adductis eodem cap. & facilè ostenditur: nam fieri nequit, vt plura de se inuicem, vel de vno tertio verè affirmentur, quin inter se, & cum illo sint aliquo modo vnum: at perfectiones diuinæ verè dicuntur de essentia, & de se mutuo tam in abstracto, quam in concreto, vt ostendam tractatu 7. ergo habent cum illa, & inter se modum aliquem vnitatis. Assumptio vero est euidens, non enim plura possunt esse aliter vnum, quam participatione vnitatis alterius tertij, cùm quo, vel in quo mutuo copulentur. omnis autem coniunctio plurium parit compositionem alicuius ex ipsa resultantis. Et ita ex distinctione actuali perfectionum diuinarum necessario sequitur compositio in Deo, aut ex his, aut cum his: ex his quidem, si quis concedat perfectiones omnes esse illi intrinsecas, & essentiales, tunc enim erit compositus ex pluribus rationibus formalibus: cùm his vero, si perfectiones eædem sint instar proprietatum extrinsecæ essentiæ: tunc enim, cùm singulis erit componibilis essentia, quasi subiectum cum accidente: nam Deus sapiens, Deus iustus, Deus misericors, erunt composita quædam non per se, & essentialia. ex subiecto enim, & proprietate non coalescit compositum per se, & essentiale, sed quasi per accidens. Quæ duo cum absurda sint, & ex sententia opposita sequantur, illa quoque vt falsa reijcienda est.

III. Huic argumento respondent Scotistæ, non sequi compositionem ex quauis pluralitate, & distinctione plurium, quæ sint vnum in aliquo tertio vel inter se, quod *Mayron.* Mayron. in 1. distinct. octauo, quæstione septimo, artic. primo. Secunda parte articuli, & *Bassol.* Bassol. distinct. vigesimasecunda, quæst. tertia, art. tertio §. vltimo. ostendunt, quoniam personæ diuinæ sunt æquè simplices, ac essentia diuina: & nihilominus ipsæ sunt plures, ac distinctæ, & vnum in essentia, item in prima, ac secunda, sunt duæ relationes distinctæ, nempè in Patre generatio actiua, & spiratio actiua, in Filio vero generatio passiua, & spiratio actiua: quare, etiamsi perfectiones attributales sint plures, ac distinctæ formaliter ex natura rei, non proinde sequitur compositio, aut violatur summa simplicitas Deitatis. Hoc vt clarius explicet Mayron. cit. constituit quatuor habitudines rationũ subordinatas, ita vt priores abstrahant à posterioribus, ac sine illis esse possint. Prima est ratio distinctionis, secunda vnionis, tertia compositionis, quarta resolutionis. distinctionẽ esse priorem, & abstractiorem vnione probatur, quoniam multa sunt distincta, non autem vnita, vt Angelus, & homo: contra vero omnia vnita sunt distincta, eiusdem enim ad se ipsum non est vnio, sed vnitas. Vnio quoque abstrahit à compositione: nam humanitas, ac diuinitas in Christo sunt vnitæ, non tamen componuntur: at vero compositio necessario supponit vnionem, quæ enim separata sunt, & non vnita, venire nequeunt in compositionem vnius per se. Denique compositio abstrahit à resolutione: prius enim est, quam illa, vt patet: nec necessario habet illam annexam: corpus enim cœleste est compositum ex materia, & forma: nõ tamen resolubile in ipsas, quoniam esset obnoxium corruptioni: contra vero resolutio supponit compositionem: vnumquodque enim resoluitur in ea, ex quibus componitur. Ex quibus deducit, posse consistere plura distincta sine ratione vnionis, & compositionis, idque confirmat vlterius in 3. parte articuli, quoniam simplicitas, & compositio opponuntur, itemque vnitas, ac distinctio: ergo idem erit ordo compositionis ad distinctionem, qui est simplicitatis ad vnitatem: At simplicitas esse nequit sine vnitate, hæc vero esse potest sine simplicitate: quare etiam distinctio potest esse sine compositione, quamuis hæc sine illa non cohæreat. Et hoc modo affirmat cohærere multitudinem perfectionum diuinarum cum summa simplicitate ipsarum, quia sunt distincta, non vero composita: nec esse rationes vllas contra hanc positionem, quæ non ex æquo militent cõtra Trinitatem personarum. Ideò vero ait dari posse vnionem absque compositione, quoniam hæc semper exigit ex parte componentium rationem actus, & potentiæ: quæ non necessario requiritur ex parte vnitorum.

IV. Hæc solutio supponit tria omnino falsa: primum est dari vnionem absque vlla ratione actus, aut potentiæ, saltem ex parte alterius vniti. Secundum dari veram vnionem plurium sine compositione: tertium denique, dari posse vnionem plurium distinctorum ex natura rei, & aliqualem cõstitutionem vnius ex illis, quin vllo modo lædatur summa simplicitas. Et primum

mum quidem iam superiore capite impugnaui: duo posteriora hoc loco impugnanda sunt. In primis autem Patres idcirco negant in Deo pluralitatem actualem perfectionum diuinarum, ne admittatur compositio, & ita apud ipsos rectè sequitur; sunt plura in vno, ergò est compositio. Ex quo refellitur secundùm dictum Mayronis, asserentis dari vnionem plurium sine compositione: Ex professo autem probat Anselm. in Monolog. cap. decimo sexto. & in Prosolog. cap. decimo octauo, non dari in diuinis alietatem, & pluralitatem, ne detur compositio. Idem asserit Theodorus, & sanctus Maximus apud Cyparisiotam decad. 10. cap. 4. ait enim D. Maximus loquens de virtute diuina, *hæc nihil aliud est præter quam substantia Dei, ne cõpositio in Deo esse existimetur.* At, si virtus significat formaliter perfectionem simpliciter non inclusam in substantia Dei, ab eaque distinctam ex natura rei, aliquid profecto est præter illam, & consequenter composita. Maiorem vim habent verba Theodori: loquens enim de eadem substantia Dei, & energia: *Sciunt*, inquit scilicet pij, *in simplicibus, & incorporeis*, hoc est personis diuinis, vt ad eum locum interpretatur noster Turrianus, *nihil ista differre: quia non sunt hæc inter se discernenda: ne quod est supra omnem simplicitatem, compositum esse intelligatur*, nihil differre, nec discerni vult substantiam Dei ab energia, ne summe simplex compositum intelligatur: at, qui ea ex natura rei distinguit, sanè discernit, & modo aliquo differre fatetur: & consequenter, si Theodori autoritatem recipit, composita esse fateatur necesse est. Ob eandẽ causam negat in Deo aliud, & aliud D. Cyrill. Alexand. libr. 14. Thesauri, cap. 1. & 3. & apud Cyparisiotam decad. 10. cap. 6. *Non est simplex natura Deus vniuersorum, sed potius compositus, & ex duobus constans, siquidem est alia præter eum, quæ in eo est vita:* Compositionem sequi contendit, si aliud est Deus, aliud eius vita, quia scilicet plura in vno non nisi compositione cohærent. Similia ex eodem refert eadem decad. cap. quinto. At verò D. Hilarius lib. octauo de Trinitate inter medium, & finem: *Non humano modo*, inquit, *Deus ex compositis est, vt in eo aliud sit, quod ab eo habetur: aliud ipse qui habet: sed totum, quod est, vita est, natura scilicet perfecta, & absoluta, & infinita, & non ex disparibus constituta:* Quia Deus compositus non est, vult non esse in eo aliud, & aliud, sed vnum totum, perfectum, atque æquabile, non constitutum ex disparibus, hoc est diuersis secundùm naturam, quorum vnum non sit totum, quod aliud: eodem modo discurrit Anselm. cap. 16. Monolog. *Cum illa natura nullo modo composita sit, & tamen omni modo tot illa bona sit, necesse est vt illa omnia non plura, sed vnum sint.* Ex quibus verbis colligitur ex eo, quod Deus non sit compositus, excludi omnem multitudinem rationum formalium ex natura rei distinctarum, quæ sint quasi proprietates essentiæ diuinæ, constat ergo de mente Patrum, non posse consistere plurium vnionem sine compositione.

Anselm. Theodorus. S. Maximus. Cyparisiot. Turrianus. Cyrill. Alex. Cyparisiot. Hilarius. Anselm.

V. 1

Idem quoque ratione ostenditur. Primò, quoniam plurium distinctorũ ex natura rei dari nequit vnio sub ratione actus: & potentiæ, quin intercedat compositio, vt ipsi etiã Scotistæ admittunt: at verò vt superiore capite ostendi, in omni vnione interuenit aliquis modus potẽtiæ, & actus: ergò omnis vnio coniuncta est cum compositione. Secundò, omnis vnitas, aut est omnino simplex, & incõposita, qualis est vnitas identitatis omnimodæ: aut cõposita, quæ coalescit ex coitione multorum in vnum: vnitas resultãs ex plurium vnione, non est simplex: ergo composita: atq; adeo repugnat esse pluriũ vnionem sine compositione. Maior propositio est euidens, quia est disiunctiua constans terminis priuatiuè, & contradictoriè oppositis, nec est vlla omnino vnitas, quæ sub altero ex illis mẽbris nõ contineatur: nam, vel ens, cuius est propria, est vnũ ex se absq; pluriũ vnitione: & hoc modo est vnitas simplex, & incomposita: vel habet esse, atq; vnitatem ex plurium vnione, at hoc modo est cõposita constans pluribus vnitatibus, ex quarum coitiõe resultat vnitas totalis. Assumptio verò constat, quoniam omnis vnitas simplex, & eius subiectum est independens ab vnione plurium: quod si hæc ad alicuius vnitatis integritatem requirũtur, non potest non esse composita. Denique ex vnione plurium distinctorum ex natura rei resultat aliquod ens per se, vel per accidens: hoc necessariò est compositum: ergo cum quauis vnione plurium ex natura rei distinctorum necessariò connexa est compositio. Maior propositio est euidens, quoniam noua vnitas supponit nouam rationem entis: vnitas enim, vt ait Philosophus, libr. 4. Metaphys. capit. secundo, non dicit naturam distinctam ab ente, sed in ipsa entitate fundatur. Ex omni vero vnione resultat aliqua vnitas, ideò enim vocatur vnio, quia termi-

Aristot.

natur

natur ad vnum: quare resultat etiam nouum ens. Id verò, si sit ens per accidens, perspicuum est esse compositum, omne enim ens per accidens compositum est ex subiecto, & accidente: si verò sit ens per se similiter, tum quoniam non est totum quod est, non enim vnum ex extremis vnitis est alterum, aut viceuersa: nec alterum ipsorum est totum, aut è contra, vt per se patet: simplicia verò sunt totum id, quod sunt: tum verò quia est resolubile in extrema vnita, si non re, saltem cogitatione: quidquid autem est resolubile, compositum quoque esse debet, vt admittit idem Mayron, licet autem ipse id tantum asserat de resolutione reali, concedendum necessario est etiam de resolutione mentali, terminata ad extrema vnionis per se distincta ex natura rei: nam, si ex alio capite non repugnaret resolutio, verè haberet terminum, à quo inciperet, hoc est ab ipso vno resultante per vnionem, & terminos in quos desineret, hoc est extrema ipsa per vnionem copulata, & per resolutionem disiungenda.

VI. *Gregorius.* Quin verò, & si daremus non intercedere compositionem veram, nihilominùs, vt rectè probat Gregorius in 1. distinct. 8. quæst. 1. art. 2. post secundam Conclusionem, sola plurium vnio, & consequenter aliqualis constitutio vnius ex pluribus repugnat simplicitati. Primò, quoniam simplicitati repugnat ratio prioris, ac posterioris: hæc datur in quouis constituto ex pluribus distinctis à parte rei: ergò quæuis eiusmodi constitutio lædit simplicitatem. Maior propositio est perspicua, nam eiusdem ad se ipsum non est ordo prioris à parte rei, nisi fortè secundùm modum intelligendi nostrum: in re simplici non est aliud, & aliud, sed vnum, & idem omninò indiuisum: ergò nequit ante operationem intellectus subire rationem prioris, ac posterioris. Assumptio ostenditur quoniam constituentia ex natura rei distincta suapte natura sunt priora vnione, & consequenter constituto, quod per illam resultat. Secundò ens simplex est totum, quod est; nec in ipso est partim esse, partim non esse: nullum verò constitutum ex pluribus distinctis à parte rei est totum, quòd est, siquidem singula extrema non sunt idem, quod alterum: nec constitutum idem, quod singula extrema: neque hæc idem, quod illud, vt discurrenti patebit. Verùm operæ pretium est id ostendere in exemplo, quod ipsi Scotistæ vsurpant: dicunt enim Christum Dominum, quatenus est constitutum ex humana diuinaque natura vnitis in hypostasi Verbi, non esse compositum: & tamen in ipso humanitas non est diuinitas, nec viceuersa: & quamuis Verbum diuinum sit ipsa diuinitas, tamen propriè, ac formaliter loquendo constitutum ex humanitate, ac diuinitate non est diuinitas; & consequenter non est simplex: quis enim dixerit compositum ineffabile constans ex duabus naturis secundùm vnitatem ex vnione hypostatica resultantem, esse æquè simplicem, ac Deum? Quod si non est æquè simplex, profecto aliqua ex parte deficit simplicitas, non nisi, quia constat pluribus vnitis in vnum; ergò sola vnio plurium in vnum, & si per impossibile non esset iuncta compositioni, violaret puritatem simplicitatis. Video responderi posse, deficere simplicitatem ex parte humanitatis, quæ ipsa composita est: quod licet verum sit per accidens, se habet ad constitutionem compositi ineffabilis, quatenus immediatè resultat ex duabus naturis vnitis in hypostasi Verbi: nam, si per impossibile fingamus naturam creatam omnino simplicem, & indiuisam venire in similem vnionem cum natura diuina in hypostasi Verbi, adhuc constitutum ex illis non accedet ad simplicitatem Dei: ergò quæuis constitutio ex pluribus distinctis à parte rei repugnat simplicitati.

VII. Constat ergo repugnantiam, quam habet distinctio ex natura rei formalis perfectionum diuinarum, cum simplicitate diuina, minimè tolli responsionibus adductis à Mayron. & aliis Scotistis: quoniam vbicunque sunt actu plura, & vnum vnitate admittente mutuam prædicationē, necessario est vnio: vbi vnio, ibi ratio aliqua potentiæ, & actus, & compositio simplicitati repugnans: attributa verò diuina, vt volunt Scotistæ, sunt à parte rei plura distincta, & vnum, ita vt mutuo prædicentur: ergo vnita, atque composita: & consequenter, Deus non est summe simplex. Quare cum fide teneamus Deum esse simplicem, assertio, ex qua oppositum illius sequitur, cauenda est. Patet etiam, quomodo diruenda sint fundamenta opposita, dicendo in primis distinctionem in simpliciter, & re ipsa diuersis abstrahere ab vnione, non verò in ijs, quæ cum distinctione habent inter se

vnita-

vnitatem posteriorem ipsis. Deinde verò etiam vnionem omnem eiusmodi connecti necessario cum compositione aliquali, quæ satis est, ad excludendam perfectam rationem simplicitatis à composito. Ad confirmationem respondetur, aliud esse loqui de distinctione vnius ab alio extrinseco, aliud de distinctione plurium coeuntium in vnum. Si priore modo, rectè concludit argumentum: nam in Deo est distinctio eius à creatura, quin sit in ipso compositio. At posteriore modo non habet vim, quoniam, sicut omnimoda identitas, si vnitas omnium, quæ quoquo modo sunt in re, necessario coniuncta est cum simplicitate, ita distinctio perfectionum, quæ in ipsa sunt, necessario coniuncta est cum compositione, vt patet ex dictis. Et ita subordinatio illa distinctionis, vnionis, ac compositionis, si referatur ad distincta, vt vnum secùdùm eandem vnitatem singularem posteriorem ipsis, est commentitia.

VIII. Porrò instantia adducta ex personis diuinis, quæ sunt plures, & vnum in essentia sine vnione, aut compositione, non tollit vim argumenti: quoniam personæ diuinæ non sunt vnum vnitate resultante ex ipsarum vnione, sed vnitate identitatis in essentia, quæ est fundamentum eius identitatis: ideoque mirum non est, si sint plures, & vnum sine vnione: at verò perfectiones essentiales, si distinguantur ex natura rei, non solùm sunt vnum vnitate identitatis realis in essentia, sed etiam habere debent aliam vnitatem conflatam ex omnibus; nam, si non habeant, erunt simpliciter plura: & quemadmodum Trinitas solam habet vnitatem essentiæ, & ratione personarum pluralitatem: ita proprietates absolutæ erunt simpliciter plures secundùm rationes formales, vnum vero solum identice in essentia: & quemadmodum propter pluralitatem personarum non potest vna verè de altera prædicari, etiamsi sint vnum in essentia, ita propter formalem pluralitatem attributorũ, non verè prædicabitur vnum de altero, quamuis sint idem in essentia: prædicantur autem, vt ipse etiam Scot. admittit: ergo vel habent omnimodam identitatem, vel si ex natura rei distinguuntur, habent propriam vnitatem compositionis: nam coniunctum hoc *Deus sapiens* posita sententia Scoti, constat pluribus ex natura rei distinctis, & habet peculiarem vnitatem, ratione cuius pars altera prædicatur de altera: ea non potest esse sola vnitas identitatis in essentia; nam hanc habent Pater, & Filius, qui de se mutuo non prædicantur: ergo erit vnitas resultans ex compositione vnius cum altero. Quod absurdum non sequitur ex pluralitate personarum: ipsæ enim ratione sui non copulantur, aut prædicantur mutuo, & proinde minimè requirunt vnionem compositionis. Et ita patet, rationes, quæ militant contra distinctionem ex natura rei attributorum, neutiquam militare contra distinctionem realem trium personarum. Eadem verò responsio falsa est, quatenus supponit duas relationes composibiles in eodem supposito, nempè generationem, & spirationem actiuam in Patre, itemque generationem passiuam, & spirationem actiuam in Filio distingui ex natura rei: ijsdemque argumentis conuincitur, quibus impugnatur pluralitas, & distinctio actualis formalitatum in Deo. sed, quia id pertinet ad materiam de Trinitate, in ea fusiùs examinabitur quoad speciales difficultates eius loci.

Ex eo quod termini contradictorij verificentur de diuersis perfectionibus diuinis non sequitur distinctio earum ex natura rei.

Caput XI.

I. INter argumenta, quibus vtuntur Scotistæ ad confirmationem suæ sententiæ primum locum habet id, quod sumitur à contradictione: non enim de eadem re omnino ex natura rei indistincta possunt verè enunciari contradictoria: de diuinis autem perfectionibus enunciantur: ergò distinguuntur aliquo modo à parte rei. Maior propositio nititur communi illo principio; non contingit idem simul de eadem re affirmare, & negare. Assumptionem ostendunt pluribus medijs. solus Mayron. in 1. dist. 8. quæst. tertia §. 1. duodecim contradictiones adducit, ad quas omnes respondent Toletan. in 1. distinct. 8. quæst. vn. articul. quarto. Andreas de Nouo Castro dist. 32. quæst. 1. & Clypeus quæstion. decima, super Porphyr. articul. primo. Ego ex omnibus seligam potiores. Prima sumitur ab emanationibus diuinis

Mayron. *Toletan.* *Nouo Castro.* *Clypeus.*

in hunc

in hunc modum, emanationes diuersæ rationis ex natura rei, requirunt principia diuersæ rationis ex natura rei: in diuinis autem sunt emanationes alterius, & alterius rationis ex natura rei: ergò principia ipsarum debent esse distincta: Principium verò generationis est intellectus, spirationis volũtas: ergo hęc distinguũtur ex natura rei, aliter de eadẽ re indistincta per hæc nomina significata enunciari verè poterũt cõtradictoria, dicẽdo, intellectus est principium producendi filium, voluntas non est principium producendi filium, vel etiam intellectus nõ est principium producendi filium: hæc enim per syllogismũ expositoriũ deducitur ab illa priore in hunc modum: voluntas nõ est principium producendi filium, intellectus est voluntas: ergo intellectus non est principium producendi filium.

II. Secunda contradictio sumitur ab actibus essentialibus, siue cõparentur actus, cuiusuis potentiæ inter se inuicem, siue cum actibus alterius potentię: priore modo cõparantur volitio, ac nolitio, siue amor, & odium: nam Deus amat bonos, non malos: odit malos, non bonos: ex quo sic elicitur contradictio iuxta sentẽtiam oppositam, in Deo idem est amare, & odisse, ac viceuersa: & consequenter, si odit malos, amat, & si amat bonos, odit: atq; adeò bonos amat, & nõ amat: malos odit, & non odit, eodẽ modo cõparari possunt actus intellectus inter se: v. g. sapientia, & scientia, notitia visionis, & simplicis intelligẽtiæ: nam sapientia secundùm Augustinus. August. lib. 14. de Trinit. c. 1. est æternorum, scientia temporaliũ: notitia visionis secundũ Theologos est solum existentiũ in aliqua differẽtia temporis, notitia simplicis intelligentię, est etiam possibiliũ. Ratione huius diuersitatis possunt eodẽ modò inferri contradictoria vtendo Syllo. expositorio. Deniq; comparando actus intellectus, & voluntatis, idem sequitur: nã Deus intelligit possibilia, quæ nunquam erũt, non tamen vult: item mala intelligit, non vult. Ex quo posita sententia de omnimoda indentitate attributorũ, sic infertur cõtradictio, actus intelligendi terminatur ad omnia siue bona, siue mala, siue existentia, siue possibilia: actus intelligendi est actus volendi: ergo actus volendi terminatur ad omnia, & consequenter Deus vult etiam possibilia, & mala: ex alia verò parte constat non velle ipsa: ergo vult, & non vult idem obiectum.

III. Tertia contradictio fundatur in communicabilitate perfectionum diuinarum, etenim secundùm quasdã Deus est omnino incommunicabilis: v. g. secundùm rationem actus puri, necessarij, simplicis, immutabilis, immensi, quæ perfectiones ita sunt proprię Deo, vt nulli alteri rei conuenire possint: secundum alias autẽ communicatur, nempè secundùm esse, viuere, intelligere, & similes. Item secundùm has ipsas non omnibus, nec similiter, aut eodem modo communicatur; nam plurimæ sunt creaturæ, vitæ & intellectus expertes, aliæ vitam, & intellectum non eodẽ modo participant: fieri autem non potest, vt perfectio non cõmunicabilis sit idem omnino cum communicabili, quin sequatur cõtradictio: nam sumpta exempli gratia immẽsitate, verè dicitur immensitas, non est cõmunicabilis creaturæ, itemq; est communicabilis: siquidem vita Dei est communicabilis, & vita Dei est immensitas: ex quo bene sequitur per Syllogismum expositorium in tertia figura: ergò immensitas est communicabilis.

IV. Quarta deniq; sumitur à ratione perfectionum, quæ significãtur per modum potentię, & habitus. Nam si consideremus intellectum, de illo verè dicitur, Deus intellectu intelligit, intellectus est ratio intelligendi, quę nõ dicuntur de voluntate: cõtra de hac dicitur, volũtas est ratio volendi, Deus voluntate vult, quæ in intellectũ minimè cadunt, & ita de eadem omnino rę prorsus indistincta verificantur contradictoria. Idem videre est, si cõparentur virtutes in ordine ad suos actus, & obiecta: Etenim verè dicitur, Deus iustitia punit, misericordia misereatur: non è contra. Item iustitia est ratio puniendi, misericordia parcendi, non è contra. Item misericordia Dei versatur circa miserias creaturæ subleuandas, iustitia circa culpas puniendas, veracitas circa verum in dicendo, fidelitas circa verum in exequendis promissis; & plurima alia eiusdem generis, quæ passim occurrunt. Ad hæc quatuor capita reuocari possunt ferè omnes contradictiones, quæ faciunt difficultatem in hac materia: & omnes possunt dissolui ijsdem responsionibus, quas ad harum solutionem subijciam.

V. Quidam, vt refert Mayronius q. citata, §. *Hæ sunt*, vt facilè se ab hac difficultate expedirent, dixerunt regulam contradictoriarum non valere in diuinis. Hi tamen merito sunt explodendi, quoniam negant primum principium naturale, de quolibet verum est affirmare, vel negare, non tamen simul. Et si quis diceret, Deum non esse Trinum, & alius eũ vellet conuincere, quia fides id docet, respõdere posset id nõ Mayron.

obstare,

obstare, quoniam non repugnat propositiones contradictorias esse simul veras in diuinis: & ita non relinqueretur locus conuincendo vlli errori circa diuina. Verum quidem est non repugnare, vt de termino singulari communicabili pluribus verificentur termini contradictorij respectu diuersorum, pro quibus terminus ille supponit: verbi gratia, Deus est generans, Deus est non generans: nam in priore supponit pro Patre, in posteriore autem pro Filio, & Spiritu sancto, & ita vtraque propositio est vera ratione diuersorum. Non potest tamen dici, Deus generat, Deus non generat, nam hæc secunda propositio est falsa, quoniam negatio præfixa copulæ remouet omninò prædicatum à subiecto. Sed huius rei explicatio fusior spectat ad materiam de Trinitate: hæc tamen dixi, vt constaret propositas obiectiones nō rectè dissolui ex illo principio, contradictoriarum regulæ non tenent in diuinis: est enim falsum.

VI. Communis Doctorum solutio est, distinctionem virtualem, siue rationis ratiocinatæ sat esse, vt de eadem re à parte rei indistincta diuersimode tamen concepta, & significata enuncientur contradictoria, vt ex Philosopho libr.3. Phys.t.21. & 22. docet Sanctus Thomas quæst.septima, de potentia art.1. ad quintum: & quæst.8. a. 2. ad septimum, & decimum. Ratio huius est, quoniam vt propositio sit contradictoria, necesse est, vt constet ijsdem terminis: quoties autem obiectum diuersimode concipitur, & significatur, termini non sunt ijdem, vt patet in definitione, ac diffinito: inter quæ non est distinctio ex natura rei, & tamen propositio, in qua definitio prædicatur de diffinito non est identica: & diffinitio autore Philosopho lib.11. Metaphy.cap.6. est medius terminus ad ostendendam passionem de subiecto: quæ vtique vera non essent, si definitio, & definitum essent idem omnino terminus. Hanc verò regulam deduco ex dictis ipsius Mayron. ipse enim §. 1. in septimū contradictione arguēs, quod sapientia, & scientia distinguantur, interponit quandam solutionem, scilicet non opus esse distingui sapientiam, aut scientiam in se ipsis, eo quod obiecta distinguantur, quoniam alioquin sequeretur Deum alia scientia cognoscere numeros, alia lineas, & sic de cęteris, quam impugnat, quoniam, si Arithmetica, ac Geometria distinguuntur suis rationibus formalibus, vbicunque eæ sint, distingui debent, atque adeo in Deo: Inferiùs aut §. *Sed hic sūt multæ instantiæ*, concedens esse in Deo multas scientias formaliter, & formaliter distinctas, sibi ipsi obijcit sequi ex eo dari in Deo infinitas perfectiones, & respondet dari quidē multas, non tamen infinitas. Ex quo eius dicto necessario sequitur, sat esse distinctionem rationis ad euitandam cōtradictionem: etenim Deus scientia simplicis intelligentiæ intelligit, infinita saltem in diuidua, aut ergo respectu singulorum est scientia formaliter distincta à scientia reliquorum, aut non: si sit, erunt infinitæ perfectiones, quod ipse negat: si non sit, de eadem re ob solam distinctionē rationis possunt enunciari contradictoria: probatur quoniam sicut verum est dicere; sciētia linearum, non est scientia numerorū, ita etiam verè dici potest, sciētia huius indiuidui non est sciētia illius, & tamen quia scientia non multiplicatur pro ratione indiuiduorum, eadem omninò est à parte rei scientia vnius, ac scientia alterius.

Aristotel. S. Thom.

Aristotel.

Itaque distinctio virtualis, in qua fundatur actualis secundùm rationem, est sufficiens, vt eadem res in se indistincta actu, quatenus diuersimode concipitur, subsistet prædicatis cōtradictorijs. Quam respōsionem varijs argumētis impugnat Mayron. q.citata §. *Hic sunt*, primò, quoniam quādo contradictio præcedit operationem intellectus, non potest referri in distinctionem rationis, resultātem peractum intellectus: veritas verò obiectiua contradictionum, quas mens nostra format in tempore, fuit ab æterno ante omnem actum intellectus creati: ab æterno quippè intellectus, non voluntas est principium producendi Verbum; contra verò voluntas, non intellectus est principium producendi Spiritum sanctum. Et confirmatur, quoniam quando terminis propositionis non inuoluitur aliquid pertinens ad rationem, veritas, aut falsitas sumenda est ex identitate, aut diuersitate ex natura rei: at pleræque ex contradictorijs asignatis constant terminis significantibus obiecta ipsa in re, quin inuoluatur aliquid pertinens ad opus rationis: ergo veritas earum, & falsitas non pendet ex distinctione rationis: sed solum spectanda est penes identitatem, aut distinctionem præcedentem actus intellectus. Quoniam verò responderi potest distinctionem virtualem, seu feudamentalem præcedere actus intellectus nostri: & ratione eius verificari contradictoria, arguitur secundo: omnis contradictio actualis exigit extrema actualia, siue obiectum actuale: sed intellectus diuinus actu intelligit

VII.

Mayron.

omnia,

omnia, voluntas autem non vult omnia: aut ergo fundamentum harum propositionum est omnibus modis idem actu, aut non: si detur secundum, habetur intentum, si primum, est vera contradictio de eodem omnino obiecto: si vero respondeatur esse quidem idem omnino actu, nō tamen virtute, quoniam essentia continet virtute multos conceptus, & ita extremorum contradicentium vnum verificatur de essentia apprehensa sub vno conceptu, alterum de eadem apprehensa sub altero. Obiicitur tertio, vbi sunt extrema cōditionis formaliter, esse quoque debent fundamenta distincta formaliter: sunt autem in diuinis extrema contradictionis formaliter: ergo & fundamenta, & cōfirmatur, quoniam id, quod inest alicui simpliciter, inesse nō potest per id, quod conuenit secundum quid: affirmatio, ac negatio conueniunt Deo simpliciter, ergo conuenire nequeunt per id, quod cōuenit eidem virtualiter solum: atque adeo secundùm quid.

VIII. *Capreol. Caietan. Hispal. Soncinas.* Ad has, & similes obiectiones duæ solutiones adhiberi possunt: alteram perstringit Capreol. in 1. d. 8. q. 4. art. 2. ad 6. contra primam conclusionem. Caietan. de ente, & essentia q. 12. ad 7. Hispalens. in 1. d. 8. art. 4. ad e contrà primā conclusionem, & Socin. lib. 4. Metaphys. q. 30. dicunt autem contradictionem non esse actu in re ipsa, sed virtute solum, & fundamentaliter: quoniam ex altera parte est negatio, quæ non est actu in rebus ipsis, sed solum fundamentaliter: & ideo ad veritatē contradictionis sat esse ex parte extremorum distinctionem fundamentalem, siue virtualem, quæ accedente operatione intellectus transit in actualem, qua fundari potest actualis contradictio complete existens per intellectum. Verùm hæc solutio supponit vnum nō receptum apud omnes, nimirum negationes esse solum formaliter in intellectu: quod licet verum sit de negatione, hoc est enunciatione negatiua, non tamen est certum de negatione obiectiua, qua nititur veritas propositionis mentalis negantis, aut falsitas affirmantis iuxta sententiam Aristotelis 4. Met. ca. 7. t. 27. *ex eo quod res est, vel non est propositio est vera, vel falsa*: nam hanc plerique censent esse in obiecto eo modo, quo negationes dici possunt esse: ac proinde cum eidem secundùm idem nequeat inesse forma, à qua denominatur, & negatio ipsius, non videtur hæc solutio adæquata.

IX. *Capreol. Carthus. Iauellus.* Altera solutione vtuntur Capreol. vbi suprà, Dionysius Carthus. in 1. d. 2. q. 2. in fine ad argumenta Scoti, Iauellus 12. Met. q. 19. art. 4. & Caietan. 1. p. q. 39. ar. 1. §. vltimo; dicentes ipsam distinctionem virtualem esse formaliter in rebus ante actum intellectus, ratione cuius essentia diuina æquipollet varijs perfectionibus creatis: exempli causa, intellectui, voluntati, sapientiæ, iustitiæ, & cæteris eiusmodi: & quatenus eminenter continet vnam, non continet aliam; Et quemadmodum inter nos perfectionibus diuersis non tribuuntur prædicata propria aliarum, non enim humanus intellectus vult, aut voluntas intelligit: ita essentię diuinę, quatenus eminenter est vna perfectio, non alia, tribuuntur propria eius perfectionis, nō alterius: cùm vero per nomina, quibus vtimur, & conceptus quos formamus, intelligatur, ac significetur, prout his, vel illis perfectionibus æquipollet, v. g. nomine intellectus significatur, quatenus æquipollet perfectioni potentiæ intellectricis creatæ, nomine voluntatis, quatenus æquipollet voluntati creatæ, hinc fit vt verè dicatur; Deus intellectu intelligit, falsò autem voluntate intelligit. Aliqui recentiores hac solutione vtentes, videntur sui obliti: alibi enim docent contra Scotistas singula attributa continere omnia, & omnia singula: cùm verè obiectum alicuius nominis, vel conceptus includit plura formaliter, quæcunque dicuntur de illis pluribus simpliciter, & absque reduplatione, dicuntur etiam de eiusmodi obiecto: verbi gratia, quia Homo includit animal, viuens, corpus, verè dicitur sentire, vegetari, esse quantū, & mobile, quæ per se primo conueniunt animali, viuenti, corpori: neque potest Homo significari cum abstractione, aut præcisione ab ijs: ergò, si verbi gratia intellectus includit voluntatem, omnipotentiam, & cętera attributa, sicut voluntas vult, & potentia creat: ita etiam dici potest intellectus velle, & creare: neque concipi poterit intellectus non concepta simul bonitate, ac sapientia: & ita ruit fundamentum, quatenus habet concipi essentiam prout eminenter æquipollet vni perfectioni, non alteri. Nec respondere possunt, singula attributa cōtinere cętera realiter, non formaliter: nam hoc non negant Scotistæ, à quibus ipsi putant se dissidere, cum asserunt attributa alia in alijs contineri nempè formaliter. Nec sufficit, si quis dicat eiusmodi nomina significare diuinam essentiam totam, non totaliter. Nam significare totaliter non refertur ad rem ipsam, sed ad modum significandi, qui cōsistit in eo, quod essentia significetur adæquate secundùm omnes rationes formales

Caietan.

virtute

virtute distinctas, ex quo sequitur, si nomina non significant adæquate essentiam, singula attributa ijs nominibus significata nequaquam includere formaliter cætera.

X. Vt hæc difficultas explicetur, & defendatur proposita regula ab impugnationibus: obseruandum est attributa diuina aut considerari posse secundùm se, quatenus sunt in re vna, atque indistincta perfectio diuina subsistens, aut quatenus præcisè respondent, aut respondere possunt conceptibus, quos de singulis format intellectus cum abstractione à reliquis. Et quidem, si priore modo consideretur, est mutua vnius de altero prædicatio, & quod simpliciter de vna dicitur, de alia quoque dici potest: si verò cõsideretur posteriore, nõ est opus vt, quidquid dicitur de vna, de alia quoq; dicatur: & in hoc sensu falsò dicitur; intellectus diuinus vult, voluntas intelligit, & similia. Ratio huius discriminis est, quoniam priore modo enunciatio solum respicit id, quod est actu in re, quin attendat distinctionem virtualem, aut rationis, quæ alioquin intercedit: quia verè propositio est vera, vel falsa, quia res est, aut non est, & in re ipsa est vna, atque indiuisa ratio, qua Deus intelligit, vult, sapiens, magnus, & iustus est. Posteriore verò modò, significatur quidem eadem res animo, non tamen adæquatè sub omnibus suis rationibus formalibus, sed inadæquatè sub vna cum præcisione ab alijs; ratione cuius præcisionis non quidquid prædicatur de illa sub vno nomine, aut ratione, prædicatur de eadem sumpta sub alio nomine, aut ratione, exempli causa. mens nostra, cùm dicit, Deus voluntate amat, concipit diuinam entitatem, quatenus præcisè æquipollet eminenter potentiæ volendi, quo conceptu præscinditur à se ipsa, quatenus æquipollet perfectionibus alijs à parte rei distinctis in creatura: & quoniam sub hac præcisione non æquipollet intellectui, idcircò non verè dicitur, Deus voluntate intelligit: idipsum dicendum de intellectu, & alijs perfectionibus; nam perfectio diuina, quatenus à nobis concipitur, & significatur nomine intellectus, præscindit à se ipsa, quatenus est voluntas, omnipotentia, æternitas, & cæter. Ex quo prouenit, vt cum de eodem subiecto re ipsa prorsus indistincto, diuersimodè tamen concepto, & significato, verè dicantur prædicata contradictoria, non tamen sint propositiones contradictoriæ simul veræ, quoniam propositiones illę non constant ijsdẽ terminis, & ideò non sunt contradictoriæ; alius quippè terminus est intellectus, alius voluntas: & ne hoc in diuinis solum verum existimetur, in creatis etiam locum habet: nam, si consideremus intellectum creatũ, quatenus eminenter continet omnes sensus corporis, vnam, & eandem potentiam vitalem re ipsa omnino indistinctam comperiemus: & ita de ipso verè dicemus; Intellectus est vis intelligendi sapores, item vis percipiendi odores, & sic de cæteris obiectis sensuum externorum: si verò præcisè attendamus ipsum, quatenus eminenter æquipollet singulis sensibus, eique imponamus nomen respondens eiusmodi conceptui; verbi gratia, *vis perceptiua colorum, vis intelligendi sonum*, fiet quidẽ mutua prędicatio identica, non tamen quod tribuitur vni, per verba, & nomina connotatum, tribuetur alteri: non enim erit prædicatio formalis, nec proinde vera; Socrates vi odores percipiendi, intelligit sapores, quoniam sensus est, Socratem percipere odores intellectu, quatenus præcisè æquipollet odoratui, quod est falsũ: quod etiã clariùs apparet in ipsomet intellectu, quatenus appellatur practicus, & speculatiuus, ratio superior, & ratio inferior: nam falsò dicitur in sensu formali; intellectus practicus speculatur obiectũ, non operabile, aut intellectus speculatiuus est directiuus praxis, aut ratio superior considerat temporalia, aut ratio inferior considerat æterna: & tamen omnibus his nominibus significatur idem intellectus à parte rei omninò indistinctus, quia tamen diuersimode cõcipitur, ac significatur illis nominibus, quatenus est principium determinatarum operationum, cum præcisione à semetipso, quatenus est principium aliarum, per vnum eorum nominum significatus admittit denominationes, quas aliter conceptus, & significatus respicit. Sed de his & alijs modis prædicationum in terminis diuinis fusiùs dicam, tractatu 7.

XI. Ad hunc modum explicata communi responsione Thomistarum, facilè est satisfacere obiectionibus aduersus illam propositis, quę nõ minùs pugnant cum omnimoda indistinctione ex natura rei nostri intellectus, quam cum perfecta identitate perfectionum diuinarum, & ita, sicut non expugnant identitatẽ illius, ita neq; harum indistinctionem euertunt. Prima itaq; impugnat quidem puram distinctionem rationis non habentem, fundamentum in re, non autem eam, quæ nititur distinctione virtuali, quę præcedit in re ipsa, & inuoluitur in ipsis propositionibus, vt patet ex

dictis: Ad secundam, respondeo aliud esse requiri à contradictione extrema actualia, aliud distincta actualiter: & primùm quidem verissimum est, nam in Deo actu est intellectus, actu voluntas: secùdum autem falsum, vt patet ex dictis: hoc posito, dandum est primum membrum cõsequentis, hoc est obiectum illarum propositionum à parte rei actu esse omnibus modis idem, distinctum tamen virtute, vbi ibidem dicitur: ex quo non sequitur vera contradictio, etsi de eodem obiecto à parte rei actu indistincto prædicentur termini contradictorij, quoniam nõ subest illis prout est idem, sed prout virtute distinctũ, vt sub ea distinctione precisè conceptum, & significatum. Ad tertiam, qua hæc responsio impugnatur, regandum est antecedens: & ad eius impugnationẽ respondeo, quotiescũque de essentia diuina sub diuersis conceptibus, & nominibus accepta termini contradictorij enunciantur, non conuenire vtrunq; simpliciter, sed affirmatiuum simpliciter, negatiuum secundùm quid: ratio est, quoniam vnicæ illi, atq; indiuisæ prorsus entitati diuinæ simpliciter, & absolutè inest omne prædicatum affirmatiuũ continens perfectionem simpliciter, & simpliciter excluditur eius negatio: atq; adeò, si significetur, prout est in se, propositio affirmatiua erit vera simpliciter, negatiua falsa: negatio verò cõuenit secundũ quid, hoc est sub præcisione aliqua, aut virtuali distinctiõe: atq; adeò, si intellectui diuino prout est in se, imponatur adæquatum nomen, hæc propositio erit vera; intellectus diuinus vult: quia tamen significatur à nobis sub præcisione omnimoda ab alijs perfectionibus, & ipse in se, quatenus præcisè est obiectum huius nostræ conceptionis, non est potentia volendi, sed intelligendi tantum, idcirco negatio conuenit illi secundùm quid: atque adeo mirum non est, si fundetur in distinctione secundùm quid.

XII. His stabilitis facilè est dissoluere singulas contradictiones, & prima quidem continet duas difficultates: altera est quomodo emanationum re ipsa distinctarum possint esse principia sola ratione distincta: altera quomodo de eadem re omnino indistincta possint enunciari termini contradictorij. Prior per se pertinet ad materiam de Trinitate, nunc vero breuiter respondeo cum Aliacens. quæstion. sexta, articul. secundo, litera S. & Capreol. artic. citato ad sextum, quemadmodum ex distinctione reali emanationum non colligitur distinctio realis principij, vt per se patet, & ipsi tenentur admittere, qui voluntatem & intellectum dicunt esse idem realiter: ita neque colligi distinctionem ex natura rei, cur enim magis colligatur vna, quam alia? Ratio est, quoniam omnis pluralitas reducitur ad vnitatem, & sicut eadem potentia naturalis, verbi gratia intellectus, aut voluntas absque vlla distinctione sui à se est principium actuum realiter differentium secundùm numerum, & speciem, & eadem omnipotentia diuina in se indistincta est principium omnium emanationum ad extra, quæ possunt esse infinitæ: ita essentia diuina quatenus est intellectus, & voluntas absque vlla distinctione, ex natura rei potest esse principium emanationum diuinarum quantumcumque realiter differentium, vt benè explicat Toletan. in 1. distinct. 8. artic. 4. ad secundum Scoti, contra tertiam conclusionem; & Landulphus apud Lychetum quæst. 3. altera soluitur dicendo distinctionem virtualem vnicæ perfectionis diuinæ, quæ inuoluitur nomine intellectus & voluntatis, sat esse, vt de eadem sub rationibus virtualiter distinctis enuncientur contradictoria, quin propositiones sint verè contradictoriæ. Ad Syllogismum expositorium, quo ostendi videtur vera contradictio, respondetur, si termini sumantur, prout à nobis concipiuntur, assumptionem esse falsam, quoniam efficit hunc sensum, diuinitas prout eminẽter æquipollet intellectui creato, æquipollet etiã voluntati, quod est falsum, si verò termini sumantur absolutè, prout obiecta ipsorum sunt in re, tunc est vera, & efficit hunc sensum; diuinitas, quę æquipollet intellectui, æquipollet etiam voluntati, in quo etiam sensu conclusio potest esse vera.

Toletus. *Landulph. Lychetus.*

Aliacens. *Capreol.*

XIII. Quod attinet ad secundùm genus contradictionis, respondeo, quamuis concedendum sit huiusmodi propositionem, in Deo cognitio mali est volitio boni, & similes, in terminis absolutis esse veras in sensu identico, propter omnimodam idẽtitatem ex natura rei, vt ostendam tract. 7. quia tamen non valet consequentia à sensu identico ad formalem, verba autem, & nomina adiectiua non possunt prædicari nisi sensu formali, fit, vt ex omnimoda identitate inter intellectum, & voluntatem diuinam non sequatur has propositiones esse veras; intellectus diuinus vult, voluntas intelligit; Aduertendum tamen est, quamuis propter omnimodam attributorum identitatem concederetur, esse

veras

veras has propositiones, voluntas diuina intelligit, intellectus vult esse: non tamen ex eo quod diuina voluntas sit omnino idē cum intellectu, & hic intelligat mala, sequi voluntatem diuinam velle mala; neque ex eo quod amor in Deo sit idem cum odio, sequi concedendum esse, diuinam voluntatem amare malos, & odisse bonos: vt rectè docent Adam. in 1. d. 6. qu. 1. versus finem. Toletan. art. cit. ad secundam, & tertiam contradictionem. Andreas de Nouo Castro. d. 9. 10. q. vn. ad 3. contra 2. conclusionem, & Clypeus Thomistarum q. 10. super Porphyr. art. 1. ad 2. & 3. Mayronij. Ratio diuersitatis est, quia ex identitate rectè sequitur affirmatio, inter ea, quæ sunt idem: ac proinde ex eo, quod voluntas sit idem cum intellectu, solum sequeretur terminos, vtrunque significantes de se inuicem prædicari: vt si dicatur, intellectus vult bona, voluntas intelligit mala: at in hac propositione voluntas vult mala, termini, qui coniunguntur nō sunt voluntas, & cognitio malorum, sed voluntas, & volitio malorum, quæ cum in Deo non detur affirmari, non potest de diuina voluntate, quemadmodum affirmari potest cognitio malorum, quæ doctrina similibus exemplis accommodari potest.

Adam. Toletan. Andr. Castr.

Clypeus.

XIV. Ea, quæ pertinent ad tertium genus, diluuntur ratione distinctionis virtualis vel etiam actualis negatiuæ: nam perfectiones secundùm quos diuinitas, non est participabilis à creatura, vel distinguuntur virtute, vt ratio actus puri, & immensitas: vel inuoluunt diuersas negationes, vt simplicitas, & immutabilitas: termini verò diuersi saltem, penes negationes ex parte obiecti significati, non sunt ijdem: atque adeò, si vel ipsi de eodem subiecto alter per affirmationem, alter per negationem dicatur, vel de ipsis contradictoria enuncientur, non fient propositiones verè contradictoriæ: vt patet, si de cæco, ac surdo dicatur, est cæcus secundùm oculos, non surdus secundum oculos: idem quoque dicendum si comparentur duo termini, alter negatiuus, alter affirmatiuus: vt si homo dicatur, conueniet cum Angelo secundùm vitam actualem, non secundùm materialitatem: eodem prorsus modo nō est contradictio, si Deus dicatur communicabilis creaturæ secundùm vitam, non secundùm simplicitatem. Similiter sat est distinctio virtualis inter diuinas perfectiones, vtà diuersis creaturis diuersimode participetur, quod egregiè docuit Magnus Dionys. in lib. de diuinis nominibus, quem refert Carthus. in 1. d. 2. q. 2. *Processiones*, inquit, *Hierarchicæ sunt discretiones, quibus diuina bonitas in se ipsa summe simplex se ipsam varie, ac multipliciter communicat creaturis siue per essentiam, siue per vitam, siue per sapientiam, siue per iustitiam: quæ omnia in Deitate vnita vniformiter, & communiter vniuntur; & vnū sunt in ipso, sicut punctum: quod est centrum circuli, ab omnibus circumferentiæ lineis vniformiter participatur, & multæ impressiones participant formam sigilli. veruntamen hæc & huiusmodi exempla incomparabiliter excedit diuinæ simplicitatis impartibilitas*; Denique contradictiones quę 4. loco propositæ sunt, dissoluūtur ex dictis ad secundùm genus contradictionis.

Mayron. Dionys. Carthus.

Dissoluuntur alia argumenta.

Caput XII.

I. EAndem sententiam pluribus alijs argumētis Scotistæ corroborant: quam adeò veram existimauit Mayron. in 1. d. 8. q. 3. initio, & q. 5. initio, vt dicat euidentem esse, & adeo efficaces credit rationes, quas adhibet, vt nisi quis proteruus esse velit, dare manus debeat. Sed enim, cum antè, & post ipsum multi præstantis ingenij viri hoc argumentum tractauerint, & præter Scoti discipulos nemo in eorū sententiam ierit, imò aliqui eam graui censura notauerint, signum est rationes eius non esse ostensiuas, aut euidentes, imò fallaces, quæ speciem quidem probabilitatis præferant, re autem ipsa sint sophisticæ. Et illud quidem, quod eo loco adducit, quia tangit modum distinctionis relationum diuinarum commodius in materia de Trinitate explicabitur: & idcirco eo omisso ex cæteris, quæ ipse, Bassol. Lychet. & alij congerunt, seligam potissima, ex quorum solutione cætera quoque facilè dissolui queant.

Mayron.

Bassol. Lychet.

II. Primum est inter passionem demonstrandam, medium terminū, ac subiectum, debet esse distinctio ex natura rei: at Theologi demonstrant de Deo quædam attributa per alia: ergo attributa & inter se, & ab essentia distinguuntur ex natura rei. Maior propositio patet, quoniam demonstratio omnis procedit à notioribus, idem verò non potest esse notius se ipso: præterea medius terminus nō debet esse synonymus cum passione, aut subiecto, nec; hæc inter se: cùm vero nulla est distinctio ex parte obiecti significati, diuersa eius nomina sunt synonyma: atq; adeò nullum attributum potest esse medius terminus ad de-

monstrandum aliud. Secundo quoniam à summe perfecto debet abesse cõfusio: vbi autem nulla est distinctio,necessario datur cõfusio,quæ distinctioni opponitur. Tertiò, quæcunq; secundùm proprios conceptus maximè communes,& abstractos habent distinctionem formalem, vbicunque sint,eandem retinent: sed perfectiones diuinæ secundùm proprios conceptus communes Deo,& creaturis vendicant distinctionẽ formalem ex natura rei: ergò,cum eorum propria ratio formalis sit in Deo; v. g. sapientia, iustitia, intellectus, & voluntas, in ipso quoque seruabunt eandem distinctionem formalem. Maior propositio est euidens:quoniã identitas,aut distinctio est proprietas necessariò consequens naturam,atq; adeò, si res aliqua secundùm quidditatiuum conceptum illam vendicat,salua eâdem ratione formali quidditatiua, semper eam vendicabit, quantumcunque diuersis rebus insit. Assumptio ostenditur, quoniam sapientia in communi non est nisi sapientia, sicuti equinitas non est nisi equinitas,abstractio enim maximè præcisa retrahit, ac remouet rationem formalem ab omnibus extrinsecis,& solum ea seruat, quæ pertinent intrinsecè ad eius quidditatem: atque ita sapientia in communissima abstractione non est iustitia, neque hæc sapientia, & sic de cæteris perfectionibus simpliciter: quartò,singula attributa seorsim sumpta magis sunt idem sibi, quam comparata reliquis:verbi gratia, sapientia maiorum habet identitatem secum, quam cum iustitia, aut quouis alio attributo: hoc autem fieri nequit,nisi eidem,quatenus comparatur cum iustitia, & alijs desit aliquis modus identitatis ex natura rei, quem habet respectu sui ipsius: comparatio enim penes magis, & minus infert relationem inæqualitatis, quæ supponit aliquem defectum ex altera parte: nõ deest identitas realis vt patet,ergo formalis: nam sola distinctio rationis non sat est, vt aliquid dicatur magis, vel minus idem. Vltimo quæuis perfectio absoluta non minus est in Deo secundùm propriam rationem ab alia distinctam ante omnem actum intellectus, quam paternitas, ac filiatio: hæ verò in Deo sunt verè, ac propriè distinctæ ante actum intellectus,ergò & illæ. Nam,sicut verè Deus est Pater,ac Filius, ita est verè, & formaliter iustus, sapiens misericors.

III. Primum argumentum tangit duas difficultates, alteram de medio demonstrationis, aliam de ratione nominis synonymi. Et prior quidem facilè expediri potest ex ijs, quæ libr.1.tractat.4.cap.octauo, dicta sunt,diuidendo propositionem notam ex alio innotam,ex alio secundùm se, & notam ex alio quo ad nos: ea est nota ex alio secundùm se, quæ absque ordine ad nostrum intellectum habet suapte natura terminum à subiecto, & passione distinctum: qua ratione hæc propositio, *luna patitur Eclipsim*, secundùm se est nota ex alio,quoniam interpositio terræ inter ipsam, & solem, est terminus à parte rei distinctus à luna, & ecclipsi, quam patitur. Ea verò est,quo ad nos agnoscibilis ex alio: quæ tametsi suapte natura careat medio termino, nihilominùs respectu nostri habet medium terminum, cuius connexio cum passione est notior nobis, quàm coniunctio passionis cum subiecto: sic se habet propositio, qua prima passio enunciatur de definito: etsi enim inter hoc, & illam nihil prorsus intercedat à parte rei, nihilominùs nobis notior est coniunctio passionis cum definitione, quam cum definito: & ita vtimur definitione pro medio ad demonstrandam passionem de definito. Eodem modo perfectiones diuinæ, si secundùm se spectentur, respectu cognitionis ipsis adæquatæ non sunt demonstrabiles aliæ per alias de essentia: quia notitia adæquata vnico ictu omnes, ac singulas per modum vnius attingit, nec in re ipsa est vnum secundùm se notius altero. Si tamen sumantur in ordine ad nostrum intellectum, propter imperfectum modum intelligendi nostrum, quædam sunt nobis notiores alijs, & ex hac parte, non repugnat, vt quæ in re vnum sunt omninò indistinctum, concepta à nobis per modum plurium, vnum de altero per aliud demonstretur. Hoc posito,neganda est maior propositio primi argumenti: & distinguendum id, quod ad eius confirmationem adducitur: si enim sensus sit, idem non posse esse notius semetipso secundùm se,concedendum est: negandum verò, si intelligatur respectu nostri intellectus,non posse esse idem notius,& minus notum ratione virtualis distinctionis, sub qua diuersimode apprehenditur: at verò perfectiones diuinæ,vt dixi, hoc,non illo modo notiores nobis sunt.

IV. Confirmatio eiusdem argumenti respicit alteram difficultatem de ratione nominis synonymi. Pro qua dico,certum omninò esse,medium terminum nullo modò posse esse synonymum passioni, vel subiecto:nam, cũ synonyma habeãt idẽ significatum,& modũ significãdi,& solum differant

rant penes voces externas, vt gladius, & ensis, idem omnino conceptus respondet pluribus vocibus synonymis: atque adeò, si medius terminus est synonymus subiecto, enunciatio, qua passio enunciatur de subiecto, erit eque nota, ac illa, qua enũciatur de medio, & ita non erit discursus, qui semper procedit à notioribus. Verùm vt duo nomina sint synonyma, non sat est omnimoda idẽtitas ex parte obiecti formaliter significati, sed præterea requiritur omnimoda identitas ex parte modi significandi, ita vt ex vi significationis nominum synonymorum idem, ac per omnia similis cõceptus gignatur: nam cum voces sint immediate signa conceptuum, si diuersis vocibus dissimiles cõceptus respondeant, voces non erunt synonymę, etiamsi significatum sit omninò idem. Hac ratione definitio, & definitum non sunt synonyma, & tamen obiectum significatum est idem prorsus, similiter ratio inferior, & superior non sunt synonyma, & tamen significant eandem intelligendi vim. At nomina perfectionum diuinarum quamuis significant idem obiectum ex natura rei indistinctum, significant tamen diuerso modo, & ideò non sunt synonyma; Esse verò satis hanc diuersitatem ad rationem medij termini, patet ex Philosopho, qui lib. 1. Met. cap. 6. definitionem ait, esse potissimum medium demonstrationis, & in Metaphysica, & Mathematica agnoscit demonstrationes per causas formales, & tamen non in omnibus distinguitur medium actu ex natura rei ab extremis, sed virtute tantum, aut nostro intelligendi modo.

Arist.

V. *Basol.*

Secundò argumento vtitur Basolis, qui frequenter distinctione illa 22. distinctionem exigit in diuinis, quasi perfectionem simpliciter oppositam confusioni, quæ sonat imperfectionem. Verùm enim verò distinctio, quæ opponitur confusioni, est longe diuersa ab ea, quæ opponitur identitati: hæc enim reperiri potest cum confusione, vt videre est in aceruo rerum specie diuersarum; verbi gratia tritici, millij, & hordei, mutuo permistarum: inter quas est verè distinctio opposita identitati, adhuc enim in aceruo singula grana retinent propriam speciem, qua ab alijs differunt: non est autem distinctio opposita confusioni, quoniam grana eiusdem speciei non sunt ab alijs segregata, aut ordine digesta, sed casu tumultuariè permista. Item distinctio, & identitas illi repugnans sunt immediatè oppositæ respectu cuiuscunque subiecti: confusio verò, est distinctio illi opposita nequaquam. Etenim confusio non est in pura, ac simplici vnitate, sed in multitudine; vt patet ex eo, quòd ait Albertus in prima distinct. vigesima quarta, litera G. *Confusio*, inquit, *est compositio eorum, quæ numerantur ad inuicem inordinata*: quæ numerantur, multitudinem conflant, & quia carent, ordine dicuntur confusa: nascitur enim confusio ex multorum permistione absque vllo ordine, ita vt vnum ab altero vix, aut nullo modo discerni queat: qua ratione in chao fingebant antiqui Philosophi confusam rerum congeriem nullo ordine digestam: quam Deum nulla re addita, vel detracta, sed solo ordine, ac loco congruo singulis assignato in hunc mundi ornatum, aptamque rerum congeriem commutasse, autor est Plutarch. problemat. Sympos. decad. 1. problem. 2. ideoque, vt docet Sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. centesima octuagesima octaua, articul. 1. ad quartum. *Confusio opponitur distinctioni, & ordini*: at res vna simplex propter sui præstantiam pluribus æquipollens, sicut neque ordinis, ita neque confusionis illi oppositæ capax est: quis enim mentem nostram spiritualem, & penitus indiuisam, confusam appellet eo, quod vis percipiendi odores non sit in ipsa distincta ex natura rei, à vi intelligendi colores, sicut in sensibus odoratus distinguitur à visu. Ex quo patet, etsi distinctio opposita confusioni semper supponat distinctionem oppositam identitati, non tamen proinde fore confusionem, vbi hæc defuerit. Et proinde ex eo, quod in Deo non sit confusio, nequaquam sequitur distinctio ex natura rei, quoniam tam confusio, quàm vtraque distinctio repugnat simplici vnitati, & solum in vera multitudine reperitur. Neganda est itaque maior propositio secundi argumenti: & ad primam eius confirmationem neganda est assumptio: quoniam, vt patet ex dictis, non est confusio, neque distinctio, vbicunque est identitas omnimoda, & perfecta vnitas.

Albertus.

Plutarch.

S. Thom.

VI. Hæc sunt intelligenda de identitate, ac distinctione ex natura rei: quia tamen perfectiones diuinæ habent distinctionem virtualem, vt tractat. sequente constabit, habent quoque eodem modo distinctionem eam, quæ opponitur confusioni: nam, sicut in nobis est ordo realis inter proprietates, & perfectiones, ita in diuinis secundùm pluralitatem virtualem concedi etiam potest ordo quidam virtualis,

tualis, ratione cuius intelligimus in Deo prius essentiam in ratione substantiæ, ac vitæ, deinde potentias, postremo actus vitales: quin, & inter ipsas potentias, & actus ipsarum idem ordo concipi posit, vt intellectus sit virtute prior voluntate, & hæc omnipotentia, & inter actus primum locum teneat intellectio; secundum volitio: & deinde varia genera actuum vtriusque potentiæ iuxta varios prioris, ac posterioris sumptos ex parte obiectorum, vt fusiùs declaraui hoc lib. tract. 2. cap. vltimo: & ita secundum hanc pluralitatem nulla est confusio, sed maxima distinctio: ita enim singulæ suis proprijs rationibus formalibus virtute, & ratione discretæ sunt, vt sapientia non confundatur cum iustitia, neque hęc cum misericordia: & sic in cæteris.

VII. Vis argumenti tertio loco positi consistit in veritate assumptionis: nam, si ea vera est, argumentum euidenter concludit; Veritas aût eius ex eo colligi videtur, quoniam quęuis duæ rationes inuicem cõparatæ, aut vendicant identitatem, aut distinctionem: quæ sunt oppositа immediata respectu cuiusque entis: perfectiones autem simpliciter secundùm communem abstractionem non vendicant omnimodam identitatẽ, alioquin eam quoq; haberent in creaturis participantibus rationes ipsarum, quod tamen est apertè falsum: ergò vendicant distinctionem. Præterea, distinctio formalis ipsarũ in formis creatis non sumitur ab ipsis creaturis: nam, si consideremus habitus sapiẽtię, ac iustitiæ creatæ præcisis omnibus, quæ vendicant, quatenus creatæ sunt, adhuc erit inter eos distinctio formalis ex natura rei, nõ nisi propter rationes communes sapientiæ, ac iustitiæ: ergò hæ in maximè præcisa abstractione vendicant actualem distinctionem ex natura rei formalem.

VIII. In hac difficultate statuendum in primis, perfectiones simpliciter secundũ abstractionem maximè cõmunem, vẽdicare distinctionem aliquam secũdùm rationes formales: fundamentum est id, quod ex parte adductum est ad probandũ assumptionẽ huius tertij argumenti, quoniã repugnat, vt duo conceptus formales cum mutua præcisione habeantur de obiecto nulla prorsus ratione distincto: at conceptus sapientiæ, & iustitiæ in communi vnus ab altero mutuo præscindit, nam in ratione sapientiæ non clauditur ratio iustitiæ, nec viceuersa. Verùm vtrũ hæc distinctio debeat esse ex natura rei, nõ conuincitur hoc argumento, nam videmus rationes formales solum virtutẽ distinctas concipi sub eadem præcisione vnius ab altero, vt vsu venit cum concipimus in intellectu nostro rationẽ superiorem, & inferiorẽ, rationẽ practici, & speculatiui, quę se habet ex parte potentiæ; quæ omnes virtute solum distinguuntur, & tamen cõceptus vnius præscindit à ratione formali alterius. Quapropter dicendum est cum Heruæo quodlib. 1. q. 2. §. *Modo restat*, & Argentin. in 1. d. 6. q. 1. art. 2. ad 6. rationes communes analogicas non necessariò vendicare identitatem, aut distinctionem ex natura rei, sed abstrahere ab vtraq; cum indifferentia ad ipsas iuxta naturam suorũ analogatorũ: id vero ostendo eodẽ exemplo rationis practicæ, & speculatiuę, quatenus est analogicè communis potẽtijs, & habitibus: nam in potentia intelligendi est prorsus idem ex natura rei sola ratione distincta, in habitibus vero naturalibus sortitur distinctionem realem, nam ratio practici reperta in morali philosophia non solum formaliter, sed etiam realiter distinguitur à ratione speculatiui, quæ datur in Metaphysica, aut Philosophia naturali: simili modo sapientia, iustitia, misericordia, cęteręque perfectiones communes Deo, & creaturis, secundùm se distinctionẽ ex natura rei, nec includũt, nec excludunt: sed ratione analogatorum hanc vel illam vendicant, scilicet distinctionem in creaturis, identitatem in Deo. *Heruæus. Argentin.*

IX. Ex his patet solutio ad argumentum, neganda quippè est assumptio: cuius probatio, vt patuit, solum cõcludit dandã aliquã distinctionem formalem, s. actualem, vel virtualem, quæ datur in diuinis: non probat autẽ dandam necessariò actualem, quoniã duo sola ratione distincta possunt mutuo præscindi, vnum ab alio secũdùm conceptus mentales. Ad primam rationem dubitandi à me inductam respondeo, distinctionem, & identitatem ex natura rei esse quidem immediatè oppositа respectu entium particularium, ita vt necessariò altera ex his debeat singulis inesse: at verò respectu rationum communiũ aliter se habere, siquidem non est opus, vt cuilibet altera ex his determinatè conueniat, vt patet in exemplis allatis: nam ratio practici, & speculatiui in maximè communi abstractione à potẽtijs, & habitibus, neutrã ex illis determinate vendicat: sufficit aût vt vendicet alterã ex ipsis indeterminate: & similiter dicendum est de identitate, & distinctione reali: non. n. altera ipsarũ determinatè conuenit sapientiæ, aut iustitiæ in maximè cõmuni abstractione, nam si cõueniret identitas, & iam sapiẽtia,

& iusti-

& iustitia creata, essent idem realiter, quod est falsum, si vero conueniret distinctio, etiam sapientia, & iustitia diuina distinguerentur realiter, quod est erroneum. sicut autem nõ est necessarium, vt distinctio, aut identitas realis determinate illis cõueniat, sed indeterminate per inferiora, similiter nõ est opus, vt determinate cõueniat identitas, vel distinctio ex natura rei formalis. Ad secundam negandum est antecedens: nam, si consideretur propria, ac specifica differentia, qua sapientia creata cõstituitur, ab ea habet vt distinguatur ex natura rei à iustitia, & cęteris perfectionib⁹ simpliciter.

X. Quartum argumentum dupliciter solui potest cum Capreolo art. citato ad 15. vel negando maiorem propositionem, quoniam, vt ex Patribus vidimus, singulæ perfectiones nõ sunt magis eædem sibi, quam alijs: & ita inter eas non est comparatio penes magis, & minus in ratione identitatis, scilicet ex natura rei: quo sensu assumitur propositio ab Scotistis. Quod si propositio non determinetur ad identitatem ex natura rei, tunc potest aliter solui, negando assumptionem: nam sapientia nec à parte rei actu, nec virtute, aut ratione distinguitur à se ipsa: ab alijs vero attributis, si non ex natura rei actu, virtute tamen, ac ratione distinguitur: & sic comparatione aliorum caret identitate opposita distinctioni virtuali, qua non caret respectu sui.

XI. Vltimum argumentum prouenire videtur ex eo, quod Bassolis, qui eo vtitur, & alij, nõ percipiant modum, quo in sententia, quam tueor, perfectiones diuinæ dicuntur distingui virtualiter: videtur autem ita hoc accipere, quasi dicatur, eas non esse formaliter, sed solum virtualiter in Deo: ideoque crebro hoc impugnat, quasi asseratur ab auctoribus, quos sequor. Immerito tamen: nam ijdẽ sæpius docent perfectiones esse formaliter in Deo. Verùm aliud est perfectiones esse formaliter in subiecto, aliud, distingui formaliter: itẽ aliud, distingui virtualiter, aliud, esse virtualiter. etenim possunt esse formaliter, quin distinguantur formaliter, & distingui virtualiter, quin sint virtualiter. Quæ duo patent ijsdẽ exemplis, quibus sum frequẽter vsus: Etenim ratio practici, & speculatiui verè, propriè, ac formaliter conuenit intellectui nostro, vt per se patet, alioquin nõ possent disponi p habitus naturales ad actus speculatiuos, & practicos. habitus. n. naturales nõ disponunt potẽtias, nisi ad actus, quos alioquin absque habitibus possunt elicere: ratio vero speculatiui in potentia non est aliud, quam vis speculandi, sicut ratio practici est vis eliciendi actus directiuos praxeõn: & tamen eædẽ rationes distinguuntur virtute solùm ob eminentiam potentiæ intellectricis, extendẽtis se ad actus, ad quos requiruntur habitus actu distincti: Eadem ratione sapientia, iustitia, cæteræque perfectiones diuinæ sunt formaliter in Deo, & nihilominus ob eminentiam perfectionis infinitæ diuinæ essentiæ, nõ distinguuntur actu formaliter, sed virtute. Hoc posito, respondeo maiorẽ propositionem, quatenus ait perfectiones attributales nõ minus formaliter esse in Deo, quã relationes personales, cõcedendam: & hoc solum probat argumentum: quatenus vero ait non esse minus distinctas formaliter, negandam: quoniam, relationes ob oppositionem inducunt distinctionẽ realem: etsi argumentum valeret, hæc danda esset in perfectionibus absolutis, quod est absurdum, vt ijdemmet Scotistæ concedunt: perfectiones vero absolutæ nullam habent omnino oppositionem, quo minus sicut in eadem realitate, ita etiam conueniant in eadem prorsus formalitate ex natura rei. Nec huius oppositum suadet argumentum.

TRACTATVS SEXTVS, DE DISTINCTIONE PERFECTIONVM DIVINARVM.

MAgnus Dionysius cap. 9. de diuinis nominibus, cùm de identitate Deitatis egisset, egit etiam de eiusdem alteritate, nõ quidem personali, cuius eo loco non meminit. dixerat autem cap. 2. sed de essentiali: quam solum eo loco explicauit ratione diuersarum emanationũ perfectionum diuinarum ad creaturas. Ipse quoque post tractatum de omnimoda identitate perfectionis diuinæ absolutæ, ordior hunc de eiusdẽ alteritate, siue distinctione, vt vtar vocabulo magis vsurpato inter Theologos. Ea vero, si comparetur Deus cum rebus creatis, est maxima: differt enim ab ijs plusquã genere, neque cum eis admittit vllam identitatem realem, aut formalem secundum indiuiduam identitatẽ: nõ respuit tamẽ analogicam cõuenientiam in ratione entis, & aliarũ perfectionũ simpliciter sibi cũ creaturis cõmunium: ratione cuius idẽ Dionysius vbi supra creaturas Deo similes, ac dissimiles dicit: similes quidẽ, quia *eo viri⁹ ei participant, qui nõ potest participari*: dissimiles autẽ, *quia causalia auctore suo multũ inferiora sunt, & infinitis, & nõ cõparandis mẽsuris ab eo longè absunt*. Quia vero hęc distinctio Dei *Magn. Dion.*

à creaturis perspicua est, nihil amplius de illa dicendum, sed de distinctione perfectionum Dei absolutarum: nam de ea, quæ inter personas, relationesque diuinas intercedit, in materia de Trinitate est proprius agendi locus. Cùm autem tractatu proximo omnem distinctionem ex natura rei actualem reiecerim à perfectionib⁹ diuinis absolutis, si quæ alia ipsis conuenit, nonnisi secundum rationem erit: ideò in primis dicam vtrum, quid, & quotuplex sit distinctio rationis: qua de re plerique Theologi dissentiunt, vt deinde statuam, vtrumne, & qualis intersit inter perfectiones diuinas.

Præter distinctionem ex natura rei datur distinctio rationis.

Caput I.

I. TAmetsi quæstio an est, supponatur in scientijs, tamen quia non desunt, qui negent dari vllam distinctionem rationis, statuendũ inprimis est, vtrum detur. Partem negatiuam in rigore veram censent Ocham. in 1. d. 2. quæst. 3. Gabriel. quæst. 3. Mayron. d. 8. quæst. 4. Andr. de Nouo Castro dist. 32. quæst. 2. Gregor. d. 8. quæst. 2. art. 1. Petrus de Alliaco, quæst. 6. art. 2. lit. I. & L. conclusione 1. & Maior. d. 8. q. 1. aliàs 4. conclusione 2. Aiunt enim res non distingui vllo modo per operationem intellectus, sed solùm à parte rei. Id vero probant multis argumentis, quæ ad tria reduci possunt. Primum est, quoniam sequitur dari cõtradictoria simul vera, quod est impossibile: probatur consequentia, quoniam, vbi nulla est omninò diuersitas, aut distinctio in re, erit omnimoda identitas: hæc autem consistit in indiuisione, qua res est ipsa, & non ipsa: ergo quocunque nomine, vel conceptu significetur eadem omninò res, verè potest de se enunciari. Contra verò, si est distinctio rationis, potest verè negari: distinctio enim consistit in diuisione, quæ negatione explicatur, & ita, si coniungantur duo conceptus eiusdem rei indiuisæ prorsus in se, ratione tamen distinctæ, affirmatio erit falsa, vera negatio: confirmatur primo, quoniam aut eiusmodi rationes sunt omnino idem cum re, cuius sunt rationes, aut ab ea distinguuntur: si sunt omnino idem, non facient distinctionem: quod enim indistinctũ est, ratio distinctionis esse nequit: si vero distinguuntur, iam res sub vna habet aliquid, quod nõ sub alia, & ita re ipsa, & non sola ratione distinguitur: patet consequentia, quia ratio distinguens vnum extremum ab altero, non est communis vtrique, sed alteri tantum propria: secundum communia enim non est distinctio, sed identitas. Confirmatur secundo argumento Gregor. quoniam posita distinctione rationis eiusdem rei à se aliqua ratio esset eius, & non esset: quod repugnat. Id vero sequi ostenditur, quoniam ratio distinctionis est ppria rei, quæ distinguitur, & nõ cõmunis cum ea, à qua distinguitur: ergo, si distinguitur ratione à se ipsa, ea ratio erit eius, quia per eam distinguitur: & non erit eius, quia est id, à quo per eam distinguitur. Secundum; distinctio rationis aut sumitur ex diuersis rationibus præciso actu, intellectu repertis in extremis ratione distinctis, aut per solam intellectus operationem resultantibus: si primum, est distinctio ex natura rei, & nõ per solam rationem, vt patet: secundum nõ est verum, quia non variatur identitas, aut distinctio, nisi variato fundamento, vel termino: ante operationem vero intellectus, vt supponitur res est omni modo eadem, atque indistincta: per ipsam vero operationem non mutatur terminus, aut fundamentum distinctionis: ergo non potest aduenire noua rationis distinctio. Posterior pars assumptionis ostenditur: nam ex præcisa operatione intentionali circa obiectum non fit vlla eius mutatio, nec dissoluitur ratio identitatis, si quæ in illo est: si quis respondeat hoc argumento solum concludi, rem non mutari realiter: at vero permanente eadem identitate reali aduenire nouum respectum, & ita obiectum non se habere vniformiter ad intellectum ante, & post eius actum. obijcitur namque; si res suapte natura est omnino indiuisa in se, quemcunque actum terminat significata vno nomine, aut ratione, terminat significata etiam alio: non enim à parte rei habet, vnde diuersimodè terminet conceptus terminatos ad eandem prorsus entitatem, & rationem obiectiuam: & confirmatur primo, quoniam per actiones intentionales sensuum non resultat distinctio obiecti: nam ex eo, quod res aliter, atque aliter videatur, aut audiatur, non distinguitur à se ipsa. Secundo, quoniam per actiones reales circa ipsum subiectum non inducitur distinctio realis ipsius: ex eo enim quod aqua fiat rara, & calida, non distinguitur à se realiter: nam quamuis qualitates ipsæ distinguantur, itemque aggregata ex

Ocham. Gabriel. Mayron. Nouo Castro. Gregor. Alliacus. Maior.

aqua,

aqua, & ijs, ipsa tamen aqua per se præcisa à qualitatibus non distinguitur à se: ergo neque per actiones intentionales inducetur distinctio rationis: confirmatur tertio, quoniam aut hæc distinctio est per rationem tanquam ab agente illam inducente, aut tanquam à formali distinctiuo: non priori modo, quoniam impossibile est, vt intellectus rem à se ipsa distinguat: potest quidem rem compositam distinguere in partes, nequaquam vero rem siue simplicem, siue compositam à se ipsa diuidere, ita vt tota sit, & id, quod distinguitur, & id, à quo distinguitur: non posteriore: namque hoc vel est formale principium distinctionis intrinsecum, qua ratione homo per suam formam distinguitur à bruto, vel extrinsecum, qua ratione diuersæ scientiæ distinguuntur inter se per obiecta: & vtroque modo repugnat rem aliquam distingui ratione à se: primo quidem, quoniam ratio non est aliquid intrinsecum rei: secundo vero quoniam, quæ ita distinguuntur, necesse est distingui essentialiter, siue se ipsis primo, siue aliquo sui, ita vt non præcisè per extrinseca distinguantur, vt videre est in Metaphysica, quæ distinguitur per ens abstractum à materia sensibili, & intelligibili: nec tamen per illud distinguitur à se, sed ab alia scientia, quæ est essentialiter ab ipsa distincta. Tertium, proprietates commensurantur subiectis, quæ connotant: atque adeò distinctio realis est propria entium realium: distinctio vero rationis debet conuenire entibus rationis: ergo quemadmodum non est vllum ens rationis, quod à se ipso secundum rem distinguatur, ita ens reale nō poterit à se ipso distingui ratione, vel secundum rationem.

II. Hæc & alia congerunt auctores citati, vt probent, non esse simpliciter dicendum attributa diuina distingui ratione. Verùm, quia argumenta impugnant etiam distinctionem rationis in commune, seorsim hoc examinandum putaui, vt deinde cum ad attributorum distinctionem accedam, non immorer communibus, sed ex proprijs rem expendam. Porrò dari distinctionem rationis expresè contra oppositæ sententiæ assertores probat Rubionius in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. & Capreol. quæst. etiam 4. & docent omnes alij Theologi referendi cap. 6. num. 2. Vt autem vera sententia explicetur, obseruandum est, distingui ratione apud Aristotelem nō eo modo, quo apud Theologos, vsurpari: ille enim rationis nomine non intellexit præcisam operationem intellectus, sed rationem, siue definitionem obiectiuam; quam in ante prædicamentis vocat rationem substantiæ, hoc est id, quo res essentialiter, & intrinsecè constituitur: vt constat ex lib. 7. Metaph. cap. 4. vbi appellat rationes quod quid erat esse dicentes, hoc est rationes essentiales intrinsecas quidditati rei; eiusmodi vero rationes interdum sunt à parte rei distinctæ, sicut ratio hominis, & ratio bruti, interdum vero nō subsunt ijs obiecta distincta re ipsa, quemadmodum rationi finis, & rationi principij, sub quibus punctum concipitur, nō respondent diuersæ entitates, sed vna simplex entitas puncti: & hoc secundo modo loquuntur Theologi. cùm enim diuidunt distinctionem in realem, & rationis, nomen *ratio* vsurpant pro ea, quæ consequitur ex pura operatione intellectus comparantis res inter se, vel vnam eandem sibi. Ex quo patet distingui ratione, nō dici res ex eo, quod ipsæ sint rationes, seu conceptus distincti: nam obiecta ipsa, non vero conceptus consueuerunt dici ratione distingui, non item ex eo, quod in re sint rationes actu distinctæ: nam tunc esset distinctio ex natura rei, non solius rationis. Intelligi vero debet ita, vt à parte rei sit vna eademque entitas actu indistincta, supposita tamen multis rationibus mentalibus, sub quarum singulis sumpta differt à se ipsa accepta sub alijs.

III. Inducuntur autem ad hanc sententiam confirmandam nonnulla dicta Philosophi, quibus non vtor, quoniam videntur exponi posse de rationibus formalibus obiectiuis, ante omnem actum intellectus, quale est illud ex 1. Phys. t. 60. & 68. priuationem à materia distingui ratione, itemque ex 4. Metaph. t. 3. vbi dicitur, *ens, & vnum sunt vna natura; sed non vt vna ratione ostensa:* queis verbis solum indicatur materiam, & priuationem, ens, & vnum non esse naturas diuersas in re, habere tamen diuersas rationes: quia ratio entis est positiua, & consistit in ipso esse, ratio autem vnius est negatiua: & si vtraque diffiniatur, diuersimode definietur: ex quo non sequitur distinctio rationis, hoc est per solam operationem intellectus: nam absque illa ratio negationis est distincta à natura entitatis, similiter exponi potest id, quod lib. 10. text. 2. dicitur de igne, & elemento: nam ignis natura dicitur elementum, quod nomen tribuitur ipsi, quoniam ex eo tanquam ex primo inexistente aliquid fit; qui locus etsi nonnihil conferat, non tamen omninò cogit: ex eo enim

Rubionius, Capreo.

Aristot.

Aristot.

solùm

solùm habetur non esse duplicem naturam alteram ignis, alteram elementi: non tamen habetur ignem, & elementum esse idem prorsus ex natura rei, & sola ratione distingui: nam solùm dicitur ignem quodammodo esse elementum, quodammodo non esse, & subditur huius causa, quoniam *non est idem igni, & elemento esse:* Ea vero, quorum nõ est idem esse, non distinguuntur sola ratione. cùm sit autem opinio D. Thomæ, vt testatur Caietan. 1. p. quæst. 28. art. 2. & aliorum, relationem distingui ex natura rei à fundamento, ratio vero elementi consistat in habitudine causæ materialis, responderi poterit ad hoc dictum Philosophi, esse substantiale ignis, & esse respectiuum elementi distingui à parte rei. Has, & alias Philosophi auctoritates adducunt, & interpretantur oppositæ sententiæ auctores, quas proinde omitto.

S. Thom. Caietan.

IV. Ratione facilè res ostenderetur, si loquendum foret iuxta varias sententias opinantium quædam nullo modo distingui intrinsecè, & entitatiuè à parte rei, sed sola ratione, & per extrinseca connotata: exempli causa fundamentum, & relationem, actionem, & passionem, genus, ac differentiam: etenim ea, de quibus enunciantur prædicata contradictoria, habere debent aliquam distinctionem: de prædictis autem dicuntur prædicata contradictoria: quare, cùm non distinguantur ex natura rei, opus est, vt distinguantur saltem ratione. Assumptio patet: nam, si corrumpatur vnus terminus similitudinis, & maneat alter cum fundamento ipsius, verbi gratia cum figura, aut colore, verè dicetur similitudo desijt, figura non desijt: item verè dicitur, actio est actus agentis, passio non est actus agentis, animal est genus, rationale non est genus. Verùm, quoniam alij existimant propositas combinationes distingui ex natura rei, argumentum ab eis sumptum non valet apud omnes. Ideoque hoc omisso, probo institutum alijs exemplis: nam ens, & substantia, accidens, & qualitas, non distinguuntur ex natura rei: & tamen de ijs dicuntur prædicata contradictoria: ergo distingui debent ratione: consequentia patet ex eo, quod de re nullo modo distincta nequeunt verificari duæ contradictoriæ. Assumptio constat: nam verè dicitur, ens non est genus, accidens nõ est genus: contra verò dicitur, substantia est genus, qualitas est genus. Maiorem ostendo, quoniam, genera summa sunt primo diuersa: quæ autem ita se habent, non constant duobus ex natura rei distinctis, quorum altero cõueniant, altero differant: sed se totis conueniunt, ac differunt: ergo in substantia ratio entis, sub qua conuenit cum accidentibus, nõ distinguitur ex natura rei à ratione propria substantiæ, qua ab illis secernitur: neque in qualitate ratio accidentis à propria ratione generis summi qualitatis. Respondebitur, cùm dicitur, ens non est genus, sumi hoc nomen pro aggregato analogatorum, quatenus conueniunt: id vero distingui re ipsa à rationibus singulorum prædicamentorum per se sumptis, & ita contradictoria non verificari propter solam distinctionem rationis, sed propter distinctionem ex natura rei, quæ nomine analogi inuoluitur. Verùm non soluitur: namque nomine entis significatur aliqua ratio obiectiua intima cuiuis generi summo; cùm enim dico, substantia est ens, aliquid enuncio de substantia pertinens ad rationem eius intrinsecam, & in ipsa verè inexistens: aggregatum vero entium repugnat, vt sit de ratione intima substantiæ: quapropter ipsum per se non prædicatur in quid de singulis analogatis. Et confirmatur, quoniam, si designando Socratem, dicam hoc ens est homo, non est eadem propositio, ac si dicam, hæc substantia est homo: & tamen in illa propositione nomen ens non sumitur confusè, & indeterminate pro aggregato entium, sed pro determinato, ac singulari ente, quod tamen ex natura rei est idem cum hac substantia, & tamen in ipso obiecto ita vno, & eodem, secundum rem intellectus adinuenit fundamentũ respondens duobus nominibus, & conceptibus non synonymis: hoc vero non aliter esse potest, quam si detur distinctio aliqua rationis: namque vbi ex parte significati, aut modi significandi non est vlla diuersitas, nomina sunt synonyma, hoc ens, & hæc substantia, quo ad modũ significandi conueniunt, sunt enim nomina substantiua concreta: ex parte significati non est distinctio actualis ex natura rei: ergo distinctio rationis. Item posita communi sententia de simplici entitate nostri intellectus, hæ omnes propositiones intellectus est apprehensiuus, est iudicatiuus, est discursiuus, non sunt eædem, vt patet: quoniam licet subiectum sit idem, prædicata tamen non sunt eadem, aut synonyma: & tamen omnibus respondet vnum, idemque obiectum re ipsa indistinctum, nempe vna, ac simplex entitas virtutis intellectricis: ergo interuenit aliqua distinctio rationis. probat etiam Capreol. vbi supra

hoc

hoc modo, quæcunque conueniunt in vnica ratione, dicuntur vnum ratione, quamuis re ipsa differant, vt plura individua hominis, dicuntur vnum in ratione specifica hominis: ergo quantumcunque aliquid sit vnum realiter, dicetur multiplex secundum rationem, si possit concipi sub diuersis rationibus.

V. Verùm difficultas existit, quomodo res indistincta omninò in se denominetur distincta ob solam apprehensionem intellectus. Rubion. art. 1. citato conclusione 4. respondet obiecta extrinsece denominari ab actibus potentiarum, quos terminant, qua ratione lux dicitur visa, vita volita, & similia: Hæc tamen ratio, si nihil addatur, non satisfacit: nam aliud est denominari ab ipsis actibus denominatione extrinseca, aliud ab ijs, quæ accidunt actibus, cùm vero corpus lucidum dicitur visum, aut vita volita, est denominatio ab actibus, quo etiam modo ab actu intellectus obiectum denominatur cognitum: at, cùm ratione actuum mentalium obiectū dicitur distingui, forma denominans, non est ipse actus intelligendi, sed distinctio, quæ illi accidit: vtrum vero, aut cur ea, quæ accidunt actibus, denominent obiecta, non est vndè colligatur: sunt enim pleraque, à quibus non sumitur denominatio, vt discurrenti planum fiet. Itaque fundamentum non est sumendum ex communi ratione actus, & obiecti omnium potentiarum, sed ex propria ratione actus, & obiecti intellectus: nam ob specialem modum, quo obiectum existit in mente ipsum intelligente, nascitur, vt etiam ea, quæ cōueniunt actui, dicantur de obiecto, vt benè explicat Hispalens. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 4. ad 2. Gregorij contra secundam conclusionem, Soncin. quæst. 4. ad 2. Gregorij contra quintam conclusionem & ante illos Capreol. quæst. 4. citata, art. 2. ad 2. Gregorij contra 2. conclusionem, qui id colligit ex verbis D. Thomæ lib. 4. contra Gentes cap. 11. quæ sic habent, *Intellectum, vt ex intelligente est intentio intellecta, & Verbum, & ideò*, inquit Capreol. *illa, quæ conueniunt tali intentioni, quæ est in intellectu, vt intentio est, possunt dici de re, cuius est intentio: ita quod, si intellectus multos conceptus formet de vna re, talis dicitur esse plures, & distincta, & multiplex secundum rationem, hoc est secundum esse, quod habet in intellectu, imò ipsum potest dici multæ rationes, sicut dicitur vita in Deo, vt intelligitur à Deo*, quibus docet indifferentem similitudinē inter obiectum, & intentionem eius, intellectā esse in causa, vt illud denominetur ab ijs, quæ conueniunt intentioni ipsi, quatenus intentio est: idque probat ex Euangel. Ioan. cap. 1. vbi dicitur, *Quod factum est in ipso*, nempè in Verbo, *Vita erat*, vbi propter similitudinem rerum creatarum præexistentem in Verbo, ipsæ omnes dicuntur vita, cùm plures vita careant, quia similitudo ipsa vita est, vt clarius exponit S. Thomas, q. 4. de ver. art. 8. ad quem etiam modum alludit Magister in 1. d. 35. itaque cum propter sui similitudinem obiectum dicatur esse in anima, & intelligens in actu dicatur intellectum in actu, propter eandem etiam dicitur sub vna intentione distingui à se ipso sub alia, seu potius dicitur distingui secundum rationem: quæ doctrina, quatenus ea, quæ conueniunt rei secundum esse intelligibile, concedit posse verificari suo modo de re ipsa, sumpta est à Comment. lib. 7. Metaph. Com. 23. & lib. 12. Com. 51.

Ioan. 1. *S. Thom.* *Magister.* *Auerr.*

VI. Pro solutione primi argumenti notandum ex D. Thoma in 1. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 2. quamuis vtraque distinctio sufficiat ad affirmationem, & negationem de subiectis distinctis, tamen obseruandum esse genus distinctionis, etsi fuerit realis, posse distinctis affirmari prædicata contradictoria realia: si vero fuerit sola distinctio rationis, tunc enunciari contradictoria, quæ fundantur in eiusmodi distinctione, non autem quæuis contradictoria realia: qua ratione in sententia eorum, qui censent superiora, & inferiora non distingui ex natura rei, sed tantum ratione, verè dicitur, animal est genus, homo non est genus, quoniam ratio generis conuenit animali sub abstractione ab homine, secundum quam distinguitur ab ipso: non tamen verè dicitur homo est sensitiuus, animal non est sensitiuum, quia hoc est prædicatum reale conueniens vtrique, prout sunt idem re: Hoc posito neganda est consequentia primi argumenti, quoniam contradictoria non sunt sub diuersis terminis, sed debent in vtraque seruari ijdem prorsus: at hæc distinctio rationis, de qua agimus, vt ipsemet Gregorius admittit, mutat terminos, ita vt non sint synonymi, & ita hæ propositiones, *Substantia est genus, ens non est genus*, nequaquam sunt contradictoriæ, quia non constant eodem subiecto. Ad eam vero partem, qua probatur fore semper verā affirmationem, neganda est etiam consequentia. Ratio est, quoniam, licet res à parte rei sit omninò indiuisa, significari, & concipi poterit inadæquate, & cum distinctione secundum rationem, ex qua oritur inæqualitas, siue diuersitas aliqua secundū affirmationem

S. Thom. *Gregor.*

ac ne-

ac negationem: nam, si quis dicat, homo est rationalis, & animal est rationale, verè dixerit, & falso de vtroque negabitur idem prædicatum: at, si addat terminum reduplicantem dicendo, Homo secundũ quod ipse est rationalis, erit vera propositio, & eius contradictoria falsa, nempè, Homo secundum quod ipse non est rationalis, cùm tamen illa alia maneat falsa, addito termino reduplicante, nempè animal secundum quod ipsum est rationale: quia scilicet reduplicatio disiungit rationes formales, & determinat subiectum ad standum pro illis, quatenus distinguuntur. Ad alteram partem, qua ostenditur, si sit distinctio rationis, negationes fore veras, respondetur rectè concludi quoad ea prædicata, quæ sequuntur distinctionem rationis, aut in ea fundantur, nõ vero quoad alia, quæ nituntur identitate ex natura rei. Ad primã confirmationẽ respondeo, si nomẽ *ratio* sumatur pro cõceptu formali, rationes distingui ex natura rei: si vero pro obiectiuo sub ea præcisè intelligibilitate, qua terminat formalem, non distingui re, sed ratione, cùm vero infertur ex hoc nõ posse communicare distinctionẽ subiecto, concedendum est de reali, qua carent, negandũ de distinctione rationis, quã habent ante actũ quidem intellectus fundamentaliter, & in potentia, quatenus obiectum est aptum concipi inadæquatè sub vna tantum ratione, post illum vero actu, quatenus concipitur inadæquatè sub ratione vnius perfectionis cum præcisione aliarum. ex quo patet obiectum nõ habere sub vna ratione quidpiam ex natura rei distinctum ab eo, quod habet sub alijs. Ad secundam confirmationẽ respondeo, non esse absurdum verificari duos terminos contradictorios de eodem subiecto supposito sub diuersis rationibus, maximè reduplicantibus: nam punctum idem, quatenus est principium vnius lineæ, non est finis alterius, cuius tamen est finis, quatenus illam terminat; quo exemplo vtitur Capreolus in solutione huius argumenti, eodem vero modo res, quæ ratione distinguitur, absolutè sumpta habet hanc, vel illam rationem: quatenus tamẽ stat sub vna, non habet aliam.

Capreol.

VII. Ad secundum respondendum est, distinctionem rationis considerari in potentia, & in actu: & quatenus est in potentia, habere radicem in ipso obiecto, quod entitate sua continet eam perfectionem, vt possit intelligi pluribus conceptibus non synonymis: quatenus vero est actu, resultare ex operatione intellectus nõ adæquata obiecto cognoscibili, sed attingente illud sub vna ratione virtuali ipsius, non sub omnibus: ex eo enim, quod intellectus apprehendit, verbi gratia punctum sub sola ratione finis, punctum subit rationẽ quandam intellecti in actu, quæ est alia ab ea, qua apprehẽditur sub præcisa ratione principij: & ita ante actum intellectus duæ illæ rationes sunt in potentia in ipso puncto, posita vero notitia puncti, modo sub ratione finis, modo sub ratione principij illæ rationes sunt actu distinctæ nõ re, sed secundum rationem. hoc posito ad maiorem propositionem dicendum, distinctionem rationis sumi radicaliter, & originaliter ex rationibus obiectiuis virtute, ac potentia distinctis, formaliter vero, & actu ex operationibus mentis, & ex primo non sequitur distinctio ex natura rei actualis, vt patet: quod enim est solùm virtute distinctũ, non est actu distinctum. Ad rationem vero, qua probatur secundum esse falsum, admittenda est maior, & prior assumptionis pars: distinguenda vero posterior: nam, si intelligatur de mutatione intrinseca, & reali concedenda: neganda vero, si intelligatur de extrinseca, & intẽtionali: etenim obiecto diuersimodè concepto accidit mutatio extrinseca, & intentionalis secundum esse intellectum, quę sufficit ad variandum fundamentum distinctionis secundum rationem, quod non opus est, vt varietur realiter, sed intentionaliter: & in hoc sensu admittenda est responsio indicata in ipso argumento. Ad cuius impugnationem negandum est antecedens: etenim, licèt eadem omninò res sit in Socrate substantia, & ens, tamen quatenus significatur nomine entis, non terminat significationem, aut conceptionem mentalem respondentem huic nomini, *Substantia*. Ad probationem vero antecedentis respondetur, obiectum ex natura rei prorsus indiuisum non habere rationes obiectiuas re ipsa distinctas, ratione quarum diuersimodè terminet hos, & illos conceptus mentales non synonymos: habere tamen plures rationes virtute, ac potentia, quod sufficit, vt aliter, atque aliter cõcipi possit ab intellectu, & per eius operationem sortiri distinctionem rationis. Ad primam confirmationem respondetur cum Capreolo art. 2. ad quintũ Gregorij Hispalens. art. 4. & Soncin. eadem quæst. ad 3. Gregorij contra 2. conclusionem: & lib. 4. Metaphys. quæst. 3. in fine, etiam secundum operationes sensitiuas res esse multiplices in esse cognito, quia tamen sensus communiter apprehendunt res sicut sunt, nec abstrahunt vnam rationẽ ab alia, idcirco communiter nõ dicimus res distin-

Capreol. Hispalens. Soncinas.

gui

gui secundum diuersos modos cognitionis sensitiuæ. Ad secundam confirmationem Clypeus Thomist. quæst. 10. in Porphyr. art. 1. ad 2. contra secundam conclusionem concedit materiam, vt includit vnũ actum distingui à se realiter, vt includit alium: idẽ videtur concedere Heruæus quodlib. 3. q. 3. & Rubion. vbi supra, & fauet S. Thomas q. 2. de malo, art. 6. ad 12. dicens pomum esse vnum propter vnitatem subiecti, sed multiplex quale, propter diuersitatẽ coloris, & saporis: verum, si sumatur materia vt includit esse formarum, iam nõ est materia simpliciter, sed coniunctum ex materia, & singulis formis: si vero sumatur materia existens, tunc iuxta sentẽtiam D. Thomæ, tribuentis materiæ idẽ esse formæ, distinguitur realiter à se ipsa sub diuersis formis: at vero iuxta sententiam, tribuentem illi propriam existentiam coniunctio cum diuersis formis nõ infert distinctionem realem ipsius, quoniam non multiplicatur esse reale, cuius multiplicatio est causa distinctionis. At per actiones intentionales multiplicatur esse rationis obiecti, quod diuersimode concipitur, & resultat distinctio rationis. In hanc responsionem cadit illa, quam assignant Capreol. & Soncin. cit. ad 5. Gregorij dum aiunt, hanc esse causam discriminis inter actiones reales, & intentionales, quoniam per actiones reales non fit ipsum subiectũ, sed aliquid circa ipsum: & ideò non transit distinctio in ipsum respectu sui, quamuis cõueniat respectu aliorum: aër enim enim illuminatus distinguitur accidentaliter à tenebroso: at per operationẽ intellectus obiectum habet nouum esse intentionale, & quia secundum id potest esse diuersitas rationum, obiectũ quoque ipsum dicitur distingui secundum rationem: quia, vt ait Comment. lib. 7. Met. com. 23. quidditates sunt existentes in anima. dicitur enim sanitas de forma, quæ est in anima, & de habitu, qui est in corpore, & ambo sunt idem: quia igitur quidditas dicitur esse in anima per conceptionem, ac similitudinem sui, dicitur quoque ratione distingui, quoties conceptiones ipsæ non materialiter solum, sed formaliter distinguuntur. Ad tertiam confirmationem dicendum est cum Capreolo art. 2. in responsione ad argumenta contra secundam conclusionem, distinctionem rationis esse effectiue quodammodo à ratione, hoc est ab intellectu eandem rem diuersimode concipiente, à ratione vero prout significat conceptum formalem tanquã à distincti uo. Ad impugnationem prioris dicti respondeo, intellectum posse eandem rem inadæquate concipiendo sub vna ratione conceptam distinguere à semetipsa, quatenus concipitur sub alia præscindẽdo vnam ab alia: vt fit quando concipitur lapis nunc sub præcisa ratione entis, nunc sub ratione substantiæ: ex quibus conceptionibus resultat aliud, atque aliud esse intentionale lapidis. Ad impugnationem posterioris respondeo cum Capreolo vbi proximè, rationes eiusmodi esse principia distinctiua rei non secundum se, sic enim non distinguitur: sed secundum esse intellectum, quomodo rationes illæ pertinent ad ipsum intrinsecè, & quidditatiuè: argumentum vero solum probat, rationes eas non esse principia distinctiua intrinseca rei secundum se. *Capreol.*

VIII. Ad tertium respondetur, distinctionem rationis non appellari hoc modo ab extremis, siue obiectis, quæ denominat, sed à causa, hoc est, quia non est vera distinctio in re ipsa, sed per rationem resultans: & hæc ex æquo denominare potest entia realia, & rationes: quandoquidẽm, cùm vtraque apprehendi possint ab intellectu sub alia, atque alia præcisione, & diuersimode comparari, vtraque secundum esse intellectum subire possunt distinctionem rationis: similiter etiam distinctio realis non sumitur à subiectis: nam, vt constat ex dictis, entia realia denominantur distincta secundum rationem: sed sumitur à fundamento reali, & ratione fundandi inuenta in re absque operatione intellectus: & quoniam entibus rationis non potest competere fundamentum reale, idcirco neque distinctio realis, quanquam non improbabiliter dici queat cum recentioribus Metaphysicis, entia quoque rationis vendicare quandam distinctionem, quæ licet non sit realis ob rationem assignatam, tamen propriè loquendo non est distinctio rationis, hoc est ficta per intellectum, quandoquidem ex se ipsis absque alia noua comparatione intellectus distinguuntur: vt videre est in distinctione, qua relatio generis distinguitur à relatione speciei: nam ea distinctio materialis, de hac enim loquimur, consistit in negatione identitatis vnius extremi cum alio; quæ necessario competit absque noua comparatione intellectus: sed de his copiosius Logici, ac Metaphysici. Nobis ad præsens institutum sat est statuisse, res non solum realiter, sed etiam ratione distingui.

Quid sit distinctio rationis.

CAPVT II.

I. DIstinctio, vt constat ex tractatu superiore, formaliter sumpta, est relatio inter plura, quæ non sunt aliquo modo vnum: pluralitas enim est fundamentum distinctionis, siue diuersitatis, vt ait Philosophus lib. 5. Metaphys. t. 16. & ita si loquamur de distinctione rationis formaliter sumpta, est habitudo rationis inter extrema, quæ sunt idem prorsus in re, multa vero secundum rationem. Non enim repugnat, vt mens nostra vtatur vno, vt pluribus, vt docet Philosophus ibidem, vt cum vnus homo singularis dicitur idem sibi ipsi. Nam, cùm concipi non possit relatio nisi inter duos terminos, & identitas sit relatio, necesse est, vt cum mens nostra concipit Socratem, vt eundem sibi, ipso vtatur vt pluribus, vt ita stare possint termini comparationis secundum identitatem. Cùm vero dico, distinctionem rationis esse habitudinem inter extrema, quæ sunt multa secundum rationem, loquor formaliter, ita vt multitudo sit immediata ratio fundandi relationem distinctionis. In omnibus enim respectibus rationis requiritur multitudo extremorum ob rationem assignatam: sed in alijs multitudo se habet materialiter, & interuenit alia ratio fundandi proxima, vt videre est in relatione generis ad sua subijcibilia: opus quippe est, vt prædicabile, ac subijcibile concipiantur vt plura: non tamen sufficit, sed vlterius requiritur aptitudo præcisionis, de qua Logici. At distinctio rationis formaliter sumpta, nihil aliud requirit præter multitudinem secundum rationem: sicut enim distinctio ex natura rei fundatur in multitudine actuali à parte rei, ita relatio distinctionis secundum rationem, fundatur in multitudine secundum rationem: sed quoniam Theologus non curat de distinctione, quatenus relatio est, sed de eius fundamento, de hoc, illa relicta, deinceps dicam.

Aristot.

II. Quoniam vero, vt iam dixi, multitudo rationum est fundamentum distinctionis secundum rationem, oportet explicare quid sit ratio, secundum quam debet esse multiplex res, quæ ratione distinguitur. Clypeus Thomistarum q. 10. in Porphyr. art. 1. ad 1. contra 2. conclusionem ait rationem dupliciter accipi: primo pro actu intelligendi, & hoc modo non accipi, cùm res dicuntur distingui ratione, quia huiusmodi distinctio est realis, vtpote fundata in multitudine reali conceptuum: secundo pro ente rationis consequente rem, prout est obiectiuè in intellectu, quæ est relatio cogniti, & hoc modo sumi rationem, cùm res dicuntur distingui ratione. Verùm hæc acceptio nominis *ratio* est parum vsurpata: ratio enim vt infra dicam, est id, quod intellectus cõcipit de obiecto, vnde ortum habet celebre dictum Philosophi lib. 4. Metaph. t. 11. *ratio, quam nomen significat, est diffinitio.* prius autem est conceptio mentalis diuersa, cui respondet diuersa ratio obiectiua, quã sit relatio cogniti ad conceptum, siue intellectum cognoscentem. Itaque quamuis non sit negandum, quoties est diuersa habitudo obiecti cogniti ad rationes formales dari multiplicitatem rationum sufficientẽ ad distinctionem rationis, tamen ratio, cuius multitudo est proximum fundamentũ distinctionis secundum rationem, non est ipsa relatio cogniti ad cognoscens, sed aliquid illi præuium, seu potius ipsum esse intentionale, quatenus est aliquid ipsius obiecti, vt inferius exponam.

Clypeus. *Aristot.*

III. Vt autem pateat, quænam sit ratio, cuius multiplicitas requiritur ad distinctionem rationis, notandum cum Heruæo quodlibet. 3. quæst. 3. art. 1. post medium rationem accipi tripliciter, inprimis pro entitate reali formali cuiusque rei, sicut albedo est ratio albi, rationalitas ratio hominis: altero modo sumitur pro conceptu mentali, quem effingimus de obiecto cognito: & ratio sic accepta est subiectiuè in intellectu, ideoque appellatur à Syluestro in conflato quæst. 13. art. 6. initio, ratio formalis subiectiua: Tertio modo sumitur pro eo, quod ex parte obiecti respondet conceptui mentali, & est in mente obiectiuè, & vocatur à Syluestro citato, ratio formalis obiectiua. Ex his tribus acceptionibus prima est aliena à præsenti instituto: namque ita differunt etiam ea, quæ distinguuntur à parte rei: de secunda, ac tertia modo potest esse dubitatio.

Heruæus. *Syluest.*

IV. Heru. vbi proximè, & in 1. d. 2. quæst. 2. §. *Quantum ad primum*, Durand. quæst. 3. num. 9. Bellouisius de terminis Theologicis tract. 2. cap. 212. Torr. 1. p. quæst. 28. art. 2. dist. 2. dub. 4. censent rationem, secundum quam res dicuntur ratione distingui, non esse formalem, quæ est subiectiuè in mente, sed obiectiuam. probatur autem primo, quoniam distinctio actualis conceptuum, siue rationum formalium non sufficit, vt aliqua distinguantur ratione: nam eadẽ omnino res, & indistincta, etiam

Heruæus. Durand. Bellouisius. Torret.

secundum

secundum rationem potest obiici, diuersis conceptionibus formalibus siue in intellectu eiusdem hominis, alio atque alio tempore siue plurium eodē: quomodo sapientia potest simul terminare plures conceptus diuersorum: & tamen sapientia à se non distinguitur ratione. Ex quo sequitur distinctionem rationis non sumendam à rationibus formalibus, sed obiectiuis. Secundo si ex solis rationibus formalibus sumenda est distinctio rationis, secundum eam non erit diuersitas penes magis, ac minus: hoc est falsum: ergo & illud. Probatur maior propositio: distinctio conceptuum formalium secundum rem, in qua fundatur distinctio rationis obiectorum, æqua omnino esse potest in omnibus. non minus enim sunt plures conceptus re ipsa distincti, cum dico gladius est ensis, quam cùm dico, substantia est ens. falsitas consequentis ostenditur, nam maior distinctio est inter substantiā, & ens, quam inter gladium, & ensem, & tamen vtraque sola ratione distinguuntur. Tertio rationes formales intellectus distinguuntur re ipsa: ergo distinctio fundata in eorum multiplicitate erit realis. Denique si ex sola distinctione conceptuum formaliū pendet multitudo, quæ est fundamentum distinctionis secundum rationem, tota causa distinctionis ascribenda est modo intelligendi, non autem obiecto: Consequens est falsum: ergo & antecedens: falsitas consequentis patet, quoniam existente eadem diuersitate conceptuum formalium, quædam sola ratione distincta non possunt verè de se inuicem negari, nunquam enim verè dicitur, gladius nō est ensis: quædam vero possunt: nam verè dicitur rationalitas non est animalitas, item ratio inferior non est ratio superior.

V. Dico primum, ratio, cuius multiplicitas exigitur ad distinctionem rationis in commune sumptam, non necessariò debet esse obiectiua, sed sat est formalis inuicem comparata. Hæc est de mente Aristotelis, qui lib. 5. Metaphys. t. 16. ait, nos vti vno vt pluribus: hoc vero vsurpat ad explicandam rationem identitatis eiusdem ad se ipsum: itaque cum Socratem concipimus, vt eundem sibi, cùm vnitate in re est pluralitas secundum rationem, nec tamen adsunt plures rationes obiectiuæ, sed eadem omnino respondens pluribus formalibus. Præterea, cùm fit propositio identica, & eadem res subit vicem prædicati, & subiecti, interuenit distinctio rationis eiusdem à se, vt docet D. Thomas, & alij Doctores referendi cap. 4. num. 3. nec tamen distinctis rationibus formalibus respondent plures obiectiuæ, sed vna: nam si plures responderent, propositio non esset identica: ad hanc enim requiritur, vt idem omnino sit prædicatum, & subiectum, secundum rationem obiectiuam. Denique, vt constat ex cap. proximo, distinctio rationis conuenit rei secundum esse intellectum, sed absque distinctione rationum obiectiuarum potest res habere varietatem secundum rationes formales, sub quibus concipiatur sub habitudine ad se ipsam: atque adeò, cùm habitudo intelligi nequeat absque aliqua extremorum distinctione, & pluralitate, hoc ipso debet esse multiplex secundum rationem. Posterior pars assertionis adhibita est ad excludendam multitudinem rationum formalium non habentium ordinem, aut comparationem ad inuicem: ex eo enim, quod idem homo per interualla, vel diuersi simul habeant singuli singulos conceptus formales re ipsa distinctos, quibus respondeat eadem omnino ratio obiectiua, non sequitur pluralitas, aut distinctio secundum rationem: ad hanc enim opus est, vt eadem res sumatur vt plures: cum vero res ab vnoquoque seorsim simpliciter consideratur in se ipsa absque vlla comparatione, aut habitudine sui ad se, non sumitur vt plures: quod autem simul concurrant in diuersis intellectibus plures eiusdem rei conceptus, est per accidens: nam secundum esse intellectum, quod habet in singulis, nonnisi vnica est. Si vero adsit comparatio, iam necessario interuenit multiplicitas: siquidem intellectus vnus, & idem simul, & vnico quasi ictu fertur in rem tanquam in plures, & ita eam quasi diuidit à se ipsa: ita se habet, qui format animo enunciationem identicam, & qui concipit rem, vt eandem sibi.

VI. Ex his patet responsio ad argumenta prioris sententiæ. Ad primum respondetur, non sufficere ad distinctionem rationis quamuis multiplicitatem rationum formalium absque habitudine, vel ordine: qualis est illa, quæ in argumento adducitur. Ad secundum respondetur, negando primam consecutionem: nam quamuis distincti conceptus mentales re ipsa æque distinguantur, tamen inter quosdam maior est conuenientia secundum rationem intellectam, quam inter alios: Exempli causa conceptus Socratis à parte subiecti, secundum rationem intellectam magis conuenit cum conceptu altero eiusdem, vt se

habet à parte prædicati, quam conceptus entis cum conceptu substantiæ: & consequenter, quia distinctio rationis est secundum esse intellectum, quemadmodum rationes intellectæ magis, aut minus conueniunt, vel differunt, ita obiecta dici poterunt differre magis vel minus secundum rationem: sicut re vera magis differt substantia ab ente, quam Socrates à seipso, quatenus est prædicatū, & subiectum: quod fusius explicat Henricus in sum. art. 51. quæst. 2. Ad tertium respondeo, rationes formales aut considerari secundum esse reale physicum, quod habent in mente, aut secundum esse repræsentatum: priore modo distinguuntur realiter, nec secundum hanc considerationem sumitur ab eis distinctio rationis: posteriore modo consideratæ, sunt aliquo modo idem cum obiectis, vt ostendi cap. præcedenti num. 5. & quia esse repræsentatum, siue intellectum eiusdem obiecti indistincti, ex natura rei non afficit illud realiter, sed intentionaliter, nō confert ipsi distinctionem actualem ex natura rei, sed rationis. Ad vltimum dicendum est, ita requiri ad distinctionem rationis pluralitatem conceptuum formalium saltem possibilium, vt non negetur etiam conducere pluralitatem rationum obiectiuarum. & ita distinctio rationis non pendet præcisè ab operatione intellectus, & modo intelligendi nostro, sed etiam habet fundamentum in re, vt inferius exponam, & ideò non habet vim argumentum, quia supponit ex sola distinctione formalium conceptuum, absque vlla habitudine ad rationes obiectiuas pendere omnem distinctionem rationis.

Henric.

VII. Verùm adhuc supereſt dubium: Vtrum, licet multitudo rationum obiectiuarum per se non requiratur, sit tamen sufficiens absque actuali multitudine rationum formalium. Pro parte affirmatiua, quam tuetur Bachon. in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. §. 1. art. 4. facit, quoniam multitudo omnis infert aliquam distinctionem: ergo multitudo rationum obiectiuarum eam quoque inuehet: non realem, vt patet: ergo secundum rationem. quod autem id præstet absque multitudine rationum, siue conceptuum formalium, suadetur, quoniam multitudo rationum obiectiuarum est prior multitudine formalium non identicarum: ergo in eo priore poterunt communicare rei distinctionem secundum rationem. Patet consequentia, quoniam, si à rationibus formalibus non pendent, vt sint multæ obiectiuè etiam absque illis communicare poterunt subiecto multiplicatem, ac distinctionem secundum rationem. Antecedens vero suadetur, quoniam rationes mentales, sicut ab obiecto sortiuntur naturam, ac speciem, ita vnitatem, & multitudinem: ab eodem enim res habet, vt sit, & vt sit vna: quare prius est multitudo rationum obiectiuarum, secundum quas obiectum est intelligibile multipliciter ab intellectu, quam sit multiplex conceptio mentalis. Secundo aut multiplicitas conceptionum mentalium habet fundamentum in re, aut non: si non habet, non potest ab ea sumi distinctio afficiens, ac denominans rem, sed est falsa, & inanis conceptio: si habet, non potest esse aliud, quam multiplicitas rationū obiectiuarum, quæ præ supponuntur à formalibus, & denominant subiectum multiplex secundum esse intelligibile. Cùm vero esse intelligibile rei sit suapte natura prius, quam esse intellectum, prius quoque res dicetur multiplex secundum rationem à rationibus obiectiuis, quam à formalibus.

Bachon.

VIII. Dico secundum. Actiuitas obiectiua, vel motiua intellectus, ad formdasā distinctas rationes formales non est ratio, cuius multitudo est proximum fundamentum distinctionis rationis, sed remotum, ac radicale. Hæc est Doctorum asserentium, distinctionem rationis actualem non esse nisi ex consideratione actuali intellectus distinguentis, antea vero nonnisi in radice, & potentia. Ita Henric. in sum. art. 51. quæst. 1. quodlibet. 5. quæst. 1. ad argumentum, & quodlib. 13. quæst. 1. Toletan. in 1. d. 8. quæst. vn. art. 4. ad vlt. Capreol. quæst. 4. art. 2. ad 15. Aureoli contra secundam conclusionem. Hispalens. eadem quæst. art. 3. in fine. & art. 4. ad 15. Aureoli contra 2. conclusionem. Dionys. Cistercien. d. 22. quæst. vn. art. 2. conclusione 6. Caietan. de ente, & essentia q. 12. §. *Ad euidentiam.* Ferrarien. lib. 1. contra Gentes cap. 35. §. *Vnde si quæratur*, Iauell. lib. 12. Metaphys. quæst. 19. ante primam conclusionem ex 2. loco positis. Eiusdem sententiæ sunt alij, quos referam pro 3. assertione. Probatur autem prior pars primo, quoniam multiplicitas illa actiuitatum, aut est actualis, aut virtualis: si virtualis, non est proximum fundamentum distinctionis actualis, qualis est distinctio rationis, de qua agimus: si actualis, cum sit ante actum intellectus distinctio, in ea fundata erit distinctio ex natura rei actualis, non vero solius rationis: quare sola actiuitas obiectiua ad causandas diuersas ratio-

Henric. *Toletan.* *Capreol.* *Hispalens.* *Cistercien.* *Caietan.* *Ferrarien.* *Iauellus.*

nes

nes formales in mente non est proximum fundamentum distinctionis secundum rationem. Præterea distinctio sequitur esse: nam idem, ac diuersum sunt proprietates consequentes ipsum esse rei: sicut ergo distinctio ex natura rei supponit esse naturale, & eius multiplicitatem, ita distinctio rationis supponit esse rationis, & eius multiplicitatem: at vero actiuitas illa obiectiua est prior natura, quam esse rationis actuale, ergo non est fundamentum proximum distinctionis actualis secundum rationem. Posterior vero facilè ostenditur, quoniam multiplicitas omnis rationis ratiocinatæ radicatur in aptitudinali multiplicitate obiecti, vt diuersimode concipiatur, & comparetur: quæ si desit, non erit multiplicitas actualis: atque adeò neque distinctio rationis.

IX. Dico tertium. Ratio, cuius multiplicitas inducit actualem distinctionem rationis, est actualis conceptio mentis abstrahentis, aut comparantis rationes obiectiuas ex natura rei minime distinctas: Hæc est S. Thomæ opuscul. 9. q.1. Richard. in 1. d. 2. art. 1. quæst. 3. art. 2. & quæst. 4. Rubion. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusione 4. & art. 2. Toletan. quæst. vn. art. 2. in Corollar. 4. conclusionis. Capreol. quæst. 4. artic. 1. conclusione 2. & loco proximè citato, Soncinatis quæst. etiam 4. conclusione 5. lib. 4. Metaph. quæst. 29. §. *Respondeo*, & lib. 7. quæst. 36. & aliorum, quos retuli pro præcedenti assertione. Fundamentum tactum est superius in probatione secundæ assertionis: quoniam distinctio actualis fundatur in esse actuali: esse vero actuale est tantum duplex, nempè ex natura rei, & per operationem intellectus, quod dicitur esse intentionale: hoc vero non est aliud, quam ipsa notitia, qua obiectum existit secundum esse intellectum: ergo notitia ipsa vt terminata ad obiectum, est ratio cuius multitudo requiritur ad actualem distinctionem rationis. Secundo, posita multiplicitate notitiæ hoc ipso resultat distinctio rationis, ea non posita nondum intelligi potest: ergo ea est proximum fundamentum distinctionis. Patet consequentia: nam fundamentum proximum est id, quo posito ponitur relatio, & sublato tollitur: Antecedens vero ostenditur quo ad priorem partem: nam si idem obiectum quis multipliciter concipiat, & comparet, hoc ipso potest de illo sic intellecto enunciare contradictoria saltem sub reduplicatione: id vero fieri nequit, nisi adsit aliqua distinctio ex parte obiecti, de quo enunciantur: non realis, vt suppono, ergo rationis: quo ad posteriorem probatur: nam vbi nulla est multiplicitas actualis, nulla interuenit distinctio, ante multiplicitatem notitiæ actualis, non est multiplicitas actualis secundum esse intellectum, non secundum esse naturale, loquor enim de obiecto, ex natura rei indistincto: ergo ante multiplicem notitiam eiusdem obiecti non est distinctio rationis. Dixi vero hanc conceptionem esse intellectus abstrahentes propter obiecta, quę ob sui eminentiam habent plures rationes obiectiuas, quarum vna concipi potest sine alia, & tunc ad distinctionem rationis sat est concipere idem obiectum, modo sub vna ratione, modo sub alia. Dixi vel comparantis, quoniam quando ex parte obiecti non est ea fœcunditas intelligibilitatis, vt ipsum respondeat pluribus conceptibus non synonymis, sat est, si sub eodem conceptu synonymo ad se ipsum diuersimode comparetur: vt cum idem prædicatur de se ipso: nã quatenus subiectum distinguitur ratione, à seipso, quatenus prædicatum.

S. Thom. Richardus. Rubionius. Toletan. Capreol. Soncinas.

X. Sed vnum restat dubium vtrum scilicet ad huiusmodi distinctionem actualem requiratur pluralitas actualis conceptuum mentalium, an vero in vnico conceptu suapte natura indistincto attingente, clare ac distincte singulas rationes obiectiuas fundatas in vnico obiecto, nõ minus quam attingant plures conceptiones actu distinctæ, sit actualis distinctio secundum rationem. Ratio dubitandi est, quoniam ille vnicus conceptus potest esse non solum apprehensio, sed etiam iudicium, quo rationes illæ inuicem affirmentur, vel etiam negentur, saltem sub reduplicatione. omnis autẽ affirmatio, ac negatio supponit actualem multiplicitatẽ rationis inter extrema.

XI. Dico quartum. Actualis distinctio rationis necessario requirit multitudinem conceptuum formalium. Hæc est communis Doctorum asserentium, ad distinctionem rationis requiri, vt obiectum respondeat diuersis conceptibus. ita S. Thom. in 1. d. 2. quæst. vn. art. 3. ad 6. Cistercienſ. Ferrar. Soncin. vbi supra, & alij, quos referam cap. 9. num. 3. Fundamentum huius est quoniam omnis distinctio actualis supponit, multiplicitatem actualem eius esse, secundum quod est distinctio: omnis vero distinctio rationis est penes esse intentionale, siue intellectum: hoc autem non multiplicatur actu, nisi sint plures conceptus actu distincti ex natura rei: ergo si sit vnus tantum, non erit distinctio rationis actualis, & confirmatur, quoniam nisi

S. Thom. Cistercienſis. Ferrarienſ. Soncin.

distinctio radicalis prodeat in actum, non datur actualis: radicalis autem non aliter prodit in actum, quam si obiectum re ipsa indistinctum actu terminet plures conceptiones mentis, ac si re ipsa multiplex esset; denique obiectum re ipsa vnum, virtute multiplex, habet vnam intelligibilitatē obiectiuam adæquatā re ipsa vnam, virtute multiplicem: ergo, cùm ratio obiectiua secundum esse intelligibile, & ratio formalis secundum esse intellectum, si sint inuicem adæquatæ, sibi mutuo respondeant, sicut obiectiua est actu vna, & virtute multiplex, ita formalis secundum esse intellectum erit actu vna, & virtute multiplex. Ex quo sequitur, quoties vnico conceptu formali simplici attingitur clare, ac distincte, obiectum virtute multiplex, in eo conceptu non esse actualem multiplicitatem, aut distinctionem rationis; sed solum virtute, quatenus æquipollet pluribus conceptib⁹ actu distinctis, quorum singuli attingunt idem obiectum inadæquate sub diuersis rationibus. Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi: nam perfectio conceptus æquipollet pluribus quo ad modum attingendi obiectum distinctè sine imperfectione distinctionis actualis, quæ in illis est, quamuis autem sit formaliter iudicium, non proinde exigit actualem distinctionem, nisi sit per modum compositionis, ac diuisionis, quæ non datur in vnico simplici conceptu.

XII. Pro solutione argumentorum, quæ superius proposui, pro sententia Bachonij obseruo statum præsentis controuersiæ esse de distinctione rationis actualis: nam virtualis suapte natura est prior actuali, quamuis intelligi nequeat absque habitudine ad actualem, & multitudinem conceptuum formalium. Hoc posito respondeo ad primum argumentum, pro varietate multitudinis expendendam esse distinctionem: nam si multitudo fuerit actualis, distinctio quoque erit actualis, virtualis autem, si multitudo fuerit solum virtualis: at vero rationes obiectiuæ rei suapte natura indistinctæ sine respectu ad plures conceptus formales non actu, sed virtute solum sunt plures: & ideò si considerentur absque eiusmodi habitudine actuali non sunt satis ad distinctionem rationis actualem. Itaque concedenda est prima consequentia, si intelligatur de multitudine, ac distinctione virtuali: negando vero, si intelligatur de actuali: nam sicut rationes obiectiuæ ante actum intellectus sunt virtute plures, ita quoque sunt virtute distinctæ, & sicut nō sunt actu plures, ita neque actu distinctæ. Ad antecedens vero eius rationis, qua probatur rationes obiectiuas, quo ad rationem multitudinis, non pendere à formalibus, eadem distinctione occurrendum est dicendo, prius esse multitudinem virtualem rationum obiectiuarum, quam actualem formalium, actualem vero nequaquam. vt vero rationes obiectiuæ secundum se non sufficiant ad distinctionem actualem: sat est, vt nequeant esse plures actu sine multiplicitate actuali rationum formalium. Argumentum vero, quo suadetur antecedens, solum probat in obiecto esse multitudinem virtualem ante actualem conceptuum. Idipsum, & nihil amplius probat secundum argumentum: nam cum intellectus componat diuisa, & diuidat composita: non requiritur à parte rei multiplicitas actualis, sed sat est virtualis: secundum quam obiectum est aptum aliter, atque aliter mouere intellectum, aut conceptionem eius terminare.

XIII. Ex dictis elici potest descriptio rationis, secundum quam res multiplex esse debet, vt dicatur ratione distingui, in hunc modum: *Ratio est esse intellectum obiecti actu, vel virtute præcisum à quouis alio esse intelligibili*: dixi *esse intellectum*, quoniam conceptio mentalis, quæ verè est ratio rei obiectæ, est esse intellectum obiecti: Addidi *actu, vel virtute*, vt comprehendam tam rationes formales, quam obiectiuas. per has enim obiectum est virtute intellectum, per illas actu: subdidi *præcisum à quouis alio esse intelligibili*, quandoquidem non habet nomen rationis id, quod non potest per se solum terminare vllum conceptum. Multitudo vero, quæ est fundamentum distinctionis secundum rationem, est multiplicitas rei secundum esse intellectum, modo explicato, seu potius multiplex esse intellectum rei. Nam quemadmodum multiplicitas secundum esse actuale, quod res habet in se, constituit circa illam distinctionem à parte rei, ita quoque multiplicitas secundum esse intellectum, quod res habet obiectiuè in intellectu, constituit circa eandem distinctionem rationis. Ex quo tandem elicitur descriptio distinctionis secundum rationem per suum fundamentum, quæ sic habet: distinctio rationis est multiplicitas secundum esse intellectum rei in se actu indistinctæ.

(·.·)

Adæqua-

Adæquate diuiditur distinctio in realem, & rationis.

Caput III.

I. Antequam vlterius progrediar in explicanda natura, & diuisione distinctionis secundùm rationem, oportet, vt dicam, sit ne aliqua distinctio actualis, quæ non sit ex natura rei, per rationem. Porrò ad tollendam ambiguitatem, notandum est, cum diuersa ratio conueniat omnibus, quæ quocunque modo distinguuntur, omnia quoque distingui ratione: siquidem si ex natura rei distinguuntur, consequenter etiam apprehenduntur ab intellectu sub diuersis rationibus. Verum hæc distinctio secundùm rationem, non est membrum contra diuisum à distinctione ex natura rei, sed est quasi genus ad omnes modos distinctionis. Et hoc modo accipiunt distinctionem rationis. Alphonsus de Toleto in 1. distinct. 8. quæst. vnica, art. 2. in Corollar. quartæ conclusionis. Capreol. quæst. 4. art. 2. ad 6. contra primam conclusionem: & ad 6. Gregorij contra 2. Sylvestr. in conflato quæst. 3. artic. 3. §. 1. Soncin. 4. Metaphys. quæst. 29. conclusione 1. Alexand. Achillin. tractat. de distinctionibus cap. 19. & alij. presiùs adhuc distingui cogitatione, siue ratione dicuntur à diuo Basilio libro 1. contra Eunomium inter principium, & medium, ea, quæ aliquo modo tanquam vnum, & simplex sese menti offerunt, & nihilominùs cogitatione mentis in plures rationes secantur: sic enim ait, *Consideremus ergo, quod in communi quidem vsu quacunque repentina comprehensione simplicia videntur, ac vnica: varia vero, ac multiplicia, si subtilius exquirantur: hæc cum mente diuidantur, re ipsa vnita, idest, opinione sola diuisa dicuntur*. deinde verò subdit exemplum corporis, quod vnum quid apparet, & nihilominus in colorem, figuram, duritiem, magnitudinemque ratione dissoluitur, ac multiplex ostenditur: color verò, figura, & cætera suapte natura distinguuntur: deinde verò subdit exemplum tritici, quod nunc fructum, nunc semen, nunc cibum appellamus: quæ tria in ipso non reipsa, sed sola ratione distinguuntur. sed enim vsurpatio latiùs patet ea, qua sumitur distinctio rationis, prout opponitur distinctioni ex natura rei, itaque maximè proprie dicitur distinctio rationis ea, quæ excludit ab extremis distinctionem ex natura rei, & solum existit per operationem intellectus: quo pacto distinctionem rationis accipit sanctus Thomas in 1. distinct. vigesim. secund. quæst. 1. vn. artic. 3. ad quartum, & alij, qui negant distingui ratione ea, quæ distinguuntur à parte rei. De hac acceptione sermo est in præsentiarum, quia distinctio ex natura rei, & distinctio rationis primò modò sumpta, non sunt membra contra diuisa. *S. Thom.*

II. Henric. in sum. articul. 27. quæst. 1. lit. M. item quodlibet. 5. quæst. 6. & 12. triplex in vniuersum statuit distinctionis genus, nempè distinctionem secundùm rem, secundùm intentionem, secundùm solam rationem: re differre censet ea, quæ important diuersas naturas, & essentias, supra quas fundantur diuersæ rationes, ac intentiones. Vt autem explicet quid sit intentio, monet non accipi ad eum modum, quo à Logicis dicuntur primæ, & secundæ intentiones, sed esse aliquid pertinens ad simplicitatem essentiæ, natũ præcisè concipi absq; aliquo alio ad eandem similiter pertinente, à quo non differt re absoluta: ex quo dicitur intentio, quasi intus tentio, eo quod mens conceptu suo in aliquid, quod est in re aliqua, determinate tendit, & non in aliquid aliud, quod est aliquid eiusdem rei: vt sic per intellectum formentur diuersi conceptus de eodem obiecto secundùm rem, tanquam de diuersis penes conceptum mentis, re autem eisdem: & iuxta hanc doctrinam ait illa differre intentione, quæcunque de se formant diuersos conceptus, quorum neuter, vel saltem vnus non includit alterum. Hæc verò censet esse solummodo ea, quę in diuersis sunt diuersa re, & si in eodem sint ipsum re, vt se habent differentiæ subordinatæ inter se. Nam vegetabile quamuis in bruto sit idem re cum sensitiuo, in planta tamen distinguitur realiter ab illo: & sensitiuum, quamuis in homine sit idem cum rationali, tamen in equo habet distinctionem realem à rationali hominis: itaque illa differunt intentione, quæ sunt idem ex natura rei, ac terminant distinctos conceptus, se mutuo, vel saltem altera ex parte excludentes: mutuo se excludunt differentiæ subordinatæ, vt sensitiuum, ac vegetabile, neutrum enim includit alterum formaliter: altera ex parte, vt Homo, & animal: nam, licet conceptus Hominis includat conceptum animalis, nihilominùs à cõceptu præciso animalis excluditur *Henricus.*

ratio Hominis. Ratio verò apud ipsum non est ipsa mentis operatio, quo sensu argumentum dicitur ratio rei dubiæ faciens fidem, sed est modus aliquis circa rem, sub quo nata est concipi determinate absque eo, quod concipiatur sub alio, sub quo similiter nata est concipi: & hoc sine omni differentia eius secundùm rem, vel intentionem: ex quo infert, ea differre ratione sola, quæcunque eadem re sunt, & formant eundem conceptum, sed modo diuerso. Qua in re locutus est Henri. ambigue, nam cum quodlibet. 5. quæstio. 6. appellet modum circa rem conceptam, non constat, vtrum intellexerit modum ipsius rei præcedentem modum concipiendi, an verò hunc ipsum appellauerit modũ circa rem, quia intellectus rem hoc, vel illo modo concipit. Et quidem, vt rectè procedat, debet intelligere solum modum concipiendi, vt alibi videtur indicare. nam si circa rem ipsam est diuersus modus, non est sola distinctio rationis, sed ex natura rei. Item dubium est vtrum distinctio secundùm intentionem, sit etiam ex natura rei, an verò partim ex natura rei, partim per intellectum. Hoc secundùm videtur indicare, cùm ait, quæ intentione distinguuntur, non sola ratione distingui. nam si non distinguuntur sola ratione, distinguuntur tum ratione, tum aliquando alio modo, scilicet ante rationem, & ex natura rei: nam ex eo negat substantiam, & relationem distingui intentione, quia cadunt circa idem absque compositione, ac diuersitate rei, sine qua non potest esse diuersitas intentionum: si sine diuersitate esse nequit diuersitas intentionum, profecto hæc inuoluit aliquam diuersitatem rei, ac proinde distinctio secundùm intentionem, partim est per intellectum, partim in re ipsa.

III. Verum consideratis omnibus, quæ Henric. ait locis citatis, mens eius est, distinctionem secundùm intentionem non esse actu ante operationem intellectus, sed solum virtute, ac fundamentaliter, quia in ipsa re propter eius simplicitatem, ac perfectionem est radicale fundamentum, cur intellectus diuersis conceptibus præcisis, vel in totum, vel secundùm partem, eandem rem apprehendat. Et ita cùm ait, quæ intentione distinguuntur, non sola ratione distingui, non intendit inducere distinctionem ex natura rei actualem, sed solum fundamentalem: cùm verò ait, sine diuersitate rei non posse dari diuersitatem intentionum, non loquitur de diuersitate rei eiusdem, quæ intẽtione distinguitur, alioquin contradiceret sibi citato loco summę, asserenti diuersitatem intentionum requiri in re, quæ propter simplicitatem est eadem sibi ex natura rei: solum itaque vult non posse reperiri diuersitatem intentionum, sine diuersitate rei in diuersis subiectis, quo pacto animal, & rationale distinguuntur intentione: quia licet in Homine non patiantur discrimen reale, id tamẽ admittunt in Homine, ac bruto: animal enim in bruto distinguitur à rationali Hominis: quæ verò nunquam saltem in diuersis subiectis possunt distingui ex natura rei, non intentione, sed sola ratione distinguuntur.

IV. Hæc est sententia Henrici, quam aliqui recentiores non rectè intelligentes, aiunt ipsum statuere duos modos, quo aliqua distinguuntur ratione: vnum cum distinguuntur intentione, ita vt vnum non includat alterum, vt se habent genus, ac differentia, quorum vtrumque est extra rationem, & conceptum alterius: alterum quando conceptus vnius includit conceptum alterius, sed addit aliquid peculiare, vt se habent species, ac genus, & hæc ait sola ratione distingui. Verùm Henric. non statuit hæc duo membra tanquam distinctionis secundùm rationẽ, sed secundùm intentionem, quam contra diuidit à distinctione secundùm rationem: neque ea, quorum vnum includit alterum in suo conceptu, non tamen ab eo vicissim includitur, ait distingui sola ratione, sed intentione, sola vero ratione ea, quæ nunquam possunt esse seiuncta, & ex natura rei distincta. Ea tamen, vt à me explicata, & asseritur ab Henric. & habet aliquod fundamentum in modo loquendi Auerr. & aliorum Antiquorum, qui intẽtionem in hac significatione interdũ vsurpant: si etiam per distinctionem per solam rationem intelligat eam, quæ non habet fundamentum in re, sed solum pendet ex modo concipiendi, defendi potest, quoniam, quæ ratione distinguuntur, alia id habent ex sola operatione intellectus, alia etiam ex fœcunditate intelligibilitatis obiectiuæ, & fundamentali distinctione. Verùm, cum hæc etiam distinctio, quatenus actualis est, nõ nisi per rationem, sit, non est cur eam contraponamus actuali distinctioni rationis per solam rationem: quoniam actualitas cuiusuis distinctionis rationis entitatiuè pendet solum ex operatione intellectus, quamuis in obiecto præcedat eius fundamentum.

Quare

Quare, vt infrà dicam, aptiùs secatur diuisio in communi in eam, quæ est à parte rei, & eam, quæ per solam operationem intellectus, & hæc rursus in eam, quæ habet fundamentum in re, quam Henricus appellat secundùm intentionem: & eam, quæ pendet ex solo modo concipiendi.

V. Contra eam tamen diuisionem est hæc obiectio formæ analogicæ, siue etiam vniuocæ, in sua communi abstractione comparatę habent aliquam distinctionem, non realem, neque item solius rationis: ergo cadit medium inter distinctionem realem ac rationis. Maior propositio est euidens: nam omne ens comparatum alteri vel est idem, vel diuersum: rationes prędictę possunt mutuo comparari, vt patet. quidquid enim intelligibile est, potest cõparari sub terminis immediatis, quales sunt idem, ac diuersum: & ita sapientia, & iustitia in communi, animalitas, ac rationalitas, & similes alię formæ in sua abstractione comparatæ, vel sunt omnino idem, vel habent aliquem modum diuersitatis: non sunt autem omninò idem, quia tunc essent synonyma, quod est apertè falsum: ergo habent aliquam distinctionem. Assumptio verò ostenditur, quoniam distinctio, aut identitas superiorum, transit ad inferiora sicut vnitas, aut multitudo: nam si superius est vnum analogice, genere, aut specie, etiam inferiora talia sunt: si verò differt ab alio analogice, genere, aut specie, etiam inferiora eodem modo differunt: at inferiora sapientiæ, ac iustitiæ non necessario differunt realiter, in Deo quippè identificantur: nec item necessariò differunt sola ratione. nam sapientia, & iustitia creata differunt ex natura rei: quare nulla ex his conuenit illis formis in commune sumptis: sed alia, quæ maneat in omnibus inferioribus.

VI. Pro solutione obseruandum, dupliciter intelligi posse, duo aliqua distingui sola ratione, in primis ita, vt distinctio ea non solum non sit actualis ex natura rei, sed etiam excludat aptitudinem ad illam ratione alicuius status eiusdem rei: vt se habent species, ac differentia ipsius constitutiua, in sententia negantium inter eas distinctionem actualem. repugnat enim in aliquo statu distingui ex natura rei, deinde etiam quædam dicuntur sola ratione distingui, quia habent actu distinctionem per intellectum, actualem verò natura rei nec includunt, nec excludunt: qua ratione se habent omnia superiora, quæ varietate inferiorum, cum quibus identificantur, modo distinguuntur ab alijs sola ratione, modo etiam realiter, vt videre est in natura animalis comparata cum differentijs contrahentibus. nam in Homine non distinguitur realiter à rationali, à quo tamen distinguitur in bruto.

Dico primùm, inter distinctionem ex natura rei, & distinctionem rationis posteriori modo sumptam, non datur vlla distinctio actualis media. Patet ex communi sententia Doctorum, vsurpantium hanc diuisionem vt adæquatam: iuxta sensum huius assertionis sunt intelligendi Doctores, qui prædicata analogica communia Deo, & creaturis, aiunt distingui ratione: ita verò censet Albert. in 1. distinct. 8. articul. 3. Bonauent. arti. 1. quæst. 1. ad vltimum. S. Thomas distinct. 2. quæst. vn. artic. 2. & opusc. 9. quæst. 1. & alij communiter. Ratione verò ostenditur, quoniam omnis distinctio est secundùm aliquod esse rei, quæ distinguitur: omne verò esse actuale, aut est à parte rei ante actum intellectus, aut cognitum in mente: ergò omnis distinctio, aut est realis, aut rationis: Patet consequentia, nam si nec secundùm esse obiectiuum rei in se, nec secundùm esse intellectum in mente est vlla pluralitas, non est vllum fundamentum distinctionis. Secundò, omnis diuisio per oppositas differentias, habentes annexam contradictionem, est immediata: diuisio verò distinctionis in actualem ex natura rei, & per solam rationem ita se habet: ergo non habet medium, & consequenter non est alia distinctio præter eas duas. Maior est euidẽs, quoniam sicut autore Philosopho, inter oppositas contradictorie non cadit medium, ita etiam non cadit inter ea, quæ habent contradictionẽ necessariò annexam, vt inter corporeum, & incorporeum, rationale, & irrationale. Assumptio verò facilè constat, quoniam distinctio per solam rationem inuoluit negationem distinctionis secundùm rem: idem enim est sola ratione distingui, ac distingui ope solius intellectus, & non ex natura rei. Cùm ergo repugnet aliquid distingui sola ratione, & non sola ratione, ita repugnat distingui, nec re, nec ratione sola.

Albertus. Bonauent. S. Thom.

VII.

VIII. Dico secundum, inter distinctionem solius rationis priore modo sumptam, ac distinctionem ex natura rei, datur media distinctio. Hæc patet ex dictis, nam prædicata analogica in commune sumpta ita distinguuntur ratione, vt non excludant aptitudinem ad distinctionem ex natura rei actualem, vt videre est in ratione sa-

ne sapientiæ, iustitiæ, & similium communium Deo, & creaturis, nam præcisè considerata dicunt rationes saltem per intellectum distinctas, non tamen includunt, aut non excludunt aptitudinalem, imò & actualem distinctionem ex natura rei. nam ratione inferiorum modo habent, modo non: sapientia enim, & iustitia creatæ re ipsa distinguuntur, increatæ verò sola ratione. At inquies, eadem argumenta, quibus assertio prior ostenditur, hanc impugnant: nam etiam distinctio rationis priore modo sumpta, fundatur in aliquo esse, & diuiditur ab actuali ex natura rei per differentias habentes annexam contradictoriam oppositionem. Nequaquam tamen hæc argumenta similem in hac materia vim habent: nam ad distinctionẽ solius rationis priore modo sumptum non sat est, vt fundetur in esse rationis actuali, sed præterea requiritur vt excludat multiplicitatem actualem ex natura rei, & ideo quia fieri potest, vt res pro aliquo statu, & consideratione habeat solum esse intellectum, & nihilominùs secundùm se sit capax multiplicitatis actualis ex natura rei, ex eo, quod esse adæquate diuidatur in reale, & intentionale, non rectè colligitur, non dari medium inter distinctionem solius rationis priore modo sumptam, & distinctionem ex natura rei; quoniam rationes aliquæ obiectiuæ ita sunt capaces multiplicitatis, ac distinctionis secundùm esse intentionale, vt admittant etiam multiplicitatem secundùm esse reale: eodemque modo eluditur vis secundi fundamenti, quando quidem distinctio solius rationis priore modo accepta, non habet oppositionem contradictoriam cum distinctione actuali ex natura rei, fundamentaliter in ordine ad subiecta denominata, quamuis habeat formaliter: quoniam ipsa non est distinctio ex natura rei, potest tamen inter vtramque dari medium, nempè distinctio rationis posteriori modo accepta.

IX. Dico tertium: hæc distinctio rationis cum in differentia ad realem solis naturis communibus conuenit, non singularibus. Patet ex dictis, & facilè ostenditur, quoniam indeterminatio ad distinctionem realem, vel rationis, supponit indeterminationem ad multiplicitatem secundùm esse reale: vel rationis: in nulla verò re singulari est eiusmodi indifferentia, sed solum in naturis communibus: ergò his solis competit hæc distinctio media. Maior est euidens, quoniam subiectum, quod non est indeterminatum ad fundamentum proximum relationis, non est indeterminatum ad relationem. Assumptio quoque patet, nam res singularis ex se ipsa habet determinationem, & vnitatem vltimo determinatam, nec amplius determinabilem ad aliquod esse: quare est incapax indifferentiæ ad multiplicitatem secundùm aliud esse ab eo, quod habet: & ideo si duæ singulares perfectiones distinguuntur reipsa, impossibile est, vt distinguantur per solum intellectum: è contra verò, si solam distinctionem per intellectum sortiuntur, repugnat vt realem admittant: rationes verò communes propter suam indeterminationem, & communitatem pro varietate eorum, ad quæ vltimo determinantur, sunt vtriusque capaces, vt constat ex propositis exemplis.

Ex dictis facilè soluitur ratio dubitandi proposita. concedenda quippè est maior propositio, & distinguenda assumptio: quoniam rationes communes analogicæ habent quidem distinctionem aliquam actualem, non realem, non item rationis priore, sed posteriore modo sumptam. Ex quo non colligitur, absolute dari medium inter distinctionem rationis, & ex natura rei, quandoquidem ipsa distinctio rationis posteriore modo accepta, distinctio rationis est: rectè tamen infertur, dari mediũ inter distinctionem ex natura rei, & rationis priore modo sumptam: vt patet ex dictis. Ad confirmationem assumptionis respondeo, naturis communibus quædam conuenire etiam necessariò in aliquo statu, vel consideratione, quæ non conueniunt inferioribus, vt indifferentia ad oppositas differentias, quas genus nec includit, nec excludit, & tamen species necessario vendicant determinate aliquam ipsarum: & hoc modo distinctio illa secundùm rationes formales non excludens, aut includens distinctionẽ ex natura rei, aut rationis, presse sumptam, conuenit naturis communibus, quatenus præscindunt ab inferioribus: ideoq; mirũ non est, si his non conueniat. Verùm enimuerò cum illa distinctio duo habeat, scilicet diuersitatem rationum formalium, & indifferentiam ad distinctionẽ ex natura rei, & eius priuationem, quoad primum semper manet in inferioribus: nam quoties natura superior distinguitur secundùm rationes formales, X.

secundùm eas etiam distinguuntur inferiora: quo ad secundum verò nequaquam, singularia enim sunt quo ad id determinata.

XI. Ex alio capite est dubium circa eandem materiam: nam distinctio virtualis, quam multi Autores admittunt, nec est distinctio ex natura rei, nec secundùm rationem. non secundùm rationem, quoniam cum est actu per operationem intellectus, iam est actualis, non virtualis: non ex natura rei, quoniam hæc fundatur in multiplicitate actuali, quam in obiecto à parte rei indistincto, negant etiam ipsimet Autores distinctionis virtualis. Vt hoc dubium explicetur, obseruandum est, Doctores ante distinctionem actualem perfectionum diuinarum agnoscere quandam, quam aliqui vocant virtualem, vt Henric. quodlib. 13. quæst. 1. Durandus in 1. distin. 2. quæst. 3. numero decimoquinto, & alij referendi capit. octauo: alij fundamentalem, vt Henric. in summ. articul. 51. quæst. 3. ad primum. Durand. loco citato. AEgid. in 1. distinct. 2. prima parte distinctionis, quæst. 3. articul. 1. Capreol. distinct. 8. quæst. 4. articul. 2. ad decimumquintum, contra primam conclusionem. Caietan. de ente, & essentia, quæst. 12. Ferrar. lib. 1. contra Gentes, cap. 35. §. *Vnde si quæratur.* Torr. 1. p. quæst. 28. articul. 2. dist. secunda, part. prima, versus finem: & Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium artic. 1. ad tertium, contra secundam conclusionem. Alij potentialem, vel aptitudinalem, vt Henric. in sum. articul. 51. quæst. prima, litera F. quæst. 3. in corpore, & quodlib. 5. quæst. prima, litera R. Capreol. Clypeus, & Torres vbi proxime. Alij radicalem, vt Henric. in sum. q. 1. citat. & Capreol. vbi suprà. Alij tandem originalem, vt Henric. in sum. art. 51. quæst. 2. litera S. & quæst. 3. in corpore, & Sylueſt. in conflat. quæst. 13. art. 7. §. 2. & 8. in fine. Obseruandum, deinde est ex Toletan. in 1. distinct. 8. q. vn. articul. 2. conclusione 4. & Clyplei vbi suprà, distinctionem virtualem ad duo habere ordinem: nempè ad res alias actu plures, quæ virtute, & eminenter continentur in vna actu indiuisa, & virtute distincta, & ad intellectum, cuius operatione distinguuntur actu, & ratione prioris comparationis dicuntur virtute distingui, quia scilicet ratione suæ entitatis, & perfectionis adæquatæ æquipollent pluribus re ipsa, & actu distinctis: ratione verò huius æquipollentiæ habent quandam cognoscibilitatem obiectiuam, qua possunt determinare intellectum, vt de ipsis formet plures conceptus non synonymos, quorum singulis non minus perfectionis respondebit ex parte obiecti, quam respondeat alijs re ipsa distinctis: exempli causa vis cognoscendi, quæ per plures sensus est actu diuisa, vnice continetur in intellectu, ita vt hic vnica sua entitate æquipolleat omnibus, ac singulis sensibus: ratione cuius continentiæ virtualis mens nostra potest de eodem intellectu formare plures conceptus non fictos, & inanes, sed habentes fundamentum in re, quibus illum modo apprehendat, vt cognoscitiuum colorum, modo sonorum, & sic de cæteris: & ita concipitur à Patribus, ac Doctoribus, quãdo per metaphoram appellant visum, & auditum spiritualem, non quod vis ipsa sensitiua in sit intellectui, sed quia is vnica sua virtute his, & alijs sensibus æquipollet.

Henricus. Durand.

Henricus. AEgid.

Capreol.

Caietan. Ferrarien.

Torres. Clypeus.

Henricus.

Capreol. Clypeus. Torres. Henricus. Capreol. Henricus. Sylueſt.

Toletan. Clypeus.

XII. Ex dictis perspicua manet explicatio propositi dubij. etenim quando Autores distinctionem adæquate secant in realem, ac rationis, loquuntur de actuali: nam, quæ solum potentia talia sunt, non contra diuiduntur ab ijs, quæ sunt actu, sed in eadem cum ipsis specie continentur. idem enim est Homo consideratus secundùm potentiam, & secundùm actum. Qua de causa non opus fuit distinctionis virtualis meminisse, quasi partis subiectiuæ distinctæ à reali, & rationis: quandoquidem pertinet ad distinctionem rationis: & ideo ab Autoribus indifferenter appellatur modo distinctio rationis, modo virtualis. nam quando actu per intellectum distinguuntur ratione illa, quæ sunt à parte rei indistincta, & distincta virtute, non aduenit distinctio alia ab ea, quæ erat potentia in obiecto: sed ea ipsa reducitur ad actum: ex quo fit, vt obiectum indistinctum actu secundùm esse reale, distinguatur actu secundùm esse intellectum: & ita patet solutio ad rationem dubitandi. quamuis enim, cum res distinguuntur per intellectum, sit distinctio actualis secundùm rationem, hæc non est alia secundùm speciem à distinctione virtuali, sed solum est actu ipsamet, quæ erat potentia. Est etiam alius dicendi modus nimirum, si distinctio in communi diuidatur, primum in actualem, & virtualem: deinde actualis in realem, & rationis, vel in distinctionem ex natura rei, & secundùm rationem, & rursus distinctio ex natura rei in actualem, & virtualem.

Nam

Nam hæc quatenus virtualis est, conuenit ante operationem intellectus. nam cùm fundetur in entitate, & perfectione rei,& intelligibilitate obiectiua ipsius, quæ duo præcedunt actualem operationem intellectus, verè ante illam conuenit ex natura rei ante actum mentis, vt plerique Autores admittunt.

Diuiditur distinctio rationis in distinctionem rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis.

CAPVT IV.

I. DIstinctio rationis, quam superiore capite contraposui distinctioni ex natura rei, non vno modo dicitur, sed in plures adhuc secatur. Maximè celebris diuisio apud Autores est illa, qua distinctio rationis partitur in distinctionem rationis ratiocinantis,ac ratiocinatæ. Quamuis autem nónulli apud Carthusianum in 1. d.2. q.2.post sententiam Alberti hanc diuisionem ita explicent, vt secundùm eius membrum intelligant de distinctione ex natura rei, secundùm aliquas rationes formales non distinctas realiter, quæ à Scoto,& sequacibus appellatur distinctio formalis, nihilominùs hæc acceptio pertinet ad distinctionem ex natura rei, & ideo eius significatum,non potest cõstitui membrum distinctionis rationis contra diuisæ ab actuali ex natura rei, hoc enim membrum diuidens debet pertinere ad distinctionem rationis consurgentem ex operatione intellectus. Et in hoc sensu traditur hæc diuisio à Carthusiano vbi suprà, Toleta.in d. 1. d. 8.q.vn.art.4.ad primum contra solutionem primi argumenti Ochami, cõtra Corollarium quartæ cõclusionis, Clyp. Thomistar.qu.10.in Porphyrium, art.1.ad 3. contra secundam Conclusionem. Chrysostom.Iauell.12.Metaph.q.19. Molina 1.p. q.28.art.2.d. 3.conclusione 1.Fonsec.lib.5. Metaph.cap.6.q.6.f.3.& alijs recentioribus: & apertè desumitur ex Sancto Thoma in 1.d.2.q.vn.ar. 2.in corpore,& opusc.72. in respons.ad 4. quæstionem, distinctio rationis ratiocinantis oritur præcisè ex nostro modo concipiendi, absque alio fundamento in re ipsa, distinctio vero rationis ratiocinatæ habet etiam fundamentum in re, quod autem illud sit, inferiùs explicabitur.

Carthus. *Carthusian.* *Toletan.* *Clypæus.* *Iauellus.* *Molin.* *Fonseca.* *S. Thom.*

II. Verum contra hanc diuisionem obijciunt aliqui recentiores,primum quidem, quoniam distinctio rationis ratiocinantis non est distinctio obiecti, sed nominis: v. g. cùm dicimus,Petrus est Petrus,& ipsum comparamus in ratione prædicati, & subiecti,distinctio nó attingit ipsum Petrum, sed nomen, non quia sit diuersum à parte prædicati,& subiecti, sed quia idem bis repetitur,ex quo prouenit, vt Petrus bis cõcipiatur,quod non est distingui,sed in cognitione nostra, ac voce iterari. Deinde contra discrimen vtriusque distinctionis obijciunt, quoniam omnis distinctio rationis habet fundamentũ in re.Id verò probãt,quoniã obiecta ratione distincta, prę-cisa ab omni respectu ad alia ex natura rei distincta,non habent in se ipsis fundamentum vllum distinctionis,sed solum in alijs, ex quorum similitudine concipiuntur vt distincta: sic autem respectus tam requiritur in distinctione,quæ dicitur rationis ratiocinantis, quam in ea, quæ dicitur rationis ratiocinatæ: nam relationem generis, ac differentiæ non distingueremus per intellectum,nisi videremus plura inter se ex parte conuenire, ex parte differre, item cum idem prædicatur de se ipso,distinctio eiusmodi existit per ordinem ad diuersa realiter: contra verò, nunquam ex parte ipsius obiecti est causa distinctionis secundùm rationem: nam illud ex natura rei est vnum, atque indistinctum: atque adeo quando cognoscitur, sicuti est vnico tantum conceptu attingitur,& solum terminat plures conceptus, quando intellectus ob suam infirmitatem non potest vnico actu illud perfectè apprehendere: Huius sententiæ videtur esse Heruæus quodlib.3. q.3. art.2.3.& 4. & Durand. in 1.d.2.qu.3. num.15.20. &23. quatenus dicunt omnem distinctionem rationis habere fundamentum pluralitatis obiectionum. Palatius verò in 1.d.2.disputat.2. idem opinatur ex alio fundamẽto, nimirum quoniam obiectum cognitum duobus conceptibus synonymis, quatenus ita concipitur, ratione differt à se ipso: & tamen habet fundamentum in re, quoniam vtrique respondet ratio obiectiua realis, de qua vterque verificatur.

Heruæus. *Durand.* *Palatius.*

III. Quod attinet ad primum fundamentum, recentiorum communis est sententia Doctorum,non solum cõceptus synonymos,sed etiam per ipsos obiectum ratione distingui. Ita expresè asserunt S.Thomas 1.p.q.13.art.12.Durand.in 1.d.2.q.3. num. 20.Bachon.q.2.art.4. Capreol. d. 8.q.4. art.2.ad 8. Godofredi contra 2. conclusionem. Mayron. tract. formalitatum a.2.§. *Circa quod*. Clypeus Thomistarum q.10.in Porphy-

S. Thom. *Durand.* *Bachonus.* *Capreol.* *Mayron.* *Clypeus.*

Porphyrium art. 1. ad 3. contra 2. conclusionem. Iauellus 13. Metap. q. 19. Soncin. 4. Metaph. q. 29. 1. & 2. conclusione. Sotus q. 3. de vniuersal. art. 2. Molina 1. p. q. 28. art. 2. ad 3. Fundamentum est, quoniam distinctio rationis consistit in eo, quod idem distinguitur à se ipso secundum esse intellectum, & quo vnum cum sit, vtimur vt pluribus, vt loquitur Aristotel. lib. 5. Metap. t. 1. at verò conceptus synonymi in prædicatione identica re ipsa sunt plures: atque adeò non potest ipsis ascribi distinctio rationis: item intellectus cum ita comparat prædicatum subiecto, non vtitur conceptu mentali vno, vt pluribus, sed obiecto intellecto. ita enim rem significatam ipsimet attribuit quasi esset altera; & ideo obiectum, quod est vnum, secundum esse reale, multiplex verò secundum esse intellectum, verè dici potest distingui ratione, quoniam idemmet substat diuersis intentionibus rationis, quod non conuenit nomini, aut conceptui: nam re ipsa multiplicantur. itaque distinctio illa conceptuum extrinsecè attingit obiectum, quod, vnum cum sit, repræsentatur vt duo, & habet multiplex esse intellectum, ratione cuius terminat diuersas habitudines sui ad seipsum: quod fieri non potest nisi intersit aliqua distinctio: omnis enim habitudo etiam rationis exigit aliquam distinctionem in extremis.

IV. Quod attinet ad secundum fundamentum, ex parte obiecti, vt sortiatur distinctionem rationis, aut potest esse sola aptitudo, vt concipiatur per modum pluribus conceptibus, siue synonymis, siue non synonymis: aut formalis ratio obiectiua ratione suæ entitatis indiuisæ, apta nata terminare conceptus plures non synonymos, ac si esset diuisa, ac plures ex natura rei. Priore modo est fundamentum distinctionis in quouis obiecto distinctionis secundum rationem, vt rectè obseruat Poleta. vbi suprà. Ratio est quoniã omnis intellectio, ac distinctio actualis supponit aptitudinem: atque adeo si obiectum vnũ re concipitur pluribus conceptibus synonymis, aut non synonymis, necessariò præcedit aptitudo, vt ita concipiatur. Verum Doctores non curant de hoc fundamento, quoniam loquuntur de fundamento, quod ingreditur significatum obiecti, ratione distincti, at hæc aptitudo adest quidem obiecto, sed non ingreditur eius significatum.

V. Vt verò innotescat ratio fundamenti posteriore modo accepti, notandum est, aliud esse quærere fundamentum obiectiuum cuiusuis rationis formalis, siue notitiæ mentalis, & aliud fundamentum pluralitatis earundem rationum. Nam, vt rectè docet AEgid. in 1. d. 1. p. distinctionis quæst. 3. art. 1. possunt esse plures notitiæ mentales synonymæ, quæ omnes habeant vere fundamentum in re, quoniam singulis respondet ens firmum, ac ratum à parte rei, & tamen pluralitas ipsarum non habet fundamentum in re, sed in sola operatione intellectus: contra verò fieri potest, vt pluralitas habeat fundamentum in re, quia tamen rationes, quæ dicuntur plures, illud non habent, propterea distinctio per illas constituta est rationis ratiocinantis, non raciocinatę. Exempli causa, quod Homo diuersimode subsit intentioni speciei prædicabilis, ac subijcibilis, habet remote ex natura humana secũdùm se: verum quia rationes speciei prædicabilis, ac subijcibilis singillatim sumptæ, nõ habent ex parte obiecti significati fundamentum in re, non enim à parte rei habet natura humana formaliter aliquid, quo constituatur in ratione speciei prædicabilis, aut subijcibilis: idcircò distinctio Hominis, quatenus est species prædicabilis à se ipso, quatenus est species subijcibilis, non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed ratiocinantis: idemque dicendum, quoties rationes obiectiuæ, quibus obiectum idem re distinguitur à se ipso, non sunt à parte rei in ipso obiecto significato. *AEgid.*

VI. Cùm itaque ad fundamentum distinctionis, secundùm rationem ratiocinatam requiratur fundamentum obiectiuum entitatiuum, & radix pluralitatis rationum diuersarum, primum explicare oportet, quænam rationes formales habeant fundamentum obiectiuum in re, & quæ non habeant. Dicendum cum Sancto Thoma in 1. distinct. 2. quæst. vn. articul. 3. in secunda eius parte, conceptionem intellectus tripliciter se habere ad rem, quæ est extra animam. aliquando enim est similitudo rei existentis extra animam, sicut conceptio Hominis, & hæc habet fundamentum in re immediatè inquantum res ipsa ex sua conformatione ad intellectum facit, vt is sit verus, & vt nomen, quod eam conceptionem significat, propriè de re dicatur: aliquando verò non est similitudo rei existentis extra animam, sed aliquid, quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam: cuiusmodi sunt intentiones, quas intellectus ad in- *S. Thom.*

uenit, sicut significatum huius nominis, genus, non est similitudo alicuius rei extra animam existentis: sed ex hoc, quod intellectus concipit animal, vt in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis, cuius intentionis fundamentum proximum non est in re, sed in intellectu, remotum tamen est in re. Aliquando tandem id, quod significatur nomine, non habet vllum fundamentum in re, neque proximum, neque remotum: quia neque est similitudo rei existentis extra animam, neque consequitur ex modo illam intelligendi, vt chimæra, & similia figmenta, ex qua doctrina constat illas rationes formales habere fundamentum obiectiuum à parte rei, quibus respondent rationes obiectiuæ reales, illas verò nequaquam, quibus respondent, quantumcunque rebus veris conueniant.

VII. Explicato fundamento obiectiuo cuiusuis rationis formalis, sequitur vt indagetur radix obiectiua pluralitatis earundem rationum: ea verò, vt notant Doctores citati numero 1. est intelligibilitas obiectiua, apta nata terminare plures conceptus non synonymos, ita vt vna, eademque res, ex natura rei indiuisa fœcunditate suæ intelligibilitatis respondeat pluribus rationibus formalibus non minus, quàm si ijsdem responderent duo obiecta reipsa diuersa, singula sub vna tantum ratione formali obiectiua: qua ratione se habet intelligibilitas obiectiua hominis. potest enim apprehendi modo quatenus animal, modo quatenus rationalis, quæ duæ rationes obiectiuæ iuxta probabilem multorum opinionem sola ratione distinguuntur, & nihilominùs conceptus formales ipsarum habent in Homine tam adæquatum obiectum, cum seorsim concipiuntur, ac habent, quando concipimus rationem animalitatis in bruto, & rationalitatem in Homine, in quibus re ipsa distinguuntur. Aliqui, inter quos est Toletan. vbi suprà, recurrunt ad necessitatem, quoniam, quæ ita habent fundamentum in re, & æquipollent distinctis ex natura rei, necessitant intellectum ad conceptus essentialiter distinctos. Quam doctrinam nonnulli recentiores impugnant, quoniam intellectus noster nunquam distinguit plures rationes in eadem re, nisi quando non cognoscit rem perfectè sicuti est: atque adeo obiectiua cognoscibilitas ipsius non necessariò cogit intellectum, vt ipsam distinctis conceptibus apprehendat: quæ redargutio, si intelligatur de rationibus formalibus, vt nunc loquimur, conuincit quidem intelligibilitatem obiectiuam non semper necessitare intellectum, vt in ipsam distinctis notitijs feratur, non tamen concludit nunquam absolute necessitare: maximè quando res perfecta attingitur modo imperfecto, & inadæquate: tunc enim si intellectus adæquari aliquo modo debeat intelligibilitati obiectiuæ, necessitatur ad formandos plures conceptus, quibus coniunctis attingat totum id, quod vnico simplici, & inadæquato non poterat, quomodo, vt infrà ex Diuo Thoma, & alijs ostendam, ex eminentia intelligibilitatis diuinæ, & imperfectione intellectus prouenit, vt in via necessariò habeamus plures conceptus perfectionum diuinarum, quas vnico conceptu distincte simul apprehendere nequimus. Itaque necessitas hæc obiectiua consistit in hoc, vt cum quis format vnum conceptum inadæquatum rei, habentis plures rationes obiectiuas cum fundamento in re, si alias percipere debeat, necessariò etiam sit habiturus alium, vel plures conceptus formales non synonymos, quibus adæquet intelligibilitatem obiectiuam rei; at quando sola est distinctio penes apprehensiones ipsas sine fundamento in re, intelligibilitas obiectiua ad adæquatam perceptionem sui non exigit puram repetitionem eiusdem conceptus. non enim propterea ex parte obiecti magis attingitur, quamuis ex parte intellectus pluribus conceptibus synonymis attingatur.

Toletan.

VIII. His præmissis dicendum est, propositam diuisionem distinctionis rationis esse optimam. Patet quoniam omnis distinctio rationis vel habet fundamentum obiectiuum, plurium rationum mentalium formaliter differentium, vel non: si habet, est distinctio rationis ratiocinatæ: si non habet, est distinctio solius rationis ratiocinantis. Notandum verò eiusmodi fundamentum non debere esse solum per modum subiecti denominati, sed per modum obiecti significati. Non enim ex subiecto denominationis sumitur hic ratio fundamentalis obiectiua plurium rationum formalium, quandoquidem entitas subiecti denominati non arguit multiplicem rationem obiectiuam formæ, & ideo quamuis entia rationis denominent subiecta realia, non proinde distinctio

stinctio secundùm entia rationis habet fundamentum obiectiuum in re: nam cum Socrates prædicatur de se ipso, & quatenus subiectum differt ratione à se ipso, quatenus prædicatum, distinctio est tantum rationis ratiocinantis: est verò fundamentum per modum obiecti significati, quando nominibus significantibus rationes formales distinctas, respondet intelligibilitas obiectiua: vt cum Socratem concipimus, substantiam sensitiuam rationalem, hi tres conceptus re, ac ratione diuersi, habent suum proprium significatum in Socrate. Ex quo etiam principio constat, nihil ad hoc facere fundamentum distinctionis respectiuum, nisi inuoluatur obiectiuum: exempli gratia, quia solemus formas ex natura rei distinctas prædicare de subiectis, cum prædicamus idem de se ipso, idque concipimus per modum plurium suapte natura distinctorum, quorum vnum de altero prædicamus, non datur fundamentum multiplicitatis obiectiuum; hoc est significatum per ipsa nomina, vel conceptus, sed respectiuum, quia ad similitudinem distinctorum concipimus non distincta: quod fundamentum potest esse commune omni distinctioni rationis, ideoque non sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ, ad quam requiritur vt rationes obiectiuæ, sub quibus res suapte natura indiuisa multipliciter concipitur, sint à parte rei in obiecto significato.

IX. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, cum idem prædicatur de se ipso, idem distingui à se, non secundùm esse reale, sed secundùm esse cognitum, quod est multiplex in mente, vt iam declaratum est. Ad secundùm respondetur, cum eorum, quæ ratione distinguuntur, quædam dicũtur habere fundamentum in re, quædam non, nomine fundamenti non intelligi solum obiectiuum, aut extrinsecum, hoc est non sat esse, vt connotent subiectum reale, cui conueniant, aut extremum, quod recipiant: nam fieri potest, vt entia rationis hæc vendicent, sed requiri in primis, vt formaliter significent aliquam rem: deinde verò, vt eadem res possit concipi sub connotatione, aut habitudine ad plura actu distincta; quod quia non conuenit relationi generis, ac differentiæ, quamuis connotarent obiecta distincta ex natura rei, non proinde haberent in re fundamentum propriæ distinctionis: item quando concipitur obiectum suapte natura indistinctum sub habitudine identitatis ad se ipsum, quamuis concipiatur per modum plurium, quæ solemus distinctis conceptibus apprehẽdere, tamen obiectum ipsum duobus illis conceptibus synonymis intellectum, non habet habitudinem, aut connotationẽ ad illa plura: ob eam causam distinctio rationis reperta in conceptibus synonymis, nõ habet fundamentum in re obiectiuum, quod consistit in intelligibilitate rei suapte natura indistinctæ, quæ adeo fœcunda est, vt sit apta terminare plures conceptus, quorum cuilibet respondet propria ratio formalis, non quidem distincta actu in re, sed solum virtute, ac potentia: quomodo non omnis distinctio rationis supponit fundamentum in re: nam cum diuersi conceptus non sunt similes in repræsentatione obiectiua, sed solum in modo aliquo repræsentandi, aut penes habitudinẽ aliquam, sub qua inuicem comparantur rationes, penes quas est distinctio, non sunt in obiecto, sed solum in intellectu: & ideo distinctio eiusmodi non habet fundamentum in ipsa re, quæ dicitur distincta secundùm esse intellectum: Distinctio verò respectiua, per comparationem ad alia actu distincta, nisi sit per æquipollentiam vnius ad plura, non habet fundamẽtum in ipso obiecto, vt patet ex dictis: & proinde, licet omnis distinctio rationis eam possit habere, non propterea omnis dici debet habere fundamentum in re. Ad id verò, quo probatur non esse aliud fundamentum ex parte obiecti, respondetur, quamuis noster intellectus tunc solum distinguat plura in obiecto, quando non cognoscit illud sicuti est, de quo potest esse controuersia, tamen nõ proinde sequi, eam distinctionem esse solius rationis ratiocinantis absque fundamento in re, namque nisi obiectum haberet talem intelligibilitatem, vt intellectus imperfectus posit illud inadæquate concipere per plures conceptus, haud quaquam formarentur ab illo plures conceptiones mentales. nam si intellectus comparatus cum diuersis obiectis possit apprehendere vnum sub diuersis rationibus, non verò alterum, causa huius diuersitatis omnimoda non potest referri in solum intellectum, & ideò sumenda est etiam ex parte obiecti. Quædam verò obiecta concipi nequeunt sub pluribus rationibus, alia verò possunt, & ita ratio huius multiplicitatis secundùm rationem habet fundamentum in re. Ad fundamentum Palatij patet ex dictis, quando aliquid distinguitur à se ipso per conce-

ceptus synonymos dari quidem fundamentum obiectiuum à parte rei, quod ipsis respondeat: non tamen quod sit radix pluralitatis ipsorum, quod etiam requiritur ad distinctionem, quæ dicitur habere fundamentum in re.

Explicantur aliæ diuisiones distinctionis rationis.

Caput V.

I. Duo genera distinctionis secundùm rationem proximo capite explicata, habent adhuc varios modos, quos explicare oportet, vt, cum ad diuina ventum fuerit, non opus sit immorari ijs explicandis. In primis autem distinctio rationis ratiocinantis reperitur, quoties obiectum sub diuersis conceptibus synonymis substat pluribus secundis intentionibus: verbi gratia, prædicati, subiecti, medij termini, ac similium: de quo non est vlla controuersia. Verum potest dubitari, vtrum sit alius modus distinctionis secundùm rationem ratiocinantem. Ratio dubitandi est, quoniam, quæcunque differunt solum penes modum significandi, & concipiendi absque fundamento in re, differunt sola ratione ratiocinante: hoc autem modo differunt plura alia, quam ea, quę apprehenduntur conceptibus synonymis. Contra verò facit quoniam, vbi conceptus non sunt synonymi ex parte obiecti significati, per vnum inuoluitur aliqua ratio obiectiua, quæ non significatur per alium: hoc autem sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ: quare in solis conceptibus synonymis est distinctio rationis ratiocinantis.

II. Pro fundamento supponendum est, quando distinctio fundatur solum in modo concipiendi absque fundamento diuersæ intelligibilitatis obiectiuæ saltem virtualis, dari solam distinctionem rationis ratiocinantis. De duobus verò conceptuum complicationibus potest esse dubitatio, vtrum hoc, vel illo modo differant, nempè si comparentur abstracta cum concretis, diffinitio cum diffinito. Vt à definitione incipiam, præmitto de sententia *S. Thom.* Diui Thomæ in 1.d.22. q. vn. art.1. ad 2. diffinitionem esse nomen intentionis, & rei: nomen intentionis est, cum sumitur pro conceptu distincto quidditatiuo, & adæquato diffiniti: nomen verò rei, cum sumitur pro significato ipsius diffinitionis vocalis, aut mentalis. De diffinitione quatenus est intentio, non est vlla dubitatio, differt enim re à definito, etiamsi secundùm esse intentionale sit idem, quod definitum secundùm esse reale: hoc est, quamuis sit adæquatum signũ definiti: De ipsa, quatenus res est, potest esse difficultas: verum quia eadem est ratio de re, & de signo sub ratione signi, non curabo hanc distinctionem, sed indifferenter loquar de diffinitione, siue pro signo, siue pro re sumpta, ea vero alia est perfecta, alia imperfecta: illa distinctè attingit omnes partes, siue gradus tam actuales, quam virtuales definiti: hæc verò nequaquam, sed omittit aliquos, quia traditur per genus remotum, ac differentiam propriam. De hac secunda non est vlla dubitandi ratio, cum enim non attingat omnem intelligibilitatem obiectiuam definiti, & non significet aliquam rationem entitatiuam, quæ licet confusè, significatur tamen nomine definiti, necessario differt ab illo ratione ratiocinata: ad quod satis est, vt vnum extremum non includat rationem, quam aliud includit. Definitio autem perfecta attingit omnes omninò rationes definiti, sed diuerso modo. nam conceptus diffiniti, vtpotè confusus, attingit omnes indistinctè: at verò diffinitio mentalis distinctè, & quasi per partes, adunatas tamen in toto: rectè enim probat Diuus Thomas loco citato, *S. Thom.* terminos diffinitionis non significari per modum partium, ideoque non sumi in abstracto, sed per modum totius: itaque si velimus terminationem horum conceptuum subtiliter indagare, comperiemus conceptum confusum definiti per se, & explicite primio terminari ad totum, ad partes autem implicite, & quasi secundario, conceptum verò diffinitiuum per se primo ad partes, vltimo ad totum ex partibus conflatum.

III. Hoc posito probatur diffinitionem, ac diffinitum, non distingui sola ratione ratiocinante. primò, quoniam vt ait Philosophus lib. vndecimo, Metaphys. cap.6. diffinitio est medium potissimæ demonstrationis. ad hoc autem non sufficit sola distinctio rationis ratiocinantis inter ipsum, & minus extremum, quod est diffinitum: ergò erit distinctio rationis ratiocinatæ. Assumptio patet, quoniam medium debet continere rationem obiectiuam, propter quam passio conueniat minori

nori extremo: vbi vero est sola distinctio rationis ratiocinantis, non est ratio obiectiua habens fundamentum in re, vt patet ex dictis: quare ad rationem medij termini non est distinctio rationis ratiocinantis. Secundò diffinitum est, gradus aliquis metaphysicus distinctus à gradibus, ex quibus coalescit diffinitio: alius enim gradus est species, alij verò genus, ac differentia, ex quibus constat diffinitio: omnis autem gradus distinguitur ab alio saltem ratione ratiocinata: ergò definitum, ac definitio hoc ipso distinguuntur, & non sola ratione ratiocinante.

IV. Caietan. Quod verò attinet ad concreta, & abstracta, distingui solum penes rationem ratiocinantem, videtur sentire Caietanus 1.part.quæst.40.articul.secundo §. *Circa differentiam,* vbi constituit duo genera eorum, quæ distinguuntur penes modum significandi, vnum penes modum significandi grammaticaliter, qui habet se tantum ex parte nominis, aut conceptus significantis: alterum penes modum significandi metaphysice, qui se habet ex parte rei significatæ, ita vt plures illius modi, sint plures rationes obiectiuæ eiusdem rei: & modum abstracti nominis, & concreti refert ad modum significandi, qui solum se habet ex parte intellectus sine fundamento obiectiuo in re: atque adeò inter illa est solum distinctio penes rationem ratiocinantem; probatur autem, quoniam non est in re vlla ratio obiectiua significata concrete, quæ non significetur nomine abstracto: atque adeo conceptus solummodo diuersi penes concretum, & abstractum, non habent fundamentum in re, sed in solo modo concipiendi. Antecedens suadetur, quoniam ratio obiectiua est forma, seu quasi forma rei, cuius est ratio: significatum vero nominis abstracti est forma, seu quasi forma significati per concretum: nam interroganti, quænam sit ratio, seu forma, aut quasi forma adæquata hominis, vel albi, apte respondebitur, quod sit humanitas, vel albedo.

V. Capreol. Capreol. in 1.distinct.4.quæst.3.art.3. ad quintum. Aureoli contra secundam conclusionem, existimant eandem esse rationem inter diffinitionem, ac diffinitum, ac est inter concretum, & abstractum: ait enim diffinitionem, ac diffinitum in actu, & explicite significare idem, sed definitum posse significare aliquid implicite, quod diffinitio nullo modo significet. At verò abstractum significare omninò idem, quod definitio concreti. Ad hoc audem adducit dictum Diui Thomæ opuscul. 69. super Boetium de hebdom. asserentis, abstracta non habere in se aliquid extraneum, nempè quod sit præter essentiam, quia scilicet forma in abstracto significatur, vt quo aliquid est, concreta verò significantur, vt habentia formas, quibus constituuntur. Ex eo verò, quod subiectum habeat vnam formam, non est incapax alterius, nisi sit opposita ei, quam habet: & idcirco concreta: verbi gratia homo, & album, possunt habere alias formas præter eas, quibus constituuntur, sicut homo potest esse iustus, ac sapiens, album potest esse dulce, aut odoratum. Verùm Capreol. in hac re non est assecutus mentem Diui Thomæ: nam cum abstractum significetur per modum partis, vt ibidem docet Sanctus Doctor, & admittit idem Capreol. in solutione ad primum, diffinitio autem significetur per modum totius, vt docet Diuus Thomas in 1. loco citato, & consequenter tradatur per nomina concreta in recto, licet in obliquo admittat abstracta, fieri non potest, vt idem prorsus significetur per diffinitionem, & per nomen abstractum definiti. Quod verò non sit eadem ratio inter diffinitum, & diffinitionem, abstractum, & concretum, patebit ex dicendis. *S. Thom.* *Capreol.*

VI. Dicendum nihilominùs, inter diffinitionem, ac diffinitum, non esse aliam distinctionem, quam rationis ratiocinantis. Indicat Henric. in sum.art.27.quæst. 1. litera M. suadetur verò, quoniam diffinitio, vt notat Diuus Thomas vbi proxime, non significat solum partes, vt partes; sed per modum totius, ita vt significet ipsum totum, cum distinctione partium, vel partes vt vnitas, ac terminatas in ratione totius: sed totum distincte cognitum non includit aliquam rationem obiectiuam, quam non includat idem confusè cognitum: ergò diffinitio, ac diffinitum, non habent distinctionem rationis ratiocinatæ. Patet consequentia ex dictis cap. prox. Assumptio ostenditur, quoniam totum, vel non est aliud quam partes simul sumptæ, vt quidam opinantur, vel addit partibus ipsam sui esse integritatem: si non sit aliud, quam partes simul sumptæ, perspicuum est nullam rationem obiectiuam contineri diffinito, quæ non contineatur diffinitione: si vero sit aliud, hoc ipsum necessario includit ac significat diffinitio, alioquin non est simpliciter cognitio distincta totius, *Henricus.* *S. Thomas.*

cum non attingat id, quo per se primo,& complete totum constituitur in suo esse. Secundò, Deus Optimus Maximus nihil agnoscit confusè: ergò conceptui confuso definiti non respondet aliqua ratio obiectiua, quæ non attingatur conceptu diffinitiuo. Patet consequentia, quoniam Deum non latet vlla ratio obiectiua cognoscibilitatis: quare si solam habet notitiam definituam, seu quasi definitiuam obiecti,non restat vlla ratio obiectiua cognoscibilis conceptu confuso, quæ non attingatur conceptu diffinitiuo.Antecedens verò est euidens,quoniam Deus agnoscit omnia comprehensiue: cognitio verò comprehensiua obiecti necessariò est diffinitiua, aut quasi diffinitiua: dico quasi diffinitiua,quoniam sunt plura obiecta, quæ non habent propriam diffinitionem, cum tamen intellectus adæquate, ac distincte penetrat rationes oēs formales ipsorū etiam virtute distinctas, habet cognitionem similem diffinitiuæ. Itaque quotiescunque conceptus mentales attingunt omnem rationem formalem entitatiuam, quæ datur ex parte obiecti, solumque differunt penes rationem confusè, ac distincte cognoscendi, obiectum ita cognitū solum sortitur distinctionem rationis ratiocinantis, non ratiocinatæ, siue habeat proprie definitionem,vt composita Physica, vel Metaphysica,siue non, vt res simplices, & intrinsecæ compositionis expertes.

VII. Ad primum, contra hanc assertionem neganda est assumptio, cuius probatio, si vim habet, concludit etiam,diffinitionem, ac diffinitum distingui ex natura rei, quod est falsum. Nam si medium continere debet rationem obiectiuam, quæ suapte natura sit causa siue ratio, cur passio conueniat subiecto, danda est distinctio actualis inter medium, & extrema absque comparatione intellectus: nam si hæc per intellectum existat, siue habeat fundamentum in re,siue non: vltimo tandem pendet ex nostro modo intelligendi: est ergò diffinitio medium, cur passio conueniat subiecto, non quidem secundùm se, sed solum quo ad nos, quia concipimus illam, vt causam formalem obiecti, ad quod sat est distinctio solius rationis ratiocinantis, vt patet in demonstrationibus Metaphysicis: nam subiecta Metaphysicæ, vtpotè simplicia, maiori ex parte carent proprijs diffinitionibus: sed ratio illa formalis subiecti magis clarè cognita sumitur vt medium demonstrationis, nec tamen distinguitur à subiecto ratione ratiocinata, sed ratiocinante. Ad secundùm respondetur, tametsi diffinitum sit gradus per se distinctus à quauis parte diffinitionis per se considerata, non tamen ab integra diffinitione: hæc enim non est gradus aliquis entitatiuus distinctus ab ipso definito.

VIII. Dicendum præterea, inter concreta, & abstracta dari saltem distinctionem rationis ratiocinatæ. Dixi saltem, quoniam increatis dari distinctionem ex natura rei censent plerique Doctores: & ratio est, quoniam omne concretum dicit, vel rationem suppositi, vel subiecti inuoluendo intrinsece vnionem naturæ ad hoc, vel illud: abstractum verò dicit præcisè formam sine vllo respectu, aut vnione ad vtrunque: ratio verò suppositalitatis, itemque vnionis ad subiectum est aliquid ex natura rei distinctum à forma: quare in rebus creatis datur ex natura rei distinctio inter significatum abstracti, & concreti. Et hoc est verum fundamentum huius sententiæ, non verò illud, quo vtitur Capreol. vbi suprà, recurrens ad significationem implicitam formæ extraneæ ipsi concreto: Etenim vt ait Diuus Thomas prima parte, quæst. quadragesima, articul. secundo, vt aliqua duo distincta intelligantur necesse est, vt ipsorum distinctio intelligatur per aliquid intrinsecum vtrique; adde vel saltem alteri ipsorum: quandoquidem species & genus distincta intelliguntur, nec tamen genus habet aliquid intrinsecum, quod non sit etiam intrinsecum speciei: sat tamen est vt hæc intrinsece includat differentiam, quæ non includitur in genere: at verò formæ non repugnantes cum forma significata per nomen concretum, non sunt intrinsecæ significato: atque adeò per solam significationem implicitam ipsarum non potest concretum distingui ab abstracto. In Deo verò, quamuis propter omnimodam eius simplicitatem non differant ex natura rei abstractum, & concretum, habent tamen eminenter distinctionem, quam vendicant creata: quatenus in ipso est ratio suppositalitatis quam inuoluit nomen concretum, non vero abstractum. At inquies, suppositalitas non est intrinseca nominibus absolutis, siue essentialibus, verbi gratia Deo, sapienti, iusto: quare nec distinctio erit

Capreol.

S. Thom.

per

per rationes obiectiuas, sed per solum concipiendi modum: respondeo hæc nomina, vt à nobis applicantur Deo, includere ipsum per se existere. significant enim nomina concreta obiectum, vt quod est, & habet formam abstracte significatam, & licet hæc in diuinis re ipsa includat ipsum esse, non tamen vt habens, sed vt habitum.

IX. Ad argumenta contra hanc assertionem negandum est antecedens. Ad cuius probationem respondeo, nomen *ratio* interdum sumi presse pro forma rei abstracte significata, interdum vero extendi ad quemcunque modum, siue rationem obiectiuam in re terminantem conceptionem intellectus nostri. & quamuis ratio priore modo sumpta pertineat ad posteriorem, non tamen vice versa: nam suppositalitas est aliqua ratio obiectiua intelligibilis, distincta à natura suppositi, nec tamen est abstractum suppositi, hoc enim est natura ipsa singularis: itaque licet forma propriè dicta non sit alia in significato concreti, quam ea, quæ significatur nomine abstracto, est tamen modus aliquis, aut ratio entitatiua re, aut virtute distincta à forma abstracte concepta: & ideò distinctio inter ea non consistit in solo modo concipiendi, sed habet fundamentum in re. Ex dictis constat non solum ea, quæ subsant pluribus conceptibus synonymis, distingui sola ratione ratiocinante.

X. Tandem ad intelligendum modum loquendi Doctorum, obseruandum est omnia, quæ sunt idem ex natura rei, & quouis modo differunt ratione, dici distingui penes modum concipiendi, aut significandi: quoniam, cùm sublata operatione intellectus non datur vlla distinctio rationis, recte quæcunque distinguuntur ratione siue ratiocinante, siue ratiocinata, dicuntur distingui penes modum significandi, aut intelligendi: quod elicitur ex doctrina Diui Thomæ prima parte, quæstione quadragesima, articulo secundo, asserente originem, ac relationem distingui penes modum significandi. Ad quem locum Caietan. adducit explicationem supra positam: nempè quod quædam differunt penes modum significandi grammaticaliter, quibus scilicet non respondet in obiecto vlla propria ratio intelligibilitatis, quædam vero metaphysicè, quibus respondet: loqui vero D. Thom. articulo illo secundo de modo significandi, vt ad vtrumque se extendit, recte colligitur ex ipso text. vbi illum contraponit distinctioni reali: sic enim ait, *Quæ quidem, quamuis re non differant, differunt tamen penes modum significandi*, indicans quæcunque re non differunt, differre penes modum significandi: idem significat Albertus in summa, tractatu decimoquarto, quæstione quinquagesima-nona, m. 4. particula tertia, & plures alij, asserentes omnia nomina diuina significare idem secundum rem, differre tamen secundum modum significandi, qui tamen in diuinis attributis agnoscunt distinctionem rationis ratiocinatæ.

Albertus.

Quod vero attinet ad distinctionem rationis ratiocinatæ, tribus omnino modis fingi potest. Primus est cum res simplex, & suapte natura indistincta, æquipollet pluribus suapte natura distinctis. Secundus, cum diuersæ rationes obiectiuæ sunt separabiles, saltem inadæquate altera ex parte in diuersis subiectis: tertio denique cum eadem omnino res habet habitudinem siue connotationem ad plura actu distincta. Primus modus non habet vllam difficultatem: quoniam, quando eadem res non concipitur adæquate secundum omnem rationem intelligibilitatis obiectiuæ, sed pluribus conceptibus inadæquatis prout æquipollenter continet res alias actu distinctas, singuli eorum conceptus repræsentant obiectum sub vna, vel altera ratione præcisa ab ea, sub qua repræsentant alij: atque adeò distinctio ex ipsis resultans habet fundamentum in re, & non in solo modo concipiendi. hic autem modus distinctionis per æquipollentiam potest diuidi in totidem membra, in quot diuiditur distinctio actualis ex natura rei: nam si res suapte natura indistincta æquipolleat pluribus re ipsa distinctis, erit distinctio virtualis realis: si pluribus formaliter distinctis, erit virtualis formalis: si pluribus modaliter distinctis, erit virtualis modalis. XI.

Pro secundo modo notandum, mutuam separabilitatem in omnibus inferioribus arguere distinctionem ex natura rei, vt patet ex candore, ac dulcore: ita enim se habent, vt vterque possit existere actu seorsim ab alio: si vero mutua separabilitas conueniat ratione quorundam inferiorum, non vero aliorum, tunc rationes communes horum inferiorum secundum XII.

se non distinguuntur ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata, vt patet in ratione communi iustitiæ, ac sapientiæ, communium Deo, & creaturis. At vero inadæquata separabilitas cernitur, cùm ita necessariò coniungitur vtraque ratio in eodem subiecto, vt quædam nullo modo possit esse sine alia, hæc vero possit saltem in alio subiecto: tum vero hæ duæ rationes in subiecto, in quo necessariò copulantur non sola ratione ratiocinante, sed ratiocinata distingui dicuntur: hoc modo se habet substantia, & ens: nam licet substantia esse nequeat abstracta à ratione entis, hæc tamen potest diuina virtute sine substantia cohærere: nam in speciebus consecratis est ratio accidentis, & entis, seiuncta à ratione substantiæ: planius exemplum est in opinione distinguente gradus metaphysicos sola ratione ratiocinata: nam animal potest esse in leone realiter distinctum, ac separatum ab homine, qui tamen sine ratione animalis omnino non est. Fundamentum huius rei est, quoniam ratio separabilis in alio subiecto habet rationem fundamentalem obiectiuam, secundum quam verè terminat conceptum mentis, quin terminet sub ea ratione, cùm qua in priore subiecto est necessariò coniuncta: ergo habet distinctionem non solum ex intellectu ratiocinante, sed radicaliter ex se ipsa.

XIII. Quod attinet ad tertium modum, est dubium, quænam connotatio sufficiat ad constituendam distinctionem rationis ratiocinatæ. Nam si connotatio quorumlibet distinctorum ex natura rei illam arguit, in quauis potentia numerica erit fundamentum infinitarum distinctionum eiusmodi: verbi gratia, si consideretur potentia videndi, & comparetur cum singulis indiuiduis colorum, circa quæ versari potest, habet infinitas connotationes, sicut indiuidua sunt infinita: quare si, prout connotat hoc distinctum ab alio ex natura rei, distinguitur virtute à se ipsa prout connotat aliud, erit infinities distincta à se ipsa secundum rationem ratiocinatam, & cum fundamento in re: idemque dicendum de quauis alia re indiuidua, habente comparationem ad multa realiter distincta: Aureol. in 1. distinct. 45. quæstione vnica art. 1. distinctionem connotationis constituit in habitudine secundum dici, ita quod distingui penes extrinseca non sit aliud, quam si distinguatur vnum, & idem, quia dicitur relatiue ad plura secundum dici. Quæ doctrina magna ex parte vera est: nam quæ sunt simpliciter absoluta ab omni respectu tam secundum dici, quam secundum esse, intelligi possunt absque omni alio obiecto sibi extrinseco: quare cum connotatiua percipi nequeant absque eo, quod aliquid sibi extrinsecum concipiatur saltem in obliquo, necessariò habere debent adiunctam relationem secundum dici, sub qua res alioquin absoluta concipiatur in ordine ad aliud. Relatiua vero secundum esse excludit ab eo genere: quoniam in connotatiuis exigit formam absolutam cognoscibilem per se absque perceptione extrinseci: id vero non conuenit relatiuis secundum esse: hæc enim etiam quo ad proprium esse, quod significant in recto, non possunt intelligi absque termino extrinseco: & hinc colligit eatenus aliquid distingui penes connotata, in quantum vna ratio potest sibi plures habitudines appropriare: & ita differt penes appropriata, quæ includit extrinsecè quasi quædam cointellecta, non tamen intrinsecè distinguetur. Non tamen opus est ad eiusmodi distinctionem, vt vtrunque extremum connotet diuersa obiecta extrinseca, sed sat est, vt vnum connotet non connotante altero, cùm quo est idem in principali significato: vt se habent concretum, & abstractum: hoc enim non connotat subiectum, illud vero maximè.

Aureol.

Hoc posito dicendum est, distinctionem sumptam ex connotatione rerum suapte natura, vel virtute distinctarum, esse rationis ratiocinatæ: probatio est facilis, quoniam conceptui connotatiuo quolibet ex modis supradictis, respondet fundamentaliter in re aliqua obiectiua cognoscibilitas, quæ non respondet alteri conceptui non synonymo eiusdem rei similiter connotatiuo: hoc autem sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ, vt patet ex dictis. Antecedens patet, quoniam si eorum, quæ distinguuntur, vtrunque est connotatiuum, vtrunque habet ex parte obiecti aliquid proprium, non commune cum alio: exempli gratia intellectus practicus, & speculatiuus, sola connotatione distinguuntur, vterque tamen connotat obiectum non connotatum ab altero, nempè practicus operabile, speculatiuus non operabile: cùm vero ex natura rei intellectus idem, quatenus respicit obiectum operabile, sit ac dicatur XIV.

practicus,

practicus, speculatiuus autem quatenus respicit non operabile, fit vt distinctio penes practicum, ac speculatiuum habeat fundamentum iure. Idemque dicendum quando conuocatio se habet ex altera tantum parte: nam quemadmodum ad distinctionem ex natura rei non necessario requiritur, vt vtrumque extremum habeat positiuam rationem distinctionis, qua alterum careat: sed sat est, vt vnum habeat aliquid, quo alterum careat, vt videre est in natura, ac supposito. nam quamuis nihil habeat natura, quod non includat suppositum, hoc tamen addit supra illam positiuam rationem suppositalitatis, ita si comparentur duo sola ratione distincta, quorum alterum addat connotationem supra significatum alterius, distinguentur ratione ratiocinata, vt se habet intellectus ad rationem superiorem, & inferiorem, intellectus enim caret connotatione explicata, quam vtraque ratio vendicat ad determinata quædam obiecta, vel regulas: ipsæ vero rationes includunt in suo significato rationem formalem intellectus, & ita distinctio huiusmodi pendet ex sola additione connotationis ex altera parte. Dictum vero est, sat esse connotationem rerum sola virtute distinctarum: quoniam ea, quæ virtute differunt, sufficiunt ad gignendam distinctionem rationis ratiocinatæ secundum esse intellectum, fundamentum est. quoniam cum contineant eminenter, seu æquialenter ea, quæ suapte natura distinguuntur, sicut hæc possunt terminare conceptus secundum rationes obiectiuas distinctos, ita & illa. Hac de causa concreta, & abstracta distinguuntur ratione ratiocinata etiam in diuinis, quamuis concreta non connotent aliquid ex natura rei, sed sola virtute distinctum a significatis abstractorum: connotant enim suppositum, quod solum virtute distinguitur à natura, & cæteris perfectionibus absolutis.

XV. Ex dictis colligitur discrimen inter ea, quæ distinguuntur duobus modis prioribus, & ea, quæ per solam connotationem: hæc enim vt recte deducit Aureolus vbi supra, in fine tertiæ propositionis, non habent intrinsecè aliquam distinctionem quoad id, quod important principaliter, & in recto, sed solum extrinsece quo ad ea, quæ connotant in obliquo: quod ipse declarat exemplo sapientiæ, ac iustitiæ, sed perperam, hæ enim sunt formæ absolutæ, & habent in recto perfectiones simpliciter intrinsece distinctas. Accommodatius exemplum est, intellectus practicus, ac speculatiuus, ratio inferior, ac superior: quæ omnia dicunt in recto vnam, atque indiuisam rationē formalem intellectus, sub diuersis habitudinibus ad extrinseca connocata. Quæ vero duobus aliis modis distinguuntur, cum non sint necessario relatiua secundum dici, atque adeo non distinguantur per extrinsecam connotationem, admittunt distinctionem aliquam intrinsecam non ex natura rei actualem, sed obiectiuam aptitudinalem: quatenus eadem entitate absoluta possunt terminare diuersos conceptus, quibus respondent diuersæ rationes obiectiuæ vel simpliciter, vel altera ex parte præcisæ.

Ad argumentum contrarium respondeo, quoties forma, vel entitas, habet aliquam habitudinem etiam remotam ad aliquid positiuum, ita vt sub ea habitudine præcisè concipi possit, dari fundamentum sufficiens distinctionis secundum rationem ratiocinatam, vt se res habet in argumento proposito: nam quando potentia videndi concipitur, vt perceptiua huius numero coloris ex parte obiecti, est fundamentum huius conceptionis, verè enim est perceptiua illius: quatenus vero ita concipitur, abstrahit à cæteris, quorum est perceptiua: quod similiter euenit quoties concipitur comparate ad alia: non repugnat autem, vt res aliqua propter habitudinem ad infinita substerni possit infinitis conceptionibus, & distinctionibus rationis, habentibus fundamentum in re. XVI.

Perfectiones diuinæ distinguuntur ratione cum fundamento in re.

Caput VI.

PRæmissa explicatione terminorū restat videndum, vtrum sit in Deo distinctio rationis, & qualis; & quidem Ocham. in 1. d. 2. quæst. 2. Gabriel quæst. 2. art. 2. conclusione 1. Mayron. d. 8. quæst. 4. Andreas de Nouo Castro d. 32. quæst. 2. Gregor. d. 8. quæst. 2. art. 1. Alliacens. quæst. 6. art. 2. litera I. & L. conclusione 1. & Maior d. 8. quæst. 1. aliàs 4. conclusione 2. quia existimant non dari vllam distinctionem rationis, consequenter negant eam in diuinis. I.

Ocham. *Gabriel.* *Mayronius.* *Nouo Castro.* *Gregor.* *Alliacensis.* *Maior.*

Dico primum. Perfectiones diuinæ II.

distin-

distinguuntur ratione ab inuicem, & ab essentia: hæc est communis Scholasticorum, ita expresè docent Alensis. 1. p.q.23. m.4. art. 1. Albert. in 1. d. 8. art. 3. & 4. S. Thomas opuscul. 9. quæst.1. 2. & 3. quæst. 7. de potentia art.6. & in 1. d.2. quæst. vn. art.2. & 3. & d. 22. q. vn. art. 3. Bonauent. d.34. quæst. 2. ad quintum Ægid. d.2. p.1. distinctionis quæst. 3. & d. 8.1. p. secundæ partis principalis quæst. 4. ad 3. & 4. Henr. in sum.art.24. quæst. 4. ad 1.art.51. quæst. 1. 2. & 3.quodlibet.5. quæst.1. & quodlib. 13. quæst.1. Richard. in 1. d.2. art.1. quæst. 2. 3. & 4. Durand. quæst. 3. à numero 15. Heruæus quodlibet. 3. quæst.2.§. *Quantum ad tertium*, & quæst. 3. & quodlibet.8. q.1. Rubion. in 1. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusione 4. Toletan. quæst. vn. art. 2. in Corollario quartæ conclusionis. & art. 4. ad argumenta contra idem Corollar. Argent. d. 6. quæst. 1. art. 3. Marsil. quæst. 12. art. 3. 2. p. articuli. Dionys. Cistercien. d. 22. quæst. vn.art.2.conclusione 6.Carthusian. d. 2. quæst.2. & Petrus de Tarantasia apud eundem. Capreol. d.8. quæst. 4. à conclusione 2. Hispalens. quæst. 9. etiam 4. art. 1. conclusione 2. Abulens. quæst. 1. in cap. 6. Exodi. Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyr. art. 1. conclusione 2. August. Nyphus 12. Metaph. disp. 13. cap. 4. Caiet. de ente, & essentia,quæst.12. 3. propositione. Sylvest. in conflat. quæst. 13. art. 6. & 7. Ferrarien. lib. 1. contra Gentes cap. 35. Palat. in 1. dist. 2. disput. 2. versus finem, Chrysostom. Iauell. 12. Metaph. quæst. 19. art. 2. conclusione 2. Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. disput. 1. 2. p. conclusione 3. 4. & 5. & disput. 2. dub. 4. tandem Comment. 12. Metaph. Comment. 39. quamuis illum interpretari conetur Gregorius vbi supra, quem fusè impugnat Capreol. quæst. citata art. 2. ad 27. ex 2. loco positis contra 2. conclusionem. Eadem est expressa sententia Basilij lib. 1. contra Eunomium inter principium, & medium. Athanas. dialog. 1. de Trinitate post medium, & sumitur ex dictis sanctorum Patrum,admittentium in Deo aliquam alteritatem, & multiplicitatem, quæ duo sine aliqua distinctione cohærere nequeunt: non est autem ex natura rei, vt probatum est tractatu superiore: ergo secundum rationem. ita præter Patres allatos tractat. præced. cap. 7. num. 4. loquitur, Augustinus Epist. 102. *Legitur quidem & Spiritus sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex. multiplex enim,quoniam multa sunt quæ habet: simplex autem, quoniam non aliud, quam quod habet, est.* Cyrill. Alex. lib. 9. de adoratione in spiritu, & veritate, inter principium,& medium: *Quamuis vnigenitus ille secundum naturam vnus sit, & vt Deus simplicem habeat essentiam, diuersitate tamen efficientiæ quasi multiplex esse videtur. neque vero aliquid in eo externum est,& aduentium, tametsi diuinis attributis quodammodo haud simplex intelligatur.* & Richard.lib.2.de Trinit.cap.21. *Quid nimirum sibi concordet, & in vnum concurrat identitas cum multiplicitatis infinitate.*

Alensis. *Albertus.* *S.Thom.* *Bonauent.* *Ægid.* *Henric.* *Richardus.* *Durand.* *Heruæus.* *Rubionius.* *Toletan.* *Argentin.* *Marsil.* *Cistercienses.* *Carthusian.* *Tarantas.* *Capreol.* *Hispalens.* *Abulens.* *Clypeus.* *Nyphus.* *Caietanus.* *Sylvest.* *Ferrarien.* *Palatius.* *Iauellus.* *Torres.* *Auerr.* *Gregor.* *Capreol.* *Basilius.* *Athanasius.* *Augustinus.* *Cyrill. Alex* *Richard. Victor.*

III. Præcipuum fundamentum sumitur à contradictoria oppositione: nam de eodem subiecto, re, ac ratione indistincto, enunciari nequeunt termini contradictorij etiam cum reduplicatione: de perfectionibus vero diuinis saltem sub reduplicatione enunciantur contradictoria: nam hæc est vera: intellectus, qua intellectus est, est principium producendi verbum: item hæc: voluntas, qua voluntas, non est principium producendi verbum: ergo intellectus diuinus, & voluntas distinguuntur saltem ratione. Maior propositio patet ex principio illo naturali: impossibile est simul idem affirmare,ac negare: at vbi nulla distinctio intercedit, etsi nomina sint diuersa, significatum est idem omnino, neque reduplicatio inuenit aliquam rationem vllo modo distinctam, ratione cuius possit esse vera in vno, falsa in altero: quomodo se habet in his duabus:animal quatenus animal non est rationale,homo quatenus homo est rationalis: nam quia reduplicatio cadit supra propriam rationem formalem, quoties in obiecto suapte natura indistincto est distinctio secundum rationem, possunt de ipso verificari termini contradictorij cum reduplicatione:at si tollas omnem distinctionem, manet eadem omnino ratio formalis, quæ non potest esse ratio,cur duo contradictoria vere affirmentur de eodem subiecto: Licet autem non sit opus, vt de eodem subiecto sub reduplicatione sumpto, vere dicatur alter ex terminis contradictoriis, vt patet in his propositionibus: homo quatenus homo est albus,homo quatenus homo est non albus: vtraque enim est falsa, quia non omnis forma,aut eius negatio necessario inest subiecto, quatenus ipsum, potest enim indifferens esse ad alterutram: tamen quia impossibile est, vt subiecto, quatenus ipsum, conueniat forma, & eius negatio, nullo modo fieri potest, vt duo termini contradictorij verè affirmentur de eodem subiecto sub reduplicatione sumpto: atque adeò, si hæ sunt veræ, intellectus diuinus, quatenus intellectus, est principium producendi Verbum, volun-

tas

tas quatenus voluntas non est principium producendi Verbum, necessariò intercedit aliqua distinctio rationis inter intellectum diuinum, & voluntatem. Denique omnis multiplicitas secundum esse intellectum, parit distinctionem rationis: perfectiones vero diuinæ habent multiplex esse intellectú in animis nostris. alia enim est ratio intellecta misericordiæ, alia iustitiæ, & sic in cęteris, ergo habent distinctionem rationis. Fundamentum nominalium iam superius impugnatum est, & ideò nunc satis est illud absolute negare.

IV. Hoc posito, restat inquirendum, vtram distinctionem rationis vendicent perfectiones diuinæ ratiocinantis ne, an vero ratiocinatæ. Pro quo opus est recolere duplicem rationem distinctionis secundum rationem ratiocinantem: altera est secundum nomina mentalia, vel vocalia synonyma substrata diuersis intentionibus secundis, resultantibus ex comparatione eiusdem ad se ipsum, vel ad diuersa: altera est secundum conceptus non synonymos, quorum singulis non respondet ex parte obiecti ratio vlla, quæ non respondeat alteri. Priori modo distingui attributa dixerunt nonnulli relati ab Augustin. Nypho lib. duodecimo, Metaphys. disput. decimatertia capit. tertio, asserentes omnia nomina Deo attributa esse synonyma, cui sententiæ fauere videtur Magister in primo distinct. octauâ, litera F. quatenus ait attributa diuina distingui solum secundum nomina. Idem dicit Auctor Comment. super lib. primum. Boëtij de Trinitate, qui habetur octauo tom. operum Bedæ pag. 1112. & Gilbert. in lib. secundo Boëtij de Trinitate, §. *Idq; signi erit.* vbi loquens de attributis, *Quod si [illegible]*, inquit, *vna horum trium*, nempè personarum, *substantia, manifestum est ea, imò sub multorum diuersitate nominum id de ipsis substantialiter dici.*

Nypho.

Magister.

Auctor Com.

Gilbertus.

V. In eandem sententiam re ipsa recidit opinio recentiorum, qui aiunt attributa diuina se inuicem intrinsecè, & essentialiter includere, ita vt nulla sit omnino ratio obiectiua significata nomine vnius, quæ non significetur nomine alterius. & quamuis negent nomina attributalia esse synonyma, quoniam vt non sint synonyma, sufficit diuersitas in significando implicite vel explicite, vt dicam 2. p. lib. 3. in tractatu de nominibus Dei. tamen omnino euacuant distinctionem rationis ratiocinatæ: hæc enim habet fundamentum in re, quæ propter excellentiam sui esse vel multiplicem rationem intelligibilitatis, nequit apprehendi à nobis adæquate vnico simplici conceptu, ideoque eget pluribus, quorum singuli singulas rationes attingant: at si quouis conceptu percipiuntur omnes perfectiones diuinę formaliter, quamuis confusè, non est in re fundamentum distinctionis inter attributa, sed solum in intellectu pro libito, concipiente esse diuinum explicite, modo sub vna ratione, modo sub alia. Et confirmatur quoniam, iuxta eum modum dicendi distinctio non est virtualis, siue per æquipollentiam: nam si quoduis attributum includit omnia, non minus æquipollet vni perfectioni creatæ, quam omnibus: non per separabilitatem: quoniam licet in singulis sint plures rationes ab inuicem separabiles in creaturis, nullam tamen dicit rationem separabilem à rationibus omnibus cuiuslibet alterius: nõ denique per connotationem, quoniam singula inuoluunt connotationem reliquorum, quatenus requiritur ad intellectum cuiusuis rationis formalis eorundem: cùm ergo distinctio omnis rationis ratiocinatæ ad hæc tria capita referatur, vt patet ex capite proximo, si nulla earum admitti potest ad diuina, iuxta placitú illorú Doctorum, consequens est, vt si sibi constare velint, asserant attributa diuina distingui sola ratione ratiocinante, nempè penes modum concipiendi explicite, & implicite idem obiectum, & easdem prorsus rationes formales ipsius. Id vero probatur facilè ex eorum fundamento, quoniam ea, quæ distinguuntur ratione ratiocinata, vendicant conceptus præcisos saltem ex vna parte: attributa vero diuina ex ipsorum sententia non ita se habent: quare non est inter attributa distinctio rationis ratiocinatæ.

VI. Suadetur vero hæc sententia, primo argumento sumpto ex Aureolo in 1. dist. 45. quæst. vn. art. 3. propositione 2. quamuis in composito quantitatiuo possit superuenire distinctio non acquisita ratione aliqua absoluta, sed solum operatione intellectus: sicut linea per intellectum diuididitur in duas partes, tamen in re indiuisibili fieri nequit, vt intellectus constituat distinctionem, nisi quia substernit, siue fabricatur aliquid substratum eidem: quare, cùm Deus sit omnino indiuisibilis, non poterit intellectus immediate distinguere perfectiones diuinas aliter, quam fabricando rationes substractas illi distinctioni: quæ proinde erit solius rationis ratiocinantis, nec habebit fundamentum in re.

Aureol.

Secundo

secundo omnis distinctio rationis ratiocinatæ minuit vnitatem, ac simplicitatem: ergo cum Deus sit maximè vnus, ac simplex, non cadit in ipsum talis distinctio: cõsequentia patet, quoniam summe vnum, ac simplex, non est capax alicuius defectus penes vnitatem, aut simplicitatem. Maior propositio quo ad vnitatẽ probatur, quoniam magis vnum sunt illa, quæ nec ratione ratiocinata distinguuntur, quam illa, quæ eiusmodi distinctionem admittunt: nam magis vnum, & idem, sibi ipsi est rationale, quam sit cum animali: non alia de causa, quam quia à se nec ratione ratiocinata distinguitur, ab animali vero maximè. Quo ad simplicitatem vero ostenditur, quoniam quæcunque sunt plura, & vnum quasi integratum ex singulis, hocipso intelliguntur composita: omnes autem perfectiones diuinæ sunt vnum in Deo: quare si distinguuntur, & admittunt pluralitatem secundum rationem ratiocinatam, erunt etiam capaces compositionis. Tertio distinctio rationis ratiocinatæ sufficit ad veritatem propositionis negantis, constantis terminis abstractis siue rationibus obiectiuis, secundum quas est distinctio: sed in diuinis fiunt veræ prædicationes in abstracto: nam hæ propositiones; sapientia est iustitia, essentia est omnipotentia, & similes, sunt veræ, vt patet ex communi vsu loquendi sanctorum Patrum: ergo inter ipsas non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed tantum ratiocinantis. Maior propositio constat ex ijs, quæ apud nos plerique auctores censent non distingui, nisi ratione ratiocinata: nam omnium confessione hæ sunt falsæ; rationalitas est animalitas, vegetabilitas est sensibilitas: & tamen gradus Metaphysici non distinguuntur à parte rei: item falso dicitur, ratio superior est ratio inferior, cùm tamen sint idem ex natura rei.

VII. Dico secundum: Distinctio attributorum diuinorum non est solum materialis penes nomina synonyma. Hęc est communis Doctorum negantium nomina diuina esse synonyma, quos referam 2. p. lib. 2. in tractat. de nominibus Dei. pro eadem facit D. Basilius lib. 1. contra Eunomium paulò ante medium, vbi impugnat dictum illius asserentis ingenitum, cùm de Deo dicitur, sola in voce consistere, & cum hac simul opinione de re euanescere: item Athanas. & alij Patres citati, qui agnoscunt in diuinis nominibus diuersam significationem, nomina vero synonyma non habent diuersam significationẽ, sed eandem. Fundamentum conclusionis est, quoniam scriptura diuina, & Patres cum de Deo, & eius operibus loquuntur, quædam ascribunt his attributis, quædam alijs. At si inter illa esset sola distinctio penes voces, ex æquo possent tribui effectus vni attributo, ac cuiuis alteri: nihil enim interest vtrum dicatur, gladius scindit, an vero ensis scindit: cùm ergo speciali ratione punitio tribuatur iustitiæ, indulgentia, & remissio culpæ, misericordiæ diuinæ, non est inter eas distinctio solum penes nomina. Præterea Theologi, imò & Metaphysici ex quibusdam perfectionibus diuinis discurrunt ad alias, sumendo illas pro medio termino ad has demonstrandas. fieri autem nequit, vt medius terminus solum differat ab alio extremo nomine tenus, ita vt sint synonyma. Denique distinctio penes sola nomina, non simpliciter denominat rem distinctam ex parte rationum significatarum, sed ex parte solius intentionis resultantis ex mera comparatione eiusdem ad se ipsum, sub eadem omnino ratione conceptum: vt cum Socrates dicitur prædicatum, & subiectum, conceptus Socratis ex parte prædicati, & subiecti, est omnino similis quoad rem, & rationem significatam: sortitur vero distinctionem ex comparatione, & diuersa habitudine prædicati, & subiecti: at conceptus respondentes diuinis nominibus, tametsi conueniant in re significata, nõ tamen in rationibus obiectiuis, sub quibus illam significant: nec differunt sola habitudine rationis consequente modum intelligendi, sed etiam ex parte obiecti significati, cuius diuersas rationes attingunt: & ita D. Basilius vbi supra, contendit nomina diuina, etsi significant vnũ aliquid simplex, multiplici tamen ratione illud significare, quod in pluribus ostendit, & tandem concludit: *Ita si quis singula nominum pertractabit, multiplices, atq; varias rationes inueniet, quamuis vnum secundum substantiam ijs omnibus subijciatur*: loquitur de rationibus non inanibus, aut fictis animo, vt patet ex ipso contextu: quæ nõ distinguuntur solis nominibus, aut conceptibus synonymis.

Dico tertium: perfectiones diuinæ distinguuntur ratione ratiocinata, non sola ratiocinante. Hæc est communis Doctorum, asserentium distinctionem earum, habere fundamentum in re: quo secernitur distinctio rationis ratiocinatæ à distinctione rationis ratiocinantis: hæc enim habet principium, & complementum à solo intellectu, illa radicem, & fundamentum in re, complementum ex operatione intellectus. ita vero censent, sanctus Thomas

opuscul.

Basil. *Athanasius.* *Basilius.* *S. Thom.*

opuscul. 72. in responsione ad quartam quæstionem, & in 1. d. 2. quæst. vn. art. 2. in corpore Ægid. 1. p. distinctionis quæst. 3. art. 1. Henric. in sum. art. 51. quæst. 2. & 3. Ioannes de Bachone in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. §. 1. & art. 4. §. 1. Toletan. d. 8. quæst. vn. art. 2. conclusione 4. & art. 4. ad argumenta contra Corollar. quartæ conclusionis. Petrus de Tarantasia apud Carthusianum in 1. d. 2. quæst. 2. & idem Carthusian. post recitatã sententiam Alberti, Capreol. d. 8. quæst. 4. art. 1. in fine, & art. 2. ad 15. contra primam conclusionem, & ad confirmationem 15. Aureoli contra 2. conclusionem, vbi refert Paludanum idem asserentem, Hispalens. quæst. 4. art. 3. Notab. 2. & 4. & art. 4. ad 15. Aureoli contra 2. conclusionem, Soncin. eadem quæst. ad 5. Scoti contra 4. conclusionem. Caietan. quæst. 12. de ente, & essentia 2. propositione. Sylvest. 1. p. conflati quæst. 13. art. 7. §. 6. in fine. Ferrarien. lib. 1. contra Gentes cap. 35. §. *Vnde si quæratur.* Chrysostom. Iauell. 12. Metaphys. quæst. 19. eiusdem sententiæ sunt Doctores, quos referam cap. 8. asserentes, diuina attributa distingui virtute, & relati tractat. 2. cap. 8. qui docent conceptus attributorum non se inuicem includere. Fundamentum est, quoniam quoties plura nomina simplicia non sunt synonyma, significata ipsorum distinguuntur vel actu à parte rei, vel ratione ratiocinata: nomina perfectionum diuinarum non sunt synonyma, vt patet ex secunda assertione, quare cum non distinguantur actu ex natura rei, distingui debent ratione ratiocinata. Dictum est in maiore nomina simplicia: quoniam si comparentur simplicia cum complexis, vel complexa inter se, fieri poterit, vt sit sola distinctio penes rationem ratiocinantem, quamuis non sint synonyma: qua ratione diffinitio, ac diffinitum differunt sola ratione ratiocinante, vt patet ex cap. proximo, & tamen nõ sunt synonyma, est enim diffinitio aptũ medium ad demonstrandũ passionem de diffinito. In particulari vero impugnatur modus consequens ad sententiam recentiorum. Nã distinctio penes solum modũ tendẽdi in obiectum implicite, ac explicite sine vlla diuersitate ex parte rationum formalium, non est satis ad diuersitatem propositionum absolutarum penes veritatem, ac falsitatem: distinctio vero perfectionum diuinarum sufficit ad eam inducendam: ergo non est solum penes modum concipiendi implicite, & explicite. Maior ostenditur, quoniam quidquid affirmatur de prædicato singulari intrinseco subiecto, prædicatur de subiecto, & vice versa: nam si hæc est vera, hoc animal est sensitiuum, aut substantia, verum quoque est, Socrates est sensitiuus, & substãtia: si hæc est vera, Socrates currit, studet, est Philosophus, illa quoque vera est, hoc animal currit, studet, &c. & tamen hoc animal, & Socrates differunt penes modum significandi implicite, & explicite: Socrates enim dicit implicite animal, & cæteros gradus superiores, explicite vero conditiones indiuiduantes: hoc vero animal dicit explicite gradum animalitatis singularem per accidens, conditiones vero indiuiduantes, & cætera implicite. Assumptio vero patet: quoniam vt traditur in materia de Trinitate, hæc est vera, Verbum æternum procedit per intellectum: hæc vero falsa, Verbum æternum procedit per voluntatem: ex quo sequitur intellectum diuinum, & voluntatem distingui ex parte rationum obiectiuarum, & non ex solo modo significandi implicite, vel explicite.

IX. Ad explicanda testimonia auctorum in contrarium adducta, obseruandum est, distingui solo nomine, aut solo modo significandi aut concipiendi dupliciter vsurpari: primo pro omni distinctione rationis, quę saltem complete pendet ex modo concipiendi nostro, etiam quando est secundum rationem ratiocinatam, & hoc modo solum excluditur distinctio actualis, deinde vsurpatur pro distinctione, quæ principium, & complementum habet ex intellectu absque fundamento in re, ita vt ex parte eius non sit multiplicitas virtualis intelligibilitatis obiectiuæ, & hoc modo cum dicitur distinctio solum secundum rationem, aut secundum nomina, excluditur tam distinctio ex natura rei actualis, quam virtualis, siue fundamentalis. Hoc posito respondeo, testimonia auctorum in contrarium adducta, intelligẽda de distinctione secundum sola nomina, aut rationem priore modo accepta: loquuntur enim de nominibus, quatenus significatiua sunt, sic autem non dicuntur simpliciter diuersa, quando solo sono differunt, sed oportet vt insuper addant distinctionem significationis, quod specialiter videre est apud Magist. solum enim intendit excludere à diuinitate multiplicitatem actualem à parte rei, vt patet ex contextu. quærit enim cur, si Deus est simplex, multiplex dicatur à B. Augustino; & respondet: *hoc non propter diuersitatem accidentium, vel partium dicit, sed propter diuersitatem, ac multitudinem nominum.* Solum itaque vult his

nominibus non respondere plura ex natura rei distincta: qualia sunt plura accidentia, vel plures partes, quarum multiplicitatem reijcit, & ita cum admittit diuersitatem nominum, loquitur de ijs, quatenus significatiua sunt: nam nomina solum penes voces diuersa non indicant multiplicitatem, de qua loquitur August. eodem modo interpretandus est auctor ille apud Bedam. & Gilbertus cum ait, *Sub multorum diuersitate nominum vnum, & idem de personis diuinis substantialiter dici.* sumit enim nomina prout significantia sunt, & inuoluunt diuersos conceptus sibi respondentes, vt constat ex alijs verbis eiusdem eod. lib. §. *Si igitur interrogem*, versus finem, vbi sic ait. *Multis rationibus, & diuersis modis idem significamus, cùm dicimus, Deus, magnus, bonus, & eiusmodi, vt facimus in naturalibus, cùm dicimus homo, humanus, corpus, corporale, corporeum:* & tamen vt patet, homo, & humanus, corpus, & corporeum, non sunt nomina synonyma, nec differunt sola ratione ratiocinante.

Gilbert.

X. Ad primum argumentum neganda est consequentia. Nam quamuis ad distinctionem omnem rationis actualem, saltem quoad sui complementum, requiratur pluralitas rationũ formalium, siue conceptionum mentalium, quas intellectus effingit circa idem obiectum, tamen quo ad originem, siue fundamentum ipsarum est diuersitas: si enim fundamentum sit in re, erit distinctio rationis ratiocinatæ, si vero in solo intellectu, erit solius rationis ratiocinantis. Vt autẽ fundamentum sit in re, non obstat simplicitas rei: nam si cum simplicitate vendicet perfectionẽ obiectiuam sufficientẽ ad terminandos plures conceptus, saltem ex vna parte præcisos, verè habebit fundamentum sufficiens ad plures rationes mentales: atque ita ex eo, quod Deus sit simplex, & indiuisibilis secundum rem, non sequitur distingui sola ratione ratiocinante.

XI. Secundum argumentum tangit difficultatem explicatam tractat. 4. cap. 14. nempè vtrum Deo repugnet compositio rationis. Nunc ex ibi dictis suppono, non repugnare, quoniam solum se habet ex parte intellectus propter excellentiam obiecti simplicis, quod vnica sua ratione formali obiectiua adæquata, respondet pluribus mentalibus inuicem copulatis ab intellectu concipiente obiectum vnum quasi ex multis constitutum. Idemque dicendum de vnitate, cuius perfectio non consistit in eo, vt subiectum, nec ratione distingui possit, alioquin res vilissimæ verbi gratia punctũ, aut instans haberent perfectiorem vnitatem, quam Angelus, sed consistit in eo, vt cum in diuisione actuali coniunctam habeat maximam perfectionem entitatiuam, vt explicaui tractat. 3. huius libri cap. vlt. At vero multiplicitas secundum rationem prouenit ex perfectione subiecti, & ita tantum abest vt minuat de vnitate, vt potius indicet maiorem eius excellentiam, vt notat S. Thomas in 1. d. 2. quæst. vn. art. 2. ad primum, & recte explicat Henr. in sum. art. 51. quæst. 3. ad primum: In forma neganda est maior propositio. Ad cuius probationem, quatenus impugnat vnitatem, dicendum cum Syluestro in conflato q. 13. art. 6. circa solutionem ad secundum, aliquid dici dupliciter magis vnum, scilicet extensiuè, aut intensiuè: extensiuè cum habet plures negationes diuisionis, intensiuè cum eas perfectiore modo habet; & illa quidem, quæ nec re, nec ratione distinguuntur, sunt magis vnum extensiuè, quoniam habent duas negationes diuisionis, nempè secundum rem, & secundum rationem: verum non propterea erunt magis vnum intensiuè, imo forte minus: quoniam continebunt minus perfectionis actualis: vt videre est in intellectu, & odoratu: intellectus enim est magis intensiuè vnus quam odoratus: quoniam sub simili in diuisione in plura actu continet multo plus perfectionis, quam ille, & tamen subest pluribus distinctionibus secundum rationem quam ille, aut quiuis alius sensus. At cum vnitas, secundum quam Deus præfertur omnibus alijs entibus, sit secundum rem, non est absurdum, si secundum vnitatem rationis non dicatur maximè vnus extensiuè, quoniam ea vnitas non pertinet ad perfectionem, & absque illa adhuc manet infinite perfectus secundum vnitatem intensiuam. Ad confirmationem eiusdem maioris, quatenus agit de simplicitate, concedendum id, quod infertur, sed negandum id esse absurdum, vt dixi loco indicato.

S. Thom. *Henric.* *Syluest.*

XII. Tertium argumentum tangit alteram difficultatem de prædicatione diuinarum perfectionum in abstracto, de qua variè opinantur Theologi. Quidam enim negant esse veras in sensu formali, alij concedunt. Verùm mihi videtur vtendum distinctione, & primum quidem sentio, si verba, & conceptus adæquarentur rebus, posse verè de se inuicem enunciari ea omnia, inter quę non est relatiua oppositio: tamen quia noster intellectus nõ adæquatur obiecto, & concipit illud aliter, atque aliter per diuersos conceptus, si nostro intelli-

gendi

gendi modo loquamur dicendum est quæ dam prædicari in abstracto, quædam non. Illa prædicantur vere, ac formaliter in abstracto, quæ pertinent intrinsece ad rationem formalem alterius, vt à nobis concipitur: Illa vero non prædicantur, quæ mutuo præscindunt secundum conceptus formales, quos de ipsis habemus, & quoniam perfectiones oēs includuntur in essentia, verè dicitur, diuinitas est sapientia, iustitia, misericordia, & sic de cæteris. Quoniam vero iustitia abstrahit à misericordia & hæc à sapientia, & omnes, quæ significantur per modū habituum, vel actuum ab inuicem, fit vt hæ propositiones non sint veræ in sensu formali, sapientia est iustitia, iustitia est misericordia, misericordia est sapientia, & similes: quandoquidem illa, quæ mutuo abstrahuntur per conceptus formales, significantur vt diuersa, quæ autem ita significantur, non possunt vere enunciari in sensu formali, sed solum in identico: repugnat enim rem simul concipi, vt diuersam, & vt eandem. sed hac de re fusius tract. 7.

Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum, non est solum penes connotata.

Caput VII.

I. VT ex superioribus constat, distinctio rationis ratiocinatæ actu, & complete est ab intellectu, fundamentaliter ab obiecto: & quia distinctio fundamentalis est radix actualis, quæ datur per actum intellectus, de illa prius agendū est. Ea vero non est aliud, quam aptitudo quædam obiecti, seu potius vis determinandi intellectū, imperfecte intelligentem ad formandos plures conceptus præcisos saltem inadæquate, sub diuersis rationibus terminatos ad idem obiectum. obiectū enim eiusmodi spectatum in ordine ad intellectum inadæquate intelligentem, admittit distinctionē fundamentalem. Ratio vero fundamentalis eiusmodi triplex est, in primis perfectio, siue eminētia rei simplicis æquipollens pluribus actu ex natura rei distinctis, deinde entitas eiusdē rei simplicis apta terminare plures conceptus sub rationibus obiectiuis separabilibus, saltem in diuersis subiectis: vltimo tandē intelligibilitas obiectiua sub alia atque alia connotatione, & respectu ad plura actu, vel virtute distincta: vno enim ex his tribus modis se habet quodcunque ens vnum, & indistinctum in re, multiplex autem secundum rationem.

II. Perfectiones diuinas distingui solum per connotata censet Gregor. in 1. d. 8. q. 2. art. 2. Maior q. 1. alias 4. conclusione 3. Aliacens. q. 6. art. 2. in fine: & indicat Adam. d. 6. q. 1. post tertiam conclusionem, & ad vltimum contra eandem. id vero ex instituto probat Aureol. in 1. d. 8. q. 3. art. 6. & d. 45. q. vn. art. 3. Ait autem, nomina perfectionum diuinarū significare vnam, eandemque naturam diuinam absque vlla distinctione secundum rem, vel rationem in se ipsa connotando alia, quæ eidem subiecta sunt: qua ratione Deitas, quatenus ei subijcitur omnis productio, est omnipotentia: quatenus vero redditio debiti circa vnumquodque est iustitia, & quatenus omnia illi præsentia sunt, est sapientia: & ideò ait magis propriè dici perfectiones diuinas esse ipsammet essentiam, prout diuersa ei subijciuntur per modum terminorum, nec addere rationem aliquam absolutam, vel relatiuam realem, vel rationis, sed solum subijcere sibi diuersos terminos, atque obiecta. Id vero ostendit quæst. illa 3. art. 2. sigillatim enumerando diuersa genera perfectionum diuinarum: nam quædam sunt priuatiua, vt vnum, simplex, incommutabile: quædam positiua, vt voluntas, intellectus, sapientia: quædam priuatiua, simul ac positiua, vt æternitas, quæ ponit determinationem, ac priuat terminum, & immensitas, quæ ponit magnitudinem, & priuat limitationem. Quæ omnia nō important principaliter vllā positionem, sed sumuntur à certo connotato, vt vnum ab indiuisione, quæ non dicit aliquā rationem entis determinatam, sed totum conceptum entis; similiter conceptus simplicitatis importat illud, quod caret omni plurificatione multitudinis, quod nō est aliquid determinate, sed totus cōceptus entis. Idem cernitur in positiuis: nam intellectus importat illud, cui res sunt præsentes secundum esse obiectiuum: voluntas vero id, quod inclinatur in aliud apprehensum ab intellectu: iustitia, id quo quis reddit vnicuique quod suum est, & sic in reliquis. Denique in priuatiuis simul, ac positiuis idem patet: æternitas enim nō significat determinationem aliquā adiacentem Deitati, sed illud, quod potest attingere omnē determinationem temporalem in infinitum extensibilem, similiter etiam immensitas non dicit quandam magnitudinem alicui adiacentem: sed immensum est illud, quod potest attingere omnem locum, & immensitas id, quo hoc fieri potest. Constat autē quod in his principaliter, & in recto clauditur totus conceptus entis, quamuis in obliquo & connotatiuè

Gregor. Maior. Aliacensis. Adamus.

Aureol.

tatiuè includatur certus conceptus entis.

Henric. Eadem ferè est sententia Henrici in sum. art. 32. quæst. 4. à litera P. art. 51. quæst. 1. 2. & 3. ad 2. art. 68. q. 5. in solutione argum. & quodlib. 5. quæst. 1. à litera P. solum vero differat à sententia Aureoli, & aliorum, quod existimat diuina attributa significare præter essentiam respectus quosdam rationis, quibus respiciat ea, quæ Aureol. & alij, aiunt solum connotari.

III. Hanc vero sententiam ait Aureol. esse de mente Auicen. lib. 8. Met. per totum, *Auicen.* *Magister.* Magistri in 1. d. 45. cap. *Et vbicunque,* quo loco inquit, quando dicitur Deus scit vel est sciens, & est volens, diuina essentia prædicatur, & Deus esse enunciatur. Cùm autem dicitur, Deus scit omnia, monstrantur omnia subiecta esse diuinæ scientiæ: cùm vero dicitur, Deus vult hęc, vel illa, significatur Deum esse, cuius voluntati hæc, & illa subiecta sunt, ex quibus verbis colligitur perfectiones omnes in recto esse ipsam diuinam essentiam, & solum differre per connotata, quæ exprimuntur in obliquo. Ad idem art. citato propositione 3. profert plurima testimonia Patrum, quibus ostendit singula attributa esse ipsam diuinam essentiam, quare cum non possint includi in illa per modum partis, opus est vt includantur tanquam totaliter eadem intrinsecè, & in recto, quamuis distinguantur extrinsecè in connotato.

IV. Vis autem probationis quam art. illo 3. primis duabus propositionibus explicat, reduci potest ad duo capita: primum enim ostendit sat esse eiusmodi distinctionem, deinde esse omnino necessariam, nec aliam dari posse. Prima probatio nititur communi illo principio, non est ponenda pluralitas sine necessitate, sub quo ipse assumit ad tuendam simplicitatem diuinam, & vitanda absurda, quæ ex distinctione videntur sequi, sat esse solam distinctionem per connotata extrinseca absque multiplicitate intrinseca rei, vel rationis: ergo hæc sola danda est. Assumptio inprimis quo ad simplicitatem patet, nõ enim maior fingi potest, quam sublata multiplicitate omni intrinseca etiam secundũ rationem: quo ad vitanda absurda ostenditur, quoniam absurda, quæ fingi possunt nasci ex indistinctione, sunt nugacitas, & inanis repetitio eiusdem rei, contradictio, falsitas enunciationũ in abstracto, necessitas operationis intellectus ad verificanda ea, quæ verè insunt à parte rei, confusio cõceptus mentalis necessariò apprehendentis omnia, si vel vnum apprehendit: Hæc vero omnia vitantur posita distinctione extrinseca penes connotata. Inprimis quidem nugacitas, quoniam licet omnia importent idẽ in recto, tamen important diuersa in obliquo, aliud quippe est reddere vnicuique quod suum est, quod importat iustitia, aliud subleuare miserias aliorum, quod importat misericordia: & ita quamuis misericordia, & iustitia coincidant in idem omnino, tamen ei, quo redditur vnicuique, quod suum est, accidit, vt sit id, quo subleuantur miseriæ aliorum. Ideoque iustitia non prædicatur per se primo modo de misericordia: & cõsequenter nec nominata vna per se nominatur alia: nec nomina, vel cõceptus sunt synonymi. Deinde vero excluditur omnis contradictio, ad quam tollendam sat est distinctio penes cõnotata: id vero probat fusè, sat est exemplum sumptũ ab intellectu: nam intellectus practicus, & speculatiuus per sola connotata differunt, & tamen hæ nõ sunt veræ contradictoriæ, intellectus practicus discurrit circa agibilia, intellectus speculatiuus non discurrit circa agibilia, sunt enim simul veræ, quod pugnat cum natura contradictoriarum. Tertio retinetur veritas propositionum in abstracto, quoniam quãdo vna, eademque ratio importatur per plura nomina in recto, etsi differant in obliquo, vera erit prædicatio in abstracto: nam secundum Boëtium nulla est verior propositio illa, qua idem prędicatur de se ipso. *Boetius.* Quarto defenditur optime in Deo esse perfectiones circunscripto omni operante intellectus. Nã cum perfectiones intrinsecè, & in recto non sint aliud quam Deitas, eaque nullam rationem intrinsecè habeat à terminis connotatis, & sit in Deo ante omnem mentis operationem, manifestè sequitur in Deo esse omnem rationem perfectionis simpliciter ante actũ intellectus. Quinto retinetur distinctio, ac multiplicitas conceptuum formalium, dum mens modo apprehendit essentiam absolute absque vllo connotato, modo cum respectu ad hoc, vel illud.

V. Alterum caput multis etiam argumentis confimat. Primo quoniam distinctio adeò hæret rationibus absolutis, quas opposita sententia exigit in Deitate, vt nec intelligi possint singulæ absque propria vnitate, sapientia enim secundum se intelligitur vt ratio distincta, ita vt si in recto diceret rationem determinatam, & absolutam, existere nullibi posset absque distinctione: & ideò cõtradicentia loquuntur, qui aiunt perfectiones diuinas importare perfectiones determinatas intrinsecè, & absolutè exclusa distinctione, quam deinde circa illas constituat intellectus. Secundo si in diuina essentia est multiplicitas rationum

etiam

etiam secundum intellectum distinctarum necessariò sequitur vnum de tribus, nempè rationē Deitatis habere se ad alias, vel tanquam rationem disparatam, vel tanquā rationem vnā ex illis omnibus integratam, vel tanquam subſtratam eisdem: nullum ex his dari potest: ergo perfectiones diuinæ nō distinguuntur secundum rationes absolutas in essentia diuina: Non posse dari primum ostēdit, quoniam alioquin perfectiones diuinæ nō dicerentur de Deitate in abstracto, sed solum denominatiuè, itē quia Deus nō esset sapiens in quantū Deus, cùm nō esset sapiens per rationem Deitatis, sed per rationē sapientiæ disparate oppositam Deitati. Non secundum, quoniam eo dato diuinitas non esset simplex, & vna: imò haberet vnitatem instar acerui, quoniam rationes illæ concurrere nequeunt ad rationem vnam continuitate, aut compositione: non simplex quoniam simplicitas excludit omnem pluralitatem, & actu, & potentia: nō vna continuitate, quoniā in Deo non est quantitas continua: non vna vnitate compositionis, quoniam hæc supponit rationem actus, & potentiæ, quæ Deo repugnant. Non denique admittendum est tertium, tunc enim diuina essentia esset imperfectior omnibus illis rationibus, & perficeretur ab omnibus, & consequenter respectu ipsarum conciperetur quasi materialis: quæ omnia repugnant summæ essentiæ. Tertio quod probatum fuerit in vna perfectione, dicendum est in aliis: At velle diuinum exempli gratia non addit vllam rationem supra deitatem: ergo neque aliæ perfectiones. Assumptionem ostendit à simili, nam certum omnino est deitatem æque intrinsece esse volitionem, ac est illa qualitas creata voluntatis humanæ, qua homo dicitur formaliter volens: ad rationem vero huius qualitatis volitio nihil addit intrinsece, quamuis addat extrinsece transitū super volitum: Quapropter sicut hęc qualitas resolui nequit in duas rationes intrinsecas absolutas, quarum vna exprimat propriam quidditatem, altera quidditatem volitionis, ita neque in diuinitate erunt duæ rationes, quarum vna sit quidditas volitionis, alia quidditas Deitatis.

VI. Vt constet in quo sit controuersia, tria distingui possunt in hac sententia Aureoli: primum est, perfectiones diuinas non distingui per absoluta ex natura rei, nec esse extrinsecas, sed intrinsecas essentiæ diuinę: secundum, distingui per cōnotata: tertium denique, non distingui per rationes absolutas re ipsa indistinctas, & ratione ratiocinata differentes: In duobus primis consentio cum Aureolo, non enim admitto distinctionem formalem ex natura rei cum Scoto, neque nego diuersam connotationem sat esse ad diuersitatem nominum, & conceptuum, ita vt non sint synonyma: & consequenter vt si vnum de altero affirmetur, non sit identica propositio, sed sufficienter diuersa ad vitandam contradictionis veritatem: dissentio tamen quo ad tertium, & quamuis Aureolus plures attributorum modos assignet, tamen difficultas solum consistit in positiuis: nam negatiua, & ea, quæ partim positiua, partim negatiua sunt, ex parte, qua sunt negatiua, distingui negationibus certum est. An vero, quæ positiua sunt, distinguantur sola connotatione, id vero est in controuersia. Pro qua obseruandum est, duplicem posse assignari modum distinctionis penes connotata: Alter præter connotationem termini extrinseci nullam omnino rationem formalem positiuam importat ex parte præcipui significati, sed solum idipsum formaliter significat indicando connotatum in obliquo: quomodo distinguitur simitas, & curuitas: nam simitas in recto solam curuitatem importat connotando determinatum subiectum, & quæ hoc modo distinguuntur, non habent vllam diuersitatem penes perfectionem, & sublata connotatione non manet imminuta perfectio: Non enim curuitati alterius rei, ex eo, quod non sit simitas, aut naso non inhæreat, deest vlla ratio perfectionis. Alter vero modus vtroque nomine connotatiuo ita eandem rem importat, vt immediata ratio obiectiua vtrique respondens sit perfectio eiusmodi, vt si per impossibile altera subiecto deesset, hoc maneret minus perfectū: sicut se res habet in intellectu practico, ac speculatiuo: nā licet vtriusque conceptui respondeat eadem entitas, & quidditas intellectus cum diuersa connotatione ad obiectū operabile, aut speculabile, tamen si fingamus alteram ex his rationib⁹ deesse intellectui, profecto is maneret minus perfectus, ac modo est: hoc autem non aliundè prouenit, quam quia per eiusmodi connotationem designantur duæ rationes obiectiuæ distinctæ, virtute repertæ in vna, atque indiuisibili ratione essentiali intellectus, quæ nonnisi per ordinem, & connotationem ad diuersa obiecta percipi possunt: quemadmodum intellectus ipse, cuius inadæquatæ rationes sunt. distinguitur ab alijs potentijs per ordinem ad proprium obiectum. Notandum quoque, attributa quædam accipi adæquate secundum totam rationem aliquam attributalem, vt omnipotentia, & sapientia:

sapientia: quædam inadæquate, & quasi partialiter sub restrictione ad determinata obiecta, vt potentia creandi, quæ est idem cum omnipotentia, sumpta tamen sub limitatione ad factionem ex nihilo, scientia rerum naturalium, quæ est idem cum sapientia diuina, restricta tamen ad obiecta naturalia. Denique quædam habent à parte rei plura re, ac ratione specifica distincta, quibus æquipolleant, vt sapientia, ac iustitia, vis productiua leonis, & equi: quædam vero nõ habent, exempli causa vis creatiua Angeli, & materiæ primæ, & hæc magna ex parte sunt rationes quasi integrantes vnius rationis attributalis totalis, vt se habet vis creandi ad omnipotentiam.

VII. Dico primum. Perfectiones attributales positiuæ non distinguuntur connotatione rerũ creatarũ priore modo sumpta. Fundamentum est, quoniam si quæuis ex illis abesset Deo, is nõ esset æque perfectus, ac modo: sed defectus solius connotationis extrinsecæ non arguit minorem perfectionem, vt patet ex dictis: ergo perfectiones diuinæ positiuæ non distinguuntur priore illo modo connotationis. Maior propositio ostenditur, quoniam singula attributa sunt perfectiones simpliciter, quas melius est adesse, quam abesse cuiuis subiecto: non est autem melius, nisi quia subiectum ijs ornatum perfectius est, quam si ijsdem careat. Si quis autem respondeat, perfectiones attributales esse perfectiones simpliciter solum, quo ad significatum præcipuum, non vero quo ad connotationem: at vero significatum præcipuum, hoc est essentiam diuinam, semper manere, non fugiet vim argumenti. Nam sapientia secundum suam propriam rationem formalem, qua distinguitur à iustitia, ac cæteris perfectionibus simpliciter, & non solum ratione eius, in quo cum cæteris conuenit, est verè, ac propriè perfectio simpliciter; quæ euanescit dissoluta ratione sapientiæ, quantumuis manet ratio substantiæ, iustitiæ, misericordiæ, ac cæterarum: ergo si consideretur essentia diuina, quatenus est substantialis forma Dei cum reliquis omnibus perfectionibus, absque connotatione ad proprium obiectũ sapientiæ, & consequenter absque ratione sapientiæ, desiderabitur aliqua perfectio intrinseca Deo. Nec satisfit, dicẽdo sublata illa cõnotatione cõsequenter tolli essentiam: atque adeò sublata ratione sapientiæ, quæ ex ea cõnotatione pendet, tolli aliquã perfectionem simpliciter. Ego enim argumentor ex suppositione impossibili; nimirum quod maneat essentia sublata connotatione, ac ratione sapientiæ: qui modus argumentandi ad indagandas proprias rationes formales rerum est valde idoneus, & vsurpatus: at vero facta illa hypothesi manet essentia, & sola ratio sapientiæ desideratur, & tamen deest Deo aliqua perfectio positiua intrinseca: ergo quãtumuis ea indicetur per connotationem ad obiectum, est tamẽ formaliter in Deo virtute distincta à reliquis.

VIII. Dico secundum, nonnullæ rationes attributales inadæquatæ non distinguuntur aliter, quam cõnotatione rerum creatarum posteriore modo sumpta, aliæ vero absque vlla creaturarum cõnotatione distinguuntur. Prior pars ostenditur, quoniam eiusmodi rationes præcisè acceptæ distinguuntur ratione ratiocinata: non per æquipollentiam, non per separabilitatẽ saltem non mutuam: ergo per connotationem. Consequentia patet à sufficiente exclusione aliarũ distinctionũ secundum rationẽ ratiocinatam. Maior propositio est euidẽs: quoniam quãdo vtraque ratio mutua præcisa per intellectũ est re ipsa ens tale, vt per se existeret, ac terminaret conceptum, etsi per impossibile altera nõ existeret, nec esset apta terminare conceptum, mutuo distinguitur ratione ratiocinata: habet enim in re ipsa sufficiens fundamentũ intelligibilitatis obiectiuæ, in quam directò fertur conceptus: nec quo ad illam pendet ex consideratione intellectus, vt pendent illa, quæ sola ratione ratiocinante distinguuntur. Assumptio patet ex dictis: nã verbi gratia vis creatiua Angeli, & materiæ primæ nõ habet in creaturis plures potentias actu distinctas, quibus æquipolleat omnipotentia diuina, quatenus est productiua Angeli, & materiæ primæ: non distinguitur etiam per separabilitatem saltem non mutuam, nullibi enim reperitur vis creandi Angelum sine vi creandi materiam primam, & vice versa: cùm ergo sola restet connotatio, hæc sat erit ad distinctionem rationis ratiocinatæ. Hæc tamen connotatio supponit perfectionem intrinsecam: ipsa omnipotentia Dei virtute distincta quasi partialiter: nam si quouis modo fingantur duo subiecta, vnum cum potentia creandi Angelum præcisè, alterum solum cum potentia creandi materiam primam, vtrunque haberet perfectionem aliquam realem ex natura rei distinctam, quibus æquipolleret vnica potentia Dei. Verum quia non sunt dabiles tales potentiæ separatæ, idcirco omnipotentia Dei, quatenus productiua materiæ primæ, & Angeli, non dicitur distincta virtute per æquipollentiam, sed per con-

notatio-

notationem posteriore modo acceptam. Posterior pars ab omnibus recipitur, & facile ostenditur in amore Dei erga se, & cõprehensione sui ipsius: quæ sunt perfectiones diuinæ essentiales inadęquatæ respectu caritatis, & sapientiæ, quæ terminantur etiam secundario ad creaturas: prout tamen terminantur ad Deum, qui est obiectũ primarium, inter se, & ab alijs perfectionibus distinguuntur, non tamen per connotationem creaturarum.

X. Dico tertium: Nonnullæ rationes attributales adæquatæ, etsi connotationẽ creaturarum admittant, absq; illa tamẽ distinguũtur: ostẽditur, nam etsi demus Aureolo æternitatẽ, & immensitatẽ importare connotationẽ ad creaturas, tamẽ id ipsũ, quod cõnotatione explicatur, quatenus respondet cõceptibus, quos de æternitate, & immẽsitate formamus, formaliter, & intrinsece vẽdicat aliquã rationẽ formalẽ, quam non vendicat, quatenus respõdet cõceptibus aliarũ perfectionũ: etenim quatenꝰ respondet conceptui æternitatis, ęquipollet infinitę durationi successiuę: quatenus vero respõdet conceptui immensitatis, ęquipollet magnitudini vndecunq; infinitæ, & implenti omne spatium, quæ rationes sunt diuersæ, nec includuntur in se inuicem, aut in alijs præcisę sumptis: nam si per impossibile fingeretur Deus magnitudine finitus, duratione infinitus, æquipolleret omni tẽpori, nõ vero omni magnitudini; itẽ quãuis concipiatur infinite sapiens, ac iustus, si tamẽ negetur immẽsus, aut æternus, æquipollebit quidẽ omni sapientiæ, ac iustitiæ creatę, nõ tamẽ omni durationi, ac magnitudini: quare ęternus, & immensus nõ dicitur sola cõnotatione ad extra, sed propria ratione formali intrinseca, ex qua habet vt respondeat omni tẽpori, ac loco: quemadmodũ magnitudo creata ialtẽ secũdario dicitur per ordinẽ, & commensurationẽ ad locũ, & nihilominùs ipsa est entitas, & ratio positiua intima corpori. Quin verò etiam si immensitatem, atq; æternitatem nos aliter non intelligamus quam per cõnotationẽ ad durationẽ, magnitudinemq; creatam, tamen ipsę in se sunt perfectiones virtute distinctæ, priores rebus creatis: nam creatæ dicuntur per attributionem ad illas, atque adeo supponunt eas cõstitutas in sua ratione formali prius natura, quam ipsæ etiam secundùm esse impossibile intelligantur: id vero, quod præcedit aliud natura, non potest constitui connotatione ad illud: nam quidquid est priꝰ natura alio, habet totam suã rationem formalẽ, priusquam illud sit, aut intelligatur: quod vero constituitur cõnotatione ad aliud, non habet propriam rationem formalem, nisi intellecto eo, cuius connotatione constituitur, quare repugnat, vt æternitas, & immẽsitas, quæ sunt priora natura, quam duratio, ac magnitudo creata, constituantur connotatione ad illas.

IX. Dico quartum: in ijs quoque, quæ non intelliguntur à nobis absque cõnotatione ad obiecta extrinseca, distinctio non consistit sola cõnotatione ad illa: Loquor aũt de perfectionibus simpliciter, quæ Deo necessario conueniunt: nam qꝫ attinet ad actus liberos, est alia difficultas suo loco explicanda. Intelligitur itaq; assertio de omnipotentia, de misericordia, ac iustitia, significatis per modũ habitus, & alijs, quę habent obiecta extra Deũ. Hæc est de mente omniũ quos referam ca. seq. nu. 4. Ostenditur verò, quoniã in Deo est verè, ac proprie ratio omnipotentiæ, iustitiæ, ac misericordiæ, quatenus sunt perfectiones simpliciter, & sub eadem ratione habet distinctionẽ, propter quã est intelligibilis, ac nominabilis per cõceptus ac voces nõ synonymas, ratio verò perfectionis simpliciter in ijs nõ consistit in transitu super obiecta, neq; in cõnotatione ipsorũ, sed in entitate absoluta habente eiusmodi habitudinẽ: ergo neq; in Deo erit distinctio penes merã habitudinẽ, & cõnotationem, sed penes rationẽ perfectionis absolutæ: Consequentia patet, quoniam alioquin Deus nõ haberet ipsammet rationẽ perfectionũ eiusmodi, sed solũ aliquid ijs annexũ: & quasi extrinsecũ. Maior propositio quo ad priorẽ partẽ, patet ex tract. 2. c. 5. vbi ex cõmuni sententia ostẽdi perfectiones attributales esse vere, ac proprie in Deo, non solum potentia, aut metaphorice. Quoad posteriorem vero probatur, quoniam nisi in Deo sit distinctio rationis secundũ proprias rationes illarum perfectionum, non autem secundùm solum trãsitum, & connotationẽ obiecti extrinseci, ipse non erit verè sapiens, ac iustus. Nam quo aliquid constituitur secundum esse, eo ipso differt, & viceuersa: quare si sapientia diuina sola cõnotatione differt à iustitia, Deus non vendicat propriam, & intrinsecam rationem iustitiæ, ac sapiẽtiæ. Secundò, vt superius ostensum est, nomina attributalia dicunt in Deo certas, ac determinatas perfectiones, non minus cõpletas, & absolutas in suo genere, qꝫ sint in creaturis: in his aũt sunt perfectiones absolutæ, & distinctæ formaliter secũdum propriam rationẽ formalẽ, & nõ sola cõnotatione ad obiecta, ergo etiã in Deo erunt, nõ quidẽ reipsa, sed virtute, & secũ

dum rationem distinctę. Tertiò, quoniam aliud est rationes aliquas formales distingui per ordinem ad obiecta, aliud verò distingui formaliter sola cõnotatione obiectorum: nam potentiæ, & habitus naturales distinguuntur per ordinem ad obiecta, & tamen in ipsis est aliqua ratio formalis intrinseca, qua inuicem separantur, & non sola connotatio obiectorum; in habitu quippè iustitiæ, & misericordiæ est aliqua ratio positiue intrinseca, quæ intelligitur per diuersam connotationem ad obiecta: similiter ergo in Deo quamuis rationem iustitiæ, ac misericordiæ concipiamus sub diuersa connotatione ad obiecta, subest tamen ratio intrinseca mutuo virtute distincta, quæ non consistit in sola connotatione, sed in positiua, ac reali perfectione. Et cõfirmatur, quoniam modus distinctionis per rationes intrinsecas virtute distinctas non repugnat simplicitati diuinæ: & est perfectior, quam modus distinctionis per sola connotata: ergo hic reijciendus, ille admittendus est. Prior pars antecedentis ostenditur, quoniam multiplicitas virtualis non repugnat simplicitati: ex eo enim, quod virtus solis contineat eminenter virtutes elementales vnica entitate actu indiuisa, & sola virtute distincta, non est magis composita, quam calor ignis, aut siccitas terræ. Posterior autem pars ostenditur, quoniam distinctio per sola connotata non multiplicat formaliter rationes perfectionis simpliciter, nec ostendit infinitatem discretam perfectionum diuinarum, sicut distinctio virtualis per rationes formales intrinsecas: ergo hic modus perfectionis est perfectior illo. Antecedens constat, nam distinctio per sola connotata ponit in recto vnicam rationem obiectiuam, cum infinitudine connotatorum in obliquo: distinctio autem virtualis per rationes intrinsecas ponit in recto infinitudinem rationum formalium conuenientium Deo, & nostro modo intelligendi integrantium vnam rationem adæquatam diuinæ essentiæ, intensiuè & extensiuè infinitam: Quod verò dictum est de perfectionibus diuinis cõnotantibus res ad extra cum proportione, applicari debet ad illas, quæ connotant ad intra, vt se habet amor, & comprehensio sui. est enim eadem ratio.

XI. Autoritates quas Aureolus pro se adducit non concludunt: nam quamuis nominibus perfectionum diuinarum diuina essentia saltem materialiter significetur, & connotentur creaturæ, non proinde excluditur alius modus distinctionis, neq; is solus astruitur. Ad primum verò fundamentum respõdetur, etsi ille modus tueatur plurima eorum, quę in argumento adducuntur, nõ tamen idoneè explicare, aut defendere, quomodo perfectiones simpliciter communes Deo & creaturis verè illi conueniant, vt patet ex prima, & vltima assertione.

XII. Alterum fundamentum est falsum. Ad cuius primam confirmationem respõdeo, rationes cõmunes analogas perfectionibus diuinis, & creatis secundùm se non vendicare distinctionẽ actualem ex natura rei, sed solam distinctionem conceptibilitatis cum fundamento in re: & ideo hanc semper retinere etiam in Deo, non verò illam: & ita ex eo, quod in Deo distinguantur, non sequitur actualis distinctio, sed solum secundùm rationem. Ad secundùm danda est prima pars distinctionis contentæ maiore propositione. Ad eius impugnationem neganda est sequela: quoniam ea, quæ sola ratione distinguuntur cum fundamento in re, non desinunt esse simplicia, & vna, nec habent pluralitatem actualem, sed solum virtualem: cum verò dicitur simplicitatem excludere omnem potentialitatem actu, & potentia, si intelligatur de potentia in ordine ad distinctionem ex natura rei actualem, cõcedendum est, nihil enim verè simplex est in potentia, vt possit distingui actu ex natura rei: si verò de potentia in ordine ad distinctionem actualem secundùm rationẽ, negandũ: nam cũ maximè simplex sit, maximè perfectum, aptum est distingui actu secundùm rationem multipliciter concipientẽ. Item cùm ex eo, quod in Deo nõ sit vnitas secundùm continuationẽ, aut compositionẽ, infertur essentiam diuinam non esse vnã, si rationes non distinguantur per sola connotata. neganda est consequentia, quoniã rationes à parte rei indistinctę sunt vnũ non cõtinuitate, aut cõpositione, sed pura indiuisione, ac simplicitate, quam nõ violat multiplicitas secundum rationẽ. Ad tertium neganda est assumptio: nam essentia diuina, vel sumitur adæquate pro omni perfectione absoluta, quam formaliter, & essentialiter includit, quomodo velle diuinum non est ratio distincta, quasi superueniens essentiæ in sua ratione formali constitutæ, sed quasi ratio inadæquata intrinsece pertinens ad integram, & adæquatam rationem illius: vel sumitur prout à viatoribus concipitur, quasi forma substantialis Dei, fundamentum, & radix attributorum: & hac ratione velle

intelli-

intelligitur aduenire ipsi, quasi proprietas subiecto,& vtroque modo concipitur, vt ratio virtute distincta ab essentia. Ad probationem eiusdem assumptionis neganda est consequentia. Ratio est quoniam sapientia creata propter limitationem perfectionis essentialis intrinsecæ continetur certo genere, ac differentia, nec in ipsa reperiri potest duplex quidditas completa: altera, qua est qualitas, altera qua sapientia: nam qualitas determinatur ad ipsam quidditatem sapientiæ, per differentiam eius specificam. At essentia diuina vtpote pelagus perfectionis immensum, non solum est perfecta in ratione sapientiæ, sed in omni ratione perfectionis simpliciter, verbi gratia iustitiæ, misericordiæ, omnipotentiæ, vitæ, substantiæ: & ideo quamuis à parte rei non sit alia quidditas sapientiæ, alia substantiæ diuinæ, tamen quatenus vnica illa entitas perfectissima formaliter est substantia excellentiore modo, quam creatura, & formaliter sapiẽtia perfectius, quam creata, habet completam rationem quidditatiuam vtriusq;, nõ solum per connotationem extrinsecam, sed per inclusionem formalem,& intrinsecam per modum vnius perfectionis in actu, multiplicis autem virtute.

Perfectiones diuinæ distinguuntur virtute.

Caput VIII.

I. DVo restant modi distinctionis habentis fundamentum in re, nimirum separabilitatis, & æquipollentiæ. Neutrum verò ex his competere omnibus perfectionibus diuinis, probatur primò, quoniã ideæ in mente diuina nõ distinguuntur virtute: quoniam non æquipollent pluribus creatis actu distinctis. vt enim vnum æquipolleat pluribus, opus est, vt cõtineat saltem analogice perfectionem plurium, sicut essentia continet perfectionem sapientiæ, & iustitiæ respondentium iustitiæ, ac sapientiæ creatæ: in rebus autem creatis non est ratio ideæ: quare non sunt plura in ordine ad quæ sumatur distinctio virtualis idearum diuinarum. Non distinguuntur etiam ratione separabilitatis: quia omninò impossibile est, vt in aliquo subiecto reperiatur ratio vnius ideæ sine ratione alterius: verbi gratia, idea Hominis necessariò coniuncta est identice cum idea Angeli,& hæc cum idea Cæli,& viceuersa: probatur, quoniã ratio ideæ rerum creabilium solum conuenit primæ causæ exemplari: in hac aũt rationes ideales, non sunt actu distinctæ ex natura rei: quare distinctio idearum fundari nequit in separabilitate. Idem argumentũ accõmodari potest omnipotentiæ, quatenus habet pro obiecto effectus à solo Deo producibiles, v. g. Angelos, materiam primã, animam rationalem,& similia: nam prẽcise sumpta, prout terminatur ad singula obiecta specie distincta, habet distinctionẽ rationis cũ fundamento in re: nec tamen illi respondent in creatura plura, quibus æquipolleat: nec in vllo obiecto ratiões illæ separari possũt: quare duo illi modi distinctionis adaptari nequeũt omnibus perfectionibus diuinis. Maior propositio patet: nam termini contradictorij etiam sub reduplicatione, non possunt enũciari de eadem re, absq; aliqua distinctione: de omnipotẽtia verò, prout respicit obiecta specifice diuersa, enũciantur termini cõtradictorij sub reduplicatione: nam quaten' respicit Angelũ, est productiua illius, & non Hominis: quatenus vero respicit hominẽ est productiua eius, & non Angeli. Respõderi potest, solã distinctionem rationis ratiocinantis ad hoc sufficere: nam Petrus prout subit vicem prædicati,& subiecti, sola ratione ratiocinante distinguitur,&tamen de ipso possunt enũciari termini contradictorij sub reduplicatione. Verum hac responsione non satis fit argumẽto: est enim varietas penes reduplicationem, quæ modo reduplicat rationem, quæ non nisi per intellectum existit, modo eam, quæ est in re: si ratio reduplicata solum sit obiectiue in mente, erit solũ distinctio rationis ratiocinantis, vt se res habet in exẽplo proposito: nam ratio prædicati & subiecti est purum ens rationis: si verò sit in re, erit saltẽ distinctio rationis ratiocinatæ, vt quando dicitur homo quatenus substantia existit per se, nõ verò quatenus ens, ratio enim entis,& substantiæ in rebus ipsis existunt. At ratio productiua hominis, vel Angeli, est à parte rei in Deo absq; operatione intellectus, ergò si sub ea affirmantur termini contradictorij de omnipotentia, dicendum omninò est, ipsam quatenus est productiua hominis distingui ratione ratiocinata à se ipsa, quatenus est productiua Angeli. Tertiò, immensitas, infinitas, æternitas,& aliæ perfectiones, quæ soli Deo conueniunt, non sunt vllo modo in diuersis subiectis separabiles: iam enim competerent creaturæ: nec æquipollent similibus perfectionibus repertis in creatura, vt patet: quare dandus est alius modus distinctionis,

qui

qui non sit secundùm æquipollentiam, aut separabilitatem. Contra eandem distinctionem per æquipollentiam arguit Henric. quodlib.5.q.1. quoniam hic modus distinctionis confundit rationes ideales cum attributalibus; eæ verò sunt diuersæ: quoniam rationes ideales non sunt formaliter, sed eminenter illa, quibus æquipollent: rationes verò attributales dicunt perfectiones simpliciter, & formaliter cõuenientes Deo. Sequela Maioris ostenditur, quoniam perfectiones creatæ, à quibus sumitur distinctio diuinarũ, sunt secundùm modos determinatos, ac limitatos perfectionum diuersarum inter se, & à diuinis. At secundùm hoc ipsum sunt participationes perfectionum diuinarum, à quibus tanquam ab ideis exemplantur.

Henricus.

II. Perfectiones diuinæ, quædam nostro intelligendi modo se habent, vt integræ, atque completæ secundùm aliquam rationem formalem, quædam adinstar partium virtualium, quibus priores integrantur. Priores continent omnem modum perfectionis possibilem sub propria ratione formali: hoc modo se habent sapientia, iustitia, omnipotentia: nam sapientia diuina includit formaliter, & intrinsece, quidquid pertinet ad integram, & perfectam rationem sciendi, eodemque modo iustitia, & omnipotentia in suo genere: posteriores continent inadæquate aliquid intrinsece pertinens ad rationes primarias: quemadmodum scientia Dei, quatenus æquipollet Mathematicæ, aut Philosophiæ naturali, continet aliquid intrinsece pertinens ad rationem perfectam sapientiæ diuinæ, non tamen totam, & adæquatam rationem illius. Quemadmodum verò, in rebus creatis consideramus gradus Metaphysicos, & partes integrantes eiusdem compositi, ita concipere possumus in diuinis quædam prædicata instar graduum Metaphysicorũ, quorum singula per se non sunt ratio integra, & completa, sed alia in alijs includuntur, vt se habet ratio entis, substantiæ, vitæ, intellectualitatis, quorum priora includuntur in posterioribus, & vltimum significat integrã, completamque rationem substantialem: priora verò, respectu eius habẽt rationem partium Metaphysicarum virtualiũ; concipere item possumus alia instar partium integrantium virtualium, qua ratione multæ ideæ sunt quasi partes virtuales vniꝰ exemplaris perfectissimi: notitiæ obiectorum specie, vel genere differentiũ quasi partes virtuales sapientiæ diuinæ.

III. Distinctio virtualis non eodem modo accipitur à Doctoribus. Quidam enim ita illam explicant, vt contineat omnem distinctionem rationis ratiocinatæ, & reciprocetur cum fundamentali: aiunt enim esse illã, qua res indistincta actu potest causare, vel terminare plures conceptus non synonymos. ita Henric. quodlibet.13.q.1. & Torr.1.p.q.28.ar.2.d.1.p.2. prope finẽ: sed hæc acceptio est nimis ampla. comprehendit enim etiam ea, quæ per solam connotationem distinguuntur. Alij magis presse illa dicũt distingui virtute, quæ terminare possunt conceptus formales eandẽ rem imperfectè repræsentantes. Ita Caietan. de ente, & essentia q.12. propositione 2. & Ferrarien. lib.1. cõtra Gentes cap. 35. §. *Vnde si quæratur*, Capreol. in 1.d.8.q.4. ar.1. in fine: Hispalen. q.etiam 4.art.4. ad 9. ex vltimo loco positis contra secundam conclusionem, Franciscus à Christo distinct.2. quæst.3. conclusione 4. ad hanc acceptionem pertinent etiam illa, quæ per cõnotationem fundatã in ratione obiectiua, & quę per solã separabilitatẽ distinguũtur: plura enim possũt terminare diuersos cõceptus precisos saltẽ ex altera parte, quę tamen nõ continent eminenter plura actu distincta. Alio modo magis proprie accipitur distinctio virtualis siue eminentialis, vt alij loquũtur, pro ea, quę cõuenit perfectioni simplici æquipollenter, vel eminẽter cõtinenti perfectiones in rebus alijs actu ex natura rei distinctas: quẽ pacto vtvtar exẽplo inducto à D. Thoma lib.1. cõtra Gentes c.31. sol vnica virtute continet calorem, ac siccitatẽ, quæ est duplex qualitas in igne. Potest verò distinctio virtualis ita accepta describi in hunc modũ: distinctio virtualis est multiplicitas virtualis perfectionis simplicis æquipollenter, aut eminenter, cõtinentis perfectiones similes in rebꝰ alijs ex natura rei distinctas: ita Clypeus Thomist. Caiet. Iauell. Fonsec. Molin. Frãcis. à Christo, & ante ipsos Gofred. Durand. & And. de Nouo Castro, qõs in locis mox citandis: ideoq; non rectè dictum est à Petro Ledesm. q.2. de diuina perfectione ar.2. Caiet. fuisse primum inuentorẽ huius distinctionis: & quamuis Castro Nouo dicat in Deo dari eiusmodi distinctionẽ, quia æquiualet infinitis perfectionibus absque imperfectione, hoc tamẽ absolute non requiritur ad distinctionẽ virtualẽ, q̃ in alijs quoq; datur præter quã in Deo. Hãc æquipollentiam distinctionis virtualis aliqui Doctores explicant per ordinẽ ad diuersos cõceptus, dicẽtes, ea distingui virtute, quæ æquipollent pluribus ex natura rei actu distinctis in facultate mouendi intellectũ ad

Henricus. Torres. Caietan. Ferrarien. Capreol. Hispalen. Franc. à Chr. S. Thom. Clypeus. Caietan. Iauellus. Molin. Franc. à Chr. Goffred. Durand. Nou. Castr. Ledesma.

diuersas

diuersas conceptiones. ita Toletan. statim referendus.

IV. Dico primùm: Perfectiones diuinæ nostro intelligendi modo integræ, atq; completæ, secundùm propriam rationem formalem distinguũtur inter se, & ab essentia virtute, siue eminenter. Hæc asseritur à Goffredo apud Aureol. in 1.d.8.q.3.art.1. vt patet ex penultimo argumento pro ipsius opinione allato. Durand.d.2.q.3. numero 15. Toletan.d.8.q.vn.art.2. Conclusione 4. Andr. de Nouo Castro.d.32.q.1.§. *Ad confirmationem*, ad tertium argumẽtum Clyp. Thomist.q.10. in Porphyr. art. 1. ad 3. contra 2. conclusionem. Caietan. de ente, & essentia, q.12. in fine. Francisco à Christo loco citato. Iauell.12. Metaphys.q. 19. in fine. Fonsec.5. Metaph.c.6.q.6.sect.3. Molin.1.p.q.28.art.2. disp.2. conclusione 3. & eiusdem sententiæ sunt Doctores asserentes, rationes diuinorum attributorum distingui, quia species, per quas agnoscuntur, desumuntur à diuersis perfectionibus, quę reperiuntur dispersæ in creaturis, vel conceptus attributorum, ita imperfecte repręsentare diuinas perfectiones, vt creaturæ, in quibus similes reperiuntur: quos omnes retuli tract.2.cap.8.num.4. hi enim manifeste supponunt dari hanc distinctionem virtualem, & per æquipollentiam ad perfectiones creatas actu distinctas. Conclusio ostẽditur: perfectiones diuinę integræ, & totales in suo genere respondent pluribus entibus ex natura rei distinctis, & continent multo perfectius rationes formales perfectionis, quam ipsa essentia creata: ergo distinguuntur virtute, & eminenter. Consequentia patet ex dictis: antecedens est de mente D. Augustini lib. 15. de Trinitate cap.17. vbi sic habet. *Nec distent in eis*, scilicet personis diuinis *ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligẽtia, aliud dilectio, siue charitas, sed vnum aliquid sit, quod omnia valeat.* Ratione verò ostenditur quo ad priorem partem: nam in primis ratio essentiæ, siue substantiæ in nobis reperitur actu distincta à perfectionibus attributalibus, vt per se patet: alia enim est ratio substantiæ creatæ, alia ratio sapientiæ, iustitiæ, & aliarum perfectionum accidentalium, & ita Deitas, vt eminenter continens substantiam creatam, & perfectiones eius accidentales, vendicat distinctionem virtualem. Itẽ perfectiones creatę accidentales re ipsa differunt in creaturis, verbi gratia, sapientia, iustitia, misericordia: ergo vnica perfectio Dei, quatenus singulis æquipollet, admittit distinctionem virtualem, & quamuis æternitati, immensitati, & infinitati non videatur respondere aliquid in creatura, respondet tamen suo modo: immensitati enim respondet quantitas commensurabilis loco, æternitati duratio secũdùm existentiam, infinitati quantitas virtualis perfectionis vnius cuiusque rei. Posterior pars antecedẽtis est per se nota, nec indiget probatione: omnis enim ratio formalis perfectionis simpliciter communis Deo, & creaturę, multo perfectius est in Deo tanquã in fonte omnis perfectionis: quare sicut ratio sapientię in nobis est perfectio absoluta, ac determinata secundùm esse, actuale distincta ex natura rei à ratiõe misericordiæ, iustitiæ, ac cęterarum: ita ratio sapientię in Deo est perfectio absoluta, ac determinata, virtualiter distincta à ratione misericordiæ, ac cæterarum. Ex quo magis elucet modus huius distinctionis virtualis: sic enim se habent perfectiones diuinæ quo ad proprias rationes formales, sic singulę nostro modo intelligendi tribuunt Deo suum esse formale, ac si essent ex natura rei distinctę, ita vt Deus verè per misericordiæ rationem sit misericors, ratione iustitiæ iustus, & sic in cæteris. Nam si per impossibile fingãtur abesse reliquæ omnes, & misericordia tantũ manere, ab ea verè diceretur misericors. Ex hac itaque æquipollentia eminentiali dicuntur perfectiones diuinæ distingui virtute.

V. Dico secundùm. Ex perfectionibus quasi partialibus, quædam distinguuntur virtute, non tamen omnes, sed quædam ex connotato, quædam ratione separabilitatis. Prima pars constat, quoniam sapientia diuina quatenus æquipollet diuersis scientijs naturalibus, & diuersis actibus singularum, admittit distinctionem virtualem: nam sub ea ratione, qua comprehendit omnem quantitatem continuam, ac discretam, & omnes ipsarum proportiones, æquipollet, imò & superexcellit omnibus scientijs Mathematicis, & sumpta sub eadem præcise ratione non æquipollet Metaphysicæ: & ita virtualiter distinguitur à semetipsa, quatenus æquipollet alijs, atque alijs scientijs creatis. Idem quoque patet in omnipotentia, quatenus æquipollet diuersis potentijs naturalibus creaturæ. Secunda pars ostenditur, nam ratio substantiæ, ac vitæ substãtialis, sunt quasi partiales respectu essentiæ diuinæ, vt est forma substantialis Dei: & nihilominùs non distinguuntur virtute ad modũ explicatũ. quamuis. n. in rebus creatis sint quędã substantiæ vitæ expertes, alię participes, & vtrisque æquipolleat essentia

diuina

diuina eminentia suæ perfectionis, nihilominus cum ratio substantiæ,ac vitæ non se habeant tanquam duæ perfectiones disparatæ, sed vna sit de ratione alterius, & vtraque reperiatur in substantia viuente, perfectio ijs æquipollens non censetur æquipollere duabus perfectionibus ex natura rei distinctis : neque ad id sufficit, vt in diuersis substantiis ex natura rei distinguantur : alioquin ipsa quoque ratio vitæ distingueretur virtute, ex eo, quod in creaturis diuersis sit vita ex natura rei distincta. Quod euidentius apparet in ratione substantiæ, & entis : nam quia ens, & substantia non distinguuntur à parte rei, tametsi in accidentibus separata sit ratio entis à ratione substantiæ, non proinde in Angelo ratio entis, ac substantiæ distinguuntur virtute. Eodem modo philosophandum de reliquis omnibus perfectionibus diuinis quasi partialibus, quibus non respondent in creaturis aliæ distinctæ actu, vt se habet potentia creandi Angelum,materiam primam, gratiam, & similia. non enim illi respondent in creatura vllæ potentiæ actiuæ ratione aliqua similes,quibus æquipolleat diuina potentia,& posit dici quatenus est productiua gratię, virtute distingui à semetipsa quatenus est creatiua Angeli: Ex quo etiam patet tertia eiusdem assertionis pars, nam ex connotatione effectuum, quos continet omnipotentia, sumitur distinctio eiusdem à se fundamentalis, de qua dixi capi. præcedent. numero 8. Denique quarta facilè constat, quoniam ratio substantiæ, vitæ, & intellectualitatis, in Deo distinguitur ratione separabilitatis in diuersis subiectis. In creaturis enim reperitur ratio substantiæ sine ratione vitæ, & ratio vitæ sine ratione intellectualitatis : ex quo plane constat,omnes has etiam in Deo esse conceptibiliter diuersas,& habere fundamentum in re distinctionis actualis, quam sortiuntur ex operatione intellectus: si enim substantiæ,qua substantiæ, non repugnat separari re ipsa à ratione vitæ,multo minùs repugnabit separari secundum apprehensionem intellectus. Ex quibus omnibus constat omnia attributa tam adæquata, quam partialia, distingui virtuali distinctione in secunda acceptione à Capreol. Hispal. Caietan. & Ferrariens. numero 3. explicata,omnia enim sunt apta terminare diuersos cõceptus, adæquate repræsentantes eandem ratio̲nem obiectiuam.

VI. Contra hanc assertionem obijcitur, quoniam vna ratio specifica, absque vlla distinctione etiam virtuali potest habere ordinem ad plures actus, & obiecta re ipsa distincta specie. At verò perfectiones diuinæ primariæ, & quasi totales,singulæ habent in Deo propriam, & quasi specificam rationem, qua distinguuntur à creatis: ergò nõ admittunt distinctionem virtualem plurium rationum sibi intrinsecarum,quantumlibet cõnotent effectus, aut obiecta distincta ex natura rei. Maior proposito ostenditur in potentijs sensitiuis : sunt enim singulæ re, ac ratione distinctæ, & tamen eliciunt plures actus, & versantur circa obiecta materialia specie diuersa : idemque patet in intellectu, ac voluntate,quorum vterque præter ordinem ad plures actus, & obiecta specie diuersa,æquipollet etiam pluribus potentijs inferioribus : nempè voluntas vtrique appetitui, intellectus sensibus omnib' externis,& internis: nec tamen ratione huius connotationis, aut æquipollentiæ sortiuntur vllam distinctionẽ virtualem. Assumptio verò est euidens : nam omnipotentia diuina habet vnicam rationem quasi specificam, imò indiuidualem, quam intelligimus ex habitudine ad obiectum eius formale,nempe ens posibile, idemque in sapientia, & quouis alio attributo primario.

VII. Propter hoc argumentum quidam recentiores inter sola attributa primaria agnoscunt virtualem distinctionem, negant verò in quolibet,prout diuersimode comparatur ad diuersa obiecta, quæ respuit, vel ad perfectiones inferiores ordinis, quibus æquipollet. Immeritò tamen & contra eos,qui hanc distinctionem virtualem inuexerunt. Nam plerique ad eam explicandam vtuntur exemplo petito à virtute solis : quæ vna cum sit, continet eminenter plures virtutes ignis : & tamen illa vnica virtus solis habet suam rationẽ specificam re ipsa indiuisibilem, sumptam à suo obiecto ; Item ratio superior, & inferior, intellectus practicus,ac speculatiuus, distinguuntur ratione ratiocinata,& nihilominùs re ipsa sunt vna, atque indiuisibilis potentia intellectiua. Ex quo patet, indiuisibilitatem realem secundùm vnicam rationem specificam, sumptam ab vna ratione formali, obiecti non impedire distinctionem fundamentalem, si adsit, vel æquipollentia plurium ex natura rei differentium, vel connotatio ad diuersa. Et ita quamuis singula attributa primaria, & quasi totalia, secundùm adæquatam rationem sint vnius specificæ, imò indiuidualis essentiæ, tamen sub ea ipsa patiuntur distinctionem rationis ratiocinatæ, siue per

æqui-

æquiualentiam, siue quouis alio modo. Etenim ipsa quoque diuinitas adæquate sumpta, est vna simplicissima, specifica, imò singularis ratio: & tamen id non obstat, quo minùs admittat distinctionem virtualem aliarum rationum ipsi intrinsecarum: cur ergò quæuis alia ratio attributalis primaria, si adsit similis æquipollentia, aut connotatio, non patietur distinctionem virtualem, rationum quasi partialium eidem intrinsecarum.

VIII. In forma ad argumentum distinguenda est maior. si enim ratio illa specifice, vel indiuidualiter vna concipiatur absolute in se, absque æquipollentia plurium ex natura rei differentium, vel connotatione ad actus, vel obiecta specie distincta, nõ exercebitur distinctio fundamentalis; quoniam consideratur res prout vna est: si verò præcisè concipiatur modo pruot connotat, aut continet hæc, modo prout connotat, aut continet alia, absque dubio sortietur distinctionem rationis ratiocinatæ: quandoquidem sub illis conceptibus habet aliquam distinctionem, non solius rationis ratiocinantis, quia ratio obiectiua vtriusque conceptus est in re ipsa, non facta ab intellectu: si quidem reipsa omnipotentia diuina, verbi gratia, est creatrix cæli, & Angelorum. Ad confirmationem maioris respondeo, si potentiæ sensitiuæ concipiantur diuersis conceptibus præcisis, modo prout respiciunt hæc obiecta, modo prout illa, habituras distinctionem rationis ratiocinatæ: idemque dicendum de intellectu, ac voluntate: quia tamen non est in vsu, vt sic concipiantur, aut nominentur respectu quorumlibet, idcirco videntur non sortiri eiusmodi distinctionem, in nonnullis tamen est vsus ita concipiendi, ac nominandi, vt patet in allatis exẽplis intellectus, & in voluntate quam Theologi modo considerant vt naturam, modo vt liberam: & nihilominùs in re est vna indiuisibilis, ac specifica ratio potentiæ naturalis.

IX. Argumenta initio proposita non impugnant absolute distinctionem virtualem, sed quo ad determinata quædam attributa, quæ licet ita non distinguerentur, restãt alia capacia eius distinctionis: Ad quoniam ideæ, de quibus agitur in primo argumento, vendicant etiam distinctionem virtualem, negãdum est antecedens. Nam ideæ vel sunt rationes intellectæ in mente diuina, ad quarum similitudinẽ Deus operatur ad extra: vel ipsa essentia diuina, vt passiuè imitabilis diuersimode à creaturis, si priore modo accipiantur, eminenter æquipollent diuersis conceptionibus creatis: si posteriore, æquipollent rebus ipsis quarum ideæ sunt: nam essentia diuina, vt imitabilis ab Angelo, superexcellenter respondet entitati, ac perfectioni Angeli, vt verò imitabilis ab homine, respondet eodem modo essentiæ, ac perfectioni hominis, & sic in cæteris. Ad rationem, qua hoc impugnatur, respondetur, vt perfectio aliqua simplex æquipolleat pluribus, ratione cuius æquipollentia dicatur virtute didistingui, non opus esse, vt ea contineat secundùm eam rationem formalem, qua sunt in se ipsis: vt patet in virtute solis, quę respondet diuersis virtutibus elementorũ, calefactiuæ, desiccatiuæ, & alijs: nec tamen vis eius calefactiua, est eiusdẽ rationis cum calore ignis, qui est virtus eius calefactiua, sed sat est vt cõtineat eminenter. At verò diuina essentia, vt idea rerũ eminenter cõtinet omnem entitatem, ac perfectionem ipsarum vsque ad vltimas differentias. Ad secundùm dicendum est, potentiam creatiuam huius, vel illius speciei non constituere per se perfectionem aliquam attributalem integram, atque perfectam, sed quasi partialem comparatione omnipotentiæ, quæ nostro modo intelligendi est ratio attributalis integra in ratione potentiæ actiuæ: perfectiones verò quasi partiales non necessariò distinguuntur virtute per æquipollentiam similium creatarum, vt explicatum est. Nec verò distinguuntur ita per connotata, quasi nihil fundamentaliter distinctum in recto respondeat conceptui vnius, quod non respondeat conceptui alterius. sed quia non est aliud, ex quo possit à nobis intelligi distinctio fundamentalis ipsarum, nisi fortè aliquis eam velit explicare per æquipollentiam conditionalem, nempe quia si per impossibile darentur in rebus creatis diuersæ potentiæ actiuæ ad creandam materiam primam, Angelum, & gratiam, omnipotẽtia diuina ijs omnibus æquipolleret. proinde quatenus continet Angelum tanquam causa efficiens, distinguitur à semetipsa: quatenus cõtinet materiam primã, & creaturas alias specie, vel genere distinctas. Tertij solutio patet ex dictis. illa enim attributa quoad positiuum, quod important, æquipollent rebus creatis: nempe immensitas locabilitati omnis creaturæ, infinitas quantitati formali, ac virtuali, æternitas durationi. Ad argumẽtum Henr. neganda est maior: & ad eius confirmationem respondeo, hoc discrimen esse inter rationes attributales, & ideales respectu rerũ creatarum, quod

ideales respondent toti naturæ, & quidditati rei secundùm omnes rationes ipsius, siue sint perfectiones simpliciter, siue non: nam lapis secundùm propriam rationem specificam non est perfectio simpliciter: & nihilominùs respondet illi in mente diuina propria idea ipsius: non respõdet autem vlla ratio attributalis: quoniam hæc solum respondet rebus, quatenus habent rationem perfectionis simpliciter; & ita, quamuis omnis perfectio creata respondens perfectioni attributali, respõdeat etiam ideali, non tamen omnis respondens ideali sub omni ratione, qua respondet illi, respondet etiam attributali, vt constat exemplo lapidis, & plurium aliorum: ex quo prouenit, vt ratio idealis nõ necessario cõueniat formaliter cum ideato in ratione analogica, secundũ proprium nomen ideati, ratio verò attributalis necessario cõueniat cum creaturis, per quarum æquipollentiam distinguitur ab alijs rationibus attributalibus.

De subiecto, ratione, & causa multiplicitatis diuinorum attributorum.

Caput IX.

I. EXplicata distinctione fundamentali perfectionum diuinarum, reliquum est vt ad actualem explicandam accedam. Ea verò, vt sæpius indicatum est suprà, cõsistit in multiplici esse intellecto vnius obiecti simplicis. Vt verò exactè intelligatur, agendum est de subiecto, de propria ratione, tum demùm de causa eius multiplicitatis. Quod attinet ad subiectum, perspicuum est, & à Sancto Thoma in 1.d.2.q. vn.articul.3.ad 4.& 5. & alijs Doctoribus communiter assertum, multiplicitatem, in qua fundatur distinctio rationis, esse subiectiuè in intellectu: fundamentũ est, quoniam nõ est in obiecto: alioquin esset multiplex, ac distinctum reipsa, non autem secundùm rationem: ergò in intellectu. Patet cõsequentia quoniam multiplicitas, secundùm quam res actu distinguitur, fundari debet in aliquo esse ipsius: non est aũt nisi duplex esse, nimirum reale, & intellectum: ergò si multiplicitas actualis distinctionis secundùm rationem non est subiectiuè in obiecto, erit in intellectu. *S. Thom.*

II. Quod verò attinet ad propriam rationem cuius multiplicitatis, dubiũ est vtrum debeat esse realis, an verò sufficiat virtualis. Hanc sufficere existimant Doctores, qui dicunt attributa sortiri distinctionem rationis ab æterno per cognitionem intellectus diuini absque vllo ordine ad intellectum creatum. Ita Henric. in sum.art.51.q. 1.art.68.q.5.ad argumenta, & quodlibet.5. q.1. & eum secutus Gulielm. Varro apud Aureolum in 1.d.8.q.3. art.1. Ratio dubitandi est, quoniam vt ait Caietan. de ente, & essentia, q.12.ad 3.non est contra philosophiam, asserere distinctionem causari actualiter per actũ intellectus diuini: distinctio verò actualis necessariò supponit multiplicitatem propriam, tanquã fundamentum: at verò intellectu diuino nõ sunt plures actus re ipsa, sed solum virtute distincti: ergò ad actualẽ distinctionem rationis sat est multiplicitas conceptuũ virtualis. Et cõfirmatur quoniã relatio nõ existit absq; proprio fundamento: at verò in mente diuina dari de facto ab æterno relationẽ distinctionis inter attributa ca.vlt. ostendetur: ergò etiã datur multiplicitas secũdùm esse intellectum necessaria ad relationem: non actualis, vt patet: ergo sufficit virtualis. Secundò, ideę diuinæ consistunt in actu mentis diuinæ concipientis essentiam, vt multipliciter imitabilem: & tamen de cõmuni sententia sunt, ac dicuntur multæ, & consequenter distinctæ: ergò multiplicitas præuia distinctioni actuali non necessario debet esse actualis, aut realis: sed sufficit, vt sit virtualis. *Henricus. Varro. Caietan.*

III. Nihilominus dicendum est, necessariam esse multiplicitatem actualem conceptuũ ad distinctionem rationis diuinorum attributorum. Est communis sententia, vt fatetur Henric. in sum. art.32. qu.4. lit.S. Illam verò supponunt, quotquot eatenus concedunt, Deum videre ab ęterno distinctionem diuinorum attributorum, quatenus cognoscit distinctionem, quam habẽt in ordine ad diuersos cõceptus, quos intellectus creat' de ipsis formare potest: ita vero docent Richar. in 1.d.2.art.1.q.3.art.4. Tolet.d.8.q.vn.ar.4.ad 2.Scoti cont.3.cõclus. Capreol.q.4.art.2. ad 9.Godofredi. cont.2.conclus.Hispalens. q.4.art.4.ad 6. & 16.cont.1.conclus.Moli.1.p.q.28. ar.2. d.3.conclus.3.4.& 5. Consentiunt, qui dicunt rationẽ fundãdi esse rationes formales obiectiuas, volunt enim sumi in ordine ad plures cõceptus. ita Heruęu. quodlibet. 8.q.1. Achon.in 1.d.2.q.2.art.4.§.1. Fundamentũ est: quoniã ita se habet multiplicitas actualis secundũ esse intellectũ ad ipsum esse, sicut multiplicitas actualis secundùm rem ad esse reale. Vt verò aliquid distinguatur actu secundũ esse reale, nõ sufficit multiplicitas virtualis ipsi', sed omnino requiritur actualis: ergo etiã vt sit actualis *Richardus. Toletan. Capreol. Hispal. Molina. Hervæus. Bachonus.*

distin-

distinctio secundùm rationem, requiritur multiplicitas actualis ipsius esse intentionalis, siue intellecti: atq; adeo cum conceptio quæuis indiuisa actu, qualis est diuina, & beata, nõ habeat actu multiplex esse intellectuale, fieri nequit, vt secũdùm eam, obiecta alioquin simplicia dicantur verè distincta actu secundũ rationẽ. Nam si ratio ipsa est actu indistincta, quomodo secundum eam denominari potest obiectũ actu distinctum. Porrò Caietan. non loquitur de distinctione sumpta pro ipsa multiplicitate rationum formalium: hãc enim esse in mente diuina repugnat non minus fidei, quam philosophiæ: & hoc ipsum indicarat Caiet. ibidem, cùm dixerat Deum non videre perfectiões suas ab ęterno distinctas, hoc est, habẽtes ab ęterno actualem multiplicitatẽ, & distinctionẽ secundùm esse intellectũ: quia s. in mente diuina non est talis multiplicitas, loquebatur itaq; de distinctione formaliter sumpta pro relatione, quam resultare per actum diuinum cõparatiuum, non solum non repugnat philosophię, sed etiã verisimũ est, vt c. vlt. dicã. Ad confirmationẽ ex hoc ipso sumptã respondeo, fundamentũ proximum relationis distinctionis secundũ rationẽ, non esse simpliciter ipsam multiplicitatẽ actualem conceptuũ, sed cõceptionem cõparatiuam vnius cum altera: ea verò, cõparatio verè sit ab intellectu diuino inter attributa, q̃ fusiùs explicabitur c. vlt. huius tractatus. Ad secundum respondeo, In ideis diuinis cõsiderari posse duplex significatũ: nempe materiale, quod est vnicus cõceptus essentiæ multipliciter imitabilis, & formale, quod est respectus imitabilitatis passiuę: & licet prius non sit actu multiplex, est tamẽ posterius, ratione cuius dicuntur plures ideæ, vt patet apud Diuum Thomam 1.p. q.15. art.2. ad 3. & 4.

IV. His positis dubium est, quod non sit fundamentum, siue causa immediata huius multiplicitatis actualis rationum formaliũ, sub quibus diuina attributa distinguuntur actu secundùm esse intellectum. Ea verò non aliude potest prouenire, quam ex causis per se intellectionis: quæ tres sunt in vniuersum, scilicet obiectum, mediũ cognoscendi, hoc est species intelligibilis, vel aliud supplẽs locũ illius, aut denique intellectus. Ad obiectum recurrit Henric. in sum. art. 51. q. 3. & quod libet. 5. q. 1. litera S. nempe ad immensitatem diuini esse, quod est tam fœcundæ intelligibilitatis, vt possit causare, ac terminare multiplices conceptus non synonymos. Id verò probari potest, quoniã multiplicitas secundùm esse intellectũ, respondet multiplicitati secundùm esse intelligibile, & viceuersa: & impossibile est dari multiplicitatem obiectiuam secundùm esse intelligibile, cui non respondeat multiplicitas formalis secundùm esse intellectũ: quare seclusis cæteris omnibus, & considerata solum immensitate entitatis, & intelligibilitatis diuinæ, datur sufficiens ratio multiplicitatis, ac distinctionis actualis secundum esse conceptum.

Alij addunt necessariam esse finitudinem, siue limitationem intellectus secundùm vim intelligendi. ita Albert. in sum. tract. 14. quæst. 59. m. 4. particul. 1. in corpore, quod verùm esse dicit secundũ Philosophiam, & Theologiam. Sanctus Thomas in 1. d. 2. quæst. vn. art, 3. 4. p. articuli. Petrus de Tarantasia apud Carthusianum q. 2. AEgid. 1. p. distinctionis quęst. 3. art. 3. Richard. artic. 1. q. 3. art. 3. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 3. art. 2. & quodlib. 8. quęst. 1. Goffred. quodlibet. 7. quæst. 1. apud Aureolum in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. Argentin. dist. 6. quæst. 1. art. 4. Capreol. d. 8. quæst. 4. art. 1. conclusione 2. & 4. & art. 2. ad 15. contra 2. conclusionem & ad 2. 3. & 4. contra 2. conclusionem. Clypeus Thomistarum q. 10. in Porphyrium art. 1. conclusione 2. Syluest. in conflat. qu. 13. art. 7. §. 8. in fine. Iauell. 12. Met. q. 19. art. 2. post 2. conclusionem. Hispal. in 1. d. 8. q. 4. art. 3. Notabil. 2. & art. 4. ad 5. principale Aureoli contra 2. conclusionem. Sonci. q. etiam. 4. conclusione 6. Probatur verò: nam quando plures causæ cõcurrunt ad aliquem effectũ, in illam resundenda est imperfectio illius, quæ deficit, & non exæquatur concursui alterius: cùm vero ad intellectionẽ perfectionum diuinarum cõcurrat essentia diuina, vt obiectum, & intellectus noster, vt potentia vitalis, tota causa cur non gignatur vnicus cõceptus perfectus, & adæquatus intelligibilitati essentiæ, est imbecillitas intellectus, cuius lumen est valde improportionatum essentiæ. Et ex eadem causa prouenit multiplicitas actualis rationum formalium, quoniam conatur pluribus intellectionibus apprehendere id, quod vnica non potest.

V. *Albertus.* *S. Thom.* *Tarantas.* *Aegid.* *Richardus.* *Hæruæus.* *Goffred.* *Argentin.* *Capreol.* *Clypeus.* *Syluest.* *Iauellus.* *Hispal.* *Soncinas.*

Alij addunt præterea diuersitatem medij. Ita S. Thomas lib. 1. cõtra Gentes cap. 35. opuscul. 9. q. 2. & 3. & q. 7. de potentia, art. 6. AEgid. in 1. d. 22. q. 2. Richard. q. etiam 2. Capreol. d. 8. q. 4. art. 1. conclusione 2. & 3. Tarantas. Hispalens. & Clypeus vbi suprà. Id verò probatur à diuersitate, quæ interuenit inter modum concipiendi viatorum, ac beatorum. Nam beati vnico tan-

VI. *S. Thom.* *AEgid.* *Richardus.* *Capreol.*

tum conceptu attingunt essentiam diuinã, quam vident sicuti est, viatores autem habent multiplices conceptus: id verò non prouenit ex alia radice, quam ex diuersitate medij cognoscendi: ergò hæc per se facit ad multiplicitatem, ac distinctionem actualem secundùm esse intellectũ. Vtraq; pars maioris est vera, & communiter recepta à Theologis, qui de priore interpretantur illud Zachariæ c. vlt. *In illa die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*: quia scilicet beati vnico conceptu percipient Deum sicuti est, & sicut percipient, ita poterunt nominare: & tũc nomen illud, & cõceptus vnicus illi respondens significabunt, quidquid viatores pluribus conceptionibus apprehendunt. Assumptio vero est euidens, quoniam inter viatores ac beatos non est discrimen ex parte obiecti, vel intellectus, sed solum ex parte speciei, quoniam viatores vtuntur rebus creatis, vel etiam speciebus ad intelligendas perfectiones diuinas: beati verò vident per essentiam diuinam, quę est vnica, & simplex in repræsentando.

Zacha. vlt.

VII. Eam verò sententiam, quę causam constituit in infinitate intelligibilitatis diuinę, & intellectus nostri imbecillitate, siue finitudine, reijcit Ocham. in 1.d.2.q.2.lit.G. & impugnat Aureolus d.8.qu.3.art.3.dum agit contra primam opinionem. Primò, quoniam nõ minùs infinita est diuina realitas, quam formalitas secundùm rationẽ: æquè enim illimitatus est Deus secundùm rem, ac secũdùm rationem formalem; sed non obstante infinitate realitatis diuinæ tota res Deitatis percipitur vno conceptu, nec particulatim attingitur per plures: ergo etiam non obstante infinitudine perfectionis diuinę, tota poterit vna conceptione apprehẽdi. Secundò, si infinitudo essentiæ, & limitatio intellectus esset causa proxima distinctionis, etiam singula attributa distinguerentur ratione: hoc autem est falsum, quoniam cõmuniter assignantur tanquam rationes non distinctæ etiam secundùm rationẽ: ergo nõ prouenit distinctio actualis ex causa tradita. Sequela maioris ostenditur, quoniam singula quoq; attributa sunt infinita in suo genere, nec intellectus noster potest ea adęquate percipere: quare de singulis formare poterit conceptiones inadæquatas, & constituere in ipsis distinctionem rationis: tertiò, si ex limitatione intellectus nasceretur multiplicitas conceptionũ, sequerentur duo absurda: alterum est, intellectum, quo fuerit minus perfectus, eo concipere debere plures perfectiones, & formare plures conceptus attributales de Deo: alterum, omnes conceptus diuinarum perfectionum, quos in via habemus, esse eiusdem speciei. Sequi primum constat, quoniam multiplicata, vel intensa causa multiplicatur, aut intenditur effectus: ergò si limitatio intellectus est causa concipiendi perfectiones diuinas sub diuersis rationibus, maior limitatio erit causa concipiendi sub multo pluribus. Sequi secũdùm patet: quoniam quandocunque est multiplicatio conceptuum propter limitationem concipientis, omnes eiusmodi cõceptus sunt eiusdẽ rationis: vt patet in videntibus eundem candorem magis ac minus clarè, quorum visiones sunt eiusdem rationis specificæ: item in beatis, quorũ visiones sunt eiusdẽ speciei: & nihilominùs est varietas secundùm maiorẽ, vel minorem gradũ: esse vero vtrunq; absurdum, patet: primum, quoniam Angelus inferior formaret plures conceptus attributales Dei, quam superior; & homo, quam Angelus; & rusticus, quam Theologus: secundum, quoniam conceptus attributales sunt diuersæ rationes obiectiuæ, & saltem in nobis viatoribus specie distincti, vt per se patet.

Ocham. Aureolus.

VIII. Causa effectus potest esse adæquata, & inadæquata: inadæquata, quædam est radicalis, & per se primò, ac necessariò requisita: alia quasi secundaria: quæ iterum secari potest in omninò necessariam, & insufficientem. omninò necessaria est, sine qua non datur effectus: sufficiens est, qua posita consequi potest effectus, qui etiam absq; illa dari potest. Obseruandum quoque est, hic nõ ex instituto disputari vtrũ, aut cur, in vita dari nequeat vnicus conceptus Deitatis in se. de hoc enim alibi agendum est: sed cur dentur multi, in quibus perfectio diuina habet multiplex esse intellectum, & consequenter distinctionem rationis actualem.

IX. Dico primum, Infinitas essentiæ diuinæ non est causa adæquata, est tamen radicalis per se primo, ac necessario requisita ad multiplicitatem actualem rationum, à quibus perfectiones attributales denominantur actu distinctæ. In priore parte, quæ est cõtra Henri. conueniunt omnes ferè Doctores, qui prẽter infinitatẽ intelligibilitatis obiectiuæ diuinæ essentiæ exigunt finitudinem intellectus, & nonnulli diuersitatem medij. Ea verò facilè probatur: nam, si esset causa adęquata, causaret eundem effectum respectu cuiusuis intellectus: non causat autem respectu diuini, vt per se patet. Dei enim intellectio habet eandem vnitatem, ac simplicitatem, quam vendicat

essentia

essentia diuina: quare sola immensitas entitatis, ac veritatis diuinæ non est satis ad causandam multiplicitatē, ac distinctionē actualem rationum formalium. Posterior pars est de mente omnium quos retuli numero 5.& 6.& facilè suadetur: nam, sicut esse intellectū pendet ab obiecto, ita multiplicitas actualis eiusdē esse intellecti pendet à multiplicitate saltē virtuali obiecti: hæc verò consistit in perfectione entitatis obiectiuæ: quæ quo maior est, eo plus intelligibilitatis vendicat: si verò sit infinita, vendicat infinitam: si verò sit finita secundum esse, erit quoq; secundum intelligibilitatem, atq; adeo carebit aliqua perfectione, quam nos significamus, & intelligimus nominibus,& conceptibus attributalibus: & ita nō poterit esse radix omnium rationum, siue conceptionum mentalium, quas formamus de Deo. Ex quo patet infinitatem non esse causam necessariam cuiusuis multiplicitatis, siquidē res creatas entitatis,& intelligibilitatis finitæ possumus, ac solemus pluribus conceptibus apprehendere distinguentes animo, quod in re vnū, atque indiuisum est: sed solum esse causam eius multiplicitatis, quam cōparatione intellectus creati vendicat essentia diuina.

X. Dico secundùm. Finitudo intellectus est causa omninò necessaria ad multiplicitatem actualem rationū, sub quibus attributa distinguūtur ratione, nō tamen semper sufficiens: etiam coniuncta infinitudini essentiæ: contra verò pluralitas medij est sufficiens, nō tamen necessaria. Prima pars assertionis, quam tradunt Doctores citati numero 5.& est euidens: nam, si intellectus sit infinitus, adæquabitur obiecto infinito, & cōsequenter habebit vnicum tantū conceptum infinitum adæquatū ipsi obiecto, non vero plures adęquatos: quare finitudo omnino requiritur ad multiplicitatem actualem conceptionum circa perfectiones diuinas. Secunda, quæ est Doctorum, quos retuli num. 6. ostenditur: quoniam beati in patria eliciunt vnicam simplicem visionem circa essentiam diuinā, in qua non est multiplex esse actuale intellectum, nec distinctio actualis secundùm rationem,& tamen ibi cōcurrit infinitas essentiæ cum finitate intellectus: ergo hęc nō est causa sufficiens ad gignēdam multitudinem actualem conceptionū,& distinctionem secundùm rationē. Tertia, quam ijdē Doctores tradunt, facilè patet: quoniam idcircò in via formamus diuersos conceptus sapientiæ,& iustitiæ diuinæ, & cæterorū attributorum, quoniā has rationes agnoscimus ex creaturis,& modo quo ipsas cognoscimus: nempè singulas per diuersas species: contra verò beati vnica visione ratiōes eas distincte agnoscunt, quoniam essentia diuina instar speciei vnica sua,& indiuisibili repręsentatione vnitur intellectui beatorū. Vltima verò patet, quoniā ipsi beati, vt ostēdam tractat. de natura visionis beatæ, ex vnica illa visione beata elicient plures cōceptus, quibus seorsim apprehendent has, vel illas rationes perfectionū diuinarum: nec tamen ibi interuenit mediū intelligēdi multiplex actualiter, quia visio, ex qua immediate cōceptus illi eliciuntur, est vnica, & simplex, nec ad eos efformandos est necessaria alia species intelligibilis, cui⁹ multiplicitas actualis sit causa plurium conceptuum reipsa differentium.

XI. Dico tertium: causa adæquata huius multiplicitatis in actib⁹ naturalibus est, infinitas obiectiua Deitatis,& finitas intellectus creati cum diuersitate medij, siue specierū: in supernaturalibus aūt loco huius potest succedere reflexio supra actū virtute multiplicem: sensus est, quod iuxta naturalem cognoscendi modum cum finitate intellectus coniuncta est limitatio speciei repræsentantis, quæ semper est actu multiplex respectu tot perfectionū diuinarū: at vero quia intellectus potest reflectere supra suū actum,& cogitatione discernere plures rationes in ipso virtute contentas ad plures cōceptus efformandos, nō erit opus actuali diuersitate specierū, sed sat erit multiplicitas virtualis conceptus distincte penetrantis plures ratiōes obiectiuas. Prior pars deducitur facile ex dictis. Quotiescunque .n. interueniunt illa tria, existit multiplicitas cōceptuum formalium naturaliū, & quoties hęc interuenit, requirūtur illa tria: ergo aggregatū ex illis est causa adæquata, & reciproca multiplicitatis actualis conceptuum naturaliū de perfectionibus diuinis. Posterior pars constat ex probatione vltimæ partis secundæ assertionis. Nam beati, etsi nō interueniat vlla multiplicitas actualis specierum, ex vnico conceptu beatifico elicere possūt diuersas intellectiones circa varias rationes obiectiuas perfectionū diuinarum. At inquies, vis reflectendi supra proprium actū est naturalis intellectui, ergo si reflexio cadēs supra notitiam simplicem,& virtute multiplicē, supplet locum diuersitatis specierū non minus in via, quā in patria, poterimus absq; diuersitate medij intelligendi plures de perfectionibus diuinis conceptus effingere. Respondeo, si in via haberemus actum vnicum naturalem ita attingētem essentiam, sicut attingit visio beata, idem quoq; potuisse fieri: quod

patet ex apprehensione eorum, quæ vnica specie percipiuntur: si enim vtêdo creatura spirituali Deum cõcipiamus, vt spiritum, ex hoc cõceptu possumus elicere tres alios, quibus seorsim cogitemus Deum, vt ens, vt substantiam, vt viuens. Verum quia in via non potest dari vnus cõceptus formaliter repræsentans omnes perfectiones diuinas, idcirco ad eam multiplicitatem rationum, quas de Deo efformamus, non sufficit sola reflexio, sed opus est multiplici medio intelligendi.

XII. Ad argumentum pro sententia Henri. quatenus dictis aduersatur, respondeo nõ requiri, vt multiplicitati obiectiuę virtuali, qualis est in essentia diuina respondeat actu multiplicitas rationum, formalium, siue conceptuum, sed sat esse, vt respõdeat multiplicitas virtualis: vt videre est in intellectiõe diuina, quę re ipsa est æque simplex, ac essentia, & secundùm esse intellectum ęque multiplex non actu, sed virtute, ac est illa secũdùm esse intelligibile. Ratio qua ostenditur necessitas intellectus finiti ad eandẽ multiplicitatem rectè concludit, sicut & illa, qua probatur necessitas multiplicitatis medij, si intelligatur de modo cognoscendi naturali, maximè secundùm conceptus rectos: non verò si intelligatur de supernaturali, & secundum conceptus reflexos, vt paulò antè ostensum est.

XIII. Argumenta Aureoli, magna ex parte pertinent ad aliam controuersiam, de qua in præsentiarum nõ agitur: scilicet vtrum viatores habere possint vnicum conceptũ saltem confusum, repræsentatiuum totius intelligibilitatis diuinæ absolutæ: cuius resolutio ad nostram difficultatem nihil facit: quamuis enim admittamus partem eius affirmantem, non tollitur, quo minus possimus de eadem Deitate formare multiplices conceptus non synonymos, quemadmodum, licet habeamus cõceptum simplicem confusum hominis, nõ proinde repugnat, vt de eodem homine efformemus plures conceptus pro varietate rationum formalium, vel partium ipsius. Quia verò intellectus, secundùm lumen intellectuale adæquatũ obiecto intelligibili, sicut diuinus adæquatur suæ veritati obiectiuæ, illud non ex parte, sed ex toto, non pluribus sed vnica, & indiuisibili visione cõtuetur, è contra fit, vt intellectus limitatus, & improportionatus obiectiuæ intelligibilitati eam ex parte, & pluribus intellectionibus attingat. Ex quo patet solutio ad primum argumentum, quo nihil aliud probatur, quã perfectionem diuinã posse cõcipi vnica operatione mentali confusa, quod non tollit, quo minus possit etiã multipliciter apprehendi sub diuersis rationibus formalibus. Respõderi etiã potest, cum in diuinis sit idẽ prorsus realitas & formalitas obiectiua in se ipsa indistincta, nõ minus distingui secundùm rationem realitatem ipsam, quam formalitatem, imò ipsammet entitatem diuinam, quatenus concipitur sub ratione iustitiæ, distingui secundùm rationem à se ipsa, quatenus concipitur sub ratione sapientiæ.

XIV. Ad secundùm respondet Argent. in 1.d. 6.q.1.ar.4.ad 5. assignando disparitatem, quoniã, inquit, sapientia diuina, & quoduis attributũ, non est infinitum, essentia verò est infinita. Quæ responsio, si intelligatur de sapientia, prout est à parte rei, est omnino absurda: nõ enim est min⁹ infinita, quã essentia: si verò sumatur de sapientia, secundùm pręcisum conceptum, quo distinguitur ab essentia, ac reliquis attributis, adhuc est falsa: quoniam licet sapientia secũdùm propriã rationẽ formalem, nõ sit infinita simpliciter in omni genere, est tamẽ infinita in genere sapiẽtiæ, & oportet reddere causam, cur hęc infinitas non inuehat multiplicitatẽ rationum formalium, quẽadmodum infinitas simpliciter. Respõdebitur itaq; inprimis cum Capreolo vbi suprà ad tertium, Aureoli contra 2. conclusionem, non esse eandem rationem in vnica ratione formali adæquata diuini esse, ac in singulis rationibus attributalibus: nam ex parte creaturarum, ex quibus Dei cognitionem accipimus, respondent singulis attributis particulares aliquæ rationes sub vno conceptu determinato, à quo nos possumus formare alium similem de eadem perfectione, prout est in Deo: verbi gratia ex sapientia, & iustitia creata concipimus increatam: in creaturis aũt non est vlla ratio, aut perfectio determinata similis quoad rationẽ formalem Dei adæquatam, cõueniens cum illa in ratione, aut nomine cõmuni analogico, & idcirco intellectus noster limitatus potest percipere singulatim particularia attributa, non aũt rationẽ adæquatam Deitatis. Respondeo deinde, si consideremus infinitudinẽ intensiuam, & extensiuã sapientiæ, & reliquorum attributorum, etiã posse distingui ratione quasi partialiter, quoniã potest intellectus noster considerare sapientiam diuinam, quatenus extenditur ad obiecta diuersorum generum; in qua consideratione sapientia, quatenus est de reb. spiritualibus, distinguitur ratione à se ipsa: quatenus est de corporalibus, & quatenus est de supernaturalibus, distinguitur à seipsa, quatenus est de

Argentin. *Capreol.*

est de naturalibus. Dixi verò, quasi partialiter, quoniam ratio sapientiæ diuinæ est vna specificè, & non sumit distinctionem huasi specificam virtualem ab obiectis secundarijs, sed solummodo quasi extensionem eiusdemmet rationis, ac modi sapientiæ: & ita respectu diuersorum attributorũ creatorũ potius est virtualis distinctio, quasi partium integrantium infinitudinẽ extensiuam diuinæ sapientiæ, quam rationum quasi specificarum.

XV. Ad tertium negandum est, sequi duo illa absurda. Vt vero constet non sequi primum, obseruandum est dupliciter posse haberi plures cõceptus de eodem subiecto, vel ita vt per eos agnoscantur plures veritates, quam per pauciores, vel ita vt eædem: si primo modo se res habeat, arguitur maior perfectio virtutis intellectricis ex parte eius, qui plures de eodem obiecto potest elicere conceptus: quoniam perfectius attingit, ac penetrat eius intelligibilitatem: si secundo modo nequaquam: quoniam eiusmodi pluralitas non prouenit ex maiore lumine intellectuali, imò ex imbecillitate ipsius: ratione cuius non potest simul, & vnico actu, sed per partes capere id, quod perfectius lumen vnico intuitu comprehendit, qua ratione est inæqualitas in notitia naturali Angelorum: nam superiores, qui intelligunt per species magis vniuersales, vnico actu percipiunt omnia repræsentata per vnicam speciem sibi proportionatam, quæ inferiores ob defectum luminis intellectualis nonnisi per plures species, & actus percipiunt. Hoc posito, dicendum ex illa sententia, sequi intellectum minus perfectum habere plures conceptus de eodem obiecto nõ priore, sed posteriore modo: id vero non est absurdum, vt patet, quoniam non penetrantur plures veritates ab intellectu minus perfecto, sed eædem, imperfectiore tamen modo. Ad rationem, qua sequi ostenditur, respondeo limitationem intellectus non esse in causa, vt percipiat plures veritates obiectiuas, quam intellectus illimitatus: sed vt percipiat easdem, vel pauciores imperfectiore modo, hoc est non vnico actu comprehensiuo, ac distincto, sed pluribus inadæquatis, qui omnẽs adhuc distant infinito interuallo ab ignoscibilitate infinita Dei: & in hoc eodem sensu verum est, intellectum, quo fuerit magis imperfectus, ac limitatus, indigere pluribus conceptionibus, vt saltem particulatim attingat id, quod perfectior intellectus simul apprehendit, vt benè explicat Caietan. 1. p. quæst. 13. art. 4. ex quo non sequitur rusticum percipere plures veritates de Deo, quam sapientem, nec hunc quam Angelum, nec Angelum inferiorem, quam superiorem. Ad probationem secundi absurdi respondetur, si cum limitatione intellectus, vel potentiæ agnoscentis, nihil aliud concurrat, manere inæqualitatem cognitionum intra eandem speciem: vt patet exemplis in argumento adductis: si tamen interueniat alia causa determinans ad actum specie distinctum, non esse varietatem penes solam intensionem, vel remissionem claritatis actuum, vt patet in notitijs Angelorum: nam notitia, qua superior comprehendit vnũ aliquod genus, & omnes eius species, distinguitur specie à pluribus notitijs, quibus Angelus inferior easdẽ species singulatim percipit, quia scilicet variatur medium, hoc est species, vt ratio formalis obiecti. In nobis vero ita se habet, quoniam ad cognoscendas perfectiones diuinas, vtimur pluribus medijs, hoc est diuersis perfectionibus creatis, nec in diuina ferimur immediatè sub vna ratione motiua, vt feruntur beati, sed sub diuersis, & ideò sicut diuersæ notitiæ rerum, seu perfectionum creatarum distinguuntur specie, ita etiam cum ex earum analogia diuinas intelligimus, habemus plures actus specie distinctos.

Distinctio fundamentalis attributorum diuinorum non sumitur ab extrinseco, sed à plenitudine perfectionis diuinæ.

CAPVT X.

I. CIrca distinctionẽ fundamentalem est cõtrouersia inter Theologos, conueniátne Deo non præintellecto ordine ad creaturas. Negat Durand. in 1. d. 2. q. 3. à num. 15. Argent. d. 6. q. 1. art. 3. ad primum Alexand. Godofred. quodlib. 7. q. 1. apud Aureol. in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. adiuncto penultimo argumẽto, initio quæstionis allato pro ipsius opinione. In eandem videbuntur inclinasse Doctores citati cap. 8. num. 4. quatenus explicantes distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum, recurrunt ad eminentiam essentiæ diuinæ, ratione cuius æquipollet pluribus rebus distinctis actu ex natura rei: & quatenus diuersimode illis respondet, dicitur distingui virtute. Ex quo sumitur primum fundamentum huius opinionis. Distinctio virtualis ratione æquipollentiæ actualem esse, ac intelligi nequit, absq; ordine ad actualem: atque adeò quicunq; distinctionem fundamẽtalem perfectionũ diuinarũ

Durand. Argentin. Godofred.

virtualem appellant, eo ipso censent non dari absque ordine ad actualem. Secundo si nulla creatura esset possibilis, non daretur vlla distinctio fundamentalis in Deo: ergo ea sumenda est in habitudine ad res creatas actu distinctas. Patet consequentia, quoniam nihil dissoluitur sublato altero, nisi id pertineat intrinsecè ad rationem eius formalem, aut sit causa, à qua essentialiter pendeat, aut proprietas necessariò consequens ad essentiam, aut denique extremum terminans habitudinem aliquam ipsius necessariam: creaturæ non pertinent intrinsecè ad rationem formalem distinctionis fundamentalis perfectionum diuinarum, non sunt eius proprietas, vt per se patet: ergo vel causa, vel terminus habitudinis, quæ ad distinctionem præintelligitur. Antecedens ostenditur, quoniam opposita non sunt sibi ratio, aut causa essendi, in essentia diuina præciso ordine ad creaturas non est nisi summa vnitas, & identitas actualis opposita omni prorsus distinctioni, ac pluralitati: ergo ex ipsa sumi nequit distinctio fundamentalis. Tertio nihil habens rationem imperfectionis tribui potest Deo, nisi per ordinem ad creaturas: omnis distinctio est imperfectio, quare non tribuenda est Deo absque ordine ad creaturas. Maiorem explicat Durand. quoniam imitabilitas præcisa ab vna creatura habet admistum aliquid limitationis, & imperfectionis, & ita singulæ ideæ hoc modo limitatæ sunt imperfectæ in genere exemplaris: quia tamen hæc limitatio non est in ipsa diuina essentia secundum se, sed in ordine ad creaturas, quæ illam secundum mensuram imitantur, non est absurdum eam admittere. Assumptio vero patet: quoniam omnis distinctio inducit finitudinem, ac limitationem in genere perfectionis simpliciter: impossibile quippe est, vt sint plura simpliciter infinita quo ad essentiam: quare plura per quamuis distinctionem resultantia necessariò erunt finita in genere entis: si enim distinctio sit mutua, qualis est inter pleraſque perfectiones Dei absolutas, singulæ debent excludere alias à propria ratione formali intrinseca: & ita continebuntur terminis propriæ essentiæ: verbi gratia, sapientia non includet rationem formalem iustitiæ, misericordiæ, & cæterarum, & ita non erit ens simpliciter infinitum.

II. *Torres.* Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. disput. 2. dub. 3. & aliqui recentiores existimant, licet non forent creaturæ vllæ possibiles, adhuc futuram esse distinctionem fundamẽtalem inter attributa, maximè inter intellectum, & voluntatem, propter ordinem, quem habent ad processiones diuinas. Id vero probatur, quoniam cognita distinctione actuali processionum, ac relationum diuinarum innotesceret distinctio inter intellectionem, volitionemque diuinam: ergo licet non sint vllæ omnino creaturæ, aut ordo ad ipsas, erit distinctio fundamentalis, inter sapientiam, & amorem Dei. Antecedens patet, quoniam absque comparatione vlla ad creaturas in essentia diuina, quatenus est intellectio, aut amor, est fundamentum eius veritatis, qua verbum diuinum dicitur procedere per intellectionem, non per amorem: è contra vero Spiritus diuinus per amorem, nõ per intellectionem: omnis autem affirmatio aut negatio nititur aliqua distinctione: quapropter si absq; ordine ad creaturas possunt enunciari termini contradictorij de volitione, & intellectione diuina, absque eodem præintelligi debet in ipsis distinctio fundamentalis.

III. In hac controuersia vnum est certum, alterum versatur in dubio: certum est essentiam diuinam ratione suæ infinitatis ex se primo radicaliter vendicare fundamentum distinctionis secundum rationem ratiocinatam. dubium vero est, an distinctio fundamentalis sumatur complete ab infinitudine diuina absque ordine ad obiecta extrinseca, ita vt eo sublato dissoluatur ratio distinctionis: hęc vero dissolutio ex duplici radice nasci potest, vel quia sublato ordine ad creaturas tolluntur ipsæ perfectiones diuinæ, & consequenter distinctio ipsarum, vel quia manente infinita perfectione Dei, non est ratio distinctionis fundamentalis absq; vllo ordine. Prior sensus non pertinet ad institutum, non enim hic agitur de ordine ad creaturas ipsarum perfectionum diuinarum in se: posterior vero maximè: quæritur enim vtrum manente infinita perfectione essentiæ diuinæ, vt in se est, consistat distinctio fundamentalis absq; vllo ordine ad plures creaturas actu distinctas. Vt vero distincte pateat, in quo sit præsens difficultas, notãdũ duo rerũ genera concipi posse in ordine ad quas sumatur distinctio fundamentalis perfectionũ diuinarum, nimirũ personas, ac processiones ipsas diuinas, & creaturas. Harum vero quatuor genera cõsiderari possunt, scilicet cõceptiones actuales, obiecta ipsarum perfectionũ, cõnotata, & participantia, quibus vnica, ac simplex diuina perfectio multipliciter æquipollet. Posita vero quæstio nõ intelligitur in ordine ad plures conceptus actuales: in hoc enim sensu tractata est,

cap. 9. num. 3. Non item in ordine ad obiecta: nam, si singulæ rationes non possunt cognosci absque habitudine ad propria obiecta, non etiam agnosci poterit distinctio ipsarum, non considerata habitudine ad plura actu distincta: poterit autem, si singulæ sint intelligibiles absque habitudine ad propria obiecta: an vero hoc fieri possit, dicam alibi, & quoniam connotata ad extra vel sunt effectus, vel obiecta, ad eundem locum reseruabitur explicatio ipsorum. Ad hunc vero locum solum spectat quæstio, an sit in Deo distinctio fundamentalis absq; habitudine ad plura actu distincta, quibus diuina natura æquipolleat, siue quæ eminenter contineat. Porro eorum, quæ continentur eminenter, quædam sunt etiam formaliter in Deo, verbi gratia sapientia, iustitia, misericordia; quædã minimè, vt sol, ignis, aër: & horum eadẽ est ratio, ac de connotatis, vel obiectis: nam sunt veluti obiecta idearũ diuinarum, à quibus etiam cõnotantur. Restat ergo controuersia solum de attributis comparatis cum personis, aut processionibus diuinis, itemque cum perfectionibus naturalibus, quarum similes sunt in Deo formaliter, quę non solum eminenter, sed æquiualenter etiam continent creatas.

IV. Dico primum, distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum conuenit per se primo essentiæ diuinæ, absque ordine ad creaturas. Traditur à D. Thoma in 1. d. 22. q. vn. art. 3. ad 3. vbi loquens de bonitate, sapientia, & alijs attributis diuinis, sic ait, *Et horum diuersitas non sumitur per ordinẽ ad creaturas, imò potius è conuerso: quia ex hoc, quod ratio bonitatis, & sapientiæ differt in Deo, diuersificatur in creaturis bonitas, & sapientia, non tantum ratione, sed re.* accedit Bachon. in 1. d. 2. q. 2. art. 3. & 4. Alexand. Augustinian. apud Argent. loco citato. Hispalens. in 1. d. 8. q. 4. art. 3. Notabil. 4. & art. 4. ad argumenta vltimo loco posita cõtra 2. conclusionem. Capreol. q. 4. art. 2. ad argumenta vltimo loco inducta contra 2. conclusionem, qui pro se citat D. Thom. in alijs etiam locis, vndè nõ est credendum id, quod ait Palat. in 1. d. 2. disput. 2. nempè D. Thom. 1. p. q. 13. art. 4. mutasse sententiam, hoc enim non latuisset Capr. Caiet. & alios Thomistas, nec illo ar. 4. astruitur à S. Thom. aliquid, vndè id colligatur: solũ enim ait, nomina diuina nõ esse synonyma, quia id, quod est vnum, ac simplex re ipsa, significant sub multis rationibus, hoc est conceptionibus mentalibus: Hoc vero nihil facit ad præsentem quæstionem: nã siue distinctio fundamẽtalis sumatur à creaturis actu distinctis, siue non, adhuc verum est nomina diuina nõ esse synonyma, quia significant obiectũ vnũ simplex sub multis rationibus. solum obstare videbitur id, quod ait in solutione ad 4. nempè Deum ideò esse vnum, & plura secundum rationem, quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant: ex quo sequitur sublata multiplici repræsentatione rerum, & nostro intelligendi modo imperfecto, non fore Deum multiplicem secundum rationem: atque adeò distinctionẽ virtualem ipsius sumi per ordinẽ ad plura actu re ipsa distincta. Verùm nec ex hoc dicto colligitur D. Thom. se retractasse: quandoquidem, vt notat Caiet. eodẽ art. S. Thom. cùm ibi agat de distinctione nominum, solum attendit ad multiplicitatem rationum formalium, hoc est conceptionum mentalium, nõ vero rationum obiectiuarum: & ita ex eo dicto solum habetur, perfectionem diuinã nõ esse actu multiplicem secundum rationes formales intentionales, nisi cognoscatur imperfecte secundum quod repræsentatur à creaturis: cùm quo tamen nõ repugnat, vt secundum rationes obiectiuas sit virtualiter multiplex absque habitudine ad creaturas actu distinctas: nã vt ibidẽ obseruat Caiet. cùm decisione eius art. stat vtraque pars contradictionis de distinctione formali, ex natura rei attributorum diuinorum: & si vera esset sententia Scoti affirmans, sanè distinctio attributorum, non penderet à distinctione rerũ creatarum. ergo si doctrina illius art. non repugnat illi sententiæ, non repugnabit etiam nostræ, quæ distinctionem fundamentalem negat sumi in ordine ad creaturas actu distinctas.

Caietanus.

D. Thom. *Bachon.* *Alex. Augustin.* *Hispalens.* *Capreol.* *D. Thom.* *Palatius.*

V. Fundamentum huius assertionis est: quoniam ante illum ordinẽ ad creaturas, possunt enunciari de diuersis perfectionib⁹ diuinis termini contradictorij. hoc autẽ fieri nequit, nisi ante eiusmodi ordinẽ sit distinctio fundamentalis: ergo ea præcedit ordinẽ ad creaturas. Assumptio patet, quoniam de eadem re nõ possunt enunciari termini contradictorij, nulla interueniente distinctione: sola distinctio rationis actualis non sat est ad verificãdos terminos cõtradictorios, quorum alter est realis, ac positiuus, & quo ad cõuenientiam, independens ab actu intellectus: distinctio enim rationis nõ mutat veritatẽ obiectiuam subiecti: ergo si ante omnẽ ordinẽ ad creaturas de perfectionibus diuinis enunciantur termini contradictorij, nõ dependẽtes ex operatione intellectus quo ad significatũ obiectiuũ, necessariò admittẽda est distinctio fundamẽtalis

abſque

absque ordine ad creaturas. Maior propositio ostenditur,quoniam si per impossibile nõ essent creaturæ, aut ordo ad ipsas, adhuc verum esset, Verbum diuinum procedere per intellectionem, non per volitionem: quod argumentum supra retuli pro sententia Torrensis. Idem vero constat etiam in alijs perfectionibus, quoniã etiamsi per impossibile nõ esset vlla creatura capax bonitatis, & scientiæ practicæ, adhuc verũ esset dicere; ars diuina est ratio faciendorum, bonitas non est ratio faciendorum: etenim scientia diuina practica, sicut secundum se est prior creaturis, ita etiam est quo ad distinctionem fundamentalem, quam vendicat quatenus ars est, neq; ex eo,quod in nobis ars est ratio operandi, non autem bonitas, perfectiones diuinæ ita se habent, imò vice versa: idcirco enim scientia practica creata continetur intra certos limites perfectionis secundum essentiam, quia inadequate imitatur perfectionem diuinam, quatenus scientia practica est, non vero quatenus bonitas est: quemadmodum ergo prius est, essentiam diuinam esse inadæquate imitabilem secundum alias, atque alias rationes virtuales perfectionis suæ infinitæ, quam creaturas esse in se actu distinctas, etiam secundum esse possibile, quoniam semper esse causatiuum, est prius saltem natura, quam causabile,ita etiam prius est distinctio fundamentalis ipsius, in qua nititur diuersitas imitabilitatis passiuæ inadæquatæ, quam distinctio actualis rerum ideatarum.

VI. Secundo multiplicitas, fundamentalis perfectionum diuinarum, est prior multiplicitate reali etiam possibili creaturarum: ergo non completur in ratione distinctionis suppositio ordine ad pluralitatem actualem creaturarum. Patet consequentia, nihil enim pendet intrinsecè quo ad suum esse, neque completur ab eo,quod est posterius. Antecedens ostenditur, quoniam pluralitas non potest oriri ab vno, in quantum vnum, sed quatenus est virtute multiplex: pluralitas creaturarum non est à se, sed à Deo, ergo ex parte eius præcedere debet multiplicitas fundamentalis, ratione cuius perducat ad actum pluralitatem actualem creaturarum: si enim quæramus rationem cur sapientia ac iustitia creata sint perfectiones actu distinctæ, respondebimus id prouenire ex limitatione, ac termino essentiæ, quo vtraque circunscribitur: si vero vlterius quæramus, cur ita circunscribatur, recurrere tandem debemus ad causam primam, quam perfectiones istæ inadæquate imitantur, & ad eius actionem, & potentiam qua fiunt: ergo saltem ex parte essentiæ, vt diuersimode est imitabilis, distinctio fundamentalis præcedit actualem creaturarum. Denique distinctio fundamentalis dicit ordinem ad actualem intellectus. vt enim ostendi cap. 6. quamuis distinctio rationis perfectionum diuinarum sit subiectiuè in intellectu, est nihilominus radicaliter, & fundamentaliter in obiecto: atqui totum fundamentum respondens distinctioni actuali intellectus, distinctis conceptibus percipientis vnam, eandemque perfectionem diuinam infinitam, est in ipsamet absque vllo ordine ad creaturas: ergo in ipsa quoque eodem modo erit distinctio fundamentalis. Assumptio probatur: nam fundamentum multiplicis rationis secundum esse intellectũ, est intelligibilitas obiectiua cui respondent, & adæquantur diuersæ conceptiones mentis: at vero omnis intelligibilitas obiectiua perfectionũ diuinarum, fundatur in entitate ipsarum: hęc autem est prior omni multiplicitate creaturarum: ergo & fundamentum multiplicitatis actualis secundum rationem perfectionum diuinarum est in ipsis,& ab ipsis,absque ordine præuio ad creaturas. Quemadmodum enim ex infinitate entitatis, ac perfectionis diuinæ prouenit, vt sit inadæquate,& multipliciter imitabilis à creaturis, ita etiam ab infinitate intelligibilitatis ipsius obiectiuæ oritur, vt ab intellectu nostro sit inadæquate, & multipliciter intelligibilis: & quemadmodum intelligibilitas nititur ipsa entitate, ita & multiplicitas intelligibilitatis nititur obiectiua multiplicitate fundamentalis eiusdem perfectionis infinitæ.

VII. Dico secundum. Nulla distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum sumitur per ordinem ad processiones diuinas. Sensus est, ipsum velle, & intelligere diuinum, siue sapientiam, & amorem, & quasuis alias perfectiones absolutas, prius nostro modo intelligẽdi habere distinctionem fundamentalem, quâ intelligitur ordo ipsarum ad processiones vel personas procedentes. Fundamentum est, quoniam omnis ratio diuina absoluta, & omnis proprietas illam consequens, est prior,& independens à rationibus notionalibus: distinctio autem fundamentalis, est quædam proprietas perfectionum diuinarum fundata in plenitudine ipsius esse diuini: ergo est suapte natura prior possessionibus,& quasuis alia ratione notionali: & consequenter non sumitur per ordinem ad illas: Secundo, si reddenda sit ratio, cur Verbum diuinum sit filius, non autem Spiritus sanctus,

recur-

recurrendum est ad modu procedendi per intellectũ, & voluntatem: ergo distinctio fundamentalis intellectus, & voluntatis, & operationum vtriusque, nõ sumitur in ordine ad distinctionem actualem perfectionum, & personarum diuinarum. Antecedens ostenditur in materia de Trinitate: consequentiam probo, quoniam si ante processionem Verbi, & Spiritus sancti, & eorum distinctionem actualem, non est distinctio fundamentalis intellectus, & voluntatis, sapientiæ, & amoris, non potest reddi tanquam ratio discriminis inter modum processionis vtriusque, quod filius procedat per intellectum, Spiritus sanctus per voluntatem: nam si intellectus, & voluntas distinguuntur per ordinem ad processiones, ante illas nondum intellectus est fundamentaliter distinctus à voluntate: ergo non potest verificari Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ad veritatem enim huius necessariò supponitur aliqua distinctio intellectus à voluntate: non est actualis, vt patet ex dictis: ergo fundamentalis. Denique omnis ratio formalis dissoluitur sublato per impossibile ordine sibi intrinseco: contra vero, si manet, etiamsi illud ex suppositione impossibili tollatur, non necessariò illum includit: at sublatis per impossibile personis diuinis, vel saltem cogitatione præcisis, adhuc intellectus, & voluntas diuina, sapientia, & amor distinguuntur fundamentaliter: ergo illorum fundamentalis, distinctio non sumitur per ordinem ad processiones, vel personas diuinas. Assumptio constat: nam si fingantur impossibiles processiones manente Deitate, adhuc Deus esset formaliter sapiens sapientia, non amore, adhuc intelligeret intellectu, non voluntate: & quo ad omnia, quæ secundum esse actuale, vel intelligibile in nobis præstant perfectiones hæ re ipsa distinctæ, nihil in Deo deficeret, quod tamen alioquin posset sine imperfectionis nota competere: propria vero ratio distinctionis fundamentalis consistit in hoc, vt vnica, & indiuisa perfectio non minus actuet, & perficiat subiectum quo ad esse actuale, & intelligibile, quam alioquin actuarent plures perfectiones actu distinctæ: ergo cum hoc præstarent perfectiones diuinæ, sublato etiam per impossibile ordine ad processiones, distinctio fundamentalis ipsarum adhuc maneret, etiamsi fingeretur impossibilis pluralitas processionum, & perfectionum diuinarum.

VIII. Vt respondeatur primo fundamento, quod sumitur à ratione eminentiæ, siue æquipollentiæ, obseruandum est, in eminentia, vel æquipollentia vnius rei simplicis, cõtinentis per modum vnius perfectiones plures in rebus alijs dispersas. considerari posse, tum ipsum respectum eminentiæ, vel æquipollentiæ, tum præcisum & immediatum fundamentum singulorum respectuum ad res distinctas, quibus æquipollet: si considereturrespectus, planum est necessariò inuolui ordinẽ ad plura actu distincta: impossibile est enim esse, vel concipi habitudinem vnius ad plura, quibus æquipollet, non dato, vel intellecto ordine ad ipsa plura: si vero consideretur fundamentum ipsius, nõ est opus, vt ordo ad plura præcedat, vel præintelligatur, nulla enim relatio præcedit suum fundamentum re ipsa, vel secundum intellectum. Hoc posito, negandum est antecedens primi fundamenti: nam distinctio fundamentalis non consistit in ipsa æquipollentia, aut ordine ad plura actu distincta, sed in fundamento ipsius, hoc est in perfectione entitatiua subiecti, ratione cuius est aptum concipi multipliciter sub rationibus repertis in rebus alijs, actu ex natura rei distinctis. Ad secundum respondetur, si sublata possibilitate creaturarum supponatur, manere essentiam diuinam cum eadem plenitudine perfectionis, quam suapte natura habet, adhuc mansuram distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum: non minus enim facta illa hypothesi, Deus esset intelligens per intellectum, & non per voluntatem, ac modo est: Et ita negandum est antecedens in hoc sensu, ad cuius probationem respondeo, summã vnitatem & identitatem ex natura rei actualem non opponi distinctioni, & pluralitati fundamentali, imò esse fundamentum illius: non opponi, quoniam de facto vtraque reperitur in Deo: esse fundamentum eius, quoniam sublata vnitate, iam nõ esset pluralitas fundamẽtalis, sed actualis. Et vt ait D. Thom. *S. Thom.* 1. p. q. 13. art. 4. ad 4. hoc ipsum pertinet ad perfectam Dei vnitatem, vt vnite cõtineat ea, quæ sunt multipliciter in rebus creatis. Ad tertium, quod attinet ad institutum, concedi potest maior, etiam absque limitatione, quam adhibet Durand. nam propriè *Durand.* loquendo nunquam tribuendum est Deo aliquid, habens rationẽ imperfectionis nec in se ipso, nec in ordine ad creaturas: nec vlla imperfectio est, Deũ sub ratione ideæ vnius creaturæ nõ esse ideam alterius, quoniam hoc non arguit vllam imperfectionem in ipso secundũ esse actuale, secundum

quod

quod est idea, & exemplar rerum omnium. Neganda vero est assumptio, ad cuius probationem respondetur, solam finitudinem, ac limitationem actualem inuehere imperfectionem, fundamentalem vero nequaquam: hæc enim non circumscribit actu perfectionem fundamentaliter distinctam, sed illam relinquit in tota sua amplitudine, & solum est fundamentum vt actu intellectus præscindentis sortiatur pluralitatem actualem, sub qua singulæ perfectiones non concipiuntur, vt infinitæ simpliciter in omni genere, sed solum sub propria ratione formali: & ita imperfectio non est in rationibus ipsis obiectiuis, sed in cognitione ipsa, quæ non adæquatur obiecto prout est in se. Argumentum pro sententia Torrens. solum concludit contra sententiam Durandi, perfectiones eas, de quibus loquitur, non esse distinctas fundamentaliter per respectum ad creaturas, quod verum est. Non tamen probat distingui per ordinem ad emanationes diuinas quasi in ordine ad ipsas sumatur distinctio fundamentalis perfectionum absolutarum.

Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum quo ad cognosci, minimè pendet à distinctione actuali creatarum, quibus æquipollent.

Caput XI.

I. Dictum est de independentia quo ad esse distinctionis fundamentalis perfectionum diuinarum ab actuali creatarum: nunc dicendum de independentia quo ad cognosci. Difficultas autem huius rei consistit in eo, quod perfectio diuina est re ipsa simplex, & omnino indiuisibilis: fieri autem non potest, vt quod in se vnum est, multipliciter agnoscatur absque ordine ad multiplicitatem actualem.

II. Auctores, qui censent distinctionem ipsam fundamentalem nó posse consistere absque ordine ad res alias actu distinctas, censent etiam non posse absque eo ipso ordine cognosci. Ita Durand. Godofred. Argentinas quæst. citata art. 3. & 4. & præterea Heruæus in 1. d. 2. quæst. 2. §. *Quantum ad secundum.* & quæst. 3. & quodlibet. 3. q. 3. art. 2. 3. & 4. Dionysius Cistercienſ. in 1. d. 22. quæst. vn. art. 2. conclusione 6. Palatius d. 2. disput. 2. in fine. Et illi quidem congruenter loquuntur: nam res intelligi nequit absque ijs, quæ pertinent intrinsecè ad eius rationem: ordo autem ad rationes alias actu distinctas pertinet intrinsecè ad distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum: ergo sine ipso cognosci minimè potest: sed omisso hoc fundamento, quod iam supra reieci, suadetur eadem sententia. Primo, quoniam intellectus de se non est determinatus ad cognoscendum obiectum vna, vel pluribus notitijs: debet ergo determinari ab obiecto, vel ab alio medio: Deitas vt est obiectum intelligibile, solum determinat ad vnicam sui intellectionem, quoniam est vna simplex veritas, vniformiter se habens ad omnem intellectum: ergo, nisi interueniat aliud medium, vel ratio determinans, non poterit intellectus circa ipsam multiplices conceptiones effingere. Hoc vero medium si sit etiam vniforme, solum determinabit ad vnum modum concipiendi: ergo deueniendum est ad plura alia obiecta cognita actu distincta, quę possint esse ratio cognoscendi distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum per attributionem ad actualem creaturarum. Secundo mens nostra etiam in rebus creatis nō potest actu distinguere rationes formales identificatas in eodem subiecto, nisi videat eas seorsim in distinctis: similiter ergo nisi videat in creaturis actu distinctas perfectiones similes diuinis, non poterit has mutuo discernere. Consequentia est euidens: quoniam diuina sunt magis abscondita ab oculis nostris, quam creata. Antecedens ostenditur, quoniam inter genus summum, & species infimas sunt multi gradus Metaphysici intermedij, qui nos latent: nonnisi quia ignoramus diuersitatem ipsorum realem in diuersis subiectis, quod Durandus exponit ex ijs, quæ discernimus: nam si ex coloribus solum candorem cognosceremus, non possemus distinguere colorem à candore: item si nullum alium actum cognoscendi sciremus præter intellectionem, non possemus constituere discrimen inter cognitionē & intellectionem: idque per cætera discurrendo patet. Tertio, nihil secundum quid in aliquo genere cognoscitur absque ordine ad id, quod est simpliciter in eodem: distinctio fundamentalis, siue rationis est secundum quid, distinctio actualis est distinctio simpliciter: ergo distinctio fundamentalis, siue rationis perfectionum diuinarum agnosci nequit absque ordine, ad distinctionē realem creatam vel increatam.

Durand. *Godofred.* *Argentin.* *Heruæus.* *Cistercienſ.* *Palatius.*

Durand.

III. Hæc difficultas intelligi potest absolute, vel comparate: hoc est, aut respectu

cuiuscun-

cuiuscunque intellectus creati, & increati, aut respectu certi, ac determinati intellectus: & quidem si posteriore modo accipiatur, certum est comparatione hominis viatoris Deum naturali modo cognoscentis, veram esse sententiam Durandi, saltem quo ad primã cognitionem, & distinctionem perfectionum diuinarum, nec ab vllo, quẽ viderim negatur: & traditur etiam ab Auerr. 12. Metaph. t. 39. ad finem. Auerr. Ratio est, quoniam diuina non immediate in se ipsis per proprias species, aut præsentiam obiectiuam agnoscimus, sed ex creaturis, & per species ipsarum: quemadmodum ergo Dei sapientiam, & bonitatem agnoscimus, ex ipsarum effectibus, vel ex sapientia, ac bonitate creata, tanquã ex earundẽ participatione, ita ipsarũ distinctionem fundamentalem primo aucupamur ex distinctione actuali participantium, vel effectuum productorum. Nam si nesciremus bonitatem, ac sapientiam in creaturis esse res actu distinctas, aut ignoraremus ipsarum habitudinem ad diuersos effectus, & obiecta, non haberemus fundamentum dis[illegible]inguendi has perfectiones in Deo, quoniam omnis nostra cognitio de Deo in via habeatur à posteriore: Iuxta priorem sensum est difficultas, iuxta quem loquuntur Durand. Argent. & alij: expresse enim negant intellectũ diuinum agnoscere distinctionem fundamentalem perfectionũ diuinarum, absque ordine ad creaturas: ex quo plane sequitur idẽ dicendum de quouis alio intellectu. Nam Deus cognoscit omne intelligibile: quare si non agnoscit distinctionem suam fundamentalem absque ordine ad creaturas, nullo modo erit cognoscibilis absque illo, & consequenter à nullo alio intellectu agnosci poterit: Ego vero primum dicam absolute de cognoscibilitate in se, deinde ad singulos intellectus applicabo.

IV. Dico primum: Distinctio fundamentalis perfectionum diuinarũ est cognoscibilis absque ordine ad res alias ex natura rei actu distinctas: sensus est, ad notitiam distinctionis huius fundamentalis, nõ præ requiri tanquam aliquid præuium, notitiam distinctionis actualis: dupliciter enim se habere potest vna notitia ad alteram, cui est necessariò coniuncta, vel tanquam aliquid consequens, vel tanquam aliquid antecedens. Hic non curo vtrum notitia distinctionis actualis sit coniuncta cum notitia distinctionis fundamentalis, tanquam aliquid ad ipsam consequens, sed contendo ad illam minimè prærequiri. Quæ sententia traditur ab Henrico in sum. Henric. art. 51. quæstione 1. art. 68. quæstione 5. ad argumenta, & quodlibet. 5. quæst. 1. Francisco à Christo in 1. d. 2. quæst. 5. Franc. à Chr. Soncin. d. 8. quæst. 4. conclusione 7. Ioan. Soncinas. Bachon. Alexand. Capreol. & Hispalens. Bachon. Capreol. cit. cap. præcedent. num. 4. & necessariò Hispalens. elicitur ex doctrina Diui Thomæ tradita S. Thom. cap. præcedent. Nam sicut se res habet ad esse, ita ad cognosci, & à quibus res non dependet in essendo, neque in cognoscendo dependet: at distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum est in Deo ante omnem ordinem ad res alias actu distinctas, vt capite proximo dictum est: ergo etiam cognosci poterit absque eiusmodi ordine.

Secundo idem probatur suppositis duobus principijs: alterum est, distinctio fundamentalis eius obiecti, quod non agnito ordine ad alia actu distincta, quibus æquipollet, agnosci potest pluribus notitijs inadæquatis, innotescet non percepto ordine eius ad distinctionem actualem. Alterum est essentia, diuina cognosci potest pluribus notitijs inadæquatis, non præcognito ordine vllo ad alia actu distincta. Ex quibus euidenter colligitur distinctionem eius fundamentalem deprehendi posse, non præcognita habitudine ad aliquam actualem. Primum ostenditur, quoniam quicunque pluribus notitijs simplicibus nõ synonymis apprehendit idem obiectum, distinguit illud secundum esse intelligibile, & intellectum: nam quasi in plura partitur esse intelligibile obiectiuum, & constituit multiplex esse intellectum pro diuersitate notitiarum, & rationem apprehensam vnica notitia separat secundum esse intelligibile ab ijs, quas distinctis notitijs apprehendit: cùm hac vero multiplici apprehensione necessariò coniuncta est cognitio distinctionis fundamentalis obiectiuæ: ergo si illa haberi potest nõ cognito ordine ad alia obiecta re ipsa distincta, absque cognitione eiusdem ordinis intelligi poterit distinctio fundamentalis. Assumptio probatur, quoniam qui habet plures conceptus non synonymos eiusdem obiecti, experimentaliter videt rationem, quam apprehendit per vnum, non esse eandem, quam apprehendit per aliud: ex vi enim notitiæ illius potest formare propositionem, qua enunciet vnam non esse aliam: cùm itaque omnis veritas propositionis negatiuæ fundetur in aliqua distinctione, si ex vi plurium notitiarum apprehensiuarum, elici potest propositio saltem sub reduplicatione negans vnam de altera, illis notitijs agnoscitur distinctio

V.

fundamentalis rationũ obiectiuarum: Respondebitur, nõ posse cognosci distinctionẽ fundamentalem obiecti, nisi intellectus reflectatur supra suos actus, quo posito iam ipsi actus sunt obiecta cognita notitia reflexa: qua etiã percipitur habitudo obiecti ad actualem distinctionem actuum. Sed enim respõsio supponit falsum: namque ad coniungendos duos terminos, & vnum de altero affirmandum, vel negandum, sat est penetratio rationis obiectiuæ vtriusque sine reflexione supra ipsas notitias: ex eo enim, quod res est, vel non est, propositio est vera vel falsa, non autem ex eo, quod mens reflectitur supra suum actum: & ita, si cui innotesceret ratio misericordiæ, ac iustitiæ, prout abstrahunt ab humana, ac diuina, etsi non reflecteret supra suas apprehensiones, verè posset affirmare, ratio iustitiæ, non est ratio misericordiæ: quare ad cognoscendam distinctionem fundamentalem obiectiuam, non est necessaria reflexio supra actus multipliciter apprehendentes. Respondebitur adhuc in hoc casu cognosci quidem distinctionem fundamentalem materialiter, non vero formaliter, quia scilicet cognoscuntur ea, quæ virtute distinguuntur, non tamen cognoscuntur virtute distingui. Hæc responsio non est ad mentem auctorum oppositæ sententiæ. ipsi enim contendunt intellectum non posse agnoscere, aut distinguere vnam rationem formalem ab alia: qui vero ita illas penetrat, vt ex ipsarum notitijs componat enunciationem, & vnam saltem sub reduplicatione neget de altera, distinguit ipsas ab inuicem: vtrum vero in actu signato cognoscat distinctionem ipsam, parum interest, dummodo in actu exercito cognoscat vnam rationem non esse alteram: in hac enim negatione consistit fundamentum distinctionis, de quo Theologi loquuntur, non autem de relatione distincti ad distinctum. Itaque falsum est, quod dicitur, eiusmodi notitijs cognosci ea, quæ virtute distinguuntur, non cognosci autem virtute distingui: nam verè cognoscitur ea distingui fundamentaliter, siue simul agnoscatur relatio ipsa distinctionis, siue non.

VI. Secundum principium ostenditur, quoniam essentia diuina ratione infinitæ intelligibilitatis, est agnoscibilis multiplici conceptu inadæquato, hanc autem intelligibilitatem non habet ab extrinseco, sed à se ipsa: ergo non interueniente cognitione alterius obiecti, aut ordinis ad ipsum, potest ea intelligibilitas reduci ad actum. Patet consequentia: nam intelligibilitas perfecta fundata in ipsa perfectione entitatiua obiecti, reduci potest ad actum saltem quo ad apprehensionem, secluso quouis alio, quod non sit de ratione intelligibilitatis ipsius. Maior propositio probatur, quoniam omnipotentia vna, & simplex, est multipliciter operatiua: ergo etiam intelligibilitas quamuis sit vnica, erit etiam multipliciter determinatiua intellectus, & terminatiua intellectionum: si enim vnitas omnipotentiæ non impedit multiplicem influxum ipsius in effectus, etiam vnitas intelligibilitatis non impediet multiplicem causalitatem ipsius in determinando intellectum, ac terminando eius actus. Assumptio vero constat: nam intelligibilitas nititur entitate, & proinde res, quæ est à semetipsa, à se quoque habet intelligibilitatem: essentia diuina est à se; ergo etiam habet intelligibilitatem à se. Respondebitur intelligibilitatem habere à se: non vero multiplicitatem ipsius: & ideò requiri habitudinem eius ad obiecta distincta actu, vt compleatur multiplicitas intelligibilitatis. Hæc responsio non satisfacit, etenim omnipotentia se ipsa continet multiplices effectus, neque ad eos producendos indiget multiplicitate extrinseca: ergo etiam intelligibilitas diuina infinita, se ipsa continet multiplices conceptiones, ad quas absque ope multiplicitatis extrinsecæ potest determinare intellectum. Et confirmatur, quoniam aut multiplicitas extrinseca creaturæ requiritur, tanquam manuductio ad cognoscendam multiplicitatem fundamentalem Dei, aut quia est de per se ratione obiecti cognitionis, qua illa attingitur: si primum, potest à Deo suppleri, atque adeò secundum se non implicat contradictionem, vt multiplicitas, siue distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum intelligatur absque ordine ad obiecta distincta actu: secundum non est dandum: ergo potest essentia diuina multipliciter intelligi absque eiusmodi ordine. Posteriorem assumptionis partem ostendo experientia: nam quamuis homines non possint primum intelligere rationes solum fundamentaliter distinctas, non cognita distinctione actuali, ex qua colligunt notitiam fundamentalis, nihilominus postea absque aduertentia ad eum ordinem, aut obiecta actu distincta percipiunt pluribus conceptibus rationes solum fundamentaliter distinctas: vt videre est in notitia diffi-

nitiua

nitiua hominis per duos conceptus, alterum animalitatis, alterum rationalitatis: per eam namque tendit absolute intellectus in essentiam ipsius hominis, non respiciendo simul ad brutum, aut rem aliam extrinsecam: eodemque modo, licet ad percipiendam sapientiam, & iustitiam diuinam, tanquam perfectiones fundamentaliter distinctas indigeant viatores notitia sapientiæ, ac iustitiæ creatæ, & distinctionis ipsarum, tamen posteaquam semel eam distinctionem agnouerunt, non opus est, vt quoties voluerint cogitare de ijsdem perfectionibus diuinis, recurrant ad distinctionem actualem creatarum: ergo ordo ad res actu distinctas non est de per se ratione obiecti notitiæ, qua attingitur distinctio fundamentalis: nam quod est de per se ratione obiecti alicuius notitiæ, semper concurrere ad illam debet.

VII. Dico secundum: Quilibet intellectus, siue creatus, siue increatus potest agnoscere distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum absque ordine ad res actu distinctas. Hæc deducitur ex priore: nam quidquid in se est cognoscibile absque ordine ad aliud, non repugnat ita cognosci à quouis intellectu, nisi ex parte ipsius intellectus detur particularis repugnantia: quo minus autem distinctio fundamentalis diuinorum attributorum agnosci queat, nõ assignatur alia repugnantia ex parte cuiusuis intellectus, quam necessitas cognoscendi ordinem ad actualem distinctionem, hæc autem nulla est, vt constat ex dictis: impossibilitas vero perueniendi ad notitiam distinctam rationum formalium, non percepta prius aliqua distinctione actuali, quæ assignatur in intellectu viatorum, solum se habet ex parte inuentionis per discursum naturalem, & tolli potest supplente Deo id, quod præstaret discursus naturalis: quare non repugnat, intellectum hominis agnoscere iustitiam ac misericordiam Dei, & ipsarum distinctionem fundamentalem, non præcognita iustitia, & misericordia creata, & ipsarum distinctione actuali: nam quemadmodum Deus in prima creatione hominis de sententia D. Thomæ & communi, infudit Adamo scientiam naturalem, tum rerum creatarum, tum vero etiam Dei, ita potuit infundere solum scientiam Dei, qua eius attributa non minus agnosceret, quam nunc Theologi, & tamen ignoraret perfectiones creatas, & realem distinctionem ipsarum: quare perciperet distinctionẽ fundamentalem perfectionum diuinarum, non percepta habitudine ad distinctionem actualem creatarum: & sicut ea cognitio potuit hoc modo infundi homini, ita & Angelo. Denique si obiectum secundum se intelligibile est absque ordine ad alia actu distincta: eo modo intelligetur à Deo, qui percipit omne intelligibile: & quamuis simul agnoscat distinctionẽ actualem rerum creatarum, non tamen, priusquam intelligat fundamentalem suarum perfectionum.

Ad primum respondeo, Deitatem vt est VIII.
obiectum intelligibile, esse re ipsa simplicem, multiplicem autem fundamentaliter, quemadmodum omnipotentia diuina: & quemadmodum hæc coniuncta liberæ voluntati Dei determinatur ad vnum potius effectum, quam alium, ita diuinam intelligibilitatem posse determinari ad causandos inadæquatos sui conceptus, accedentibus diuersis medijs præparatis à voluntate, & omnipotentia diuina: ex quo non sequitur, deueniendum ad plura obiecta actu distincta, quorum cognitio sit veluti medium ad cognoscendam distinctionem fundamentalem: nam possunt esse media cognoscendi non cognita instar specierum intelligibilium. Quin vero, vt alibi ostendam eadẽ essentia immediate vnita menti beatæ, pro varietate luminis gloriæ & concursu Dei libero, potest esse ratio visionũ inadæquatarum, quarum singulæ percipiant aliquid fundamentaliter distinctum in Deo, non perceptum ab alijs. Secundum argumentum solum concludit id, quod superius dictũ est: nempè homines viatores via inuentionis non posse distinguere actu ea, quæ sola virtute distinguuntur, nisi prę cognita aliqua distinctione actuali, ex qua eliciant fundamentalem: ex hoc autem nõ sequitur, idem dicendum esse via accuratæ cognitionis, quatenus cognoscuntur gradus superiores cum absoluta præcisione ab omnibus, quæ non sunt intrinsecæ rationibus formalibus eorundem. Pro solutione tertij suppono, eorum quæ dicuntur secundum quid, quædam ita dici, vel esse per attributionem ad ea, quæ sunt simpliciter, vt accidens dicitur ens per attributionem ad substantiam, medicina dicitur sana per attributionẽ ad hominẽ sanum: quædã vero non ita dici, vel esse, sed quia imperfecte, & secundum partem participant eandem formam: quomodo Æthiops dicitur albus secundum quid, hoc est secundum dentes, aër exigua luce collustratus dicitur lucidus secundum quid. Hoc posito respondeo maiorem esse veram, si intelligatur de ijs, quæ sunt secundum quid

oriore modo: falsam vero, si intelligatur de posteriore: Æthiopes enim verè ignoscerent se esse candidos secundum sentes, quamuis nullo modo scirent esse alios homines simpliciter candidos: item is, qui nunquam vidisset copiosam lucem, verè cognosceret exiguam, quam actu videret: at vero distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum non est, aut dicitur talis per attributionem ad actualem: vt enim iam supra dixi, licet non esset vlla res distincta ex natura rei, si tamen supponatur esse diuinitas infinite perfecta, vt modo est, adhuc perfectiones eius essent distinctæ fundamentaliter, & consequenter vt tales cognosci possent.

Distinctio fundamentalis obiectiua cognosci potest vnico simplici actu.

Caput XII.

I. Distinctionem fundamentalem perfectionum diuinarum, quantum in se est, agnosci posse à quouis intellectu absque ordine ad plura actu distincta, constat ex capite superiore: supereſt vt dicam, vt cum cognosci possit vnico actu præsertim beatifico, ac diuino. Sententia negans suadetur. Primo quoniam omnis intellectus distinguens rationes formales obiecti, intelligit vnam non esse aliam: hoc autem est alienum à cognitione diuina, & beata: ergo neutra earum percipitur distinctio perfectionum diuinarum. Maior est manifesta: distinctio enim fundamentalis consistit in negatione vnius de altero, saltem sub reduplicatione: & ideò, qui distinctionem fundamentalem agnoscit, consequenter intelligit ex rationibus formalibus ita cognitis vnam non esse aliam. Assumptio probatur, quoniam notitia obiecti sicuti est, non potest illud cognoscere aliter ac in se ipso est: visio diuina, ac beata attingit Deum sicuti est: ipse autem in se ipso simplicissimus est, & perfectiones omnes diuinæ sunt ex natura rei formaliter indistinctæ, ita vt vna sit alia: ergo cognitione diuina, vel beata non potest agnosci, vnam non esse aliam: Secundo aut Deus, & beati distinguunt perfectiones diuinas eadem visione, qua diuinam essentiam simpliciter vident in se ipsa, aut diuersa; non eadem: nam, cùm per eam apprehendatur simpliciter, vt in se est, non distinguitur in plura. Non est alia, omnes enim visiones claræ Dei sunt ciusdem rationis. Et confirmatur, quoniam res actu indiuisa, & indistincta, non potest per se primo apprehendi, vt distincta per actum rectum, immediate tendentem in obiectum prout est in se: visio autem terminata ad essentiam Dei est recta: ergo non poterit apprehendere distinctionē perfectionū diuinarum. Maior propositio patet: nam omnis distinctio rationis consistit in comparatione aliqua rationum facta per intellectum: notitia autem recta obiecti realis, prout est in se, non est comparatiua: quoniam non intelligitur terminata ad plura, quæ possint esse extrema comparationis: atque adeò per ipsam distingui nequeunt, quæ sunt re ipsa diuersa. Assumptio verò ostenditur: quoniam in omni comparatione reflexa primarium obiectum est actus, vel intellectus ipsius intelligentis: at visio beata creata habet pro obiecto immediato ipsam essentiam diuinam in se, non vero ipsam, aut intellectum beati: in Deo vero ratione identitatis cum essentia, ipsamet visio, & intellectus, est obiectum actus beatifici, qui tamen, quia immediate fertur in essentiam, verè est actus rectus: & multo clarius id habet visio creata.

II. Tertio in particulari idem ostenditur de ipsa notitia diuina. Nam hæc non minus est vna, & simplex in genere notitiæ, quam sit essentia in genere rei, & obiecti intelligibilis: essentia vero nō est actu ex natura rei distincta: ergo neque notitia diuina cognoscit actu perfectiones diuinas virtute distingui. Patet consequentia: nam sicut rei simplicissimæ repugnat actualis distinctio ex natura rei, ita notitiæ simplicissimæ repugnat actualis distinctio in genere cognitionis: hæc autem consistit præcipuè in distinguendo obiectum cognitum, quod sane distinguitur, si actu cognoscitur eius distinctio virtualis. Quarto suadetur in particulari de visione beata creaturæ, quoniam sublata causa distinctionis, tollitur ipsa quoque distinctio: in beatis vero Deum videntibus sublata est causa distinctionis diuinorum attributorum: ergo nequaquam ea distinguunt per visionē beatam. Assumptio probatur, quoniam causa, quam D. Thom. 1. p. q. 13. art. 4. & alij assignant, cur in via perfectiones diuinæ à nobis distinguantur, est imperfectio intellectus, ac medij, quoniam Deum per creaturas agnoscimus, nec habemus vnicum medium repræsentans perfecte vnicam illam rationem Dei, quod licet haberemus, tamen ob imbecillitatem luminis intellectualis, nō possemus simul capere tot perfectionum notitiam: at in patria est vnum medium simplex, & adæquatum, hoc est essentia diuina, est lumen proportionatum

S. Thom.

ad vi-

ad videndum Deum sicuti est: ex quibus emanat visio perfecte, & vnite illum attingens: ergo nõ cognoscitur essentia per modum plurium, sed per modum vnius: atque adeò non cognoscitur eius distinctio virtualis: nam quando aliquid cognoscitur, vt distinctum necessariò cognoscitur per modum plurium.

III. Capreol. Pro hac sententia refertur Capreol. in 1. d. 8. q. 4. art. 3. in fine in solutione cuiusdam argumenti, vbi loquitur solum de intellectu diuino, ac beato. Eam vero extendunt recentiores ad omnẽ intellectum videntem rem sicuti est: ita vt nullus intellectus rẽ simplicem intuitiue videns sicuti est, possit eam distinguere. Quæ sententia quo ad attributa, confirmatur auctoritate D. Bernardi lib. 5. de cõsideratione ad Eugenium, aliquantum ante finem, vbi, cùm dixisset Deum esse latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profunditatem, & sibi obiecisset ex eo sequi quaternitatem, respondet his verbis: *Visus sum protulisse plura, sed vnum est, vnus Deus signatus est pro captu nostro, nõ pro suo: diuisus est hic, nõ illic: voces diuersæ, semitæ multæ: sed vnum per eas significatur, vnus quæritur.* Si hic, non illic diuisus est, non habet in mente diuina eam distinctionem, quam habet in nostra: non habet autem in nobis aliam distinctionem, quã secundum esse cognitum, quo distinguitur ipsius esse virtuale multiplex; ergo hanc nõ habet in mente diuina: atque adeò Deus nõ distinguit suas perfectiones. & paulò pòst subdit: *Nobis autem, quia nõ possumus cum Deo simplicitate contendere, dum cõtendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum videre datur: cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, desilietúe in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabit q; vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei:* Si pluralitatem hic facit speculum, si in patria nequaquam in illam resiliet, si vna facies videntis respondebit vni faciei Dei visi, eadẽ erit in visione vnitas, & identitas in genere intellectionis, quę in diuina essentia est in genere rei: & cessabit distinctio viæ in simplicem identitatem traducta: neque beatus, quantumuis conetur, poterit in pluralitatẽ resilire distinguendo perfectiones, quas in via distinguebat, vt aperte sumitur ex illis verbis, *Nec quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, desilietúe in suam pluralitatem.* Sentit ergo D. Bernardus mentem beatam, etiam summo conatu adhibito, non posse deuenire in pluralitatẽ cognitionis habitæ in via.

IV. Decisio huius quæstionis pendet ex declaratione ambigui vocabuli: distinguere enim attributa non vno modo dicitur: potest vero sumi dupliciter quantũ attinet ad præsens institutum: nam distinguere dicitur inprimis is, qui rem suapte natura indistinctam ratione distinguit, ita vt verè dicatur multiplex secundũ esse intellectum, & consequenter ratione distincta: distinguere etiam dicitur is, qui distinctionem agnoscit, siue qui distincte agnoscit ea, inter quæ exercetur distinctio. De priore distinguendi modo dictũ est cap. 9. nunc agam de posteriore. Cùm vero hæc distinctio sit & fundamentalis in re ipsa, & actualis sub multiplici cõceptione intellectus determinata ad diuersas rationes obiectiuas, de vtraque hoc loco agẽdum est. Posterior quidem agnoscitur, cùm intelligitur obiectum re ipsa indiuisum terminare plures conceptus actu distinctos, prior vero intuendo obiectum suapte natura posse ab intellectu finitæ perspicacitatis apprehendi, inadæquate per plures cõceptus: & quidem hoc modo distinguere Deum sua attributa, seu potius cognoscere distincta, siue actu secundum rationem, siue fundamentaliter secundum se, expresse asserunt Heru. quodlib. 8. q. 1. Bachon. in 1. d. 2. q. 2. art. 4. §. 1. Richard. art. 1. quæst. 3. art. 4. Toletan. d. 8. q. vn. art. 4. ad 2. Scoti contra 3. conclusionem. Capreol. q. 4. art. 2. ad 9. Godofredi contra 2. conclusionem. Soncin. eadem q. ad 5. & 12. contra 4. conclusionem. Torres 1. p. q. 28. art. 2. disput. 2. dubio 1. Molin. eodem art. disput. 3. conclusione 4. & 5. neque vllus hoc negabit, qui terminos intellexerit. Nam diuinus intellectus infinitæ perspicacitatis cum sit, intelligit habitudinem essentiæ diuinæ, quatenus est obiectum intelligibile, vel intellectum respectu cuiusuis mentis creatæ: ergo cum ea modo sub ratione sapientiæ, modo sub ratione iustitiæ, aut cuiusuis alterius attributi obijciatur menti creatæ per plures conceptus, hoc ipsum cognoscit Deus, & consequenter intelligit multiplicitatem eius actualem secundum esse intellectum, quam sortitur, vel sortiri potest in intellectu creato: quod est agnoscere distinctionem attributorum fundamentalem, imò & actualem secundum rationem.

Heruæus. Bachon. Richardus. Toletan. Capreol. Hispalens. Soncin. Torres. Molina.

V. Difficultas consistit in alio modo cognoscendi distinctionẽ fundamentalem, is vero est quo ad esse obiectiuum perfectionum diuinarum: ita vt quemadmodum intellectus

tellectus imperfectus pluribus conceptibus distincte attingit ex parte obiecti rationem iustitiæ, ac sapientiæ, vt ex vi huius apprehensionis formare queat iudicium comparatiuum vnius cum altera, eodem modo apprehendat intellectus perfectus vnica notitia, ex vi cuius illi innotescat distinctio rationum obiectiuarum tã perspicuè, vt simul intelligat, vel saltem ex vi eius apprehensionis perspicere possit veritates complexas fundatas in virtuali distinctione illarum. Quomodo dici potest cognosci materialiter distinctio obiectiua, quia nõ cognoscitur formaliter ipsa distinctio in se: agnoscuntur tamen ipsa distincta tali modo, vt ex vi eius notitiæ formaliter agnosci possit distinctio: nam etiam quando viator pluribus conceptibus apprehendit perfectiones diuinas, non percipit formaliter ipsam distinctionem, quæ nonnisi conceptu comparatiuo percipi potest, qualis nõ est simplex apprehensio plurium rationum obiectiuarum eiusdem entis indiuisi: & nihilominus dici potest percipere distinctionem attributorum: & quamuis forsan hic loquendi modus sit improprius, tamen hïc magna ex parte sita est difficultas huius controuersiæ. Tum vero eadem distinctio formaliter agnosci dicitur, cùm intellectus iudicat rationes obiectiuas inter se distingui: id vero fit in actu exercito, cùm saltem sub reduplicatione asseritur vnam non esse alteram: nam actualis negatio vnius de altera, est diuisio mentalis terminata ad multiplicitatem obiectiuam terminorum.

VI. Dico primum. Non repugnat, vnica simplici notitia intuitiua cognosci materialiter pluralitatem, & distinctionẽ perfectionum diuinarum: ea vero de facto cognoscitur à Deo, & beatis mentibus. Prior pars sequitur ex posteriore: ab actu enim ad potentiam est euidens & infallibilis consequentia: & ita Doctores, qui secundam partem tenent priorem eo ipso docent, sunt autem meo iudicio ferè omnes paucis recentioribus exceptis. Ita Henric. in sum. art. 51. quæst. 1. art. 68. quæst. 5. ad argumenta, & quodlibet. 5. quæst. 1. & eum secutus Varro apud Aureolum in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. & idem Aureol. art. 3. dum impugnat secundam opinionem. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 3. art. 4. §. *His præmissis.* & quodlibet. 8. quæst. 1. Godofredus apud Bachon. in 1. d. 2. quæst. 1. art. 2. §. 1. in fine, & apud Scotum d. 8. quæst. 3. aliàs 4. §. *Ista quæstione*, Durand. d. 2. quæst. 3. num. 20. Richard. art. 1. quæst. 3. art. 4. Argentin. d. 6. quæst. 1. art. 2. ad 2. & 5. & Alexander Augustinianæ familiæ apud eundem art. 3. Cypeus Thomistarum q. 10. in Porphyrium art. 1. ad 2. Scoti, Caiet. quæst. 12. de ente, & essentia ad 3. Soncin. in 1. d. 8. quæst. 4. ad 12. contra 4. conclusionem. Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. d. 2. dub. 1. & 3. Molina eodem art. dist. 3. conclusione 5. Quin vero Capreol. qui solus pro opposita sententia refertur, ea ipsa quæstione, & art. in responsione ad 16. contra primam conclusionem nobiscum sentit simul cum Paludano, quem refert: ex quo proponit quinque modos, queis aliqua dicuntur ratione distingui: primus est, cum distinguuntur diuersa entia rationis, vt genus, & species: secundum, quando vnũ ens reale simpliciter distinguitur à se ipso, quatenus pluribus conceptibus formalibus distinguitur ab intellectu. Qui duo modi non reperiuntur in visione Dei sicuti est, quoniam nec rationes visæ sunt entia rationis, nec visio est actu plures. Tertius modus est quãdo vna res vno conceptu intelligitur vt plures, siue per comparationẽ ad diuersa, vt centrum ad diuersas lineas: siue ad idem diuerso modo, vt punctum ad circulum tanquam principium, ac finis ipsius: vel idem per comparationem ad se ipsum, vt dicendo, hoc est idẽ sibi ipsi: quartus est cum intellectus iudicat vnum re esse plura ratione, quod non est ita intelligendum, quasi antequam iudicet, sint actu plura ratione, sed quia videndo rem esse comparabilem ad plura, vel pluribus mõdis apprehensibilem, & hoc ipsum iudicando facit eam plures ratione: quintus denique est, cum pluralitas rei siue in actu, siue in potentia quomodocunque illa sit, apprehenditur actu ab aliquo intellectu, quin simul iudicet esse plures, aut plurib⁹ conceptibus formalib⁹ apprehendat: quia ad esse actuale pluralitatis rationis solum requiritur, vt actus ille rationis, qui rem simplicem facit plures secundũ rationem, actu in ipsam terminetur. Hos tres modos agnoscit Palud. & Capreol. in Deo: tertium quidẽ, & quartum per comparationẽ ad intellectum diuinum, qui omnẽ pluralitatem possibilem, & actualem comprehendit: post quæ concludit Capreol. *Patet ergo, quod attributa diuina distinguuntur per comparationem ad intellectum diuinum, & creatum simul,* item in solutione ad octauum Godofredi contra 2. conclusionem, sic ait, *Distinctio rationis consequens simplicem apprehensionem, non semper consequitur realem distinctionem mediorũ intelligendi, puta specierum intelligibilium, aut conceptuum, aut actus intelligendi:* itaque admittit distinctionẽ rationis consequi conceptum,

Henric. *Varro.* *Aureol.* *Heruæum.* *Godofred.* *Durand.* *Richard.* *Argentin.* *Alex. Augst.* *Cypeus.* *Caietanus.* *Soncinas.* *Torres.* *Molina.* *Capreol.* *Paludan.*

aut

aut actum intelligendi simplicem, idque ostendit in actu diuino his verbis; *Intellectus diuinus distinguit secundùm rationem ideas rerum creabilium, & respectus rationis factibilium ad diuinam essentiam, & entia prohibita, & negationes, & huiusmodi in quo est realis distinctio mediorum, aut actuum intelligendi.*

VII. Prior assertionis pars suadetur: pluralitas virtualis, ac distinctio perfectionum diuinarũ est obiectum intelligibile, ac verum: ergò non repugnat, vt agnoscatur ab intellectu vnico actu. Consequẽtia est manifesta, quandoquidem sola pluralitas non est impedimento, quo minus vnica intellectione obiecta percipiantur: nam creaturæ plures sunt, & nihilominus vnica notitia Dei percipiuntur omnes, plura quoque obiecta repræsentata Angelo per speciem intelligibilem alicuius generis, de sententia Diui Thomæ vnica intellectione cognoscũtur. Antecedens autem ostenditur: nam qui ait, perfectiones diuinas distingui virtute, nõ dicit falsum, sed verum: ergò conformatur primæ veritati, quæ continet, & intelligit omne verum. Secundò non repugnat, vt notitia simplex quoad perceptionem obiecti æquipolleat, imò etiam longè superet multarum notitiarum aggregatum: ita vt quidquid in his existit secundùm esse cognitum, sit etiam in illa, quamuis sit diuersitas penes modum cognoscendi: sed perfectiones diuinas agnoscimus, ac distinguimus pluribus notitijs creatis, ita vt ex vi ipsarum innotescat, rationẽ iustitiæ esse virtute distinctam à ratione sapientiæ, & hanc à ratione omnipotentiæ: ergò idem omninò cognoscetur vnica notitia æquipollente illis pluribus, vel eas superante. Respondebis, notitia illa vnica posse apprehendi, quidquid ex parte obiecti cogniti, non autem ex parte modi cognoscẽdi. At quando obiectũ simplex pluribus negotijs apprehenditur distinctio, & pluralitas nõ se habet ex parte obiecti cogniti quod est vnicũ, & indistinctũ, sed ex parte cognoscẽtis: & ita nõ sequitur dandas in vnica simplici cognitione. Quæ responsio non est sufficiens; nam licet distinctio formalis actualis nõ se habeat ex parte obiecti cogniti, habet tamen se distinctio virtualis, quæ est prior actuali: nec sit ab intellectu, aut est in ipso aliter, quã secundũ esse cognitum, quapropter si hæc agnoscitur ab intellectu pluribus conceptibus apprehendente obiectum, apprehẽdetur etiam ab vnica notitia æquipollente pluribus. Præterea, hæc distinctio fundamentalis sublata omni imperfectione ex parte modi cognoscendi sufficienter agnoscitur, quãdo ex vi cognitionis potest fieri enunciatio negatiua, saltem sub reduplicatione vnius rationis de altera, vel cognitio ipsa æquipollet illi enunciationi: hoc verò non repugnat: ergò distinctio virtualis percipi potest ab intellectu vnico actu. Maior propositio ostenditur, quoniam negatio omnis vera nititur aliqua distinctione: atque adeo, qui ex vi notitiæ simplicis potest formare enunciationem negatiuam veram, opus est, vt notitia illa attingat virtualem distinctionem extremorum: quod multo verius est, si notitia simplex æquipolleat tali enunciationi. Assumptio ostẽditur, quoniã vnica simplex notitia potest esse æquè, vel magis clara, & penetratiua obiecti, quã plures simul, & sicut ex duplici notitia, quarũ altera terminatur ad animalitatẽ, altera ad rationalitatẽ, potest noster intellectus cũ reduplicatione dicere. Homo, quatenus animal, nõ est rationalis, & quatenus rationalis, non est animal, ita, qui haberet vnicam notitiam simplicẽ diffinitiuã hominis, id ipsum posset efficere: non minùs enim intuetur fundamentũ distinctionis secundùm rationem, quàm ille alius. Hæc argumenta accommodari possunt ad notitiam diuinã, quoniam ipsa est maximè clara, atq; euidens, multo distinctius penetrans omnia, ac singula obiecta conceptionum creatarum, quam ab his attingantur: idque suo modo conuenit notitiæ beatæ respectu perfectionum simpliciter, quæ sunt formaliter in Deo: ergò si duabus, aut pluribus notitijs creatis attingitur materialiter distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum, attingetur etiam à notitia beata creata, & increata.

VIII. Dico secundum: Vnico conceptu agnosci potest formaliter distinctio fundamentalis perfectionum diuinarum. Hæc est eorundem Doctorum, quos retuli pro prima assertione. Probatur autem, quoniam nõ repugnat vnico actu attingi quãuis veritatem cõplexam: distingui aũt virtute perfectiones diuinas, est veritas quædam cõplexa: ergò poterit percipi vnico actu: In particulari verò ostenditur de intellectu diuino: hic enim non minùs clarè, ac distincte percipit suam sapientiam, iustitiam, & alias perfectiones, ac intelligant omnes creaturę pluribus, & distinctis conceptibus: & ex vi suæ cognitionis reuelat diuersas propositiones de suis attributis: verbi gratia, Dominus sapientia fundauit terram, misericors Dominus, & iustus, & similes, quæ in nobis supponunt, vel inuehunt cognitionẽ formalẽ distinctionis

virtualis attributorum : ergo ipse quoque eam habet. Et confirmatur, quoniam Deus cognoscit omne verum cómplexum : ergò, si creatura notitia complexa cognoscit formaliter distinctionem attributorum diuinorum, eandem Deus cognoscet vnico simplici actu: & quèadmodum noscimus Deitatem nõ generare, sed Deum, essentiam esse communem tribus personis, non vero processiones ad intra, ita etiam ille hoc cognoscit: hoc verò modo percipitur distinctio virtualis formaliter in actu exercito : ergò Deus illam percipit. At verò beati, cum iuxta cómunem sententiam Theologorum, quæ nunc vident in speculo, & ænigmate, in patria videant facie ad faciem, has easdem veritates reuelatas visione ipsa beata percipiunt, nõ quidem componendo, aut diuidendo, sed vnico intuitu : itaque sicut nunc credunt Deum esse trinum in personis, nõ in essentia, vnum vero in essentia, non in personis, ita in patria videbunt, vt ex vi visionis possint eandem veritatem reuelare nescientibus, quod fieri nullo modo posset, nisi distinctionem virtualem formaliter attingerent.

IX. Ad primum argumentum respondeo, dupliciter intelligi perfectionem vnam non esse aliam, aut simpliciter, & secundùm esse proprium actuale, aut secundùm quid, & cum reduplicatione, vel secundùm esse intelligibile, & intellectum inadæquatum : si priore modo accipiatur non requiritur, vt quæ distinguuntur, actu ab intellectu, ita concipiantur vnum non esse aliud : alioquin in omni intellectu distinguente actu ea, quę sunt re ipsa indiuisa, esset falsitas : quandoquidem agnosceret rem, quæ secundùm se vna est, esse plures ex natura rei : quod tamen abhorret à communi sensu Doctorum, qui negant plures conceptiones necessarias de perfectionibus diuinis esse falsas, aut vanas: & in hoc sensu neganda est maior propositio: quæ in posteriore vera est : semper enim intellectus, qui distinguit actu plura in se virtute distincta, intelligit vnum non esse aliud, saltem sub reduplicatione alicuius rationis formalis : in quo sensu falsa est assumptio. Nam licet Deus, ac beati videant perfectiones diuinas esse vnam simplicissimam entitatem in se, agnoscunt tamen quatenus est misericordia, non esse iustitiam, & quatenus est voluntas, esse principium producendi Spiritum sanctum, non vero quatenus est intellectus : & sic in cæteris. Ad huius impugnationem neganda est consequentia: qui enim intelligit Deitatem, quatenus essentia est, nõ esse trinam, aut quatenus paternitas est, non esse cõmunicabilem, non intelligit rem aliter, ac in se est : & tamen eiusmodi intellectionibus necessario percipitur distinctio virtualis, siue fundamẽtalis, quæ est inter essentiam, ac relationem : itaque Deus, ac beati cognoscunt obiectum beatificum, & vnum, atque indistinctum in se actualiter ex natura rei, & virtute, ac fundamentaliter distinctum. Ad secundum respondetur, Deum, ac beatos distinguere, hoc est agnoscere virtute distinctas perfectiones diuinas eademmet visione, qua ipsam in se vident : ea enim æquipollet pluribus notitijs creatis easdẽ multipliciter attingentibus : nec repugnat eadem visione percipi rem, vt vnam in se, & vt virtute distinctam, vt patet ex solutione primi. Ad confirmationem neganda est maior propositio : nam actus rectus solummodo opponitur actui reflexo, non vero reduplicatiuo : qui enim intelligit hominem, quatenus est rationalis, distingui à bruto, habet quidem actũ comparatiuum hominis cum bruto, ac reduplicatiuum rationis formalis, secundum quam ab illo distinguitur : quæ omnia constant sine intuitu reflexo intellectus in suum proprium actum : & non tollunt naturam actus recti. Eodem modo intellectus diuinus, aut beatus penetrando essentiam diuinam multo perfectiùs, quàm nos pluribus notitijs, non solum intelligit Deum esse iustum, & sapientem, sed etiam reduplicatiue intelligit esse iustum secundùm rationem iustitiæ, nõ secundùm rationem sapiẽtiæ, & sic de cæteris. Ad probationem eiusdem maioris dicendum est, nõ requiri ad omnem comparationem, maximè eam, quæ fit cum reduplicatione, vt extrema comparationis sint plura actu distincta ante comparationem ipsam: sed sat est, vt sint virtute, & fundamentaliter distincta, & apta terminare plures conceptus non synonymos: hoc enim ipso possunt comparari, vel pluribus conceptibus, vel vno eminenter continente plures, qualis est visio diuina, ac beata. Aliter responderi poterit, maiorem esse veram, quando visio ita est recta, vt non sit saltem etiã eminenter reflexa: quomodo se habet visio diuina, & beata, vt suis locis dicam : notitia vero eminenter reflexa non est opus, vt immediate terminetur ad notitiam aliam præcedentem.

Ad tertiũ neganda est cõsequentia: quoniam assumitur in conclusione terminus, X.

qui non

qui non est in præmissis: & cùm esset inferendum, ergo notitia diuina non est actu distincta secundùm esse intellectum, quod est verum: infertur ergo, non cognoscit actu perfectiones diuinas virtute distingui, quod est falsum: est enim longè diuersum, notitiã non attingere distinctionẽ virtualem obiecti actu indistincti, & ipsam non esse actu plures secundùm esse intellectum: quoniam quamuis sit vna, & nõ plures secũdùm esse intellectum, potest attingere distinctionẽ virtualem, quæ est in obiecto. Ad probationẽ consequentiæ respõdeo, duobus modis intelligi, cum dicitur notitiã distinguere obiectũ: Primò, vt idẽ sit ac percipere distinctionẽ eius virtualẽ; secundò ita, vt sit idem, ac cõstituere illud in multiplici esse formali intellecto: cùm vero dicitur distinctionẽ actualem in genere cognitionis consistere in distinguendo obiectum cognitũ, si intelligatur priore modo, est falsum: si verò posteriore, est verum: sed hæc distinctio non sequitur ex eo, quod obiectũ cognoscatur actu distinctum, nisi simul adsit multiplex esse intellectum. Ad quartum respondetur, imperfectionem medij repræsentantis, & intellectus naturaliter intelligentis, esse causam cur viatores Dei perfectiones imperfectè attingant: cur verò ipsarum virtualem distinctionem agnoscant, non est ea sola causa, sed infinita perfectio essentiæ diuinæ, & intelligibilitas multiplex virtute distincta: quam perfectiùs penetrant beati, quam viatores, & ideò perfectiuùs, quam illi, intelligunt perfectiones diuinas, & distinctionem virtualem ipsarum: & quemadmodum hæc non pugnant cum omnimoda identitate earundem, ita neque repugnat, vt mens illas videat, vt virtute plures, & vt maximè vnas secundum esse actuale.

Distinctio rationis formaliter sumpta, hoc est relatio ipsa distinctionis, est ab æterno obiectiue in intellectu diuino.

Caput Vlt.

I. Dupliciter rationes aliquæ distingui dicuntur, nempe materialiter, & formaliter: materialiter per non identitatẽ, quatenus vna modo aliquo non est alia: formaliter, relatiõe ipsa distinctionis, qua mutuo referuntur, vt extrema distinctionis. huc vsq; dictũ est de distinctione materiali, & eius cognitione; superest vt dicam etiam breuiter de formali, & ipsius cognitione. Et quidem inter eos, qui censent attributa diuina distingui ratione, constat habitudinem distincti ad distinctum, à qua perfectiones diuinæ denominantur, etsi obiectiue in mente apprehendente illas pluribus conceptionibus, & ab eadem cognosci. An vero sit, & cognoscatur ab intellectu diuino, dubium est. Quidam recentiores negatiue respondent, quorum sententia duplici assertione continetur. Prima est, per diuinam intellectionem non constituitur illa distinctio, hoc est habitudo rationis distincti ad distinctum inter perfectiones diuinas. fundamentum huius est, quoniam ab intellectu diuino non fit vllum ens rationis, atque adeo neque distinctio, quatenus est respectus rationis. Antecedens probant, quoniam ens rationis, quod à nobis tribuitur rebus, non aliter conuenit ipsis, quam in apprehensione mentis: Deus autem simplici suo intuitu nihil addit rebus intellectis, sed solum illas apprehendit, sicut in se ipsis sunt: quare ex ipsius intellectione non redundat vllus respectus rationis in res apprehensas. Secunda assertio eorundem est: Deus non intelligit ipsum ens rationis, quod consequitur ex comparatione, & multiplici apprehensione intellectus nostri. Fundamentum est: quoniam si Deus illud intelligeret, consequenter etiam illud fabricaretur: hoc autem fieri nequit, vt constat ex prima assertione: ergo neque illud. Sequela maioris ostenditur: quoniam, ens rationis, quod intelligitur à Deo, habet esse obiectiuum in intellectu diuino, quin ad ipsum concurrat intellectus noster, sed diuinus: ex hoc autem sequitur ens rationis, quod est quoddam figmentum, & monstrum, formari ab intellectu diuino. Secundò, si Deus nunc cognoscit ens rationis ab intellectu nostro fabricatum, etiam cognouit ab æterno; Deus enim nihil cognoscit ex tempore: atque adeo Deus ab æterno habet aliquid actu effictum à suo intellectu, priusquam effingatur à creato: id non est aliquid reale: ergo rationis, formatum ab intellectu diuino non cooperante creato. Tertiò, nihil aliud est fieri ens rationis ab intellectu, quam obijci vel actu intelligi: ergo si Deus illud intelligit, actu effingit: si nõ primario, & ratione sui, saltem occasionaliter ratione intellectus creati, res inter se mutuo comparantis.

II. Hæc controuersia difficultatem habe-

re po-

re potest, vel ex communi ratione entis rationis, quam solum præfati Autores attendere videntur, vel ex propria ratione distinctionis secundùm rationem: nam cum hæc fundetur in pluralitate ipsius esse intellecti; fieri nequit, vt sit in intellectu diuino, qui vnica simplici intellectione omnia comprehendit: & quemadmodum secundùm esse actuale est simplicissimus, & expers omnis distinctionis ex natura rei, ita quatenus est intellectio, excludit omnem pluralitatem secundùm esse intellectum, quæ est fundamentum distinctionis rationis. Et confirmatur, quoniam distinctio rationis consistit in comparatione rationum formalium sub negatione vnius de altera: hæc autem comparatio dari nequit in intellectu diuino: ergò neque erit distinctio rationis. Assumptio patet, quoniam per huiusmodi comparationem rationes formales perfectionum diuinarum, non possunt constitui sub mutua negatione, illam non habent ex se, ergo comparari nequeunt à diuino intellectu sub ea negatione. Minor est euidens, quoniam perfectiones diuinæ ante actum intellectus sunt idem prorsus, & indistinctæ ex natura rei. Maior verò probatur, quoniam ex comparatione intellectus diuini non potest resultare mutua negatio eorum, quæ sunt omnino idem ex natura rei, neque oriri distinctio, quæ non præexistat in obiecto increato, respectu cuius intellectus diuinus est tantum speculatiuus, ac proinde nequit apprehendere aliter, quam sit in re: est autem in re vna simplex perfectio, & ratio formalis indistincta: ergo non potest apprehendi à diuino intellectu, vt multiplex, aut sub vna negatione.

III. Obseruandum est, quamuis ens rationis non habeat aliam existentiam, quam obiectiuam in intellectu, tamen eam, quam vendicat, quatenus est ens rationis, esse longe diuersam ab ea, qua potest quodammodo speculatiuè concipi, vt quoduis aliud ens. Priorem habet, cum actu concipitur ab intellectu subiectum, ac fundamentum ipsius cum comparatione ad extremum habitudinis: verbi gratia, relatio speciei habet propriam existétiam obiectiuam, cum mens concipit naturam humanam vt communem pluribus individuis. Nam quemadmodum relationes reales in sua propria existentia, requirunt existentiá realem subiecti, & fundamenti, quibus innituntur, ita habitudo rationis requirit existentiam obiectiuam subiecti, quod denominat, ac fundamenti, quod sequitur. Posteriorẽ habet, cum absq; comparatione eorũ, inter quæ respectus rationis exercetur, mens ipsum in se speculatiuè considerat, vt quoduis aliud esse intelligibile: qua ratione, cum loquimur de secundis intentionibus, non cõcipientes actu naturam aliquam genericam, vel specificam, concipimus habitudinem generis, aut speciei: in hac enim cõceptione, cum non supponat in mente aliquam naturam abstractam à suis inferioribus, nõ existit per propriam suã existentiam obiectiuam relatio generis, aut speciei, ad quam requiritur existentia proprij subiecti, & fundamenti secundùm esse intellectum, & mutua cõparatio extremorũ: quæ hîc non interuenit. Quæ doctrina colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 15. ar. 2. in corpore, & ad 2. & 3. quo loco ait, respectus, quibus multiplicantur ideę, causari ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res: consentit Caietanus ibidem circa responsionem ad secundum, & tertium, vbi docet respectus ideales non consequi actum intellectus diuini intelligentis ideas, sed fieri per actum eiusdẽ intelligentis essentiam suam cõparatiue. Ex quo patet respectus ideales nõ proprie existere in eo conceptu, quo in se intelliguntur, sed in eo, quo essentia ad creaturas cõparatur. Eadem ferè doctrina habetur lib. 1. contra Gentes c. 54. vbi explicare volens D. Thom. quomodo essẽtia diuina sit idea, siue ratio singulorum, ait Deum intelligendo essentiam suam, vt imitabilem per modum vitæ, & non cognitionis, accipere propriam formam plantæ: & ad quem locum Ferrariensis ait, ideo hoc à D. Thoma dictum, quia Deus non apprehendit essentiam suam tanquam propriam rationem alicuius rei formaliter, nisi inquantum ipsam cum tali respectu intelligit.

S. Thom. *Caietan.* *S. Thom.* *Ferrarien.*

IV. Ex dictis patet, non rectè philosophari eos, qui censent eo ipso, quo ens rationis vtcunque percipitur ab intellectu, habere propriam existentiam obiectiuam sibi debitam: nam respectus ideales, vt ait Diuus Thomas loco primæ partis citato, sunt in diuino intellectu, nequaquam verò increato: & tamen negari non potest nos, cum de ideis loquimur, intelligere aliquomodo respectus ideales. In eoq; deficit ea opinio, quod asserit eandem esse repugnantiæ rationem in vtroq; modo existentię obiectiuę, respectu cuiuslibet intellectus: etenim cũ simplex intuitus existẽtię obiectiuæ, q̃ habet ens ratiõis in intellectu cõparante terminos habitudinis, nõ exigat

S. Thom.

actualem

actualem comparationem in ipso, qui intuetur, aut saltem in ipso actu intuẽdi, fieri poterit, vt quamuis alicui intellectui ratione suæ perfectionis repugnet cognitio comparatiua terminorum, nihilominus non repugnet notitia simplex eiusdem cõparationis, & respectus in eo fundati: quod planum est in notitia simplici Angeli, qua intelligit enunciationem mentalem nostrã. videndo enim illam, cum sit quædam comparatio prædicati ad subiectum, simul videt habitudinem vnius ad alterum: & nihilominùs cum ipse non habeat notitiam comparatiuam, quæ datur in comparatione, ac diuisione mentali hominum, in eius mente non habet propriam existentiam habitudo rationis prædicati ad subiectum, & ita aliqui negantes quædam entia rationis existere proprie in intellectu diuino, admittũt tamẽ intelligi à Deo: quod nequaquam verùm esset, si notitia quasi speculatiua entis rationis non posset haberi, quin ipsum in propria exiltentia esset obiectiue in intellectu ita apprehendente.

V. Dico primum, non repugnat Deum intelligere ens rationis à nobis fabricatum, aut proprio suo intellectu efficere, quin vero vtrunque de facto illi competit. Hæc asseritur à Diuo Thoma, Caietano, & Ferrarienfi citatis. libet autem adijcere verba Diui Thomæ. nam 1.p.q.15.ar. 2.ad 3. ita habet, *Respectus quibus multiplicantur ideæ, non causantur à rebus, sed ab intellectu diuino cõparante essentiam suam ad res.* quibus verbis significat respectus ideales esse actu obiectiue in mente diuina, in notitia comparatiua essentiæ ad res: & in solutione ad 4. sic ait: *Respectus multiplicantes ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo.* in eo autem aliter esse nequeunt, quam obiectiue, vt patet ex toto eo articulo. Et ne quis forte respondat esse in illo fundamentaliter ratione perfectionis essentiæ, quæ secundùm se est multipliciter imitabilis, subdit, *Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ, sed respectus intellecti à Deo.* quibus verbis planè conuincitur de sententia Diui Thomæ, respectus rationis esse in mente diuina, & intelligi à Deo: eadem est sententia Henric. in sum. artic.68.quæst.5. ad argumenta, quodlib. 5.quæst.1. quem sequitur Gulielm. Varro apud Aureolum in 1.dist.8.quæst.3. art.1. Toletan.quæst.vn.art.4.ad 1.Scoti contra 3.conclusionem: probatio huius assertionis ex instituto pertinet ad materiam de scientia diuina, vbi Deo fauente de hac re fusiùs agendum est: nũc solum volui præmitttere fundamentum contrarium fundamento oppositæ sententiæ, & breuiter soluere argumenta.

VI. In primis autem negandum est antecedens fundamenti primæ assertionis contrariæ sententiæ. Ad cuius probationem distinguenda est assumptio: nam si sermo sit de notitia Dei absoluta, per eam nihil omnino censetur aduenire obiecto speculabili: si verò de comparatiua, falsa est assumptio: nam ex quauis mentali comparatione duorum resultat habitudo rationis inter ipsa, non minus in intellectu diuino, quam in creato. Ad fundamentum secundę, neganda est sequela maioris: non enim quicunque intellectus percipit habitudinem rationis in se, illi tribuit propriam existentiam eius obiectiuã. Ad confirmationem respõdeo, ens rationis à Deo præcisè speculatiuè cognitum, non habere propriam existentiam obiectiuam in mente diuina: sed communem sibi, & alijs entibus veris: ex quo non sequitur formari à mente diuina: quemadmodum cum Deus intelligit intuitiuè lapidem, esse proprium lapidis non formatur, sed intelligitur à Deo. Quin verò, etsi Deus entia rationis formet, nõ proinde dici debet fingere monstra, aut figmẽta: non enim entia rationis sunt mõstra, ant entia ficta, vt colligitur ex doctrina D. Thomę in 1.d.2.p.1. *S. Thom.* artic.3. in prima eius parte, vbi statuit tres modos obiecti respondentis conceptioni mentali: primus est, cum res cõcepta existit extra animam, sicut cum intelligimus hominẽ, qui conceptus habet immediate fundamentum in re ipsa, quę ex sua cõformitate ad intellectũ facit, vt is cõcipiendo sit verus: secundus est, cum id, quod intellectus de nomine concipit, non est similitudo rei existẽtis extra animã, sed aliquid consequens modũ intelligendi ipsam: cuiusmodi sunt secundę intentiones, quas intellectus adinuenit: sicut conceptus respõdens nomini *genus*, non est similitudo rei existentis extra animã, sed intellectus concipiens animal, vt in pluribus speciebus attribuit ei intentionem generis: & hę intentiones habẽt fundamentũ remotum in re, proximum intellectu: & intellectus, qui eiusmodi intentiones adinuenit, non est falsus. Tertius denique, cum id, quod nomine significatur, non habet in re fundamentum proximum, nec remotum, vt se habet conceptio chimeræ, & similium entium fictorum: & huiusmodi cõceptio est falsa. Ex quo discursu cõstat, notitiam cõparatiuam rei veræ, in qua fundatur habitudo rationis, non esse monstrum, aut

figmen-

figmentum: & proinde ex hoc capite non esse alienam à Deo. Vnde etiã patet diuersimode Deum cognoscere chimeram, & alia entia ficta, ac intelligit entia rationis: nam priora intelligit solum, vt imaginabilia à creatura. Posteriora verò, vt entia habentia fundamentum aliquod in re, & existentiam obiectiuam in intellectu. Duo postrema argumenta eadem solutione dilui possunt: supponunt enim ens rationis quauis notitia ad ipsum terminata proprie effingi, atque existere: quod est falsum, vt constat ex dictis.

VII. Dico secundum, Respectus ipse distinctionis secundùm rationem, inter perfectiones diuinas fuit vtroque modo obiectiue ab æterno in mente diuina. Assertio, quod attinet ad modum essendi secũdùm esse intellectũ, est communis. Ita expresè Heruæus quodlibet. 1. q. 2. §. *Modo restat* *Heruæus.* *soluere*, ad secundum: Goffredus apud Scotum in 1. d. 8. q. 3. aliàs 4. §. *Inista quæstione*, *Goffred.* Toletan. q. vn. art. 4. ad primum Scoti cõtra 3. conclusionem. Argent. d. 6. q. 1. art. 2. *Toletan.* ad 3. & 5. Clypeus Thomistar. q. 10. in Porphyrium art. 1. ad 2. Scoti, & alij citati cap. *Argentin.* 12. num. 4. qui admittunt, Deum cognoscendo multiplices apprehensiones intellectus creati, percipere distinctionem rationis, quam secundum illas perfectiones eius sortiuntur: facile verò ostenditur: quoniam, vt constat ex priore assertione, non repugnat, Deum intelligere habitudines rationis fabricatas ab intellectu creato: ex eo verò, quod in particulari cognoscat habitudinem distinctionis suarum perfectionum, secundùm rationes conceptas à nobis, non est vlla peculiaris repugnantia: non enim sequitur falsitas, vt patet: non compositio, aut diuisio, nõ discursus: ex alia vero parte habitudines illę non minus sunt intelligibiles, nec minus aptæ terminare simplicem mentis intuitum, quam aliæ: ergo si aliæ percipiuntur à Deo, hæ quoque percipi debent. Quoad aliam partem est maior difficultas, nam si habitudo distincti ad distinctum nõ sequitur quamcunque cognitionem obiecti, sed potius modum cognoscẽdi ipsum distinctis conceptionibus, fieri nequit, vt in mente diuina, in qua est vna simplex notitia, resultent multiplices respectu distinctionis inter attributa diuina: quemadmodum in ipsa non est habitudo prædicati & subiecti, quamuis Deus cognoscat eandem veritatem, quam nos intelligimus cõponendo, & diuidendo. Nihilominùs cum ex omni comparatione necessario resultet aliqua habitudo, & Deus comparet perfectiones suas ad inuicem, tanquam intelligibiles à creatura rationali distinctis conceptionibus formalibus, hoc ipso resultare debet inter illas aliqua habitudo: non alia, quam distinctionis: nam quatenus eas comparat, vt diuersimode agnoscibiles à creatura, causat multiplicem habitudinem rationis obiectiuæ: hæc autem est relatio distinctionis secundùm rationem vnius ab altera: non enim Deus aliter potest intelligere, Deitatem posse multipliciter agnosci ab intellectu creato, nisi distinguendo in ordine ad eundem rationes obiectiuas, sub quibus essentia est apta nata terminare diuersas cõceptiones creatas. Ratio est, quoniam Deus se ipsum vnico actu intelligit, respectu cuius essentia non habet multiplicem intelligibilitatem per conceptus actualiter distinctos, sicut habet respectu intellectus creati, quam multiplicitatem propriæ intelligibilitatis in ordine ad intellectum creatum: Deus percipiens, & sub ea diuersimode comparans essentiam, causat respectus distinctionis inter perfectiones diuinas, qui in eius mente existunt propriè obiectiuè, sicut alij.

VIII. Ad primum argumentum contra hanc conclusionem, respondetur habitudinem distinctionis secundùm rationem nõ fundari immediate in pluralitate actuali ipsius esse intellecti, siue conceptionum mentalium, sed in comparatione essentię ad multiplex esse intellectum potentia, vel actu: nam quando viator duabus conceptionibus simpliciter attingit duas rationes formales perfectionis diuinæ, sine vlla comparatione, agnoscit quidem materialiter distinctionem fundamentalem, nõ tamen datur actu in eius mente habitudo distinctionis inter illas: sed solum quando comparat ad inuicem: & ideo quamuis in mente diuina non sint plures conceptiones actuales, tamen est notitia comparatiua essentiæ in ordine ad plures conceptiones actuales, saltem possibiles: ex qua resultant actuales respectus distinctionis inter rationes obiectiuas perfectionis diuinæ: & ideò nihil refert, vtrum ea comparatio fiat vnica, vel pluribus conceptionibus. Ad confirmationem neganda est assumptio: & ad eius probationem dicẽdum, per eam comparationem nõ constitui simpliciter, & absolute perfectiones diuinas sub mutua negatione, quoniam intelliguntur actu, vt vnum simpliciter: constitui tamen sub ea secundùm quid, & reduplicatiuè: intelligit quippè Deus essentiam non determinare sub eadem ratione obiectiua diuersos cõceptus, quos viatores formant de eius sa-

pientia,

pientia, & iustitia. Ad probationem melioris respondeo, fundamentum negationis sub reduplicatione resultantis ex comparatione intellectus diuini præexistere in ipsa essentia diuina, quæ ante actum diuini intellectus est diuersimode comparabilis ad creatum sub variis rationibus intelligibilitatis inadæquatæ respectu diuersorum conceptuum formalium, in quibus habet multiplex esse intellectum, quæ comparatio fit per actum intellectus diuini, & ratione ipsius existunt in illo obiectiue infinitæ habitudines distinctionis inter rationes obiectiuas essentiæ diuinæ.

IX. Obiiciet aliquis hanc assertionem pugnare cum superiùs dictis : dictum est enim cap. 9. numero 3. perfectiones diuinas non distingui actu secundùm esse intellectum mentis diuinæ, sed creatæ : nunc autem dico, in mente diuina dari vere plures habitudines distinctionis inter easdem : ex quo sequitur illas esse actu distinctas in intellectu diuino secundùm esse intellectum : siquidem respectus distinctionis actu existens denominat actu extrema, quæ sub illo inuicem comparantur. Respondeo, distinctionem sumi posse fundamentaliter, ac formaliter, distinctio formaliter sumpta est ipsa relatio distincti ad distinctum : fundamentaliter verò est multiplicitas essendi, quæ supponitur in extremis huius relationis, semper enim distinctio fundamentalis actualis consistit in aliquo esse actuali multiplici : nempè in reali, si distinctio sit realis, in intellecto, si distinctio sit rationis, & quoniam in diuino intellectu non est multiplex esse actuale intellectum, sed simplex, quia est vnica indiuisibilis intellectio, idcirco in ipso perfectiones diuinæ non habent distinctionem rationis fundamentalem : habent autem in creato percipiente illas diuersis conceptionibus actualibus, ratione quarum dicitur habere actu multiplex esse intellectum. At verò distinctio formaliter sumpta exigit quidem ex parte subiecti ab ea denominandi multiplex esse saltem intellectum, non tamen oportet, vt id sit formaliter, & subiectiue in intellectu comparatiuo, in quo ipsa existit obiectiue, sed sat est, vt sit obiectiue, hoc est, vt concipiatur subiectum, quod ratione distinguitur, quatenùs est terminatiuum plurium conceptuum formalium cuiuslibet intellectus : quod rectè docuit Richardus in 1. distinct. 2. articul. primo, quæst. tertia, articul. quarto, dum ait, pluralitatem rationis diuinorum attributorum fuisse ab æterno in Deo, per comparationem ad diuersas intellectiones creatas possibiles cognitas à diuino intellectu. Nec hoc est nouum, aut inusitatum : nam fundamenta reliquarum habitudinum rationis non oportet, vt sint subiectiue in intellectu comparatiuo, in quo sunt ipsæ relationes : sed sufficit, vt sint obiectiue : etenim vnitas præcisionis, quam Logici vniuersalitatis fundamentum constituunt, non est formaliter, & subiectiue in intellectu comparante naturam vniuersalem ad sua inferiora, quoniam vnitas non est actu formaliter, nisi in ipsa natura, quæ dicitur vna : natura verò vniuersalis secundùm esse formale proprium non est in mente abstrahentium, sed solum secundùm esse obiectiuum : quo etiam modo est vnitas ipsa in eo conceptu, quo natura percipitur abstracta à differentijs contrahentibus. Et quamuis in intellectu diuino non sit formaliter multiplex esse intellectum, est tamen obiectiue percipiente Deo multiplices conceptiones intellectus creati, ad quas comparata diuina perfectio sortitur denominationem multarum rationum : idcircò in mente diuina verè, ac propriè existunt obiectiue habitudines distinctionis rationis, à quibus perfectiones diuinæ denominantur formaliter distinctæ. Ex quo patet perfectiones Dei ab æterno habuisse distinctionem fundamentalem virtualem, itemque formalem actualem, non tamen fundamentalem actualem. Habuerunt fundamentalem virtualem, quoniam ex infinitate entitatis, & intelligibilitatis sunt aptæ terminare plures conceptus formales intellectus creati, non synonymos, habuerunt formalem actualem, quoniam ex actu intellectus diuini comparantis ipsas inter se, vt diuersimode perceptibiles pluribus conceptibus creatis, resultant relationes distinctionis. Denique non habuerunt fundamẽtalem actualem, quoniam ab æterno non fuit nisi vnica intellectio diuina simplex, multiplicitas autem intellectionum ad Deitatem terminatarum fuit in tempore, & ita ex tempore solum habuit multiplex esse intellectum actu.

Richardus.

TRACTATVS SEPTIMVS, DE VERITATE PRAEDICATIONVM IN TERMINIS DIVINIS.

S. Thom.

VERITAS propositionum, vt autor est Diuus Thomas in 3. distinct. 11. quæst. vnica, art. 4. ad 6. nititur vnitate, vel identitate extremorum: quod de veritate affirmantium est intelligendum: nam veritas negantium fundatur in separatione, vel distinctione eorundem, siue quo ad rem ipsam, siue quo ad modum significandi: idcircò, cum non sit alius locus in vniuersa Theologia hac de re agendi, cõsentaneum duxi post tractatus de vnitate, identitate, & distinctione perfectionum diuinarum agere, de veritate propositionum in terminis diuinis absolutis, dicturus in materia de Trinitate, de ijs, quæ constant relatiuis. Qua de re Theologi multa dicũt, cum disputant de identitate, ac distinctione attributorum inter se, & ab essentia, itemq; de distinctione relationum diuinarum à perfectionibus absolutis. In primis ergo explicabo fierinè rectè possint propositiones ex terminis diuinis: deinde verò, quoniam etiã quoad veritatem propositionũ constantium terminis creatis, est controuersia inter Autores, proponã aliquot regulas ad id dijudicandum: denique eas ad institutum accommodabo, & exponam varios modos enunciationum, quibus vtimur ad explicanda sensa animi nostri de rebus diuinis.

Propositiones tàm affirmantes, quàm negantes, conflatæ ex terminis diuinis possunt esse veræ.

CAPVT I.

I. SI de Deo nihil verè enunciari potest, non est opus explicare cur, aut quomodo prædicationes in terminis diuinis quędam sint veræ, quædã falsæ. Non posse verò conflari enunciationes cõstantes vtroque termino diuino, probatur, quoniam dabuntur duæ contradictoriæ simul falsæ: quod est absurdum; quare impossibile est, vt in terminis diuinis fiant prædicationes. Sequela maioris ostenditur, quoniam ad veritatem negatiuæ requiritur diuersitas, atque diuisio: ad veritatem verò affirmatiuæ requiritur compositio: neutra verò datur in diuinis propter omnimodam simplicitatem: ergò vtraq; propositio erit falsa. Maior quoad vtramque partem ostenditur: nam, vt ait Aristoteles, libr. 4. Metaphy. t. 27. ab eo, quod res est, aut non est, propositio est vera, vel falsa: at per affirmationem prædicatum cõponitur cum subiecto, per negationem verò diuiditur: ideoque propositio affirmatiua dicitur à Dialecticis compositio, negatiua autem diuisio: quare mẽtali compositioni debet respondere compositio in re ipsa, diuisioni verò diuisio. Secundò, vt docet Comment. lib. 12. Met. com. 39. in omni enunciatione debet interuenire vnitas, & pluralitas: vnitas, quæ significatur per copulam, pluralitas, quæ importatur per subiectum & prędicatum ad inuicem cõparata: omnis enim comparatio supponit distinctionem inter extrema comparata. In diuinis autem nõ est vlla pluralitas, sed summa simplicitas: ergò nõ possunt fieri enunciationes circa diuina. In particulari verò non posse fieri affirmationes, probatur ex Dionys. c. 2. de Cęlesti hierarchia, asserẽte negationes in diuinis esse veras, affirmationes autem incomparatas: itemq; ex ratione, quoniam affirmatio, quæ enunciat aliquid inuoluens imperfectionem repugnantem subiecto, est falsa: omnis autem conceptus habens se ex parte prædicati, quod tribuimus Deo, inuoluit imperfectiones ipsi repugnantes, quoniam perfectiones, quas tribuimus Deo, apprehendimus eo modo, quo creatas: hæ verò nõ solùm ex modo significandi, sed ex parte obiecti significati inuoluunt imperfectionem: quare omnis affirmatio in terminis diuinis est falsa. Denique Deus est forma sine subiecto, vt ait Boeti. in lib. 1. de Trinitate, vbi vero non est subiectum, non est prædicatio: quia hęc dicit inhærentiam formæ significatæ per prædicatum ad rem significatam per subiectum.

Aristotel. Comment. Magn. Diony. Boet.

Hanc difficultatem tractant Alensis 1. part. quæst. 48. m. 4. articul. 2. in solutionibus argumentorum, & quæst. 51. m. 1. art. 2. Albertus in 1. dist. 4. art. 8. & dist. 8. art. 4. Sanctus Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 36. cum Ferrariens. ibidem 1. part. quæst. 13. articul. 12. cum Caietano, & in 1. dist. 4. quæst. 2. art. 1. Bonauent. d. 34. q. 2. AEgidius dist. 4. 3. part. q. 1. Henricus in sum. art. 74. q. 1. & Heruæus in 1. d. 4. q. 2. §. *Quantum ad primum:* & omnes vnico cõsensu asserunt posse nos diuina intelligere, & enunciare componendo, ac diuidendo.

II.

Alensis. Albertus. S. Thom. Ferrariens. Caietan. Bonauent. AEgid. Henricus. Heruæus.

Quæ

Quæ fuit etiam ſententia Auerr. relati ab Henrico: Cuius fundamẽtum eſt, quoniã, vt ait Philoſophus, quia res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa: ſed obiectum enunciationis conſtantis terminis diuinis, ita ſe habet in re, ſicut aſſeritur per enunciationem: ergò propoſitiones ſunt veræ. Secundò homines per lumen rationis, & per doctrinam fidei aſſequuntur certã, veramq; notitiam rerũ diuinarum: nõ haberent autẽ, niſi formare poſſent veras enunciationes: quandiu enim ignoratur veritas, apprehenſio ſimplex vix diſcerni poteſt ab apprehenſione figmenti: &, vt dictum eſt lib.1.tract.4.cap.5. Catholicus non differt ab hæretico, vel pagano ſecundùm apprehenſiones, ſed ſecundùm enunciationes. Denique in ſacris literis reuelatæ ſunt plurimæ propoſitiones de rebus diuinis, & ad eas credendas inditum lumen ſupernaturale fidei: Deus autem non reuelat propoſitiones falſas, nec per lumen ſupernaturaliter infuſum inclinat ad aſſenſus ipſarum: ergò propoſitiones in terminis diuinis poſſunt eſſe veræ: neque ad hoc probãdum longo diſcurſu opus eſt; ſolummodo oportet per diuerſa enunciationum genera diſcurrere, & in ſingulis proprium prædicandi modum explicare.

III. Nomina verò diuina componi in enunciatione poſſunt, cum nominibus creaturarũ, aut negationum, aut reſpectuũ rationis, aut deniq; perfectionum diuinarum: ſi cum nominibus creaturarũ componantur, poſſunt coaleſcere in enunciationem negatiuam veram: nam inter Deum, & creaturas eſt vera diuiſio, & conſequenter vera negatio vnius de altero: quod eſt intelligendum, quando nomina creaturarũ ſumũtur in propria ſignificatione: ſi enim in metaphorica ſumantur, erit vera enunciatio affirmatiua, non autem negatiua, vt patet in his: *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum.* Pſalm.105. *Pœnituit eum, quod feciſſet hominem.* Geneſ.6. & alijs, in quibus nõ affirmatur, vt negatur creatura de Deo, ſed id, ſecundùm quod Deus eſt proportionaliter ſimilis creaturæ: ſi verò comparentur cum nominibus negatiuis, vera erit enunciatio affirmatiua, ſi forma negata inuoluat imperfectionem; falſa verò, ſi ſit perfectio ſimpliciter. Primum patet, cùm dicitur, *Deus eſt immenſus, & infinitus*; nam, quia finis, & menſura paſſiua non eſt perfectio ſimpliciter, ſed imperfectionem inuoluit, verè negatio ipſorũ prædicatur de Deo; ſecundùm verò conſtat, cùm dicitur, *Deus eſt imperfectus, aut inconſtans:* nam, quia conſtantia eſt perfectio in particulari, negatio ipſius falſo affirmatur de Deo, ſicut & negatio perfectionis in communi. Quod verò non repugnet cõpoſitio mentalis, & vocalis ex termino altero poſitiuo ex parte Dei, altero negatiuo; ratio eſt in promptu: quoniam compoſitio per copulam connectentẽ prædicatum ſubiecto in his terminis, non requirit compoſitionem realem ex parte obiecti: vt patet etiam in propoſitionibus cõſtantibus ſubiecto creato, & prædicato negatiuo: ad quarũ veritatem ſat eſt remotio formæ negatæ à ſubiecto. Eadem quoque ratio eſt de propoſitionibus conſtantibus prædicato relatiuo: nam, cum reſpectus rationis non inſint in rebus ipſis, ſed in intellectu concipiente, vt verè de ſubiecto affirmentur, non exigũt, aut inducunt vllam compoſitionem actualem cum ſubiecto.

IV. Si verò propoſitio conſtet vtroq; termino ſignificante obiectũ diuinũ, adhuc opus eſt diſtinctióe: nam, vel termini ſignificãt res ſuapte natura diſtinctas, vel eaſdẽ à parte rei, & ſola ratione diſtinctas: ſi ſignificent obiecta diſtincta, nulla eſt difficultas: fiunt enim ex his terminis propoſitiones negatiuæ veræ, fundatæ in ipſa diſtinctione actuali obiectorum: vt, cùm dicimus, *Pater non eſt filius, generatio Verbi diuini non eſt ſpiratio paſſiua:* nam, quamuis hęc omnia ſint vnũ in eſſentia, diuiduntur tamen, ac diſtinguuntur abinuicem ſecundũ proprias rationes formales: quam diuiſionem obiectiuà ſignificat diuiſio mentalis, & vocalis: at, ſi loquamur de ijs, quæ nullo modo diſtinguuntur ex natura rei, aut cõſiderare poſſumus ea, prout ſignificantur nominibus ſynonymis, aut quatenus concipiuntur ſub diuerſis rationibus, & ſignificantur nominibus non ſynonymis; ſi priore modo loquamur, certiſsimũ eſt fieri in diuinis veras affirmationes eodem modo, quo in terminis creatis; vt cùm dicimus, *Deus eſt Deus; Paternitas eſt Paternitas:* nam ad veritatem propoſitionũ conſtantium terminis creatis, non requiritur ex natura rei vlla cõpoſitio, aut diſtinctio inter prædicatum & ſubiectum propoſitionis identicæ: quare neque in diuinis requiritur. Quapropter non eſt audiendus Albertus Magnus in 1.d.8.art.4. ad tertiũ, *Albertus.* cùm ait in hac propoſitione, *Homo eſt Homo*, notari maiorem diuerſitatem, quam in hac, *Deus eſt ſapiens:* quandoquidem in illa, *Homo eſt Homo:* notatur diuerſitas eius, quod eſt, & ipſius eſſe: in hac autem, *Deus eſt ſapiens:* nulla omninò diuerſitas actualis interuenit: aliud enim eſt loquì de diuerſitate, quæ fortaſsis interuenit inter ho-

minem,& esse ipsius,aliud verò de modo significandi propositionũ: ex parte enim modi solũ identitas prædicati cum subiecto, siue ea sit per compositionẽ, siue per omnimodã vnitatem,& indistinctionẽ: in propositionibus aũt,in quib⁹ est distinctio rationis formalis subiecti, ac prædicati, ex modo ipso significandi inuoluitur aliqua cõpositio;quia intellectus cõcipere nequit plura diuersa secundùm rationes formales esse idẽ, nisi per modũ aliquem cõpositionis mentalis: atq; adeo, cum termini illius propositionis, *Deus est sapiens*, significẽt rationes formales distinctas ex modo enunciãdi, inuoluitur aliquis modus cõpositionis,qui non importatur per illam;*Homo est Homo*, aut per hanc, *Deus est Deus*; per has enim importatur omnimoda identitas vnius extremi cum altero : per illam vero prædicatum concipitur quasi forma subiecti, cui tribuitur.

V. Præcipua difficultas versatur circa propositiones constantes terminis positiuis significantibus perfectiones absolutas, quæ sunt idẽ ex natura rei, differunt tamen sub diuersis conceptibus formalibus, & rationibus obiectiuis virtualiter distinctis. De his enim propositionib. loquitur Magnus *Magn. Diony.* Dionysius, cùm ait,affirmationes in diuinis esse incompactas: quod dictum dupliciter intelligi potest, vel propter modum concipiendi ipsos terminos simplices, qui est imperfectus; & hoc potissimũ videtur respexisse Magnus Dionysius : de quo sensu dicendum est in tractatu de nominibus Dei : vel intelligitur propter modũ ipsum notitiæ cõplexæ, iuxta quẽ etiã Doctores citati illũ intelligũt: quod pertinet ad præsens institutũ. Pro huius dubij declaratione est supponendũ ex Commẽtatore li.12. Metaphy.com.39. cuius doctrinã sequuntur Albert.S.Thom. AEgid. & Henr. vbi *Auerroes. Albertus. AEgid. Henricus.* suprà,in notitia cõplexa ex proprio ipsius modo debere interuenire pluralitatem,& insuper vnitatẽ: nam, cùm sit quædã compositio mentalis,& omnis cõpositio terminetur ad vnum ex multis,necessariũ est,vt intellectus componens concipiat extrema per modum pluriũ vnibiliũ, per copulam verbalem. Sed hæc pluralitas,& vnitas, vt *Ferrarien.* rectè notauit Ferrariẽs.c.cit.§. *Hic duo sunt*, dupliciter se habere potest ad enunciationẽ mentalẽ; vel cõcomitanter solũ ex parte intellectus, vel significatiue ex parte obiecti,ita vt mentaliter enuncians significet obiecta per terminos significata esse actu plura inter se vnita, vel ab inuicẽ diuisa. Si pluralitas significatiue intercedat, omnis propositio cõflata ex terminis diuinis erit falsa : Patet,quoniam non respondet in re ipsa vlla pluralitas, aut vnitas per compositionem resultans. Si verò priori modo se habeat,poterit esse vera : nam modus imperfectus habens se tantum ex parte intellectus,non tollit veritatem propositionis, *S. Thom.* aut cognitionis, vt notat D. Thomas, & *Bonauen.* Bonauen. vbi suprà: qui vtitur exẽplo petito à Mathematicis:nam vera est conceptio,qua Mathematicus concipit quantitatẽ cum abstractione à materia sensibili: cùm enim abstractio sit solum ex parte intellectus,non verò in re ipsa, nõ est falsus conceptus,quo quantitas ita apprehẽditur: eodem modo si pluralitas,& cõpositio enunciationũ mentaliũ non significetur ex parte obiecti,sed solum se habeat ex parte nostri modi imperfectè cõcipiendi, non erit falsitas in enunciationibus conflatis ex terminis diuinis. Obiicit Albert.vbi suprà,esse disparem rationẽ;quoniam quantitas nõ habet rationẽ diffinitiuam à materia sensibili,siue naturali subiecto; & ideo concipi potest cũ abstractione ab illo : habet tamẽ in re obiectum suprà quod cadit conceptio mẽtis:at verò in diuinis non datur aliquid respõdens cõpositioni mentali,& proinde semper propositio affirmatiua erit falsa.

VI. Dicendum est tamen,modum pluralitatis,& cõpositionis habere se solum ex parte intellectus nostri.Ita docent Autores citati,& sumitur ex Aristotele, & Auerr.l.3. *Aristotel. Auerr.* de anima c.6.t.21. asserentibus actionẽ intellectus cõponentis esse similẽ illi, quam Empedocles tribuit amicitiæ inter res suapte natura similes, sed disiunctas congreganti,& in vnum redigenti: fingebat enim fuisse multa capita seorsim posita, multa colla,& similia membra corporis humani, quę amicitia adaptauit,& in vnũ corpus redegit. Eodẽ modo obiecta intellecta fuerũt primo separatim in mente secũdùm esse intellectum;deinde verò actione eiusdem cõposita. Itaque compositio per se primo terminatur ad ratiões ipsas intellectas,quæ sunt in animo : & quoties ex parte obiecti fuerit fundamentũ sufficiens terminandi diuersos cõceptus nõ synonymos, est sufficiens pluralitas ex parte conceptus obiectiui: q propter virtualem distinctionem potest multipliciter apprehẽdi: sicut è contrario, vt rectè obseruat Henric. vbi suprà *Henricus.* in solutione primi argumenti, res suaptè natura cõposita, vt homo, apprehendi potest vnico simplici conceptu. Ex quo perspicuè patet pluralitatẽ, quam exigit cõpositio mẽtalis, solum se habere ex parte modi concipiendi:quia scil. intellectus noster simplicia intelligit, nõ quidẽ esse actu plu-

ra;hæc

ra; hæc enim intellectio esset falsa, & disformis obiecto; sed ad eum modũ, quo intelligit plura, hoc est per plures conceptus nõ synonymos. Eodemque modo nequaquã intelligit esse cõpositã, sed intelligens illa, habet se eo modo, quo se habet, cũ intelligit cõpositã: nimirũ coniũgendo vnũ conceptũ alteri: qua mentali cõiunctione nõ significatur, obiecta, significata per terminos, esse actu cõpositã, sed esse vnũ: cùm vero modus cognoscẽdi imperfectus non refundat eandẽ imperfectionẽ in obiectũ cognitũ, apertè sequitur per mẽtales affirmationes nihil detrahi simplicitati, & vnitati diuinæ: & hoc est, q̃ ait D. Thõ. citato loco cõtra Gẽtes, sc. intellectũ non tribuere rei intellectæ modũ, quo intelligit: nam licet lapidem intelligat immaterialiter, nõ proinde tribuit illi immaterialitatem: ita, quamuis Deum intelligat cõponendo, nõ propterea tribuit illi cõpositionem: quod dictum intelligi debet cum Ferrariensi ad eundem locum, de modo qui se habet ex parte ipsius intellectus.

VII. Non est tamen hęc pluralitas, & cõpositio mentalis vana, & sine fundamento: vt rectè docet D. Thom. vbi suprà: vtriq; .n. respondet aliquid in obiecto, cui nititur: nam pluralitati actuali conceptuũ prædicati & subiecti respondet distinctio, siue multiplicitas virtualis in essentia: vt notat AEgid. & Henr. vbi suprà, in solutione ad secundũ: compositioni verò respõdet vnitas ex parte obiecti, vt tradunt Albertus, D. Thom. AEgid. & Henr. vbi suprà, quã doctrinã prius tradiderat Cõmentat. vt referunt AEgid. & Henric. loco citato. ait enim, cùm intellectus concipit aliquã propositionẽ de Deo, intelligere secũdùm assimilationẽ, quatenus accipit duo, quorũ proportio ad inuicem est, sicut proportio prædicati ad subiectum, & ex eis componit propositionẽ categoricam: & nullam differentiam intelligit esse inter ea, nisi secũdùm acceptionẽ, quia idem accipit, vt dispositum, & disponens, hoc est vt subiectũ, & proprietatem: intellectus enim potest intelligere veritatem per modum cõpositionis, ex his ambobus secundùm similitudinem ad propositionẽ categoricam in rebus cõpositis. Ex quibus elucet, solum requirere compositionem ex parte intellectus, quia eodem modo intelligit diuina, atque simplicia, quo creata, atque composita. Quoniam verò ibidem ait, terminos simplices non esse synonymos, necessario agnoscit virtualẽ multiplicitatẽ ex parte obiecti, quæ est fundamentum multiplicitatis actualis conceptionum mentaliũ. Ex quo sumitur respõsio ad obiectionem Alberti: nam sicut diffinitioni Mathematicæ respondet quidditas obiectiua quantitatis, sic etiam apprehẽsionibus diuersis intellectus nostri respondet multiplicitas obiectiua virtualis, compositioni verò respondet vnitas obiectiua realis.

VIII. Ex his quoq; diluuntur facilè argumenta initio proposita. Ad primum neganda est sequela. Ad cuius confirmationẽ neganda est posterior pars maioris: vt enim ex dictis liquet, ad veritatem propositionis affirmatiuæ minimè requiritur compositio obiectiua extremorũ actualis, sed sufficit vnitas, vel identitas, vt ait D. Thomas vbi suprà, & reliqui cõmuniter. Ad autoritatẽ Philosophi, qua oppositum ostenditur, respõdeo sensum eius esse, propositionẽ esse verã ex eo, quod res est, sicut dicitur esse, & nõ est, sicut dicitur nõ esse: siue ex eo, q̃ dictio est cõformis dicto, vt explicat Henric. vbi suprà, in corpore: itaq; ad veritatem requiritur conformitas enunciationis in genere signi, non verò in genere rei ad obiectum significatũ: at verò, qui enũciat, non asserit rem esse compositam; sed v. g. hominem esse iustũ, aut Deum sapientem, quamuis hoc asserere nequeat aliter, quam cõponendo vnum cõceptum alteri: Et idcircò, si obiectum sit cõforme enunciationi, quatenus significatiua est, quamuis non sit quoad modũ compositionis habentis se ex parte modi intelligendi, propositio nõ desinet esse vera: obiecta verò propositionũ affirmatiuarũ, quibus perfectiones simpliciter enunciantur de Deo, cõfirmantur illis in genere obiecti, quatenus signa sunt, non verò in genere rei, quatenus cõplexæ sunt. Ad secundum respõdeo, vnitatem & pluralitatem, de qua loquitur Auerr. in argumento citatus, interuenire per se primo. ac formaliter in ipsa enunciatione: & hæc de facto interuenit in propositionibus, quę fiunt in terminis diuinis: in obiecto verò minimè requiri, vt vtraq; interueniat formaliter, sed vnitas quidem semper est formaliter, nihil enim verè de aliquo affirmatur, nisi habeant modũ aliquem vnitatis: non tamen necessariò requiritur vnitas cõpositionis, sed sat est vnitas identitatis: pluralitas verò sufficit, vt sit virtualiter ad modum explicatum. Ad dictum Dionys. quo impugnatur veritas affirmatiuarum, respondet Albert. ar. 8. citato ad secundũ. S. Thom. in 1. d. 4. q. 2. art. 1. ad 2. Bonauẽt. vbi suprà ad secundũ. Henric. art. citato, q. 2. Richard. in 1. d. 3. ar. 2. q. 1. ad secũdũ: Inprimis id intelligi, nõ propter specialem repugnantiam notitiæ complexæ, sed quia

Henricus. *Albertus.* *S. Thom.* *Bonauent.* *Henricus.* *Richardus.*

termini simplices, quibus diuina significamus, nõ exprimũt illa sicuti sunt: deinde, si ad ipsas propositiones attẽdamus, intelligendũ ex parte cõpositionis, quæ inuoluitur, nó ex parte identitatis, q̃ significatur, vt notat Alensis 1.p.q.51.m.2. & Richard. vbi proxime. Ad rationẽ respõdetur, licet vt plurimũ diuina ad modũ creatorũ concipiamus, posse tamẽ concipi rationes perfectionis simpliciter in sũma prẽcisione ab omni imperfectione, & hoc modo de Deo affirmari. Ad vltimum respondetur nõ repugnare, vt forma sine subiecto inhẽsionis sit subiectum prædicationis: nam de huius ratione nõ est, vt prædicatum ipsi propriè, inhæreat; sed vt modo aliquo verè conueniat per vnitatem, vel identitatem, vt explicat Diuus Thomas, & alij.

Alensis. Richard.

De Deo dicuntur nomina concreta abstracta, & denominatiua.

CAPVT II.

I. SVperiore capite dictum est, posse diuina cõplexe à nobis cõcipi, & enunciari, sed quoniã vt notat D. Thõ. 1.p.q.39.ar.3. & 4. veritas propositionũ, nõ solũ pendet ex reb. ipsis, sed ex modo cõcipiendi, & significãdi nostro, res aũt significamus nominib. abstractis, cõcretis, & denominatiuis: nõ abs re erit explicare, an omnibus vti liceat in prędicationibus diuinis: quod fiet hoc capite: deinde in sequentib' explicabitur vtrum, & quomodo singula de se, vel aliis p̃dicentur. Dicitur aũt nomen abstractum ex eo, quod significat obiectũ sub abstractione ab alijs, cũ quibus est aptũ reperiri, vel de facto reperitur: nam, cum nulla res abstrahi possit ab his, q̃ sunt de ratione eius intrinseca, fit vt abstractio solũ fiat ab illis, cũ quibus forma abstracta accidẽtaliter cõiungitur: & ideo dicitur abstractum, quoniã vt notat Capreol. in 1.d.8.q.1.ar.1. post primam conclusionẽ in tertia ratione D. Thomæ, ab ijs, quę per accidens conueniũt, extractũ est. Cum verò sint plura genera accidentium, sunt quoq; plures modi abstractionis: duo tamen præcipui cõmuniter tradũtur: nempè abstractio ab inferioribus, quæ est propria rerum vniuersalium, quãdo concipiũtur præcisæ à singuribus: & abstractio à subiecto, siue suppposito per se subsistente. Prior abstractio non pertinet ad præsens institutum, non enim nomina denominantur abstracta eo, quod significent obiectũ abstractũ ab inferioribus, homo enim significat solũ hominẽ in cõmuni, nec tamẽ est nomen abstractum: contra verò diuinitas est nomẽ abstractũ, & significat naturã singularem. Posterior verò abstractio est, à qua nomina dicũtur abstracta, & cõtraponuntur cõcretis, ac diuidũt omne genus nominũ. Concreta verò, vt notat idẽ Capreol. dicũtur quoniam sunt cõiuncta cũ aliis secundũ rem, vel rationẽ: hoc est quia significant formã copulatã cum ijs, quę nõ pertinent intrinsece ad eius rationẽ formalem: propriè tamen loquendo nomen concretũ est, quod significat formã, vel naturam quasi cõpositam cũ habẽte ipsã: vnde S. Thom. in 1.d.22.q.vn. ar.1.ad 3. & S. Bonauent. d.4.art.1.q.1. hoc statuũt discrimen inter nomen concretũ, & abstractũ: quod abstractum imponitur formæ, & à forma, concretũ verò imponitur quidẽ à forma, non tamen formæ, sed supposito, siue habẽti formam, quasi significet compositè formam cum subiecto ipsius: ex quo Dialectici aiunt nomen concretum habere compositum significandi modum, abstractum verò simplicem.

S.Thom. *Capreol.* *Capreol.* *S.Thom.* *S.Bonauent.*

II. Ex dictis eliciuntur proprietates nominis abstracti, & cõcreti. Prima, & maximè propria ratio nominis abstracti est, vt significet formã præcisã à subsistente: & quoniã subsistentia sunt cõposita apud nos, abstracta habent simplicè significandi modũ. Quoniam verò simplicia apud nos habent rationẽ partis, fit vt abstracta significẽt per modũ partis, & formæ, vt ait S. Thom. in 1.d.33.qu. vn.art.2. in fine corporis: rursus quoniã forma nõ est, quod est, sed quo aliquid est, abstracta significant sub obiectũ, vt id, quo aliquid est, vt docet D. Thom. l. 1. cõtra Gentes c.30. & 1.p.q.13.art.1. ad secundum. Bonauẽt. in 1.d.27.1.p.ar.vn.q.3. Quoniã verò multipliciter res est per aliquid, nempè vel causaliter, vt aër sole lucidus, vel materialiter, vt paries candore similis, vel formaliter, vt Animal sanitate sanũ, nomen abstractũ significat, vt id, quo aliquid est formaliter tale: Ad hoc verò duo exigit Capreolus vbi suprà, nimirũ vt sola, ac tota forma subiectũ sit formaliter tale; siue, vt idem vno verbo clariùs dicatur, vt sit forma, quo adęquatè constituatur subiectũ inesse concreto: ad quod requiritur, vt subiectũ non cõtineat plus, vel minus, q̃ accipiat à forma, vt se habet humanitas ad hominẽ: nam sola humanitas, non verò forma alia in ea minimè inclusa concurrit ad constitutionẽ formalẽ Hominis: cõcurrit item tota humanitas ad eundem effectũ formalem, quoniam nihil est in ipsa, quod nõ concurrat saltem partialiter ad constituendũ formaliter hominem: quod cõuenit aliis formis: nam animalitas, & rationalitas seorsim sũptę partialiter sunt id, quo homo est, non tamen vnaquæq; per se sola:

S.Thom. *S.Bonauent.* *Capreol.*

sola: animalitate enim est homo animal, rationalitate vero rationalis: & ideò neque animalitas, neque rationalitas sunt nomina abstracta hominis. Ratio est, quoniam forma per nomen abstractum sui significati solum abstrahit ab eo, quod est, non vero ab eo, quo est: at vero animalitas abstrahit à rationalitate, qua homo partialiter est, & ideò non est abstractum hominis.

III. Concreta vero contrario modo se habent: nam significant subsistens compositum, & per modũ totius: vt docent S. Thomas 1. contra Gentes cap. 30. & in 1. d. 33. q. vn. art. 2. in fine corporis. Bonauent. d. 27. 1. p. art. vn. q. 3. & alij: significant subsistens, quia significant per modum substantiæ, cuius proprium est esse: quoniam vero nos non intelligimus res subsistentes, nisi per modũ substantiæ compositæ, fit etiam, vt concreta significent per modum compositionis: tandem, quia composita apud nos sunt entia completa, & totalia, idcirco nomina concreta significant per modum totius: Solemus enim composita completa nominibus concretis significare, partes vero abstractis: sicut enim abstracta significant formam, qua sola, & tota aliquid est, ita cõcreta significant adæquatũ effectum, seu quasi effectũ formalem abstracti: nam album est adæquatus effectus formalis albedinis, & homo humanitatis.

S. Thom.

IV. Verum aduersus dicta se offert hæc dubitatio: quoniam nomen cõnotatiuum est concretum, & non significat per modum substantiæ, sed per modũ accidentis, significat enim per modum adiacentis, vt Logici loquuntur. Item D. Thom. in 1. d. 22. q. vn. art. 1. ad tertium, ait illud, quod significatur per nomen, significari per modum subsistentis, & vtitur exemplo huius nominis *albedo*: hoc vero est abstractum: quare abstracta significant per modum subsistentis: atque adeò nõ est penes hoc discrimen inter concretum, & abstractum. Hæc argumenta petunt vt assignetur discrimen inter nomina absoluta, & cõnotatiua: prius tamen videndum, quę sint nomina connotatiua, quæ absoluta: nam nomen connotatiuum non denominatur à qualibet connotatione, sed à solà cõnotatione subiecti: idcirco, quę connotant obiectum, vel quid simile, non sunt hoc modo connotatiua: vt patet in scientia, quæ connotat scibile, nec sufficit connotatio subiecti in obliquo, vt rectè notauit Ferrariensis lib. 1. contra gentes cap. 30. §. *Ad euidentiam*, & Caiet. 1. p. q. 13. art. 1. §. vlt. Sed necessariò requiritur in recto: nam *Simitas* connotat nasum, nec tamen est nomen cõnotatiuum, quia connotat illum in obliquo: est tamen, *Simus*, quia connotat in recto: si enim quis interroget, quid est simum? respõdebitur est nasus curuus. Absolutũ vero nomẽ est, quod nõ connotat subiectum extraneum formæ significatæ. Itaque proprium discrimen absoluti, & cõnotatiui nõ est sitũ in eo, vt hoc connotet, illud vero minimè: Homo enim est nomẽ absolutũ, & tamẽ cõnotat suppositum humanitatis. Differunt ergo propriè quia absolutũ significat per modũ substantiæ, id est, nõ significat formale significatũ per modũ adiacentis subiecto, sed tanquam formã intrinsecam supposito ipsi: vt significant eõcreta substantiua, verbi gratia homo, Angelus, lapis. Cõnotatiuum vero, siue denominatiuum, vt alij vocant, significat formam, vt in habẽte illã accidẽtaliter: vt nomen iustus, sapiens, &c. & hoc indicat D. Thom. in 1. d. 17. q. 1. art. 5. ad secundum, cùm ait denominationẽ propriè esse secundum habitudinẽ accidẽtis ad subiectum. Ex quo patet solutio ad primã rationem huius dubij: nã omne concretũ, siue substãtiuum, siue adiectiuum significat per modum subsistentis, quia significat formã, vt in habẽte illam, siue significat habens formã: differt tamẽ substantiuum ab adiectiuo, seu potius absolutum à cõnotatiuo: quod absolutum significat formã, vt intrinsecam subsistenti, connotatiuum autem, vt accidentariam, & & extrinsecam. Ad secundũ rectè respondet Ferrar. vbi supra §. *Ad primum*, D. Thomam, eo loco conferre nomina non inter se, sed cum verbis: & ideò, cùm ait nomina significare per modũ subsistẽtis, nõ accipere subsistens, prout opponitur formæ, siue rationi subsistendi, sed prout opponitur fluenti, siue quod est in motu: quo pacto significant verba: & hac ratione omne nomen siue abstractũ, siue concretũ significat per modum subsistentis, siue quietis, & nõ per modum actus egredientis à subiecto.

S. Thom. Ferrariens. Caietanus.

Ferrariens.

V. Explicatis terminis, inprimis dicendum est de Deo dici nomina abstracta, & cõcreta tã absoluta, quã cõnotatiua: dicitur enim lux, vita, sapientia, dicitur Spiritus, Deus, iustus, sapiens, & in sacris literis passim occurrent nomina horum trium generum: & quamuis nomina abstracta rarius vsurpentur, tamẽ apud Sanctos Patres frequens est eorũ vsus. Inprimis vero apud Dionysium lib. de diuinis nominibus: idẽ docent communiter Doctores Scholastici D. Thom. 1. p. q. 3. art. 3. ad 1. q. 13. art. 1. ad 2. q. 32. art. 2. in corpore. Bonauent. in 1. d. 27. 1. p. art. vn. q. 3. Henr. in sum. art. 73. q. 6. & art. 74. q. 1. Aureol. in 1. d. 22. q. vn. ad octauum. Non est vero opus alia probatione præter

Magn. Dion. S. Thom. S. Bonauent. Henric. Aureol.

vsum ipsum,& experientiam. Henr. tamen vbi supra id probat, quoniam res eo modo significamus, quo concipimus, nō vero quo sunt in se: quamuis ergo modus horum omnium nominum, nō sit adæquatus modo ipsi perfectionum diuinarum, est tamen expressiuus earundem rerum, prout à nobis concipiuntur: concipimus autem diuina ad modum, quo intelligimus creata: hęc vero modo percipimus, vt formas simplices cum præcisione à subiecto, modo vt res cōpletas in ratione substantiæ,& subsistentes, modo vt formas extrinsecas rationi formali intrinsecæ subiecti, compositas tamen cum eo per modum subsistentis: ergo etiā his omnib⁹ modis cōcipimus, & significamus diuina: nā modo vt formas simplices abstracte significamus nomine, *Deitas, iustitia, &c.* modo per modum compositionis, quasi in habente ipsas intrinsecè, atque essentialiter, nomine, *Deus Spiritus,* & similibus: modo denique tanquam formas extrinsecas,& accidentales eidem, vt nomine *diuinus, sapiens, iustus, &c.*

VI. Dicendum secundo, omnia eiusmodi nomina quo ad modū significandi, dici impropriè de Deo, ita tamen, vt magis propriè vsurpentur abstracta, quam concreta; absoluta, quā connotatiua. Prima pars est communis inter Doctores, ita D. Thom. lib.1. contra gentes cap.30. cum Ferrar.1.p. q.13. art.1. ad 2. & in 1. d.33. q.vn. art.2. in fine corporis. Henr. in sum. art. 74. q.4. & alij, & probatur ex lib. de causis propositione 6. vbi dicitur, nihil propriè de Deo dici, non abstractum propter imperfectionem, non concretum propter compositionem. Vt autem pateat, qua ratione hæc improprietas cōueniat solum ex modo significandi, notandum cum D. Thoma 1. contra gentes cap. cit. & Ferrar. §. *Quantum ad secundum,* modum imperfectum, siue repugnantem subiecto, nunc significari per nomen, nunc vero non significari, sed indicari: quia scilicet eiusmodi nomen in creatis significat res habentes peculiarem modum imperfectionis: verbi gratia, nomen concretum non significat ipsam compositionem, sed res per modum compositionis: abstractum vero non significat ipsam rationem partis, aut formæ, sed res ipsas per modum partis, vel formæ: signum vero ad dignoscendum, vtrum modus se teneat ex parte rei intellectæ, an vero ex parte intellectus, desumi debet ex formali significato: nam si mutato prorsus formali significato maneat idē modus in diuersis nominibus, econtra vero illo manente mutetur, habebit se solummodo ex parte intellectus, aut modi significandi: contra vero si mutato formali significato mutatur modus, & manente manet, habet se ex parte rei significatæ: ratio est quoniam modus imperfectus ex parte rei significatæ variatur mutato formali significato, & eo manente manet: nam, cùm radix talis imperfectionis sit significatum formale, eo manente manet imperfectio, sublato vero potest tolli. Exemplum posterioris est inhęrentia: nam siue significetur nomine abstracto, *inhærentia,* siue nomine concreto, *inhærens,* idem est formale significatum,& vtroque nomine significatur idem modus imperfectionis. Exemplum prioris est in abstractis,& concretis: nam, quantumuis formale significatum sit idem, vel diuersum, omnia tamen nomina concreta significant per modum compositionis, abstracta per modum partis, ac formæ: ergo signum est, imperfectionem importatam per eiusmodi nomina, nō se habere ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi.

VII. Posterior vero pars eiusdem assertionis, quod attinet ad comparationem abstractorum cum concretis, Traditur à S. Bonauent. in 1.d.34.q.2.in corpore. Henr. art.73.q.7. Rubion. in 1.d.8.q.5.art.2. conclusione 4. & alijs,& est communis sanctorum Patrum asserentium, abstracta magis propriè dici de Deo, quam concreta, quos referam cap. 12. Fundamentum est, quoniam nomina abstracta habent tres rationes particulares, quæ desunt concretis: nam abstracta significant sua obiecta per modū simplicium, concreta vero per modū compositorum: abstracta significant per modum identitatis in ratione formali, concreta vero per modum identitatis in subiecto: hęc enim sola identitas satis est ad verificandas propositiones, in quibus prædicantur nomina concreta: denique abstracta in prædicatione formali semper prædicantur per modum quidditatiuum, concreta vero nequaquam: ratio vero est, quoniam cum abstracta præscindant ab omni extraneo & accidentali respectu formæ, siue quidditatis significatæ, nequeunt prædicari accidentaliter de subiecto: concreta vero non abstrahunt ab extrinsecis formali significato: ideoque possunt esse prædicata in propositione accidentali, vt cum dicitur, *Artaxerxes est Rex, Homo est albus.* Quamuis autem concreta ex proprio modo significandi dicant subsistens, & quasi completum inesse, quod abstractis minimè cōuenit, quia tamen carent prędictis modis perfectionis, & ipsum esse, vel subsistentiam dicunt quasi extraneam naturæ rei

S. Thom. Ferrarienſ. *Henric. Auctor de cauſis.* *S. Thom. Ferrarienſ.* *Bonauent. Henric. Rubionist.*

signifi-

significatæ, & aliunde participatam, minus propriè tribuuntur Deo, quam abstracta. Iam vero concreta absoluta magis propriè tribui Deo, quam connotatiua, vel denominatiua, patet, quoniam connotatiua habent omnem modum significandi imperfectum, quem habent concreta absoluta, & addunt proprium: est vero, vt patet ex dictis, modus significandi formale significatum, vt extrinsecum, & accidentarium subiecto: & sic ex modo significandi dicunt inhærentiam ex parte prædicati, & potentialitatem ex parte subiecti: nomina vero concreta absoluta nequaquam habent hunc modum significandi, solum enim significant formã quali compositam subiecto, tanquam cum suppposito per ipsam formaliter, & intrinsecè subsistente: vt patet in nomine, *Homo, Angelus, Deus*, & similibus.

De veritate propositionum constantium vtroque termino concreto, & prædicato concreto, subiecto vero abstracto.

Caput III.

L VT muniatur via ad indagandam veritatem propositionum in terminis diuinis, explicandæ prius sunt regulæ, ex quibus iudicari id possit absolute etiam in terminis creatis, ne postea in singulis hæreamus. Est vero multiplex genus enunciationis ratione diuersitatis terminorum, quibus constat. Alijs vero omissis, quatuor modi sunt considerandi: omnis enim propositio vel constat vtroque termino concreto, vel vtroque abstracto: vel subiecto concreto, prædicato vero abstracto: vel denique subiecto abstracto, prædicato autem concreto. Hoc capite dicam de primo, & vltimo, reliquos in sequentibus expediam. Est vero supponendum tanquam fundamentum vnitatem, siue identitatem prædicati cum subiecto esse rationem, cur propositio sit vera: vt sumitur ex S. Thoma in 3. dist. 11. quæst. vn. art. 4. ad 6. & d. 12. quæst. 1. art. 1. ad 6. ex eo enim, quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa, vt ait Aristoteles lib. 4. Metaphy. cap. 7. t. 27. Verùm, cùm multiplex sit vnitas, vel identitas, oportet explicare, quæ vnitas sufficiat ad affirmationem, quæ diuersitas ad negationem. Et quidem pro omnibus omninò nominibus non potest vnica regula assignari, sed diuersæ pro nominum diuersitate præscribendæ sunt. Vt vero incipiam à concretis, ad veritatem propositionis affirmatiuæ constantis vtroque termino concreto sufficit, & requiritur identitas subiecti: ad veritatem vero negatiuæ diuersitas eiusdem. Porro subiectum non necessariò debet esse inhæsionis, sed sat est, vt sit suppositum, cui est forma intrinseca, & essentialis, vel subiectum denominationis extrinsecæ: qua ratione denominantur obiecta ab actibus, qui ipsis minimè inexistunt: dicitur enim Petrus homo, nec tamen est subiectum inhæsionis respectu humanitatis, & lapis dicitur videri, cùm tamen visio non ipsi, sed oculo videntis insit. Est vero discrimen inter identitatem, ac distinctionem: nam identitas debet esse positiua, quia necessariò requiritur, vt forma significata per vnum terminum inexistat significato alterius: vel vt vterque terminus connotet idem subiectum: diuersitas autem non oportet, vt sit positiua quasi necessariò requiratur, vt forma negata sit in alio subiecto: nam, si nullum omninò corpus sit album, adhuc albedo verè negabitur de Socrate: neque etiam sufficit: nã iustitia & sapientia diuina sunt in filio, & Spiritu sancto, qui sunt subiecta à Patre distincta: & tamen, quia eædem perfectiones sunt etiam in Patre, verè dicitur, Pater est sapiens & iustus: requiritur ergo, vt distinguantur subiecto negatiuè: hoc est, vt forma significata per vtrumque terminum non sit in eodẽ subiecto. Prior pars regulæ patet inductione. si enim adsit sola identitas subiecti cum quauis alia distinctione, propositio erit vera, vt patet innumeris exemplis: nam verè dicitur homo est albus, ignis calidus, & similia: & tamen formæ significatæ per subiectum ac prædicatum non sunt vnum genere, specie, aut ratione formali, sed solùm vnum subiecto. Ratio huius regulæ est, quoniam concreta significant formas, vt in habente, vel significant subsistens in forma: qui modus significandi importat identitatem siue vnitatem subiecti, vt notat D. Bonauentura in 1. dist. 34. quæst. 2. & alij. Et ideò ad veritatem non solum requiritur identitas à parte rei prædicati cum subiecto, sed etiam debet importari ipso modo significandi: nisi enim importetur ex modo loquendi, indicatur, non enunciari vnum de altero ratione identitatis in subiecto, sed ratione identitatis realis, vel secundum rationes formales, quæ si absit, falsa est prædicatio: ideò enim hæc est falsa: *dulcor est candor*, quamuis vterque insit idem

S. Bonauent.

subiecto,

ſubiecto, quoniam ſignificatur non per modum ſubſiſtentis, aut habentis formam, ſed per modum formæ, & ideò indicatur identitas, ſiue conuenientia in ratione formali, quæ non interuenit inter duas illas formas. Poſterior pars oſtenditur: quoniam, quoties duo differunt ſubiecto, neutrum habet ſe per modum habentis aliud: concreta vero ſignificant per modum habentis: ergo, ſi ſignificata vtriuſque extremi differant ſubiecto, propoſitio non poteſt eſſe vera.

II. Contra hanc ſecundam partem eſt nonnihil dubij, quoniam prædicatum conueniens ſubiecto per denominationem extrinſecam, non eſt idem ſubiecto cum illo, quoniam nec vnũ ineſt alteri, nec vtrumque alicui tertio: & nihilominus propoſitio eſt vera: quo pacto dicitur columna dextera vel ſiniſtra per denominationem extrinſecam ad hominem: obiectum dicitur intelligi per denominationem extrinſecam ab actu, qui eſt in intellectu. Item, quando minor identitas ſufficit ad verã affirmationem, ſufficiet etiam maior, quamuis deſit minor: ſed identitas ſecundum rem eſt maior, quam identitas ſecundum ſubiectum: hæc enim patitur ſeparationem mutuam, illa minime: ergo, quamuis non adſit identitas ſecundum ſubiectum, erit vera prædicatio, ſi detur identitas realis. In hac dubitatione eſt vnum certum, ſcilicet requiri in re ipſa aliquam identitatem vtriuſque extremi in eodem ſubiecto, ſiue ſit vnitas inhærentiæ, ſiue eſſentiæ, ſiue etiam terminationis extrinſecæ: etenim duo prædicata extrinſeca ſubiecto connotato, poſſunt de ſe inuicem verè prædicari, propter ſolam identitatem in ipſo tanquam in ſubiecto terminante: quomodo verè dicitur, prædeſtinatus diligitur à Deo: nam prædeſtinatio ac dilectio ſunt formæ in mente diuina, à quibus extrinſecè ſumitur denominatio. Si vero deſit huiuſmodi vnitas, quantumuis varientur modi ſignificandi, non erit vera propoſitio: quandoquidem omnis propoſitio vera requirit vnitatem ex parte obiecti: reliquæ vero vnitates, ſi non ſint coniunctæ cum vnitate in eodem ſubiecto, non ſufficiunt: inprimis non ſufficit generica: quoniam equus, & Leo ſunt vnum genere ſub animali, nec tamẽ vnum de altero verè dicitur: non ſpecifica, quoniam Socrates & Plato ſunt vnum ſpecie in homine, & tamen non poſſunt inuicem prædicari: vnitas vero numerica importat vnitatem in eodem ſubiecto. Et ex his facilè diſſoluuntur rationes dubitandi: prima quidem, quoniam vt iam ſupra indicaui, ad veritatem propoſitionis conſtantis terminis concretis non requiritur identitas ſubiecti inhæſionis, ſed ſufficit ea, quæ reddat ſubiectũ aptum, vt connotetur per prædicatum. Ad ſecundũ reſpondetur, ad veritatem propoſitionum non ſat eſſe identitatem obiectiuam prædicati cum ſubiecto, ſed præterea requiri, vt ſignificentur per modum vnius, & eiuſdem: vt patet in his ipſis, quæ ſunt eadem ſubiecto: nam candor, & dulcor, etiamſi inſint eidem ſubiecto, non tamen mutuo prædicantur in abſtracto, quoniam ita ſignificata non important identitatem ſubiecti: qua de cauſa, licet identitas realis, ac formalis ſit maior, quam identitas ſecundum ſubiectum, quia tamen ex modo ſignificandi non importatur per nomina concreta, ſicut importatur identitas ſubiecti: idcirco hæc ſufficit ad veritatem, illa nequaquam: qui enim enunciat vnum de alio per nomina concreta, nihil aliud ſignificat, quam rem ſignificatam per nomen ſubiecti habere formam ſignificatam per nomen prædicati: ad hoc autem ſufficit, vt ſubiectum & prædicatum ſint idem ſubiecto.

III. Quod attinet ad prædicationem concreti de abſtracto, obſeruandum eſt, nomina concreta, & abſtracta, quædam ſignificare eandem formam, & ſolum differre in ratione abſtracti, & concreti: vt candor, & candidus: quædam vero ſignificare formas diſtinctas ſaltem virtute, vt homo, & candor, candidus, & humanitas: Rurſus notandum formas quaſdam non habere vllam vnitatem, aut identitatem ratione ſui, ſed ſolum ratione ſubiecti: vt ſe habent dulcor, & candor: quaſdam vero ratione ſui, & immediate copulari; vt ſe habent humanitas, & rationalitas: deinde vero quaſdam per ſe, & eſſentialiter copulari, quaſdam accidentaliter: & harum quaſdam per ſe primo, & vltimate afficere alias, nõnullas autem requirere per ſe ſubſiſtens, ad quod vltimo ipſarum habitudo vel dependentia terminetur. His poſitis, in primis dicam de prædicatione concreti de abſtracto, conuenientibus in ſignificato formali: deinde vero de ijs, quæ ſignificant formas diſtinctas.

IV. Quod attinet ad primum, obſeruandum eſt formas ſignificatas per nomina concreta, & abſtracta, quaſdã eſſe tranſcendentes, quaſdam vero minimè, & ex his quaſdã eſſe ſubſtantiales, quaſdam accidentales: denique accidentales modo ſignificari per nomina concreta, modo per verba, vt patet in his; candidum, & candicat, lucidum, &

lucet.

Aureol. lucet. De quibus Aureolus in 1. d. 4. q. 2. art. 1. sic existimat, nempè nomina concreta non prædicari de abstractis, verba autem prædicari: non enim verè dicitur candor est candidus, dicitur autem candor candicat: Philosophatur autē in hunc modum, Concretum significat effectū formalem, ac materialem, significat enim compositum resultans ex forma, & subiecto, tanquam ex partibus & causis intrinsecis, nullum vero compositum dicitur quidditatiuè de partibus: si ergo concretum debeat prædicari, oportet vt prædicetur sub habitudine alia, qua non dicatur, *hoc est hoc.* Hæc enim non conuenit parti respectu totius. Effectus vero formalis habet habitudinem ad formam, vt à qua oritur, ad subiectum vero tanquā actuantis ad actuatum: Quia vero verbum significat per modum fieri, & cuiusdam egressus, fit vt concretum verbale prædicetur de forma, vt si dicamus, *Lux lucet:* cuius propositionis sensus non est, *Lux est lucere,* sed *lucere oritur, vel est à luce per modum actus:* quoniam vero idem effectus tribuitur subiecto, non tanquam principio à quo, sed in quo: idcirco etiam concretum verbale dicitur de subiecto: dicitur enim aër lucet luce. Probari vero hoc potest ex cap. 1. Ioann. vbi dicitur, *& lux in tenebris lucet:* qui loquendi modus est etiam vsurpatus apud Patres, & Doctores. Non prædicari vero nomina concreta de proprijs abstractis ostendit, quoniam nomina significant per modum habitus, & formæ quiescentis: hoc vero modo nequeunt concreta prædicari de abstractis: non inprimis quidditatiuè, quoniam concreta habent modum totius, abstracta vero partis: totum vero non prædicatur quidditatiuè de partibus: non deinde per modum egressus, quoniam hic modus significandi non conuenit nominibus, sed verbis. Quia tamen forma significatur per nomen ad modum manentis, siue quiescentis in alio, retinet habitudinem, vt in quo, siue ad subiectum, quod actuat, ob eamque causam verè dicitur de subiecto.

V. Ocham. Quod attinet ad nomina substantialia, Ocham. in summa Logicæ 1. p. cap. 8. & in 1. dist. 5. quæst. 1. ideò negat concreta substantialia prædicari verè de abstractis, quia ex vsu auctorum includunt quædam Syncategoremata, videlicet *necessariò, per se,* & similia: ob quam causam ait hanc enunciationem, humanitas est homo, & similes esse falsas: alioquin de virtute sermonis ait esse veras, si humanitas supponat pro aliqua re: quod etiam post Ochamum docuit Gabriel. in 3. dist. 7. quæst. vn. art. 3. dub. 1. Corollar. 4. & 5. addunt vero omnes esse contingentes, quoniam, si esset solum vna humanitas, eaque assumeretur à Verbo diuino, hæc esset falsa simpliciter, *Humanitas est homo, sicut hæc, Homo est humanitas:* ratio est, quia tunc nomen *homo,* supponeret pro verbo diuino sustentante naturam humanam: id vero non est humanitas. In alijs vero propositionibus, in quibus supponit pro humanitate ipsa, sunt veræ propositiones, nisi sub intelligatur aliquod Syncategorema ex prædictis. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quoniam humanitas, & alia huiusmodi abstracta substantialia supponunt pro eodem, pro quo supponunt nomina concreta: ergo subijci possunt ijsdemmet prædicatis, quibus illa. Præterea quoniam abstracta substantiarum non significant aliquid ex natura rei diuersum ab eo, quod significant concreta: sola vero diuersitas, siue diuisio rerum significatarum, est causa falsitatis: ergo semper erit vera propositio, in qua concretum substantiale dicitur de abstracto. Et ex hoc fundamento quo ad hanc partem concordat cum Ochamo Durandus in 1. distinct. 34. quæst. 1. num. 18. *Durand.*

VI. Dicendum tamen, concreta non transcendentia, siue sint substantialia, & absoluta, siue accidentalia, & connotatiua subiecti distincti ex natura rei, non dici de formis abstracte significatis, à quibus deriuantur. Hæc est communis sententia. Traditur expresè ab Henrico in summa art. 75. quæst. 2. litera C. & alijs referendis, num. 9. *Henric.* In primis vero quo ad accidentalia, probatur: quoniam hæc nomina significant per modum subsistentis, & habentis formam: hoc vero minimè conuenit abstractis. Deinde vero, quoniam significant proprium significatum per modum totius, includētis aliquid distinctum ab ipsa forma, quæ se habet per modum partis: vt patet in candore, & candido: candidum enim præter candorem importat coniunctionem ipsius ad subiectum, quod etiam saltem materialiter significat: idemque constat in nominibus substantialibus de sententia eorum, qui censent suppositalitatem à parte rei distingui à natura. In sententia vero eorum, qui distingui negant, difficilius assignatur ratio. Plures ex auctoribus assignat, & impugnat Aureolus vbi supra, articulo secundo, ipse autem ad hoc recurrit, vt dicat, abstractum exprimere conceptum partialem, inclusum in conceptu expresso *Aureol.*

per

Per concretum, tanquam in quodam totali: omne vero totum includit aliquid vltra conceptum partis: id vero non potest esse pura negatio, alioquin negatio esset ens, nec accidens, aut modus accidentis: alioquin cõcreta substantialia includerent formaliter accidens: nec denique connotatum: quia nihil horum pertinet intrinsecè ad concretum substantiale: restat ergo, vt sit aliquis conceptus: non potest autem esse vllus ex abstractis generum prædicamentalium vsque ad genus summum inclusiue, quoniam omnes sunt de ratione formali intrinseca naturæ abstracte sumptæ: vt patet in concretis substantialibus, humanitas enim est quędam substantialitas, quædam animalitas, &c. est igitur conceptus entis per se indeterminati, & qualificabilis pro varietate formarum, quibus substernitur. Agnoscit itaque in concretis substantialibus triplicem conceptum: nempè conceptum entis per se spoliati ab omni natura, qui est conceptus meri suppositi, & conceptum naturæ per modum formæ determinantis, qualis est conceptus humanitatis, animalitatis, ac similium: tertio denique conceptum constitutum ex his duobus scilicet ex substracto, & forma determinante. Hoc vero colligit ex doctrina Damasceni lib. 3. fidei Orthodox. cap. 4. asserentis concretum significare habens naturam. Hic discursus Aureoli siquidem agnoscit distinctionem ex natura rei inter suppositum, ac naturam, recte procedit: si vero non agnoscit, vt re ipsa nõ cognoscit, sicut colligitur ex dictis ipsius ad calcem eiusdem articuli asserentis hominem, & humanitatem nõ distingui realiter, hoc est ex natura rei, vt loquuntur antiqui Theologi, difficultatem non expedit: quandoquidem ipse eadem quæst. art. 3. sequenti, ait hanc esse veram, Deitas est Deus, quoniam vnus cõceptus nõ est totalis respectu alterius: & tamen, si de modo concipiendi loquamur, eodẽ modo concipimus Deum per modum habentis Deitatem, ac concipimus hominem per modum habentis humanitatem: aliquid ergo assignari debet ex parte obiecti significati, quod sit fundamentum concipiendi eandẽ rem per vnum conceptum, vt quid substratum, & habens, per alium vero vt formam, & habitam: hoc vero est id, quo natura intelligitur complete sub ratione suppositi, quod ex professo discutere non est huius loci, sed pertinet ad materiam de Trinitate. Ad argumentum Aureoli respondetur concretum substantiale absolutum esse totum, ac in terminis creatis dicere semper aliquid à parte rei distinctum à forma abstracta: vt ex sententia D. Thom. dictum est tract. 4. cap. 5.

Damascen.

VII. Ex dictis constat non recte Philosophari Ochamum, cùm hanc propositionem, *Humanitas est homo*, & similes concedit esse veras in rigore sermonis, ideò vero censeri falsas, quia inuoluunt Syncathegoremata illa, *necessariò, secundum se*, vel similia: nam cæteri auctores non agnoscunt significationem horum Syncathegorematum in nominibus abstractis: & nihilominus cõsiderata solum propria ratione significandi eandem formam aiunt concreta nõ prædicari verè de abstractis. Ad primum eius fundamentum negandum est antecedens: nam nomina concreta supponunt pro materiali significato, siue pro substistente, quod est per formam, pro quo non supponunt abstracta, sed pro formali significato, quo illud est. Ad secundum neganda est maior propositio, vt patet ex dictis.

VIII. Fundamentum quoque Aureoli est falsum. Nam concreta non significant formaliter subiectum, & formam tanquam partes vnius compositi, nec subiectũ significant formaliter, ac directe quo ad propriam rationem formalem: hoc enim sentiunt Doctores Philosophi, Theologique communiter, cùm aiunt concretum, & abstractum significare eandem formam, quia scilicet concreta ipsam propriam rationem formalem subiecti nequaquam significant formaliter, ac directe, sed in obliquo, & connotatiuè, tanquam terminum vnionis formæ: nam, si vtrumque significarent formaliter, nullo modo dici possent de subiecto: ideò enim concreta substantialia nõ dicuntur de partibus abstracte sumptis, quia re vera pertinent intrinsecè ad rationem formalem compositi, & per modum partis significantur: vt patet in homine, & eius partibus. non enim dicitur, *Materia prima est homo*, quia hic includit etiam formam, & proinde nequit verè enunciari de materia: si ergo subiecta pertinent intrinsecè ad significatum formale nominis concreti deriuati ex formis accidentalibus, id nequaquam potest enunciari verè de subiectis: atque adeò hæc erit falsa, *Sol lucet*, & aliæ similes: quod tamen ipse etiam Aureolus negat. Deinde vero neque vim habet illud, quod habet de significatione verbi: quod nimirum significet per modũ egressionis, & proinde dici possit de formis communicantibus suum esse formale subiecto. Quoniam, si verba ita significent, nullo modo possent enunciari de subiecto, cui formæ inhærent ita, vt ab eo non egre-

diantur:

diantur: quod tamen est falsum: nam aqua ab igne calefacta dicitur calere, aër frigere, & plura alia. Accedit quod verba nonnulla, quæ propriè significant illam causalitatem formalem, siue progressum effectus formalis à forma, solummodo dicuntur de forma, non autem de subiecto, aut composito ex forma, & subiecto: nam anima dicitur animare, aut vegetare corpus, ipsum vero corpus, aut animal nequaquam dicitur vegetare, aut animare: id vero non aliundè prouenit, quam quia hæc verba significant vitam, vt progredientem à forma: ob eamque causam significant actiuè: quæ vero passiuè, aut neutraliter significant, potius significant effectum formalem, vt receptum, & habitum, quam vt progredientem à forma, & idcirco non dicuntur verè de forma, sed de subiecto: atque ita simpliciter loquendo verba concreta non dicuntur verè de abstractis significantibus eandem formam, quæ est sententia D. Dionysij, in lib. de diuinis nominibus cap. 2. p. 1. versus finem vbi asserit hanc propositionem, vita viuit, nõ esse veram in rigore: idem enim valet, ac si dicatur est habens vitam: qui sensus est falsus, habens enim vitam distinguitur à vita, & comparatur ad illam, tanquam totum ad partem: totum vero non potest verè dici de parte. Ex illo vero loco Ioan. 1. nequaquam colligitur effectus formales prædicari verè, ac propriè de formis ipsis: nam nomen, *Lux*, eo loco non sumitur pro forma lucis, sed supponit pro verbo æterno incarnato, quemadmodum etiam sumitur sapientiæ nomen, Prouerb. cap. 9. cùm dicitur, *Sapientia ædificauit sibi domum*: ex quo nõ colligitur hanc propositionem esse veram sapientia ædificat, si nomen sapientia, sumatur pro forma sapientiæ. Discursus Aureoli quatenus concludit nomina concreta, non verè prædicari de suis abstractis verum concludit: & ideò non eget solutione.

Prouerb. 9.

IX. D. Thom.

Capreol. Soncin. Clypeus.

Dico secundum concreta transcendentia dicuntur de suis abstractis, ita D. Thom. quæst. 1. de virtutibus art. 2. ad 8. quæst. 21. de veritate art. 4. ad 4. & art. 5. ad 8. quem sequuntur Thomistæ, Capreol. in 1. d. 4. quæst. 2. art. 1. conclusione 1. Soncin. quæst. 2. conclusione 2. & Clypeus Thomistarum quæst. 34. in Porphyrium art. 2. conclusione 4. & alij. Fundamentum huius sententiæ assignat D. Thomas, quoniam id, quod primo cadit in apprehensionem intellectus de quouis obiecto, est ens: & ideò, cum mens apprehendit essentiam alicuius, oportet vt apprehendat illam sub ratione entis: atque adeò sequitur vt ens prædicetur verè de essentia, siue de entitate. Cùm vero entitas dicitur esse ens, non oportet, vt sit alia entitas, à qua essentia dicatur ens: sed eatenus est, vel dicitur ens, quatenus aliquid est ens ipsa, tanquam forma: idemque asserit de reliquis transcendentibus: nam, cùm ea sequantur rationem entis inseparabiliter, de quocunque illud dicitur, & illa dicuntur: & ideò inquit, cùm dicimus, *Bonitas est bona*, sensus non est, quod sit subsistens in bonitate, sed quod sit id, quo aliquid est bonum. Hæc vero ratio nõ reperitur in alijs formis specialibus, quæ non comitantur inseparabiliter rationem entis, & solum dicuntur tanquam id, quo aliud est: & proinde dici nequeunt, vt id, quod est: atque adeò nec concreta prædicari de abstractis. Contra prædicta obijci potest, veritatem propositionum fundari in rebus ipsis obiectis, & nõ in præciso modo accipiendi: tunc enim etiam nomina concreta sumpta à formis specialibus prædicari possent de eisdem formis abstractè sumptis: nam, sicut ens significat id, quod vtcunque cadit in apprehensionem intellectus sub ratione entis, siue sit subsistens, siue id, quo aliud est ens, ita etiam coloratum dicetur de omni eo, quod participat rationem coloris, siue sit habens colorem, siue forma, qua subiectum dicitur coloratum. Hoc argumentum rectè probat non repugnare, vt aliqua nomina non transcendentia ita accipiantur, vt de facto accipitur nomen substantia, vt est commune completis & incompletis concretis, & abstractis: verè enim dicitur homo est substantia, humanitas est substantia, rationalitas est substantia, &c. Ex quo patet hoc nomen non significare necessariò id, quod per se subsistit, sed etiam id, quo aliud subsistit: consuetudo tamen loquendi non ita extendit alia nomina concreta, sed maiori ex parte significant solùm id, quod est per formam, & consequenter non dicuntur de ipsa forma. Quæri tamen potest vndè profectum sit, vt nomina transcendentia concreta non necessariò significent subsistens, aut habens, cùm id vendicent nomina specialia singulorum generum. Ratio est quoniam concreta, & abstracta transcendentia, non habent vllam distinctionem ex natura rei, sed solam grammaticalem penes modum concipiendi abstracte, & concrete: cætera vero habent: ex eo enim, quod obiecta significata per abstractum, & concretum non distinguantur, prouenit vt indifferenter significari possint vno, vel altero nomine, & consequenter mutuo prædicari:

dicari: cùm verò significata vtriusque nominis ex natura rei differunt, fieri non potest, vt nomen impositum alteri ipsorum, quatenus ab altero differt, accommodari possit alteri, & de ipso prædicari: sed hoc fundamentũ magis explicabo cap. sequenti vbi sermo erit de prædicatione abstractorum de concretis.

X. His dictis de concretis, & abstractis, quæ conueniunt in formali significato, sequitur, vt comparentur ea, quæ differunt. Et quidem absolute loquendo communis est sententia Doctorum concreta non prædicari de abstractis: non enim dicitur rationalitas currit, candor est dulcis, cùm tamen dicatur rationale currit, & candidum est dulce. Contra vero nonnulla posse prædicari, est etiam communis sententia: nam humanitas dicitur vnita Verbo diuino, & plura alia concreta prædicantur de abstractis. Difficultas est in assignanda ratione huius varietatis, & in præscribendis certis regulis, quibus possit diiudicari, quæ nã concreta prædicari possint de abstractis, & quæ non possint. Occurrit autem inprimis sententia Scoti in 1. dist. 5. quæst. 1. §. *Scot.* *Sed loquendo*, cùm Lycheto, & Bargio ibidem, qui abstracta diuidunt in duo genera, quædam enim vocant abstracta vltimate, quædam non vltimate. Hæc sunt quæ abstrahunt à subiecto, & ab omni alio extraneo: vt se habet coloreitas, humanitas: illa vero, quæ abstrahunt quidem à suppposito, siue subiecto, non tamen ab omnibus, quæ sunt ipsis extrinseca: vt se habet color, qui quamuis abstrahat à corpore, cui inest, non tamen abstrahit à suis inferioribus, de quibus prædicatur: Hoc posito aiunt de abstractis vltimatis nullum omninò concretum prædicari, nisi sit de intrinseca ratione subiecti. Probant vero quoniam huiusmodi abstracta præscindunt penitus ab omni ratione extrinseca: equinitas enim, vt ait Auicenna lib. 5. Met. *Auicen.* initio: est tantum equinitas: fieri ergo nequit, vt prædicetur de ipsis aliquod concretum significans formam extrinsecam subiecto. At vero, quia non abstrahit ab intrinsecis, concreta ab his deducta possunt verè prædicari, vt patet in hac enunciatione: *humanitas est rationalis*: nam rationalitas est de intrinseca ratione humanitatis, & idcirco rationale verè de humanitate prædicatur. Contra vero Ocham. *Ocham.* vbi supra existimat, siue abstracta sint substantialia, siue accidentalia prædicari: posse de illis concretum etiam accidentale in rigore loquendo: & ideò admittit hanc propositionem humanitas currit, est alba, intellectus intelligit, &c. Fundamentum est idem, quod supra perstrictum est: nempè quia humanitas, cùm non est vnita supposito alieno, est subsistens, & supponit pro eodem, pro quo supponit homo.

XI. Dico tertium de abstractis etiam vltima abstractione, possunt multa concreta prædicari, non tamen omnia. Prior pars est contra Scotum, traditur vero expresse ab Ochamo in 1. d. 5. quæst. 1. litera E. & *Ocham.* d. 9. quæst. 2. litera H. Gabriele in 3. d. 7. *Gabriel.* quæst. vn. art. 1. Notabil. 2. & communiter recipitur: ostenditur vero, quoniam abstractis, prout distinguuntur à concretis, competunt nonnulla: ergo verè possunt de illis prædicari. Patet consequentia, quoniam ex eo, quod res est, aut non est, propositio est vera, vel falsa. Antecedens vero ostenditur: quoniam vnio naturæ humanæ ad suppositum diuinum competit illi, prout à supposito distinguitur: nam suppositum non vnitur sibi ipsi, omnis quippe vnio est inter duos terminos, quorum quilibet dicitur alteri vnitus: & ita natura humana verè dicitur vnita Verbo. Item proprietates transcendentes dicuntur de omni eo, de quo dicitur ens: vt ait D. Thomas vbi supra: ens verò dicitur de quauis re siue abstracte, siue concrete significata: vt ex communi sententia Philosophorum docet Achillinus *Achillinus.* lib. de distinct. cap. 22. ergo vnum, verum, ac bonum dicuntur de coloreitate, humanitate, & cæteris abstractis vltima abstractione: posterior pars, quæ est contra Ochamum ostenditur, quoniam prædicata, quæ exigunt subiectum per se subsistens, prædicari verè nequeunt de non subsistente: at vero abstracta creata non significant per se subsistens: ergo multa concreta nequeunt de abstractis prædicari. Maior propositio est perspicua: assumptio vero probatur, quoniam id, quod aliquid est, non est per se subsistens, & quod est habitum, non est habens: Sancti vero vt dictum est tractat. 1. cap. 9. num. 8. assignant hoc discrimen inter nomina in terminis creatis, ac diuinis: quod in his idem est habens, & habitum, quod est, & quo est: in illis vero minimè.

XII. Ad rationem dubitandi Scoti respondeo abstracta vltimata non ideo dici, quasi non possint subijci alicui prædicato extrinseco suæ naturæ, de ratione enim subiecti non est vt constet prædicatum sed vt supponat pro eo, cui competit eius formale significatum: abstracta enim supponunt pro formis, cumque ijs conueniant non-

nulla

nulla accidentaliter possunt subijci eorum concretis: dicuntur vero abstracta vltimata, quia non habent aliam formam sui quasi constitutiuam, cùm ipsa significent formas quasi constitutiuas aliorum, vt patet in coloreitate: quæ concipitur vt forma coloris, ipsa vero non intelligitur constitui per aliam formam adæquatam: hoc vero non tollit, quo minus subijci possint formæ extrinsecæ, quæ proinde de ijs verè prædicabitur in concreto vt dictum est. Auicenna vero solum vult equinitatem, prout hoc nomine significatur, dicere præcisam naturam, qua constituitur equus: ex hoc autem minimè sequitur non posse de illa verè dici concretum aliquod extrinsecum. Fundamentum Ochami est falsum, vt patet ex paulò ante dictis: non enim abstracta creata significant subsistens, sed solum formam, sub qua aliquid subsistit.

XIII. D. Thomas in 2.d.27. quæst.1. art.2. ad 1. indicat hanc regulam, si forma non afficitur, & quasi actuatur ab alia forma, non denominatur ab illa concrete significata: denominatur autem, si afficitur: exempli gratia, quia color non est forma sui, non dicitur coloratus, tamen quia lux potest esse forma coloris, hic denominari potest clarus, vel obscurus. Hæc tamen regula etiam quoad secundam partem patitur instantias: nam abstracta substantiarum recipiunt immediate formas accidentales, nec tamen ab ijs denominantur: nam generatio, labor, fames, & cætera hüiusmodi, quæ conueniunt Christo Domino secundum humanitatem immediate recipiuntur in natura, nec tamen illã denominant, non enim dicitur humanitas nata de Virgine fatigata, sitibunda, &c. Et ideò Diuus Thomas secundam illam partem non absolute proposuit, sed sub dubio: dixit enim non potest dici color coloratus, sed forte clarus: & quidem, quod attinet ad exemplum, color nõ dicitur clarus à luce extrinseca, qua pro diuersitate temporum perfunditur, sed à propria differentia, vel proprietate: ratione cuius quidam colores dicuntur clari, alij obscuri. De re vero ipsa ideò D. Thomas dubitauit quoniam, licet aliquando forma, quæ ab alia afficitur, ab ipsa denominetur, non semper ita contingit. Itaque prima pars est absolutè vera, siue concretum sit absolutum, siue connotatiuum: & ob eam causam, vt contra Lychetum docent Ioannes Viguerius, & Bargius in 1. d. 5. quæst. 1. nunquam concreta substantialia absoluta verè dicuntur de abstractis, quia nec supponunt pro eodem, vt contra Ochamum ostensum est: nec concreta afficiunt abstracta, sed significant subsistens sub forma abstracta: & ideò nequeunt de illis verè prædicari. His igitur omissis dicendũ est, quæ vnitas vel modus afficiendi requiratur, vt concretum denominatiuum possit verè dici de abstracto. Pro quo supponendum est ex Gabriel. in 3 d.7. quæst. vn. art.1. notabil.2. dari triplex genus concretorum: quædam, quæ prædicantur solum de ijs, quibus immediate conueniunt, vt se habent idem, diuersum inhærere, dependere, informare, componere, & alia id genus: quædã vero, quæ solum prædicantur de ijs, quibus mediate cõueniunt, hoc est de subiecto distincto à forma ratione cuius vendicat prædicatum: vt se habet calidum, frigidũ, grammaticum, currens, calefaciens, &c. quæ non prædicantur de forma, sed subiecto, cui illa inest. Denique alia prædicantur indifferenter de ijs, quibus conueniunt mediate, & immediate, vt disgregatiuum visus, quod tam dicitur de candore, quam de re candida.

Gabriel.

His positis sit prima regula. Quando inter formas nõ est vnitas immediata, sed solum ratione subiecti, in quo recipiuntur, aut coniunguntur, ad veritatem propositionis necessariò requiritur, vt vterque terminus sit cõcretus importans idem subiectum, patet in his propositionibus, *candidum est duce, calidum est siccum,* quæ sunt veræ, erunt autem falsæ, si dicatur, *candor est dulcis, siccitas est calida:* fundamentũ est, quoniam hæ formæ non habent vllam identitatem inter se, sed solum in subiecto: ergo nisi hæc per nomina importetur, propositio erit falsa, quia tribuit identitatem rei, quam ipsa nõ habet: importari autem aliter nequit quã per vtrùnque terminum concretum: ergo ad veritatem propositionis similes formas copulantis requiritur, vt vterque terminus sit cõcretus. Secunda regula. Quando forma, quæ prædicatur, habet propriam identitatem, aut vnitatem cum forma subiecti, ita vt per se primo, & non ratione subiecti, sit idem vel vnum cum ipsa, potest fieri vera prædicatio vnius de altera, etiamsi subiectum in abstracto significetur: exempla patent: nam cum dicitur natura humana est vnita Verbo diuino, aut materia incorruptibilis, vnio per se primo conuenit humanitati, & incorruptibilitas materiæ. Fundamentum huius est, quoniam ex parte obiecti est sufficiens identitas prædicati, & subiecti præcisa identitate, quam habent in eodem subiecto: ergo, licet hæc non importetur per terminos, adhuc propositio erit vera. Quæ res tamen, an hæc regula sit vniuersalis, respondetur

XIV.

negatiuè: quoniam humanitas immediate coniungitur suis proprietatibus, nec tamen hæ de illa propriè prædicantur: non enim hæ sunt veræ, humanitas est risibilis, humanitas est bipes: vt ergo proponatur signum vniuersale, quo deprehendatur, quando sit vera propositio constans subiecto abstracto, & prædicato concreto. Sit tertia regula. Quoties forma significaia per nomen concretum conuenit alteri formæ prout distinguitur à subsistente, ita vt ipsi per se primo, & vltimo tribuatur, est vera propositio enuncians concretum de abstracto: nō vero si per se connotat subiectū subsistens, ad quod vltimo terminetur: hęc regula quoad priorem partem complectitur cōcreta primi generis, quoad posteriorem vero concreta secundi. Prior pars constat, quoniam omnis forma potest denominare id, cui conuenit, aut inest: ergo si non cōuenit alteri rei, quam formali significato nominis abstracti, hoc denominabit: non per nomen abstractum, quoniam non pertinet intrinsecè ad eius rationem formalem: ergo per concretum. Posterior pars ostenditur, quoniam nomen concretum significans per modum habentis ponit formam circa subiectum, quod per illam est aliquid, & connotat vltimum, cui forma inexistit: ergo, quamuis vna forma immediate copuletur alteri, si tamen vltimate inest subiecto, ipsum, & non formam denominat: exempli causa proprietates immediate insunt naturæ, & per naturam supposito, & tamen in concreto non prædicantur de natura, sed de supposito.

XV. *Ocham.* Circa secundam partem eiusdem regulæ est adhuc dubitatio: nam Ocham. in logica loco citato, & aliqui recentiores aiunt actiones, quę immediate progrediuntur ab aliqua forma, tanquā à principio quo posse denominare formam in cōcreto, quomodo dicitur intellectus intelligere, voluntas velle, calor calefacere. Quod si verum est, omnis profecto forma, quæ immediate recipitur in alia, tanquam in subiecto, quo, & omnis actio, quæ progreditur ab ipsa, tanquam à principio quo denominabit illam nomine concreto: nam; quæ proportio est agentis, vt quo ad actionem, & agens vt quod, ea est recipientis, vt quo ad formam receptam, & ad recipiens vt quod: & ideò si agens vt quo significatum in abstracto potest denominari ab actione concrete significata, etiam recipiens vt quo denominabitur à forma recepta concrete significata: quod tamen est falsum, vt patet in omnibus formis accidentalibus, quæ immediate recipiuntur in Christi humanitate, nec tamen illam denominant: non enim humanitas illa dicitur genita de Maria Virgine, aut passa famem, & labores, sed Christus in humanitate: item vt docet Arist. lib. 3. de anima text. 64. anima non propriè dicitur ratiocinari, sed homo dicitur anima ipsa discere, aut ratiocinari. Quapropter propriè, & in rigore loquendo nec actio, nec alia forma concrete significata denominat agens, aut recipiens vt quo abstracte significatum, vt recte docet Altisiod. lib. 1. cap. 4. quæst. 4. ad quintam rationem pro opinione Gilberti, *Gilbertus.* Richard. in 1. dist. 5. art. vn. quæst. 1. ad 6. *Richardus.* & alij. Alioquin cum Magist. in 1. d. 7. di- *Magister.* cat potentiam generandi esse diuinam essentiam, verè diceretur, *diuina essentia generat*, quod tamen est hæreticum vt traditur in materia de Trinitate. Vnde D. Thom. *S. Thom.* opusc. 9. quæst. 21. expendens propositionem Petri Tarantasij dicentis essentiam, prout est coniuncta proprietatibus personalibus, esse principium actuum notionalium, ait pati columniam ex hoc, quod asserat essentiam esse principium, si intelligatur esse principium vt generans, vel spirans: cum ergo admittat esse principium quo, & tamen neget esse principium vt generans, vel spirans: manifeste patet de mente illius non sufficere ad denominationem de forma abstracta per Verbum agendi, vt ipsa sit principium quo talis operationis.

XVI. Vltima regula sit, quando ex vsu loquendo nomen concretum non vendicat per se, ac necessariò subiectum subsistens quod denominet, potest dici etiam de nominibus abstractis. Hæc est de mente Gabriel. vbi supra & communis, & multis exemplis patet: nam materia dicitur incorruptibilis, natura hominis dicitur corporea, natura Angeli dicitur immaterialis, humanitas dicitur rationalis, candor disgregatiuus visus. Et plura alia sunt exempla, quæ magna ex parte ad tria capita reducuntur. Sunt autem inprim[illegible] concreta differentiarum, vt patet: non solum enim homo, sed humanitas etiam dicitur rationalis. Deinde quædam nomina analoga communia pluribus rerum generibus, vt substantia communis prædicamentali, & non prædicamentali, intellectuale commune Deo, homini, & Angelo, dicitur enim Deus, Angelus, & homo intellectualis, & nihilominus etiam natura diuina, Angelica, & humana dicitur intellectualis. Denique nomina concreta quorundam negationum, & habitudinū rationis. Nam cum ex terminis contradictorijs necessariò

dicatur

dicatur vnus de quolibet subiecto, plurimis vero formis abstracte sumptis non conueniant termini positiui, consequens est vt conueniant negatiui: vndè verè dicitur materia non videns, non intelligens: quia vero inter priuatiuè oppositа datur medium per negationem vtriusque extremi, nomina priuatiua non dicentur de abstractis, nisi subiectum: quod connotant de ijs dicatur. Et quoniam cæcum connotat animal, humanitas non dicetur cæca, quoniam non est animal, dicetur tamen natura Angeli incorporea, quia incorporeum connotat ens, quod verè dicitur de natura. Denique entia rationis habentia ex æquo fundamentum in natura, & constituto per ipsam, verè de illa dicuntur: qua de causa non solum homo, sed etiam humanitas dicitur composita, distincta, &c. Quod attinet ad nomina concreta differentiarum quomodo eandem omnino differentiam significent, cum dicuntur de concretis, & abstractis specierum, quas constituunt, & quomodo differant penes diuersam connotationem recte explicat Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 28. q. 13. sect. 5.

Fonseca.

Quomodo in creatis prædicentur abstracta de concretis.

CAPVT IV.

I. ABstracta comparari possunt vel cum proprijs concretis, vel cum concretis aliarum formarum, si hoc secundo modo comparentur, planum est posse de illis enunciari. Probatur quoniam per regulas conuersionis in logica tradi solitas propositio affirmatiua particularis & indefinita conuertitur in particularem vel indefinitam, vt vero constat ex dictis cap. præcedenti, concretum connotatiuum interdum prædicatur de abstracto, ergo & hoc de illo verè prædicabitur, patet exemplis: nam si verè dicitur materia est incorruptibilis, recte sequitur, ergo aliquid incorruptibile est materia: forma dependet à materia; ergo aliquid dependens à materia est forma. Ex concretis vero, quæ de abstractis prædicantur, quædam sunt connotatiua, siue adiectiua, quædam absoluta. Et quidem si connotatiua sint in conuersione cum ponuntur ex parte subiecti, habent modum absolutorum. Nam adiectiua vt ait D. Thomas 1. parte quæst. 39. art. 5. ad quintum, non ferunt secum suum suppositum, sed rem significatam ponunt circa substantiuum, & ideò non reddunt suppositum Verbo: atque adeò nihil omnino prædicatur de connotatiuo adiectiuè sumpto, propter quod dixit Adam in 1. dist. 33. quæst. vn. art. 3. dub. 2. in adiectiuis non valere regulas conuersionis, quia scilicet terminus adiectiuus, qui est à parte prædicati, nisi fiat substantiuus, non potest poni à parte subiecti, potest autem si substantiuè sumatur, vt patet in exemplo adducto, tunc vero non erit prædicatio per se, ac directa, quoniam semper connotatiuum significat per modum formæ, & ideò magis secundum naturam est vt prædicetur, quam vt subijciatur: est tamen operæpretium inquirere signum, quo discerni queat, de quibusnam concretis huiusmodi possint abstracta prædicari: nam pleræque formæ insunt per se, & immediate naturis ipsis, nec tamen illis verè subijciuntur: humanitas enim immediatius recipit accidentia quam homo, nec tamen dicitur Rex est humanitas.

Adamus.

II. Pro huius dubij solutione obseruandum nomina concreta, tam substantialia, quam accidentalia, quædam significare subiectum per se subsistens, quædam vero nequaquam, sed habere se indifferenter ad subsistens, & non subsistens, vt est rationale, vel irrationale, incorruptibile, vel corruptibile substantiuè sumpta. De concretis igitur prioris generis non prædicantur formæ abstracte significatæ, prædicantur autem de concretis posterioris. Ratio est, quoniam formæ abstractè sumptæ non sunt subsistentes, nec connotant subiectum subsistens: ergo nequeunt de illo prædicari, possunt vero de eo, quod non est subsistens. Et ideò hæc est vera, corruptibile est humanitas, hæc autem falsa, Rex est humanitas: nam quamuis nomen Rex non significet formam subsistentem, significat tamen illam compositam subiecto subsistenti, quod est materiale significatum nominis pro quo supponit, corruptibile vero non necessariò significat formam compositam subiecto per se subsistenti, dicitur enim de materia prima, & alijs, quæ per se non subsistunt. Idem dicendum de concretis substantialibus: hæc enim est vera, rationale est humanitas, hæc autem falsa, animal est humanitas, quia animal necessariò significat per se subsistens, non vero concreta differentiarum. Signum vero ex quo deprehendi potest, quæ nomina significent subsistens, debet sumi à diffinitione rei significatæ per nomen, etsi id quod indiffinitione habet locum generis sit solum

D. Thom.

commune subsistentibus, nomen significat subsistens, si vero sit commune subsistenti, & nõ subsistenti, non necessariò illud significat. Ratio est quoniam de quocunque verè prædicatur nomen diffiniti, prædicatur etiam diffinitio, & è contra de quo prædicari nequit difinitio, nequaquam prædicatur nomen diffiniti, & idcirco quoties subiectum, quod in recto collocatur in diffinitione, non prædicatur verè de aliquo nomine, etiam nomen diffiniti non prædicatur de ipso, quare cum corpus, quod ponitur in diffinitione candidi, non verè prędicetur de humanitate, etiam candidũ de illa non prædicatur & è contra. Itaque ad diiudicandas prædicationes concretorum de abstractis, & vice versa hæc regula est certissima. Quoties forma significata per prædicatum conuenit significatæ per concretum, si terminus positus in recto loco generis in diffinitione concreti verè prędicatur de abstracto, ipse quoque terminus cõcretus prædicabitur, minimè vero si ille non prædicetur. Exemplum primi cernitur in hac propositione, materia est incorruptibilis. Nam corruptibile in tota sua latitudine sumptum diffinitur per aliquid, aut per ens tanquam per genus, cumque id verè prædicetur de materia, cui re ipsa conuenit incorruptio, incorruptibile quoque de materia verè prædicabitur, & hæc vicissim de incorruptibili. Exemplum secundi apparet in hac: humanitas est colorata: coloratum enim diffinitur per corpus in recto: hoc vero non prædicatur verè de humanitate, & ideò quantũuis color insit humanitati, non potest de illa verè prædicari. Quod vero attinet ad comparationẽ abstractorũ cum proprijs concretis, opus est distinctione, quædam enim sunt accidentalia, quædam substantialia, de accidentalibus nõ est controuersia: nam cum concreta semper connotent subiectum, quod abstracta minimè connotant, fieri nequit vt abstractum dicatur de concreto, habet enim respectu eius rationem partis, nulla vero pars potest verè, & in recto prædicari de suo toto.

III. Si vero comparentur abstracta cum concretis absolutis substantialib⁹ in rigore sermonis, verè de illis prædicari concedunt Durand. in 1. d. 34. q. 1. à nu. 18. & Ocham. 1. p. Logicæ cap. 7. & in 1. d. 2. q. 7. lit. CC. & d. 5. q. 1. lit. K. & L. & Gabriel. in 3. d. 7. q. vn. art. 3. dub. 1. Corollar. 4. & 5. & ita admittunt hãc propositionem, homo est humanitas, & similes: fundamenta huius opinionis retuli, & impugnaui cap. præcedenti. Dico igitur secundum, abstractum non transcendentale nunquam potest verè prędicari de concreto absoluto: hæc est communis ita S. Thom. 1. contra gentes cap. 21. in tertia ratione cum Ferrar. ibidem Henr. in sum. art. 28. q. 5. & art. 75. q. 2. litera C. Ægid. in 1. d. 4. 3. p. q. 3. Aureol. q. 2. art. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclusione 1. Soncin. q. 2. conclusione 2. Hispal. q. 2. art. 3. notab. 3. Syluest. in cõflato q. 3. art. 3. in fine, & alij communiter, Ægid. assignat quatuor rationes ob quas termini abstracti nõ transcendentes in creatis non prædicentur de concretis; prima est, quoniam res creatæ nõ habent formas abstracte significatas in tota sua plenitudine, sed per participationem. Secunda, quoniam creatura est multiplex, perfectio vero reperta in multiplici, siue composito nõ dicitur de ipso in abstracto: falso enim dicitur homo est anima. Tertia quoniam in creaturis est accidens, hoc vero nõ prædicatur in abstracto de re, cui accidit. Quarta deniq;, quoniam in supposito creato est aliquid, quod nõ pertineat ad ipsam eius naturam, vel non sit eius natura, quę rationes ita intelligi possunt vt singulæ sint conuertibiles, & adæquatæ, vel ita, vt quælibet illarũ impediat prædicationẽ abstracti de cõcreto, nõ tamen si desit, eo ipso vera erit prædicatio: si priore modo accipiantur nõ sunt omnes idoneæ: vt patet in tertia: nam humanitas non est accidens, nec tamẽ verè dicitur de homine: nisi forte ita intelligatur, vt propterea forma abstracta non dicatur de subiecto concrete significato, quia hoc inuoluit accidentia, à quibus pręscindit forma abstracta: & proinde prędicatur per modum partis, nec dicit saltem implicite, & connotatiuè omnia, quæ sunt in subiecto, quod requiritur ad veritatem prædicationis: in quo sensu apta ratio est, & frequenter inculcatur à D. Thoma. Itaque rationes omnes sunt eiusmodi, vt si quæuis ex illis desit, non fiat vera prædicatio abstracti de concreto, vt per singula discurrendo constabit. Vt autem incipiam à prima id, quod habet formam per participationem, nõ est totum, quod forma: sed aliquid est in ipso participans, aliud vero forma participata, neque hæc totum, quod illud, vbi vero hæc est differẽtia inter prædicatum, & subiectum, non fit vera prædicatio abstracti de concreto: siquidem ad veritatem huius prædicationis requiritur, vt idem sit quod est, & quo est: quando vero subiectũ non est totũ, quod forma, aut vice versa, nõ est idem, quod est, & quo est & ideò nõ prędicatur verè forma in abstracto de subiecto in concreto. Secunda vero, quoniam, si nõ sit omnimoda identitas inter prædicatum, & subiectum, semper con-

cretum

S. Thom. Ferrarien. Henric.

Aureol. Capreol. Soncin. Hispalens. Syluest.

Durand. Ocham. Gabriel.

cretum continet aliquid amplius, quam abstractum: & ita hoc habet rationem partis, nec potest verè prædicari de concreto, quod habet rationem totius. Tertia verò quia accidens est extra naturam subiecti: atque adeo abstracte significatum dicitur per modum eius, quo aliquid est, nō verò quod est. Quarta denique, quoniam vbi est ratio aliqua non pertinens ad naturam subiecti, semper abstractum significat minus, quam subiectū: & proinde dicitur per modum partis, nec potest verè de illo enūciari. Quod verò prædicari verè possit abstractum de concreto, vbi rationes oppotæ interueniunt patet: nam vbi forma conuenit per essentiam, ac plenitudinem, non differt abstractum, & concretū, penes quo est, & quod est, aut penes habens, & habitū, aut penes totum, & partem: sed forma ipsa est totum, quod est, & quo est: quod habet, & quod habetur: idemq; cernitur quoties forma est omnino simplex, abest enim ratio partis, ac totius: item si res per vtrunque terminum significata est expers accidentis, quidquid ibi est, habet modum formæ intrinsecæ, ac subsistentis: denique vbi nihil est, quod non sit natura suppositi, vel ad eam pertineat, suppositum non includit aliquid à natura distinctū: & ita id ipsum est oppositū, ac natura: res subsistens, & forma, qua subsistit: & ideo vera est prędicatio formæ abstractæ de concreto.

IV. Dico tertium. In terminis transcendentibus verè affirmatur abstractū de cōcreto absoluto, siue cōueniat siue differat in significato formali: verè enim dicimus ens, & homo est entitas. Hæc ab omnib⁹ cōmuniter recipitur: est tamē difficultas in assignāda ratione, cur termini trāscendentes prædicentur de rebus aliis indifferēter tam in cōcreto, q̄ in abstracto: nam homo dicitur ens & entitas, similiq; modo sapientia est ens, & entitas. Ratio dubitandi est primò, quoniam vel habetur ratio identitatis, aut diuersitatis obiecti significati per vtrunq; terminum, vel modi significandi identitas, aut diuersitas eadem cernitur inter hominem, & humanitatem, quæ cernitur inter ens, & entitatē: modus significandi est idem: ergo nō est ratio, propter quā transcendētia prædicentur in cōcreto, & in abstracto, reliqua verò nequaquā. Secundo ideo abstracta nō prædicantur de cōcretis, quoniā hęc significantur per modū totius, illa per modū partis: pars aūt non prędicatur vere, & in recto de toto: sed modus significādi per modum totius, ac partis non minus cōuenit nominibus transcendentibus, quā reliquis: ergo, si reliqua abstracte sumpta non prædicantur de concretis, nec transcendentia prædicabuntur. Tertio nihil prædicatur de subsistente nisi subsistētiam modo aliquo significet: concreta significant res subsistentes, abstracta vero etiam transcendentia non significant subsistentiam: quare nequeunt de cōcretis prædicari. Quartò, omnes ratiōes assignatæ ab AEgidio, cur abstractū non prędicetur de cōcreto, reperiuntur in abstractis transcēdentibus, si cōparentur cū concretis entiū particulariū: ergò, sicut reliqua non prædicantur, neq; transcēdentia prædicabūtur. Antecedens patet, quoniā homo nō est entitas per essentiā, ac plenitudinē, esset enim Deus: item in homine est ratio entis compositi: est particeps accidentis: deniq; non quidquid in ipso est, pertinet intrinsece ad naturam: ergo desunt illi omnes illæ quatuor conditiones requisitæ ad veram prædicationem abstracti de concreto.

V. Vt aūt pateat, quomodo rationes illę accōmodari possint nominib. trāscendentibus, obseruandū est eiusmodi conditiones adesse p se, & necessario significatis quorūdam nominū, aliorū verò solū permissiuè: quia sc. ipsa nomina significāt rationes obiectiuas carētes cōditionibus oppositis, nō tamē excludētes. Prioris generis sūt nomina perfectionū diuinarū, posterioris sunt transcendentia: nam, cum dicantur etiā de Deo, nō possunt significare rationes obiectiuas admistas imperfectionibus, & ideo in sua cōmuni significatione, nō dicunt ens per participationē, nec ratione compositionis, accidentis, aut diuersitatis actualis: contra verò, cum dicatur de creaturis, in quibus hæ perfectiones reperiuntur, illas nō necessario excludūt: sed abstrahunt ab imperfectione, & perfectione. Non sufficit autē ad veritatē prædicationis abstracti de cōcreto, vt cōditiones illæ adsint p̄missiuè significato nominis, alioquin omnia nomina abstracta cōmunia Deo, & creaturis dicentur de cōcretis creatis: & hoc modo Socrates non solum erit iustus, sed iustitia: non solum sapiens, sed sapientia: quod tamen est falsum. Requiritur autem præterea, vt nihil sit ex parte subiecti, quod non cōtineatur in significato formali prædicati abstracte sumpti: nam, si aliquid significet concretum, quod non significetur nomine abstracto, significatum huius habet se per modum partis ad significatum illius: & consequenter abstractum non poterit verè prædicari de concreto. Ex quo prouenit, vt in terminis creatis nō vere prędicentur abstracta p̄ō transcendē tia de concretis: nō enim vere dicitur ho

sapiens designãdo Socratem, est sapientia: quoniã hoc sapiens saltem de materiali significato includit subsistentiam, quam nõ vendicat significatũ nominis sapientia, nec ex ratione cõmuni, neq; ex ratiõe particulari sapientæ creatę, ratione cuius p̃dicatur de Socrate: & ideò in Socrate nõ est idẽ esse sapiens, ac sapientiã; quod etiã videre est discurrẽdo per alia nomina cõmunia perfectionibus creatis, & increatis: quę proinde, cum sumuntur pro rebus creatis, prędicari nequeunt in abstracto de concretis.

VI. At verò nomina, ens & entitas respectu cuiusuis obiecti, ita se habent, vt nihil sit in illo, q̃ non significẽt, si nõ explicite, ac distincte, cõfuse tamen, & implicite: quidq̃d enim est in quauis re, est ens, & entitas: & ideo ratio entitatis cõparata cũ significato cuiusuis nominis positiui nõ habet rationẽ partis, de cuius ratione est, vt præscindat mutuo ab aliqua parte: id verò repugnat significato nominis, entitas: vt per se patet: nam fieri neq̃t, vt ratio entitatis separetur ab aliqua ratiõe formali positiua: ita vt maneat contradiuisa ab illa per modũ partis: cum ergò ideo abstracta nõ prædicẽtur de cõcretis, quia hæc se habent per modũ totius, illa per modũ partis, & hæc ratio cesset in nomine ens, & entitas, vtrumq; de se mutuo prædicatur. Non solum verò prædicatur entitas de ente, sed de omni eo, de quo ens ipsum prædicatur: nam quidquid prędicatur essentialiter de prædicato, dicitur etiam de subiecto: ideoq; veræ quoq; sunt hę propositiones, homo est entitas, lapis est entitas, Socrates est entitas; entitas enim ambit quidquid est in homine, lapide, Socrate, & quouis alio subiecto particulari: neq; cum eis facit compositionem, aut vendicat distinctionem, aut adest per modum accidentis, sed quidquid in eis est totum, pertinet ad naturam entitatis. Quæ conditiones minime cõpetunt vlli alij nomini abstracto cõmuni Deo, & creaturis.

VII. Ad primum argumentum, dandum est primum membrũ maioris propositionis. Ad cuius impugnationẽ negandũ est eandem identitatẽ, aut diuersitatẽ reperiri inter ens, & entitatẽ, quæ cernitur inter hominem, & humanitatẽ: ratio est, quoniam nomina cõmunia Deo, & creaturis: qualia sunt ens, & entitas, nõ significãt cõpositionem, sed rẽ simplicẽ: at vero nomina propria creaturarũ significant compositionẽ. Nam hæc est de ratione entis compositi: & ideo, cũ nomina significent ea, quæ sunt de ratione significati, nomina cõcreta creaturarũ significant cõpositionem, vel naturæ cum suppposito, vel accidẽtis cum subiecto, q̃ non significant nomina abstracta: & ideo quoad obiectũ significatum, maior est distinctio inter hominem, & humanitatem, quã inter ens, & entitatẽ. Ad secundum respõdetur nõ ideo præcise abstracta nõ prędicari de cõcretis, aut viceuersa, quia significãt per modũ partis, ac totius: nam, si hæc esset ratio, cũ ex æquo reperiatur in omni prorsus abstracto & concreto, nunquã daretur vlla prędicatio vera abstracti de concreto. Ratio verò, cur nõ vere prędicẽtur, est, quia obiectũ significatum per abstracta habet rationẽ partis obiecti significati per cõcreta. Ad tertiũ dicendũ est, quãuis concreta significantia particulares naturas significẽt subsistentiã saltẽ cõnotatiuè, cõcreta tamẽ transcẽdentia illã non necessario significare: alioquin falso diceretur, candor est ens, humanitas est vna, & sic de cæteris trãscendentibus, q̃ concrete sũpta dicũtur de particularibus entibus tam cõcrete, quã abstracte significatis. Quæ solutio ostendit quomodo abstracta transcẽdentia posint de suis concretis prædicari: v. g. entitas de ente: nondũ tamẽ apparet, quomodo verè prædicentur de concretis particulariũ naturarũ, si hæc subsistentiã significant. Pro quo supponendũ, vt prædicatũ dicatur de subiecto minimè requiri, vt significet formaliter, & explicite quæcunq; in illo cõtinentur: sed sat esse, vt significet implicite: quomodo quoduis prędicatũ superiùs significat omnia sua inferiora, vt homo indiuidua humanitatis, animal species oẽs, & indiuidua sub ipso contenta: at verò subsistẽtia vere cõtinetur sub entitate, est enim entitas quædã: & ideo ex hac parte non est vllũ impedimentũ, quominus prædicetur de cõcretis, quantumcunq; hæc significent subsistentiam. Ad quartum respondetur nullum nomen abstractũ comparatum cũ concreto creato p̃oprie vendicare vllam ex illis cõditionibus, quoniã omnis forma per nomen abstractum significata cõuenit subiecto creato per participationẽ: admittit in illo aliquã compositionẽ, accidens extra naturam subiecti, vt in argumẽto ostenditur: transcẽdentia tamen permisiuè saltem illas habent comparatione proprij concreti: nam entitas comparata præcise cum ente nõ vendicatur ab illo per partẽ, non facit cum illo compositionem, nõ habet accidẽs extra naturam ipsius, sed quidquid in alterutro est, clauditur etiam in altero: si verò cõparetur cum singulis subiectis particularibus, admittit quidẽ contrarias cõditiones secundùm diuersas alias rationes formales: v. g. in homine admittit compositionẽ rationę animæ, & corporis.

& acci-

& accidens extra naturam humanitatis: tamen, quatenus concipitur sub præcisa ratione entitatis, neq; compositionem, neq; distinctionē, neq; rationem partis, aut accidentis admittit: quidquid enim in quouis subiecto reperitur, non distinguitur ab entitate, non facit compositionem cum ipsa, non est extra rationem illius.

De veritate propositionum constantium vtroque termino abstracto.

Caput V.

I. Abstracta inter se possunt dupliciter cōparari: aut enim se habent vt superiora, & inferiora in recta serie, aut vt formæ disparatæ, quarum neutra est de ratione formali alterius. Et quidem, si comparatio fiat inter formas disparatas re, & ratione distinctas, perspicuum est non fieri veram prædicationē, etiamsi insint eidem subiecto, vt patet in speciebus sub eodem genere contradiuisis, non enim dicitur, *calor est siccitas*. Ratio verò est, quoniam huiusmodi formæ mutuo præscindunt, nec habent aliam vnitatem, quam in subiecto: hęc verò nō importatur p̄ nomina abstracta, quare nō possunt mutuo vere prædicari. Restat itaq; explicandum quomodo se habeant enunciationes constantes, prædicatis subordinatis in recta serie, vel disparatis habentibus identitatem realem cum distinctione formali, vel ex natura rei, vel secundum rationem ratiocinatam.

II. Aliqui inter quos est Sotus q. 3. vniuersal. art. 2. §. 1. existimant omnia, quæ sunt prorsus eadem ex natura rei, & sola ratione distinguuntur, vere prædicari de se ipsis, etiamsi significentur per nomina abstracta. Fundamentum est, quoniam enunciatio affirmatiua est signum identitatis inter prædicatum, & subiectum, à parte rei: hæc verò datur in omnibus illis, quæ sola ratione distinguuntur: ergò vere possunt de se mutuo prædicari. Et confirmatur, quoniam propositio ideo solū est vera, vel falsa, quia confirmatur obiecto ipsi, prout est extra intellectum: distinctio verò rationis solum est per intellectum, nec ineſt subiecto ipsi à parte rei: ergò nō impedit veritatem propositionis. Secundò, si distinctio rationis sufficit, vt abstracta, non prædicentur vere, nulla omnino prædicatio abstracti de abstracto erit vera: Consequens est falsum: ergò & antecedens. Sequela ostenditur, quoniam prędicatum, & subiectum cuiusuis propositionis non identicę ratione distinguuntur; Assumptio verò constat, quoniam communis sententia concedit in abstractis accidentium dari genera, & species quæ verè prædicantur de suis inferioribus.

III. Contra verò obiici potest, quoniam fieri potest, vt aliqua nullo modo distincta ex natura rei, concipiantur sub diuersis rationibus mutuo præcisis: hoc dato non possunt vere de se inuicem prædicari: quare sola identitas ex natura rei, non sufficit, vt vnum abstractum de altero prædicetur. Maior propositio probatur: quoniam quæcunque ratione distinguuntur, concipi possunt præcise, quatenus distinguuntur, actualis enim distinctio rationis completur conceptionibus præcisiuis vnius rationis ab altera: atque adeo quidquid ratione distinguitur ab alio, concipi, & significari potest cum præcisione ab eodem. Assumptio verò probatur, quoniam vt est sententia Diui Thomæ cap. 3. de ente & essentia, & communis, quæcunque verè de se mutuo prædicantur, significari debent per modū totius, & vnumquodq; dicere, vel formaliter, vel cōnotatiue totum, quod est in alio: cum verò sūt plures rationes formales mutuo præcisæ, nulla dicit totum quod est in alia, repugnat enim, vt mutuo præscindant à rationibus aliarum, & eas simul significent. Hac de causa natura generis, & differentiæ specificæ, quamuis non distinguantur ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata abstracte sumptæ, non vere prædicantur de se mutuo, vt docet Henricus in sum. artic. 75. quæstion. secunda, & aliqui recentiores, item intellectus, & voluntas etiam in sententia eorum, qui censent ex natura rei non distingui, non est dicendum verè prædicari inuicem.

S. Thom.

Henricus.

IV. Hæc controuersia solum procedit de mutua prædicatione in abstracto, duarum formarū sola ratione differentium. Vtrum verò quidquid prædicatur de vna, dicatur etiam de altera, non disputatur hoc loco, dicam verò hoc ipso tractat. capit. 9. Est vero propria huius loci controuersia per distinctionem dirimenda. Nam si intelligatur de prædicatione vera in sensu formali, non est simpliciter vera sententia Soti, vt ostendam inferiùs c. 11. & 12. Est aūt vera si intelligatur in sensu identico, vt cōstabit c. 13. Ad argumentum quo impugnatur sententia Soti, quatenus dictis aduersatur: negāda est assumptio si intelligatur de prędicatione identica, in quo sensu probatur sentētia Soti: nam ratiōes mutuo

præcisæ

præcisæ possunt vere prædicari in sensu identico, vt constat in hac propositione essentia diuina est paternitas, quam cõmunis sententia Theologorum agnoscit esse veram in sensu identico, vt cõstabit in materia de Trinitate, & tamẽ essentia, & Paternitas vt à nobis concipiuntur, & nominantur, mutuo præscindunt. Ad probationem verò assumptionis respondeo in prædicationibus identicis non requiri, vt prædicatum significetur per modum totius, aut dicat formaliter quidquid est in subiecto, sed satis esse vt identice dicat totum, quod est in illo, hoc vero modò totum dicunt ea nomina, quę significant obiectum omninò idẽ ex natura rei, & sola ratione differens.

V. Ad fundamentum adductum pro sententia Soti dicendũ est, quamuis veritas cõsistat in cõformitate intellectus ad obiectũ, tamen habendã esse rationẽ modi concipiendi, & significãdi: nam propter diuersitatem penes modũ concipiẽdi, & significãdi habentẽ fundamentũ in re ex duabus propositionibus, quarũ termini significant idẽ ex natura rei; altera est vera, altera falsa, vt patet in his, *Deus generat, Deitas generat*, nã prima est vera, secunda falsa, quod in pluribus aliis videre est: simili ratione licet duo nomina abstracta significẽt idem prorsus obiectũ ex natura rei, quia tamen non significant illud adæquate sub omni sua ratione formali, sed inadæquate cũ mutua præcisione vnius rationis ab altera, nõ vere prædicãtur formaliter; identitas verò obiectiua est mensura veritatis enunciatiuæ iuxta modum, quo apprehẽditur simpliciter vt forma alterius, ex identitate aũt reali non colligitur vera prædicatio formalis vnius rationis formalis de altera abstracte significata, licet sint idem re. Itaq; distinguenda maior propositio primi argumẽti, & dicẽdum enunciationẽ mentalẽ esse signũ identitatis obiectiuæ, nõ vtcunq; sed per modũ totius: diuerso tamen modo in propositione formali, & identica: ad hãc enim sat est vt significet totũ identice, ad illã verò minimè, sed præterea requiritur vt suũ significatũ formale applicet immediate subiecto, vt fusiùs explicabitur infrà cap. 11. hoc verò modo nõ semper applicatur per enũciationem constantem terminis abstractis mutuo præscindentibus. Ad confirmationem aũt respondendũ est, tametsi enũciatio mentalis sit signũ identitatis obiectiuę, quæ est in re, neq; debeat conformari ipsi intellectui, tamẽ debere respicere obiectũ sub ea præcise ratione, sub qua est obiectũ prædicati, vel subiecti mentalis. At verò cum illud substat pluribus rationibus mutuo præcisis, quatenus concipitur sub vna, nõ concipitur sub alia, & consequenter afficitur à distinctione mentali, & manet extra significatũ alterius termini, à quo præscinditur. Ideoque identitas à parte rei nõ sufficit ad veritatem formalem enũciationis constantis vtroque termino abstracto. Secundùm argumentum supponit falsum scil. quamlibet distinctionem rationis sufficere, vt abstracta de se mutuo non prædicentur: quòd ego non affero, sed solum identitatem omnimodam ex natura rei nõ sufficere vt sit propositio vera formaliter, cùm fieri possit, vt sit falsa. An verò semper sit falsa necnè, nondum asserui, sed inferiùs examinandum est.

VI. Ex dictis colligitur formas non subordinatas, quales sunt differentię comparatæ cum generibus, quæ diuidunt, aut speciebus, quas cõstituunt in sententia existimãtium non distingui ex natura rei, prędicari verè de se mutuo saltẽ identice; Si tamen distinguantur à parte rei, non vere prædicantur, vt expresè docent August. Nyph. *Nyphus.* lib. 3. Metaph. disput. 20. cap. 5. ad tertium. Fonsec. 5. Met. cap. 28. q. 13. sect. 5. ad secundum, & est communis sententia. *Fonseca.* Probatur verò, quoniam hæc omnia sunt distincta ex natura rei, & in abstracto significantur vt diuersa, nec vnum respectu alterius habet rationem totius: ergò non prædicantur. In particulari verò non prædicari differentias de generibus, aut speciebus ostẽditur, quoniam differentia abstrahit ab omni natura, cuius est differentia, nihil autẽ quod est pars, & significatur per modum partis, prædicatur in recto de illo, cuius pars esse significatur, & propterea falsò dicitur, humanitas est rationalitas. De genere verò quod diuidit, ideo nõ prædicatur, quoniam ad illud siue in concreto, siue in abstracto significatum habet se vt forma extrinseca ad subiectum, nulla vero talis forma dicitur in abstracto de suo subiecto, quando distinguitur ex natura rei ab illo. Quod si de genere proximo vere non prędicatur, non prædicabitur etiã de remoto, & si verè non dicitur de specie, quam proximè cõstituit, non dicetur etiã de inferioribus, quibus conuenit ratione speciei.

VII. Quod attinet ad nomina abstracta significantia res subordinatas, communis sententia tenet, si sint nomina accidentium, aut partium Physicarum, vere prædicari: nam vere dicitur, anima hominis est forma, est anima &c. item candor est color, solum est controuersia de nominibus abstractis substantiarum, itemque de differentiis abstracte sumptis.

Nomina

Nomina substantialia abstracta subordinata nó posse vere prædicari asserunt. Bonauentur. in 1. d. 5. art. 1. q. 1. ad 2. Mayronius quæst. 1. art. 1. & Scotistæ Lychetus, Ioānes Viguerius, & Bargius ibidem, q. 1. & d. 8. q. 3. §. *Ad argumentum, principale,* & vt probabile admittit Torres 1. p. q. 28. art. 2. disput. 2. dub. vlt. ad tertium. & aliqui Recentiores pro eadem sententia referunt D. Thomam lib. 4. contra Gentes c. 81. cum Ferrariensi ibidem, & lib. 1. contra Gentes c. 18. & 23. itemq; lib. de ente, & essentia c. 3. & 4. cum Caietan. ibid. & Scotum in 1. d. 5. q. 1. & in vniuersali b. q. 16. Fundamentū huius sententiæ est: quoniā, quæ significantur vt diuersa: non possunt verè prędicari: abstracta vero substantialia significātur vt diuersa: ergo nó possunt vere p̄dicari. Maior propositio est euidēs, quoniā veritas propositionū nititur identitate obiectiua rerū pro vt cōcipiuntur, ac significātur: quare, quoties significabuntur vt diuersę, nó erit vera propositio, qua vnū de altero affirmatur. Assumptio verò constat, quoniā abstracta substantialia significāt p̄cisè formas, quæ pertinent intrinsece ad rationē concretorū cum abstractione à quouis alio extrinseco: semper aūt naturæ inferiores cōtinent aliquid extrinsecū rationi formali p̄cisę superiorū: ergò nomen abstractū naturæ superioris significat illā, vt diuersam ab inferiore. Præterea prædicatū debet dicere vel formaliter, & explicite, vel sāltē implicite totam naturā subiecti: abstracta substātiarum nō ita significant: nā vltimo abstracta, vt sunt nomina substantialia, solum dicūt rationē formalem intrinsecam cōcreti, abstrahuntq; ab omnibus extrinsecis, quales sunt differentiæ, ac naturæ inferiores: nullum verò nomen significat implicite id, à quo abstrahit: ergo abstracta substantialia nullo modo dicūt sua inferiora: nequeuntque proinde de illis prædicari. Aliter hoc fundamētum alij proponunt: scilicet quia pars actualis significata vt pars, non enunciatur vere de toto: natura vero generica abstracte significata respectu specificæ habet rationē partis: ergò nequit de illa præ. dicari. Assumptionem probant, quoniam animalitas, v. g. respectu humanitatis vel habet rationē partis actualis, vel totius potentialis: hanc nō habet, quoniam animalitas, vt ait Auicenna lib. 5. Metaph. f. 7. non est genus, sed principium generis: confirmant autem, quoniam hæc propositio, *homo est humanitas* cōmuniter reiicitur vt falsa, quia humanitas comparata cum homine habet rationem partis: ergò simili ratione illa erit falsa, *humanitas est animalitas.*

VIII.

Dico quartum. Abstracta rerum subordinatarum vere de se inuicem prædicātur. Hæc inprimis, quando prædicata sunt trāscendentia, communiter admittitur etiam à sectatoribus Scoti, qui non negant hanc, *humanitas est entitas*, vt videre est apud Mayroniū q. 6. Prologi, §. *Sed contra istā,* ad 3. & in 1. d. 8. q. 5. §. *Ad cuius euidentiam,* in fine. Lychet. d. 5. q. 1. §. *Sed loquendo,* & Bargium ibid. & d. 8. q. 3. §. *Ad argumentum principale,* & quo ad alia minus cōmunia admittitur ab Henrico in sum. art. 75. q. 1. à lit. I. & q. 2. sæpiùs, Aureol. in 1. d. 4. q. 2. art. 2. dum statuit propriam sententiā, & d. 45. q. vn. art. 2. propositi. 1. Alexandro Achillino lib. de distinctionibus c. 22. ad finem, vbi pro hac sententia refert Auerr. item à Soto vbi suprà, Fonsec. li. 5. Met. c. 28. q. 13. Sect. 4. & 5. & aliis recentioribus Logicis, & Metaphys. Probatur vero primò, quoniā de quauis natura prædicari vere possunt ea, quæ pertinēt intrinsece ad eius essentiam: sed formarū in recta serie subordinatarum aliæ sunt de intrinseca, & essentiali ratione aliarum: nec possunt aliter prædicari, quam in abstracto: ergo ita vere prædicantur. Maior est euidens; Assumptio quo ad priorem partem patet in humanitate, & animalitate: quo ad posteriorem verò ostenditur, quoniam in concreto significatæ important suppositum, quod non vere prædicatur de natura in abstracto; falso enim dicitur humanitas est animal: restat ergo vt, sicut verè dicitur candor est cōlor, & color est qualitas, ita vere dicatur humanitas est animalitas. Cùm vero indefinita affirmatiua rectè conuertatur in indefinitam affirmatiuam, si hæc est vera, *humanitas est animalitas,* hęc etiam erit vera, animalitas est humanitas. Probatur secundò, quoniam abstracta substantialia cōcernunt sua inferiora abstracte sumpta: ergo possunt de illis prædicari. Patet cōsequentia: quoniam cum prædicatum habet aliquam identitatem cum subiecto, eaque importatur saltem implicite, & connotatiuè, prædicatio est vera: superiora substantialia habent identitatem cum inferioribus, vt per se patet: ergo, si abstracte significata illa concernunt vere de illis prædicabuntur: ob hanc. n. causam concreta de cōcretis prædicantur. Antecedēs verò ostēditur: quoniā vbi est multiplex cōtractio, potest etiam dari multiplex abstractio, ita vt detur vna sine alia, sicut admittit Scot. citato loco ex primo sentent. Naturæ verò substātiales vniuersales habent duplicē contractionem, alteram cum supposito, alterā cum natura singulari: ergo possunt

abstrahi

Bonauent. Mayron. Lychetus. Viguerius. Bargius. Torres. D. Thomas. Ferrariens. Caietan. Scotus. Auicenna.

Mayron. Lychet. Bargius. Henricus. Aureol. Achillin. Auerroes. Sotus. Fonseca. Scotus.

abstrahi suppositо, quin abstrahantur à natura: nominibus autem abstractis, quibus vtimur, solum abstrahunt à suppositо, non ab inferioribus naturis: ergo adhuc eas concernunt. Assumptio probatur, quoniam si ab illis abstraherent, falsò diceretur Christus assumpsisse humanitatem, aut humanam naturam; qui tamen loquendi modus est vsurpatus à Patribus, & Doctoribus Theologis: ergò nomina abstracta substantialia non præscinduntur omninò à suis inferioribus. Sequela verò maioris ostenditur, quoniam assumptio humanæ naturæ à Verbo diuino non cõuenit per se naturæ cõmuni, sed ratione huius singularis naturæ: ergò, nisi natura humana concerneret singulares naturas, pro ijsque supponeret, non verè diceretur Verbum diuinum assumpsit naturam humanam. Et cõfirmatur, quoniam in accidentibus, & partibus substantialibus datur abstractio à suppositо, quin detur ab indiuiduis naturæ: ergò etiam idem dicendum est de nominibus substantialibus. Patet consequentia: nam color, cum abstrahat à subiecto, retinet implicitam significationẽ suarum specierum; item forma in communi, cum abstrahat à suppositо, nihilominùs concer- adhuc speciales formas, de quibus essentialiter prædicatur; cur ergò natura generica in cõmuni non poterit cum abstractione à suppositо retinere concretionem cum naturis inferioribus abstracte sumptis.

IX. Respondent Recentiores rationem discriminis esse, quoniam abstractio naturæ substantialis est Metaphysica, cum sit facta à generibus, & speciebus: & idcircò abstracta non sunt genera, & species, sed principia ipsorum, & sic incompleto modo significantur: abstractio verò formarum accidentalium est Physica, nõ Metaphysica: abstrahuntur enim tanquam formæ reales à subiecto, cui inhærent, & non ab indiuiduis, aut speciebus: ex quo prouenit vt abstracta substantialia sint quasi vltimata, à quibus non possunt abstrahi alij cõceptus, & consequenter sunt rationes vltimatæ, nihil omninò extraneum concernentes: at vero formæ accidentales, cum solum abstrahant à subiectis, respectu suorum inferiorum sunt genera, & species, à quibus adhuc abstrahere licet conceptus alios simpliciores: verbi gratia à colore coloreitatem, vt vocant. Hæctamen responsio supponit id, de quo est quæstio, nempè abstracta substantialia abstrahere simpliciter ab omni ratione generis, ac speciei. Verùm quidem est abstrahere à ratione generis, ac speciei concrete sumptorum. Ex hoc tamen non sequitur, vt necessariò abstrahant ab omni ratione generis, ac speciei: Nam, sicut in substantijs genera, & species concretè significantur, ita etiam significari possunt in accidentibus: vt si quis dicat coloratum esse genus albi: atque adeò, sicut à genere animalis abstrahimus animalitatem, ita etiam abstrahi potest candor à candido, color à colorato: ideoque hæc abstractio formarũ accidentaliũ est quoq; Metaphysica, cũ qua tamẽ adhuc manet alia concretio Metaphysica, sc. cum inferioribus abstractè significatis. Respondent abstractionem formarum accidentalium semper fieri à subiecto: quia cũ reipsa semper illi insint, nomine abstracto, non significantur, vt inhærentes, sed quasi per se stantes: cum ergò modus significandi oriatur ex modo concipiendi, ex eo significantur nomine abstracto, quia per intellectum præscinduntur à subiecto, quod concernunt. Verum hæc ratio æquè militat in naturis abstractis substantiarũ: cùm enim reipsa semper sint coniunctæ cum suppositis, illisq; inexistant, per nomina verò abstracta significẽtur, vt per se stantes, signũ est ita significari, vt concipiuntur, abstractæ nimirum à suppositis: neque est vnde probetur abstrahere quoq; à naturis inferioribus. Ex eo enim, quod significentur vt rationes concretorum, solum sequitur, vt abstrahant ab ipsis, non verò ab inferioribus naturis: nam etiam color, & alia abstracta accidentalia significantur vt rationes concretorũ: & nihilominùs nõ abstrahũtur à suis inferiorib⁹, quia nõ repugnat, vt aliquid significetur vt forma, vel pars vnius, & vt totũ potẽtiale respectu aliorũ.

Antequam respondeam motiuis oppositę X.
sententię obseruo D. Thomam, & sectatores, qui relati sunt pro oppositа sententia illis locis nequaquam eam asserere. In primis enim D. Thom. lib. 4. contra Gentes, S. Thom. non negat abstracta substãtialia superiora prædicari de inferioribus, sed solum docet significare principia essentialia cum præcisione principiorum indiuidualium, & significare per modum partis; concreta verò per modum totius: ex hoc autem non necessariò sequitur esse falsas propositiones, in quibus abstractum superiùs dicitur de inferiore: nam humanitas verè abstrahit à principijs indiuiduantibus, & tamen hæc propositio est vera, *hæc humanitas est humanitas*, vt fatentur ijdem Recentiores: cum verò ait, significare per modum partis, intelligit in ordine ad concreta, quæ constituũt: sicut aũt color comparatus colorato habet modum partis, nõ tamen cõparatus

suis spe-

suis speciebus, ita licet animalitas collata cum animali habeat modum partis, habere poterit modum totius, si cõparetur cum humanitate, ac brutalitate. Ferrariens. autem eodem loco nihil amplius ait, quam D. Thom. lib. verò 1. c. 18. & 23. quibus locis pro eadem sententia refertur, eam nequaquam asserit: nam cap. 23. solum docet ex doctrina D. Thomę super Boet. de hebdomad. hoc omnibus abstractis esse commune, vt nihil habeant in se, quod sit præter eorum essentiam, & vt significentur, vt id, quo aliquid est formaliter tale. Ex hoc verò deduci nequit non prædicari vnũ de altero: nam etiam abstractis accidentium id cõpetit, vt constat ex dicto D. Thomæ, & exẽplis à Ferrariens. adductis, inter quæ ponitur albedo: & tamen, vt ijdem Recẽtiores asserunt, vera & communis sententia admittit accidentia subordinata prædicari de se in abstracto: at verò c. 18. §. *Ad dubium ergò dicitur primo*, solum ait genus quantum ad naturã generis formaliter sumptum per modũ naturæ, & formæ abstractæ ab speciebus esse nobilius ijsdẽ, sumptũ verò per modum vniuersalis veluti totum potentiale continens in potentia species esse imperfectius ijsdem: ex quo dicto non necessariò colligitur abstracta non prędicari de abstractis: ex eo, enim quod natura generis sumatur abstracte à speciebus concretis, de quibus eo loco sermo est, nõ sequitur minimè prædicari de illis abstracte sumptis, sicut color prædicatur de candore, & alijs speciebus sub se contentis, quamuis sumatur cum abstractione explicita ab ijs. Porrò D. Thom. lib. de ente, & essentia cap. 3. & 4. negat quidem rationẽ generis, vel differentiæ cõuenire essentiæ significatæ per modum partis, vt nomine animalitatis, & rationalitatis: Verùm non facit vllam mẽtionem prædicationis abstracti de abstracto, sed semper cõparat cum concretis. Dicet aliquis, etsi id apertè non dicat, colligi tamen ex ratione, qua vtitur: scilicet, quod forma abstracta, v. g. humanitas, vel animalitas includit tantum ea, ex quibus homo habet quod sit homo, & animal, quod sit animal: & consequenter natura generica nõ importat differentias specificas, nec natura specifica indiuiduales: atque adeo non habent rationẽ totius respectu inferiorũ, nec de ipsis prædicantur. Ex hac tamen ratione nõ necessariò deducitur D. Thomã in ea fuisse sententia: nam ipse quoque, vt suprà ex Ferrariens. retuli, ait propriũ esse omnibus abstractis, vt nihil habeant, quod sit præter eorũ essentiam, & vt significent id, quo aliquid est formaliter tale: & tamẽ color, & candor nõ proinde desinunt prędicari de inferiorib. abstractis: ratio verò est, quoniam vt idemmet D. Thõ. ait lib. de ente, & essentia c. 3. non est diuersa forma, siue natura generis, & speciei, sed eadẽ solum differẽs penes determinatum, & indeterminatum: ideoque, etiamsi abstracta generica, vel specifica dicant implicite abstracta inferiora, nõ dicunt aliquid extraneum naturæ: nam hæc humanitas singularis re ipsa est id, quo Socrates est homo, animal, &c.

Ad primum fundamentũ oppositæ sententię neganda est assumptio. Ad cuius cõfirmationẽ respondetur abstracta substantiarũ significare formas, quæ sunt rationes concretorũ, non tamẽ sub reduplicatione, quasi significentur secundũ quod sunt rationes: nam, si ita significẽtur, vt rectè notat Fonseca vbi suprà, nõ possent verè prædicari: sed significantur aptè tanquam formæ, ac rationes formales, ad quod non requiritur, vt omninò abstrahant ab inferioribus naturis abstracte, sed cõcrete significatis. Pro quo notandum est duplicem esse abstractionẽ, aut concretionem, scil. implicitam, & explicitam: abstractio explicita est, cum conceptus obiectiuus nõ continet id, à quo dicitur abstrahere in suo explicito significato: qua ratione conceptus obiectiuus respõdens formali, quem exprimimus hoc nomine *homo*, abstrahit explicite à singularibus, ad quæ comparatur vt vniuersale, si enim ea contineret in sua explicita significatione, nõ substerneretur intẽtioni speciei: abstractio implicita est, cũ ea, à quibus forma abstrahit, nec in ipsa significatione implicita cõtinentur: qua ratione humanitas abstrahit ab indiuiduis hominis, quæ nec formaliter significat, nec explicite cõnotat, nec implicite concernit, vt concernit conceptus obiectiuus hominis. Hoc posito respondeo ad obiectionẽ, formas abstracte significatas abstrahere quidẽ explicite ab inferioribus, non vero implicite: nõ enim magis abstrahit humanitas ab hac humanitate, q̃ homo ab hoc homine: & sicut, quæ pertinent ad hũc hominem quatenus hic est, sunt extrinseca conceptui formali hominis in cõmuni, ita etiã, quæ pertinẽt ad hãc humanitatẽ, quatenus hæc est, sunt extrinseca conceptui formali humanitatis in cõmuni: sicut ergò non obstante hac abstractione homo verè prædicatur de hoc homine, propterea quod non habet abstractionẽ implicitam ab eodem, imò illum cõcernit tanquã suum inferius, ita eadẽ non obstante humanitas vere prædicabitur de hac humanitate, q̃ concernit

XI.

Fonseca.

tanquam indiuiduum in quo est. Ad secũdum neganda est assũptio: natura enim abstracta ita est pars concreti, vt sit etiã totũ respectu naturarũ inferiorũ. Ad eius confirmationẽ respõdeo abstracta magis vniuersalia respectu inferiorũ habere rationẽ totius potentialis, quatenus significant naturam in genere, & indeterminatam concernendo naturas inferiores, in quibus est determinata. Ad autoritatẽ verò Auicennæ in contrarium respondetur ipsũ loqui de genere prædicamentali, & quia in prædicamento substantiæ collocantur abstracta non concreta, idcirco ait, illa non esse genera. Ad rationem verò respondeo diuersam esse rationem in hac propositione, *homo est humanitas*, &, illã *humanitas est animalitas*: nam humanitas significatur per modum partis hominis concrete sumpti: animalitas verò non ita significatur respectu humanitatis, vt patet ex dictis.

XII. Denique, si cõparentur differentię cum differẽtiis, hoc est generales cũ specialibus, & hæ cũ indiuiduantibus, ij, qui existimãt ipsas habere inter se ordinẽ vniuersalis, & particularis in prędicando, & subiiciendo, dicent idem, quod de naturis genericis, ac specificis inter se comparatis dictum est. Verum sententia negans dari inter illas habitudinem particularis & vniuersalis, est communis inter Logicos, & Metaphysicos. Pro cuius explicatione supponendum est, eas vel comparari cum suis indiuiduis, hoc est sensibilitatẽ cum hac sensibilitate, rationalitatem cum hac rationalitate, vel secum inuicem, hoc est sensibilitatem cum rationalitate. Si primo modo comparentur, proprie ac formaliter prædicantur: Si verò secundo, non nisi identicè, idque in sententia dicentiũ non distingui ex natura rei. Ratio primi est, quoniã non magis abstrahit rationalitas ab hac rationalitate, q̃ humanitas ab hac humanitate: humanitas vero, vere & formaliter prædicatur de hac humanitate: ergò etiam rationalitas de hac rationalitate: æqua. n. est ratio quoad abstractionẽ, neq; quo ad hoc se offert aliud discrimẽ. Ratio secũdi est, quoniã differẽtiæ inuicẽ cõparatæ habent se tanq̃ formę, & partes vnius tertij, & neutra includit aliã in suo conceptu, aut ratione formali: ergò nõ prædicantur mutuo in abstracto, si distinguantur ex natura rei. Patet consequentia, q̃a præscindũt ab illo tertio, in quo sũt vnũ: ac proinde nõ remanet vlla identitas, ratione cuius vera sit affirmatio vni de altera. Quod verò possint prędicari idẽtice, si sint omninò idem, patet ex ijs, quæ dicta sunt de aliis formis non subordinatis.

In diuinis possunt esse veræ propositiones constantes vtroq; termino concreto, vel abstracto.

Caput VI.

I. EXplicata veritate propositionum constantium terminis creatis, accedẽdum est ad eas, quæ constant terminis diuinis. Porrò nomina diuina vel sunt essentialia, vel notionalia: de notionalibus non est hic agendi locus, sed in materia de Trinitate: solum aduerterim ea, quæ significant relatiões, aut personas oppositas, nõ posse mutuo p̃dicari in recto, sed in obliquo: ratio est quoniã oppositа, qua talia, non possunt in recto de se inuicem affirmari, carent. n. identitate, q̃ designat nota copulæ mentalis, *est*: in obliquo verò non repugnat, quoniam quidquid pertinet ad notitiã diffinitiuam, eo modo, quo ad ipsam pertinet, affirmari potest de diffinito: cum ergo relationes diuinæ definiantur per oppositas possunt de se mutuo prædicari in obliquo: verè enim dicitur Pater generans filium, filius procedit à Patre.

II. Nomina essentialia vel sunt cõcreta, vel abstracta: concreta alia sunt absoluta, alia connotatiua: circa connotatiua, si mutuo comparẽtur, nulla est dubitatio, quoniam non efficiunt congruam orationem: connotatiuum enim, qua tale, non reddit suppositum verbo: & ideò non potest subijci nisi sumatur substantiue, & subeat modum absoluti. Item circa concreta absoluta non est dissensio vlla inter Autores, verè enim inuicem prædicantur: hæc enim est vera: *Deus est spiritus*, vt dicitur Ioã. 4. item, *Deus est substantia*, & aliæ similes: significãt enim per modum totius id, quod est in subiecto: & quamuis significent modo cõposito id, quod re ipsa est modo simplici, hæc tamen imperfectio, vt dictum est cap. 2. habet se ex parte ipsius intellectionis, non ex parte obiecti significati: & idcircò, cum forma significata per prædicatum vere conueniat subiecto, & significetur per modum totius, veræ sunt propositiones omnes, quibus nomina diuina concreta absoluta inuicem prædicantur. Ioan. 4.

III. Solum restat nõnihil dubij circa nomina connotatiua, si cõparentur cum absolutis, & sumãtur ex parte prædicati: quę falso prædicari de Deo probatur. Primò, quoniã, cum prædicatur nomen cõnotatiuum de subiecto, resolui potest in habens formã significatã: v. g. cũ dicitur, *Socrates est iustus*, idem valet, ac si dicatur, *Socrates est habẽs iustitiã*: Sed, cum inter habẽs, & habi-

tum non

tum non est omnino vlla differentia, & habitum est existens ipsummet habẽs: falso dicitur, *hoc est habens illud*: vt, si dicatur, *Socrates est habens hominem*, Socrates enim est homo, & falso dicitur habens hominẽ: Deus autem non potest dici habens iustitiam: ergò neque vere dicetur iustus. Assumptio sumitur ex Richardo de S. Victore lib. 2. de Trinitate c. 13. vbi sic habet: *Dicimus ipsum hominem, dicimus nihilominus Deũ sapientiam habere, & videtur enunciatio æquiuoca esse: sed de Deo non dicitur nisi abusiuè, nec minor abusio videtur, quam si Abraham non homo esse: sed hominẽ habere diceretur.* Secundò, nomina connotatiua aliud significant de formali, aliud connotant: significant enim formam adiacentem subiecto, connotant vero subiectum à forma suaptè natura distinctum. In Deo autem non est aliud, & aliud, ita vt vnum formaliter significetur, alterum verò connotetur: idem enim est in Deo iustitia, & habens iustitiã, & sic in cæteris: quare nomina connotatiua prædicari vere nequeunt de ipso. Tertiò nulla forma intrinseca, & quę prędicatur in quid de subiecto, potest de ipso vere prędicari nominibus connotatiuis: pleraq; prędicata diuina significant formas intrinsecas, & essentiales Deo, & quæ de illo prędicantur in quid: ergò prædicari nequeunt nominibus connotatiuis. Maior propositio patet, quoniam repugnat, vt idẽ prædicetur in quid, & in quale: quæcunq; verò significantur nominibus connotatiuis, prædicantur in quale, dicunt enim formã quasi adiacentem subiecto: ergo nulla forma essentialis intrinseca, & prædicabilis in quid de subiecto potest enunciari de illo per nomen cõnotatiuum. Assumptio item patet ex tractat. 1. cap. 6. dictum est enim perfectiones absolutas, v. g. iustitiam, & misericordiam, & similes esse de intrinseca ratione Dei, & prædicari de illo in recto: nullum autem nomen abstractum prædicatur in recto, nisi in quid. Quartò: Non verè dicitur Deus est diuinus, sicut nõ dicitur homo humanus, aut cœlum cœleste, ergò neque verè dicitur Deus sapiens aut iustus. Probatur consequentia, quoniam eadem est proportio iusti ad iustitiam, atq; humani ad hominem: ergò sicut homo, aut id, de quo homo prædicatur in quid, non dicitur humanum, ita neque Deus, de quo iustitia, ac sapientia prędicantur in quid dici verè potest iustus, ac sapiens.

Richar. Vict.

IV. Dicendum nihilominus nomina cõnotatiua prædicari verè de Deo cõcrete sumpto, asseritur ab Altisiodorens. lib. 1. cap. 3. quæst. 8. Albert. in 1. d. 4. ar. 8. ad 3. Henric. in sum. art. 74. q. 1. & 3. & art. 75. quæst. 2. liter. A. & aliis communiter: neq; indiget longa probatione: frequenter enim eiusmodi nomina dicentur de Deo, vt misericors, iustus, rectus, magn⁹, terribilis, immortalis, & inuisibilis, & sexcenta alia, quę passim in sacris literis occurrũt. Et quidem quoad nomina cõnotatiua, quæ significant negatiões, respectus rationis, & extrinsece Deum denominant, vt cùm dicitur Deus infinitus, creator, incarnatus, & aliis modis denominatur, res est perspicua: non enim est vlla ratio, cur similia prædicata dicãtur in concreto de creatura, non autẽ de Deo. Quoad illa verò, quæ significant formas positiuas, est maior difficultas. Ex his autẽ quædam prẽter perfectionẽ positiuam addunt connotationẽ, vel respectum accidẽtarium ad creaturas, quædam dicũt ipsam perfectionẽ essentialem absq; respectu, aut connotatione accidentaria, vt intelligens, omnipotens. Priora quoq; horum connotatiue p̃dicari patet: etenim vt docet Gregorius in 1. d. 8. q. 2. ar. 3. & Marsi. q. 13. ar. 3. p. 3. ad veram prędicationem secũdùm nomina cõnotatiua sat est, vt nomen importet respectum, aut connotationem extrinsecam subiecto, licet significet etiam ipsam eius essentiam, & entitatem: qua ratione de sententia multorũ vnum, bonum, verũ dicunt ipsam naturã entis sub negatione, aut relationibus extrinsecis, & tamen prædicãtur vere de ente, cum sint nomina connotatiua: ergò etiã nomina diuina, quæ præter perfectionẽ essentialem positiuã dicunt negationes, aut respectus rationis accidentarios, dicentur vere de ipso per nomina connotatiua: qua ratione prædicãtur actus liberi voluntatis, & intellectus diuini: hoc modo dicitur Deus reprobare malos, prædestinare electos, gaudere de pœnitentia peccatoris, &c. Denique idem quoq; dicẽdum est, de prædicatis posterioris generis. Fundamẽtum verò est, quoniam de ratione nominis connotatiui non semper est, vt significet formã adiacentem subiecto, potest enim significare formam essentialẽ intrinsecam, vt se habent differẽtiæ essentiales respectu speciei, quam constituunt, de qua prędicantur in quale, & modo connotatiuo, cum tamẽ intrinsece pertineant ad essentiã: ideoque, quamuis intellectus, voluntas, & aliæ formæ pertineant intrinsece ad essentiam Dei, non repugnabit, vt prædicentur modo connotatiuo.

Altisiodor. Albertus. Henricus. Gregorius. Marsilius.

V. Sed inquiet aliquis nullam formam, quæ vere prædicatur de subiecto per nomen connotatiuũ, posse prædicari vere de eodẽ per nomen abstractum: quandoquidem vt

abſtracte prædicetur, debet habere rationẽ totius ſecundũ formale ſignificatũ: vt vero prędicetur cónotatiuè ſecundũ idẽ formale ſignificatũ, debet ſignificari per modum partis, quæ accidat alteri parti ſubiecti, cui intelligitur adiacere: repugnat aũt, vt eadem forma comparata cũ eodem ſubiecto habeat rationẽ totius, ac partis. Quod argumentum rectè probat, in creatis nihil prædicari verè de eodẽ ſubiecto per nomẽ abſtractũ, & connotatiuũ, niſi fortè rationes generales tranſcendentes, & ſi quę ſunt aliæ, q̃ non habent vllam diſtinctionem ex natura rei, ſiue concretè, ſiue abſtractè ſignificẽtur: Ratio vero diuerſitatis eſt, quoniam in aliis nõ eſt idem ſingulare concretum directe poſitũ ſub concreto, & abſtracto, tum in accidentibus, tum in ſubſtãtia: nam in ſubſtãtia ſingulare abſtracti eſt hęc ſingularis natura partialis, vel totalis, vt hæc humanitas, hæc anima: ſingulare vero concreti eſt hoc ſuppoſitum, vel ſignificatum, vel connotatũ, nempè hic homo, hoc animatum, in accidẽtibus ſimiliter ſingulare nominis abſtracti eſt hæc numero natura accidentalis, nimirum hæc albedo, hic odor: ſingulare vero concreti inuoluit ſubiectum diſtinctum actu à forma accidentali: nam hoc albũ, hoc odoratum importat ſubiectum ſubſtantiale, quod ſuapte natura diſtinguitur à forma accidentali: & ideo in eiuſmodi terminis nulla forma p̃dicatur ſimul in abſtracto, & in cõcreto de eodẽ ſubiecto: in diuinis aũt quoniam eſt vnum, idemq́ue, vt ita loquatur ſingulare prorſus indiſtinctũ habens perfectionem concretorũ, & abſtractorũ, idem omnino ſubijci põt nominib⁹ cõcretis & abſtractis.

VI. Ad primum argumentum reſpondeo, ſi ſpectetur proprietas loquẽdi, nõ poſſe prędicari de Deo vlla nomina à nobis vſurpata, vt ſuperiùs dictũ eſt. Verum poſſumus vti ijſdẽ nominibus dẽptis imperfectionibus: ita vt, quando cõcreta explicantur per habẽs formam, non opus ſit vt interueniat diſtinctio inter habẽs, & habitũ, ſed habens formã ſit idem, q̃ exiſtens ipſamet forma: ſicut prędicationes nominũ concretorum, de Deo explicat D. Anſel. in Monol. c. 16. & quando Richard. ait ęquè impropriam eſſe illã, *Deus eſt habẽs iuſtitiam*, atq; eſt hęc, *Petrus eſt habens hominẽ*: intelligendus eſt, ſi re ipſa cõcipiatur in Deo diſtinctio inter habens, & habitũ: nam, quoad modũ ſignificandi nõ eſt tam impropria: homo enim ſignificatur abſolute, & vt ſubſiſtẽs per humanitatẽ, tanquã per formam intrinſecã, & vt habẽs ipſã; & idcirco omninò improprie dicitur, Socrates eſt habens hominẽ: ſapientia verò, aut iuſtitia ſignificatur vt forma habita: & conſequenter, quamuis in Deo non ſit reipſa diuerſum habens, & habitum, poteſt tamen idem concipi, & ſignificari tanquam habens, & habitum ſicut & tanquã id, quod eſt, & quo eſt: vt conſtat ex decreto Eugenij 3. in Concil. Rhemenſi referendo cap. ſequen. quo aſſeritur Deum non ſolum eſſe Deitate Deũ, ſed ipſammet Deitatem: quibus verbis admittitur Deũ eſſe Deitate Deũ: eodẽ ergo modo dici poteſt, Deum eſſe iuſtitia iuſtum, ſiue habentem iuſtitiã: eadem enim repugnantia eſt, vt concipiatur, vel ſignificetur ſimul tanquam id, quod eſt, & quo eſt, ac ſi concipiatur, & ſignificetur tanquã habens, & id, quod habetur: & ſicut primum ſine abſurdo admitti poteſt, ſicut admittitur à Pontifice, ita & ſecundum.

Anſelm. *Rich. Victor.* *Conc. Rhem.*

VII. Secundum, eodẽ ferè modo ſolui poteſt dicendo modũ proprium connotatiuorũ, quo ſignificant aliud formaliter, aliud cõnotatiue, ſolum habere locũ in reb⁹ creatis, in quibus differt à parte rei, id, quod eſt, ab eo, quo eſt: hoc verò non reperitur in diuinis, in quibus non eſt aliud id, quod eſt, & aliud id, quo eſt: quin verò etiam in terminis creatis non sẽper neceſſariò requiritur, vt ſignificatũ formale termini connotatiui diſtinguatur ex natura rei à materiali: quãdo ſcil. prædicata non neceſſario determinant ſuppoſitum ſubſtantiale, ſed quoduis ſubiectũ, cui cõpetunt: qua ratione in ſententia non diſtinguentiũ ex natura rei, differentiã à ſpecie, quam cõſtituit diſgregatiuum viſus nõ eſt aliud ab albedine, & tamen poteſt illã connotare, & de illa prædicari, cũ dicitur albedo eſt diſgregatiua viſus: idemq́; cernitur in terminis cõmunibus trãſcendẽtibus, cũ dicitur ens eſt verũ, & bonũ: ſimiliter autẽ quamuis perfectiones diuinæ inter ſe, & ab eſſentia minimè diſtinguãtur, cõcipi, & ſignificari poſſunt, vt formę adiacentes Deo, & de eo p̃dicari.

VIII. Tertij ſolutio exigit, vt explicetur vtrũ huiuſmodi nomina de Deo in rẽ, an in quale prædicentur. Breuiter verò dicendũ eſt, nomina cõcreta adiectiue ſumpta ſecũdum modũ ſignificandi nõ dici in quid, ſed in quale: re tamen ipſa dici in quid ad eum modũ, quo explicatur ab Anſelmo. Prior pars eſt de mente Ochami in 1. d. 35. q. 1. lit. F. & in q. odlib. 2. q. 4. & aliorum: & per ſe patet: namq́; vt nomẽ prædicetur in quid non ſat eſt, vt forma ſignificata ſit eſſentialis ſubiecto, differẽtiæ enim eſſentiales ſunt ſpeciei, nec tamen prædicãtur in quid: ſed prętera requiritur vt non dicatur nomine cõnotatiuo: quæ enim ita ſignificantur, non

Ochamus.

tur, nõ significantur quasi id, quod res est: sed quasi formæ, quibus res est. Nomina verò adiectiue dicta de Deo connotatiua sunt, & ideò nõ prædicantur in quid de eo significato per nomina absoluta. Et confirmatur quoniam, quæ dicuntur in quid, non significant formas quasi adiacentes subiecto, sed quasi intrinsecas, & per modũ totius, siue eiusdem cum subiecto: adiectiua verò dicunt formas quasi adiacentes. Si tamen eadem nomina substantiue accipiantur in genere neutro, in quid etiam prædicabuntur, si quis enim roget, quid est Deus, apte respondebitur summum bonum, verum, iustum, &c. Posterior pars asseritur ab Ochamo citato. Alens. 1. par. quæst. 48. m. 4. art. 2. ad vltimum. Adam. in 1. d. 6. quæst. 1. post tertiam conclusionem, & quæst. 2. concluſ. 1. & Dionys. Cistercienſ. dist. 22. quæst. vnica, art. 2. & est conformis dicto Diui Anselmi in Monol. cap. 16. cùm enim in Deo idem sit concretum, & abstractum, hoc autem prædicetur in quid, concretum etiã prædicabitur: sed tunc non erit idem sensus, qui est in prædicationibus, quæ fiunt in terminis creatis; cum enim dicimus, *Socrates est iustus*, sensus est, quod sit habens iustitiam: cùm verò dicimus, *Deus est iustus*, idem est, ac si dicamus, *Deus est existens ipsamet iustitia*, vt notat Ochamus, vbi suprà post Anselmum in Monolog. cap. citato: qui modus pertinet ad quid est, & non ad quale est.

Ad argumentum igitur respondeo, maiorem esse veram, si modus intelligendi, & significandi esset adæquatus rebus ipsis: vel si cõnotatiua explicentur ad eum modum, quo explicantur, cum prædicant formas extrinsecas subiecto. Verum quia nos perfectiones diuinas, quæ verè sunt intrinsecæ & essentiales Deo, concipimus per modum proprietatum, quæ connotatiue dicuntur de subiecto, idcircò easdem connotatiuè significatas tribuimus Deo: & ideo hęc nomina secundùm modum significandi vsurpatum in rebus creatis non dicuntur in quid de Deo, quamuis forma significata sit quidditatiua, dicuntur tamen iuxta sensum à D. Ansel. explicatum.

IX. Vltimum argumentum postulat vt explicetur, q̃ nomina denominatiua possint verè enunciari de formis denominãtibus, pro cuius solutione notandũ: fundamentũ appellatiõis, siue denominationis, quæ tribuitur alicui subiecto ex forma, magna ex parte pendere ex vsu hominum, vt notat Caieta. 3. p. q. 16. art. 3. §. vltim. & Gabriel. in 3. d. 7. q. vnica, art. 1. notabil. 2. Et idcirco ad distinguendũ, quæ nomina denominatiua appellare possint formas, à quibus deriuantur, oportet cõsulere vsum, & impositionem nominũ denominatiuorum: nam quædã sunt imposita solum ad significandum habens formam, vt candidum, quædam verò etiam ad significandum id, quod aliquo modo est particeps eius, siue vt habens, siue vt existens ipsa forma, siue vt ratio cur alicui competat effectus formalis ipsius: quomodo bonitas dicitur bona, non quasi ipsa sit constituta per aliam bonitatẽ, sed quia est ipsa ratio formalis, cur alia sint bona. Obseruandum præterea cum Durando in 2. dist. 42. quæst. 1. num. 6. denominationem aliam esse extrinsecam, aliam intrinsecam: hęc sumitur à forma inexistente subiecto denominato, qua ratione aër dicitur lucidus, illa à forma inexistente alteri subiecto, ad quod denominatum habet aliquam attributionem, vel habitudinem, quomodo à sanitate animalis denominatur pomum sanum. Hoc posito dico primum denominatiua, quæ sunt imposita ad significandum habens formam, nullo modo prædicari de forma distincta ab habente, prædicari vero quando idem est habens, & habitum. Hæc est per se nota, & communis inter Doctores, forma enim distincta ab habente non conuenit cum habente ipsam secundùm rationalem formam, sed solum subiecto: quare cum ipsa abstracte sumpta subiectum minime connotet, non poterit prędicari de habente, aut illi subiici: cum verò est idem cum illo ex natura rei: ita vt idem sit habens, & habitum, habet vnitatem formalem, & subiectiuã, ratione cuius vnum de altero prædicatur. Dico secundùm, si nomen denominatiuũ sit impositum, non solum ad significãdum habens formã, sed vtcunq; illam participans, aut existens ratio, siue radix effectus formalis ipsius, potest indifferenter dici de subiecto habente illam, & aliis, siue distinguantur ex natura rei, siue non: hæc patet exemplo bõnitatis, ac boni supra adducto, itemque exemplo intellectiui: nam & homo, & eius natura, & mens dicitur intellectiua, & tamen non quasi omnes habeant potentiam intelligendi: nam mens est ipsamet potentia intelligendi: & proinde intellectiuum dici potest de forma, à qua deriuatur, quia non significat solum id, quod habet potentiam intelligẽdi, sed etiam id, quod quouis modo est intelligendi principium vt est ipsemet intellectus. Dico tertium, nunquam omninò forma abstracta, aut significata concretè nomine absoluto appellari potest à denominatiuo extrinseco, nisi pertinea-

Durand.

ad obiectum actus, vel potentiæ vitalis, quæ potest supra se ipsam reflecti. Prior pars est manifesta, nam denominatio eiusmodi cadit solum supra subiectum habens habitudinẽ extrinsecam ad formam: ergo non dicetur de forma ipsa, qua ratione ea visione, qua videtur paries, nec oculus, nec ipsa visio dicuntur videri. Accedit quod eiusmodi concretum differt à parte rei à forma denominante, quæ vero ita differunt, prædicari mutuo nequeũt. Posterior pars est etiam perspicua: quando enim actus ipse, vel potentia continentur sub suo obiecto, non minus denominantur extrinsece à se ipsis, quam cætera obiecta: exempli causa, intellectus continetur sub vero, atque adeo sub intelligibili, quod denominatur extrinsece ab intellectu: & ideò sicut Cœlum, vel Angelus dicitur intelligibilis, ita quoque ipse intellectus verè dicitur intelligibilis, & ipse amor amabilis: Et si sit aliquis intelligendi actus, qui terminetur etiam ad seipsum, vt de visione beata dicam libr. 3. poterit à se ipso denominari, vnde verè dicetur visio beata videtur. Et hoc ipsum dicendum est de quauis forma, aut subiecto identificato cum forma, à qua sumitur denominatio, si habeat aliquam habitudinem ad ipsam. Exempli causa homo non dicitur humanus, nec humanitas dicitur humana: tamen si consideretur sub nomine, *natura*, vt est hominis, potest dici natura humana: quod constare potest infinitis alijs exemplis.

X. His in commune explicatis, vt ad diuina veniamus, obseruandum est denominatiua quædam esse solum penes modum significandi, nempè quæ significant formam intrinsecam subiecto modo connotatiuo, siue adiectiuo, quædam etiam re ipsa, quia scilicet & significant formam adiacentem subiecto, & per modum adiacentis. Priora negant aliqui Autores esse denominatiua, vt Capreol. in 3. dist. 4. q. vn. art. 3. ad 4. contra secundam conclusionem, qui ait nomen, *diuinus*, cum de diuinis perfectionibus dicitur, non esse denominatiuum, alij tamen absolute admittunt, vt admittit Diuus Thomas 3. p. qu. 16. ar. 3. ad 3. de hoc nomine, *diuinus*, cum Caietano, & alijs communiter. Ex nominibus quoq; diuinis cõnotatiuis quędam dicũt formaliter perfectiones intrinsecas, & essentiales Deo, quædam solam habitudinem ad illas, quædam negationes, aut respectus rationis. Si de primis sermo sit, verè enunciantur de formis denominantibus, dicitur enim sapiẽtia sapiens, iustitia iusta, & sic in cæteris: quoniam in his nõ est distinctio habiti, & habentis, sed habens, & habitum sunt omninò idem, & propterea vnũ de altero affirmatur. Si verò nomen denominatiuum sit extrinsecũ, nec necessario formaliter significet formã denominantem, non dicetur verè de concreto absoluto per eam formaliter constituto, aut de ipsa adæquate considerata secundùm eam rationem, qua terminat habitudinem denominatiui: exempli causa nomen, *diuinus*, significat habitudinem ad diuinitatem, siue ad Deum, dicitur enim lex diuina promissio diuina, dispositio diuina, & plura alia, quę non sunt diuina formaliter, sed solum per extrinsecam denominationem: & idcirco non verè dicitur, Deitas est diuina, aut Deus est Diuinus, non item dicitur dominatio est dominica, aut Dominus est dominicus. Ratio est, quoniam eiusdem ad se non est habitudo extrinseca directa, & quod significatur vt intrinsece constitutum per aliquam formam, in qua subsistit, non potest ab illa extrinsece denominari: concretum vero absolutum significatur, vt intrinsece constitutum per formam denominantem: ergo forma ipsa non potest directè denominari extrinsece à nomine denominatiuo ab ipsa deriuato, nec concretum absolutum ab eodem. Hæc vera sunt de concreto absoluto, & forma adæquate respondentibus nomini denominatiuo: nam de alijs ex natura rei identificatis cum eisdem, vel ad illa intrinsece pertinentibus, si considerentur sub aliqua habitudine ad ipsam formã, non repugnat vt dicatur nomen denominatiuum extrinsecum: verbi gratia, humanum non dicitur de humanitate, aut homine, ad quem dicit habitudinem, tamen si consideretur aliquod prædicatum pertinens ad hominem, cui sub vna præcisa ratione formali non sit intrinseca humanitas, verè denominabitur humanum, qua ratione persona, caput, corpus, & alia sexcenta dicuntur humana, quoniam sunt alicuius hominis, & habent habitudinem ad ipsum, nec includit formaliter, & intrinsece ipsam formam humanitatis. Eodem modo in terminis diuinis pleraque identificata ex natura rei, cum Deitate dicuntur diuina, quoniam concipiuntur sub aliqua habitudine ad illam, qua ratione dicitur sapientia diuina, Pater diuinus, Verbum diuinum, quoniam sapientia concipitur vt proprietas, Pater, ac Verbum, vt personæ Deitatis, & ita nostro modo intelligendi habent attributionem aliquam ad diuinitatem, &

Capreol.

S. Thom.

Caietan.

hoc est,

hoc est, quod Diu. Thom. 3. part. quæst. 16. artic. 3. ad 3. docet diuinum propter diuersum modum significandi dici denominatiuè de essentia Verbo, ac Patre, de quibus verè prædicatur nomen Deus. Vltimo dicendum. Denominatiua deriuata à negationibus, & entibus rationis non possunt verè enunciari de nominibus abstractis, à quibus deriuantur: ostenditur quoniam eiusmodi denominatiua aliud significant formaliter, & aliud materialiter, significant enim materialiter obiectum reale positiuum, pro quo supponunt, formaliter vero negationem, vel habitudinẽ rationis, à qua sumunt vim denominandi: cum vero est diuersitas inter concretum & abstractum, vnum non prædicatur de alio: ergo eiusmodi denominatiua nó verè prædicantur de formis, seu quasi formis denominantibus abstracte sumptis, & ideò non verè dicitur incorruptibilitas est incorruptibilis, idea est idealis. Si quando vero apud auctores sacros reperietur prędicatio denominatiui, negatiui, aut relatiui, de nomine abstracto formæ denominantis, vt si dicatur immensitas immensa, veritas vera, &c. Explicari debet ratione materialis significati, quod important ipsamet nomina abstracte sumpta.

XI. His positis ad vltimum argumentũ neganda est cõsequentia; Ratio est, quoniam nomen, *Diuinus*, suo modo est denominatiuum extrinsecum, & ideò mirum nó est, si non dicatur de Deo, aut Deitate, quæ est forma propria, sub habitudine ad quã denominatur, sapiens autem non est denominatiuum extrinsecum, sed intrinsecum, & ideò est diuersa ratio.

Abstracta in diuinis verè prædicantur de abstractis, & concretis.

Caput VII.

I. Quod attinet ad propositiones constantes vtroque termino abstracto, communis sententia docet, si termini sint essentiales, propositiones esse veras. Ita S. Thomas opusc. 9. q. 1. S. Bonauentura in 1. d. 33. q. 3. ad pen. Ægid. d. 6. q. Scot. d. 8. q. 3. aliàs 4. §. vlt. cum Lycheto, Ioanne Viguerio & Bargio ibidem, Gabriel d. 4. q. 1. art. 1. notabil. 2. regul. 1. Bassolis d. 22. q. 4. art. 3. §. vltimo ad primum principale. Heruæus quodlib. 1. q. 2. §. *Modo est at tertio*, ad finem. Mayron. q. 6. prologi. §. *Sed contra ista*, ad tertium, & in 1. d. 8. q. 5. §. *Ad cuius euidentiam*, in fine, & d. 33. q. 3. art. 2. Petrus Thomas in formalitat. Adamus in 1. d. 6. quæst. 1. post tertiam conclusionem. Gregor. d. 8. q. 1. art. 2. & q. 2. art. 3. dicto 1. Capreol. q. 4. ad 18. Aureoli contra 2. conclusionem. Soncin. q. 4. ad 6. Aureoli contra quintam conclusionem. Hispal. quæst. 4. art. 4. ad 14. Scoti contra 1. conclusionem, Sylvest. 1. p. q. 13. art. 3. in fine, Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. disp. 2. dub. vlt. Hæc est etiam sententia Patrum, qui vnũ abstractũ de alio prædicant in diuinis. August. de triplici habitaculo cap. 6. *Sapientia*, inquit, *Dei non magis sapientia, quam veritas est, & non magis veritas est, quam sapientia, quam æternitas, quam cætera Dei omnia*, & lib. 6. de Trinitate cap. 7. *Eadem magnitudo eius est, quæ sapientia: & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, &c.* & lib. 7. cap. 1. *Vt ea sit magnitudo, quæ virtus: ea bonitas, quæ sapientia: & ea vrsus sapientia, quæ virtus.* & lib. 15. cap. 5. *Quæ iustitia, ipsa bonitas: & quæ bonitas, ipsa beatitudo.* Plura alia testimonia habentur tract. 1. cap. 8. num. 4. & 6. Verùm est discrimen in assignanda ratione. Nam Scot. loco citato solam identitatem realem attendit, quæ si mutua sit, erit mutua prædicatio: quoniam vero perfectiones diuinas absolutas propter infinitatem suam sentit habere mutuam identitatem, idcirco etiam concedit mutuo verè prædicari, quia vero relatiuæ non sunt infinitæ simpliciter, ideò si cum absolutis comparentur, non habent mutuam identitatem cum illis, sed non mutuam; quia absolutæ ratione propriæ infinitatis illas sibi identificant, & idcirco vera est prædicatio, si relatiuæ de absolutis prædicentur, vt si dicatur: *essentia est Paternitas*, falsa vero si absolutæ dicantur de relatiuis, vt si dicatur: *Paternitas est sapientia*. Alij vero idem astruunt propter mutuam identitatem ex natura rei, tam realem, quam formalem. Quæ sententia vera est, vt constat ex dictis cap. 5. huius tract. An vero huiusmodi prædicationes sint solum veræ identice, an etiam formaliter, dicam inferiùs.

II. Nunc comparanda sunt abstracta cum concretis: non posse autem etiam in diuinis abstracta verè enunciari de cõcretis existimauit Henr. in sum. art. 75. q. 2. lit. C. & D. Probatur primo, quoniam abstracta semper significant per modum partis, & eius, quo est: concreta vero significant per modum totius, & eius, quod est: id vero, quod habet modum partis, aut formæ, qua aliquid est, non prædicatur de toto, aut eo, quod est: hic vero modus significandi manet etiam in terminis diuinis: ergo in eis

Petrus Thom. *Adamus.* *Gregor.* *Capreol.* *Soncinas.* *Hispalens.* *Sylvest.* *Torres.* *Augustinus.* *Scot.* *Henric.*

D. Thom. *S. Bonauent.* *Ægid.* *Scot.* *Lychet.* *Viguerius.* *Bargius.* *Gabriel.* *Bassol.* *Heruæus.* *Mayron.*

non fiet vera prædicatio abstracti de concreto. Patet consequentia, quoniam vbi est eadem ratio & causa, manet idem effectus: sed propter hunc significandi modum in terminis creatis non est vera prædicatio abstracti de concreto: ergo, si in diuinis eadem manet, non erit vera prædicatio. Secundo Deus est actus purus: ergo non prædicantur verè de ipso formæ in abstracto. Patet consequentia, quia actus purus est semper in actu secundo: formæ vero in abstracto significantur per modum quietis, & quasi in actu primo: ergo potius dicendum est Deum intelligere, esse bonum, & sapientem, quam esse intellectionem, bonitatem, aut sapientiam. Tertio nomina concreta important diuina supposita, abstracta vero minimè: ergo abstracta nequeunt prædicari verè de concretis. Antecedens patet, quoniam ideò hæc propositio, *Deus generat*, admittitur à Theologis, quoniam terminus, *Deus*, in ea propositione supponit pro persona Patris, qui generat: contra vero ideò hæc propositio est falsa: *essentia generat*, quia terminus, *essentia*, non supponit pro personis diuinis: sed sumitur absolute pro ratione Deitatis, cui secundum se præcisè sumptæ non conuenit generare. Consequentia vero est manifesta, quoniam propterea in terminis creatis abstracta non prædicantur de concretis, quoniam non connotant supposita, quæ connotantur à concretis.

III. Dico nihilominus, in diuinis nomina abstracta prædicantur verè de concretis. Hæc est communis sententia Theologorum Altisiodorens. lib. 1. cap. 3. quæst. 8. quæstiuncul. incid. aliàs cap. 4. q. 1. & cap. 4. aliàs 5. q. 4. Alens. 1. p. q. 50. m. 3. art. 1. ad 2. & q. 52. m. 4. Albert. in sum. tract. 14. quæst. 57. q. 2. incidente, & in 1. d. 4. art. 9. S. Thom. 1. p. q. 3. art. 3. 3. p. q. 17. art. 1. in corpore in 1. d. 4. q. 2. art. 2. Bonauent. d. 34. q. 2. in corpore. Ægid. d. 4. 3. p. q. 2. & 3. & d. 5. 1. p. q. 2. art. 3. Durand. d. 34. q. 1. à num. 18. Aureol. d. 4. q. 2. art. 3. Ocham. quodlibet. 2. q. 4. Gabriel. in 1. d. 4. q. 1. art. 1. Notabil. 2. regula 1. Adam. d. 6. q. 2. conclusione 1. Gregor. d. 8. q. 2. art. 3. dicto 1. Marsil. q. 12. 3. p. articuli tertij. Hanc sententiam definitam fuisse in Concil. Rhem. sub Eugenio III. contra Gilbertum asserit D. Bernardus serm. 80. in Cant. & Otho Frisingens. lib. 1. de rebus gestis Friderici I. Imperatoris cap. 57. dicebat autem Gilbert. hanc propositionem, *Deus est essentia diuina*, si terminus, *essentia diuina*, sumatur in casu nominandi non esse veram: esse autem, si sumatur in casu auferendi: ac si diceret Deus non est Deitas, sed est Deitate Deus: eodemque modo negabat hanc esse simpliciter veram, *Deus est sapientia*, nisi sit idem sensus, ac cum dicimus Deus est sapiens. Contra cuius doctrinam Concilium nonnullos Canones edidit, quibus damnauit sententiam eius, & modum loquendi, quos refert Otho vbi supra, in quorum primo habentur ista verba. *Credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas:* quamuis autem, vt idem Otho scribit, Eugenius Papa statuerit, vt totum illud Symbolum, & Canones in eo contenti, non haberentur vt regula fidei, tamen sensum primi Canonis diffiniuit his verbis, *ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret, neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam nominatiui, hoc est ne solum dicatur. Pater Deitate est Deus, sed est ipsa Deitas:* quibus verbis perspicuè diffinitur à Pontifice Deitatem abstracte sumptam prædicari verè in recto de Deo concrete significato. Accedit communis sensus Patrum, qui ita passim abstracta de Deo prædicant, vt non sit necesse in ipsorum testimonijs referendis immorari, sufficiat testimonium Augustini id affirmantis in actu significato lib. 5. de Trinitate cap. 11. *Sicut Trinitas vnus Deus dicitur Magnus, Bonus, AEternus, Omnipotens, idemq; ipse, sic sua dici potest Deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, &c.* Augustinus.

IV. Ratio vero huius assertionis est: quoniam, vt probat Ægid. q. 3. citata, in terminis diuinis sunt oppositæ rationes ijs, propter quas dictum est cap. 4. in creatis abstracta non prædicari verè de concretis. In primis quoniam Deus habet perfectiones omnes excellenter per essentiam, & plenitudinem, non verò participatiuè: & ideò si propterea creatura non est sua bonitas, aut sapientia, quia habet illã ex parte, Deus verè est sua sapientia, ac Deitas, quia habet illam per essentiam, & ex toto: quã rationem attigit D. August. lib. 5. de Trinitate cap. 10. vbi sic habet: *In his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud, quod ab ea magnitudine magnum est: & prorsus non hoc est magnitudo, quod magna domus. Deus autem, quia nõ ea magnitudine magnus est, quæ nõ est, quod ipse, vt quasi particeps eius sit, Deus, cùm magnus est, ea magnitudine magnus est: qua ipse est eadem magnitudo.* Deinde vero, si ideò in creatis nõ dicuntur abstracta de concretis, quia sunt creaturæ compositæ, ac multiplices, res vero multiplex nõ est quidquid habet, dicẽtur in diuinis propter omnimodã simplicitatẽ essentiæ diuinæ, ratione cuius Deus est quidquid habet: Ægid. Augustinus.

habet: quâ ratione adhibet Alnodorens. quæst. 4. citata. Alens. & S. Thomas vbi supra: & attigit D. August. lib. 5. de Trinitate cap. 7. vbi ex eo, quod Deus sit simplex, licet multipliciter nominetur, censet in eo vnum, & idem esse magnitudinem, quod sapientia: & bonitatem idem, quod sapientia, & magnitudo, quæ omnia sunt ipse Deus: præterea, si ideò in creatis non prædicatur abstractum de concreto, quia sunt capacia accidentis, verè prædicabitur in diuinis, quia Deus est expers accidentis. Hanc etiam attigit idem August. lib. 7. de Trinitate cap. 5. vbi ex eo, quod non sit in Deo aliquid tanquam in subiecto, colligit quod bonitas sit substãtia, vel potius essentia Dei, & quod Deus sit sua bonitas: denique si propterea in terminis creatis falso prædicantur abstracta de concretis, quia in suppositio creato est aliquid, quod nõ pertinet ad naturam, vel quod non est ipsamet natura, verè prædicabuntur in diuinis, quia in diuino suppositio nihil est, quod non sit ipsamet natura, aut ab ea differat à parte rei.

Alensis. S. Thom. Augustinus.

Augustinus.

V. Secunda ratio est, quoniam solus modus significandi concrete, & abstracte, non impedit veram prędicationem abstracti de concreto: sed modus rei significatæ, vt constat ex cap. 4. si cui vero conuenit modus aptus ad eiusmodi prædicationem, maximè conuenire debet Deo: quare admittenda est in terminis diuinis. Assumptio patet, quoniam abstracta transcendẽtia verè prædicantur de cõcretis, saltem entitas de ente in communi, & particularibus: Deo vero perfectius conueniunt rationes, propter quas prædicari possit in abstracto, quã entitati: nam si verè dicitur: *ens est entitas*, quia ens non est entitas participatiuè, aut secundum partem, & vtrunque est omnino simplex, & indistinctũ ex natura rei, & vnum idem, quod aliud, & entitas est totũ, quod est, ita etiam quia Deus hæc omnia excellentius habet, vt patet ex dictis, verè dicetur Deus est Deitas: neque assignabitur vlla ratio, propter quã sit verum dicere, ens est entitas, quæ non possit assignari inter Deum, ac Deitatem. Inquiet aliquis hoc argum. recte ostendere has propositiones esse veras, *Deus est Deitas*, item, *hoc sapiens*, designando Deum, *est sapientia*: nondum tamen constare, cur hæ sint veræ, *Deus est sapientia, Deus est iustitia*, & similes aliæ: nam etiam in terminis transcendentibus sunt falsæ enunciationes abstracti de concreto, quãdo differunt penes significatum formale: nec enim verè dicitur ens est veritas, ens est vnitas: Respondeo has etiam propositiones esse veras: *Deus est sapientia, Deus est iustitia*: ita enim loquuntur Patres. Ratio vero cur hæ sint veræ, nõ illa, ens est veritas, vel vnitas, est, quoniam veritas, & vnitas dicunt relationem rationis, & negationem, quæ à parte rei non sunt idem cum natura entis, ac proinde non est identitas requisita vt in abstracto de illo prædicentur. At vero perfectiones diuinæ à parte rei sunt omnino idem cum Deo, & ideò verè de illo prædicantur. Obseruandum est tamen inter diuina attributa, quædã esse formas positiuas absolutas, quædã negationes, quædã respectu rationis: & in rigore ea solum, quæ ad primum genus pertinent, prædicari in abstracto, vt cum dicitur Deus est sapientia, Deus est iustitia: posteriora vero nequaquã: formaliter enim falsum est dicere, Deus est vnitas, Deus est dominium, & similes: nõnullæ tamen sunt in vsu apud Patres, vt illa, *Deus est sua veritas, vnitas, infinitas*, quæ exponendæ sunt ratione fundamenti connotati, quod est ipsamet essentia diuina, quæ verè prædicatur de Deo in abstracto.

VI. Ad primum argumentum respondeo modum, qui se tenet ex parte intellectus, non reddere propositiones falsas: alioquin etiam ipsæ propositiones, quib⁹ enunciantur concreta de concretis essent falsæ, quoniam significantur per modũ compositionis, quæ non reperitur in Deo: sicut ergo nõ obstante hoc modo significandi ex parte intellectus hæ propositiones: *Deus est sapiens, Deus est Deus*, sunt veræ: ita nõ obstante modo significãdi diuerso inter abstracta, & cõcreta, propositiones erunt veræ, sicut sunt in terminis transcendẽtibus. Respondetur itaque id, quod habet modum partis, nõ prædicari verè de toto: prædicari vero id, quod caret eiusmodi modo, quamuis significetur ea ratione, qua significari solent pars, & totum: ideò neganda est consequentia. Ad cuius confirmationem respondetur negando assumptionem: nõ enim in terminis creatis sunt falsæ propositiones, quibus enunciantur abstracta de concretis, solum propter modum prædicandi, sed propter modũ essendi: nam abstracta significant in recto præcisè naturam, vel formam, quæ se habet per modum partis: concreta vero significant etiam suppositum, ꝙ se habet per modum totius: semper enim in terminis creatis est aliqua distinctio ex natura rei inter significatum nominis abstracti, & concreti importantis suppositum, vel substantiam inhęsionis hoc enim includit intrinsecè formam, & præterea dicit aliquid ex natura rei distinctum ab ipsa: & ideò forma abstracte significata

habet:

habet rationem partis, ipsum vero compositum significatum nomine concreto habet rationem totius. Hoc vero non cernitur in terminis diuinis, significatum enim nominis concreti, & abstracti, est idem prorsus ex natura rei, neque vnum habet modum partis, alterum totius: sed quidquid in Deo est, totum integrum, & perfectum est.

VI. Ad secundum respondetur ex eo, quod nomina à nobis vsurpata propter imperfectum modum intelligendi nostrum non adæquent perfectionem diuini esse, non proinde falso de Deo prædicari: quemadmodum enim concreta verè enunciantur, quamuis habeant compositum significandi modum, ita etiam abstracta verè dici possunt, quamuis prædicentur per modum formæ quiescentis: hoc enim non tollit quo minus sint ipsum esse diuinum actuale. Ad tertium neganda est consequentia: ad cuius confirmationem respondetur in terminis creatis ideò abstracta non prædicari de concretis, quia concreta important suppositum vel compositum accidentale, quod habet modum totius respectu formæ significatæ per abstractum: quæ ratio, si non interueniret, verè prædicarentur abstracta de concretis, vt re vera prædicatur entitas in communi de ente propter omnimodam indistinctionem, & abstractionem.

In diuinis prædicantur verè concreta de abstractis.

Caput VIII.

I. NVnc comparanda sunt concreta ex parte prædicati cum abstractis ex parte subiecti. Porro formæ cõcretè significatæ, aut sunt essentiales, & intrinsecæ subiecto abstracte significato, aut extrinsecæ, & non essentiales. Concretum absolutum non posse prædicari verè de Deitate in abstracto: opinati sunt Gilbert. & Henricus citati capite superiore. Probatur primo, quoniam eiusmodi concreta connotant suppositum: abstracta vero abstrahunt ab illo: ergo nequeunt verè prædicari de abstractis. Patet consequentia, quoniam nihil per modum totius sumptum dicitur verè de forma per modum partis: nomen connotans suppositum dicit suum significatum per modum totius: abstrahens vero à supposito dicit illud per modum partis: ergo concretum prædicari verè nequit de abstracto.

Gilbert. Henric.

II. In speciali vero nomina significantia formas externas non prædicari verè de essentia diuina asseruit Scotus in 1.d.5.quæst. 1.§. *Sed loquendo*, cùm Lycheto, & Bargio ibidem. Fundamentum eorum est, quoniam de subiecto abstracto vltima abstractione non potest verè prædicari forma, nisi sit per se primo modo de intrinseca ratione subiecti: ergo nulla forma extrinseca potest verè prædicari in concreto de diuinitate abstracte sumpta. Antecedens patet, quoniam subiectum summe abstractum non potest stare pro alio qualitercunque à se distincto, sed præcisè pro se ipso formaliter: atque adeò necesse est, vt præcisa ratio subiecti sit idem rationi formali prædicati, illamque includat: qua de causa Lychet. loco citato censet has etiam propositiones, *essentia diuina intelligitur, videtur, communicatur*, & similes esse falsas: ne vero videretur negare communem loquendi modum, ait multa concedi ex vsu loquendi propter penuriam vocabulorum, quæ tamen de rigore sermonis sunt falsa: & ideò ait in rigore loquendo hanc esse veram, *Deus sub ratione Deitatis est communicabilis*: siue, *Deus sub ratione Deitatis est principium formale communicandi*: & similiter hanc, *Deus sub ratione Deitatis videtur*: illas vero: *essentia est communicabilis*: *essentia videtur*, in rigore falsas: & omnem omnino propositionem, in qua aliquid non pertinens intrinsecè ad essentiam de illa connotatiuè prædicatur.

Scot. Lychet. Bargius.

III. Dico primum. In terminis diuinis concreta verè prædicantur de abstractis communicantibus, vel differentibus significato formali. Hæc est communis Theologorum: ita Altisiodorens. lib.1.cap.4. aliàs 5. quæst.4. Albert. in 1.d.4. art.9. S.Thom. quæst.2. art.2. & 3. Durand. d.34. quæst.1. à num.18. Aureol. d.4. q.2. art.3. Ocham. d.5.quæst.1. litera E. Gabriel. d.4. quæst. 1. art.1. notabil.2. regul.1. Toletan. dist.5. quæst. vn. art.2. & alij communiter. Definita fuit à Concil. Rhemens. citato cap. præced. his verbis. *Credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus.* Consentiunt Patres Nyssen. orat. 1. in Cant. satis post medium. *Virtus eius*, inquit, *Cœlos operuit ea vero est ille ipse.* Marius Victorin. lib. 1. aduersus Arium post medium: *Quid deinde sapientia, & virtus Dei? nisi ipse Deus.* & paulò pòst: *Sic igitur, & virtus, & sapientia Dei, ipse Deus, & est totum, quod simplex.* Et Bernard. serm. 80. in Cantica post medium. *Diuinitatem, quæ est, Deum nihilominus assero: ne Deo excellentius aliquid esse assentiar: nam, & magnitudine dico magnum, sed, quæ ipse est, ne maius aliquid Deo*

Altisiodoren. Albertus. S. Thom. Durand. Aureol. Ocham. Gabriel. Toletan. Concil. Rhem. Nyssenus. Mar. Victor. Bernard.

ponam,

ponam, & bonitate fateor bonum, sed non alia, quam ipse est, ne melius ipso aliquid mihi videar inuenisse: & de cæteris in hunc modum securus, & libens pergo inoffenso, (vt aiunt) pede in eius sententiam, qui dicebat, Deus nonnisi ea magnitudine magnus est, quæ est, quod ipse. Patet vero ex fundamento stabilito superiore capite. Vbi enim est omnimoda indistinctio, simplicitas, & integritas: siue totalitas absque participatione formæ ex parte obiecti significati per abstracta & concreta, est mutua prædicatio: hæc enim ratio æquè militat, siue prædicatum sit abstractum, & subiectum concretum, siue vice versa: nã in transcendentibus, sicut hæc est vera, ens est entitas, ita hæc entitas est ens: ergo etiam in diuinis prędicantur concreta de abstractis. Et confirmatur, quoniam omnis propositio affirmatiua singularis, aut indefinita conuertitur in terminis: at vero in terminis diuinis abstracta prædicantur verè de concretis: ergo & concreta prædicabuntur de abstractis: & sicut hæc est vera: *Deus est Deitas*, ita quoque vera erit hęc: *Deitas est Deus:* Ad argumentum in contrarium neganda est consequentia: ad cuius confirmationem dicendum abstracta in diuinis non habere modũ partis respectu cõcretorum propter omnimodã simplicitatem, & indistinctionem: ideoque posse inuicem prædicari, vt in transcendentibus.

IV. Dico secundum: Nomina connotatiua extrinseca essentiæ nostro modo intelligendi verè prædicantur in diuinis de subiecto abstracte significato: ita Altisiodor. q. citata. Ægid. in 1. d. 5. 1. p. q. 2. art. 3. Henr. art. 74. q. 3. Ocham. & Toletan. vbi supra. Argent. d. 5. q. vn. art. 1. ad 3. & alij omnes præter Scotistas. Fundamentũ est quoniam prędicata extrinseca, nõ necessariò exigunt à parte subiecti verum suppositum: sed quoduis subiectum, cui verè conueniant. Deinde, si in terminis diuinis, nulla propositio constans subiecto abstracto, & prædicato connotatiuo esset vera: darentur duæ contradictoriæ simul falsæ. Patet sequela: nam, si hæc est falsa, *essentia diuina est communicabilis:* eius contradictoria erit vera: nempè, *essentia diuina nõ est communicabilis:* ex propositione autẽ negatiua secundum Philosophum lib. 2. Perihermen. cap. 1. sequitur affirmatiua de prædicato negato, & proinde hęc erit vera, essentia diuina est nõ communicabilis: si enim falsa sit, etiam antecedens, ex quo sequitur, erit falsum: & dabuntur duæ contradictoriæ simul falsæ: si autem vera sit, iam verè prædicabitur de essentia terminus connotatiuus significans aliquid nõ pertinens intrinsecè ad eius rationẽ formalem, hoc est negatio cõmunicabilitatis: si vero negatio prędicatur verè, nõ est cur similiter prædicari nequeant entia rationis, & formæ aliæ extrinsecè denominantes. Secundo intellectus noster cõstituit discrimen inter Deitatem ac Deum, affirmando de Deo id, quod negat de Deitate: hæc enim est vera: *Deus generat*, hæc autem falsa: *Deitas generat:* & cõsequenter vera eius contradictoria scilicet, *Deitas nõ generat:* aut ergo conceptus, quem in secunda propositione exprimimus nomine: *Deitas*, terminatur ad ipsam naturam diuinã prout abstracte significatur, aut nõ, sed ad Deum ipsum concrete sumptum: si hoc secundo modo terminetur, propositio mentalis respondens huic orationi vocali: *Deitas nõ generat*, erit falsa, quod tamẽ repugnat decreto Ecclesiæ: si vero priore modo terminetur, verè dici potest: *Deitas intelligitur:* quandoquidem id verè intelligitur, quod per se terminat actũ intelligendi, nec est alia ratio terminandi: Deus vero concrete significatus nõ terminat conceptum illum simplicem, sed Deitas. Denique multa conueniunt essentiæ abstracte significatæ, quæ nõ conueniunt Deo concrete sumpto: nimirũ vt simul cum relationibus sit constitutiua personarum, vt sit principium, quo processionum, & similia: omnis vero forma abstracte significata potest denominari à prędicato, quod conuenit ipsi ita significatæ, prout distinguitur à concreto.

V. Argumentum Scoti, quod militat cõtra hanc assertionem, nõ conuincit: nam vt patet ex cap. 3. abstracta possunt substerni denominationibus connotatiuis, quæ nõ necessariò inuoluunt suppositũ, sed quoduis subiectum: cuiusmodi possunt esse multa denominatiua: sicut enim rationale potest dici de natura, ita & aliæ formæ, quæ ipsi conueniunt, quamuis intrinsecæ non sint: omnis quippe forma conueniens obiecto abstracte sumpto potest de illo verè prędicari, etiamsi sit extrinseca: non potest prædicari abstracte, & in quid: debet ergo prædicari concrete, ac denominatiuè.

VI. Hæc dicta sunt in communi, quia tamen sunt multiplices modi nominum concretorum, tum ex parte rei significatæ, tum ex parte modi significandi, oportet breuiter per singulos discurrere. Ex parte rei significatæ sunt quatuor: aut enim significatum est forma absoluta essentialis, aut respectiua notionalis: aut negatiua, aut respectiua in ordine ad creaturas: ex parte vero modi significandi sunt tres: aut enim terminus significans est Verbum, aut nomen: hoc autẽ vel est absolutũ, vel cõnotatiuum. Quod

attinet

attinet ad modos nominum concretorum ex parte rei significatæ, omnia nomina cõcreta præter notionalia, verè dicuntur de Deitate, siue significent rationes formales absolutas, siue negatiuas, aut respectiuas: verè enim dicitur: *essentia diuina est misericors, omnipotens*, item, *essentia diuina est immensa, infinita*, item, *Deitas distinguitur à creatura*: Quod vero attinet ad multiplicitatem eorundẽ nominum ex parte modi significandi, dicuntur verè de Deitate, nomina tam absoluta, quam connotatiua: absoluta vt patet in hac: *Deitas est Deus*, connotatiua, vt patet in hac: *Deitas est immensa, immortalis*: excipiuntur tamen nomina, siue verba, quæ significant actus notionales, quæ adiectiuè sumpta non prędicantur verè de essentia diuina, qua de re fusius in materia de Trinitate.

VII. Circa prædicata per verba adiectiua est controuersia: quidam negant vllo modo tribuenda esse diuinitati in abstracto: nam cum actiones sint suppositorum, verba omnia, quæ actionem significant, debent connotare suppositum: nullum vero nomen diuinum abstractum illud connotat: ergo verba prædicari nequeunt de diuinitate, aut quauis aliqua perfectione Dei abstracte significata: vt enim hoc ipso tractat. cap. 3. dictum est de formis, quæ sunt principia, & rationes agendi, non verè prædicantur verba significantia actionem, sed solum de suppositis, vel constitutis per tales formas. Et confirmatur, quoniam non alia de causa hæc est falsa: *Deitas generat*, nisi quia nõ connotat suppositum, cui per se cõpetit generare: ergo similiter, si actiones Dei ad extra, & ad intra procedunt à supposito, tribui non possunt essentiæ, vel alij attributo in abstracto nõ connotanti suppositum. Præterea idem actus nequit simul tribui eidem in recto, & in obliquo: sed actiones Dei tribuuntur eius perfectionib⁹ in casu obliquo, dicitur enim Deus intellectu intelligere, voluntate velle, omnipotentia creare: ergo dici nequit, *intellectus diuinus intelligit, voluntas vult, omnipotentia creat*. Maior ostenditur: quoniam id, cui tribuitur operatio in recto, significatur vt agens quod, & principale: id vero, cui tribuitur in obliquo, significatur vt agens quo, & quasi instrumentale: repugnat autem idem esse simul agens quo, & quod, principale, & instrumentale: ergo non potest eidem tribui operatio in recto, & in obliquo.

VIII. Inistendo tamen sententiæ superius explicatæ, cõsequenter dico verba adiectiua significantia actiones non notionales, tam ad extra, quam ad intra prædicari verè de essentia diuina, & de attributis abstracte significatis, traditur à Bonauentura in 1. d. 33. q. 2. ad vltimum, & q. 4. Ocham. & Toletan. vbi supra, & alijs communiter: & est expressa sententia Augustini lib. 13. confess. cap. 16. Fundamentum est quoniam eiusmodi nomina abstracta supponunt pro re existente in se: atque adeò possunt prædicari de ipsis verba significantia actionem: ad actionem enim nõ requiritur subsistentia incommunicabilis, & suppositalis: hanc enim non habet anima separata, & tamen verè elicit actiones, ab ijsque denominatur, sed sat est existentia independens. Secundo nomina actiua formarum realium absolutarum non minus connotant suppositа, quam verba, sed hæc est vera: *diuinitas est iusta, misericors, omnipotens*: ergo etiam hæc erit vera, *diuinitas punit, miseretur, creat*.

Bonauent. *Ocham.* *Toletan.* *Augustinus.*

IX. Ad primum argumentum in contrarium respondeo, vt iam supra dixi, actiones non necessariò esse suppositorum, sed per se existentium, vt constat in quantitate Eucharistiæ, quæ calefit, aut frigefcit, calefacit, aut frigefacit: essentia vero diuina habet per se existentiam independentem à suppositis: & licet suppositа operentur, tamen cum operari non conueniat per se primo vlli supposito, conuenit Deitati, siue Deo absolute considerato: cumque hoc modo sumptus includat perfectiones omnes, quæ de illo prædicantur verè in recto nominibus abstractis, ad eas quoque traducitur denominatio, siue prædicatio per verba adiectiua: & sicut verè dicitur, *Deus creat*, ita verè dicitur Deitas creat. Ad secundum neganda est maior propositio: nõ enim est maior repugnantia in eo, quod actio prædicetur in recto, & in obliquo de eodem subiecto, quam quæuis alia forma: semper enim id, quod prædicatur in casu auferendi, prædicatur tanquam ratio, qua aliquid est, vel agit: id vero, quod prædicatur in casu nominandi, dicitur tanquam id, quod est, vel agit: non minus autem repugnat esse id, quo est, & quod est, quá esse id, quod agit, & quo agit: & ideò sicut non repugnat cæteras formas concretè significatas prædicari de Deo in recto, & in obliquo in casu auferendi, dicitur enim Deus esse iustitia, dicitur item iustitia iustus: dicitur esse Deitas, & dicitur esse Deus Deitate, vt definitum est ab Eugenio 3. in Concil. Rhemens. itaque non repugnat actiones concretè, significatas tribui perfectionibus diuinis abstracte significatis in concreto, & in obliquo. Ad rationem, qua

Eugen. 3.

maior

maior ostenditur, respondeo, quamuis repugnet vt re ipsa forma aliqua sit agens quo, & quod: simul enim esset per se, & non esset per se, non repugnare tamen vt perfectissimum ens æquipollens simul agentibus creatis, & formis, quæ sunt principium agendi, significetur à nobis vtroque modo: & ideò Patres frequenter inculcant in Deo non esse compositionem ex eo, quo est, & quod est, sed idem esse in ipso quo est, & quod est.

Non omnia, quæ dicuntur de vna perfectione diuina, dicuntur de reliquis.

Caput IX.

EX dictis constat in terminis diuinis prædicari verè concreta, & abstracta tam de concretis, quam de abstractis, adhuc tamen remanet dubium, vtrum quidquid prædicatur de vna perfectione diuina prædicetur de alia. Partem affirmantem sequitur Ochamus in 1. dist. 2. quæst. 1. à litera D. & Gabriel. quæst. 1. art. 1. notab. 2. & 4. qui censent quando duo termini significant obiectum prorsus indistinctum ex natura rei non posse affirmari aliquid de vno, & negari de altero. Et omnes contradictiones, quæ in oppositum afferuntur, conantur reducere ad aliquam distinctionem realem. Eandem sententiam supponit Scotus, & eius sectatores relati tract. 5. cap. 5. quatenus ex eo concedunt perfectiones diuinas distingui ex natura rei formaliter, quoniam de quibusdam dicuntur nonnulla prædicata, quæ de alijs negantur. Suadetur vero ex communi axiomate Philosophico, quo nititur omnis probatio Syllogistica, nempè quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: sed quando ex duobus habentibus omnimodam identitatem ex natura rei, vnum subijcitur alicui prædicato, datur identitas prædicati, & alterius termini cum subiecto: ergo etiam dabitur inter vtrunque: atque adeò omne prædicatum, quod dicitur de vno, dicetur de altero. Secundo quæcunque sunt omnino idem ex natura rei, possunt supponere inuicem vnum pro alio: quandocunque vero duo termini habent mutuam suppositionem, quidquid dicitur de vno, dicitur de altero: non enim est aliud terminum vnum supponere pro alio, quam substitui loco eius in oratione, & subijci eisdem prædicatis, quibus illud subijcitur: ergo quidquid prædicatur de vno termino, dicitur etiam de quouis alio significante obiectum idem ex natura rei cum obiecto illius. Tertiò veritas enunciationis affirmantis nititur vnitate, & identitate obiectiua prædicati cum subiecto, si vero aliquis alius terminus significat idem prorsus obiectum ex natura rei cum eo, quod significat subiectum alicuius propositionis, prædicatum eiusdem necessariò habebit etiam vnitatem, & identitatem obiectiuam cum significato illius termini: ergo verè de ipso affirmabitur. Assumptio probatur, quoniam repugnat rem aliquam habere simul vnitatem, ac diuisionem, identitatem, ac distinctionem respectu eiusdem rei: ergo si obiectum significatum per duos terminos est idem prorsus ex natura rei, quidquid habet vnitatem, & identitatem cum obiecto vnius, habebit etiam cum obiecto alterius.

II. Identitas non est in omnibus æqualis, quædam enim admittit solam distinctionem rationis ratiocinantis, quædam cum omnimoda identitate ex natura rei subest distinctioni rationis ratiocinatæ: quædam tandem cum identitate reali patitur distinctionem ex natura rei formalem, vel modalem. Ex hac vltima minimè sequi, vt quidquid dicitur de vno, dicatur de alio, quod est idem realiter cum ipso, docet communis sententia, quam etiam Scotistæ recipiunt: nam cum inter attributa diuina admittant solam distinctionem ex natura rei formalem, nihilominus concedunt Verbum æternum procedere per intellectum, non per voluntatem, & alias propositiones eiusmodi, quibus enunciantur termini contradictorij de diuersis attributis diuinis. Sin vero loquamur de terminis significantibus res distinctas sola ratione ratiocinante, quidquid dicitur de vno, dicetur etiam de alio, nisi impediat diuersus modus significandi, vel per terminum reduplicatiuum, aut quauis alia ratione inuoluatur ratio distinctionis. Exempli gratia, *gladius* & *ensis*, sunt termini synonymi distincti sola ratione ratiocinante, & ideò quidquid dicitur de vno, dicitur etiam de alio. Cuius ratio est in promptu, quoniam eiusmodi termini supponunt pro eodem, neque eorum distinctio habet fundamentum in multiplicitate virtuali rationum formalium obiecti, sed in solo intellectu ratiocinante: & idcirco enunciatio, quæ cadit supra obiectum, non inuenit in ipso fundamentum affirmandi, & negandi simul idem prædicatum de eodem. Addi-

tum est autem, nisi per terminum reduplicantem, aut quouis alio modo inuoluatur ratio distinctionis: quoniam, quæuis distinctio fundatur in aliqua multitudine, ac diuisione, quæuis autem diuisio obiectiua potest esse fundamentũ diuisionis, siue negationis mentalis: & idcirco, si ipsa per orationem importetur, non repugnat vt prædicatum affirmetur, ac negetur de terminis sola ratione ratiocinãte distinctis: hoc modo si fiat prædicatio identica. *Petrus est Petrus*, absolute loquendo verum est Petrum in ea enunciatione subijci, & prædicari, si tamen addatur terminus reduplicatiuus verè dicetur: *Petrus, quatenus subijcitur non prædicatur.* Eodem modo absolute verè dicitur, *essentia diuina est vnita humanitati*, falso ver osi dicatur, *essentia vt in Patre, est vnita humanitati.*

III. His, quæ faciliora sunt, explicatis, manet difficultas penes terminos significantes subiecta ex natura rei indistincta, & habentia distinctionem rationis ratiocinatæ, vt se habent perfectiones diuinæ absolutæ. Pro cuius decisione obseruandum est veritatem enunciationum mentalium nõ fundari solum in identitate obiectiua rerum, sed etiam in modo concipiendi ipsarum: modo enim concipiuntur adæquate, modo inadæquate. Cùm vero inadæquate concipiuntur, etsi singulis conceptibus respondeat eadem omnino res, non tamen sub eadem ratione formali: & conceptus plures de eodem obiecto sub diuersis rationibus formalibus virtute distinctis habent se eodem ferè modo, quo plures alij conceptus de obiectis re, ac ratione distinctis: præscindunt enim mutuo, si nõ à significato reali, siue fundamentali, saltem à formali: sicut enim is, qui concipit sapientiam, iustitiamque creatam, concipit eas per modum plurium formarum eiusdem subiecti, ita qui concipit easdem in Deo, apprehendit ipsas vt diuersas rationes formales eiusdem entis perfecti. Obseruandum est secundo distinctionem formalem interdum importari ex solo modo significandi sine additione alicuius termini illam specialiter indicantis: hoc vero fit sola diuersitate nominum non synonymorum: nam cum quoduis nomen abstractum importet aliquam rationem formalem, hoc ipso, quo sunt plura nomina abstracta non synonyma, importatur saltem materialiter distinctio ratiocinata obiecti: huiusmodi namque nomina significant rationes formales præcisas, atque adeò important multiplicitatem obiectiuam, & distinctionem virtualem ipsarum. Interdum vero importatur eadem distinctio per terminos reduplicatiuos: de veritate propositionum sub terminis reduplicatiuis dicam inferius, nunc solum dicam vtrum sumptis terminis absolute absque reduplicatione quidquid dicitur de vno, communis dicatur etiam de alio.

IV. Communis sententia docet distinctionem rationis ratiocinatæ sat esse vt negetur de vno termino id, quod affirmatur de altero, quamuis significent idem omnino ex natura rei. Ita D. Thom. de potentia q. 8. art. 2. ad 7. vbi ex Aristot. ait non oportere vt omnia eadem prædicentur quolibet modo de eisdem, sed de eisdem secundum rationem, Capreol. in 1. dist. 33. quæst. vn. ad quintum Scoti, & alij quos retuli tract. 5. cap. 12. Ostenditur vero quoniam ea, quæ conueniunt re ipsa, & differunt ratione, si concipiuntur, & significantur cum mutua præcisione vnius ab altero, non significantur vt eadem, sed tanquam diuersa: quotiescunque vero inuoluitur distinctio inter duo, potest aliquid prædicari de vno, & negari de altero: ergo non necessariò requiritur, vt quidquid prædicatur de vno, prædicetur etiam de altero. Maior propositio patet, quoniam omnis multiplicitas supponit, aut inuehit aliquam distinctionem: quæ vero concipiuntur, & significantur conceptibus, ac nominibus non synonymis, important multiplicitatem rationis ratiocinatæ: ergo & distinctionem. Assumptio vero constat, quoniam distinctum, qua distinctum, secernitur, ac diuiditur ab eo, à quo distinguitur: atque adeò in eo statu potest vendicare aliquid, quod alteri repugnet, & vice versa: idque patet quoniam Theologi communiter admittunt hanc, *intellectus diuinus est principium quo generationis Verbi diuini*, & hoc ipsum negant de voluntate, quæ est idem ex natura rei cum intellectu, quia ipsamet res, prout illis nominibus significatur cum præcisione vnius rationis ab altera, distinguitur formaliter, & subest prædicatis contradictorijs, non quatenus eadem, sed quatenus diuersa. Item Deus, & Deitas, vel essentia diuina sunt omnino idem ex natura rei, & tamen hæc est vera, Deus generat, illa autem hæretica, Deitas vel essentia diuina generat: vt definitum est ab Innocentio 3. in Concilio Lateranensi, & refertur in cap. *Damnamus*, de Trinitate, & fide Catholica. Verum non omnia, quæ dicuntur de vna perfectione diuina, dicuntur de altera, nec omnia negantur: nam, sicut essentia est incorruptibilis, simplex, & in-

S. Thom.

Capreol.

Innocent. 3.

finita,

finita, ita sapientia est incorruptibilis, simplex, & infinita: è contra vero essentia dicitur radix, & fundamentum attributorum, sapientia vero nequaquam: item hæc dicitur attributum, essentia vero minimè: quare opus est assignare rationem aliquam huius discriminis.

V. Pro hac re obseruandum est, quædam prædicata conuenire subiectis solum secundum existentiam obiectiuam, quædam à parte rei: rursus quædam competere illis quatenus conueniunt, quædam vero quatenus differunt. Denique quædam significantur nominibus absolutis, quæ verificari possunt in sensu identico, quædam connotatiuis, quæ solum prædicantur verè in sensu formali, vt dicam inferius. His præmissis sit prima regula, prædicata, quæ conueniunt rebus ratione distinctis secundum existentiam obiectiuam apprehensis cum præcisione vnius ab altero, non prædicantur de vtroque, sed de altero tantum. Hæc ab omnibus recipitur; ostenditur vero exemplo, & ratione: homini concepto per intellectum cum abstractione à suis indiuiduis conuenit relatio speciei, & tamen non conuenit indiuiduis, etiam in sententia asserentium naturam specificam non distingui ex natura rei ab indiuiduis: ratio est quoniam intentio speciei sequitur naturam hominis secundum esse apprehensum, quo distinguitur ab indiuiduis, non vero secundum esse reale, quo cum illis identificatur. Quæ ratio militat in omni prædicato, quod sequitur ad præcisam conceptionem vnius obiecti distincti ab alio ratione ratiocinata: eiusmodi enim prædicatum conuenit ratione distinctionis vnius ab altero, non vero ratione identitatis: atque adeò non potest prædicari de altero, in quo inuenit rationem oppositam. Exempla huius in diuinis sunt plurima: nam quia ratio attributi non conuenit perfectionibus diuinis, nisi per intellectum præcisè concipientem singulas, verè dicitur, attributum iustitiæ non est attributum sapientiæ: ita quia distinctio actualis earundem fundatur in eisdem conceptibus præcisis, verè dicitur, *iustitia distinguitur ratione ratiocinata à sapientia*, falsò vero, *sapientia distinguitur ratione ratiocinata à sapientia*: nam eius contradictoria est vera, nempè *sapientia non distinguitur ratione ratiocinata à sapientia*, propterea quod in prima propositione datur multiplex esse apprehensum in quo fundatur distinctio, in hac vero vltima nequaquam. Plura alia exempla eiusdem generis passim occurrent. Dixi vero requiri vt prædicatum sequatur per se primo præcisam apprehensionem vnius: quoniam si sequatur per se primo apprehensionem vnius tertij, in quo plura conueniunt, poterit conuenire omnibus, quæ in illo tertio conueniunt: vt se habet ratio boni, veri, & similium, quæ per se primo sequuntur ens diuinum, quatenus diuinum est, & consequenter competunt omnibus perfectionibus diuinis quomodocunque distinguantur, vel apprehendantur.

VI. Secunda regula. Quæcunque conueniunt à parte rei vni ex pluribus virtute, ac ratione distinctis secundum rationem aliquam intrinsecam singulis, conueniunt etiam omnibus, & prædicantur de ijs, tam nominibus absolutis, quam connotatiuis: illa vero, quæ competunt ex vi præcisa rationis formalis vnius, non competunt reliquis: & consequenter de illis minimè prædicantur per verba, & nomina adiectiua, nisi forte ratione suppositionis vnius pro altero. Hæc facilè suadetur, & inprimis quoad priorem partem, quoniam vbi datur idem fundamentum identitatis, ac veritatis, potest fieri eadem enunciatio affirmatiua: ergo quotiescunque fundamentum conuenientiæ, & veritatis obiectiuæ est intrinsecum omnibus, ac singulis virtute distinctis, quod affirmatur verè de vno, affirmabitur verè de reliquis. Exempla sunt vnum, immensum, inuisibile, incomprehensibile, & similia prædicata, quæ verè dicuntur de omnibus perfectionibus diuinis absolutis, quoniam per se primo sequuntur ad rationem entis diuini, quæ includitur in quauis perfectione absoluta. Secunda vero pars ostenditur, quoniam sublata immediata ratione connexionis prædicati cum subiecto dissoluitur connexio, nec datur sufficiens obiectum enunciationis affirmantis: vt patet in homine, qui est animal, & sensitiuum, ita tamen vt ratio sensitiui non competat ipsi, nisi quia animal est, si fingamus tolli rationem animalis, hoc ipso dissoluitur connexio sensitiui cum homine: at quando prædicatum competit ex vi præcisa vnius rationis formalis, tollitur immediata ratio connexionis, nisi ea ratio concipiatur: cùm vero duo distinguuntur ratione ratiocinata, & concipiuntur sub mutua præcisione, ratio formalis non apprehenditur per conceptum alterius: quare, quod competit vni ex vi præcisa suæ rationis formalis, non verè prædicatur de altero per verba, & nomina

mina adiectiua, quæ non verificantur de subiecto nisi formaliter, quod non contingit inter terminos, qui à se mutuo præscindunt. Exempli causa Verbum æternum procedit per actum intellectus sub propria ratione actus intelligendi: ratio vero huius actus minimè concipitur, cùm apprehenditur actus voluntatis, prout præcisè est actus voluntatis, & distinctus ab actu intellectus, & ideò non verè dicitur, Verbum diuinum procedit per actum voluntatis. Medium vero ad discernendum, quænam perfectiones secundum proprias rationes vendicant aliquod prædicatum, est fingere per impossibile hanc, vel illam perfectionem deesse Deo, deinde vero attendere an adhuc prædicatum conueniat nec nè: si enim adhuc conuenit, signum est perfectionem illam, quæ fingitur deesse, non esse præcisam rationem illius prædicati: si vero non conuenit, consequens est vt illa sit propria, ac præcisa ratio illius.

VII. Addita est in regula exceptio illa, nisi forte verificetur ratione suppositionis vnius pro altero: nam suppositio facit, vt quæ alioquin distinguuntur, verè de se inuicem prædicentur, & subijciantur ijsdem prædicatis. Ideò enim, quæ sunt idem subiecto, illudque connotant, verè inuicem prædicantur, quamuis differant secundum rationes formales: supponunt enim pro eodem subiecto, quod verè subijcitur diuersis prædicatis cõcrete sumptis. Ob hanc causam, vt communiter docent Theologi, cùm hæc propositio, *Deitas generat*, sit falsa, quoniam generare non conuenit nisi primæ personæ diuinæ, pro qua essentia non supponit, hæc tamen est vera: *Deus generat*, quoniam terminus, *Deus*, admittit suppositionem personalem. Similiter cum hæ sint falsæ, *Deus misericordia punit, iustitia miseretur*, hæ tamen sunt veræ, *misericors punit, iustus miseretur*, quoniam termini illi concreti à parte subiecti stant pro Deo, cui vtrunque prædicatum tribuitur.

VIII. Ad primum argumentum respondetur illud principium intelligendum esse de eodem genere identitatis, quo duo sunt eadem in vno tertio. Identitas autem secundum rem quamuis sufficiat ad prædicationem identicam, non tamen sufficit ad formalem: & quoniam plura sunt prædicata, quæ nonnisi formaliter possunt verificari, vt constabit inferius, ex omnimoda identitate secundum rem non sequitur absolute, vt omne, quod dicitur de vno, dicatur de altero illi identificato. Ad secundum neganda est maior propositio, & patet instantia in plurimis: nam substantia genus summum, & ens non distinguuntur ex natura rei, nec tamen opus est, vt vnum supponat semper pro alio: dicitur enim substantia genus, ens vero minimè: Contra vero hoc dicitur analogum, substantia vero nequaquam. Item in diuinis terminus, *Deus*, supponit pro personis, terminus vero, *essentia*, neutiquam: & tamen significatum vtriusque est idem omnino ex natura rei. Ad tertium respondetur subiectum aliquod posse esse multiplex virtute, ac ratione, & ex vi vnius rationis vendicare aliud prædicatum, quod non competit alij præcisè sumptæ; vnde distinguenda est assumptio, ac dicendũ, si aliquis terminus significet idem re, ac ratione, quod significat subiectum alicuius propositionis, habere posse identitatem cum prędicato sufficientem vt illi subijci possit, sin vero significet idem re, distinctum tamen ratione, non habere identitatem obiectiuam, requisitam ad veritatem enunciatiuam. Ea vero, quæ sunt idem ex natura rei, & ratione distincta, nõ sunt idẽ re, ac ratione, & proinde non opus est, vt si vnum habet identitatem obiectiuam cum prædicato aptam terminare assensum verum, aliud quoque habeat, vt patet ex dictis.

An prædicationes in terminis diuinis sint per se.

Caput X.

I. Dictum est, quænam propositiones sint veræ in terminis diuinis: restat explicandum vtrum sint per se formales, & quomodo sint veræ sub reduplicatione, & alijs loquendi formulis. Est vero multiplex hac de re sententiarum varietas, pro cuius explicatione obseruandum ex Marsilio in 1. quæst. 6. art. 2. ad 4. prædicationem tripliciter dici formalem: primo quidem quando est per se, & non per accidens, secundo quando denominatio non est causalis sumpta à forma extrinseca causata, vel causabili, sed à forma inexistente subiecto, quod denominat. Tertio quando prædicatum non verificatur identice solum, sed formaliter, hoc est cum adiectiuè dicitur de subiecto. Verùm hoc vltimum membrum non adæquate explicatur, quoniam licet omne prædicatum adiectiuum dicatur formaliter de subiecto, non tamen solum. Quia tamen sunt alij modi, quibus impeditur ratio prædicationis formalis, sic diuidi potest prædicatio: aut enim sumitur à forma verè inexistente subiecto, vel

Marsil.

forma

forma minimè inexistente: si inexistat vel est per se, vel per accidens: per se dicitur formalis primo modo, per accidens vero non: item si inexistit, vel conuenit subiecto ratione solius identitatis cum supposito prædicati, & est identica, vel immediate applicatur subiecto solum ratione formalis significati, & est formalis, si non inexistit, vel immediate denominat illud, vel aliud, cùm quo habet aliquam coniunctionem, aut habitudinem: si immediate denominet adhuc est formalis, quo pacto hæ prædicationes, *lapis videtur, amicus diligitur*, sunt formales, quamuis denominatio sumatur à forma extrinseca: si denominat prius aliud, aut id est effectus, aut forma concomitans, aut fundata in subiecto denominato: & omnibus his modis propositio non est formalis, sed causalis, vel fundamentalis, vel per concomitantiam: nam sol dicitur calidus non formaliter, sed causaliter, quia habet vim calefaciendi, albedo dicitur similitudo, non formaliter, sed fundamentaliter, quia est fundamentum relationis similis ad simile: generatio vnius est corruptio alterius concomitanter, quoniam indiuisibili nexu copulantur: similiter ex Aristotele lib. 3. de anima text. 19. substantia intellectus est sua actio, quod non est verum formaliter, sed concomitanter, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 54. art. 1. ad primum. *Aristot.* *D. Thom.*

II. Cæteri modi prædicationis formalis præter eum, qui opponitur identicæ, fere nihil difficultatis habent: & ideò hoc capite expendendi sunt, vt sequentibus exponam difficultates circa formalem, & identicum. Primum vero constat Deum denominari extrinsecè formaliter à rebus creatis, dicitur enim diligi ab homine, videri à beatis, offendi à reprobis, nonnunquam etiam denominatur ab actionibus nostris, quarum obiectum est: quo pacto D. Ignatius Epist. 15. quæ est ad Roman. quem refert Dionys. Ariopagita lib. de diuin. nom. cap. 4. p. 1. *amor meus*, inquit, *crucifixus*, & Iacobus Genes. 31. *nisi timor Isaac affuisset mihi*, id est, Deus, quem timuit Isaac, & cuius reuerentia se obtulit immolandum, & Dauid Psalm. 33. & 90. itemque Hieremias cap. 17. Deum in spem suam appellant, quia scilicet Deus est obiectum amoris, timoris, ac spei nostræ: denominatur etiam causaliter, ex rigore quidem ab omnibus suis effectibus, quod indicauit Dionys. cap. 2. de diuinis nominibus p. 1. ad finem: vbi, cùm dixisset: *Si quis vitam viuere, aut illuminari lucem dicat, non recte loqui*, addit, *nisi forte per alium hæc dixerit modum, quod affluenter, ac substantificè, qua causalium sunt, causis præinditá sint*, & eodem lib. cap. 5. *omnia est*, inquit, *vt omnium causa, & in se omnia initia, omnes conclusiones, & terminos rerum omnium continens, & ante habens.* Hoc modo vt notat Altisiodorensis lib. 1. cap. 6. aliàs 7. q. 7. dicitur Deus in sacris literis patientia, & fortitudo, & salus nostra, & plerisque alijs rerum, quas causat, nominibus significatur, vndè idem Dionys. cap. 1. mysticæ Theologiæ ait Deum celebrari positione, & ablatione eorum, quæ sunt: positione inquam secundum rationem eminentiæ, & causalitatis, vt notat D. Thomas quæst. 9. de potentia art. 7. ad secundum, cap. vero 4. de diuinis nominibus Deum ait appellari lucem, eo quod omnè supercœlestem Spiritum spiritali impleat luce. Hæc tamen appellatio non debet ad omnia extendi, vndè vt notat D. Thomas loco proximè citato, Deus nullo modo dicitur corpus, & tamen corpus continet eminenter vt causa: non vsurpantur itaque etiam in sensu causali propositiones, in quibus est aliquid periculum erroris, aut aliqua loquendi absurditas. An vero denominationes omnes sint veræ solum in sensu causali, non est huius loci disputare, ideoque suppono probandum in tractatu de nominibus Dei in Deo esse formaliter perfectiones simpliciter significatas nominibus attributalibus, & non solum denominari sapientem, iustum, ac fortem, ex eo, quod perfectiones has in creaturis repertas causaliter præhabeat, sed quia ipse verè sit in se ipso sapiens, iustus, ac potens: itaque si attendamus ad hęc vocabula, quatenus imposita sunt significandis perfectionib⁹ creatis, prædicationes non sunt veræ in sensu formali, sed causali, vel supereminentiali, vt crebro ait D. Dionys. si vero eadem vsurpemus prout extensa sunt ad significandũ easdem perfectiones in abstractione à creatis, sunt veræ in sensu formali. Prædicatio per concomitantiam, aut fundamentalis non vsurpatur in diuinis: non enim dicitur generatio actiua est generatio passiua, quamuis indissolubili nexu coniunctæ sint. *Altisiodorens.* *Magn. Dion.* *S. Thom.*

III. Propositiones autem per se multipliciter accipiuntur: cùm enim totidem modis dicatur vnum oppositorum, quot dicitur alterum, & dici per accidens, quod opponitur prædicationi per se, multipliciter accipiatur, ipsum quoque prędicari per se multis modis accipitur. Prædicari vero per accidens quadrupliciter accipitur: primo id

D. Ignatius. *Magn. Dion.* *Genes. 31.* *Psal. 13. & 91.* *Hierem. 17.* *Magn. Dion.*

dicitur per accidens, quod conuenit per aliud, vel ratione alterius: quomodo musicus per accidens ædificat, quia musicus per accidens est idem subiecto cum Architecto, cui per se primo conuenit ædificare. Secundo id, sine quo potest esse subiectum: qua ratione homo dicitur per accidens Rex, aut seruus. Tertio, quod conuenit accidentaliter inhærendo, quomodo passiones de genere accidentium conueniunt per accidens proprijs subiectis, non tamen differentiæ specificæ generibus: quoniam, licet non sint de ratione intrinseca ipsorum, non tamen inhærent. Quarto denique per accidens dicuntur illa prædicata, quæ non sunt de ratione inti inseca subiecti, siue inhæreant siue non: & hoc modo differentiæ dicuntur per accidens de generibus. Ex quibus patet per se illa dici primo, quæ non conueniunt per aliud: secundo, quæ conueniunt necessariò: tertio prædicata positiua, quæ non sunt accidentia inhærentia subiecto: quarto denique, quæ sunt de intrinseca ratione subiecti.

IV. Ex his patet multa dici de Deo per accidens primo, secundo, & quarto modo: nihil vero tertio: nam primo modo dicitur Deus creator per accidens à relatione, quæ est in creatura: non enim habet ipse realem relationem ad res creatas, sed denominatur à relationibus, quæ in ipsis sunt, vt censent multi Doctores. Secundo vero modo relationes ipsæ rationis temporales Dei ad creaturas dicuntur de ipso per accidens, vt ait D. Thom. in 1. dist. 30. quæst. vn. art. 1. ad 2. & 4. & de potentia quæst. 7. art. 8. ad 6. Quarto denique modo ista est per accidens, *Deus est Pater*, vt ait idem D. Thomas de potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. Tertio vero modo nihil est per accidens Deo: quoniam nihil est in ipso reale positiuum, quod non subsistat, vel quod inhæreat, vt ostensum est tract. 1. cap. 1. Et in hoc sensu accipiendum est, quod docet S. Thomas in 1. dist. 4. quæst. 2. art. 2. ad 3. scilicet nihil de Deo prædicari per accidens, & ob hanc causam, hanc propositionem: *Deus est Pater*, quæ non est per se vllo ex modis traditis ab Aristotele, esse per se tradit D. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 6. ad 2. propter omnimodam identitatem, quia scilicet omnia diuina, tã absoluta, quã relatiua, sunt idẽ in essentia sub ratione substantiæ, & quamuis proprietates relatiuæ non sint de intrinseca ratione essentiæ, tamen sunt substantiales, hoc est nõ inhærentes. Verùm de prædicationibus, quæ constant aliquo extremo diuino relatiuo agendum est in materia de Trinitate. Ea vero, quæ dicuntur ex tempore de Deo, vel cum habitudine ad res existentes, planum est non pertinere ad modos dicendi per se traditos ab Aristotele: solùm restat agendum de prædicatis diuinis mutuo comparatis, & in ordine ad actiones immanentes, & transeuntes.

V. Omnia vero absoluta positiua dici per se primo modo, hoc est quasi pertineant ad essentiam subiecti, de quo prædicantur, docet expresse Dionysius Cistercien sis in 1. dist. 22. quæst. vn. art. 2. conclusione 1. & est de mente illorum, qui aiunt omnia esse de intrinseca ratione essentiæ, quos retuli tract. 1. cap. 6. probatur autem, quoniam nihil dicitur verè in abstracto de altero, nisi pertineat ad rationem intrinsecam, & definitionem essentialem ipsius: perfectiones autem diuinæ prædicantur aliæ de alijs in abstracto: ergo pertinent ad diffinitionem ipsarum, & dicuntur per se primo modo. Secundo hæc propositio, *Sapientia diuina est iustitia*, non est per accidens: ergo per se: Antecedens patet, quoniam non est contingens, aut vera per inhærentiam, vel ratione alicuius tertij: ergo per se quatenus vna vendicat aliam essentialiter, & intrinsecè: Tertio omnis propositio per accidens reducitur ad aliquam per se: hæc vero, *Sapientia diuina est iustitia*, non habet aliam per se, ad quam reducatur: ergo ipsa est per se.

VI. Termini significantes perfectiones diuinas absolutas sunt in triplici differentia: aut enim accipiuntur ita, vt saltem ex intentione loquentis designent omnem perfectionẽ, quę est in Deo, quo pacto Doctores aliqui volunt accipi iam communiter hoc nomen, *Deus*, vel, *Deitas*: aut accipiuntur pro essentia diuina, quatenus à nobis concipitur vt perfectio substantialis Dei: aut denique pro perfectionibus attributalibus præcisis ab inuicem & à ratione ipsius essentiæ, si priore modo accipiatur subiectum, omnis prædicatio perfectionis absolutæ realis est per se primo modo. Patet ex dictis tract. 1. vbi probatum est perfectiones oẽs absolutas esse de intrinseca ratione essentiæ diuinæ adæquate sumptæ: quod enim est de formali ratione intrinseca subiecti, dicitur per se primo modo de illo. Si vero subiectum sumatur secundo modo, tunc prædicatio quarundam rationum, etiam nostro modo intelligendi substantialium, erit per se primo modo: nam, sicut hęc, *Gabriel est substantia, Spiritus, viuens, intelligens*, est per se primo modo, ita quoque hæc, *Deus est Spiritus, Deus est substantia*, &

Dion. Cist. ciens.

S. Thom.

S. Thom.

Rabien.

D. Thom. Caietan.

VII

similes erũt per se primo modo, quoniam etiam nostro modo intelligẽdi perfectiones terminis illis significatę sunt de intrinseca ratione essentiali cuiusuis substantiæ immaterialis. Si verò prædicatum sit aliquod ex illis, quæ per modum proprietatis tribuuntur Deo, propositio erit per se secundo, nõ primo modo. Hæc expressè traditur à Gulielmo Rubionio in 1.dist.8. q.5.art.2.conclus.2. estque conformis doctrinæ traditæ tract.2. vbi ostendi perfectiones absolutas non esse de intrinseca ratione Deitatis prout à nobis cõcipitur precise sub perfectione substantiali. Ex hoc enim apertè sequitur non prædicari per se primo modo de Deo: cumq; sit necessaria connexio inter illlas, & Deitatem, & concipiãtur à nobis per modum proprietatũ, si velimus eas diffinire sub ea precisa ratione, qua cõcipimus, necessario ponenda est essentia diuina in ipsarum diffinitionibus: atq; adeò hæc prædicatio, *Deus est sapiens*, erit per se secũdo modo. Deniq; si de se inuicẽ prędicentur, propositio neutro ex his modis erit per se, sed per accidens, per se verò tantũ in ratione idẽtitatis. Prior pars est manifesta, quoniam quando prædicatum, & subiectũ ita se habent, vt neutrum ponatur in definitione alteri⁹, prædicatio nõ est per se primo, aut secũdo modo: perfectiones verò diuinę, vt à nobis concipiũtur, nõ definiuntur mutuo per se ipsas, aut vna per aliam: ergò non prædicantur per se vllo ex illis modis, sed per accidẽs, quatenus omnes coniunguntur in eadẽ essentia, cui singulæ conueniunt per se: quia vero per se sunt idem cum essentia, & inter se, ratione huius identitatis potest dici per se enũciatio, qua vna prædicatur de altera, sicut eadẽ de causa D.Thõ. voluit hãc esse per se, *Deus est Pater*, vt explicat Caieta.1.p. q.39.art.6.circa solutionem ad secundum. vbi tradit duplicem modum perfeitatis, nempè formalis, & identicæ, & quia in diuinis datur perfeitas identica, ait dicendas esse propositiones per se, & non per accidens, vt ibidem indicat D.Thom.

Rubion.

D.Thom. Caietan.

VII. Ex his patet fundamentũ oppositæ sententiæ esse falsum: nam licet perfectiones absolutæ sint de ratione intrinseca essentiæ adæquate sũptæ, non tamẽ vt à nobis cõcipitur, nec se mutuo includũt. Ad primum argumentũ respõdeo distinguẽdo maiorẽ propositionẽ: nam, si intelligatur de propositione vera in sensu identico, est falsa: hæc.n. est vera idẽtice, *essentia diuina est Paternitas*, & tamen Paternitas nõ pertinet ad rationẽ intrinsecã essentiæ, nec dicitur de illa per se, vt patet ex paulò antè dictis. Si vero intelligatur de propositione vera in sensu formali, est vera: sed assũptio est falsa in eodẽ sensu, vt ostendã inferius. Ad secũdum respondeo hanc propositionẽ, *sapientia diuina est iustitia*, esse per se tertio modo, hoc est identice, quatenus est necessaria, & prædicatũ non est accidens inhærẽs subiecto, esse tamen per accidens quarto modo, quoniam sapientia nõ est de ratione iustitiæ, ac viceuersa. Ad quod parum refert, quod nõ conueniat cõtingenter, per inhærentiã, aut ratione alicuius tertij, quod adducitur ad probationẽ antecedẽtis; accedit quod sicut pfectiones diuinæ nostro modo intelligendi cõcipiuntur, vt proprietates Deitatis, ita cũ mutuo prędicantur, possunt dici prædicari per accidẽs ratione alicuius tertij, cum quo identificãtur, quemadmodũ prędicantur proprietates, & accidentia creata, quæ cõiunguntur in eodem subiecto: v.g. risibile est discursiuũ, album est dulce, prædicantur enim mutuo, quia sunt idem subiecto: ita per accidens prędicatur in diuinis iustitia de misericordia tàm in concreto, quàm in abstracto, & sic res se habet in reliquis. Quod intelligendum est formaliter: nam identice, vt iam obseruaui dicitur per se. Ad tertium respondeo, si per se significet idem, quod essentialiter, non requiri, vt omnis propositio per accidens reducatur ad aliquam per se: nam propositiones de prædicato contingenti non possunt reduci ad vllam essentialem: si verò per se idem sit, ac non per aliud, vera est maior propositio, nam omne prædicatum conueniens subiecto per aliud, conuenit alteri per se, hoc est illi, cui conuenit non per aliud, & hoc modo hæc propositio, *sapientia diuina est iustitia*; reducitur ad hanc, *essentia diuina est iustitia*: essentiæ enim per se, & non per aliud conuenit iustitia: & quia sapientia supponit pro re, quæ est essentia, de illa quoque ratione essentię pro qua supponit, verè prædicatur iustitia.

VIII. Quod si loquamur de terminis verbalibus significantibus actiones immanentes, vel transeuntes, cõparari possunt aut cum essentia, aut cũ perfectionibus alijs. Quod si cũ essentia comparẽtur, videbitur forsan non prędicari per se, quoniam Aristot. l.2. Physicor. text.33. ait, polycletum esse causam per accidens statuæ, quoniam accidit statuario, vt sit Polyclet⁹, & viceuersa substantia, cui cõuenit accidẽs, quod est principium operationis, dicitur per accidens causa illius, quo pacto homo p accidens est causa statuę, quia accidit illi ars statuam fabricãdi, sed ita se habet Deus substãtialiter

Aristot.

significatus ad suã artem, vt homo ad suã: si ergò homo operans per artem per accidens operari dicitur, etiã Deus. Nihilominus dicendum est omnẽ actionem prædicari per se de Deo. Fundamentum est quoniam principium immediatum agendi, cui per se tribuuntur actiones, per se conuenit Deo, vt per singula discurrendo liquet: nã intellectus, ac voluntas, quę sunt principia formalia omnium operationũ ad intra, sapientia, ars, & omnipotẽtia, quę sunt principia actionum ad extra, per se conueniunt Deo: nam si adæquate sumatur, cõueniunt in primo modo dicendi per se, in secundo verò, si sumatur inadæquate prout cõcipitur à nobis sub sola ratione subsẽtialis perfectionis: quoties verò principiũ agẽdi per se cõuenit subiecto, etiã per se, & nõ per accidens de illo dicitur operatio: hæc enim, *homo intelligit, ridet*, est propositio per se, & non per accidens, siue per aliud. At si operationes tribuantur perfectionibus illis, à quibus immediate emanare concipiuntur, etiã propositio erit p se: contra verò si tribuantur alijs disparatis; patet quoniam hęc est per se; *Deus iustus punit, misericors parcit, omnipotens creat, sapiens intelligit*: hæc vero per accidens, *iustus miseretur, misericors punit: Bonus intelligit, sapiens amat*. Ratio est, quoniam hæc prædicata tribuuntur subiectis non per se, sed propter identitatem cũ propria ratione, & principio operationũ. Ex quo patet doctrinã traditã minimè repugnare dicto Aristot. nam ille solum eas prædicationes dicit per accidens, quando tribuitur ratio causandi substantiæ, cui per accidens conuenit propriũ operandi principium: quomodo aqua per accidens calefacit, quoniã calor, qui est propriũ, & immediatum principium calefaciendi, conuenit illi per accidens: omne verò principium operationis Dei ad extra conuenit ipsi per se, & consequenter operatio ipsa.

Quid requiratur ad veritatem propositionis in sensu formali.

Caput XI.

I. ACturus deinceps de veritate propositionum in terminis diuinis in sensu identico, & formali, necessarium duxi explicare, in quo consistat veritas identica, & formalis, & quo differant: Appellatur autem veritas formalis per inhęrentiã, vel informationem, identica per identitatem. In primis autem D. Bonauent. in 1. dist. 27. 1. part. art. vn. q. 1. ad vltimum, & d. 33. q. 3. *S. Bonauent.* asserit prędicationem per inhęrentiam esse in cõcreto, prędicationem vero per identitatem in abstracto: quibus indicat prędicationem omnem in concreto esse per inhærentiam, in abstracto verò per identitatem. Idem videtur sensisse Henric. in summ. art. 74. q. 3. liter. B. sed hæc regula non est vniuersaliter vera: quia abstracta accidentium prædicantur de inferioribus per inhęrentiam, siue formaliter: & nonnulla concreta dicuntur per identitatem, quomodo hęc est vera, *essentia diuina est generans*, si terminus generãs accipiatur substantiuè neutraliter, quia facit hunc sensum, essentia diuina est res, quæ est generans, nempè Pater: & idem met Bonauent. in 1. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 3. admittit hanc esse veram per identitatem, *essentia diuina est Pater*, & in eodem sensu D. Thom. in 3. dist. 5. in expositione text. concedit hanc, *essentia diuina est homo*, quia est idem secundum rem cum supposito hominis. *Henricus.* *S. Bonauent.* *S. Thom.*

II. Hispalensis in 1. dist. 33. quæst. 1. artic. 3. notabil. 1. existimat omnia nomina substantiua dici per identitatem, & sola adiectiua per informationem: quoniam in prædicatione, inquit, identica prædicatum non se habet ad subiectum vt forma, vel vt aliquid eius, neque vt ponens rem significatam circa subiectum, sed vt quoddam per se subsistens: & ideo prędicatio identica fit per terminos substãtiuos substantiuè tentos: at verò in prædicatione per inhærentiam prædicatum se habet ad subiectum vt forma, vel per modum informantis: & ideo dicitur ponere rem suam circa subiectum. Hoc verò patet per exponentes vtriusque prędicationis: nam hęc propositio, *homo est albus*, exponitur ita, homo habet, vel est habens albedinem: illa verò, *homo est Pater*, si sit formalis, exponitur, id est, homo habet Paternitatem: prędicatio verò identica non ita exponitur, sed per esse id, quod est res prædicati: vt si Pater substantiue teneatur in prædicato huius propositionis, *homo est Pater*, idem valet, ac si dicatur homo est is, qui habet Paternitatem: item cùm dicitur, *virtus est qualitas*, exponens eius est, virtus est id, quod est qualitas. Ex quo infert omnem prædicationem identicam fieri per abstracta, vel concreta substantiua, vel substantiue sumpta. Contra verò omnem prædicationem formalem fieri per prædicata concreta adiectiua, vel adiectiue sumpta. Ex hac doctrina sequitur nullam prædicationem substantiarum, prædicamentaliũ esse veram in sensu formali, quo- *Hispal.*

mali, quoniã significantur nominibus ſubſtantiuis; vt cùm dicitur, *Petrus eſt homo, homo eſt animal*, cui tamen repugnat tum D. Thomas vbi ſuprà, admittens hanc eſſe veram in ſenſu formali; *Filius Dei, eſt homo*, tũ etiam ratio, quoniam hæc, *Pater eſt Deus*, eſt vera in ſenſu formali, & tamen prædicatum eſt terminus ſubſtantiuus.

III. Vt verò tradatur vera, ac propria ratio ſenſus formalis & identici, obſeruandũ eſt prædicationem veram adæquatè diuidi in identicam & formalem: formalis dicitur per informationem, vt patet ex D. Thom. in ſcripto ad Hannibaldum in 1. d. 5. q. vn. art. 1. Dicitur verò per informationẽ, quãdo prędicatũ habet rationem formę reſpectu ſubiecti. Quoniam verò forma dupliciter comparatur ad ſubiectũ, vel eſſentialiter & intrinſecè, vel accidentaliter & extrinſecè: duplex quoque reperitur modus prædicationis formalis: alter eum forma, ratione cuius prædicatum verificatur de ſubiecto, eſt illi eſſentialis, & intrinſeca, vt cum dicitur homo eſt animal: namque animalitas eſt forma intrinſeca homini: alter cum eſt accidentalis, & extrinſeca, vel ſignificatur, aut prædicatur per modum formæ accidentalis, vt cùm dicitur, homo eſt ſapiens, vel rationalis: ſapientia enim eſt forma accidentalis, rationalitas verò, licet ſit eſſentialis, prędicatur per modum accidentis, cum ſignificatur nomine adiectiuo. Primus modus dicitur prædicatio per inhærentiam, ſecundus formalis ſine addito: & quia habet ſimul aliquem modum prædicationis per identitatem, vt ſtatim dicam, propterea plerique Authores prædicationem formalem appellant ſimpliciter per inhærentiam. Egò tamen non ita preſsè accipio, ſed prout vtrumque membrum complectitur.

IV. Hac diuiſione propoſita notandum eſt etiam ex D. Thom. in 3. d. 5. in expoſitione text. tunc prædicationem eſſe veram per identitatẽ, quando nomen prædicatur ratione ſuppoſiti, ſiue materialis ſignificati: tum verò per informationem, quãdo prædicatur ratione formæ, quæ prædicatio eſt magis propria: quoniam termini in prædicato tenentur formaliter. Eadem doctrina re ipſa, licet alijs verbis, traditur à Marſilio in 1. quæſt. 6. articul. 2. initio, & Gabriele diſt. 4. quæſt. 1. articul. 3. notab. 2. Ex quo colligitur propoſitionum alias eſſe ſolum veras identice, alias formaliter, alias vtroq; modo: ſolum identice, quando verificantur ſolum ratione ſuppoſiti: vt cùm dicitur, *eſſentia eſt generans*, ſumendo terminũ *generans*, neutraliter: ſolũ formaliter, cum verificantur ratione ſolius formæ, vt cùm dicitur, *Muſicus canit*: quia à parte prædicati nõ eſt ſuppoſitũ, vt ratione idẽtitatis ſubiecti cũ ipſo propoſitio ſit vera, ſed ſolũ forma applicatur, & immediate tribuitur ſubiecto: denique, vt notat D. Thom. vbi ſuprà, vtroq; modo poſſunt eſſe veræ propoſitiones, quãdo prædicatũ, & ſubiectum ſupponunt pro eodẽ, & forma prædicati ratione ſui cõuenit ſubiecto, vt habẽti: quod probatur à D. Thõ. exemplo huius enunciationis, *Filius Dei eſt homo*, quæ eſt vtroq; modo vera: identice quidem, quoniam idẽ ſuppoſitum, quod eſt Filius Dei, eſt homo: ſecundùm informationẽ verò, quoniam homo ſignificat humanitatẽ, vt habitã à Filio Dei, qui eſt modus quidã informationis. Verũ contra hãc doctrinã obiicitur primò, quoniam multæ prædicationes in abſtracto ſunt veræ identice: nomina verò abſtracta nõ important ſuppoſitũ: ergò ad veritatem propoſitionis identicæ nõ requiritur, vt nomen prædicetur ratione ſuppoſiti. Secundò propoſitiones per accidens, vt *Muſicus ædificat, Rex canit, Architectus currit*: ſunt veræ in ſenſu formali, & tamen prędicatum verificatur ſolum ratione ſuppoſiti: ideò enim Muſicus dicitur ædificare, quia Orpheus cui accidit Muſica, ædificat: nec formalia ſignificata immediate copulantur, ſed ratione ſuppoſiti: ergò ex eo, quod nomen prædicetur ratione ſuppoſiti, non eſt propoſitio vera in ſenſu identico. *S. Thom.*

V. Pro ſolutione horum argumentorum, & explicatione diuerſitatis inter ſenſum identicum, & formalem, obſeruandum eſt, nomen *ſuppoſitum*, cum de prædicationibus agitur, nõ ſumi pro ſuppoſito, quod dicitur res naturę, ſed pro eo, pro quo ſupponit nomen à parte ſubiecti: ita Alenſ. 1. p. q. 51. m. 1. art. 2. ad 1. & Lychet. in 1. d. 5. q. 1. §. *Dico ſecundò*, vnde abſolute loquẽdo in hac materia ſuppoſitũ ſignificat id, quod ſignificatur per modum ſubſtantiæ, & eſt aptum per ſe ſubijci, & non quaſi applicans alteri ſuum ſignificatum: quod ſumitur ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæſt. 39. art. 5. ad 5. aſſerentis nomen ſubſtantiuum importare ſecum ſuum ſuppoſitum, vel rem per modum ſuppoſiti, & non vt in alio exiſtentem: nomina vero ſubſtantiua non ſignificãt ſolum res ſubſiſtentes, ſed etiam nõ ſubſiſtentes vt accidentia: ex quo patet ſuppoſitũ hic ſumi non pro ſuppoſito naturæ, ſed prędicationis, quod ſolum cõuenit nominibus ſubſtantiuis, vnde Logici dicunt nomina ſubſtantiua ſupponere, vel reddere ſuppoſitum verbo, adiectiua *Alenſ.* *Lychetus.* *S. Thom.*

verò

vero nequaquam, sed copulare formam suppositō: quia scilicet formale significatum ponunt circa substantiuum, significant enim per modum accidentis inhærentis subiecto: & idcirco, quando fit prædicatio per adiectiua, nunquam prædicatū debet exponi neutraliter, aut substantiuè: quando verò fit per nomina substantiua, potest exponi tum per id, quod est: vt cùm dicitur, *Filius Dei est homo*, exponitur per est id, quod est homo: tum per habens formam: vt cùm dicitur, *homo est animal*, potest exponi dicendo, homo est habens animalitatem.

VI. His positis facilè soluuntur argumenta. Ad primum distinguenda est Assumptio: nam, si intelligatur de supposito proprie, siue Metaphysicè sumpto, cōcedenda est: in hoc tamen sensu non sequitur conclusio: quandoquidem, vt patet ex dictis, cùm D. Thomas ait, tūc propositionem esse veram in sensu identico, cum nomen prædicatur ratione suppositi, nō sumit suppositum hoc modo, sed pro supposito verbi, siue suppositō prędicationis: in omni enim prędicatione interuenit suppositum ita acceptum: & ideo in hoc sensu neganda est Assumptio: nam omnia abstracta, vtpotè substantiua, reddunt suppositum Verbo. Pro solutione secundi obseruandum est aliud esse loqui de re ipsa, aliud de modo significandi, & prædicandi: si de re ipsa loquamur, omnis forma, quæ non conuenit per se, & immediate alteri, sed ratiōe tertij, in quo sunt vnū, dici poterit verificari in propositione ratiōe tertij, & hoc modo vera est assumptio: nam ędificatio per accidens cōiungitur cum arte Musica, quia accidit Orpheo, in quo est musica: si verò loquamur de modo enunciandi, tūc nomen dicitur prædicari ratione suppositi, cum ipsum importat suū suppositum grāmaticale, nec immediate applicat subiecto suū significatum formale, sed dicit illud quasi subsistens in supposito importato per nomen prædicati: tunc enim vt formale adaptetur subiecto, ac de illo verificetur, oportet suppositum ipsius prædicati conuenire subiecto per identitatē, vt sit idē suppositū vnius, & alterius: v. g. cum dicitur, *essentia diuina est generans*: idem enim valet, ac si dicatur, essētia diuina est res generās, vel id, quod generat, nempè Pater substantiue: in hoc aut sensu est falsa assumptio, nā in omnib. illis propositionibus prædicata nō verificantur hoc modo ratione suppoti: siquidē illud nō important: nullū enim nomen adiectiuum, aut verbum trahit secum proprium suppositum, sed applicat suum significatum formale suppositō subiecti.

Ex dictis sequitur nullam propositionem de prædicato adiectiuo esse veram in sensu idētico, sed formali, hęc est D. Thō. vbi sup. in 3. Scoti in 1. d. 5. q. 1. §. *Sed loquēdo*, cum Bargio ibid. Soti q. 2. de quantitate art. 1. §. vlt. Ostenditur aūt, quoniā propositio est vera in sensu identico, cum nomē prędicatur ratione suppositi, hoc est ratione eius, pro quo supponit: adiectiua aūt nō supponunt: & ideò verificari nequeunt in sensu identico. Sequitur secūdo substantiua cōcretè sumpta posse enunciari verè in vtroq; sensu, est de mente D. Thomæ vbi suprà: ostenditur verò quoad identicum, quoniā huiusmodi nomina, quatenus substantiua, prædicari possunt ratione suppositi, quia suppositum à parte prędicati substās formali significato est id, quod à parte subiecti substat etiā formali significato: vt cùm dicitur; *Homo est animal*, sensus identicus est; *Homo est id, quod est animal*. Quo ad formalem verò probatur, quoniā nomina eadem cōcreta significare possunt suū suppositum, tanquā habens formale significatum: & consequenter prędicari de subiecto per modum habentis, & ita hæc est vera in sensu formali, *Socrates est Homo*, hoc est habens humanitatē. Quomodo verò discerni possit vtrum propositiones de prædicato substantiuo cōcreto sint solum verę in sensu identico, ex eadem doctrina D. Thomæ colligitur: nam, si solum exponantur per identitatem subiecti cum materiali significato prædicati, siue p id, quod est, sunt solum veræ in sensu identico: quomodo hæc propositio, *essentia diuina est generans*, sumpto termino generans substantiuè, & neutraliter, est vera solum in sensu identico: & facit hūc sensum, essentia diuina est id, q̄ est generās: nec potest aliter exponi, aut dici, *essentia diuina habet generationē*: cum verò propositio patitur vtrūq; modū expositiōis est vera simul in sensu formali, & idētico. VII.

S. Thom. Scotus. Bargius. Soius.

S. Thomas.

Controuersia restat circa abstracta. In primis aūt vtrum propositiones constantes terminis abstractis possint esse veræ in sensu formali: deinde verò quid requiratur ad hoc, vt sint veræ in sensu identico. Dicam verò in primis de primo, deinde de secundo: Non esse veras in formali indicat Bonauentura, Henric. Hispalensis. vbi suprà, & alij. Et suadetur, quoniam propositio constans terminis abstractis non verificatur nisi per identitatem nec exponi potest per habens formā, si enim exponatur hęc propositio, *humanitas est animalitas*, non verè dicitur, *humanitas est habens animalita-* VIII.

S. Bonauent. Henricus. Hispal.

S. Thom.

malitatem, ſicut non verè dicitur, *Homo eſt habens animal*: ſed dici debet, *humanitas eſt id, quod eſt animalitas*: ergo non eſt vera in ſenſu formali, ſed identico. Contra verò alij conſtituunt diſcrimen in prædicatis abſtractis: nam, quædam pertinent ad rationem intrinſecam ſubiecti, quædam minime; Et priora cenſent prædicari formaliter, poſteriora vero nequaquam. Primum patet, quoniam in illis prædicatum verificatur de ſubiecto ratione formalis ſignificati: quæcunque verò ita verificantur, prædicantur formaliter, quãdoquidem formale ſignificatum prædicati tribuitur per ſe ipſi ſubiecto. Secundum verò oſtenditur: quoniam illa, quæ non ſunt de intrinſeca ratione alicuius, ſed ſunt formæ diſparatæ, abſtracte ſignificatæ præſcindunt ab illo, nec applicant illi per ſe primo ſuum formale ſignificatum, ſed ſolum poſſunt verificari, quatenus id pro quo ſupponunt, eſt idem cum *ſubiecto*: quæ verò ita verificantur, enunciantur ſolum ratione ſuppoſiti, ergò ſolum habent veritatem in ſenſu identico. Denique conſtitui poteſt diſcrimen inter abſtracta ſubſtantiæ, & accidentium: nam abſtracta ſubſtantiæ, vt ait Scotus ſunt vltimo abſtracta, & ideo cùm dicitur, *humanitas eſt animalitas*, non poteſt exponi per verbum habens: non enim eſt vllum abſtractum animalitatis, quod humanitas habere dicatur, nec verè dici poteſt, humanitas habet animalitatem: quare non dicitur in ſenſu formali, *humanitas eſt animalitas*. Contra vero abſtracta accidentium habent alia abſtracta, quaſi formas, & quidditates ipſorum: verbi gratia, albedo albedineitatem, color coloreitatem: & ideo cùm dicitur, *albedo eſt color*, verè exponi poteſt, id eſt, *albedo habet coloreitatem*, & conſequenter hęc, *albedo eſt color*, erit vera in ſenſu formali.

IX. Ex his tribus ſententiis media eſt eligenda relictis extremis. In primis verò oſtenditur pars ea, quæ aſſerit omnia abſtracta, quæ ſunt de ratione formali intrinſeca, prędicari formaliter, quoniã prędicatio in ſenſu identico non impedit, quominus propoſitio verificari poſsit etiam in ſenſu formali, vt conſtat ex D. Thoma: ergò, quoties prædicatum dicitur de ſubiecto, non ſolum quia vtrunq; ſuppo[illegible]it pro eodem, ſed etiã quia ſignificatum formale prędicati per ſe cõuenit, ac tribuitur ſubiecto, prædicatio erit vera in ſenſu formali; ideò enim dixit D. Thom. citato loco ſententiarum in expoſitione literæ prædicationem in ſenſu formali eſſe magis propriam, quia termini in prędicato tenentur formaliter: quoties autem forma ſignificata per nomen abſtractũ pertinet ad rationẽ intrinſecam ſubiecti, nomen prædicati nõ ſolũ tribuitur ſubiecto ratione ſuppoſiti, ſiue eius, pro quo vtrumq; ſupponit, ſed etiã ratione formalis ſignificati: ergò prædicatio erit vera formaliter: Vltima pars antecedentis conſtat, quoniã omne prędicatũ eſſentiale applicatur formaliter ſubiecto, ad cuius eſſentiã pertinet. Poſterior pars oſtenditur ratione adducta ꝓ ſecunda opinione: deinde verò, quoniam ſi formę diſparatę non conſiderata identitate ſuppoſiti affirmari vere poſsint in ſenſu formali de ſubiecto, in opinione dicentium potentias nõ diſtingui ex natura rei ab anima, aut inter ſe, hæc ſimpliciter erit vera in ſenſu formali, ſcil. *intellectus eſt voluntas*: quod tamen eſt falſum: quare formæ diſparatæ abſtracte ſignificatæ nõ prædicantur verè in ſenſu formali. Patet antecedẽs, quoniam tunc ad veritatem in ſenſu formali ſat erit omnimoda identitas ex natura rei, nec dabitur alius modus diſcernẽdi veritatem in ſenſu formali propoſitionũ conſtantiũ terminis abſtractis: hoc autem eſt falſum, vt amplius probabitur cap. ſeq. Ex quo patet ad veritatẽ formalem propoſitionis conſtantis à parte prædicati termino abſtracto non eſſe ſatis, vt prædicatum, & ſubiectũ ſint idem ex natura rei, ſed præterea requiri vt formale ſignificatum vnius applicetur alteri per ſe, & nõ ſolum ratiõe ſuppoſiti. Qua de cauſa nõ ſunt verę in ſenſu formali hæ, & ſimiles propoſitiones: *albedo eſt ſimilitudo, actio eſt paſsio, intellectus eſt voluntas*, etiam in opinione eorum, qui inter extrema cuiuslibet ex hiſce enunciationibus nõ cognoſcunt diſtinctionem ex natura rei: Fundamentum eſt, quoniam eiuſmodi termini ſecundùm præciſas rationes formales conſiderati ſunt diſparati, nec ratio formalis vnius, vt ſic accepti, coniungitur rationi formali alterius.

Antequam ſatisfiat argumentis. Obſeruandum eſt, quamuis dictũ Scoti de diuerſitate inter abſtracta ſubſtantiarũ, & accidentium ſit cõmuniter receptum ab Scotiſtis, & nõnullis aliis, non habere tamen efficax fundamentũ: nam, qua facilitate dicitur, eadẽ negari poteſt: & hoc ipſum indicant nomina, quæ fingunt ad explicandas rationes vltimo abſtractas accidentium, ſunt enim inaudita apud antiquos Philoſophos, & Doctores Scolaſticos ante Scotũ, quod ſignũ eſt antiquos nequaq; agnouiſſe tales rationes formales. Quis.n. ex antiquis vſus eſt nomine, *coloreitas*, aut *albedineitas*: X.

dineitas: Et si fingere verba licet, ipse quoque dicam nomen *humaneitas* significare rationē formalem humanitatis, & *animaleitas* rationem formalem animalitatis: & ideo humanitatem, & animalitatem non esse abstracta vltima abstractione. Præterea ratio eadem est vtrobique, sicut enim color est ratio formalis colorati, ita animalitas animalis: Et sicut color habet habitudinem ad coloratum, vt ad subiectum, ita etiam animalitas ad animal, vt ad suppositum: cur ergo color abstractus à colorato poterit adhuc resolui in duos conceptus alterum rei, quæ est, alterum rationis, qua est, animalitas vero nequaquam? Ex quo patet discrimen inter abstracta, & concreta substantialia, quod supponitur in tertia sententia esse fictitium: atque adeo ex eo non desumi efficax argumentum ad probandum abstracta substantialia subordinata in recta serie minimè prædicari formaliter. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur tunc solum propositiones veras in sensu formali explicari per habens, & habitum, quando conflantur ex terminis concretis: in abstractis vero, quia est pura prædicatio in quid, hoc minimè requiritur: sed sat est, vt subiectum sit ipsamet ratio formalis, quæ est prædicatum, non solum per identitatem realem, sed etiam formalem; sed hac de re fusiùs cap. sequent.

Propositiones compositæ ex terminis abstractis veræ in sensu formali non explicantur per habens formam: & quænam illæ sint.

Caput XII.

I. NVnc explicandus est modus exponendi propositiones formales constantes terminis abstractis, nempe vtrum opus sit, vt prædicatum explicetur etiam per habens formam. Pars enim affirmatiua constat ex eo, quod Autores communiter appellant prædicationem formalem per inhærentiam, quæ saltem debet esse secundùm modum significandi, aut intelligendi: quidquid autem concipitur, aut significatur de subiecto per modum inhærentis, potest de ipso prædicari per verbum habens talem formam. Contra verò prædicationes identicæ constantes terminis significātibus obiectum idem re, ac ratione, vt *Deitas est Deitas, humanitas est humanitas*, sunt maximè formales, quoniam termini copulantur non solum ratione materialis, sed etiam formalis significati, nec tamen possunt explicari per terminum, *habēs*, quoniam humanitas non est habens humanitatem, nec datur aliud abstractum conueniens secum in formali significato, quo dici possit habere.

II. Pro decisione obseruandum est propositiones, quæ sunt tantum formales necessario explicari per terminū habens, aut per alium æquipollentem: nam, cum prædicatum sit adiectiuum, nec significet obiectum formale, vt quod est, sed vt quo aliud est, non potest dici esse id, quod est subiectum, sed inesse illi, vel haberi ab illo. Quæ vero sunt simul identicæ, non necessario ita explicantur: quoniam in his prædicatum dicitur in quid, vt autem subiectum dicatur esse hoc aliquid, minime requiritur vt sit habens ipsum, sed sat esse, vt sit idem ipsum: cùm enim Socrates dicitur esse homo, non oportet vt sit habens hominem, sed vt sit quidditatiue ipse homo. Veruntamen quoniam eorum, quæ prædicantur in quid, nonnulla sunt concreta habentia formas, alia vero abstracta nonresolubilia vlterius in habens, & habitum, sed ipsæ sunt formæ vltimate abstractæ; hinc prouenit vt identicæ simul, ac formales constantes prædicatis in quid, quædam explicentur per terminum, *habens*, quædam minimè: nam, quia homo resolui potest in suppositum, quod est, & formam totius, qua est, cùm dicitur, *Socrates est homo*, sensus formalis est, Socrates est habens humanitatem: quia vero humanitas, vel animalitas non habent alia abstracta, in quæ resoluantur, hæc propositio, *humanitas est animalitas*, exponi nequit per habens, vt dictum est.

Vt ergò constet, quænam prædicationes in terminis abstractis sint vere formaliter, notandum ex Diuo Thom., & Bonauent. cit. cap. 2. numero 1. hoc esse discrimen inter nomina abstracta, & concreta: quod concreta ex alio imponuntur, & aliud significant, imponuntur enim à forma, & significant habens formam, & præterea significant formaliter aliud, & pro alio supponunt: vt patet in nomine candidum, supponit enim pro corpore habēte candorem, ipsum vero candorem, à quo est impositum, significat formaliter: abstracta vero significāt idem, ex quo imponuntur: atque adeo idem omninò significant, & supponunt: humanitas enim

S. Thom. S. Bonauent.

& sapien-

& sapientia supponunt pro se ipsis. Vnde prouenit, vt prædicatum abstractum exponi nequeat per habens formam, sed per existens idē, quod forma: cùm enim dicitur, *candor est color*, sensus non est, habet colorem, vt per se patet: neque coloreitatem, vt enim iam dixi cap. proximo, non est vlla ratio, cur in abstractis accidentiū fingamus alia abstracta, non vero in abstractis substantiarum: sed sensus est, candor est id ipsum, quod color. Est verò duplex ratio identitatis, nempè secundùm rem, & secundū rationem. Identitas verò secundùm rationē est quoq; duplex, nempè mutua & adæquata, quando prædicatū, & subiectum sunt synonyma: & non mutua, atque inadæquata, quando scilicet tota ratio vnius pertinet ad rationem alterius, & omnium, cum quibus illud est idem ratione, ratio vero alterius nequaquam pertinet ad rationem illius, quomodo se habet candor, & color: nam tota ratio coloris pertinet intrinsece ad rationem formalem candoris, & omnium, de quibus ipse intrinsece prædicatur; ratio vero candoris nequaquam pertinet intrinsece ad rationem coloris.

IV. Hoc posito dico primum: quando datur sola identitas ex natura rei, absque vlla identitate secundùm rationes formales, propositio constans terminis abstractis non est vera formaliter. Hæc est communis: ostenditur verò, quoniam ad veritatem formalem oportet, vt propositio verificetur ratione formalis significati ex parte prædicati: at verò, quando formalia significata sunt rationes formales disparatæ, prædicatum applicari nequit subiecto ratione formalis significati: ergo propositio non erit formalis. Patet exemplo petito ex materia de Trinitate: nam Paternitas, & essentia sunt idem ex natura rei, differunt tamen secundùm proprias rationes formales: & tamen iuxta communem sententiam Doctorum hæc propositio: *essentia est Paternitas*, est solum verè identice, non formaliter.

V. Dico secundum. Quando subiectum, & prædicatum sunt idem ratione mutuo, & adæquate, prædicatio est vera etiam in sensu formali. Si verò identitas sit non mutua & inadæquata, propositio erit vera formaliter, si prædicetur id, quod ex parte sui habet adæquatam identitatem secundùm rationem cum alio, non vero si prædicetur id, cuius ratio non est intrinseca rationi formali alterius. Prima pars per se patet, nam tunc a parte subiecti, ac prædicati est idem omninò significatum materiale, & formale: & sicut verificari potest propositio ratione materialis, ita etiam ratione formalis, maximè quia magis naturale est prædicato, vt stet pro significato formali, quam pro materiali. Secunda verò ostenditur quoniam, quando subiectum est ita formaliter idipsum, quod prædicatum, vt tota ratio prædicati sit etiam ratio intrinseca subiecti, prædicatum stat non solum pro materiali significato, sed etiam pro formali, ita vt ratione illius immediate copuletur subiecto: sed, quando prædicatum ita se habet, propositio est formalis, vt patet ex dictis: ergò, quando prædicatum ex sua parte habet adæquatam identitatē rationis formalis cum subiecto, prædicatur de illo vere in sensu formali: nam tunc verè ratio subiecti est intimè, & quidditatiuè ipsamet ratio prædicati. Vltima denique suadetur, quoniam prædicatum, quod non est intrinsecum rationi formali subiecti, non est prorsus id ipsum formaliter, quod illud: nec illud per se vendicat rationem formalem talis prædicati, sed ratione alicuius materialis significati, in quo cum illo identificatur: verbi gratia, si dicatur, *animalitas est humanitas*, non est propositio formalis, quoniam posita sententia de identitate ex natura rei, inter gradus Metaphysicos termini possunt supponere pro eadem re, & cōsequenter propositio verificabitur idētice: non possunt autem pro eadem ratione formali, in qua minimè conuenit subiectum cum prædicato, hoc enim continet rationem aliquam partialem, secundùm quam non identificatur ipsi subiectum, & consequenter animalitas non est formaliter id ipsum, quod humanitas, quæ se tenet ex parte prædicati.

VI. Contra obijcitur primò, quoniam relatio identitatis est relatio æquiparantiæ: nam, si vnum extremum est idem alteri, hoc etiam est idem illi: ergò est etiam mutua: atque adeo, si ex duobus terminis alter habet identitatem formalem cum altero, hic etiam habebit cum illo: humanitas verò, vt constat ex dictis, habet identitatē formalem cum animalitate: ergo hæc etiam habet cum illa: & consequenter, si ratione huius identitatis animalitas prædicatur formaliter de humanitate, hęc etiā de illa prædicabitur formaliter. Et confirmatur, quoniam hęc propositio, *animalitas est humanitas*, est vera: deducitur enim per conuersionem in terminis ex illa, *humanitas est animalitas*: non potest autem esse vera, nisi propter identitatem formalem: ergò

est vera formaliter: Probatur assumptio: quoniam hic non interuenit aliud materiale significatum, pro quo verificetur humanitas de animalitate, sed verificatur supponendo pro se ipsa: abstracta vero supponunt pro suo significato formali: ergò ratione illius verificantur, atq; adeo conflant propositionem veram formaliter. Secundò. Ita se habet identitas realis ad prædicationem identicam non formalem, vt identitas formalis ad propositionem identicam formalem: ac verò identitas realis sufficit ad veritatem identicam nō formalem: ergò, & identitas formalis sufficiet ad veritatem propositionis identicæ formalis. Hoc verò repugnat dictis: nam pleraque sunt idem ex natura rei formaliter, quæ differunt ratione ratiocinata, & substant conceptibus, ac nominibus minimè synonymis: & consequenter non sunt vnum re, ac ratione: quod iuxta traditam doctrinam requiritur ad veritatem propositionis identicæ simul, ac formalis. Denique ex dictis sequitur differentias abstracte sumptas prædicari formaliter de speciebus abstracte significatis: hoc vero est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela patet, quoniam ratio formalis differētiæ includitur totaliter in ratione speciei, quam constituit: ergo, si ideo ex formis abstractis in recta serie superiores prædicantur de inferioribus, quia ratio ipsarum est quoque ratio inferiorum, differentiæ quoq; dicentur formaliter de formis abstractis, siue naturis, quas constituunt. Falsitas verò consequentis ostenditur, quoniam prædicatum propositionis veræ in sensu formali debet esse per modum totius: differentiæ vero semper habent modum partis, concipiuntur enim per modum eius, quo aliquid est, non vero per modum eius, quod est.

VI. Ad primum respondetur duplex esse genus relationis æquiparantiæ: nempè secundùm genus, & secundùm speciem: relatio æquiparantiæ secundùm speciem nō admittit in extremis diuersam rationem, aut appellationem, sed vtrumque vendicat eandem rationem, & appellationem: vt se habet relatio conciuis, conserui, & similes. Relatio verò æquiparantiæ secundùm genus potest admittere diuersitatem rationis, & appellationis in speciebus: exempli gratia, inæqualitas est relatio æquiparantiæ secundum genus, omni enim inæquali respondet aliud inæquale: species tamen inæqualitatis sunt multiplices iuxta varias proportiones excessus, ac defectus: nam inter ternarium, verbi gratia, ac senarium datur relatio inæqualitatis: quæ ex parte senarij est relatio maioritatis, ex parte ternarij minoritatis. Hoc posito respondeo relationem identitatis inadæquatæ ex altera parte esse solum æquiparantiæ secundum, quoniam vtrumque extremum dicitur absolute idem alteri: non tamen secundùm speciem, quoniam est diuersus modus identitatis ex vna parte ab eo, qui respondet ex altera: nam alterum extremum secundum totam suam rationem intrinsecam, est idem formaliter alteri, & omnibus, cum quibus illud habet identitatem formalem intrinsecam, vt se habet animalitas ad humanitatem, in qua formaliter includitur, & in omnibus ad quorum rationem intrinsecam humanitas pertinet: hæc verò non habet similem identitatem cum animalitate, in cuius ratione ipsa non includitur, & consequenter neq; in ratione illorum, ad quorum essentiam illa pertinet. Et ideo animalitas prædicatur verè de humanitate in sensu formali, hæc verò de illa nequaquam. Ad confirmationem neganda est assumptio. Et ad eius impugnationē respōdetur semper in omnibus, quæ sunt idem re, & ratione diuersa, interuenire significatum materiale quasi subtractū singulis rationibus formalibus, nempè res: quod etiam reperitur in propositione, de qua agitur in argumento: nam, cùm dicitur, *animalitas est humanitas*, sensus est: *animalitas est res, quæ est humanitas*. Ad huius impugnationem respōdetur, argumentū, si vim habet, concludere nullam omninò propositionem constantem terminis abstractis esse veram solū identice, quod est contra communem sententiam: sicut ergò vniuersaliter non concludit, ita neque in hac singulari materia. Ratio verò est, quoniam, quando abstracta dicuntur supponere pro se ipsis, & non pro alio subiecto materiali, intelligitur de subiecto extrinseco ipsorum formali significato, non vero de subiecto, quod quasi partialiter pertinet ad significatum ipsorū; quod, quia secundum se abstrahit à propria ratione particularium rationum formalium, quibus substat, respectu ipsarum habet modum significati materialis, quod supponit, so illis omnibus, & ratione ipsius singulæ verificantur de alijs: vt se habet res ad diuersas rationes formales identificatas ex natura rei, & ideo cùm dicitur: *Paternitas est essentia diuina*, sensus est: *Paternitas est res, quæ est essentia diuina*: & ita fieri potest in cæteris.

Secun-

VII. Secundùm argumentum tangit nouam difficultatem: vtrum ſcilicet omnia, quæ ſunt idem omninò ex natura rei tam realiter, quam formaliter, prædicentur mutuo formaliter. Cui Sotus quæſt. 3. vniuerſalium articul. 2. §. 1. reſpondet affirm. Sotus. Contrà verò Doctores referendi capit. 14. numero ſeptimo, cum negent omnem diſtinctionem ex natura rei formalem inter perfectiones diuinas, volunt nihilominùs vt ne prædicentur de ſe mutuo formaliter, ſed ſolum identicè: ex quo perſpicuum fit de mente ipſorum minimè ſequi, vt ea, quæ ſunt idem ex natura rei formaliter, prædicentur mutuo formaliter. Pro ſolutione obſeruandum, ea dici eſſe idem formaliter à parte rei, quæ conueniunt omninò in eadem ratione formali indiſtincta actu ex natura rei: ea verò diſtingui, quæ habent diuerſas rationes formales actu ex natura rei diſtinctas. Et quoniam ratio formalis ſumitur à forma, vel eſt ipſa forma, quotieſcunque in re ipſa eſt vnica forma prorſus indiſtincta inadæquatè reſpondens pluribus conceptibus formalibus non ſynonymis, rationes horum obiectiuæ dicuntur non diſtingui formaliter ex natura rei: at verò quando ſingulis conceptibus reſpondent ex natura rei formæ actu totaliter, vel partialiter diſtinctæ, rationes obiectiuæ reſpondentes ijs conceptibus diſtinguuntur ex natura rei formaliter. Hoc poſito dico minimè requiri, vt quæcunque ſunt idem ex natura rei formaliter, prædicentur inuicem verè in ſenſu formali. Fundamentum eſt, quoniam cum hac identitate formali cohærere poteſt diſtinctio rationis ratiocinatæ ſecundùm conceptus non ſynonymos, ac diſparatos: hæc verò impedit veritatem prædicationis formalis: ergò identitas ex natura rei formalis non eſt ſufficiens fundamentum prædicationis veræ in ſenſu formali. Aſſumptio conſtat, quoniam prædicatio identica formalis exigit, vt tota ratio formalis prædicati ſit etiam ratio formalis intrinſeca ſubiecto: cùm vero obiectum realiter, ac formaliter idem omninò, & indiſtinctum apprehenditur ſub diuerſis conceptibus non ſynonymis, ac diſparatis, fieri poteſt, vt rationes obiectiuæ talium conceptuum ſint diſparatæ; & conſequenter neutra includat rationem formalem alterius: quare fieri poterit, vt prædicatum & ſubiectum ſint idem ex natura rei formaliter, & tamen propoſitio ex ipſis conflata non ſit vera in ſenſu formali: quod plurimis exemplis patet: nam probabilis eſt opinio potentias animæ non diſtingui vllo modo ex natura rei, & tamen hæc propoſitio, *intellectus eſt voluntas*, non eſt vera in ſenſu formali: Et ne vtamur exemplis, de quorum identitate eſt controuerſia, communis ſententia tenet rationem ſuperiorem & inferiorem eſſe idem prorſus ex natura rei cum intellectu, ita vt non ſit inter eas diſtinctio ex natura rei formalis: & tamen hæc propoſitio, *ratio ſuperior eſt ratio inferior*, non eſt vera formaliter.

VIII. His ſuppoſitis neganda eſt in primis maior propoſitio ſecundi argumenti: nam identitas realis poteſt importari per nomina diſparata ratione materialis ſignificati, quod ſignificant omnia, quæ conueniunt realiter in eodem ſignificato materiali. Identitas verò formalis non importatur per nomina non ſynonyma diſparata, non modus ſignificandi horum nominum potius eſt accommodatus ad ſignificandam diſtinctionem, quàm identitatem formalem: & ideo, quamuis rationes obiectiuæ ſignificatæ ſint idem formaliter ex natura rei, non tamen ſignificantur per modum eiuſdem, ſed diuerſi formaliter. Reſpondetur ſecundo negando aſſumptionem: Sola enim identitas realis cum diſtinctione ex natura rei formali, non ſufficit ad veritatem propoſitionis identicæ. Ratio vero eſt, quoniam, vt dictum eſt tractatu de diſtinctione perfectionum diuinarum, res diſtinctæ formaliter, non ita dicuntur eſſe idem realiter, ſicut vna eademque eſſentia diuina in ſe indiſtincta formaliter identificatur tribus perſonis realiter diſtinctis abſque vlla diſtinctione ſui in illis: non enim modus rei, ac res ſunt eadem realitas indiſtincta, ſed ſicut habent diuerſam formalitatem, ita etiam realitatem, ſed quia realitas modi eſt minimæ entitatis, nec eſt per ſe ens firmum, ac ratum, idcirco dicitur non diſtingui realiter à re, cuius eſt modus, hoc eſt, non eſt per ſe firma, ac ſtabilis realitas: hoc verò non ſufficit vt modus prædicetur identice de re cuius eſt modus, falsò enim dicitur, *vnio hypoſtatica eſt homo, vel humanitas*: ſed hac de re fuſiùs cap. ſeq.

IX. Tertium argumentum perſtringit aliud dubium: nempè vtrum differentiæ prædicentur in abſtracto formaliter de naturis, quarum ſunt conſtitutiuæ. Aliqui recentiores exiſtimant nullo modo prædi-

prædicari ducti propouto argumento. Et confirmari potest, quoniam prædicantur denominatiuè de illis: nihil verò potest prædicari de subiecto quidditatiuè, siue in abstracto, & denominatiuè simul. Accedit quod anima, & quæuis pars Physica non est minus de ratione intrinseca humanitatis, quam rationalitas: anima verò non proinde dicitur in abstracto de humanitate: ergò neque rationalitas dicetur. Oppositam tamen sententiam defendit Henricus in summ. articul. septuagesimoquinto, quæstio. 1. à liter. I. Aureolus in 1. distinct. 45. quæstion. vn. articul. 2. in probatione primæ propositionis, & Sotus vbi suprà. Fundamentum verò Soti non conuincit: vult enim, vt quæcunque non distinguuntur ex natura rei, prædicentur verè formaliter, cuius oppositum suprà ostendi: sumi verò potest ex dictis, nempè quoniam ea, quæ pertinent ad rationé formalem intrinsecam, si admittunt veram prædicationem, non solum prædicantur in sensu identico, sed etiam in formali: differentiæ autem non distinguuntur ex natura rei à naturis, quas constituunt, ideoque verè de illis prædicantur saltem identice, deinde sunt de ipsarum ratione formali intrinseca: ergò prædicantur vere de illis non solum in sensu identico, sed etiam in formali. Verum quoniam de distinctione differentiarum à naturis specificis est controuersia, in primis in sententia eorum, qui censent differentias distingui ex natura rei à naturis, quas constituunt, dicendum est differentias in abstracto minimè prædicari de naturis, quoniam sunt partes ipsarum: nulla vero pars abstracte sumpta prædicatur de toto, quod componit. In sententia verò negantium distinctionem ex natura rei, vtrumque defendi potest propter fundamenta allata. Qui autem voluerit tueri sententiam Soti, respondebit ad motiua contrariæ sententiæ. Ad primum respondetur ex doctrina tradita cap. quarto. Si nihil aliud obstet, non repugnare, vt de eodem subiecto prædicetur, & forma denominans in abstracto, & denominatiuum ab ea deriuatum, quod non connotat subiectum per se subsistens, vt re vera non connotat rationale, dicitur enim de humanitate, quæ non est per se subsistens. Ad secundum dicendum animam idcirco non prædicari de humanitate, quia est pars, & ab ea realiter distinguitur, quæ duo non cadunt in differentiam specificam: ac proinde potest prædicari, significari enim per modum partis non impedit veritatem prædicationis, nisi quando propter aliquam distinctionem re ipsa est pars, vt patet in prædicationibus in terminis diuinis: attributa enim in abstracto de Deo verè, & formaliter prædicantur, vt dicam cap. 14. num. 5. licet significentur per modum partis. Ex quibus patet solutio ad vltimum argumẽtum cuius occasione hæc dicta sunt.

Henricus. Aureol. Sotus.

Ad veriratem in sensu identico sat est identitas ex natura rei inter prædicatum & subiectum.

CAPVT XIII.

CVm multiplex sit modus identitatis entitatiuæ, oportet explicare vtrum omnis, an verò aliqua sufficiat, ac requiratur ad veritatẽ propositionis identicę. Qua in re certum prorsus est, ea, quę sunt idem re, & ratione ratiocinata, tàm in concreto, quàm in abstracto prædicari de se mutuo in sensu identico: vt cùm dicitur, *Socrates est Socrates: Homo est animal rationale*. Dubium tamen est, vtrum ad veritatem propositionis in sensu identico satis sit, vt termini propositionis affirmatiuæ significent res omninò easdem ex natura rei: Henricus in sum. articul. 75. quæst. 2. lit. V. non admittit prædicationem veram per identitatem inter nomina abstracta, nisi ipsa identitas formaliter significetur additione alicuius termini significantis illam in actu signato, nõ verò solum in actu exercito per solam copulam verbalem: dupliciter enim fieri potest prædicatio per identitatem, vel in actu signato, vel in actu exercito: in actũ signato fit, quando opponitur terminus, *idem*, aut alius æquipollens, vt cùm Aristotel. lib. 3. Physic. ca. 21. ait, eadem est via, qua iter Athenis Thebas, & Thebis Athenas fit: in actu verò exercito, cùm dicitur vnum est aliud: verbi gratia, albedo est similitudo: Probatur autem opinio Henric. quoniam, sicut ad veritatem in sensu formali non sufficit, vt prædicatum sit forma subiecti, sed præterea requiritur vt significetur tanquam forma ipsius, ita etiam ad veritatem propositionis in sensu identico, non sufficiet identitas obiectiua terminorum, sed requiritur etiam vt per terminos ipsos modo aliquo importetur. Secundò ad veritatem propositionis identicæ necesse est, vt prædicatum verificetur de subiecto

Henricus.

iecto ratione materialis significati, pro quo supponit: sed sunt pleraque habentia inter se identitatem obiectiuam, quæ abstracte significata non supponunt pro eodem: atque adeo prædicatum non poterit verificari de subiecto ratione materialis significati, pro quo supponit: ergò non omnia, quæ sunt omnino idem ex natura rei, prædicari mutuo possunt verè in sensu identico. Assumptio constat discurrendo per aliqua exempla iuxta probabilem opinionem, quæ non agnoscit inter illa distinctionem ex natura rei: verbi gratia in sententia, quæ inter gradus Metaphysicos statuit solam distinctionem rationis ratiocinatæ, humanitas, animalitas, & rationalitas sunt idem ex natura rei, & tamen cùm dicitur: *humanitas est rationalitas*, à parte prædicati non datur significatum materiale distinctum ab ipsa rationalitate, pro quo supponat nomen, *rationalitas*, & ratione cuius applicetur subiecto: quandoquidem nomina abstracta idem significant, & supponunt.

II. Dico primum. Si identitas significetur in actu signato, propositio erit vera formaliter. Ostenditur, quoniam identitas est forma, vel quasi forma eorum, quibus conuenit: & cum significatur in actu signato, prædicatur per modum formæ: quare propositio, in qua ad eum modum prædicatur, erit vera formaliter: & ad hunc sensum est verum dictum Aristotel. paulò antè relatum: itemque assertio illa Christi Domini; *Ego, & Pater vnum sumus*: & hoc modo frequenter loquitur Diuus Augustinus, cùm ait, sapientia diuina est eadem, quæ potentia, & plures alij Patres relati tract. 5. ca. 6. & hoc modo, quæcunque habent identitatem ex natura rei, verè de se inuicem prædicantur, quãuis alioquin venire nequeant in enunciationem veram in sensu formali: verè enim dicitur: *rationalitas est idem cum animalitate vel humanitate*: quantumcunque falsò diceretur: *rationalitas est humanitas*.

III. Dico secundum. Vt propositio constans terminis abstractis sit vera in sensu identico, sufficit omnimoda identitas ex natura rei. Hæc est de mente D. Thomæ 1. p. qu. 39. art. 4. & 5. vbi concedit aliquas propositiones esse veras propter identitatem, neque aliam conditionem requirit: idem docet in scripto ad Hannibald. in 1. d. 5. q. vn. art. 1. idem sentit Marsil. in 1. quæst. 9. art. 2. eiusdem sententiæ sunt illi, qui dicunt diuinas perfectiones de se inuicem prædicari in abstracto in sensu idẽtico pro

D. Thomas.

Marsilius.

pter omnimodam identitatem, quos referam cap. seq. Suadetur vero ratione, quoniam extrema, quæ habent omnimodam identitatẽ, possunt inuicem prædicari saltẽ ratione materialis significati, siue eius, pro quo mediate supponunt: ergò propositio ijs constans erit vera in sensu identico. Patet cõsequentia ex dictis c. 11. Antecedens verò suadetur, quoniam plures formæ distinctæ ratione ratiocinata, quæ conueniunt in eadẽ entitate, siue realitate actuali, pro ea supponũt: ea verò, cum nostro modo intelligendi illis subsistet, habet se ad illas tanquam fundamentum, & subiectum: ergò, cum de ipsa enuncientur singulæ abstracte significatæ, etiam prædicabũtur inuicem de se ipsis ratione cõnotationis, siue suppositionis, sub qua stant pro eadẽ realitate actuali. Exempli causa posita sentẽtia de omnimoda identitate inter fundamentum, & relationem, hæc propositio, *candor est similitudo*, est vera in sensu identico, quoniam licet duæ illę rationes formales sint disparatæ, & neutra includatur in altera, tamen vtraq; supponere potest pro eadem re, siue entitate, & sic exponi potest ea propositio: *candor est res, quæ est similitudo*: item cùm dicitur: *actio est passio*: vtraq; supponit materialiter pro motu, & explicari potest illa propositio: *actio est motus, qui est passio*.

IV. Ad primum pro sententia Henrici respondetur distinguendo cõsequens: nam, si sensus sit identitatem significandam præcise per terminos, non habita ratione copulæ verbalis; neganda est consequentia, concedenda verò, si simul cũ terminis habeatur ratio copulæ: at verò per terminos significãtes eandem rem adiuncto verbo, *est*, sufficienter explicatur in actu exercito identitas obiectiua extremorum, neque ad id requiritur, vt adhibeantur termini significantes formaliter ipsam identitatem. Ad secundum neganda est assumptio: Ad eius cõfirmationem respondetur non ideo dici abstracta significare, ac supponere idem, quasi in ijs ipsis non reperiatur aliquod materiale significatum, saltem secundum rationem communem transcendentem, ac indeterminatam: verbi gratia ens, aut res: sed quia non supponunt pro subiecto alio distincto ab ipsis formis, vt supponunt concreta, quorum subiecta maiore ex parte distinguuntur ex natura rei à formis, à quibus imponitur vocabulum, & sunt illis extrinseca: id verò, pro quo supponunt nomina abstracta, nõ est quid extrinsecum à ratione formali, vt patet in exemplis adductis,

res enim, aut entitas pertinent intrinsece ad omnem rationẽ formalem: & ita cum forma abstracta verificatur de alia, quia sunt eadem res, pro eaque supponunt, eiusmodi suppositio nõ cadit in subiectum extrinsecum propriæ rationi formali, à qua nomen imponitur.

V. Sed quæret aliquis vtrum requiratur ad veritatẽ propositionis identicę omnimoda identitas ex natura rei, an verò sufficiat identitas realis inter terminos, quamuis detur distinctio formalis, vel modalis ex natura rei; sufficere solam identitatem realem, contendit Scotus in 1.d.8. qu. 3. alias 4.§. *Ad quæstionem respondeo*, cum suis, & idcircò in diuinis admittit propositiones identicas veras, quia perfectiones diuinæ, licet secundùm opinionem ipsius distinguãtur formaliter, sunt tamen idem realiter. Fundamentum est: quoniam non repugnat, vt nomina rationum formalium differentium ex natura rei, supponant pro aliquo tertio, in quo identificantur, & quod de vtraque prædicatur: vt autem propositio sit vera in sensu identico sufficit, vt prædicatum verificetur de subiecto ratione materialis significati: ergò non repugnat, vt duæ formę ex natura rei distinctæ de se inuicem prædicentur in sensu identico: qua ratione illi, qui cẽsent actionem, & passionem distingui ex natura rei, tuebuntur veritatem illius propositionis: *actio est passio*, quoniam vterque terminus supponit pro motu, ratione cuius vnius de altero verificatur.

Scotus.

VI. Vt huic dubitationi satisfiat obseruandum est, dupliciter concipi posse duo ex natura rei distincta esse idẽ realiter. Primũ quidem ita, vt vtrumq; importet eandem realitatem sub ratione formali, vel modo diuerso ex natura rei: qua ratione censent Scotistæ, distingui formaliter perfectiones Dei attributales, & nihilominùs esse idem realiter in essentia: Deinde verò ita, vt re quidem vera non sit tertia quædam realitas quasi communis vtriqúe significato distincto ex natura rei formaliter, aut modaliter, sed sit vna realitas simpliciter per se rata, & firma, quæ vno nomine formaliter importetur, & non pertineat intrinsece ad modos, aut rationes formales, quæ ipsi superueniunt: quæ proinde non dicuntur esse idem, vel non distingui realiter, quasi conueniant intrinsece in vnica illa realitate, sed quia est vna tantum realitas propria, rata, & stabilis, reliqua vero sunt modi ipsius: ad quem modum tract.5. explicaui identitatem realem in creaturis inter aliqua distincta ex natura rei modaliter. Qui igitur identitatem realem acceperit primo modo, dicet cum Scoto ad prędicationem identicam sat esse identitatem realem, etiamsi adsit distinctio ex natura rei formalis, vel modalis.

VII. Verum, cùm ipse tract.5. ostenderim in perfectionibus diuinis, quæ sunt idem realiter, non dari vllam distinctionem ex natura rei, & docuerim res creatas, quæ dicuntur distingui modaliter, vel formaliter, non conuenire in vlla realitate inclusa in conceptu formali vtriusque: sed eatenus dici esse idem realiter, quatenus non sunt duæ realitates per se ratæ, ac stabiles, cõsequenter affero solam identitatem realem non sufficere ad veritatem prædicationis identicæ: quod patet, nam vnio formæ cũ materia non distinguitur realiter ab illa, & tamen in nullo sensu verè dicitur, *forma est vnio*, idemq; dicẽdum de vnione hypostatica naturæ humanæ cum verbo diuino, & tamen non verè dicitur, *natura humana Christi est vnio hypostatica*: eodem modo inhærentia non distinguitur realiter ab albedine, & tamen falsò dicitur, *inhærẽtia est albedo*. Obiiciet aliquis has propositiones: *actio est passio, candor est similitudo*, esse veras identice; & tamen iuxta probabilem sententiã prædicata, & subiecta ipsarũ distinguuntur ex natura rei: quare ad veritatem identicã sat esse identitatẽ realem, etiamsi interueniat distinctio ex natura rei. Respondeo eos, qui dixerint subiectũ, & relationem distingui ex natura rei, dicturos hanc propositionẽ, *candor est similitudo*, non esse verã identice, sed causaliter. Quod attinet ad aliã dicendũ est, quando ea, quę distinguuntur ex natura rei, supponũt pro aliquo tertio, q, verè de illis affirmatur, ipsa quoq; inuicẽ prædicari vere identice, non ratiõe idẽtitatis, sed suppositionis. Et quoniã tam actio, q̃ passio supponunt pro motu, qui de vtraq; verè p̃dicatur: ipsæ quoq; de se mutuo prędicantur identice, cũ enim dicitur, *actio est passio*, potest ita explicari, *actio est motus, qui est passio*.

VIII. Ex quo etiam colligitur responsio ad fundamẽtum pro opposita sẽtẽtia; dicendum est enim, si plura distinguantur ex natura rei, & conueniant in eadem realitate, vt Scot. existimat se rem habere in perfectionibus diuinis, tunc verè omnia, quæ ita se habent, posse mutuo prædicari identice. Verùm, quia non ita se res habet, vt iam dixi, ex pręcisa ratione identitatis realis inter aliqua distincta ex natura rei, non sequitur vt supponant pro eodem, vt patet exemplis iam adductis: inhærentia enim non supponit pro candore,

Scotus.

aut vi-

aut vice versa, non potest autem vlla propositio verificari ratione materialis significati, nisi hoc importetur in recto: nominibus vero abstractis non importantur in recto omnia, quæ sunt idem realiter, & simul distincta ex natura rei, vt ijsdē exemplis perspicuum redditur: & idcirco ratione suppositionis, vel materialis significati, non necessariò verificantur ea, quæ habent distinctionem actualem cum identitate reali.

IX. Est tamen hic controuersia, vtrum sufficiat ad veritatem, de qua agimus, identitas non mutua inter extrema: est vero identitas non mutua, siue inadæquata, cùm vnum est idem cum alio, & cum omni eo, cùm quo ipsum est idem: hoc tamen non est idem cum omni illo, cùm quo aliud est idem: mutua vero, siue adæquata, cùm vtrunque est idem cum omni eo, cùm quo aliud est idem: exempli causa posita sententia, quæ astruit identitatem ex natura rei inter gradus metaphysicos: humanitas, & rationalitas sunt idem adæquate: animalitas vero, & rationalitas inadæquate, quia, licet animalitas identificetur cum omni eo, cùm quo est idem rationalitas: hæc tamen non est idem cum equinitate, cùm qua identificatur animalitas, Scotus in 1. d. 8. quæst. 3. aliàs 4. §. *Ad argumentum principale*, etsi concedat propositionem esse veram, quando subijcitur extremum, quod habet identitatem realem cum omni eo, cùm quo est idem prædicatum, negat tamen quando nō habet adæquatam identitatem cum illo. Et suaderi potest, quoniam alioquin dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ, quod patet adhibito exemplo: nam, si paternitas est essentia diuina, & hæc est filiatio, paternitas quoque erit filiatio, cuius oppositum docet fides. Verùm oppositum dicendum cum communi sententia Theologorum, qui concedunt hanc esse veram in sensu identico: *Paternitas est essentia diuina*, & tamen Paternitas non habet mutuam identitatem cum essentia. Probatur autem, quoniam, quemadmodum ad propositionē veram in sensu formali non requiritur, vt sit de omni, neque vt subiectū distribuatur adæquate sub prædicato, ita ad veritatem propositionis identicæ minimè requiritur, vt subiectum sit adæquate idem cum prædicato, sed sat est vt sit idem quo ad aliqua singularia: & hoc modo verè dicitur, *animalitas est rationalitas*: nam sicut ad veritatem formalem huius: *animal est homo*, sufficit, vt aliquod animal singulare sit homo, ita ad veritatem huius: *animalitas est rationalitas*, sat est vt hæc, aut illa animalitas sit identicè rationalitas. Argumentum vero minimè concludit: nam, si vim habet, etiam probabit hanc esse falsam, *Pater est Deus*, quoniam simili modo colligetur Patrem esse Filium, quoniam *Deus est Filius*: ergo si Pater est Deus, erit quoque Filius: sicut ergo hîc non valet consequentia, quamuis præmissæ sint veræ, ita etiam nō valet consequentia Syllogismi propositi in argumento, quia medius terminus non adæquate distribuitur in præmissis, vt explicatur in materia de Trinitate.

X. Quæret aliquis vtrum ad hoc, vt propositio concedatur simpliciter vera, sit satis veritas in sensu identico. Pro quo obseruandum est triplex esse genus propositionum: nam aliæ constant prædicato adiectiuo, aliæ subsātiuo cōcreto, aliæ abstracto. Quæ pertinent ad primū genus, cùm nōnisi formaliter verificari possint, vt est communis sententia doctorum, si non sunt veræ formaliter, sunt simpliciter negandæ, quantumuis sit identitas inter prædicatum, & subiectum, & si apte significarentur, admitterent sensum identicum. Ob quā causam hæc est simpliciter falsa, & neganda, *essentia diuina generat*. Verùm quia participia possunt significare adiectiuè, & subsantiuè, quando prædicatio est vera in sensu identico, falsa in formali, communiter est distinguenda, vt præstant Theologi in hac, *essentia diuina est generans*, admittendo illam in sensu identico, negando vero in formali. Quæ vero pertinent ad secundum & tertium genus, possunt admitti, vel negari pro varietate materiæ: nam quædam videntur fauere falsis sententijs hæreticorum: & ideò, quamuis admitterent sensum identicum, non sunt simpliciter concedendæ, vt notat Henricus in summa art. 75. quæst. 2. ad argumenta: exempli causa hæc, *Pater est Filius*, est simpliciter falsa & neganda: & quamuis admittere posset sensum identicum, si exponatur: *Pater est id, hoc est essentia, quæ est Filius*, tamen ne videamur fauere Sabellio confundenti personas, non debemus illam admittere. Contra vero hæc, *magnitudo diuina est bonitas*, & similes, quamuis non sint veræ formaliter: non sunt tamen negandæ, sed concedendæ propter veritatem identicam, ne credat aliquis propterea negari, quia nō est eadem essentia, quæ est bonitas. Quia tamē modus prædicandi in abstracto est magis aptus ad prædicationem identicam quam in concreto, & magis vsurpatus apud Doctores, facilius admitti absolutè possunt propositiones constantes terminis

abstractis propter veritatem identicam, quam illæ, quę constant concretis: hæ enim simpliciter prolatæ videntur facere sensum formalem, qui est magis proprius, vt
S. Thom. docet D. Thom. in 3. dist. 5. in expositione literæ.

XI. Ex dictis colligitur quamuis, cùm ex propositione vera in sensu identico colligitur altera in bona consequentia, debeat consequens esse quoque verum in eodem
Richardus. sensu, vt notat Richard. in 1. dist. 5. art. vn. quæst. 1. ad primum, non tamen opus esse, vt si colligitur ex antecedente vero in sensu formali, sit etiam verum in eodem: ratio est quoniam propositio ideò est vera in sensu identico, quia termini supponunt pro eodem: quæ ratio semper manet quomodocunq; termini transmutentur à parte prædicati, vel subiecti: at vero propositio formalis requirit, vt formale significatum prædicati appellet per se subiectum, & non ratione eius, pro quo supponit nomen prædicati: hæc autem ratio mutari potest si fiat conuersio prædicati in subiectum, & vice versa: exempli gratia, si dicatur, *animal est rationale*, propositio est formalis, quia significatum prædicati applicatur vt forma subiecto: contra vero cum dicitur, *rationale est animal*, formale significatum animalis non applicatur per se tanquam forma subiecto, sed tribuitur illi ratione eius, pro quo supponit: quia scilicet, tam animal, quam rationale supponunt pro homine: & ita propositio illa, *rationale est animal*, exponitur in hunc modum, rationale est id, quod est animal. Nec mirandum est in conuersionibus formalibus seruata qualitate veritatis mutari modum eiusdem. Nam etiam propositio per se conuertitur in veram propositionem, quæ tamen non est per se: recte enim sequitur. *Homo est animal: ergo animal est homo*: & tamen prima est per se, secunda nequaquam, vt patet ex logica.

Quæ prædicationes in terminis diuinis sint veræ in sensu identico, quæ in formali.

Caput XIV.

I. VT à facilioribus incipiam, quoties nomina connotatiua, siue de abstractis, siue de concretis absolutis verè prædicantur, propositiones sunt veræ in sensu formali. Fundamentum sumitur ex dictis hoc ipso tractat. cap. 11. num. 6. dictum quippe est nomina adiectiua nonnisi formaliter prædicari: omnia vero connotatiua sumuntur adiectiuè: quare propositio constans prædicato connotatiuo, si vera est, non in sensu identico, sed in formali accipienda est. Accedit quod nomina adiectiua non reddunt suppositum verbo: atque adeò nequeunt verificari ratione eius, pro quo supponunt: sed solum ratione formalis significati, quod per se afficit subiectum. Ex quibus patet deceptum fuisse Ioannem Viguerium in 1. *Viguerius.* distinct. 5. quæst. 1. cùm enim non audeat negare has propositiones esse veras, *Deitas est bona, vera, &c.* Vt negant alij Scotistæ, concedit tamen esse veras identicè, non formaliter, quasi dicatur, est bonitas, &c. Quod si connotatiua substantiuè sumantur, iam subeunt rationem absolutorum, & possunt prædicari verè in sensu identico: vt obseruat Marsilius in 1. quæst. 9. art. 2. qua *Marsilius.* ratione est vera hæc propositio, *essentia diuina est generans*, sumpto neutraliter termino, *generans*, efficit enim hunc sensum, *essentia diuina est res, quæ generat.*

II. Controuersia solum est de nominibus absolutis, siue concreta sint, siue abstracta. Vt autē prius de abstractis dicam, obseruo eorum significata vel esse subordinata, ita vt prædicatum nostro modo concipiendi sit de essentia subiecti, vel esse rationes formales disparatas, & mutuo præcisas: priore modo se habent in diuinis entitas, substantia, vita, Spiritus, sunt enim nostro intelligendi modo de ratione intrinseca Deitatis: posteriore vero diuina sapientia, omnipotentia & cætera attributa. Quod attinet ad abstracta primi generis, dicendum est prædicari verè in sensu formali *Henricus.* de Deitate: Traditur ab Henrico in sum. art. 75. quæst. 2. litera X. & B. & communiter recipitur à Theologis Fundamentum est, quia prædicatum nostro intelligendi modo habet se vt forma subiecti: conuenitque illi ratione formalis significati, non vero ratione materialis, pro quo supponit: cùm enim dicimus, *Deitas est vita*, non verificamus propositionem, quia vita est aliquid, quod est Deitas, sed quia ipsa per se formaliter conuenit Deitati. Accedit quod eiusmodi prædicata habent se ad Deitatem proportionabiliter ad modum, quo prædicata superiora essentialia se habent ad species: hæc vero prædicantur formaliter de speciebus: ergo etiam eiusmodi prędicata dicentur formaliter de essentia diuina.

Si vero

III. Si vero loquamur de rationibus formalibus non subordinatis, hoc est de perfectionibus attributalibus, comparari dupliciter possunt quo ad prædicationem, nempè vel cum essentia, vel inter se: & ita manet quæstio vtrum, cùm dicitur, *Deitas est sapientia*, vel *sapientia est iustitia*, sint propositiones veræ in sensu formali nec nè. Scotus in 1. distinct. 8. quæst. 3. aliàs 4. §. vltimo cum Antonio Andrea, Lycheto, Ioanne Viguerio, & Bargio ibidem, Bassolis in 1. distinct. 22. quæst. 4. art. 3. ad primum, & quartum principale, Mayronius quæst. 6. prologi, §. *Sed contra ista*, ad tertium, & in 1. distinct. 8. quæst. 5. §. *Ad cuius euidentiam*, in fine, & distinct. 33. quæst. 3. art. 2. & Petrus Thomas in suis formalitatibus existimant perfectiones attributales in abstracto significatas, siue inter se, siue cum essentia comparentur, prædicari quidem verè in sensu identico propter infinitatem, non tamen in formali. Fundamentum ipsorum est, quoniam quę formaliter distinguuntur, non prædicantur inuicem formaliter; perfectiones vero diuinæ disparatæ distinguuntur formaliter: ergo cum vna de altera affirmatur, propositiones non sunt veræ in sensu formali. Ex opposito fundamento Bartholomeus Torres 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. dub. 5. & vltimo: & Cumel. disp. 8. dub. 2. & 3. contendunt prædicari de essentia, & de se inuicem formaliter, quia omnia, & singula pertinent ad rationem intrinsecam essentiæ, & singulorum.

IV. Pro solutione notandum est essentiam diuinam, siue Deitatem aut significari adæquate vt est forma, qua Deus est Deus, aut inadæquate, quatenus solum dicit perfectionem substantialem, quę est tanquam radix perfectionum attributalium, quas ita considerata in sua ratione formali minimè includit. Perfectiones vero aliæ, aut sumuntur solum secundum communem abstractionem analogicam, aut contractæ ad diuinas: hic non agitur de illis in communi sumptis, in hac enim acceptione nec in sensu formali, neque in identico mutuo prædicantur verè: alioquin etiam cõtractæ ad creaturas prædicarentur: nam, quę conueniunt naturæ per se, & non ratione inferiorum, conueniunt omnibus inferioribus: ideoque si iustitia, vt abstrahit a creata, & diuina, verè diceretur de misericordia, etiam iustitia creata diceretur de misericordia creata: quod est aperte falsum, hoc indicauit D. Thomas opusc. 9. quæst. 1. in fine cum dixit iustitiam diuinam non esse misericordiam, eo quod iustitia sit, sed eo quod est diuina: quoniam ratio identitatis nõ sumitur ex communi ratione iustitiæ, sed ex particulari ratione iustitiæ diuinæ. Verùm, quia analogata non differunt à ratione communi analoga, si ex parte subiecti sumatur perfectio contracta ad Deum, ad veritatem propositionum nihil refert vtrum prędicatum sit ipsum analogum in commune, an vero determinatum ad diuina, & ita quoad hoc in idem recidit siue dicatur: *Deitas est misericordia*, siue, *Deitas est hæc misericordia*, designando diuinam.

V. Dico primum. Perfectiones omnes essentiales absolutæ prędicantur verè in abstracto de Deitate adæquate sumpta non solum in sensu identico, sed etiam in formali. De identico nemo dubitat: ratio vero non sumitur ex ratione infinitatis, vt vult Scotus: nã infinitas addita alicui rationi formali est modus extendens eandem rationem formalem intra suos terminos, nec illam extrahit à propria diffinitione, aut traducit ad aliam: & consequenter infinitas addita misericordiæ, quamuis tollat finem in ratione misericordiæ, non proinde extendit illam ad rationem iustitiæ. Est igitur ratio superius dicta quoniam, cùm quęuis perfectio diuina sit omnino idem cum essentia, supponit pro illa: & ideò ratione eius de quauis perfectione verificantur identice, quæcunque verè prędicantur de essentia. Quod vero attinet ad sensum formalem est de mente Patrum, & Scholasticorum, quos referam pro quarta assertione, traditur vero expresse à Bartholomeo de Torres dub. 5. & Cumel. locis citatis. *Torres. Cumel.* Fundamentum vero est, quoniam perfectiones omnes diuinæ absolutæ sunt de intrinseca ratione essentiæ, vt fusè probaui tract. 1. à cap. 6. quæ vero ita se habent, prędicantur verè in sensu formali: ergo omnes perfectiones Dei absolutæ abstracte significatæ prędicantur verè in sensu formali de Deitate. Assumptio ostenditur, quoniam, quæ sunt de intrinseca ratione formali alicuius, & de eo verè prædicantur, non solum verificantur ratione materialis significati, sed applicant illi suam rationem formalem, in quo consistit veritas sensus formalis, vt constat ex dictis, cap. 11.

VI. Dico secundum. Perfectiones attributales sumptæ, prout præcisè æquipollent nostris accidentibus, non prædicantur in abstracto verè in sensu formali de essentia sumpta inadæquate, prout præcisè continet perfectionem substantialem:

Henric. Caietan.

lem: Hæc est Henrici in sum. art. 75. quæst. 2. Caietani 1. p. quæst. 14. art. 5. §. *Ad hoc dicitur*: asserentis hanc propositionem, *esse Dei est intelligere Dei*, esse formalem secundum se, non vero quoad nos. Et est de mente Doctorum, quos retuli tractat. 2. cap. 3. num. 6. asserentium attributa non esse de ratione intrinseca essentiæ inadæquate conceptæ modo explicato. Ostenditur vero, quoniam essentia diuina hoc modo considerata concipitur vt natura, perfectiones aliæ vt proprietates: proprietates autem non prædicantur in abstracto verè, & in sensu formali de natura: ergo attributa non ita prædicantur de essentia diuina. Maior propositio patet, quoniam forma competens necessariò naturæ, si non pertinet ad rationem eius formalem intrinsecam, habet modum proprietatis: perfectiones diuinæ necessariò competunt essentiæ sic acceptæ, nec tamen sunt de ratione eius formali intrinseca: si enim forent, iam essentia sumeretur adæquate, non inadæquate vt nunc supponimus. Assumptio eiusdem Syllogismi constat, quoniam proprietates abstracte sumptæ abstrahunt à subiecto, quod solum in concreto connotant: nihil vero prædicatur formaliter de eo, à quo abstrahit. Respondebit aliquis adhuc non abstrahere prorsus à subiecto: quoniam, si definiantur, hoc debet collocari in ipsarum diffinitione: quidquid autem ponitur explicite in definitione, importatur saltem implicite nomine definiti: ad veram autem prædicationem in sensu formali sat est, vt prædicatum implicite connotet subiectum. Hæc solutio non diluit argumentum: quoniam ad veram prædicationem in sensu formali, non sat est quæuis connotatio, nisi sit talis, quæ explicetur in recto: etenim simitas connotat nasum, nec tamen de illo verè prædicatur: quia scilicet ea connotatio explicari debet in obliquo dicendo, *Simitas est curuitas nasi*: simum vero prædicatur de naso in sensu formali, quia illum connotat in recto: petenti enim quid sit simum apte respondetur: *est nasus curuus*: proprietates autem abstracte significatæ non connotant subiectum in recto sed in obliquo, vt per se patet. Præterea nihil prædicatur de alio in sensu formali, nisi ratione formalis significati: at vero forma abstracta non aliter vendicat significatum formale alterius nominis abstracti, quam si illud formaliter includat: essentia vero diuina inadæquate sumpta pro sola perfectione substantiali non includit formaliter attributa, vt à nobis concipiuntur per modum proprietatum: ergo propositio, qua hæ de illa prædicantur, non est vera formaliter. Maior quo ad priorem partem patet ex dictis cap. 11. Quo ad posteriorem vero probatur, quoniam obiectum nominis abstracti significatur, vt quidditas, & ratio, & consequenter vnum abstractum non habet rationem formæ respectu alterius, nisi pertineat intrinsecè ad eius rationem essentialem: nec sufficit quæuis alia connexio etiam immediata: nam differentia specifica immediate coniungitur naturæ genericæ, & prima proprietas naturæ specificæ: nec tamen abstracte sumptæ prædicantur de illis verè in sensu formali.

VII. Dico tertium. Perfectiones attributales abstracte significatæ non prædicantur inuicem in sensu formali. Hæc inprimis asseritur ab Scoto, & sectatoribus, deinde est de mente Ægidij in 1. distinct. 6. quæst. 1. Henrici vbi proximè, Capreoli in 1. distinct. 8. quæst. 4. ad 14. contra primam conclusionem, Hispalens. quæst. 4. art. 4. ad 14. Scoti contra primum conclusionem, Caietani de ente & essentia, quæst. 12. ad 6. & Syluestri 1. parte quæst. 13. art. 3. in fine: probatur vero, quoniam formæ abstractæ mutuo præcisæ non prædicantur inuicem in sensu formali: perfectiones attributales ita se habent: ergo non prædicantur de se mutuo verè in sensu formali. Maior patet ex paulò ante dictis: nam, cum abstracta significent puram rationem quidditatis, nihil significatum vt ratio habet se per modum formæ alterius rei, nisi pertineat ad conceptum intrinsecum, & consequenter prædicari nequit de illa in sensu formali: formæ vero in abstracto significantur, vt ratio: & si sint mutuo præcisæ, & quasi disparatæ, vna non pertinet intrinsecè ad rationem aliarum: quare neque de illis formaliter prædicabitur. Assumptio constat ex tractat. 2. cap. 8. vbi ostendi attributa prout à nobis concipiuntur & significantur, mutuo præscindi, neque includi mutuo in ratione aliorum: cùm ergo veritas propositionum spectari debeat iuxta nostrum modum intelligendi, & significandi, propositiones, quibus alia de alijs dicuntur in abstracto, non sunt veræ in sensu formali.

Scot. Ægid. Henric. Capreol. Hispalens. Caietanus. Syluest.

VIII. Contra hanc assertionem obijcitur primo. Quæcunque propositio deducitur in bona consequentia ex præmissis veris in

sensu

sensu formali, ipsa quoque est vera formaliter: hæc vero propositio: *misericordia diuina est iustitia*: & similes aliæ deducuntur in bona consequentia ex præmissis veris in sensu formali: ergo ipsæ quoque formales sunt. Assumptio patet in hoc Syllogismo expositorio, *Deitas est iustitia, Deitas est misericordia: ergo misericordia est iustitia*: est enim ex duabus affirmatiuis in tertia figura: & præmissæ sunt veræ formaliter, vt constat ex prima assertione. Maior vero ostenditur quoniam enunciatio, nisi sit vera in sensu formali, est simpliciter falsa: repugnat autem consequens bonæ consequentiæ esse simpliciter falsum, si præmissæ sunt simpliciter veræ. Secundo quoniam veritas propositionis in sensu formali nititur identitate formali obiecti significati per prædicatum, & subiectum: inter attributa vero diuina est identitas formalis omnimoda ex natura rei vt constat ex tractat. 5. ergo propositio omnis, in qua vnum attributum prædicatur de altero, est vera in sensu formali.

IX. Ad primum respondetur in primis propositiones illas, *Deitas est iustitia, Deitas est misericordia*, non esse veras in sensu formali, nisi nomen Deitas sumatur adæquate. Respondetur secundo non necessariò requiri, vt si antecedens bonæ consequentiæ est verum formaliter, consequens etiam sit formaliter verum: vt patet, si fiat Syllogismus expositorius in terminis creatis in hunc modum: *hic intellectus est ratio superior, hic intellectus est ratio inferior: ergo ratio inferior est ratio superior*: nam huius Syllogismi præmissæ sunt veræ in sensu formali: cùm enim ratio superior, & ratio inferior sint de intrinseca ratione intellectus, de illo verè, ac formaliter prædicantur, non tamen de se inuicem, sed solum in sensu identico: quatenus idipsum, pro quo supponit vna, supponit etiam altera: & ita consequens est quidem verum, non tamen formaliter, sed identice: idem videre est in puncto, quod est principium, ac finis lineæ, & tamen principium non dicitur formaliter de fine. Ad probationem vero maioris respondeo antecedens esse verum, si termini sint adiectiui: nam substantiui patiuntur sensum identicum: in quo si propositio est vera, potest absolute concedi, licet non sit vera in sensu formali: vt patet in hac, *essentia diuina est paternitas*, quam Theologi communiter fatentur, esse veram, & tamen solum est vera identice, vt ostendam in materia de Trinitate & ita D. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 5. ad 4. & 5. indicat identitatem satis esse ad veritatem propositionis, quod est intelligendũ in terminis substantiuis, de quibus nunc loquimur, nomina enim abstracta omnia sunt substantiua: Ad secundum neganda est maior propositio: vt enim patet ex superioribus, ad veritatem propositionis in sensu formali, non sufficit, aut requiritur identitas ex natura rei formalis: sed vt prædicatum applicetur vt forma subiecto, conueniatque illi ratione sui significati formalis, non vero materialis, pro quo vtrunque supponit. Et idcirco, licet omnes perfectiones diuinæ sint idem formaliter ex natura rei, quia tamen, vt à nobis concipiuntur, & exprimuntur nominibus attributalibus, sumuntur quasi formæ disparatæ conuenientes solum in significato materiali, non formali, propterea abstracte significatæ non prædicantur de se inuicem verè in sensu formali. *S. Thom.*

X. Dico quartum. Propositiones, in quibus enunciantur abstracta de Deo cõcretè sumpto, sunt veræ in sensu formali. Exempli causa, cùm dicitur Deus est sapientia, iustitia, & similes. Hæc est de mente Patrum, qui aiunt prædicationes de Deo per nomina abstracta esse magis proprias, quam per nomina concreta: at magis proprius sensus propositionum est formalis, quam identicus: quare si concreta dicuntur de Deo in sensu formali, etiam abstracta dicentur in eodem: ita vero docet Bernardus serm. 80. in Cantica post medium. *Si quid itaque de Deo propriè dici possit, rectius, congruentiusq; dicetur: Deus est magnitudo, bonitas, iustitia, sapientia, quam Deus est magnus, bonus, iustus, aut sapiens.* Deinde refert Gilbertum Episcopum Pictauiensem, in commentarijs super Boëtium de Trinitate ita explicasse has propositiones: *Pater est veritas, id est verus: Filius est veritas, id est verus: Spiritus sanctus est veritas, id est verus*: quam explanationem, vt peruersam damnatam asserit ab Eugenio 3. & Concilio Rhemens. *Sed verius*, inquit, *saniusq; per contrarium ita dixisset. Pater est verus, id est veritas, &c.* deinde subdit, *bonus corrector, qui veracissime de veritate loqueretur: qui pie, Catholicèq; sentiret de vera, & mera diuina simplicitate substantiæ, in qua esse non posset, quod ipsa non sit, & ipsa Deus.* Et hæc fuit sententia Patrum Concilij Rhemensis, cuius Canones refert Otho Episcopus Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici primi Imperatoris cap. 57. inter quos primus sic habet. *Bernard.* *Eugenius 3.* *Concil. Rhem.* *Otho Frising.*

Credimus,

Credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas: sicubi vero dicit Domini sapientia, Dominum sapientia sapientem, magnitudine magnū, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi credimus nonnisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, nonnisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: nonnisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: nonnisi ea vnitate vnum, quæ est ipse: nonnisi ea diuinitate Deum, quæ est ipse: id est, se ipso sapientem, magnum, æternum, vnum Deum: Si illæ propositiones solum essent veræ in sensu identico, possent vtique in aliquo sensu Catholico, imò maximè proprio negari: quod tamen reprobat Concilium, quod proinde propositiones in concreto explicat per alias in abstracto, vt per magis proprias, & veras: & quamuis, vt dictum est in superioribus, canon ille non sit confirmatus à Pontifice, prout iacet; tamen diffinitū ab eo est Deum esse Deitatem, propositiones autem diffinitæ, si admittunt sensum formalem, in eo accipiendæ sunt. Hunc sensum Concilij habuerunt communiter Patres, qui sæpè explicant prædicationes attributorum in concreto per prædicationes in abstracto, vt per magis veras, & aptiores ad explicandam diuinam simplicitatem. Fulgentius *Fulgentius.* responsione secunda ad Ferrandum diaconum, *Christus sic est Deus, vt ipse sit diuinitas sua, sic est magnus, vt ipse sit magnitudo sua: sic est sapiens vt ipse sit sapientia sua: sic est fortis, vt ipse sit virtus sua: sic est bonus, vt ipse sit* *Augustinus.* *bonitas sua:* Augustin. serm. 38. de tempore, qui est tertius in Dominica infra octauam Epiphaniæ non longè à fine. *Ea,* inquit, *magnitudine magnus est, qua ipse eadem est magnitudo, & ea bonitate bonus, quæ* *Anselm.* *ipse est.* Anselm. in prosologio, cap. 12. *Tu es ipsa vita, qua viuis, & sapientia, qua sapis, & bonitas ipsa qua bonis, & malis bonus es.* Alij vero Patres prædicantes aliquid de Deo in concreto se ipsos corrigunt, ac reuocant prædicantes in abstracto. Ita Cyril- *Cyrill. Alex.* lus Alexand. lib.5. in Esaiam cap. 55. *Bonus natura Deus, imò potius ipsissima bonitas.* Ri- *Rich. Victor.* chardus l.b.2.de Trinitate cap.3. *Sed qui verè omnipotens, imò ipsa omnipotentia est.* Huc etiam pertinet, quod Patres sæpè explicant attributa, quæ in abstracto dicuntur de Deo in obliquo, per prædicationem de eodem in recto vt magis propriam: Nyssen. *Nyssenus.* orat. 1. in Cantic. satis post medium. *Virtus eius,* inquit, *Cœlos operuit: ea vero est ille ipse; qui per sus est sapientia, & ipsa iustitia, & ipsa veritas, & sigillatim omnia,* & apud Cyparis- *Cyparissiota.* siotam Decad. 10. cap. 6. *Cuius infinita sapientia, quin potius cuius sapientia essentia est.* Bernard. serm.80.in Cantica post medium refert, & valdè commendat sententiam Fulgentij dicentis: *Vna quippe veritas vnius Dei, imò vna veritas, vnus Deus.* Richard. de sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 18. *Quoniam igitur verè, & summe vnum est, quidquid in summa substantia, imò quidquid summa substantia est.* Nulla vero alia de causa magis propriè dicitur, Deus virtus, veritas, & sapientia Dei: nisi quia formæ significatæ per eiusmodi nomina abstracta immediate coniunguntur secundum significatum formale, ita vt in recto verè, & propriè enuncientur de Deo: alioquin magis propriè diceretur virtus Dei, quam virtus, quæ est Deus, vel Deus est virtus. Est etiam de mente omnium Patrum, & Scholasticorum, quos retuli tract. 1. cap. 6. & 8. cùm enim doceant omnia attributa esse de essentia Dei, & de eorundem sententia in abstracto significata, verè, & propriè prædicentur de Deo: ex vtroque sequitur prædicatio formalis, vt in fundamento deducam. *Bernard.* *Fulgentius.* *Richardus.*

XI. Fundamentum vero est sumendum ex tribus illis causis assignatis cap. 4. propter quas prædicantur verè abstracta de concretis in terminis diuinis, non autē in creatis: vt enim ex illis aperte deducitur, non magis propriè prædicatur entitas de ente in communi, & in particulari, quam Deitas aut quoduis attributum abstracte significatum prædicatur de Deo: entitas vero prædicatur de ente in sensu formali: ergo & Deitas de Deo. Assumptio vero ostenditur, quoniam formale significatum nominis, *entitas,* immediate coniungitur cuiuis subiecto, de quo prædicatur: & non ratione alicuius tertij, pro quo vtrunque supponat, vt per se patet: cùm vero ita se habet prædicatum respectu subiecti, propositio est vera in sensu formali: eodem vero modo se habet etiam Deitas, & nomina attributalia abstracte sumpta respectu Dei: non enim ideò solum Deus dicitur sapientia, quia identificatur cum illa, sed quia afficitur immediate ab eius significato formali: & ratione huius coniunctionis propositio est vera in sensu formali.

XII. Contra hanc assertionem occurrunt tres obiectiones. Prima est quoniam ad veritatem propositionis in sensu formali, nō satis est, vt significatum formale prædicati afficiat immediate subiectum, sed requiritur vlterius, vt significetur per modum afficientis illud: nomina vero abstracta non habent modum significandi, quo forma significata applicetur subiecto concrete

sumpto,

sumpto, quatenus illud afficiens: quare, etiamsi perfectiones diuinæ secundum proprium, & formale significatum conueniant Deo, tamen abstracte non significantur per modum affficientis, & consequenter non prædicantur verè in sensu formali. Maior patet quoniam eadem forma concrete significata prædicatur verè formaliter, abstracte vero falsò: vt si dicatur, Socrates est candidus, Socrates est candor: id verò non prouenit eo, quod formale significatum non afficiat subiectum, tunc enim etiam propositio, in qua prædicatur per nomen concretum, esset falsa: sed solum ex eo, quod nomine abstracto non significetur vt applicata, & afficiens subiectum. Secunda est in eiusmodi propositionibus sumitur Deus, prout à nobis concipitur, scilicet vt est concretum essentiæ diuinæ inadæquate sumptæ, prout præcisè dicit perfectionem substantialem virtute distinctam ab attributis: ergo, quando hæc de illo in abstracto prædicantur, propositio non potest esse vera formaliter. Probatur consequentia, quoniam nulla forma extrinseca rationi formali obiectiuæ subiecti prædicari de illo potest verè in sensu formali: perfectiones autem attributales, prout à nobis concipiuntur, sunt extrinsecæ Deo sumpto inadæquatè, quatenus significat solam perfectionem substantialem: ergo, cùm prædicentur de illo in abstracto, propositio non erit vera in sensu formali. Tertia denique si hæc est vera in sensu formali: *Deus est sapientia*, etiam hæc erit: *Deitas est sapientia*: hæc autem secunda non est vera in sensu formali, vt patet ex secunda assertione: ergo neque hæc, *Deus est sapientia*.

XIII. Ad primam respondeo dupliciter formam significari, vt applicatam subiecto, & illud quasi afficientem: primo quidem modo extrinsecè, & per modum qualitatis, alio vero intrinsecè, & per modum subitantiæ, siue quidditatis: Ad primum modum requiritur, vt subiectum præsupponatur vt constitutum essentialiter in suo esse: & consequenter forma prædicata, vt accidentaliter aduenies eidem: ad hunc vero modum significandi non inseruiunt nomina abstracta, imò neque concreta absoluta, quæ significant quid res est, non vero qualis est. Ad secundum vero non requiritur vt subiectum præintelligatur constitutum essentialiter, aut vt forma sit extrinseca: imò est intrinseca essentiæ, & quidditatiua: & idcirco significari recte potest per nomina abstracta, quæ dicunt quid res est. Ob quam causam in creatis nomina proprietatum, & accidentium in abstracto non significant illa per modum formæ subiecti concrete sumpti: Et idcirco vt notat Scotus in 1. d. 5. quæst. 1. §. *Ad argumenta logica*, passio non potest prædicari de subiecto per identitatem, sed solum formaliter, quia debet adiectiuè significari: tamen abstracte sumptæ significantur vt formæ inferiorum, quę in recta serie subordinantur eisdem, & ideò cum hęc nullo modo sit vera: *Socrates est color*: hęc tamen est vera in sensu formali: *candor est color*. Hoc posito concedenda est maior, & distinguenda minor: si enim intelligatur de concreto, quod habet formam significatam per prędicatum, per participationem, & per modum compositionis concedenda est, si vero de eo, quod habet illam secundum plenitudinem, & modo simplici, neganda: nam, cùm eiusmodi concretum sit ipsamet forma habita, hęc etiam per nomen abstractum potest significari, vt applicata ipsi per modum formæ intrinsecæ. Ad secundum respondetur vsum vocabulorum esse ad placitum: & quamuis interdum sumatur nomen, *Deus*, prout significat essentiam præcisam mutuo ab attributis, tamen ex vsu Patrum intendentium significare subsistens in propria, & adæquata forma Deitatis, sumi prout est concretum formæ diuinæ, vt est in se: de cuius ratione intrinseca sunt omnes perfectiones attributales: & in hoc sensu neganda est maior propositio: si verò sumatur prout est præcisè concretum essentiæ inadæquate sumptæ, rationes formales quasi substantiales abstracte significatæ dicuntur de illo in sensu formali: attributales autem solum in identico propter rationem in argumento adductam. Ex quo patet solutio ad tertium: nam, si hæc, *Deitas est sapientia*, est vera formaliter, si Deitas sumatur adæquate, ita in eadem acceptione hæc, *Deus est sapientia*, erit vera formaliter: econtra vero, sicut eadem propositio est solum vera identicè, si Deitas sumatur inadæquate, ita quoque hæc, *Deus est sapientia*, est solum vera identicè, si nomen Deus sumatur inadæquate.

Scotus.

XIV. Dico vltimum. Concreta in terminis diuinis prædicantur verè in sensu formali de suis abstractis, & de abstractis subordinatorum: non autem de abstractis rationum formalium disparatarum. Prima pars est de mente Concilij Rhemens.

Canon. citato definientis in nullo sensu Catholico posse negari huiusmodi propositionem: *Deitas est Deus*: deducitur vero ex dictis cap. 8. vbi ostensum est has propositiones esse veras, *Deitas est Deus, sapientia est sapiens*, & similes: nam veritas earum non fundatur in identitate, aut suppositione, pro materiali significato, sed in connexione formalis significati prædicati cum subiecto: in hoc autem consistit ratio veritatis formalis. Secunda quoque pars simili ferè argumento concluditur: nam rationes superiores, & intrinsecæ formis abstracte significatis applicantur, & conueniunt ipsis, non ratione alicuius materialis significati, pro quo vtræque supponant, sed ratione formalis significati per nomen prędicati, quod per se conuenit subiecto: si ergo aliunde non repugnat, vt concreta verè prędicentur de abstractis, vt nō repugnare in terminis diuinis ostensum est loco proximè citato, propositio, in qua concretum absolutum verè enunciatur de forma abstracte significata, quæ est inferior, & essentialiter subordinata formali significato prędicati, erit vera in sensu formali: qua ratione verè dicitur in sensu formali, *Deitas est Spiritus, viuens, substantia, ens*: Denique tertia pars ostenditur ex dictis, quoniam forma extrinseca non apte prædicatur per nomen absolutum de altera forma abstracte sumpta: at vero in terminis diuinis significatum nominis concreti absoluti, si comparetur cum rationibus formalibus disparatis, nostro modo intelligendi, habet se per modum formæ extrinsecæ, non intrinsecæ: ergo non potest apte prędicari de illis per inhærentiam, siue in sensu formali: & ideò hæc propositio, *Sapientia diuina est Deus*, non est vera in sensu formali, sed in identico, quia scilicet vterque terminus supponit pro essentia diuina.

De veritate propositionum, quæ in terminis diuinis enunciant aliquid ablatiuo casu.

Caput XV.

I. Superest, vt explicem quomodo sint veræ propositiones, quæ ablatiuo casu enunciant quasi principium actus, & quasi formam denominationum, quæ Deo tribui solent. Quam quæstionem attigit, nec dissoluit Richardus de sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 22. vbi de Deo loquens sic air. *Quid ergo, si idem est eius immensitas, quod bonitas, nunquid erit immensitate sua bonus? si idem est eius bonitas, quod immensitas, nunquid erit bonitate sua magnus: sed bonitas videtur pertinere ad qualitatem, immensitas ad quantitatem: quid ergo erit ne qualitate magnus, & quantitate bonus? Et ad hæc quis idoneus?* Et paulò pòst proposita simili ferè quæstione ita concludit. *Ex his perfacilè est intelligere, quam sit ineffabile, imò & incomprehensibile, quod ratio ratiocinando compellit de Deo nostro sentire.* *Rich. Victor.*

II. Quæstio hæc locum habet respectu prædicatorum, quæ concrete Deo tribuuntur: in his enim, cùm significentur per modum compositi, ex eo, quo est, & quod est, habet locum hæc interrogatio, in abstractis vero nequaquam: abstracta enim significantur vt formæ, quibus res est: & ideò non opus est indagare, quonam sit Deus sapientia, aut iustitia: Porro vt notat D. Thomas 1. p. quæst. 37. art. 2. ablatiuus casus construitur in habitudine alicuius causæ: hæc vero habitudo vt obseruat Durandus in 1. distinct. 32. quæst. 2. num. 5. in ordine ad prædicatum, quod afficit, vel est principij efficientis, vt cum dicitur: *ignis aduritur calore*, vel principij formalis, vt cum dicitur, *corpus candidum candore*, vel principij materialis vt cum dicitur, *corpus coloratum superficie*. Verùm hic tertius modus non est adeò vsurpatus neque inseruit ad institutum: duo priores maximè, qui traduntur etiam à Bonauentura in 1. distinct. 32. dub. 3. & Gregorio distinct. 6. quæst. vnica initio, & quidem forma habens habitudinem principij formalis habet se ad effectum, tanquam principium intrinsecum, qua ratione candor habet se ad candidum: quæ vero habet habitudinem principij effectiui, est extrinseca effectui, vt se habet intellectus ad intellectionem, potentia motiua ad motum localem: in Deo vero concipi possunt actiones ad extra, & ad intra, verbi gratia intellectio, & creatio. Quæstio ergo est vtrum dicit posit: *Deus voluntate intelligit, intellectu vult, per iustitiam miseretur, misericordia punit, per omnipotentiam videt, est magnitudine bonus, bonitate sapiens, &c.* Quæ denominationes reduci possunt ad duo capita: ve rmim prædicatum est nomen, vel verbum: & vtrunque rursus duplex est, aut substantiuum, vt *Deus*, & verbum, *est*, aut adiectiuum, vt patet in reliquis nominibus, aut verbis. *S. Thom.* *Durand.* *S. Bonauen.* *Gregor.*

Huic

III.

Huic quæstioni ita respondent nonnulli loquendo de actibus vitalibus Dei, vt dicant in sensu proprio, & de virtute sermonis, sicut Deus intelligit, per intellectum, ita intelligere per voluntatem: & similiter, sicut per voluntatem vult, ita etiam velle per intellectum. Ita docent Alliacens. in 1. quæst. 6. art. 2. ad secundam rationem. Adamus distinct. 6. quæst. 1. versus finem: Gregor. dist. 8. quæst. 1. art. 2. ad quartum. Andreas de Nouo Castro distinct. 10. quæst. vn. ad 1. contra 2. conclusionem & distinct. 32. quæst. 1. §. *Contra primo*, ad quartum principale, & Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium ad tertium Mayronij, quibus fauet Diuus Gregorius homil. 17. in Ezechiel. paulò ante medium, dum ait: *Omnipotens Deus, quia sibimetipsi similis ea virtute videt, qua audit: omnia ea virtute creat, qua iudicat creata.* Fundamentum est, quod attigit Richardus in sua dubitatione, nempè quia idem est in Deo intellectus, quod voluntas: atque adeò, si voluntate vult, etiam vult intellectu: nam fundamentum veritatis assertionis mentalis est identitas obiectiua inter prædicatum, & subiectum. Secundo idipsum colligi potest Syllogismo expositorio: vt enim constat ex superioribus, hæc propositio, *Voluntas diuina est intellectus*, est vera: sed hæc item est vera, *Deus intellectu intelligit:* ergo etiam hæc erit vera: *Deus voluntate vult.* Tertio quidquid verè affirmatur de subiecto, pro quo supponere potest aliquod prædicatum, affirmari etiam potest de prædicato: sed voluntas, & intellectus diuinus supponere possunt pro eodem: ergo quidquid verè dicitur de voluntate & intellectu, dicetur de vtroque: & proinde si verè dicitur: *Deus voluntate vult*, dicetur etiam, *Deus intellectu vult.* Quarto in particulari probatur de propositione, qua prædicatur verbum, *est*, substantiuè sumptum, quoniam in Deo non est nisi vnum tantum esse substantiale: & nullum accidentale: ergo, cùm quælibet forma tribuat aliquod esse subiecto, quæuis perfectio diuina tribuet Deo esse substantiale simpliciter: & proinde verè dicitur, *Deus est sapientia*, siue, *per sapientiam, est magnitudine*, siue, *per magnitudinem*, & sic in cæteris: in creaturis vero, quia plurimæ formæ dant esse accidentale, non verè dicitur: *Socrates est qualitate, aut magnitudine*, nisi addatur, *magnitudine magnus, &c.* in Deo vero ipsum esse sapientem, aut magnum est esse simpliciter, aut esse Deum: quare verè potest de ipso dici nomen, & verbum substantiuum determinatum à quauis forma in ablatiuo casu.

IV.

Dico primum. Nomen, aut verbum substantiuum non verè dicitur de Deo, si ponatur in casu auferendi forma, aut ratio inadæquata ipsius esse, vel subiecti significati nomine substantiuo: exempli causa non verè dicitur: *Deus est magnitudine Deus, omnipotentia Deus, &c.* neque item: *Deus est sapientia, immensitate, iustitia.* Quæ assertio est vera, siue Deus sumatur, quatenus adæquate significat totam perfectionem diuinam absolutam, siue quatenus significat Deitatem, vt formam pure substantialem præcisam à proprietatibus essentialibus; si priore modo sumatur, ostenditur assertio: quoniam, vt subiectum dicatur esse aliquid per formam, tanquam quo est, requiritur vt forma sit adæquata ratio formalis concreti, quod dicitur de subiecto, nec sufficit, vt sit inadæquata: non enim verè dicitur: *Socrates est animalitate homo:* quamuis ergo quæuis ratio formalis positiua sit de intrinseca ratione Dei, quia tamen nulla seorsim sumpta est adæquata, non verè dicetur, *Deus est sapientia, intellectu, aut voluntate Deus:* Eadem ratio cernitur in propositione, qua enunciatur verbum, *est*, substantiuè sumptum: nam cum esse Dei proprium sit indeterminatum, atque infinitum, nulla ratio particularis, prout ab alijs distinguitur, est adæquate forma ipsius, ac proinde per nullam, prout concipitur à nobis præcisa ab alijs, Deus adæquate, aut simpliciter est: exempli causa non dicitur simpliciter, & absque addito, *Deus intellectu est, aut volitione est:* Sed, *Deus intellectu est intellectiuus, volitione volens:* Si vero sumatur posteriore modo, suadetur, quoniam nihil, quod concipitur à nobis per modum substantiæ, dicitur esse simpliciter per formam conceptam per modum proprietatis: Deus concrete significatus concipitur à nobis per modum substantiæ, perfectiones aliæ per modum proprietatum: ergo, prout ita concipitur, non potest prædicari addita in ablatiuo casu perfectione attributali abstracte significata. Maior est euidens, quoniam omnis substantia habet suum esse simpliciter prius natura, quam intelligatur affici, vel informari à proprietatibus, quæ sunt formæ extrinsecæ naturæ subiecti: Socrates enim prius quam intelligatur affectus risibilitate est, & concipitur vt subsistens in humanitate, atque adeò

homo est ens simpliciter: & consequenter non est risibilitate homo: tunc enim non posset concipi homo, non concepta risibilitate: eodem modo cum Deum intelligimus tanquam subsistens in Deitate vt in forma substantiali, intellectum vero, & voluntatem, tanquam vitales proprietates, non possumus verè enunciare, *Deus est voluntate Deus.*

V. Dico secundum. Omnes propositiones, quibus tribuitur Deo aliquod prædicatum, & explicatur ratio, siue principium eius in casu auferendi termino neutrali, vel communi illi, & alijs rationibus, sunt veræ: hæc probatur auctoritate D. Augustini in quæstiunculis de Trinitate vbi ad quæstionem: *an aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse:* respondet non differre: *quia Deus eo ipso, quo est, viuit: & eo, quo viuit, intelligit, & eo, quo intelligit, potest: & eo, quo potest, est:* vbi nostro modo intelligendi, quatuor sunt effectus, quasi formales, nempè esse, viuere, intelligere, posse: qui omnes ratione distinguuntur, & habent formas abstracte significatas ratione distinctas: scilicet essentiam, qua Deus est: vitam, qua viuit, intellectum, quo intelligit: potentiam, qua potest. Et quamuis aliquis respondere posit vitam, & essentiam esse rationes formales subordinatas, & consequenter posse sumi tanquam rationes earundem de nominationum: quemadmodum animalitate homo non solum est animal, sed etiam viuens, non tamen soluitur argumentum: quandoquidem licet admitti posit per formam inferiorem habere subiectum effectus formales, & denominationes superiorum, quas includit, non tamen è conuerso: non enim homo vita sentit, quia vita est ratio communis vegetabilibus, & sensitiuis, & proinde non est id, quo res est sensitiua: at vero D. Augustinus ait Deum eo ipso, quo est, viuere: vita autem est ratio inferior respectu essentiæ: Accedit quod vita, & intellectus, intellectus & potentia non se inuicem includunt: & tamen idemmet sanctus ait Deum eo, quo viuit, intelligere: & eo, quo intelligit, posse: & eo, quo potest, esse: quare non respexit ad subordinationem rationum formalium, sed ad identitatem earum inter se: quo etiam respexit cum lib. 7. de Trinitate cap. 1. dixit Deum hoc ipso esse: quo sapiens est, & non alio magnum, alio Deum, sed eo magnum quo Deus: & cap. 2. *Sapientia,* inquit, *eo quo essentia:* & serm. 38. de tempore, qui est tertius in Dominica infra octauam Epiphaniæ: *Nec Deo,* inquit, *aliud est esse, aliud magnum esse, aliud bonum esse: sed eo, quo magnus est, & bonus est:* facit etiam pro hac eadem assertione D. Gregorius citatus, cùm dixit Deum ea virtute, qua videt, audire & creare: siquidem intellectus & potentia creandi non sunt rationes subordinatæ mutuo inclusæ vna in altera, sed conueniunt in totali ratione formali virtutis, siue potentiæ diuinæ, cuius identitas indicatur, cum dicitur, *ea virtute, qua videt, creat:* sub qua tamen sunt particulares rationes formales, quibus tribuuntur diuersi effectus: Tandem hanc eandem conclusionem confirmant verba Bernardi serm. 80. in cantica post medium; quæ sic habent: *Nec aliunde bonus, quam vnde magnus: nec aliunde iustus, ac sapiens, quam vnde magnus, ac bonus: nec aliunde deniq; simul hæc omnia, quam vnde Deus: & hæc quoq; nonnisi se ipso.* Probatur autem ratione, quoniam sensus huius propositionis, *Deus eo intelligit, quo potest,* ita exponitur, Deus ea forma intelligit qua potest, termini enim, *eo,* & *quo,* neutraliter sumpti supponere possunt pro perfectione omni diuina cui conuenit prædicatum, vnde supponunt pro diuina essentia, quæ adæquate sumpta est forma, qua Deus est, intelligit, potest, &c.

Augustinus. *S. Gregor.* *Bernard.*

VI. Dico tertium. Propositiones illæ, in quibus ponitur in ablatiuo casu perfectio abstracte sumpta, tanquam ratio formalis concreti, aut tanquam principium, quo operationis, non sunt simpliciter veræ, nisi formale significatum nominis sub ea præcisa ratione sit ratio formalis concreti, aut principium quo operationis. Exempli causa: Hæc non est vera simpliciter, *Deus est bonitate sapiens, æternitate iustus, iustitia misericors:* neque item hæc, *Deus voluntate intelligit, intellectu vult, misericordia punit:* ita expresse Henric. in sum. art. 75. quæst. 2. ad 14. principale, & ad 7. in oppositum. Torres 1. p. quæst. 28. art. 2. disp. 2. dub. vlt. ad tertium, & est de mente Ægidij in 1. dist. 6. quæst. 1. dicentis huiusmodi propositionem, *Deus per naturam vult,* & similes esse falsas: propositio enim illa habet vim ablatiui casus, Gabriel item in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. dub. 4. negat hanc, *Deus intelligit per voluntatem.* Fundamentum est quoniam forma abstracte significata, & posita in casu auferendi modificat prædicatum, & ideò proponitur tanquam propria ratio formalis ipsius, si sit nomen: vt enim docet D. Thom. 1. p. quæst. 37. art. 2. cùm res communiter denominentur à suis formis vt album ab albedine, homo ab humanitate: omne illud, à quo aliquid denomi-

Henric. *Torres.* *Ægid.* *Gabriel.*

denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ: si vero prædicatum sit verbum, forma significata casu auferendi proponitur, vel tanquam ratio eius intrinseca, vt cum dicitur homo intellectione intelligit, aut tanquam principium, quo agendi: ratio autem formalis non consistit in materiali significato, sed in formali: ergo quotiescunque formale significatum ex sua præcisa ratione non sufficit vt sit id, quo aliquid est, vel agit, propositio habens à parte prædicati: in casu auferendi nomina abstracte sumpta, nequaquam erit vera, hoc vero modo se res habet quoties significatum formale nominis concreti & abstracti, est disparatum, vt si comparetur iustum & misericordia, sapiens & iustitia, &c. Nam significatum formale sapientiæ, non est ratio formalis cur Deus sit iustus: neque significatum formale iustitiæ, est ratio cur Deus sit sapiens: sapientia enim non significat formaliter iustitiam, quæ est forma intrinseca iusti, nec iustitia significat formaliter sapientiam, quæ est ratio formalis intrinseca sapientis: ergo non verè dicitur: *Deus est sapientia iustus, aut iustitia sapiens:* Eademque ratio militat, quando nomen abstractum ponitur vt principium quo agendi: cùm enim ita loquimur, volumus exprimere proximam, & immediatam formam, quæ est subiecto ratio operandi: atque adeò nomen debet illam formaliter significare: Probatur consequentia, quoniam formale significatum potius stat pro eo, quod operatur, quam pro ratione operandi: si ergo propria operandi ratio est præcisa, saltem conceptibiliter, ab alijs perfectionibus, falso nomina aliarum, quæ illam formaliter non significant, quantumuis sint idem, & conueniant in materiali significato, ponentur in ablatiuo casu tanquam rationes agendi, aut tanquam principium quo, & ideò hæc est falsa: *Deus voluntate intelligit, intellectu vult.* Quoniam sensus est, intellectus est Deo ratio volendi, & voluntas est Deo ratio intelligendi: quod est falsum.

VII. Ex his patet solutio ad argumenta. Primum enim fundamantum solum concludit similes propositiones admittere aliquam veritatem in sensu identico. Verum quoniam inter illas sunt nonnullæ, quæ solum admittunt formalem, in quo sunt falsæ, vt dictum est, respondetur ad veritatem propositionis in sensu formali, non sat esse identitatem inter extrema, vt patet ex dictis: sed requiri præterea modum significandi aptum, quo non significentur prout sunt distincta ratione: intellectus autem & voluntas prout à nobis præcisè concipiuntur, important distinctionem rationis, sub qua non potest tribui vni id, quod conuenit alteri, quatenus ab eo distinguitur, & quoniam esse formaliter id, quo Deus intelligit, conuenit intellectui secundum præcisam rationem, qua distinguitur à voluntate, non sequitur ex identitate actuali, si Deus intelligit intellectu, intelligere quoque voluntate. Ad secundum respondetur cum Ægidio in 1. distinct. 33. in 2. p. princip. quæst. 1. & alijs communiter: ex præmissa vera solum in sensu identico non posse colligi consequens verum in sensu formali, vt patet in hoc Syllogismo: *Pater generat: essentia diuina est Pater: ergo essentia diuina generat:* vbi assumptio est vera in sensu identico, & consequens, quod admittit solum sensum formalem, est falsum: ita vero se res habet in Syllogismo expositorio, qui in argumento adducitur: nam illa maior: *voluntas diuina est intellectus:* est solum vera in sensu identico, & ideò consequens, quod exigit sensum formalem, est falsum. Ad tertium respondetur maiorem esse veram de affirmatione simplici, non vero de formali, vel sub aliquo modo: namque animalitas supponere potest pro humanitate, de qua in recto prædicatur, & tamen verè dicitur Socrates humanitate est homo: falso autem Socrates animalitate est homo. Ad vltimum respondeo recte concludere re ipsa eandemmet formam realem, quæ dat esse sapiens, dare esse simpliciter: hoc tamen non sufficit, vt verè dicatur: *Deus est sapientia, immensitate, vel iustitia:* quoniam nos his nominibus non exprimimus formam Dei adæquate secundum quod est in se, sed prout à nobis concipitur sub præcisa ratione sapientiæ, immensitatis, vel iustitiæ, quæ quamuis re ipsa det esse simpliciter, concipitur tamen, & significatur, vt solum dat esse sapiens, immensum, iustum, &c. & ideò non verè dicitur: *Deus est immensitate, voluntate, &c.*

Ægid.

De veritate propositionum reduplicatiuarum: in terminis diuinis.

Caput XVI.

I. VLtimo loco expendenda est veritas propositionũ reduplicatiuarũ. Quidam Thomistæ apud Torr. 1. p. quæst. 28. art. 2. disput. 2. dub. vlt. ad vltimum argumentum aiunt hanc esse veram: *Intelligere Dei, in quantum intelligere ipsius est velle eiusdem:* ac vice versa: ipse vero Torres ad 3. hanc: *Intellectus diuinus, qua intellectus diuinus, est voluntas:* non audet concedere absolute, sed cum distinctione: nam si, inquit, particula reduplicatiua importat rationem communem vtrique, hoc est essentiam, propositio est vera: falsa vero si dicat propriam rationem cuiuslibet attributi in se. Primum ostendit, quoniam intellectus diuinus, qua diuinus, est essentia diuina: hæc vero, qua essentia diuina, est voluntas diuina: ergo etiam intellectus diuinus, qua intellectus diuinus, est voluntas diuina. Secundum vero probat, quoniam si terminus reduplicatiuus in illa propositione denotat formam, siue rationem propriam cuiuslibet attributi, sensus illius propositionis est hic: *ratio intellectus, est ratio voluntatis:* qui est omnino falsus, vt patet. Pro primo dicto facit Diuus Thomas opuscul. 9. q. 1. in fine. Heruæus quodlib. 1. quæst. 2. §. *Modo restat tertio,* ad finem: & quodlibet. 3. quæst. 3. art. 1. ad medium, & ex illo Clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium art. 1. ante solutionem rationum Scoti, & Argentin. in 1. dist. 6. quæst. 1. argumento 9. contra Scotum, qui concedunt similes propositiones, si terminus reduplicatiuus cadat supra *diuinum,* ita vt sapientia, quatenus *diuina,* sit iustitia, & sic in alijs. Ostenditur vero, quoniam supra terminum continentem rationem prędicati cadere potest reduplicatio à parte subiecti: at, *diuinum,* siue, *diuinitas,* continet rationem omnis omnino perfectionis attributalis prędicabilis de Deo: quia enim Deus est, consequenter est sapiens, iustus, omnipotens, &c. ergo termino, *diuinum,* adiuncto cuiuis subiecto significanti perfectionem Dei absolutam addi potest particula reduplicatiua, sub qua prædicatum enuncietur verè de subiecto: & ita verè dicetur: *Sapientia diuina, qua talis est iustitia:* & vice versa, & sic in cæteris: & confirmatur quoniam eadem forma significatur nomine absoluto, & connotatiuo: reduplicatio vero cadit supra significatum formale, vt dicunt communiter Doctores: ergo si quoduis attributũ dicitur de Deo sumpto reduplicatiuè, dicetur etiam de diuino similiter sumpto: & si Deus qua Deus est sapiens, iustus, misericors, etiam omnipotens, qua diuinus erit sapiens, iustus, ac misericors: & omnipotentia, qua diuina, erit sapientia, iustitia, ac misericordia.

S. Thom. *Heruæus.* *Clypeus.* *Argentin.*

II. Pro resolutione obseruandum est primo: terminum reduplicatiuum, *in quantum,* siue, *secundum quod,* multipliciter accipi, vt notat Magist. in 3. dist. 10. & Albertus ibid. art. 2. propria tamen acceptio, à qua sumitur reduplicatio, est cum designat causam, siue rationem cur prædicatum insit subiecto, vt notat Altisiodorens. lib. 1. cap. 6. aliàs 7. quæst. 5. ad finem, Bonauentura in 3. distinct. 10. art. 1. quæst. 1. 2. & 3. Ægidius in 1. dist. 11. 2. p. quæst. 1. & 2. Richard. in 3. dist. 10. art. 1. quæst. 1. & 2. Durand. quæst. 1. Scotus quæst. 2. Capreol. in 2. distinct. 15. quæst. vnica art. 3. ad primum: ex primo loco inductis contra tertiam conclusionem, Hispalens. in 1. dist. 12. quæst. vn. art. 3. notab. 2. & 3. & in 3. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. notabil. 3. Ægid. vbi supra: id colligit ex Aristotele lib. 1. priorum asserente reduplicationem ponendam ad maiorem extremitatem, loquebatur autem de prima figura, in qua maior extremitas prædicatur: itaque quamuis terminus reduplicatiuus apponatur medio, afficit tamen prædicatum, & designat modum, quo conuenit subiecto: propter quam causam dixit D. Thomas in 3. distinct. 10. quæst. 1. art. 1. quæstincul. 1. significatum termini, supra quem cadit reduplicatio, habere rationem medij termini inter prædicatum, & subiectum: ad prædicatum quidem sicut ad id, quod per se consequitur ipsum: ad subiectum vero tanquam inclusum ad includens: quod non intelligendum est sic, vt de vera, ac propria inclusione, sed de inclusione, vel suppositione, vel cõsecutione necessaria: quomodo ait D. Thom. in subiecto includi substantiam ipsius & antecedentia, vt sunt causæ, & consequentia, sicut effectus: & ratione horum omnium fit reduplicatio: nam si attendamus ad inclusionem secundum substantiam, verè dicitur: *Petrus quatenus homo est rationalis:* quoniam homo, qui secundum naturam includitur in Petro, comparatur ad rationale, vt ad per se cõsequens ipsius: si vero accedamus antecedẽtiam causæ materialis, verè dicitur: *Homo secundũ quod compositus ex cõtrarijs, est corruptibilis:* si vero causæ formalis verè dicitur: *Homo secundũ quod habet animam, est factus ad imaginẽ Dei:* si vero causæ efficientis, verè dicitur: *Intellectio,*

Magister. *Albertus.* *Altisiodoren.* *Bonauent.* *Ægid.* *Richard.* *Durand.* *Scotus.* *Capreol.* *Hispalens.* *S. Thom.*

secundum

secundum quod procedit ab intellectu, est actio vitalis: secundum rationem verò causæ finalis dicitur: *Homo, quatenus ordinatur ad beatitudinem, est immortalis secundùm animam*: Si verò attribuatur aliquid ratione accidentium verè dicitur; *Homo, quatenus coloratus est visibilis.*

III. Notandum secundo cum Diuo Thoma articul. citato quæstiuncul. 2. in corpore Scoto in 1. distinct. 1. quæst. 2. ad 3. principale, & Capreol. in 3. distinct. 10. quæst. vn. artic. 1. Conclusione 3. & art. 3. ad primum, ad veritatem reduplicatiuæ non requiri, vt terminus reduplicatus quo ad omnia, quæ continet, sit causa, vel ratio prædicati, sed sat esse, vt sit secundùm aliquid sui: qua ratione verè dicitur: *Socrates quatenus Homo, est discursiuus*: quamuis solùm ratione animæ, non vero corporis, sit causa potentiæ discurrendi: item verè dicitur: *Petrus quatenus Homo, sensitiuus*: nec tamen rationalitas, quæ est pars ipsius Metaphysica, est ratio, siue causa cur sit sensitiuus. Cum verò cócreta substantiua significent suppositum, potest esse dubitatio vtrum ad veritatem propositionis constantis terminis reduplicatiuis sufficiat, vt verificetur ratione suppositi, an verò debeat verificari necessario ratione naturæ. Aliqui contendunt non posse verificari ratione solius suppositi, quoniam reduplicatio facit, vt terminus reduplicatus teneat se formaliter, suppositum verò non habet se ex parte significati formalis, sed materialis. Contra verò D. Thomas contendit verificari posse etiam ratione suppositi, ob quã causam 3. p. quæst. 16. art. 8. ait hanc esse falsam: *Christus quatenus hic Homo, est creatura*: hanc aũt veram, *Christus quatenus hic Homo, non est creatura*: quoniam, *hic Homo*, designando Christum includit suppositum diuinum, ratione cuius est Deus, & non creatura: de veritate tamen huius non est hic disputandi locus, sed in materia de incarnatione: solum dico sentẽtiam D. Thomæ esse simpliciter veram, quando designatur certum, ac determinatum suppositum: quando verò indeterminatum opus esse destinctione: Prior pars constat, quoniam hæc est vera: *Deus quatenus Pater generat*: & tamen generare conuenit ratione proprietatis personalis: hæc verò, *Christus quatenus Homo, est creatura*: distinguitur ab eodem D. Thoma 3. p. q. 16. art. 10. & si rẽdimatur, inquit, Homo in reduplicatione, ratione naturæ est vera, si vero ratione suppositi falsa: imò addit art. 11. quoniam termini à parte prædicati stant formaliter hanc propositionẽ: *Christus secundũ quod Homo, est Deus*: esse magis negandam, quam cõcedendam: è contra verò art. 10. ob eandem rationem dixerat hanc: *Christus secundum quod Homo, est creatura*: magis concedendam quam negandam.

IV. Recolendæ sunt exponentes reduplicatiuarum, quæ tradi solent in Logica, & explicantur à Soto lib. 4. summul. c. 3. est tamen dubium circa exponentes affirmatiuarum simpliciter, quando scilicet affirmatur, & verbum, & terminus reduplicatus. *Sotus.* Nam Sotus vbi supra docet semp præiacentem, quæ cõstat ex prædicato, & subiecto debere esse veram, verbi gratia, vt sit vera hæc propositio: *Homo inquantum rationalis est risibilis*: opus est vt sit vera hæc: *Homo est risibilis*: Eiusdem sententię est Sco- *Scotus.* tus in 3. distinct. 11. quæst. 2. & probat quoniam reduplicatio non tollit, aut diminuit alterum extremum, quia est determinatio extremi ad extremum denotans modum, siue rationem, ob quam vnum conuenit alteri, ergo non potest verificare propositionẽ, quæ sine reduplicatione est falsa. Et confirmatur quoniam, vt ait Diu. Thomas terminus reduplicatus habet se tanquã medium propter quod prædicatũ conuenit subiecto: quoties verò mediũ verè conuenit vtriq; extremo, vt conuenire debet, si reduplicatio vera sit, vera quoque erit propositio, in qua p̃dicatum reduplicatiuæ simpliciter enunciatur de subiecto. Contra verò D. Thom. 3. part. quæst. 16. *S. Thom.* art. 10. ad secũdum supponit partem affirmatiuam, quatenus admittit hanc esse simpliciter falsam: *Christus est creatura*: hãc verò concedit esse veram: *Christus, secundum quod Homo, est creatura*: eodemq; modo loquitur Caietan. eodem art. de his duabus: *Caietan.* *Christus incepit esse*: &, *Christus, secundũ quod Homo, incepit esse*: dicẽs primam esse falsam, secundam verã, probari verò potest, quoniam fieri potest, vt prædicatum, quod nõ conuenit simpliciter subiecto, conueniat sub aliqua consideratione, vel ratione: & consequenter vt propositio, quæ est simpliciter falsa, reddatur vera, si reduplicatio afficiat rationem, sub qua prædicatum conuenit subiecto.

V. Hæc controuersia dirimenda est ita, vt sententia Scoti, & Soti, quæ communis est, simpliciter astruenda sit, adhibenda tamen exceptio, quam indicat Diuus Thomas, & Caietanus: nimirum vt possit reduplicatiua esse vera, etiamsi præiacens sit falsa, quando prædicatum reduplicatiuæ repugnat subiecto secundùm aliquid sui, nõ verò secundũ alterum: tunc enim si reduplicatio cadat supra id, ratione cuius

non repugnat, potest propositio esse vera, quamuis præiacens absoluta sit falsa propter repugnantiam prædicati ad subiectum exempli gratia hæc propositio: *Homo est abstractus à differentijs singularibus*: est simpliciter falsa: quia separatio naturæ specificæ ab indiuiduis est impossibilis: hæc tamen est vera: *Homo secundum quod intelligitur, est abstractus à differentijs indiuiduantibus*: quia reduplicatio reponit Hominem subesse intellecto, sub quo conuenit abstractio à singularibus: & eodem modo se habet illa, de qua est controuersia inter Diuum Thomam, & Scotum vt explicat Caietanus vbi supra.

Ad rationem Scoti dicendum est reduplicationem non minuere alterum extremum contrarie, vel positiuè, quasi tollat eius naturam: sed negatiue quatenus non cadit supra omnia, quæ illi conueniunt, sed supra aliqua, ratione quorum potest verificari prædicatum, quod absolute non verificatur. Ad confirmationem respondetur terminum reduplicatum habere simpliciter rationem medij: quando in subiecto non sunt plura eius naturæ, vt ratione vnius repugnet veritas absoluta, ratione vero alterius conueniat sub reduplicatione: quando vero sunt, nequaquam, sed solum in sensu composito, hoc est cum reduplicatione medij ipsius: & hoc solum probat ratio adducta pro sententia Diui Thomæ.

VI. *Durand.* Vltimo notandum est ex Durando, quæst. citata. numero 6. vnum consequi ad aliud proximè, vel remotè: & quamuis vt dictum est numero tertio, interdum possit cadere reduplicatio supra terminum, ad cuius significatum remote sequitur prædicatum, vt si dicatur: *Socrates quatenus Homo, est sensitiuus*: quia ad hominem sequitur animal, in quo continetur ratio sentiendi, tamen Doctores communiter, cum vtuntur terminis reduplicantibus, apponunt illos rationi proximæ, & conuertibili prædicati cum subiecto, vt videre est apud Richardum in 3. dist. 10. articul. 1. quæst. 1. ad 3. Capreolus in 2. distinct. 15. quæst. vnica, articul. 3. ad primum ex primo loco inductis contra tertiam conclusionem. *Richard.* *Capreol.* AEgid. in 1. dist. 11. 1. par. quæst. 1. vbi ait terminum: *secundum quod ipsum*, addere immediationem, scilicet inter rationem prædicati, & ipsum prædicatum. idem patet apud alios: & ideo in hoc sensu non est vera hæc propositio: *Petrus inquantum Homo, sentit*: quia remoto rationali per intellectum non erit Homo, *1 Egid.* & adhuc remanebit sentiens, si concipiatur vt animal, vt ex lib. de causis docet Diuus Thomas, vbi suprà. Obseruandum tamen prædicata dicta de Deo, quibus additur reduplicatio, aut sumi posse in communi secundum rationes analogicas dictas de Deo, & creaturis, vt cùm dicitur sapientia, iustitia, &c. vel contracte ad diuinas, vt cùm dicitur sapientia diuina, iustitia diuina.

VII. Dico primum. Propositiones, in quibus terminus reduplicatiuus cadit supra rationes communes analogicas, solum sunt veræ, quando prædicatum est per se consequens talis termini: exempli causa, quia sapientia est ratio intelligendi, disponendi, gubernandi; &cætera, verè dicitur, *Deus quatenus sapiens, intelligit & gubernat mundum: &cætera*: quia verò ratio communis sapientiæ non est ratio miserendi, amandi, aut reliquarum denominationum formalium, falsò dicitur, *Deus quatenus sapiens miseretur impijs, amat bonos, est immensus, vel omnipotens*. Assertio hoc modo exposita est de mente Heruæi *Heruæus.* quodlib. 1. quæstion. 2. §. *Modo restat tertio*, ad finem, & quodlib. 3. quæst. 3. artic. 1. ad medium. Clypeij vbi suprà; Mayronij in 1. dist. 33. quæst. 3. articul. 2. & Torrensis 1. part. quæst. 28. articul. 2. distinct. secund. dub. vltim. ad tertium: facilè verò ostenditur, quoad vtramque partem ex paulò antè dictis: nam reduplicatio indicat terminum, cui additur, esse antecedens proprium talis prædicati; ergo quoties prædicatum est per se consequens termini reduplicati, propositio est vera: falsa verò si non sit per se consequens illius: & ideo semper oportet attendere habitudinem termini reduplicati ad prædicatum: nam ad quædam se habet antecedenter, ad alia vero disparate, vel repugnanter: & solum admittit reduplicationem si sit antecedens bonæ consequentiæ materialis: in terminis verò communibus non datur ratio antecedentiæ ad perfectiones disparatas: & ideo, quando fit reduplicatio supra illos, non magis possunt prædicari de Deo, quàm de creaturis. Ratio est, quoniam id, quod per se conuenit alicui termino, semper conuenit vbicunque reperiatur, rationes verò communes analogicæ reperiuntur determinatæ in diuinis, atque creatis: prædicatum verò, quod conuenit ratione termini reduplicati, conuenit per se, vt constat ex dictis: ergò, si aliquid prædicatur de Deo ratione termini communis reduplicati,

Clypeus. *Mayron.* *Torret.*

prædi-

prædicabitur etiam de recreata, cui competit idem terminus communis: atque adeo, si hæc propositio est vera: *Deus quatenus sapiens, est iustus:* hæc etiam erit vera: *Socrates, quatenus sapiens, est iustus:* quod tamen est absurdum: quare etiam in terminis non erit vera hæc propositio, *Deus, quatenus sapiens, est iustus:* nec aliæ similes, in quibus apponitur reduplicatio termino communi analogico, cuius formale significatum est disparatum à significato prædicati.

VIII. Dico secundum. Si termini reduplicati sumantur contracti ad perfectiones diuinas, propositio reduplicatiua constans terminis disparatis erit vera identice, non formaliter: exempli gratia hæc enunciatio: *misericordia diuina, quatenus diuina est iustitia:* in sensu identico est vera, in formali falsa: vera in identico, quoniam, vt constat ex superioribus, hæc est vera identice: *misericordia diuina est iustitia:* vtraque enim est idem, ac supponit pro essentia, quæ est iustitia, & misericordia: & hæc veritas identica conuenit enunciabili non ex eo, quod misericordia est misericordia, sed ex eo, quod est diuina. Et in hoc sensu intelligendus Diuus Thomas, & alij citati numero 1. quando concedunt misericordiam, quatenus est diuina, esse iustitiam: quoniam ex eo, quod diuina est, habet identitatem in essentia cum iustitia, ratione cuius identitatis propositio illa: *misericordia est iustitia,* est vera in sensu identico: non esse autem veram in sensu formali constat, quoniam propositio affirmatiua reduplicatiua in sensu formali vera, manet vera in eodem sensu sublata reduplicatione: nam, si hæc est vera formaliter: *Homo quatenus Homo est risibilis:* hæc etiam: *Homo est risibilis:* est in eodem sensu vera: vt enim constat ex notabil. 5. licet ad veritatem affirmatiuæ reduplicatiuæ requiratur veritas absolutæ constantis eisdem terminis dempta reduplicatione, quando terminus ipse, qui reduplicatur, est subiectum: vt si dicam, *Homo quatenus Homo, est animal:* nam etiam vera est hæc propositio simplex, *Homo est Animal.* Ratio est quoniam in termino reduplicato continetur antecedens, cum quo per se cohæret prædicatum: & ideo verè enunciatur de illo in propositione simplici: quapropter, si hæc reduplicatiua: *sapientia diuina, qua diuina, est iustitia:* esset vera in sensu formali: hæc etiam erit vera in eadem sensu: *sapientia diuina est iustitia:* cuius oppositum ostendi capit. decimoquarto. Et confirmatur quoniam prædicatum propositionis reduplicatiuæ conuenit per se termino reduplicato, vt docet Diuus Thomas vbi suprà: at propositiones illæ: *misericordia diuina est iustitia; sapientia est omnipotentia:* non sunt per se in vllo sensu formali, sed solum ratione identitatis, vt patet ex cap. decimoquarto, ergò in sensu reduplicatiuo solam habet veritatem identicam, non formalem. *S. Thomas.*

IX. Dico tertium. Prædicata omnia absoluta necessaria possunt dici de essentia diuina, siue de Deo sub reduplicatione: ita vt hæc sit vera: *Deus quatenus Deus, est viuens, potens, intelligens, misericors,* & cæt. Est de mente Heruæi, Clypei vbi suprà, & Torrens. dub. 5. Ratio est, quoniam Deus respectu omnium perfectionum diuinarum habet rationem includentis, & continentis: nam nostro modo intelligendi vel includit intrinsece eas, vt natura rationes essentiales, vel vt subiectum passiones proprias: de subiecto verò enunciari possunt proprietates sub reduplicatione; nam verè dicitur: *Homo quatenus homo est risibilis:* itemque rationes essentiales intrinsecæ, quomodo etiam verè dicitur: *Homo quatenus homo est animal rationale.* Est tamen dubium, an hæc omnia prædicata conueniant Deo secundùm quod ipse, hoc est conuertibiliter, ita vt prima per se ratio illorum sit Deitas ipsius. Ratio verò dubitandi est, quoniam plura ex prædicatis essentialibus sunt communia creaturis, quæ vero conueniunt pluribus specie diuersis, non conueniunt singulis per se primo, & quatenus ipsa, sed prædicato communi ad omnia illa: exempli causa Homo, Equus, Leo, Delphinus, sunt sensitiui: ergò ratio sentiendi non conuenit singulis secundùm quod ipsi, sed per se primo, & secundùm quod ipsum conuenit animali: ratione verò eius speciebus sub ipso contentis: Deo verò, Angelo, & Homini conuenit ratio intelligendi: ergò Deus est intellectiuus non secundùm quod ipse, sed quatenus conuenit analogicè cum creatura rationali. Est autem obseruandum hæc prædicata vel sumi secundùm rationem communem analogicam, vel secundùm rationem specificam, & propriam Deo, quomodo nominatur à nobis omnipotentia, quo nomine exprimere volumus propriã rationem potentiæ diuinæ. Si hoc secundo modo sumantur perspicuum est prædicari de Deo reduplicatiuè, & secundùm quod ipse: nam perfectiones attributales *Heruæus. Clypeus. Torres.*

Dei

Dei ſecundum proprias rationes ſoli ipſi conueniunt: & ideò nō habent aliam naturam, vel ſubiectum, cui conueniant ſecundum quod ipſum: Quod perſpicuum eſt in omnipotentia: Deus enim eſt omnipotens ſecundùm quod ipſe, hoc eſt per ſe, & conuertibiliter: ſin autem primo modo accipiantur, non eſt abſurdum concedere non competere Deo, ſecundùm quod ipſe, hoc eſt conuertibiliter propter rationem aſſignatam. Quamuis etiam oppoſitum dici poſſit, quoniam alia ratio eſt in analogis, alia in vniuocis: hæc enim cum ſignificent vnam ſimpliciter naturam, ſi ea per ſe primo, & quatenus ipſa vendicat aliquod prædicatum, id non poteſt conuenire inferioribus, quatenus ipſa: analoga verò non habent vnam ſimpliciter rationem obiectiuam, ſed partim vnam, partim plures: & idcirco prædicata alia, quæ conſequuntur rationem cōmunem analogicam, poſſunt dici conuenire immediatis analogatis quatenus ipſa: maxime verò primis, per attributionem ad quæ reliqua participant rationem communem analogam: & quoniam Deus eſt primum analogatum per attributionem, ad quem creaturæ participant perfectiones, quas ipſe habet per eſſentiam, rectè dici poteſt, Deus eſt ſapiens ſecundum quod ipſe, & ſic in cæteris.

X. Dico quartum. Quoties prædicatum eſt adiectiuum, & à parte ſubiecti, reduplicatur terminus non continens propriam rationem prædicati, propoſitio eſt falſa. Exempli cauſa, ſi dicatur: *Deus quatenus immenſus intelligit: Deus quatenus omnipotens amat: quatenus iuſtus eſt miſericors:* & ſic in cæteris. Eſt de mente AEgidij in1. diſt. 5. 1. part. quæſt. 2. articul. 1. & diſtinct. 6. quæſt. 1. Fundamentum eſt, quoniam, vt dictum eſt in ſuperioribus, prædicatum adiectiuum non verificatur niſi formaliter, hoc eſt non ratione ſuppoſiti, ſiue materialis ſignificati, ſed formalis: atque adeo reduplicatio à parte ſubiecti debet continere rationem formalem, non verò ſolum materialem, ſiue identicam, cur prædicatum conueniat ſubiecto: In omnibus autem exemplis aſſignatis, & ſimilibus terminus reduplicatus non continet rationem formalem propter quam prædicatum conueniat ſubiecto: non enim idcircò Deus intelligit, quia immenſus, aut amat quia omnipotens, aut eſt miſericors quia iuſtus: nam, ſi per intellectum conſideretur præciſa immenſitate, adhuc manente intellectu adeſt ratio ſufficiēs intelligendi, ſi conſideretur præciſa omnipotentia adhuc voluntas erit ratio amandi: itemque adhuc erit miſericordia miſericors, quāuis præſcindatur à iuſtitia: deindè omnis prædicatio reduplicatiua reſoluitur in duas: v.g. hęc: *Deus quatenus immēſus intelligit*: reſoluitur in hanc, *Deus eſt immenſus, & immenſitas eſt ratio cur intelligat*: nam, vt ait D. Thom. citat. nu. 2. ſemper terminus reduplicatus habet rationē medij, nempè per ſe inter ſubiectum & prædicatum, & cōſequenter prædicatū debet per ſe conuenire termino reduplicato: alioquin hæc eſſet vera, *Socrates quatenus Muſicus ædificat*: quod eſt falſum: hæc verò, *immenſus intelligit*: eſt propoſitio per accidens: ergò hæc non eſt vera: *Deus quatenus immenſus intelligit.*

AEgid.

Fundamenta oppoſitæ ſententiæ minimè concludunt: nam, quamuis terminus, *diuinus*, additus cuiuis perfectioni ſit ratio, cur ſit idē cum alia, & conſequenter enunciatio vera identicè, tamen noſtro modo intelligendi & ſignificandi, non eſt ratio cur ſit formaliter alia: & proinde non ſufficit vt propoſitio reduplicatiua ſit vera formaliter. Ad rationem verò, qua hoc oſtenditur, reſpondetur intellectum diuinum, qua diuinus eſt, non eſſe formaliter, ſed identice eſſentiam diuinam: nam noſtro modo intelligendi comparatur ad ipſam, vel quatenus ratio eſſentialis intrinſeca, vel quatenus proprietas ad ſubiectum: at verò ſubiectum non dicitur per ſe de proprietate, nec de prædicatis eſſentialibus: & conſequenter non poteſt ſub reduplicatione prædicari de ijſdem: non enim verè dicitur: *Animal, qua Animal eſt Homo, aut riſibilitas, qua riſibilitas eſt humanitas*: eodemque modo hæc reduplicatiua: *intellectus diuinus qua diuinus eſt eſſentia diuina*, non eſt vera in ſenſu formali, ſed ſolum identico: & idcirco quamuis eſſentia diuina qua talis, ſit voluntas, non proinde intellectus diuinus, qua diuinus eſt voluntas diuina: neque placet diſtinctio qua vtitur Canarienſis: nam, ſi vnum attributum eſt de eſſentia alterius, verè poteſt de illo enunciari cum reduplicatione: atque adeò cum ipſe exiſtimet ſingula attributa eſſe de eſſentia aliorum abſque diſtinctione, debet concedere vnum poſſe dici de alio ſumpto reduplicatiue. Poſſet tamen primum eius dictum admitti, & exponi ſi reduplicatio ſtrictè ſumatur prout denotat ſolum rationē propriam, & conuertibilem. Quod attinet ad ſecundùm dictum ipſius D. Thomas, & alij, qui admittunt propoſitiones illas reduplicatiuas, intelligendi ſunt in ſenſu identico, vt dictum eſt ſuprà.

XI.

Torret.

Ad ra-

Ad rationem verò respondetur diuersò modo accipi nomen concretum substantiuum, & concretum denominatiuum ab eo deriuatum. Nam primum significat totũ, quod continetur in forma: secundùm verò non item, sed significat aliquid pertinens ad eam formam, vt videre est in his nominibus: *humanitas, Homo, humanum*; humanitas enim, & Homo significant omnia essentialia intrinseca naturæ Hominis: humanũ verò solum significat aliquid deductum, aut pertinens ad Hominem: & proinde, quamuis hæc sit vera: *Homo qua Homo est animal*: hæc tamen est falsa: *humanũ, qua humanum est animal*: Nam terminus, *humanum*, potest coniungi cum alijs, quæ pertinent ad Hominem, nec tamẽ sunt Homo: & ideò falsò dicitur: *intellectus humanus, qua humanus est animal*: & sic in cæteris. Eodem verò modo se res habet in his terminis, Diuinitas, Deus, Diuinũ: & ideò quamuis hæc sit vera, *Deus qua Deus est sapiens, iustus, & misericors*: quia terminus ille, *diuinus*, vtpotè denominatiuus non includit formaliter ipsam diuinam essentiam, ex eo quod de hac sub reduplicatione prædicari possunt omnia attributa per nomina adiectiua, non sequitur posse similiter affirmari de perfectionibus diuinis, prout diuinæ sunt: vnde hæc non est vera: *Intellectus diuinus, qua diuinus est iustus, misericors, omnipotens.*

TRACTATVS OCTAVVS, DE IMMVTABILITATE DEI.

IMmutabilitas quoque est ex illis attributis, quæ nostro intelligendi modo afficiũt ipsum esse diuinum: ob eã enim causam D. Augustin. l. [illegible]. de morib. Manichæor. cap. 1. & D. Anselm. in Prosol. c. 22. alijq; Patres docuerunt Deũ solum proprie esse, quia semper est idẽ, & immutabilis: q̃ enim semper, & immutabiliter est, nunquã prẽhabet priuationẽ alicuius esse, ac proinde simpliciter est: Pertinet quoq; ad rationẽ vnitatis: nam, quod mutatur, saltẽ succedẽdo subit rationẽ diuisionis, ac multitudinis: quod verò est mutationis incapax, est quoque prorsus omnis multitudinis expers: ob quã causam dixit Hugo Victor. li. 7. Eruditionis didascalicæ, qui est de Trinitatis summæ per visibilia agnitione c. 19. *Quod verè, & summe vnum est, essentialiter, & inuariabiliter vnum est. Restat igitur vt si Deum verè vnũ esse credimus, vtrumne etiam summe vnus dici possit, inquiramus. Quod tunc veraciter ostendimus, si eum omninò inuariabilem esse comprobamus.* Denique immutabilitas est modus quidam identitatis, qui enim quoad mores mutatur, dicitur à nobis esse alter ab illo, qui fuerat: contra verò, qui cũ fortuna mores minimè mutat, idẽ semper esse dicitur: ob quã causam D. Aug. de natura boni aduers. Manich. c. 24. & alij Patres dictum putant à regio Vate, Psal. 101. *Tu autẽ idem ipse es*, quoniam Deus idẽ semper inuariabilis perseuerat: quod egregiè docuit Mag. Dionys. c. 9. de diuinis nominibus: *Idem*, inquiens, *supersubstantialiter æternum est inuertibile, in seipso manẽs, semper secundũ eadẽ, & eodem se habens modo, omnibus eodem modo præsens, ipsumq; secundum se ipsum in se ipso firmiter, & intemerate in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum, immutabile, casui minimè obnoxiũ, forte, & constans, inuariabile, impermistũ, immateriale, simplicissimum, nullius egens, quod augeri, minuiq; non possit.* Ex quibus cõstat de mente Dionys. maximã partem summæ, perfectæq; identitatis in immutabilitate consistere. Cùm vero, vt ait Hugo de S. Victo. vbi suprà, tripliciter res moueatur, nẽpè secundùm formã, tempus & locum, triplex quoque modus immutabilitatis diuinæ ab eodẽ assignatur, nempè secundùm formam, tempus, ac locum: ratione primi dicitur propriè immutabilis, ratione secundi æternus, ratione tertij immensus, quæ tria etiã perstringit Dionys. verbis citatis, cum appellat *æternum, omnibus præsens, & immutabile*; Dicam verò hoc tractat. de immutabilitate secundùm formam, proximè seq. de immensitate, quæ coniuncta est cum immobilitate secundùm locum, vltimo tandem de æternitate. Hoc verò tract. explicabo primum quid, & quotuplex sit mutatio in repugnantia ad quam consistit immobilitas; deindè exquiram propria eius principia & causas: tertiò singula mutationis genera à Deo remouebo. Vltimo tandem constituam discrimen inter Deum, & creaturas, quo ad rationem immutabilitatis.

Quid, & quotuplex sit mutatio.

CAPVT I.

IMmutabilitas, vt notat Bonauent. in 1. dist. 8. 1. part. dist. articul. 2. quæst. 2. in corpore. I.

Augustin. Anselm. Hugo Victor.

Aureol. corpore. & Aureolus q.2.art.2.ad finem, est negatio mutabilitatis: hæc verò est veluti potentia, siue aptitudo passiua ad mutationem eius, quod mutabile dicitur: quare ad vtriusque cognitionem est necessaria cognitio mutationis. Porrò mutatio actiue, & passiue sumitur: vt vero est terminus mutabilitatis, solum passiue accipitur, mutabile quippe id est, quod aptum est subire, seu pati mutationem: nam, quod illam facere aptum est, non dicitur mutabile, sed mutatiuum: quod ita dicitur à potentia actiua, ad transmutandum aliud: sicut mutabile à potentia passiua vt transmutetur. Ex quo patet agens, quatenus agens est, nequaquam dici mutari, aut mutabile: hæ enim denominationes non nisi à passiua mutatione deriuantur. Mutatio verò passiua in tota sua latitudine, prout includit propriam, & impropriam, definitur à Bassoli in 1.d.8.q.3.art.1.in fine in hûc modum. *Bassol.* *est noua acceptio, vel desitio alicuius esse realis.* Et mutabile, quod denominatur ab aptitudine ad huiusmodi mutationem, definitur à Gabriele ead.dist.q.7.ar.3.post tertium dubium, *Gabriel.* *id, quod potest se aliter habere prius, ac posterius secundum se, vel aliquid extrinsecum*, quæ definitio, si nomine extrinseci intelligatur, quæuis forma vtcunque de nouo extrinsece denominans subiectũ nõ est apta: possunt enim multæ formæ eiusmodi denominare subiectum absque vlla omnino mutatione ipsius: si tamen intelligatur de forma extrinseca, quæ subiectum quodammodo realiter attingat, & afficiat, nõ est inepta. Definiri verò potest mutatio secundùm hanc acceptionem hoc modo: *est transitus de potentia passiua in actum intrinsecum mobili, vel de actu in ipsius negationem.* Qua definitione comprehenduntur omnes ominò mutationes siue propriè, siue impropriè dictæ: Omnes enim versantur saltem inter terminos contradictorios acquirendo, vel abiiciendo actum aliquem intrinsecum rei. Transitus verò ille non opus est vt sit actu, & re ipsa talis: quasi supponat existentiam mobilis sub vtroq; termino, hoc enim solum cernitur in mutationibus accidẽtarijs subiecto. Non enim requiritur, vt re ipsa detur transitus præsupponens alterum terminum, à quo mutatio tendat ad illius oppositum: hoc enim reperitur solum in mutationibus temporarijs, non verò in ijs, quæ potuissent esse ab æterno: nam cùm repugnet vt ab æterno competant eidem rei duo termini oppositi, si is, qui est terminus ad quem actionis, fuit ab æterno, ille, qui suaptè natura est terminus, à quo, & oppositus termino ad quem non potuit esse ab æterno: sat verò est vt sit transitus potentia, & secundùm rationem. Si enim Angelus ab æterno crearetur, quamuis non diceretur propriè, & in rigore mutari, vt statim dicam, improprietamen mutaretur; quoniam non ex se, sed ex alio esset per veram dependentiam à creatore: ad quod satis est vt præsupponatur prius natura non esse ipsius, & potentia Logica, vt fieret à Deo. Et quo consequens est vt creatio, quæ ratione æternitatis, in qua sine principio facta supponitur, non fuerit re ipsa transitus de non esse, hoc enim non præexistit ad esse, quod semper fuit: potẽtia tamen fuerit trãsitus, quatenus est eiusdem rationis cum creatione, quæ fit in tẽpore, & procederet ad esse rei creatę à non esse eiusdem secundùm se.

Obiicies dari repugnantiam in dictis: II.
nam si ab ęterno non fuit nõ esse rei creatę ab æterno, quomodo non esse illius præsupponitur prius natura, quam sit: nam, quod est prius natura aliquo, habet existẽtiam in aliqua duratione: quod verò nunquam omninò est ante aliud, non potest esse prius natura illo: vel ergo non esse rei creatæ ab æterno, fuit etiam ab æterno, vel non est prius natura, quam esse illius. Non esse considerari dupliciter potest, aut absolute, secundum aliquam conditionem, vel reduplicationem: & priore modo, non potuit esse ab æterno, etiam prius natura, si res fuisset creata ab æterno: nam quod absolute fuit in aliqua duratione, impossibile est, vt posita tali existentia nõ fuerit pro eadem duratione: posteriore verò modo ipsum non esse potuit in æternitate præcedere esse: non enim repugnat prædicatum, quod absolute falso negatur de subiecto, negari de eodem sub reduplicatione: nam si omnis Homo existens sit albus, falso dicitur, Homo non est albus, & tamen vere dicitur Homo secundùm se, vel quatenus ipse non est albus: quoniam etiamsi sit actu albus, non vendicat per secundorem ex propria ratione, & principijs essentiæ: similiter quamuis de Angelo creato in æternitate, falso dicatur Angelus non habuit esse ab æterno, verè tamen dicitur, Angelus non fuit ab æterno secundùm se, & quatenus ipse: quia existentia non competit illi per se ex principijs naturæ, sed per accidens, ex arbitrio, & actione creatoris: & quoniam prius natura est, Angelum secundùm se non habere esse, quam habere ex actione primæ causæ, idcircò dicitur non esse ipsius præcedere esse saltem natura, & potentia, quod

sufficit

sufficit ad rationem mutationis latè sumptæ.

III. Ex quo etiam patet potentiam passiuam sumendam esse latè, non solum pro ea, quæ habet coniunctam absolutam negationem formæ, vel actus, ad quem subiectum præexistens est in potentia, sed etiam pro ea, quæ consistit in aptitudine subiecti secundùm propriam naturam considerati ad formam, vel actum sibi minimè debitum ex natura: quomodo se haberet res producta ab æterno; imò etiam creata in tempore: nam, cum non fuerit ante creationem potentia passiua ad ipsum esse non est aliquid reale, sed pura aptitudo, siue non repugnantia, vt sit; quæ vt docet Diuus Thomas 1. parte, quæst. 9. articul. 2. denominantur extrinsecè à potentia actiua creatoris, in ordine ad quam creatura dicitur possibilis: Itaque nomine potentiæ passiuæ intelligitur non solum potentia passiua Physica, qualis est in rebus naturalibus existentibus ad formas corruptibiles, & earum priuationes: sed etiam potentia Logica soli potentiæ diuinæ subordinata ad quemuis modum entis in actu, vel negationem ipsius. Actus autem debet esse intrinsecus: quoniam extrinsecus non inducit mutationem in subiectum, cui accidit: quales sunt actus omnes potentiæ cognoscentis & appetentis, quatenus attingunt extrinsecè sua obiecta: Nam mutatio debet inesse realiter mobili: quomodo actus vitales non insunt obiectis, sed potentijs. Ex quo prouenit, vt quod videtur, intelligitur, aut amatur, non propterea mutetur. His aduersari videtur, quod datur motus ad tria vltima prædicamenta, per motum enim localem acquiritur situs, locus, & vestitus: & tamen formæ illæ sunt extrinsecæ mobili: atque adeo transitus quoque ad actum extrinsecum est mutatio. Dicendum est tamen cum acquisitione harum formarum per motum localem intercedere semper nouum modum intrinsecum, ratione cuius subiectum dicitur mutari: sed hac de re non est hic proprius agendi locus. Denique debet esse verus actus positiuus, qui de facto per mutationem incipiat, vel desinat, idque non solum quoad aliquid connotatum, vel habitudinem rationis, sed quoad ipsam entitatem positiuam actus. Nam, cùm connotatum sit extrinsecum, & relatio rationis re ipsa non insit mobili, sed sit tantum obiectiue in intellectu, variatio ipsorum non est mutatio: qua ratione cum iuxta diuersam positionem animalis, columna dicitur dextera, vel sinistra, non intercedit mutatio ipsius, sed solius connotati, scilicet animalis, per habitudinem, ad quod columna sumit variationem denominationis penes dexterum, ac sinistrum.

IV. Hæc communia sunt omni mutationi, siue propriè, siue impropriè sumptæ. Mutatio verò propriè dicta ea est, qua fit aliquid ex præexistente subiecto: vt explicat S. Thomas lib. 2. contra Gentes cap. 17. *S. Thom.* cum Ferrar. ibid. in 1. d. 8. quæst. 3. ar. 2. & *Ferrarien.* 1. par. quæst. 45. articul. 2. ad 2. & art. 3. in corpore cum Caietano, itaque necessario *Caietan.* requiritur, vt semper sit aliquid substratum mutationi, quod perseuerans idem aliter se habeat nunc, atque antea: eadem est sententia Alensis 2. part. quæst. 13. m. 1. *Alensis.* Richardi in 1. dist. 8. art. 2. quæst. 1. Ada- *Richardus.* mi quæst. vnica, Bassolis quæst. 3. artic. 1. *Adam.* Scoti distinct. 15. quæst. 2. §. *Ideo tenendo,* *Bassol.* & aliorum: Secundùm hanc acceptionem *Scotus.* Philosophus lib. 11. Metaphys. cap. 10. di- *Aristot.* uidit mutationem in tria membra: nempè in eam, quæ fit ex non subiecto in subiectum: aut ex subiecto in non subiectum: aut denique ex subiecto in subiectum. Priores duæ sunt inter terminos contradictorios. Tertia inter positiuos contrarios. Prima est generatio substantialis, vel accidentalis: secunda corruptio: tertia motus: Secundum hãc acceptionem creatio, & annihilatio non sunt mutationes, vt probat S. Thomas lib. 2. contra Gentes c. *S. Thomas.* 17. & Durandus in 1. distinct. 8. 1. part. di- *Durand.* stinctionis quæst. 3. numero 4. In eadem quoque acceptione formæ ipsæ per mutationẽ inductæ, non dicuntur mutari: quoniam non præsupponuntur sibi ipsis: & ideo dixit Philosoph. lib. 11. Metaphy. cap. *Aristot.* 10. formas, & in vniuersum terminos ad quos mutationum esse immotos, & Diu. Thom. in 1. distinct. 8. quæstion. 3. artic. *S. Thom.* 2. ad 3. formas non subijci mutationi, neque esse in potentia, neque eo modo mutari.

V. Verùm attributum immutabilitatis non consistit solum in repugnantia cum mutatione propriè dicta: sed excludit omnem prorsus mutationem tàm propriè, quàm impropriè dictam: sicut etiam è contrario propter non repugnantiam ad mutationem impropriè dictam res creatæ, dicuntur etiam mutabiles: & hoc modo D. Thom. 1. par. quæst. 9. art. 2. *S. Thomas.* admittit in Angelis mutabilitatem quoad esse substantiale secundùm potentiam, nempè actiuam, quæ est in altero, scilicet

Deo: à quo potuerunt ex nihilo produci in esse, & de esse possunt reduci in non esse, recurrit autem ad potentiam Dei, eo quod in Angelo ad esse, vel non esse, non est potentia passiua realis Physica, sed solum Logica obedientialis, vt notat Caietanus ibidem, quæ verè sufficit ad mutationem: si verò Angeli sunt mutabiles, quatenus sunt in potentia obedientiali ad creationem, vel annihilationem: opus est vt illæ habeant aliquam rationem mutationis passiuæ: atque ita creationem, & annihilationem inter mutationes numerant Alensis 2. part. quæstion. 13. m. 1. Henric. in summa artic. 30. quæst. 1. & 2. Scot. quodlib. quæst. 10. §. *De tertio*: Durand. vbi suprà, Ochamus in 1. distinct. 8. quæst. 7. Gabriel. quæst. 7. Adamus quæst. vnica, Cisterciens, quæst. vnica, articul. 1. & rectè probat, & explicat Aureolus quæst. 2. articul. 1. dum agit contra S. Thomam: formæ item, quæ sunt termini mutationum mutabiles suo modo dicendæ sunt: nam immutabile est, quod semper eodem modo se habet, formæ verò modo existunt, modo non, quare non sunt immutabiles. Ideoque rectè notauit Albertus in 1. dist. 8. art. 18. ad 2. & in summa tractat. 4. quæst. 21. m. 2. Durand. quæstion. citata numero quinto. & Diu. Thom. quæst. 1. de veritate artic. 6. in corpore, dupliciter aliquid dici mutabile, nempè subiectiue, & terminatiuè, subiectiue mutatur propriè subiectum, quod præsupponitur actioni, & transit de vno termino in alium: terminatiue verò ipse terminus, qui vel acquiritur, & incipit esse, vel abijcitur, & desinit. Itaque quidquid post non esse, incipit esse, vel post esse incipit non esse mutabile est: imò verò quidquid fit, aut accipit esse ab alio cum dependentia, & causalitate, siue incipiat, siue non: mutabile est. Nam principium mutabilitatis est potentialitas; vt docet Diuus Thomas 1. p. quæst. 9. artic. 1. & in 2. dist. 7. quæst. 1. artic. 1. quidquid verò producitur virtute potentiæ actiuæ, opus est, vt sit ex alio, & non ex se: & proinde habeat potentiam passiuam, vt fiat, saltem Logicam: nam omnipotentiæ actiuæ respondet aliqua passiua saltem Logica, & tunc factio prout respondet potentiæ actiuæ, vt actus ipsius, erit mutatio actiua: prout verò est actus, ad quem est potentia passiua, erit mutatio passiua.

Caietan. *Alensis.* *Henricus.* *Scotus.* *Durand.* *Ochan.* *Gabriel.* *Adamus.* *Cistercien.* *Aureol.* *Albertus.* *Durand.* *S. Thom.* *S. Thom.*

VI. Ex dictis colligitur triplex genus mutationis: prima est maximè propria; secunda minus propria; tertia maxime impropria. Prima supponit subiectum existens sub termino à quo, & transfert illud ad terminum ad quem: qualis est alteratio: Secunda non supponit præexistentiam subiecti sub termino à quo, & permanentiam eiusdem sub termino ad quem, sed solum præexistentiam termini à quo sine subiecto, vel etiam præexistentiam subiecti, quod tamen non manet sub termino ad quem, vt se res habet in creatione temporaria, & annihilatione: nam in illa solum præcedit negatio naturæ creatæ, quæ est terminus à quo absque subiecto: in annihilatione verò præcedit res, quæ annihilatur, & forma totius, quę est terminus à quo annihilationis: sub termino vero ad quem non manet subiectum, quia desinit esse: & priorē quidem appellat Alens. 2. p. qu. 13. m. 1. mutationem de subiecto in subiectū, quia vterque terminus est positiuus: Posteriorem verò quoad prius membrum de non subiecto in subiectū, quia re ipsa non præexistit subiectū, sed eius negatio, quæ est terminus à quo: quò ad posterius verò membrū de subiecto in non subiectū, quia præexistit res, quæ est terminus à quo desitionis terminatę ad non esse ipsius: Tertia deniq; nec præsupponit subiectū prius tempore existens, nec actualem negationem termini ad quē, sed solum potentialē, qualis esset omnis passio, quæ ab æterno coęua esset suo subiecto: vt creatio Angeli, vel intellectio eiusdem, si crearetur actu intelligens. In hac verò mutatione nequit dari transitus de subiecto in non subiectum, vel de subiecto in subiectum: nam, si quid ponatur fuisse ab æterno, non potest non fuisse: & consequenter facta illa hypothesi non potuit præexistere terminus à quo mutationis: non item interuenit transitus de non subiecto actuali in subiectum, sequitur enim eadem repugnantia: sed solū de non subiecto potentiali in subiectum actuale: hoc est de potentialitate propria, siue de negatione essendi ex se ad actum essendi ab alio, quæ duo simul cohærent: simul enim creatura non est ex se, & est ex potentia creantis. At verò in mutationibus secundi generis non est transitus de forma positiua in formam positiuam contrariam: quando enim nō supponitur aliquid commune vtrique extremo, nequit esse transitus de contrario in contrarium: in priore reperiuntur omnes illi tres modi traditi ab Aristotele loco citato Metaphys. *Alens.* *Aristot.*

VII. Hæc varietas mutationum nascitur ex modo præsupponendi terminum à quo, & sub-

& subiectum. Alia nascitur ex varietate materiali termini ad quem, ratione cuius sumi potest ex Diuo Bonauentura in 1. distinct. 8. 1. par. dist. ar. 2. quæst. 2. triplex acceptio mutabilitatis, quamuis ipse de immutabilitate loquatur, nempè vertibilitas, corruptibilitas, & variabilitas. Prima est mutatio substantiæ secundùm totum. Secunda secundùm partem: tertia secundùm accidentia: terminus enim mutationis interdum est substantia, vel negatio ipsius, interdum accidens, & eius negatio. Penes substantiam duplex modus mutationis reperitur: nempè vel in totum, vel in partem. Mutatio substantialis in totum est, quando ipsa forma totius est primarius terminus actionis, nulla parte manente eadem: formam totius appello naturam eius, quod fit abstracte sumptum: verbi gratia humanitatem: Nam, licet forma Physica dicatur forma totius, quatenus distinguitur à formis partium integrantium, non dicitur tamen hoc modo forma totius: quoniam non immediate informat ipsum totum, sed partem, nempè materiam primam. Mutatio in partem est quando terminus immediatus est immediata forma partis non totius, & pars aliqua substantiæ manet eadem. Mutatio substantialis in totum, diuiditur etiam tripliciter ab Scoto quodlib. q. 10. §. *De tertio principali,* nempè à non subiecto in subiectum totale qualis est creatio; à subiecto totali, in non subiectum totale, qualis est annihilatio. Denique à subiecto totali in subiectum totale, vt conuersio totalis vnius positiui in aliud. Mutatio verò in partem duplex est; Altera habes pro termino formam Physicam totius, vel eius priuationem manente eadem materia: Et hæc est generatio vel corruptio substantialis, altera habet pro termino formam partis, vt quando in nutritione, & partiali corruptione dilabuntur, vel accrescunt partes carnis, ossium, & similium, mutatio secundùm accidens diuiditur pro varietate accidentium penes quæ fit variatio: quomodo diuiditur in motum localem, augmentationem, & alterationē siue propriè, siue impropriè dictam: sed hæc fusiùs persequi non est Theologi, supponenda tamen erant hęc summa capita, vt deinde à sufficiente enumeratione colligatur Deum esse totius mutationis expertem.

Bonauent.

Scotus.

Necessitas, & immutabilitas distinguuntur formaliter.

Caput II.

I. TAmetsi omnia attributa diuina sint eadem prorsus essentia, idque maximè conueniat ijs, quæ vel concipiuntur, vt modi illius, vel vt priuationes imperfectionum, quæ non cadunt in Deum, tamen vt à nobis concipiuntur, possunt intelligi sub diuersis rationibus formalibus mutuo præcisis. Et hac ratione immutabilitas differt ab vnitate, simplicitate, & similibus alijs attributis. Vtrum verò differat à necessitate, ratione cuius Deus dicitur ipsum necesse esse; dubitant aliqui Theologi. Partem affirmantem sequitur Sotus in 1. distinct. trigesima nona, §. *Ad argumenta quartæ quæstionis.* Fundamentum est, quoniam necessitas non stat vllo modo cum contingentia: immutabilitas verò maximè: quæ differunt formaliter. Prior pars antecedentis per se patet, necessitas enim, & contingentia sunt immediate opposita. Posterior verò probatur, quoniam actus liberi voluntatis diuinæ vt electio, & prædestinatio Sanctorum non sunt necessarij, sed contingentes: & nihilominus sunt immutabiles: seu potius Deus immutabiliter eligit, ac prædestinat. Secundò, in eodem instanti, quo aliquis contingenter sedet, immutabiliter sedet: ergò immutabilitas non repugnat cum contingentia. Antecedens patet, quoniam voluntas in eo ipso instanti libere causat sessionem: ergò contingenter: cum verò sessio est, impossibile est vt non sit, quia repugnat simul esse, & non esse: ergò immutabiliter est. Tertiò, immutabilitas præcisè negat potentiam ad transitum de vno termino in alium: necessitas verò dicit determinationem essendi sub vno ex illis: hæc verò duo differunt formaliter: nam repugnat, vt voluntas diuina desinat velle, quod semel voluit, & consequenter vt fiat de volente non volens; & tamen ex se ipsa non est intrinsece determinata ad volendum: ergò immutabilitas, & necessitas differunt formaliter.

Scotus.

II. Contra verò Aureolus in 1. distinct. 8. quæst. 2. artic. 1. & distinct. 39. quæst. vnica, artic. 1. propos. 3. respondet negatiuè.

Aureol.

Fundamentum eius est, quoniam quæ habent eandem diffinitionem, non differunt formaliter, vt enim ait Philosophus lib. 4. Metaphys. t. 11. *Ratio, quam nomen significat, est diffinitio*; necessitas verò, & immutabilitas eodem modo diffiniuntur, ergo non differunt formaliter. Assumptio constat: quoniam necessarium diffinitur id, quod est impossibile aliter se habere, immutabile autem, quod est impossibile mutari: at verò mutari est aliter se habere; & consequenter eadem est vtriusque diffinitio. Confirmatur ex comment. lib. 5. Metaphy. comment. 6. vbi ait, necessariũ illud esse, quod impossibile est transmutari, aut inueniri alio modo: hæc verò diffinitio optimè quadrat in immutabile. Secundo, quæ habent eandem oppositionem respectu eorundem terminorum sunt idem omninò formaliter: ita vero se habent necessarium, & immutabile: nam necessariò opponitur impossibile esse, & possibile non esse, quæ duo etiam opponuntur immutabili, quod non est impossibile, vt sit, neque item possibile, vt non sit, ergò, &c. Denique quæcunque diuiduntur in eadem membra, sunt idem formaliter, vt enim ait Philosophus in prædicamentis cap. de ijs, quæ sunt, diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ: necessarium verò, & immutabile eodem modo diuiduntur: sicut enim necessitas diuiditur in absolutam, & conditionatam, ita quoque diuiditur immutabilitas: ergò ipsæ in se sunt idem formaliter.

Aristot. *Auerr.* *Aristot.*

III. Etiamsi quædam attributa, quæ sunt veluti modus essentiæ in se, videantur importare eandem prorsus perfectionem diuinam sine vlla distinctione virtuali ex parte obiecti, tamen, si rationes formales singulorum subtilius perscrutemur, aliquam in ijs distinctionem reperiemus, non quidem quo ad perfectionem absolutam positiuam, sed secundùm diuersas negationes, quas singulæ important: qua ratione inter vnitatem, & simplicitatem Dei discrimen statuimus, quamuis vtraque importet eandem perfectionem essentiæ diuinæ; imò & negationem diuisionis, diuerso tamen modo vt in superioribus explicatum est: eadem ratione, quamuis omnimoda necessitas, & immutabilitas essentiæ diuinæ eandem perfectionem positiuam importent, ex qua vtraque promanat, ipsæ tamen differre possunt penes proprias rationes formales. Vt autem modus diuersitatis appareat obseruandum est potentias, siue aptitudines, aut repugnantias illis oppositas distingui per actus, siue formas, ad quas sunt aptitudines, vel repugnantiæ: hic verò nomine actus non intelligo proprie eum, qui consistit in actualitate potentiæ actiuæ, aut in receptione passiuæ, sed proconuenientia cuiusuis formæ, siue sit per modum quietis, siue per modum motus: qua ratione dicitur non repugnare vt homo sit risibilis, cum tamen esse risibile non sit actio, aut passio hominis, sed proprietas, siue forma enunciata per modum actus. Denique obseruandum est, quamuis actus essendi, & fiendi, vt ita loquar, reipsa conueniant, differre tamen formaliter, aliud enim formaliter est esse album, aliud fieri album, aliud hominem generari; aliud esse actu hominem. Ratio patet quoniam quæ separabilia sunt saltem in diuersis subiectis, ratione differunt: esse verò, ac fieri ita se habent: nam Deus est, nec tamen fit. Insuper ipsum fieri nequit percipi, non cognitis terminis factionis: ipsum verò esse cognoscitur, quamuis ijdem termini minimè percipiantur: possumus enim intelligere rem esse, quin sciamus vtrum, & quomodo facta sit.

IV. Dico primum. Necessitas, & immutabilitas differunt formaliter, hæc est de mente eorum, qui immutabilitatem Dei probant ex necessitate essendi quæ esset inepta probatio, si existimarent necessarium, & immutabile nulla ratione differre, immutabilitatem verò Dei omnimodam ex necessitate probant Bassolis, & Cistercienſis referendi capit. 4. numero quinto, substantialem autem multo plures Scotus in 1. distinct. 8. quæstio. 4. aliàs 5. §. *Huius exclusiuæ*, cum Scotistis interpretibus ibidem. Ochamus quæstion. 7. Gabriel. quæst. 7. articul. 2. conclusione 1. Adam. quæstion. vn. conclusione 1. Nouo Castro. quæst. 3. conclusione prima. Aquilanus quæst. 2. Maior. quæst. 2. conclusione 2. & Alliacensis quæst. 7. articul. 3. post solutionem secundi propositione prima. Ostenditur autem ex dictis, quoniam necessitas respicit ipsum esse, immutabilitas autem respicit ipsum fieri: esse autem, & fieri differunt formaliter: ergò eodem quoque modo differunt necessitas, & immutabilitas. Consequentia est manifesta, quoniam immutabilitas est repugnantia ad mutationem, quæ est factio, vel desitio, necessitas autem est possibilitas ad esse, & repugnantia ad non esse: ergo, si aptitudines, & repugnantiæ distinguuntur per

Bassol. *Cistercien.* *Scotus.* *Ocham.* *Gabriel.* *Adam.* *Nou. Castr.* *Aquilan.* *Maior.* *Aliacens.*

actus,

actus, quos respiciunt, necessitas, & immutabilitas formaliter distinguuntur. Maior ostenditur, quoniam in Deum non cadit vllum fieri, sed solummodo ipsum esse: & tamen Deus est ens summe necessarium: ergò necessitas qua necessitas, solum respicit esse. Immutabilitas autem cum sit repugnantia ad mutationem, quæ consistit in ipsa factione, vel desitione formæ, secundum quam mutatur subiectum, necessario dicit habitudinem ad fieri. Secundo necessitas dissoluitur per impossibilitatem: repugnat enim, vt idem sit simul necessarium, & impossibile: immutabilitas verò minimè dissoluitur per impossibile: nam si impossibile sit Socratem esse iustum, mutari omninò nequit secundùm iustitiam: ad mutationem enim opus est vt subiecto non repugnet esse sub vtroque termino illius: cùm vero connexio alicuius formæ cum subiecto est illi impossibilis, fieri nequit, vt subiectum sit sub vtroque termino mutationis, cum alter ex illis sit forma impossibilis: ergò fieri poterit vt subiectum non sit mutabile secundùm aliquam formam, quæ tamen ipsi non conueniat necessario, & consequenter necessitas, & immutabilitas non sunt idem. Tertiò, si necessitas, & immutabilitas essent idem formaliter, quidquid formaliter opponeretur vni, opponeretur quoque alteri: non opponitur autem: ergo non sunt idem formaliter. Assumptio probatur, quoniam immutabilitati solum opponitur formaliter mutabilitas, & consequenter mutatio, necesitati verò opponitur cõtingentia & impossibilitas: & consequenter nõ solum mutatio, quę est actus cõtingentiæ, sed ipsum aliter esse, qui est veluti actus impossibilitatis, quã negat necessitas. Deniq; illæ aptitudines, & repugnantiæ quarum actus non æquè latè patent, differunt formaliter: ita verò se habẽt necessitas, & immutabilitas: ergò eæ differunt formaliter. Assumptio constat, quoniam necessitas respicit omnem actum, siue sit per modum quietis, siue per modum fluxus, siue primus, siue secundus: immutabilitas autem solum respicit actum secundum, siue per modum fluxus: immutabile enim est illud, quod transire nequit ab vno termino mutationis in alium, transitus autem est actus secundus.

V. Obiicies immutabilitatem non minus respicere actum primum, quam necessitas: & necessitatem respicere quoque actum secundum, vt immutabilitas: quandoquidem Deus non minus immutabilis est secundùm perfectiones significatas per modum habitus quiescentis: verbi gratia secundùm misericordiam, iustitiam, & omnipotentiam, quam secundùm eas, quæ se habent per modum actus secundi, quales sunt operationes vitales: sicut enim non potest fieri de intelligente non intelligens, ita neque de iusto non iustus. Item non minus est determinatus Deus ad intelligendum quam vt sit omnipotens. Pro solutione notandum aptitudines, ac repugnantias dupliciter respicere actum: scilicet vt obiectum, siue terminum, vel vt subiectum, vt obiectum, siue terminum respiciunt quando sumitur id in ordine, ad quod est aptitudo, siue repugnantia, exempli causa immutabilitas est repugnantia, vt res mutetur, & ideo mutatio respicitur ab immutabilitate, vt obiectum, siue terminus, ad quem est repugnantia: item necessitas est determinatio, vt res sit quæ explicatur per possibilitatem ad esse, & impossibilitatem ad non esse: ipsum esse, vel non esse est terminus, quem respicit necessitas; vt subiectum verò respicit, quando consideratur id, quod aptum est, vel cui repugnat stare sub tali termino, vt cùm Angelus dicitur immutabilis secundùm substantiam, mistum mutabile secundùm primas qualitates, substantia Angeli, & primæ qualitates misti respiciuntur ab immutabilitate, vel mutabilitate tanquam subiecta. Hoc posito respondetur, si argumentum vim habet, concludere de habitudine ad subiectum, non verò ad terminum: quoniam etsi Deo competat necessitas, & immutabilitas, secundùm omnem suum actum, siue primum, siue secundùm, siue per modum fluxus, siue per modum habitus quiescẽtis, tamen proprius terminus, quem respicit immutabilitas est, ipsum fieri, vel mutari, est enim repugnantia vt subiectum mutetur: proprius verò terminus, quem respicit necessitas, est ipsum esse, quod latiùs patet, quam ipsum fieri & ipsum sub se quodammodo claudit: quatenus ipsum fieri est aliquid esse.

VI. Ad primum Aureoli concedenda est maior propositio, si intelligatur de eadem definitione formaliter, & adæquata, non vero de eadẽ materialiter & inadęquata. Assumptio verò est falsa, si intelligatur de eadem definitione formaliter, & adæquata: vt patet ex ipsa confirmatione argumenti: nam aliter se habere, & mutari, non sunt idem adæquate: subiectum enim non solum aliter se habet

quando mutatur, sed etiam quando peracta mutatione manet sub forma oppositae ei, quam antea habebat. Et si per impossibile fingamus Deum ex se, & ab æterno non esse sapientem, aut esse iniustum, profecto non fuisset mutatus : si quidem si nunc ex eo, quod ex se, & ab æterno est sapiens, & iustus, non mutatur, etiam tunc facta hypothesi quod fuisset ex se, & ab æterno non sapiens, & iniustus, minimè mutaretur: & tamen aliter se haberet, ac modo se habet: ex quo constat non idem esse mutari atque aliter se habere: quia licet omne mutari sit aliter se habere, non tamen omne aliter se habere est mutari: Et ideo negandum est antecedés assumptum ad confirmationé assumptionis. Ad autoritatẽ verò Comment. respondetur primo frequenter definiri res per suas proprietates, & quia immutabilitas est quasi proprietas consequens necessitatem, nihil mirũ si Auerr. necessitatẽ diffinit per impossibilitatem, vt mutetur, quæ est descriptio immutabilitatis. Respondetur secundo, non solum definiri ab eo necessitatem per impossibile transmutari, addit enim verba illa, *aut inueniri alio modo*, quæ significant aliquid diuersum à transmutatione, alioquin ineptè adderentur, significant igitur esse alio quouis modo, siue id sit per mutationem, siue nõ: vnde Deus non solum est necessario iustus, quia non potest definere esse iustus per mutationem, sed etiam quia non potuit vllo modo ab æterno ex se esse non iustus. Ad secundum neganda est assumptio, siquidem necessario, directè, ac formaliter opponitur impossibile esse, & possibile non esse: immutabili verò per se primo, ac directè solum opponitur possibile, vt mutetur, non verò impossibile vt sit: nam, vt superiùs ostendi, si facta suppositione impossibili fingamus Deum ex se, & ab æterno esse corporeum, impossibile esset, vt foret incorporeus, nec tamen túc ex ea præcisa suppositione esset mutabilis, quoniam non esset vllus transitus de vno termino in alium: Ex quo patet impossibile secundum se non necessario opponi immutabili. Ad vltimum concedenda est maior, si intelligatur de membris eiusdemmet diuisionis essentialis, ac per se, non vero de mẽbris diuisionis per accidens: Nam membra vnius diuisionis per se possunt quoque pertinere ad diuisionem alterius per accidens : etenim coloratum per se diuiditur in album, viride, & alios colores concrete sumptos : & tamen corpus mistum diuisione per accidens potest diuidi in eadem membra. Ita cum mutabile sit quasi passio necessarij, non repugnat, vt diuisio, quę per se cõpetit necessitati, competat etiam per accidens immutabilitati. Respondetur secundò, non eadem esse membra vnius, atque alterius, etenim immutabilitas nõ proprie diuiditur in absolutam, & conditionatam, siue ex suppositione, vt statim dicam.

Argumenta Scoti, quamuis veram sententiam confirment, quia tamen aliquid falsi continent, indigent explicatione. Aureolus, vt ea soluat, asserit actus voluntatis diuinæ liberos non minus esse necessarios, quam immutabiles: & ideo censet semper immutabilitatem coincidere cum necessitate. Nam cum duplex sit necessitas, scilicet absoluta, & conditionata, siue suppositionis, duplicem quoque agnoscit immutabilitatem, quæ cum duplici coincidit necessitate : ait itaque si necessitas sit absoluta, immutabilitatem esse absolutam, conditionatam verò, si necessitas sit conditionata : & ob eam causam sicut actus diuini liberi sunt necessarij conditionate, ita quoque esse immutabiles conditionate: & ratio suffragatur, quoniam immutabilitas vel est ipsamet necessitas, vt vult Aureolus, vel ad illam consequitur vt dicam capite quarto. Ideoque mensura eius desumenda est à ratione necessitatis : quare vbi fuerit necessitas simpliciter erit immutabilitas simpliciter, vbi autem necessitas conditionata, siue suppositionis, erit quoque immutabilitas suppositionis. VII. *Aureol.*

Contra hanc opinionem facit, quoniam cum necessitate conditionata stat ratio contingentis simpliciter : ergo etiam cum immutabilitate conditionata stabit ratio mutabilitatis simpliciter : hoc autem absurdum est, quoniam omnes Doctores absolute concedunt voluntatem diuinam esse immutabilem : neque vllus vnquam rectè sentiens concessit Dei voluntatem, aut eius actus esse vllo modo mutabiles. Deinde verò si in Deo esset immutabilitas conditionata, sublata conditione iam esset mutabilitas: hoc autem est hæreticum, & absurdum: ergò, & illud : maior ostenditur : nam quemadmodum si à necessitate conditionata remoueatur conditio, iam non erit necessitas, sed contingentia, ita, si ab immutabilitate conditionata tollatur conditio, non erit immutabilitas sed mutabilitas, atque adeo si Deus VIII.

non

non voluisset ea, quæ voluit ab æterno, voluntas diuina esset mutabilis: tolleretur enim suppositio existentiæ actus liberi, ratione cuius datur immutabilitas suppositionis. Falsitas vero consequentis est manifesta. Si quis autem respondeat consequens falsum sequi ex suppositione falsa, facilè conuincitur, quoniam ex nulla suppositione possibili sequitur assertio impossibilis: at vero Deum esse mutabilem est assertio impossibilis: ergo non sequitur ex suppositione possibili, nimirum quod Deus nõ voluisset ab æterno id, quod voluit: sed dicendum est sequi ex altera præmissa adiuncta, hoc est ex contraria sententia. Denique in rebus creatis sunt plurima necessaria necessitate suppositionis: ex ea vero nullam sortiuntur immutabilitatem: ergo necessitas conditionata nõ est idem quod immutabilitas conditionata. Antecedens ostenditur: nam quando Socrates sedet, necessario sedet, non tamen immutabiliter: quoniam fieri potest vt moueatur, non quidem pro tempore, quo supponitur sedere, sed pro sequente: ita vt desinat esse sedens, & incipiat moueri: si quis vero respondeat hãc ipsam repugnantiam vt moueatur in eodem tempore, quo sedet, esse immutabilitatem, quoniam est impossibilitas ad mutationem, euincet quidem posse abutendo vocabulo appellari impropriè immutabilitatem, non tamen propriè, atque simpliciter: quoniam immutabilitas dicit repugnantiã ad transeundum de vna forma in aliam pro diuersis temporibus: est enim negatio eius mutabilitatis, quæ est possibilis rebus: vt vero fiat transitus à forma, quæ habetur pro eo ipso tempore, quo habetur, impossibile omnino est ex repugnantia terminorum: neque hoc negatur, cùm dicimus aliquid esse immutabile: nõ enim loquimur de impossibilitate nata ex præcisa repugnantia, vt subiectũ existat simul sub oppositis formis: sed de ea, quæ oritur ex stabilitate rei, ratione cuius transire nequit ab vno termino in alium: ita vt in priore duratione sit sub vno, in posteriore sub alio: qua ratione nulla omnino creatura est immutabilis. Nam quamuis pro præsente duratione, in qua nunc est, non possit non esse, potest tamen in sequente transire ad alium terminum oppositũ illi, in quo modo est. At vero actus Dei liberi, suppositio quod sint in hoc instanti, etiam erunt in tempore subsequente: atque adeò habent aliquam immutabilitatem diuersam ab ea, quæ est pure conditionata ex suppositione præsentis veritatis.

IX.

Hæc argumenta conuincunt quidé actibus diuinis, supposito quod sint, competere immutabilitatem simpliciter excludentem omnem prorsus mutabilitatem, neque in vllo sensu admittendum esse in actibus Dei liberis dari vllũ mutationis modum: & in hoc differt necessitas suppositionis in diuinis actibus, & in creatis: quoniam in his patitur rationem mutabilitatis pro diuerso tempore, in diuinis vero minimè. Verum quia ad esse immutabile supponitur esse, quod est fundamentum mutabilitatis, vel immutabilitatis, sicut actus liberi non sunt necessarij nisi ex suppositione ipsius esse, ita neque sunt immutabiles, nisi ex eadé suppositione: & sicut ipsorum necessitas, licet nõ sit absoluta, & ex ratione terminorum, sed ex suppositione, est talis, vt sit determinatio ad semper essendum: ita immutabilitas est repugnantia vt nunquam mutentur: cuius etiam in rebus creatis est nonnulla similitudo: nam veritas de præterito in materia contingenti fundatur in suppositione contingenti: verbi gratia veritas huius propositionis: *Plato disputauit*, fundatur in disputatione præterita, quæ tunc temporis libere, & contingens fuit: verum quia ad præteritum non datur potentia: neque fieri potest, vt id, quod fuit, non fuerit, præteritum est immutabile: quia fieri iam nequit, vt sit verum oppositum eius, quod fuit: qua de causa potest dici necessitas, & immutabilitas suppositionis. Et in hoc sensu defendi potest sententia Aureoli, ad quam alludit Capreol. in 1. dist. 45. quæst. vnica art. 2. conclusione 3. ex D. Thoma lib. 1. contra Gentes cap. 83. quatenus necessitatem actuum diuinorum vocat immutabilitatis ex suppositione: neque argumenta cõtraria impugnant hunc dicendi modum. Ad primum omissa controuersia, quæ est inter D. Thom. & Scotum, vtrum actus diuini liberi dicendi sint contingentes, & admittendo ita dici, quatenus contingens est idem, quod non determinatum ad esse, vel non esse, vt describitur à D. Thoma lib. 1. Perhierm. lect. 14. neganda est consequentia: ratio discriminis est, quoniam id, quod solum conditionaliter est necessarium, sublata conditione manet secundum naturam indifferens vt sit, ac vt non sit: proindeque necessarium solum ex suppositione est contingens simpliciter: id vero, quod hoc secundo modo est immutabile ex suppositione, ea sublata, non manet cum aptitudine vt mutetur: quod opus erat, vt esset mutabile simpliciter: sed simpliciter non manet, ex eo enim quod supponitur non fuisse aliquid, quod fuit, non sequitur vt

Capreol. *S. Thom.* *S. Thom.*

transire posit, aut potuerit ab esse ad non esse, sed vt non habuerit esse, quod non est mutari. Ad secundum eodem modo respondetur negando sequelam maioris. Ad cuius probationem respondetur in necessarijs tantum ex suppositione, sublata suppositione manere naturam sine suppositione, & cum indifferentia, & ideò manere contingentiam: quæ vero sunt ex suppositione immutabilia, non necessario manent sublata suppositione cum aptitudine ad mutationem, vt explicatum est. Ad tertium respondetur necessitatem immutabilitatis, siue immutabilitatem ex suppositione in diuinis non esse similem illi, quam habent res præsentes, quando sunt, sub qua habent aptitudinem vt mutentur in tempore sequente: sed illi quam habet veritas de præterito, vt iam dixi.

His positis dicendum argumenta Scoti colligere quidem verum, sed media non omnia esse accommodata. Ad primum vero dicendum actus liberos Dei, sicut sunt necessarij ex suppositione, ita ex eadem esse immutabiles, & ideò semper cum immutabilitate coniungi modum aliquem necessitatis, quæ licet non excludat simpliciter contingentiam, facta tamen hypothesi excludit possibilitatẽ ad oppositum: Eodem modo respondetur ad secundum; responderi etiam potest disparem esse rationem in suppositione præsenti instantis, aut temporis, quod præterlabitur, & suppositione æternitatis permanentis, vt fusius explicabitur cap. 5. tertium recte concludit, neque indiget solutione.

Plurimæ sunt rationes cur Deus sit immutabilis: propria tamen, & immediata non est esse à se, infinitas, aut summa perfectio.

Caput III.

I. PLurimæ sunt perfectiones, quæ à diuersis auctoribus proponuntur tanquam fundamenta, ac radices immutabilitatis diuinæ: prima est quod sit à se, & non ab alio: secunda ratio actus puri: tertia simplicitas: quarta summa perfectio: quinta infinitas, vltima denique ipsa necessitas. Et quidẽ si absolutè loquamur, ex singulis recte suo modo deducitur immutabilitas. Nam quod est à se, & non ab alio principio, non habet rationem effectus, sed solum nostro modo intelligẽdi est à se, vt à forma intrinseca, & cum semper sibi ipsi adsit, semper est idem, & eodẽ modo. Nam si aliquid de nouo ipsi aduenit, iam id non est à forma ipsi intrinseca, sed aliunde. Item quod est actus purus, & omnino simplex caret omnipotentialitate, vt constat ex tract. 1. cap. 10. quod vero caret potẽtia passiua, transire nequit ab vno termino ad alium, atq; adeò neque mutari. Quod vero est summe perfectum, & infinitum simpliciter, nõ potest carere actu aliquo, ad quem per motum transeat, vel à quo ad deteriorem statũ mutetur: nam summe, & infinite perfectũ nequit esse sub negatione actus sibi possibilis. Denique quod est omnino necessariũ de mutari nequit in oppositum eius, quod est: alioquin expositum esset cõtingentiæ, quæ cum omnimoda necessitate repugnat. Dubium tamẽ esse potest an omnes hæ radices eodem se modo habeant ad immutabilitatem, ita scilicet, vt ex omnibus eodem modo consequatur. Agam vero hoc capite de summa perfectione, & infinitate simpliciter, itemque de ratione primæ causæ, siue eius, quod est esse à se, de ratione vero necessitatis, actus puri, & summæ simplicitatis dicam cap. sequent.

II. Cæteras ferè omnes, hoc est rationem summæ perfectionis, actus puri, simplicitatis, necessitatis excludit Mayron. in 1. d. 9. quæst. 2. & solam infinitatem simpliciter censet esse propriam rationem immutabilitatis: primã impugnat, quoniam videtur tollere ordinẽ essentialem inter perfectiones Dei absolutas, & relatiuas: si enim ens summe perfectum non potest mutari, quia recipere nequit perfectionẽ aliquam, etiam non poterit recipere relationes personales, quãdoquidem in primo signo, in quo concipitur essentia, vt prior relationibus, est ens perfectissimũ, nulla omnino perfectione carens. Si quis vero dicat accessu relationis nullam perfectionẽ accrescere, & ideò nõ repugnare, vt essentiæ summe perfectæ secundum esse absolutum concipiantur aduenire relationes personales: debet etiam admittere ex vi summæ perfectionis non repugnare, vt aduenient Deo relationes reales ex tempore, quod est falsum. Et confirmatur, quoniam actus liberi, prout à necessarijs distinguuntur, non dicunt vllam perfectionem in Deo, & tamen si Deus ex tempore eliceret nouos actus liberos, aut cessaret ab ijs, quos elicit ab æterno, de facto mutaretur, vt cõstabit inferius: ergo ratio perfectionis non arguit omnimodam immutabilitatem in Deo. Secundam impugnat argumento petito ab ijsdem relationibus diuinis, quoniam essentia in eodem priore, quo antecedit relationes, est actus purus: & nihilominus non repugnat,

Mayron.

III.

vt in

vt in posteriore signo relationem fundet: ergo ratio actus puri non impedit quo minus essentia diuina sit receptiua alicuius formæ, & consequenter mutabilis. Ad idem quoque facit, quod in priore signo, in quo consideratur secundum esse necessarium, & essentiale, est actus purus, & nihilominus non est determinata ad actus liberos, quos in posteriore signo naturæ potest elicere, vel non elicere. Contra tertiam arguit, quoniam distinctio formalis cohæret cum simplicitate diuina, & sufficit ad veram rationem mutationis: ergo simplicitas non est sufficiens, & adæquata ratio immutabilitatis. Maior supponitur de communi sententia Scotistarum: vt patet ex tract. 5. cap. 5. Assumptio vero patet quoniam omnis receptio actus distincti ex natura rei à subiecto est mutatio, ac proinde distinctio ex natura rei formalis inter formam, subiectum recipiens sufficit ad veram rationē mutationis. Denique contra quartā obijcit, quoniam licet enti simpliciter necessario repugnet recipere contingens, non tamen repugnat respectus ad extra: siquidem non repugnat creatio actiua: ex hoc autem sequitur mutatio, quia omne subiectum, quod habet aliquam formam, vel rationem, à qua denominatur, quam prius non habebat, aut à qua non denominabatur, necessariò debet esse mutatum: Deus autem ex creatione denominatur creator ex tempore, ergo ex ratione summæ necessitatis, non necessariò sequitur immutabilitas.

III. Verum eædemmet obiectiones, quibus probat nullam ex quatuor illis perfectionibus esse propriam rationem, aut radicem immutabilitatis, concludunt etiam non esse infinitatem. Nam si ex eo, quod relatio diuina aduenies in posteriore signo essentiæ summe perfectæ, sequitur nō repugnare ex vi perfectionis, vt essentia diuina mutetur, etiam non sequitur ex præcisa ratione infinitatis: quandoquidem cum omnimoda infinitate essentiæ diuinæ stat, vt relatio adueniat illi in posteriore signo naturæ. Si item ex eo, quod essentia in posteriore signo naturæ recipit relationem, sequitur ex præcisa ratione actus puri non prouenire immutabilitatem, etiam sequetur non prouenire ex infinitate: siquidē quamuis natura diuina in priori signo sit infinita simpliciter, adhuc tamen recipit relationes. Denique, si ex eo, quod summæ necessitati non repugnet actio, & respectus ad extra, sequitur ex præcisa ratione necessitatis nō sumi immutabilitatem, etiam ex eo, quod infinitati simpliciter non repugnet actus, & respectus ed extra, sequitur ipsam non esse propriam rationem, in qua fundetur immutabilitas: sicut ergo hæc argumenta apud ipsum vim nō habent ad probandum infinitatem nō esse propriam radicem immutabilitatis, ita quoque non habent ad excludendas simpliciter alias rationes.

Ad primum vero respondetur summam IV. perfectionem absolutam nō impedire, quo minus relatio idem ex natura rei cum ipsa conueniat ab æterno, necessariò, & immutabiliter: impedire vero, quo minus conueniat ex tempore, aut cum mutatione: mutatio enim arguit potentiam passiuam, & defectum in re mutabili, quæ duo repugnant summæ perfectioni: quomodo autem accessu nouæ relationis Deus mutaretur infra dicam: nunc vero ex ibi dicendis suppono mutationem posse interuenire in relatione ex parte fundamenti, vel solius relationis: si ex parte fundamenti, tunc re vera etiam ratione summæ perfectionis excluditur: nam fundamentum relationis, cùm sit forma absoluta, pertinet ad perfectionem, etsi de nouo aduenirēt, Deus non esset summa perfectio: si vero ratione solius relationis, tunc talis mutatio excluderetur quidē ratione summæ perfectionis, non ita vt præcisè ex accessu nouæ relationis realis colligatur antea non fuisse summam perfectionem, hoc enim est falsum, quandoquidem accessu nouæ relationis, res non manet perfectior: sed ita, vt eius accessu maneat imperfectior, siquidem ipsamet relatio continet nonnihil imperfectionis: est enim realis ordo ad extremum, ad quod relatiuum terminatur, repugnat autem summæ perfectioni vt sit realis habitudo ad aliquid extrinsecum. Ad confirmationem respondetur si in Deo sit mutatio penes actus liberos, necessariò sequi mutationē entitatiuam penes actum necessarium, vt infra ostendam: & proinde, quamuis actus liberi quatenus distinguuntur à necessarijs, non dicant nouam perfectionem, quia tamen ipsi mutari nequeunt, quin mutentur necessarij, quorum mutatione minueretur diuina perfectio, ex ea quoque suo modo sequitur immutabilitas actuum liberorum. Ad secundum simili ferè modo respondetur: nam quia essentia nullo modo distinguitur à relatione, neque est in potentia passiua ad illā, vt inferius explicabo, est actus purus: & ideò ex relationis æterna resultantia, vt ita loquar, non sequitur vlla mutatio: at vero si ex tempore aduenirēt necessariò procederet ex non esse, & reciperetur in

essentia

essentia ratione potentiæ passiuæ: & consequenter non esset actus purus: atque adeò ratio actus puri, quamuis non excludat resultantiam relationis ab æterno in posteriori signo rationis, excluderet tamen in tempore, & consequenter potest esse radix immutabilitatis. Item quamuis ab æterno ratio actus puri in priore signo rationis non excludat indeterminationem voluntatis ad actus liberos, excludit tamen aptitudinem, vt voluntas in tempore transeat ab vno actu in alium. Cuius ratio infra fusius explicanda est: nunc hæc satis erit, nimirum quoniam actus liber ab æterno censetur compleri per solam terminationem & habitudinem ad obiectum creatum sub esse existentiæ: habitudo autem rationis non euertit rationem actus puri: in tempore autem, si mutaretur, cùm obiectum, quod supponitur esse, non possit non esse, vt desinat habitudo actus ad obiectum, necessariò desinere debuit actus quo ad entitatem ipsam, quæ est fundamentum habitudinis: actus autem primus non potest desinere: & idcirco, quamuis cum ratione actus puri non repugnet indeterminatio voluntatis ad actus liberos, repugnat tamen, vt postquam semel illos elicuit, possit ab illis cessare, aut nouos elicere. Ad tertium neganda est maior propositio, vt constat ex ijs, quæ dicta sunt in tract. 5. cap. 10. Ad vltimum neganda est assumptio: ad cuius confirmationem respondetur, licet omnis noua denominatio supponat aliquam mutationem, non tamen opus esse, vt ea insit subiecto, quod denominatur: nam obiecta nostrarum actionum vitalium denominantur ab ijs, absque vlla mutatione sui: dicitur enim lux videri, bonum amari, neque, vt ita denominentur, opus est mutatione ipsorum, sed sufficit mutatio ipsa potentiæ vitalis, à qua obiecta denominantur extrinsecè: eodem modo Deus subit nouas denominationes absque vlla mutatione sui, interueniente tamen mutatione ex parte creaturæ: quæ est terminus actionis diuinæ, aut alterius habitudinis, à qua Deus denominatur.

V. *Mayron.* Sed iam videamus fundamentum, quo ductus Mayronius statuit infinitatem esse propriam, & immediatam rationem immutabilitatis, simulque expendamus vtrum summa perfectio, & ratio entis à se idipsum vendicet: Arguit autem Mayronius, quoniam Deus ex eo, quod est infinitus est quidquid habet, & consequenter quidquid est in Deo, est Deus: ergo, si mutaretur, vel acquireret, & haberet de nouo aliquem terminum, vel amitteret aliquem, quem antea haberet: si acquireret, & haberet de nouo, cùm Deus sit quidquid habet, inciperet de nouo esse Deus; si vero amitteret, ob eandē causam desineret esse Deus: ergo nullo modo est capax mutationis. Et corroborari potest, quoniam infinito simpliciter nihil detrahi, nihil addi potest, omnis autem mutatio terminatur, vel ad formam positiuam de nouo aduenientem subiecto, vel ad negationem formæ, quæ abijcitur à subiecto: ergo considerata solum ratione infinitatis sufficienter excluditur omnis mutatio à Deo. Idemque patet in ratione summæ perfectionis: cui repugnat omnis defectus, & consequenter transitus à perfectione, quam habet, ad eius negationem, vel ab hac ad perfectionem, qua caret: nam si non repugnaret sub altero termino mutationis, haberet carentiam alicuius perfectionis, & consequenter non esset summa perfectio: ergo cōsiderata solum ratione summæ perfectionis excluditur omnis priuatio. Denique omne quod mouetur, ab alio mouetur: prima causa, & ens à se nō potest moueri ab alio: ergo non est capax mutationis, & consequenter ex vi præcisa entis à se sumi potest immutabilitas.

VI. Supponendum est radicem alicuius proprietatis aliam esse proximam, aliam remotam, aliam adequatam, aliam inadequatam. Inter proximam, & proprietatem nihil interiacet, quod sit ratio illius: Inter remotam vero possunt interiacere plures causæ, siue rationes subordinatæ. Est vero inter vtramque hoc discrimen: quod licet negata vna, cōsequenter negetur etiam proprietas, tamen si per impossibile supponatur manere alteram sine altera, & maneat proxima sine remota, adhuc manebit proprietas, non tamen si maneat remota sine proxima. Ratio huius discriminis est, quoniam in pluribus causis subordinatis, si tota causalitas priorum continetur in proxima, eatenus effectus pendet ab illis omnibus, quatenus virtute eorum existit causa proxima, & immediata, à qua effectus pendet: & proinde, si quomodo ea supponatur existere, consequetur effectus, quantumlibet supponatur nō existere priores causas, à quarum serie dependet. Contra vero quia priores, nō causant nisi interuētu proximæ, & immediatæ, quātumcunque illæ supponātur esse, nō dabitur effectus, si desit causa immediata. Inter adæquatā vero, & inadæquatam hoc est discrimen, quod adæquata posita ponitur effectus, sublata vero tollitur: de hac. n. intelligitur dictū Arist. lib. 1.

Posterior. cap. 13. t. 30. quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, inæquata vero non ita se habet, fieri enim potest, vt ad aliquam causam necessariò sequatur effectus, & tamen sint etiam aliæ causæ eiusdem, & propterea ea sublata adhuc manere possit effectus: verbi gratia ex ratione substantiæ spiritualis nascitur incorruptibilitas, & nihilominus ex eo, quod substantia aliqua non est spiritualis, minimè sequitur vt sit corruptibilis: materia enim prima incorruptibilis est, cùm tamen non sit substantia spiritualis.

VII. Infinitas, & summa perfectio concipi possunt, velut quoddam integrale nostro modo intelligendi continens omnem rationem essendi, & perfectiones simpliciter, quo pacto includunt perfectiones diuinas in suo significato materiali, vel secundum præcisas rationes formales, secundum quas infinitas solum importat ens nullo entitatis termino circumscriptum: summa vero perfectio absolutam, & consummatam rationem perfectionis simpliciter, abstrahendo à cæteris rationibus formalibus, verbi gratia à necessitate, actu puro, simplicitate, ac similibus. Et quidem si priore modo considerentur, cùm ipsamet immutabilitas sit quædam perfectio, & quidam modus essendi designatus per negationem mutabilitatis, ex eo, quod Deus sit infinite perfectus, recte sequitur esse quoque immutabilem, non tanquam ex ratione quadam cõtradiuisa, sed tanquam ex ratione quadam totali colligitur partialis: vt notauit Aureol. in 1. dist. 8. quæst. 2. art. 2. nam ex regula Anselmi in Monologio cap. 15. & Aristot. lib. 12. Metaphys. text. 40. & Comment. ibidem, Deo tribuendum est quidquid perfectionis est, & ideò, cùm immutabilitas sit quædam perfectio, tribuenda ipsi est. Item, cùm summa perfectio contineat omnem rationem perfectionis, continere etiam debet rationem actus puri, simplicitatis, ac necessitatis: & consequenter si ex his deducitur immutabilitas, ex summa quoque perfectione deducitur. Verum hîc non agitur de radice, quasi vniuersali, & remota, sed de propria, & immediata: quæ nostro intelligendi modo secundum rationes formales sit contradiuisa ab alia, prior illa, & ratio eius immediata: quomodo considerari debet infinitas, & summa perfectio iuxta secundam acceptionem abstrahendo à cæteris rationib⁹ formalibus, quas inuoluunt in suo significato materiali.

VIII. Dico primum. Infinitas, ac summa perfectio secundum proprias rationes formales præcisas non sunt immediata ratio immutabilitatis absolutæ, & vniuersaliter acceptæ, sed solum quatenus excludit mutationes perfectiuas. Posterior pars facilè ostenditur: quoniam mutatio perfectiua supponit in subiecto priuationem formæ, siue perfectionis acquirendæ: ens simpliciter infinitum, & summe perfectum non caret vlla perfectione: ergo non est capax mutationis perfectiuæ: atque adeò ex ratione infinitatis, ac summæ perfectionis per se, & immediate sequitur repugnantia mutationis perfectiuæ: Et hac ratione Patres ex infinitate, & summa perfectione Dei colligunt illum non posse perfici, aut in melius commutari: ita D. Gregorius Nyssenus in expositione orationis Dominicæ super illa verba, *adueniat Regnũ tuum:* Sic enim ait, *Nunquid nunc Regem fieri vult vniuersi Regẽ, qui semper est quod est, qui ad omnẽ mutationem firmus, & immobilis est, qui non potest reperire melius quidquam, in quod transeat?* quibus verbis indicat idcirco non posse Deum in aliud transire quia nihil ipso melius, ac perfectius est: quæ ratio solum procedit de transitu, siue mutatione perfectiua: eodem argumento vtuntur Eusebius Cæsariensis lib. 13. de præparat. Euangel. cap. 3. S. Thom. 1. p. quæst. 9. art. 1. Richard. in 1. dist. 8. art. 2. quæst. 1. Durand. 1. p. distinctionis quæst. 3. num. 7. Ocham. quæst. 7. Gabriel. quæst. 7. art. 2. conclusione 2. Bassol. quæst. 3. art. 2. & plerique alij. Prior vero pars ostenditur, quoniam si consideretur præcisa ratio perfectionis, & abstrahatur à ratione actus puri, ac necessarij adhuc res maximè perfecta concipi potest, vt mutabilis, si non in melius, saltem in deterius: In rebus enim creatis, quantumlibet aliquid sit perfectum, potest subire mutationem, quia abest ratio actus puri, ac necessarij: signum ergo est puram rationem perfectionis summæ, si sumatur vt est ratio distincta à necessitate, nequaquam esse rationem proximam, & adæquatam immutabilitatis: nam si concipiatur res summe perfecta quoad reliqua, & solum absit necessitas, & adsit contingentia, erit subiecta mutationi: ergo summa perfectio, vt abstrahit à singulis perfectionibus, quas materialiter includit, non est proxima ratio immutabilitatis, eodemque argumento probatur idem de infinitate.

Nyssenus. *Eusebius.* *S. Thom.* *Richard.* *Durand.* *Ocham.* *Gabriel.* *Bassol.*

IX. Dico secundum, ratio entis à se est causa adæquata, ac remota, non proxima immutabilitatis. Prior pars est de mente Athanasij in passionem, & crucem Domini initio: & D. Thom. opuscul. 3. cap. 4. &

Athanasius. *S. Thom.*

patet

Aristot.

patet quoniam Philosophus lib. 8. Phys. ostendit ex motu rerum inferiorum perueniendum ad vnum primum motorem immobilem: quæ deductio, quatenus procedit ex effectis ad primam causam, est à posteriore, quatenus autem ex eo, quod primus motor sit à se, & non ab alio, est à priore. Prius enim est rem esse à se, quam habere repugnantiam vt subdatur actiuitati superioris agentis. Itaque ex eo, quod Deus sit ens à se, recte concluditur non posse omnino mutari. Et confirmatur, quoniam ex eo, quod Deus sit ens à se, deducuntur cæteræ omnes perfectiones diuinæ, vt patet in toto progressu huius secundi libri: ergo cum immutabilitas deducatur ex aliqua, deducitur etiam ex ratione entis à se, saltem tanquam ex prima radice. Esse vero causam adæquatam constat quoniam solum ens à se est immutabile, quidquid autem est ab alio, eius actiuitati, ac mutationi subditur. Esse autem non proximam, sed remotam ostenditur: quoniam si per impossibile præscindamus necessitatem à ratione entis à se, & concipiamus illud sub potentialitate, & contingentia, ita vt sit à se, cõtingenter tamen, iam erit obnoxium mutationi: nam quod contingens est esse, ac non esse, transire potest de vno termino in alium, & consequenter mutari. At, inquies, repugnat esse aliquid à se, & sub esse contingentiæ: quare ex ratione entis à se excluditur contingentia, & mutabilitas. Verum quidem est, sed non de hoc modo disputatur, sed vtrum immediata ratio, ex qua sequitur immutabilitas, sit ratio entis à se, & hoc non concluditur illo argumento, quoniam ratio entis à se immediate opponitur rationi entis ab alio, contingentiæ vero immediate opponitur necessitas: & quia hæc necessariò coniuncta est cum ratione entis à se, propterea hoc excludit etiam contingentiam, & mutabilitatem: non tamen proximè, sed remote interuentu absolutæ necessitatis.

X. Argumenta in contrarium probant quidem ex his tribus rationibus sumi aliquo modo rationem immutabilitatis, non tamen proximè, & adæquate. Ad primum respondetur negando antecedens: nam, formaliter loquendo, Deus non est quidquid habet ex eo, quod infinitus, sed ex eo, quod simplex est: nam si eædemmet perfectiones simpliciter infinitæ, quas Deus habet, modo simplici, ac indistincto, concipiantur inesse illi cum distinctione, & compositione, & consequenter absque simplicitate, quam nunc habent, Deus non erit minus infinitus, quam modo est: & tamen non erit quidquid habet, sicut nullum compositum est suæ partes: ergo ratione simplicitatis, nõ autem infinitatis est quidquid habet: patet consequentia, quoniam illa est propria ratio effectus, qua manente manet, & qua sublata tollitur: manente autem infinitate, & præcisa per intellectum simplicitate, Deus non intelligitur esse quidquid habet: ergo non ideò est quidquid habet, quia infinitus, sed quia simplex est. Ad confirmationem respondetur de ratione infiniti simpliciter non esse, vt nihil illi detrahi possit, sed solum vt nihil possit addi: ideoque ex infinitate præcisè non deduci immutabilitatem simpliciter, sed solum secundum augmentum. Quin vero si consideretur præcisa ratio infinitatis abstrahendo à reliquis perfectionibus, nõ necessariò sequitur inuertibilitas: nam si per impossibile supponatur infinitum, quod nõ sit necessarium, & à se, sed ex alio, & contingens, non repugnat ex terminis, vt esse designat. Eodem modo respondetur ad secundum argumentum: nã quamuis summa perfectio, quatenus materialiter continet omnes perfectiones, repugnet cum mutabilitate, & includat immutabilitatem singularem quandam perfectionem, & præterea rationem actus puri, & necessitatis absolutæ, ex quibus immediate sequitur immutabilitas, tamen quatenus præcisè afficit entitatem diuinam, & reddit perfectam in summo gradu, solum excludit mutationem in melius: Aũ vltimum respondetur, quamuis ratio entis à se sit causa immutabilitatis, tamen nõ esse proximam, sed remotam, vt explicatum est.

Sola necessitas est proxima, & adæquata ratio immutabilitatis, actus vero purus, ac simplicitas, vt includunt necessitatem.

Caput IV.

L. TRes rationes supersunt, de quibus potest dubitari, quænam sit potissima, ac proxima ratio immutabilitatis, nempe actus purus, simplicitas, ac necessitas. Ex ratione actus puri sumit argumentum, D. Thom. 1. p. quæst. 9. art. 1. cùm Caietano & Syluest. ibidem. & in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 1. Richard. art. 2. quæst. 1. & Franciscus à Christo d. 39. quæst. vnica de immutabilitate conclusione 1. suadetur autem, quoniam illa perfectio est immediata ratio immutabilitatis, quæ pugnat formaliter cum

D. Thom. Caietan. Syluest. Richard. Franciscus Christi.

radice

radice mutabilitatis: Radix vero eius est potentialitas, & cum hac pugnat formaliter ratio actus puri: ergo hæc est immediata ratio immutabilitatis: Maior est euidens, nam contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ: & cum proxima radice mutabilitatis formaliter pugnare nequit nisi proxima ratio immutabilitatis: exclusa enim mutabilitate hoc ipso succedit immutabilitas: ergo, quod illam proximè excludit, hanc proximè inducit. Prior pars assumptionis est de mente Scoti in 1. d. 5. q. 2. §. *Ideò tenendo*, vbi ait mutationem de ratione sui dicere potentialitatem, intellige antecedenter, tanquam causam, & radicem non vero formaliter: ostenditur autem, quoniam subiectum, quod est aptum recipere, vel habere aliquam formam cum indifferentia ad eius oppositū, potest transire à priuatione ad actum, & vice versa, & consequenter mutari; consequentia patet: quoniam potentia passiua consistit in hac indifferentia, siue aptitudine, cuius actus est ipsamet passio, siue mutatio: ergo præcisis omnibus alijs rationibus, & manente sola ratione potentiæ passiuæ dabitur mutabilitas. Et cōfirmatur: nam, si subiectum caret potentia passiua, pati nequaquam potest, repugnat enim dari actum, ad quem non est potentia. Posterior vero pars est manifesta, quoniam potentia, & actus formaliter opponuntur, & actus purus repugnat in eodem subiecto cum potentia passiua. Secundo mutabilitas non potest vlla ratione cohærere cum actu puro: ergo hic est immediata ratio immutabilitatis. Patet consequentia, quoniam alioquin non repugnaret concipi actum purum sub mutabilitate. Respondebit aliquis fieri posse, vt duæ formæ repugnent simul in eodem subiecto, non immediate ratione sui, sed ratione tertiæ, cùm qua vna ex his duabus est necessario coniuncta, altero vero repugnat: sicut cum diuina sapientia repugnat in iustitia, quia hæc repugnat iustitiæ, quæ necessario coniungitur cum diuina sapientia: & eo modo posse repugnare mutabilitatem cum ratione actus puri, quia hæc coniungitur cum necessitate, à qua per se primo, & immediate prouenit immutabilitas. Verum longe dispar est ratio: nam sapientia, & iustitia non repugnant simpliciter abstrahendo ab hoc, vel illo subiecto, sed ratione determinati subiecti, in quo ratio sapientiæ est necessario coniuncta cum ratione iustitiæ. At vero ratio actus puri abstrahendo à quocunque subiecto, & ratione formali distincta, per se excludit potentiam passiuam, & mutabilitatem, qua in ipsa fundatur: ergo si solum considereмus Deum sub ratione actus puri, præcisa etiam ratione necessitatis, hoc ipso excluditur ab eo potentia, vt mutetur.

Scotus.

II. Esse quoque simplicitatem immediatam rationem immutabilitatis: videntur sentire communiter Doctores, qui ex eo, quod Deus sit simplex, probant esse immutabilem. Suadetur vero, quoniam id, in quo non differt quod est, & quo est, non potest transire à forma ad priuationem ipsius, aut vice versa: & consequenter neque mutari: simplex autem, qua simplex, hoc sibi propriè vendicat, vt sit idem, quod est, & quo est, quod habet, & quod habetur: ergo ex præcisa ratione simplicitatis immediate nascitur immutabilitas. Præterea omne subiectum mutationis est componibile cum aliquo ex terminis ipsius: summè autem simplex, neque est compositum, neque componibile cum alio: ergo simplicitas est immediata radix immutabilitatis.

III. Hic oportet recolere distinctionem traditam capite superiore, qua fundamentum alicuius perfectionis diuiditur in remotum, ac proximum, addendum vero fundamentum remotū esse duplex: aliud, quod secundum se totum est remotum, vt se habet natura respectu secundæ, vel tertiæ proprietatis, quæ seruato ordine emanant ab illa aliæ mediantibus alijs: aliud vero est remotum secundum aliquid sui, quia scilicet, quamuis aliqua ipsius pars sit ratio proxima, alia tamē nequaquam: verbi gratia proxima ratio, cur pisces vegetentur, est vita, non animalitas, quoniam, licet hæc includat vitam, nō tamen præcisè secundum propriam suam differentiam est causa vegetationis, sed quatenus cōtinet vitam, quæ est immediata ratio illius, eodē modo ratio proxima, cur hic singularis isoceles habet tres angulos æquales duobus rectis, nō est quia isoceles, sed quia præcisè est triangulus: cùm vero quærimus proximam radicem immutabilitatis loquimur de ea, quæ secundum se totam, & non aliquid sui talis est: & quamuis in diuinis non sit totum, aut pars, loquimur tamen nostro modo intelligendi, secundum quem quamcunque rationē perfectionis diuinæ describimus per plures cōceptus: & ideò si detur aliqua perfectio, quę ratione alterius rationis formalis inclusæ sit radix immutabilitatis, ipsa nō est dicenda simpliciter proximū eius fundamentum, sed illa solum, quæ præcisè ratione sui illam importat.

Dico primum. Ratio actus puri, &

omnimoda simplicitas sunt rationes conuertibiles cum immutabilitate simpliciter: Inprimis quoad actum purum est de mente Doctorum, quos citaui num. 1. & facilè ostenditur, quoniam excludit omnem potentiam passiuam, quæ necessario supponitur ad motum, & ideò fieri nequit, vt actus purus sit aliquo modo mutabilis: aut id, quod est aliquo modo mutabile, sit actus purus: atque adeò, si quis neget Deum esse actum purum, hoc ipso tenetur admittere cum habere indifferentiam ad oppositas formas, & consequenter esse mutabilem. Ex opposito vero, si concedat esse actum purum, necessario tenetur admittere esse determinatum ad omne id, quod est: atque adeò esse simpliciter necessarium, & immutabilem. Ex quo patet ex ratione actus puri per necessariam consequentiam deduci à priore diuinã immutabilitatem. Idem quoque patet in simplicitate prout negat omnem prorsus rationem compositionis actiuæ, quam passiuæ: Sic enim accepta excludit omnem potentialitatem, etiam eam, quæ est ad propriam existentiam: & proinde non patitur aptitudinem ad vllam prorsus mutationem, & in hoc sensu plerique Doctores ex simplicitate colligunt diuinã immutabilitatem: ita Altisiodorens. lib. 1. cap. 1. 2. p. in fine. Albert. in 1. d. 8. art. 28. S. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. cùm Caiet. Henr. in sum. art. 30. q. 6. Richard. loco citato. Palat. in 1. d. 8. disput. 3. initio. Dionys. Cistercienf. q. vn. art. 1. propositione 5. & ex Patribus Augustin. lib. 11. de Ciuitate cap. 10. *Est itaq;*, inquit, *bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia.* & lib. 6. de Trinitate cap. 6. *Nihil simplex mutabile est.* Auctor libri de essentia diuinitatis apud Augustinum in principio. *Ideò*, inquit, *Deus immutabilis dicitur, quia in naturæ eius, ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio, & alia his similia nullo modo accidunt: simplex enim natura est, & immutabilis, atq; imperturbata, neq; aliud est ipse, aliud quod habet, & quod est.* Quibus verbis pro causa immutabilitatis reddit simplicitatem: ea vero non potest accipi solum prout est negatio compositionis passiuæ: non repugnat enim in naturã simplicem ex sola negatione compositionis intrinsecæ cadere similes defectus, sed accipitur, vt etiam includit negationem compositionis actiuæ, siue componibilitatis cum alia re.

Altisiodor. inf. Albertus. S. Thom. Caietan. Henric. Richard. Palatius. Cistercienf. Augustinus.

V. Dico secundum. Absoluta necessitas est proxima, & adæquata radix immutabilitatis diuinæ: Est de mente Doctorum, qui probant Deum nõ esse capacem illius mutationis, quia est ipsum necesse esse, ita Bassolis in 1. d. 8. q. 3. art. 2. & Dionys. Cistercienfis quæst. vn. art. 2. conclusione 1. Fundamentum est, quoniam non intellecta vlla alia ratione formali, ex sola necessitate absoluta per se primo, & à priore colligitur immutabilitas: ergo est proxima radix illius. Consequentia patet ex tradita explicatione causæ proximæ, & immediatæ. Antecedens vero ostenditur: quoniam id, quod est absolute necessarium, fieri nequit, vt incipiat esse, quod non erat, aut vt desinat esse, quod erat: omnis vero mutatio est transitus ab esse ad non esse, aut vice versa à non esse ad esse: ergo intellecta solum ratione necessitatis inducitur repugnantia mutationis, siue immutabilitas. Maior ostenditur, quoniam absoluta necessitas non permittit, vt non sit id, quod necesse est esse: & ideò ens absolute necessarium habet aliquem actum, vel formam in quauis duratione, repugnat vt in alia illam non habeat, si enim sine illa potest consistere, nequaquam illam vendicat necessario. Neque è contrario affici potest forma, vel actu, quo necessario caret: Id vero, quod est mutationi obnoxium, debet esse aptum, vt saltem pro diuersa duratione subsistet formæ, & eius priuationi. Respondebit aliquis, hoc non esse necessarium, quandoquidem vt habetur cap. 1. creatio substantiæ spiritualis ab æterno est mutatio, saltem late sumptæ & tamen substantia ita creata nunquam esset sub negatione formæ, quæ est terminus creationis. Verum, vt eodem capite dictum est, idcirco creatio ab æterno haberet rationem mutationis, quia quoad substantiam esset eiusdem rationis cum ea, quæ fit in tempore: etsi re ipsa non procederet à negatione actuali existentiæ, procederet tamen à potentiali, vt ibidem explicatum est: at vero ens absolute necessarium ita determinate est sub vno actu, vel forma, vt non possit vllo modo esse sub opposita: & consequenter neque habet terminum à quo potentialem, ex quo procedat: & proinde recte sequitur non esse obnoxium vlli prorsus mutationi.

Basfol. Cistercienfis.

VI. Secundo; causa proxima, & adæquata alicuius proprietatis est illa, qua posita ponitur, etsi cætera præscindantur, & qua sublata tollitur, & si cætera adsint, vt per se patet: ita se habet necessitas comparata immutabilitati: ergo. Assumptio pateret discurrendo per singula: inprimis si comparetur necessitas cum ratione actus

puri:

puri: nam si fingatur aliquid necessarium, quin sit actus purus, non erit obnoxium mutationi: nam si per impossibile fingeremus rem aliquam compositam simul, & omnimode necessariam, non erit actus purus, & tamen erit immutabilis: ergo præcisa ratione actus puri manet immutabilitas. Sequela patet, quoniam etiamsi res esset composita, si nihilominus partes haberent mutuam connexionem simpliciter, & absolute necessariam, fieri non posset, vt dissoluerentur, atque adeò, vt vel ipsæ, vel compositum esse desineret: repugnat enim omnimoda necessitas cum indifferentia ad non existendum: duplex enim potentia concipi potest ex parte subiecti, altera cum determinatione, altera cum indifferentia ad formam: priore modo se habet materia prima cœli respectu formæ substantialis in sententia illorum, qui existimant esse compositum physicum, & incorruptibile: item subiectum respectu suarum proprietatum: ita enim illarum capax est, vt tamen non habeat indifferentiam ad priuationē ipsarum: posterioris exemplum cernitur in materia prima respectu actus primi, & secundi separabilis. Ex his posterior quidem erit causa corruptionis, non tamen prior: quandoquidem fieri nequit, vt absint à subiecto formæ, ad quas est eiusmodi aptitudo: ex compositione vero non necessario sequitur potentia accepta posteriore modo, sed hoc, vel illo: ex priore autem non sequitur mutabilitas: ergo etiam non sequitur absolute ex compositione, si stare posset absque posteriore modo potentiæ passiuæ.

VII. Obijciet aliquis, tametsi subiectum non sit mutabile secundum eam formam, cum qua habet necessariam connexionem, tamen hoc ipsum, quo est compositum, esse finitæ, ac limitatæ perfectionis: & proinde aptum vt perficiatur accessione nouæ perfectionis illi non necessario debitæ, comparatione cuius habebit potentiam passiuam indeterminatam: ex quo consequenter sequitur esse mutabile, si non secundum formam, quam necessario vendicat, saltem secundū alias, ad quas est indifferens. Hæc tamen ratio minimè cogit: nam si ponamus illud necessario vendicare omnes omnino formas, quarum est capax, erit immutabile ob rationem assignatam, & compositum, vt supponimus. Si rursus opponatur impossibile esse, vt sit aliquid extra Deum, cui non possit aliquid accidere, saltem in ordine ad primam causam, quæ potest priuare subiecta ipsimet formis, cùm quibus suapte natura habent necessariam cōnexionem, vt solem luce, ignem calore, &c. Quo dato iam subirent mutationem. Respondetur hac obiectione conuinci quidem nō dari de facto aliquid compositum, quin sit aliqua ratione contingens, & subiectum mutationis: hoc vero non impedit quo minus, si supponamus per impossibile dari aliquod compositum omnino, & absolute necessarium, sit etiam prorsus immutabile: suppositio enim impossibilis non tollit necessariam, & immediatam rationem consequentiæ: & ideò ad explorandum, quænam sit proxima, & immediata ratio immutabilitatis, possumus facere plures suppositiones impossibiles, vt videamus, quænam sit illa ratio, qua manente manet immutabilitas, & qua sublata tollitur: ex hac autem perspicuè apparet sublata ratione simplicitatis, & actus puri, si tamen fingatur manere omnimoda necessitas, adhuc manere immutabilitatem: ex quo plane conuincitur necessitatem esse proprium, & immediatum fundamentum immutabilitatis.

Tertio, contrariorum effectuum contraria sunt principia, sed mutabilitatis propria, & adæquata radix est contingentia, ergo proprium fundamentum immutabilitatis erit necessitas opposita contingentiæ. Respondebitur necessitatem non solum tolli per contingentiam, sed etiam per impossibilitatem: quæ etiam repugnat mutabilitati: ideoque fieri posse, vt non intellecta necessitate maneat ratio immutabilitatis. Hæc solutio non eneruat argumentum, propterea quod impossibilitas semper coniuncta est cum necessitate, non quidem respectu eiusdē formæ, vel actus, respectu cuius est, sed oppositi: quod enim necesse est esse, impossibile est non esse: & & quod necesse est non esse, impossibile est esse: & ideò si fingamus impossibilitatem ad negationem alicuius formæ, cōsequenter dari debet necessitas ad eius positionem: & si est impossibilitas ad positionem, est necessitas ad negationem: quapropter ex eo, quod necessarium respectu eiusdem formæ, vel actus tollatur per impossibile, minimè sequitur dari immutabilitatem sine necessitate: quia scilicet interuenit necessitas in eodem subiecto, respectu vnius ex terminis, inter quos danda esset mutatio si foret possibilis: non est autem quia ratione necessitatis non potest transire subiectum de vno termino ad alium. VIII.

Dico secundum. Ex cæteris rationibus nulla est radix proxima immutabilitatis. Facilè ostenditur: nam sublata per impossibile ratione necessitatis, & conceptis alijs IX.

perfectionibus præcisè secundum proprias rationes formales: non repugnat vt concipiantur sub aptitudine ad mutationem, contra vero posita necessitate, & præcisis omnibus alijs erit immutabilitas: ergo nulla ex illis est proxima radix immutabilitatis. Antecedens quoad priorem partem ostenditur discurrendo per singula: nam si res aliqua fingatur actus purus, & simplex, contingens tamen, eo ipso conceditur mutabilis inter extrema, ad quæ est contingens, vt dictum est supra. At, inquies, repugnat concipi actum purum, & simplicem sub indifferentia ad opposita: ergo etiam repugnat, vt concipiatur sub mutabilitate. Veruntamen hæc euasio non sufficit: nam ad ostendendã propriam radicem alicuius perfectionis concipere possumus rationem aliquam cum alia necessario coniunctam, præcisam ab illa, quo facto, si absque illa adhuc vendicat eam, cuius radix inuestigatur, erit proxima radix illius, nequaquam vero si ea sublata non potest illam aliam sibi arrogare: hoc autem modo se res habet in ratione actus puri, & simplicitate comparatis cum necessitate, & immutabilitate: etenim ratio actus puri, & simplicitas cum necessitate, & immutabilitate necessario cohærent: si tamen concipiantur præcisè à ratione necessitatis, & cum indifferentia, siue contingentia, hoc ipso concipientur cum aptitudine ad mutationem. Obijciet aliquis rationem actus puri, & summæ simplicitatis non posse concipi cum præcisione à necessitate: nam actus purus concipi nequit sub indifferentia ad actum intrinsecum, & negationem ipsius, aut ad formas intrinsecas oppositas: simplicitas vero dissoluitur per rationem potentiæ passiuæ, in qua consistit indifferentia, siue contingentia ad opposita. Hoc tamen est confundere rationes formales attributorum, quæ vt ostensum est tract. 2. cap. 8. præcisè sumptæ non se inuicem includunt: & quamuis includerent, tamen quando inuestigamus propriam radicem alicuius consideramus solam rationem formalem explicitam cuiusque, alioquin inanis esset labor Theologorum. Necessitas autem secundum proprium, & explicitum conceptum distinguitur virtute à ratione actus puri, & simplicitate, quamuis cum illis necessario cohæreat: namque actus purus dicit absolutam rationem essendi positiuam, simplicitas negationem compositionis actiuæ, & passiuæ: necessitas autem dicit negationem indifferentiæ ad oppositas formas, vel determinationem ad actum, aut ad negationem ipsius: quæ ratio distinguitur virtute formaliter à ratione actus puri, & simplicitatis, ita vt sit veluti passio actus puri, & ex parte prior simplicitate: idcirco enim Deus est simplex, quia est ipsum necesse esse absque potentia passiua ad vllum actum entitatiuum. Si quis vero contendat omnino includi necessitatem in ratione actus puri, prout à nobis intelligitur. Responderi adhuc potest ad argumentum, non quidquid includit formaliter id, quod est ratio alicuius passionis, esse secundum se immediatum principium illius: nam Isoceles includit rationem trianguli, quæ est immediata ratio, cur habeat tres angulos æquales duobus rectis: nec tamen Isoceles est proxima ratio eius proprietatis, sed natura trianguli: vt docet Aristoteles, lib. 1. Poster. cap. 4. *Aristot.* Similiter, licet admittamus necessitatem includi formaliter in actu puro, nõ proinde hic erit proxima ratio immutabilitatis: sed necessitas, ratione cuius id vendicat.

X.

Vt vero satisfiat argumentis initio positis, obseruandum est in ratione actus puri, quatenus sumitur, vt prima ratio intrinseca essentiæ diuinæ, tanquam radix, ac fundamentum cæterarum, nequaquam includi formaliter necessitatem: quæ vel est modus essendi nostro intelligendi modo supponens id, cuius est modus, vel quædam negatio aut relatio rationis: sicut è contrario in ratione intrinseca potentiæ passiuæ, quatenus entitas quædam est, non includitur formaliter indifferentia ad formas oppositas, quamuis hæc sit quædam passio illius, per quam nos rationem potentiæ passiuæ explicamus. Itaque si perfectionis eius, quam designamus nomine *actus puri*, habeamus proprium, ac positiuum conceptum præcisum à conceptibus aliarum, in eo non includitur formaliter ipsa necessitas, sed solum comitatur per modum proprietatis. Quo posito negan-
da est posterior pars assumptionis primi argumenti, ad cuius confirmationem negan-
da est consequentia. Ad eius autem probationem dicendum, potentiam passiuam esse modum entitatiuum, siue potius entitatem ipsam subiecti, quod denominatur potentia passiua, quæ non consistit fundamentaliter in indifferentia, quamuis illam necessario annexam habeat. Ad confirmationem respondetur ideò sine potentia passiua dari non posse mutationem quoniam contingentia, quæ est immediata radix mutabilitatis, necessario supponit potentiam passiuam. Ad secundum probanda est solutio ibidem assigna-

ta. Ad

ta. Ad eius impugnationem respondetur, inter ea, quæ sunt necessario connexa ratione vnius tertij, esse discrimen: quædam enim non habent vllam rationem dependentiæ, aut ordinis inter se, quædam vero habent. Priora quia solum habent necessariam connexionem ratione terrtij, si extra illud considerentur, possunt esse diuisa: Posteriora vero quia etiam ratione sui habent dependentiam saltem remotam ratione tertij, cùm quo vtrunque necessario copulatur, nequaquam possunt esse seorsim. Priore modo se habet iustitia & misericordia in Deo: nam licet vtraque se quatur ad diuinitatem, tamen neutra est ratio cur altera competat, & idcirco si non considerentur in illo tertio, in quo necessario copulantur, non repugnat vnam inueniri sine altera: at vero ratio actus puri necessario vendicat necessitatem: ratione cuius habet immutabilitatem: & idcirco in quocunque subiecto consideretur ratio actus puri in ipso quoque erit necessitas, & immutabilitas, non tamen si abstrahat à quacunque ratione formali: nam si concipiamus illum absque necessitate essendi, excludet quidem formaliter potentiam passiuam sibi immediate oppositam, contingentiam vero non excludet formaliter sed consequenter, ponendo scilicet necessitatem, quæ est propria passio ipsius, & formaliter opponitur contingentiæ, & interuentu necessitatis ponendo immutabilitatem, quæ formaliter repugnat cum mutabilitate.

XI. Ad primum argumentum pro simplicitate respondetur, etsi subiectum simplex ex vi præcisa simplicitatis non possit subire mutationem, in qua subiectum manens transit ab vna forma in aliam, aut in eius priuationem: adhuc tamen nisi supponatur esse necessarium, non repugnare vt desinat esse simpliciter: ex quo patet ex vi simplicitatis non esse expers omnis prorsus mutationis. Ad secundum respondetur, etsi summa simplicitas prout excludit omnem compositionem actiuam, & passiuam, excludat etiam omnem mutationem, quoniam excludit etiam indifferentiam, & potentialitatem ad ipsum esse, vt dictum est est tract. 4. cap. 6. tamen hanc indifferentiam nonnisi ratione necessitatis excludit, & idcirco si necessitas præscindatur, simplicitas sola non excludit omnem mutabilitatem: itaque maior est simpliciter vera de subiecto, quod præsupponitur mutationi, & vicissim subest vtrique eius termino: secundum quid autem de subiecto, quod incipit, vel desinit cum actione ipsa: non enim necessario admittit veram compositionem simpliciter, sed secundum quid: & hæc ipsa fundatur in indifferentia ad actum vel quasi actum, cùm quo componitur: qua ratione substantiæ creatæ componi dicuntur cum suo esse: ratione cuius indifferentiæ est subiectum capax mutationis: econtra vero subiectum excludens hanc componibilitatem ratione determinationis ad actum, siue necessitatis habendi illum non est capax mutationis secundum eundem.

Vnde sumatur necessitas actuum liberorum Dei.

Caput V.

EX dictis cap. superiore remanet dubium explicandum hoc capite, dictum est enim proximam, & adæquatam rationem immutabilitatis esse necessitatem, & tamen actus diuini liberi sunt immutabiles, & minimè necessarij: ex quo sequitur dandam aliam radicem immutabilitatis distinctam à necessitate. Aureol. in 1. distinct. 8. quæst. 2. art. 1. dum agit contra Scotum, & alij, qui non agnoscunt immutabilitatem simpliciter in actibus liberis Dei, facilè se expediunt ab hac difficultate dicendo, necessitatem supponi semper ad immutabilitatem, non tamen eodem modo, sed pro diuersitate immutabilitatis: ita vt immutabilitas simpliciter coniuncta sit cum necessitate simpliciter, immutabilitas vero suppositionis sit coniuncta cum necessitate ex suppositione, siue conditionata: cùm vero hæc necessitas minimè pugnet cum libertate, aut contingentia, fieri posse, vt actus diuini liberi, quamuis non sint necessarij simpliciter, sint tamen ex suppositione, & consequenter eodem modo immutabiles. Verum hæc responsio non plenè satisfacit quæstioni, non enim explicat vnde proueniat, vt actus voluntatis diuinæ liberi, postquam semel sunt, non possint amplius non esse, cùm tamen suppositio, quod aliquid sit, solum inferat necessitatem conditionatam pro eo tempore, quo supponitur esse, non vero pro sequente, si enim supponamus Socratem in hoc instanti habere actum liberum dilectionis Dei, est quidem necessarium necessitate suppositionis, vt pro hoc instanti Deum diligat, impossibile vero, vt non diligat: at si supponamus Deum pro hoc instanti habere actum prædesti-

I.

Aureol.

nationis, etiam necesse est, vt illum habeat pro tempore sequente: necessitas vero huius suppositionis non est pro omni tempore, quo habebit actum, sed pro certo, ac determinato: non enim supponitur Deum velle aliquid pro tota æternitate, sed solum pro tempore præsenti, vel præterito: Et ex hac suppositione non solum oritur immutabilitas de præterito, aut præsente, sed etiam in futurum: Quare non est sola necessitas suppositionis, siue sensus compositi. Et ideò oportet reddere aliam rationem, cur voluntas diuina semel eliciens actum liberum semper eliciat, cùm tamen ita se res non habeat in actibus voluntatis creatæ.

II. *S. Thom. Ferrarienſ. Baſſol. Capreol.* D. Thom. lib. 1. contra gentes cap. 83. cùm Ferrariensi. Bassol. in 1. d. 45. q. 2. art. 3. ad 2. Capreolus ead. d. q. vn. art. 2. in probatione tertiæ partis tertiæ conclusionis, & alij videntur recurrere ad indiuisibilitatem æternitatis, & suppositionem actus diuini: nam quemadmodum repugnat in eadem duratione instantanea idem simul esse, & non esse, ita quoniam æternitas Dei est duratio prorsus indiuisibilis, hoc ipso, quo supponitur dari aliquem actum intrinsecè mensuratum æternitate: fieri nequit vt desinat esse, si semel est. Quæ ratio non militat in actibus, qui mensurant extrinsecè æternitate: Nam cum habeant propriam mensuram intrinsecam, ex suppositione in ordine ad ipsam habent esse: & quia creatarum rerum duratio non adæquat infinitatem æternitatis, non repugnat vt eadem duratio creata pro quodam tempore respondeat æternitati: pro alio vero non respondeat: & proinde etiam sequitur non repugnare, vt id, quod pro vna duratione creata est necessarium ex suppositione, desinat esse pro alijs. Actus vero diuini nó habent aliam durationem adæquatam, nisi solam æternitatem: & proinde si supponuntur esse, nullo modo possunt amplius desinere.

III. Contra hunc dicendi modum obijcitur, quoniam ex eo, quod duratio sit indiuisibilis, & tota simul, nó necessario sequitur, vt semper sit id, quod eiusmodi duratione mensuratur: vt patet in æuo Angelico, quod iuxta veriorem sententiam est indiuisibile: & in æternitate participata, qua mensuratur visio beata, quæ etiam indiuisibilis est: & nihilominus non repugnat, vt saltem per omnipotentiam Dei, Angelus, & visio beata esse desinant: atque adeò, ex eo, quod duratio intrinseca alicuius rei sit indiuisibilis, & tota simul, minimè sequitur implicare contra durationem, vt quod in illa semel fuit, esse desinat, & consequenter ex eo, quod actus diuini liberi mensurentur æternitate indiuisibili, minimè sequitur vt, si semel sunt, nunquam amplius possint non esse. Huic obiectioni responderi potest non ex eo præcisè actus diuinos liberos nó posse desinere, quia æternitas est duratio indiuisibilis, sed quia id, quod mensuratur intrinsecè aliqua duratione, non potest non existere quamdiu illa fuerit: de ratione autem æternitatis est vt semper sit, & propterea etiam actus liberi Dei, qui ea mensurantur, semper esse debent: sed neque hæc responsio est omnino sufficiens: nam necessitas, & immutabilitas est ratio à priori æternitatis, non vero æternitas necessitatis, aut immutabilitatis: ergo cum petitur ratio à priore, cur actus diuini sint immutabiles, nó recurrendum est ad æternitatē dicendo, quia mensurantur æternitate, quæ semper est, arguens enim petet rationem cur æternitas semper sit: cuius non potest assignari alia ratio, nisi quia est duratio rei necessariæ, & immutabilis: atque adeò sine recursu ad æternitatem assignari debet sufficiens, & adæquata ratio necessitatis, & immutabilitatis actuum diuinorum.

IV. Qui voluerit defendere dicendi modum D. Thomæ respondebit æternitatem Dei, quatenus est mensura essentiæ diuinæ, & perfectionum diuinarum, nostro modo intelligendi supponere necessitatem, & immutabilitatem earundem: non supponere vero necessitatem, & immutabilitatem actuum diuinorum liberorum, imò supponi ab ijsdem: & proinde posse esse radicem necessitatis, & immutabilitatis ipsorum: non repugnat autem, vt eadem res sub diuersis considerationibus, vel distinctionibus virtualibus sit prior, ac posterior: æternitas enim, quatenus est duratio perfectionis diuinæ necessariæ, supponit necessitatem, & immutabilitatem ipsius, non supponit autem immutabilitatem actuum liberorum, imò supponitur ab ea: cùm enim non sit immutabilitas simpliciter, sed ex suppositione existentiæ, hęc vero ideò sit inuariabilis, quia intrinsecè mensuratur duratione sempiterna, consequens est vt immutabilitas actuum liberorū supponat sempiternitatē durationis intrinsecæ, cuius, si semel sunt, semper esse debent, quemadmodū se habet immutabilitas rerū creatarum, pro eo tempore, quo est ratione posterior duratione ipsa, in qua est: cùm enim nō alia de causa detur hęc immutabilitas, nisi quia repugnat idē simul esse, & nō esse, repugnantia vt non sit in ea

duratio-

duratione, si alioquin non est res absolute necessaria, prouenit ex eo, quod in eadem duratione sit: quæ ratio militat etiã in immutabilitate actuum diuinorum liberorũ: cùm enim suaptè natura abstrahendo ab omni suppositione non repugnet vt non sint, sola ratio repugnantiæ cur, postquam semel sunt, non possint non esse, est quia, cum sint in æternitate, quæ est adæquata mensura ipsorũ, non possunt nõ esse in eadem: & quia ipsa est tota simul, & perfecta, & suaptè natura sempiterna, actus quoque sempiterni sunt. Adhuc tamen restat non nihil dubij. Nam prius est saltem ratione rem existere, quam durare, esse immutabilem, quam æternam: semper enim æternitas cuiuslibet entitatis, siue rationis formalis, fundatur in eiusdẽ immutabilitate: & consequenter prius est actus liberos Dei esse immutabiles quam æternos, non ergo sumunt immutabilitatẽ ex eo, quod mẽsurentur intrinsece æternitate: parum ergò refert ad ipsorum immutabilitatem, quod æternitas, quatenus duratio perfectionis diuinæ necessariæ, sit prior immutabilitate actuum, non enim sub ea ratione est mensura intrinseca ipsorum.

V. Immutabilitas actuum diuinorum, vt iam supra dictũ est, est immutabilitas suppositionis: atq; adeo primum eius fundamentum debet esse aliqua suppositio: non quidẽ quod existant in tota æternitate, huius enim quæritur ratio: sed q̃ fuerint semel in æternitate: & fortè hoc solum vult D. Thom. Capreol. & alij cùm appellant immutabilitatẽ suppositionis: nam si actus Dei liberi fuerũt ab æterno: hoc ipsos supponitur necessario durasse per infinitum tẽpus à parte anteriori. Verum quia cum hoc stat, vt si nihil aliud obstaret, potuerint desinere post infinitum tempus; imò, & in qualibet designata, ac certa parte durationis infinitæ iam præteritæ, suppositio sola, quod fuerint ab æterno, non est satis nisi ex natura, & propria ratione ipsorum habeant vt postquam semel sunt, non possint amplius desinere. Vt verò hoc exacte explicetur, opus erat clara notitia actiuum diuinorum, quam tradere non est huius loci. Idcircò breuiter suppono actum voluntatis, & intellectus diuini ob suam perfectionẽ infinitã habere ex se vim sufficiẽtem, vt terminetur ad omne obiectũ substans rationi formali ipsius: De facto verò terminari ad omnia, q̃ habent necessariam connexionẽ cũ primo obiecto vtriusq; potentia enim, vel actus infinitæ virtutis, & perfectionis necessario terminãtur ad obiectum primarium, & omnia actu habent attributionem ad illud: nam cum ex parte obiecti non sit defectus, erit ex parte potentiæ, vel actus, nisi ad ipsum terminetur. Ex quo principio facilè deducitur immutabilitas ex parte actuum intellectus: nam cum veritas sit immutabilis, & æterna, quęcunq; veritas creata etiam contingens, postquam semel est, habet necessariã connexionem cum diuina, & idcirco intellectus diuin⁹ necessario ex suppositione terminatur ad illam: bonitas vero creata ex vi actus liberi voluntatis diuinæ ad ipsam ab æterno terminati, necessario est pro eo tẽpore, quo Deus illam esse voluit: omne vero bonum actu, qua est actu, habet necessariam connexionem cum summo bono, à quo pendet: & idcircò est terminus actualis voluntatis increatæ, quę necessario fertur in omne, quod actu participat bonitatem, quatenus illam participat, sicut enim intelligi nequit actus liber voluntatis diuinæ sine effectu aliquo ad extra, aut negatione ipsius, ita etiam fieri nequit, vt sit effectus sine actuali volitione Dei: quæ non ideo dicitur libera, quia ipsa secundum propriam entitatem liberè procedat à voluntate diuina, sed quia liberè terminatur ad creaturas, vt ad obiectum secundarium.

VI. Hic discursus probat necessario permanere actus Dei liberos vsque ad illud tempus, quo permanent effectus ad extra: non ostendit autem, cur ipsi desinente effectu permanere debeant: nam si actualis participatio bonitatis diuinæ est sola ratio, cur actus voluntatis necessario terminetur ad creaturam, postquam effectus est sublatus, & nequaquam participat actu bonitatem diuinam, cessat necessitas permanentiæ, & terminationis eiusdem actus ad effectum, siue obiectum. Hoc argumentum non dissoluit fundamentum iactum. Nam bonitas creata pro aliqua differentia temporis existens, ac participans diuinam semper est obiectum actualis volitionis diuinæ, sicut veritas intellectionis: nam quemadmodum veritas, quæ semel respectu temporis fuit de præsenti, postea manet de præterito, quin habeat eiusmodi temporis differentias in æternitate Dei, & ideo semper præsentialiter videtur à Deo existere pro eo tempore, quod respectu nostri nunc est futurum, nunc præsens, nunc præteritum. Ita quoque actualis bonitas creaturæ secundum existentiam, quam habet in aliqua differentia tẽporis, licet respectu nostri subeat varias tẽporis differentias, respectu Dei nõ habet successionem: Deus enim sicut semper vi-

det rem illam existẽtem pro certo tẽpore, ita semper vult illam pro eo tempore existere, semperq; sibi complacet in eius existentia, siue ea ratione tẽporis sit præsens, siue prẽterita, siue futura. Itaq; vt hoc fundamentũ immutabilitatis ad pauca reducamus, ex suppositiõe actus diuini liberi necessario sequitur effectus aliquis ad extra, vel eius negatio: expositione aũt eiusdem effectus necessario sequitur permanentia actus voluntatis, quo Deus vult illius existentiam pro aliquo tempore, in eaque cõplacet: ex eiusdem effectus positione sequitur immutabilis veritas, qua data fieri non potest, vt intellectus diuinus illam nõ percipiat, &, cum immutabilitas secũdùm actus liberos non sit absoluta absque suppositione, non requirit etiam necessitatem absolutam existẽtiæ ipsorum actuum prouenientem ex natura terminorum: sed solum exigit conditionatam, siue ex suppositione, qualis est ea, de qua paulò antè dictum est.

Deus non est mutabilis secundùm substantiam in totum.

Caput VI.

I. Dictum est de propria radice immutabilitatis diuinæ, nunc excludendæ sunt in particulari singula genera murationum: incipiam vero à substantiali, cuius Deum incapacem esse de fide est, vt cõstat ex Apost. Paulo 1. ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili soli Deo honor, & gloria:* Itemque ex illo Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* quæ loca de incorruptibilitate, siue immortalitate diuinæ substantiæ Patres communiter interpretantur: Suadetur verò argumento etiam ex fide petito. Nam fieri nequit, vt deficiat vita eius, qui est fons vitæ: apud Deum vero est *fons vitæ:* Psalm. 35. siue potius ipse est fons vitæ: quare fieri nequit, vt vita ipsius deficiat. Præterea fieri nequit, vt desinat, aut incipiat esse, aut viuere id, quod est, aut viuit per essentiam: Deus autem est per essentiam, vt patet ex illo, Exod. 3. *Ego sum, qui sum.* Viuit per essentiam, vt patet ex illo Christi, Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso.* Idem enim est habere vitam in se, atque habere ex se, & per essentiam, neq; dependentem à causa alterius naturæ: vt obseruant Augustin. contra sermonem Arianorum cap. 17 Prosper. in sententijs collectis ex Augustino sentent. 366. & alij Patres: ergò fieri nequit, vt Deus incipiat, aut desinat esse ac viuere: & consequenter verè immortalis est, nec vllo modo secundùm substantiam mutabilis: Oportet tamen excludere singulos modos mutabilitatis secundùm substantiam: in primis autem dicam hoc capite de mutatione secundùm totum, sequẽte verò de mutatione secundùm partem.

1. ad Tim. 1. Psalm. 101. Psalm. 35. Exod. 3. Ioan. 5. Augustin. Prosper.

II. Dico primum. Deus non est mutabilis secundum substantiam in totũ, ostenditur facilè primo, quoniam omne subiectũ mutabile in totũ est ens potentiale: Deus, cùm sit actus purus, non est potentiale: ergò neque mutabilis substantialiter in totum. Secundo Deus est primum ens, & prima causa: ergò non est corruptibilis in totum secundùm substantiam. Consequentia perspicue ostenditur: nam omne, quod mouetur, siue mutatur ab alio mouetur, vt ait Philosophus libr. 7. Physic. cap. 1. neque fieri potest, vt idem secundùm idem omninò sit agens, & patiens: atque adeo, cum subiectum, quod mutatur substantialiter in totum, sit patiens secundum omnem sui partem, fieri nequit vt à semetipso moueatur in totum, sed requirit agens aliud, à quo moueatur: primum ens est à se, & ante omnia entia: ergo non habet aliud, à quo accipiat esse, est prima causa: ergo non subiacet actioni vllius agentis extranei, à quo substantialiter transmutetur. Aristot.

III. In particulari verò non posse mutari Deum secundùm totum à non esse ad esse, siue à nõ subiecto totali in subiectũ totale probat Henric. in sum. art. 30. q. 1. & Anselm. in Monolog. cap. 5. vbi proponit quæstionem huiusmodi: quod nõ est aliquo faciẽte, aut nihil est: aut, si est aliquid, est per nihil. Respondet verò neq; esse ab aliquo faciente, neque per nihil, aut ex nihilo: sed ex se, & per se, non quidẽ materialiter, aut efficienter, sed formaliter, sicut lux lucet per se ipsam. Ex quo facilè concluditur institutum, id cuius esse, ac viuere est effectus formalis propriæ naturæ, & essentiæ non participatę ab alio, ex se ipso necessario existit, ac viuit absque actione alterius principij extranei: esse, ac viuere diuinum est quasi effectus formalis Deitatis: ergo Deus necessario ex se ipso viuit, & non potest subijci actioni productiuæ alterius agentis. Ex eodemque principio concluditur non posse transire ab esse ad non esse simpliciter, siue mutari secundùm totum à subiecto in non subiectum: nam mutatio ab esse ad non esse supponit potentialitatem subiecti, & indifferentiam ad esse, vel non esse: quod autem non est per causam extrinsecam, sed vendicat ipsum esse à se, & per Henricus. Anselm.

& per essentiam, semper est ens actu absq; indifferentia ad non esse simpliciter: quare sicut hæc indifferétia repugnat Deo, ita & mutabilitas ab esse ad non esse, quæ in illa fundatur. Prætereà quod transmutatur ab alio de esse ad non esse, siue ad purum nihil, dependet quoad suum esse ab alio: non enim vertitur aliquid in nihilum influxu actiuo agentis, sed substractione influxus conseruantis: non est autem vlla causa efficiens, à qua Deus pendeat in fieri, & conseruari: quoniam nec fit, nec conseruatur, sed idem semper ex se ipso est: ergò neque potest transire de esse ad non esse simpliciter: idem probat Henricus in sum. art. 30. q. 2. à simplicitate diuina & indistinctione essentiæ ab existentia; nam cum in Deo idem sit esse & essentia: hæc verò non possit deficere, neque illud poterit.

IV. Hæc perspicua sunt, neque ab vllo negantur, si sermò sit de mutatione, quæ est inter terminos contradictorios, hoc est de non esse simpliciter ad esse, ac viceuersa: De ea, quæ est inter terminos positiuos, hoc est, de conuersione substantiali nonnulli dubitarunt; imò possibilem esse, & de facto interuenisse in Verbi incarnatione asseruerunt. Ita quidem apud Diuum Cyrillum libro de recta Fide, ad Theodosium paulò pòst initium: hi enim cum indecens iudicarent, vt Verbum Dei manens secundùm propriam naturam subijceretur conceptionis, & partus indignitatibus, asseuerunt diuinam eius naturam in terrenum corpus transijsse. Alij, quos refert Diuus Thomas 3. p. quæst. 2. art. 1. fingebant transmutationem non ex diuina natura in humanã, sed ex vtraque in vnam tertiam: ad modum, quo ex elementis transmutatis fit mistum. Potest verò suaderi, quoniam non repugnat vnam rem conuerti in aliam, & manere secundùm propriam substantiam, vel in re, in quam conuertitur vel alibi in re ipsa, sicut elementa conuertuntur in mistum, & tamen de multorum sententia manent in ipso secundùm propriam substantiam: alibi verò, vt si corpus Christi, quod sumitur in Eucharistia, reuera conuerteretur in substantiam eorum, qui ad sacram mensam accedunt: adhuc enim maneret in Cœlo, vbi semper est: ergò non est impossibile, vt Deus aliquo ex his modis conuertatur in creaturam. Vterq; dicendi modus, quatenus pertinet ad factum, & aduersatur veritati incarnationis Dominicæ excludens à Christo veram naturam diuinam, vel humanam, confutari solet in materia de incarnatione: quatenus verò aduersatur immutabilitati diuinę ad hunc locum spectat eius impugnatio.

V. Dico primum. Impossibile est, vt Deus vllo modo conuertatur in creaturam. Hęc est sententia communis Scholasticorum. Ita Sanctus Thomas 3. p. q. 2. art. 1. & lib. 4. contra Gentes cap. 31. cum Ferrariensi, & in 3. d. 5. q. 1. art. 2. Henric. quodlib. 11. q. 4. Scot. in 4. d. 11. q. 2. §. *Hæc quæstio*, Durand. in 3. dist. 5. q. 2. num. 10. Richard. a. 4. q. 1. Mayron. in 4. d. 11. q. 16. §. *Deinde*, conclusione 4. Bassol. quæst. 2. art. 1. Argent. q. 1. articul. 1. conclusione 1. Palat. quæst. 2. in fine. Sotus dist. 9. quæst. 2. artic. 4. in fine. Maior. dist. 11. quæst. 1. §. 1. coroll. 2. Marsilius q. 8. art. 1. ad primum dubium. Est item communis doctrina Patrum. D. Augustin. lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 10. *Iam verò*, inquit, *aliquid substantiæ, atque naturæ*, (nimirum diuinæ de qua loquitur) *cõmutationem, vel conuersionẽ aliquo modo pati posse, si quis opinetur mirę dementię, impietatisque damnabitur*: Et Epist. 102. *Illud*, inquit, *in his maximè cauendum est, ne cuiquã Dei natura cõmutabilis, & conuertibilis esse credatur.* Et infrà, *summæ & ineffabilis Trinitatis inuisibilem, incommutabilemq; naturam ab omni cõuertibilitate, siue in melius, siue in deterius, siue in quodlibet aliud, atq; aliud remotam, atq; discretam, vel sine vlla dubitatione credamus, vel qualicunq; etiam intelligentia capiamus*: & l. 3. contra Maximin. c. 12. *Per hoc solus*, inquit, *Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed natura sua, nec potuit, nec potest aliqua conuersione mutari.* Anastas. Synaita l. 4. de rectis fidei Catholicę dogmat. *Omni*, inquit, *conuersione, & mutabilitate diuina natura est superior*: Theodor. dialog. 2. qui dicitur *inconfusus*, ex Ambrosio in expositione fidei. *Quia Christus*, inquit, *secundùm beatam diuinitatis substantiam est perpetuo inconuertibilis, immutabilis, impatibilis, immortalis, &c.* Origen. l. 1. Periarch. c. 2. *Sapientia Dei, quæ est vnigenitus filius eius, quoniã in omnibus inconuertibilis est, & incõmutabilis, & substantiale in eo omne bonũ est, quod vtiq; mutari, atq; cõuerti nunquã potest, &c.* Chrys. hom. 10. in c. 1. Ioan. expressè negat id cadere in potentiã diuinam? Ait enim: *si qui dicerent omnia in Dei esse potestate, & idcirco in carnem potuisse transferri, id ei respondebimus, Deum profecto omnia posse, quousq; Deus permanet, si aũt mutaretur, & in deterius, quonam pacto Deus amplius esse posset? longè enim ab immortali illa natura est trãsmutatio*: indicans fieri nõ posse vt Deus conuertatur in alteram substantiã, & maneat Deus. & Homi. de fide in Chr[illegible] initio, quæ habetur tom. 3. Deitatem dicit esse inconuertibilem in substantiam creatã.

S. Thom. *Ferrarien.* *Henricus.* *Scotus.* *Durand.* *Richard.* *Mayron.* *Bassol.* *Argentin.* *Palat.* *Sotus.* *Maior.* *Marsilius.* *Augustinus.* *Anastasius.* *Theodoret.* *Ambrosius.* *Origenes.* *Chrysost.*

Tandem

Cyrill. Alex. Tandem Cyrillus vbi supra, oppositum errorem vocat deliramentum, & insaniam dicens, ita esse proprium Dei esse immutabilem, & inconuertibilem, vt creaturæ esse mutabilem, & lib. 10. contra Iulianum non longe à principio ait, Verbum diuinum nullam passum fuisse mutationem in id, quod non erat, quia *conuersionis expers est*. *Synod. Alex.* Tandem ipse cum Synodo Alexandrina in Epistol. ad Nestorium, quæ habetur tom. 1. Actor. Concilij Ephesini cap. 14. inquit, *Neq; carnem in diuinitatis naturam versam, nec contrà rursum ineffabilem illam naturam in carnis substantiam transmutatam asserimus. Est enim Deus inde mutabilis nulliq; alterationi obnoxius; semper idem, suique similis, vt scriptum est, manens.*

VI. Fundamentum est quoniam id, quod in aliud transit, desinit vtiq;, ac corrumpitur: Verbum aũt Domini manet in æternũ, & Deus semper idẽ ipse est, & anni eius non deficient: quare non potest transire, vel mutari in aliud. Ex quo patet fieri nõ posse, vt Deus simpliciter cõuertatur in aliud, nullibi manens. Non posse autem cõuerti modis in argumento indicatis, in primis autem manendo in termino ipso conuersionis; probatur, quoniã repugnat manere terminũ à quo alicuius motus simul cum termino ad quẽ: ergo fieri nequit, vt Deus cõuertatur in creaturã, & nihilominùs maneat in ipsa secundũ esse, quod habebat: si enim manet iam non est conuersio ex toto in totum. Alter modus quamuis nõ sit impossibilis creaturæ, est tamen impossibilis Deo: non est impossibilis creaturæ: quoniã si sit in duobus locis, non repugnat vt ex vi desitionis eius in vno loco incipiat ibidem existere res, in quam conuertitur, quin ipsa desinat esse in alio: nam sicut corpus Christi Domini, existens in vno loco naturaliter, incipit esse alibi sacramentaliter, ita quæuis res naturalis, si sit in duobus locis, potest manere in vno, etiamsi desinat esse in alio vt conuertatur in aliam rem. Hoc verò repugnare Deo patet, quoniam quidquid desinit in vno loco amittit aliquod esse actuale & re ipsa mutatur: Deum verò amittere proprium esse, aut re ipsa mutari repugnat: ergò fieri nequit, vt hoc cõuertatur in aliquid. Idem suadetur exposito fundamento causæ primæ: nam quod desinit alicubi secundùm se totum, desinit ex suspensione influxus conseruantis: Deus non eget eiusmodi influxu: ergò nequit conuerti in creaturam, & si secundùm se alibi maneat. Deniq; conuersio per cõmistionem habet adhuc specialem repugnãtiam, quoniam destruit simplicitatem diuinam, quod enim commiscetur; & ipsum subdit rationem partis eius, quod ex mistione resultat: & constat ex partibus, quarum diuisione, atque alteratione permiscetur cum alijs, quæ veniunt in compositionem misti: ratio autem partis prorsus repugnat simplicitati diuinæ: ergò etiam repugnat mutatio, siue conuersio per mistionem.

VII. Motiua erroris oppositi sunt frtuola omnino: & in primis id, quod sumitur ab indignitate eorum, quæ CHRISTVS passus est. Absurdum quippè est immutabilitatem Dei è medio tollere, vt ne putetur Deus indigna passus, dum in natura assumpta passionibus ipsius subiacet: quod imbecillitas humanæ mentis non capit: sed respondere libet cùm Tertulliano lib. de carne Christi cap. 5. *Tertullianus.* *Quodcunque Deo indignum est, mihi expedit: saluus sum, si non confundar de Domino meo: alias non inuenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter stultum: natus est Dei Filius, non pudet, quia pudendum est*, &cætera; quæ fusè prosequitur contendens ob amorem suum erga nos ea, quæ nobis ignobilia, & stulta videntur, assumpsisse Dei Verbum. Cauendus est tamen Tertullianus eodem libr. capit. 3. quo ad modum loquendi: qui tametsi non admittat in Deo mutationem, quoniam Verbum etiam post incarnationem fatetur perseuerare in forma Dei, concedit tamen conuerti in creaturam posse, & hoc putat differre Deum à cæteris rebus, vt ipse conuertatur in illas, & permaneat, illæ vero dum conuertuntur pereant, sic enim ait. *Sed nihil Deo par est, natura eius ab omnium rerum conditione distat: si ergo quæ à Deo distant, à quibus Deus distat, cum conuertuntur amittunt, quod fuerunt, vbi erit diuersitas diuinitatis à cæteris rebus, nisi vt contrarium contineat: id est, vt Deus, & in omnia conuerti possit, & qualis est perseuerare*; sed abusiuè, & impropriè vtitur Verbo conuersionis pro exinanitione personæ diuinæ, & assumptione naturæ creatæ: nam propriè loquendo, vt ipse sibimet obijcit, *conuerti in aliud finis est pristini. Planè natura conuertibilium ea lege est ne permaneant in eo, quod conuertitur in eis: & ita non permanendo pereant, dum perdunt conuertendo, quod fuerunt*: quibus verbis satis indicat principium illud Philosophicum, nempè terminus à quo conuersionis desinit esse in se, desinere verò in se vllo modo penitus abhorret à Deitate: & consequenter non concedit Deo eam conuersionem,

de qua

de qua loquimur, sed assumptionem naturæ alienæ ad substantiam diuinæ personæ vocat impropriè conuersionem.

VIII. Pro solutione argumenti in contrarium suppono conuersionem esse duplicem: alteram in totũ, quomodo substantia panis conuertitur in corpus Christi, nihil enim manet de substãtia panis: alteram verò secundum partẽ, quomodo alimentũ cõuertitur in substantiã aliti, nõ secundũ totum, quia materia alimẽti manet sub forma aliti, sed in partem, quia forma viuẽtis succedit formæ alimenti. Et quidẽ subiectum, quod priore modo conuertitur, repugnat omninò manere secundùm aliquid sui intrinsecum simul cum termino ad quẽ, hoc enim ipso iam nõ esset conuersio secundũ totũ, subiectũ verò, quod posteriore modo conuertitur in aliud, non repugnat vt maneat secundùm aliquid sui. Hoc posito respõdetur conuersionẽ, de qua agimus, esse in totũ: atq; adeo quamuis eleméta, quorum conuersio in mista non est in totũ, sed secundũ partem, maneãt in misto, nõ proinde si Deus cõuerteretur in creaturã manere posse in eadẽ. Respõdeo præterea mistionem nõ esse proprie conuersionẽ: nam de ratione mistionis est, vt mistilia maneant, vt docet Aristot. lib. 1. de gener. c. 10. de ratione verò cõuersionis est, vt id, quod conuertitur, desinat. Quamuis autẽ sit controuersia inter Philosophos vtrũ elementa sint formaliter in misto necnè? certum tamen est elementa conuersione illa, quatenus purè substãtialis est, mutari: nam si nõ manent formaliter, res est perspicua, corrũpuntur enim substantialiter: si verò formaliter manent, aut secundũ totum, aut secundum partẽ, si solum secundum partem adhuc datur corruptio, saltem partialis: si manent secũdùm totum, necesse est vt recipiant formam substantialem misti, vt asserunt illi, qui censent manere formaliter: omnis verò receptio formæ, vel actus mutatio est, & ideo licet hic modus sit posibilis enti creato, non proinde erit Deo, cui repugnat omnis omninò mutatio. Non item alius, qui fingitur per desitionem in vno loco, & per manentiam in alio: tum quia ratione immmensitatis repugnat Deum non esse in aliquo: tum quia etsi hoc non repugnaret ratione immensitatis, adhuc non repugnat ratione immutabilitatis: quod enim desinit secundùm se totum esse alicubi, opus est vt antea habuerit ibi aliquod esse, vel modum entitatiuũ, quo nunc de nouo careat: hoc verò repugnat actualitati, & necesitati diuini esse, quod non potest nõ esse actu: & consequenter implicat contradictionem, vt sit de nouo sub priuatione alicuius esse, quod antea habuerit.

IX. Alius fuit error quorundam, quorum meminit Cyrill. vbi suprà asserentium humanitatẽ conuersam fuisse in Deitatẽ, quæ sententia, vt respicit factum, est hæretica: quoniam euacuat veritatẽ incarnationis, & humanitatis Christi, vt ostẽditur in materia de incarnatione. Tamen non esse impossibile, vt creatura cõuertatur in Deum: Probatur primò, quoniam quemadmodũ fieri potuit, vt verbum diuinum absq; vlla mutatione sui assumeret naturam humanam, & dependentiam eius terminaret, ita quoque non videtur repugnare, vt Deitas absq; vlla mutatione terminet conuersionem creaturæ in se. Secundò terminus ad quẽ conuersionis præexistens nõ mutatur per conuersionẽ: ergò non repugnat conuerti aliq d in Deũ. Antecedens patet, quoniã corpus Christi, in quod terminatur sacramẽtalis cõuersio panis, præexistit secũdùm naturalem existendi modũ, neq; per conuersionẽ subit vllam mutationẽ, vere enim est vbi, & eodem modo, quo erat in Cœlo: similiter ergò fieri poterit, vt Deus existens, ac manens in se ipso, vt antea, sine vlla mutatione sit terminus conuersionis creaturæ in ipsum. Deniq; vt ait Philosophus lib. 11. Met. cap. 10. termini actionum manent immoti: vt perspicuum est in motu locali, qui terminatur ad locum immobilem: non repugnat igitur immutabili naturæ diuinæ extrinsece terminare conuersionem creaturæ in se.

Cyrill. Alex.

Aristot.

X. Dico secundum. Repugnat omninò vt Deus sit terminus cõuersionis creaturæ in ipsum, hæc est cõmunis Theologorum. S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 1. & in 3. d. 5. q. 1. ar. 2. Scot. quodli. q. 10. ar. 1. in respõsione ad autoritatẽ Boetij cũ Lycheto ibid. & in 4. d. 11. q. 2. §. *Hæc quæstio.* Durand. vbi sup. Mayron. §. citato concluſ. 3. Palud. in 4. d. 11. q. 2. numer. 16. & 51. Capreol. q. vnica, ar. 3. ad 2. Scoti cont. tertiã concluſ. Gabriel. q. 1. ar. 1. notabili 1. & ar. 3. dub. 3. & lect. 40. in Canon. lit. D. & F. Ledeſ. prima quarti q. 16. artic. 4. dub. 5. Henrici, Richard. Marſil. Baſſolis, Argent. & Soti vbi suprà. Oppositum verò errorem D. Cyrill. vbi suprà, appellat ruditatem magis indoctam, quam sit præcedens; sic enim ait: *Sane tempus est illorum ruditati respondere, qui indoctius contendunt, quod nõ sit indignum etiam terrenam carnem in diuinitatis naturam transire posse, & fieri complexionem summæ omnium substantiæ,* vbi notandum Cyrillum non agere de facto, sed etiam de posibili, & cùm Synodo

S. Thom. Scotus. Lychetus. Durand. Mayron. Paludanus. Capreol. Gabriel. Ledesm. Henricus. Richard. Marsilius. Basſol. Argentin. Sotus. Cyrillus.

Alexan-

Alexandrina Epistol. citata eam conuersionem reijcit, vt contrariam immutabilitati diuinæ. Probat verò Henricus vbi suprà ex infinita distantia inter Deum, & creaturam: non quidem ex eo, quod hæc transiri nequeat: nam infinita distantia, inquit, transiri potest virtute omnipotentiæ infinitæ, sed quia id, quod conuertitur non omninò desinit, sed manet in termino conuersionis: ita vt conuersum sit aliquid eius, in quod conuertitur, & viceuersa, impossibile verò est, vt quod est finitum, dicatur manere per id, quod infinitum est: additautem in solutione ad primum huiusmodi conuersionem non esse impossibilem, ex eo quod per eam Deus mutaretur. Hoc autem fundamẽtum non est firmum: tum quia controuersia est inter Theologos vtrum ad omnem conuersionem necesse sit manere aliquid cõmune vtriq; termino: an verò sufficiat, vt vnum incipiat ex vi desitionis alterius: tum verò quia, etsi id concedatur, adhuc non appareret cur finitũ manere nequeat ratione infiniti; nam, cum hoc contineat eminenter omne finitum, si vnum finitum manere potest ratione alterius, etiam manere potest ratione infiniti. Iam verò id, quod addit, falsum est, vt statim ostẽdam. Fundamentum igitur est, quoniam vt notant cõmuniter Doctores citati, vna ex præcipuis cõditionibus cõuersionis est, vt ex vi eius terminus a quo aliqua ratione desinat, & terminus ad quem incipiat, vel simpliciter, vel nouo aliquo modo: Deum verò incipere simpliciter impossibile est, quia æternus: nouo autem modo intrinseco item impossibile, quoniam esset impotentia ad illũ, & consequẽter accessione eius mutaretur. At inquient, nõ opus esse nouo modo intrinseco ad conuersionem, & sat esse extrinsecum, sed quomodo id fieri possit nõ video: nam terminus ad quem conuersionis debet intrinsece illã terminare: actiones enim substantiales ad substantiam terminantur: si ergò creatura conuertitur in Deum, ita in illum desinit vt ex vi desitionis succedat substantiale aliquid nouum in Deo: etenim conuersio, vt oẽs admittunt, integratur quodammodo ex duabus mutationibus, negatiua vna, positiua altera: illa procedit ab esse rei conuersę ad nõ esse ipsius, hæc ab aliquali non esse rei, in quam fit conuersio, ad esse ipsius, & hi sunt per se termini conuersionis: quare, si in Deum fit conuersio, aliquid diuinum intrinsece est terminus ipsius: imò, & subiectum: nam cõuersio ea ex parte, qua est positiua, subiectari nequit in termino à quo, qui esse desinit: non datur subiectum commune vtriq; termino: ergo solum restat terminus ipse ad quem, hoc est diuinitas, in qua suscipiatur, atq; inhæreat conuersio: quod sine mutatione fieri est impossibile. Scot. vbi suprà vtitur hac ratione, nõ minus excedit natura diuina quamcunq; potentiam actiuam in ratione termini, cum sit omnibus modis infinita, quã natura creata omnem potẽtiam naturalem creatam, sed per nullam vim creatam potest lapis conuersione totali mutari immediatè in aliud ens creatum: ergò nulla prorsus potentia verti potest in Deum. Quæ argumentatio non videtur efficax: quoniam similiter probabit aliquis fieri non posse, vt persona diuina copuletur hypostatice naturæ creatæ. Siquidẽ nulla vi creata fieri potest, vt persona creata veniat in vnionem hypostaticam cum aliena natura: Et quidem si nihil addatur, aut explicetur, ratio non est adæquata. Addendum vero est id, quod ipse Scotus subindicauit illis verbis: *in ratione termini*: quoniã de ratione termini intrinseci actionis, de quo intelligendus est Scotus, est vt cadat sub potentiam causatiuam: diuinitas autem, vt idemmet notat, nequit esse terminus potentiæ causatiuæ: vt necessario foret, si aliquid in ipsam conuerteretur. Quare nequit esse terminus ad quem conuersionis: At in incarnatione persona Verbi non est terminus intrinsecus potentiæ causatiuæ, datur enim in natura vnio, quæ est formalis terminus actionis.

XI. Ex quo perspicuum redditur discrimen inter terminationẽ extrinsecam dependentię naturæ assumptæ à Verbo, vt ab extremo vnionis, & terminationẽ formalem, & intrinsecam actionis conuersiuæ à Deitate, vt à termino ad quẽ formali: nam illa nõ opus est, vt intime insit Verbo, sed naturæ: & proinde solum importat denominationem, & connotationẽ extrinsecã, sine vlla mutatione Verbi: terminatio aũt formalis actionis conuersiuæ non habet aliud, cui intime, & formaliter inhæ, quam terminum ad quem: & proinde necessario infert mutationẽ. Deinde terminatio extrinseca Verbi sustentantis naturam potius est collatio alicuius modi essendi cõmunicati naturæ à Verbo. At terminatio actionis conuersiuæ non ponit aliquid ex parte creaturæ, quod Deus dando esse extrinsece terminet: nam creatura desinit in Deũ, sed exigit nouũ modum, aut rationẽ essendi, quæ ex vi cõuersionis exoritur in termino illius, quod repugnat Deitati. Ad secundũ distinguẽdum est antecedens, etenim ter-

minus

minus conuersionis præexistens considerari potest, aut præcise secundùm modum existendi, sub quo præcedit cõuersionem, vel secundùm eum, sub quo illam terminat, si priore modo sumatur, verum est antecedens: sed nihil confert ad institutum: nam, quamuis res aliqua non mutetur secundùm modum essendi, quem præhabet, mutari nihilominùs potest secundùm alium, quem de nouo habet, vt patet in anima rationali, quãdo per ad generationem, introducitur in nouas partes materię: nam secundùm modum existentiæ, & vnionis ad partes, quas antea informabat, non mutatur ex eo, quod de nouo copuletur aliis: tamen secundùm quod per motum nutritionis coniungitur de nouo partibus alimenti conuersionis in substantiã aliti, verè subit mutationem, si verò antecedens intelligatur secundo modo, negandum est: neque argumentum sumptum ex transubstantiatione panis in corpus Christi, illud confirmat: nam corpus Christi, licet non mutetur in Cœlo vbi existit modo naturali, mutatur tamen secundum essendi nouum, qui ipsi accidit in singulis substantiis consecratis, sub quibus incipit esse ex vi conuersionis panis in ipsum. Aristoteles autem cùm asserit terminos mutationum esse immotos, loquitur de mutatione maximè propria, quę supponit subiectum aliquod substratum successiuè vtriq; termino mutationis: quod non cõuenit formis, quæ per mutationem incipiunt, vt videre est in ipsa sanitate, atque scientia, quarum exemplo vtitur Philosophus: cum quo tamen stat, vt iuxta ea, quæ dicta sunt cap. 1. dicantur mutari aliquo modo: in Deo aũt, cui etiam autore D. Iacobo in sua Canonica c. 1. repugnat vicissitudinis obumbratio, nulla prorsus mutatio admittenda est. Porrò argumentum sumptum à motu locali nõ est accommodatũ: Nam motus idcò nõ arguit mutationem in loco, quia ad ipsũ terminatur extrinsece, & recipitur in mobili: at vero cõuersio, vtpotè actio positiua inesse debet intrinsecè alicui ex terminis, nõ termino à quo, is enim abiicitur, ac desinit cum fit conuersio, ergò necessario inerit termino ad quem: qui proinde non potest non esse subiectus mutationi: & ideo licet locus, qui est terminus motus localis, sit immobilis, non proinde erit immobilis forma, siue entitas, quæ est terminus ad quem conuersionis: hæc enim terminat intrinsece conuersionem, & subiectat illam saltem, vt quo: omne autem subiectum mutationis passiuæ re ipsa mutatur.

Iacob. 1.

Deus expers omnino est mutationis substantialis in partem.

Caput VII.

I. TRes sunt mutationes substantiales in partem: prima generatio, & corruptio simpliciter: secũda partialis corruptio, & generatio, quæ interuenit in augmentatione, & decretione viuentiũ: tertia deniq; diuisio, qua pars aliqua integrans secernitur, ac diuiditur à cæteris, vel coagmentatio, ratione cuius substantia coalescit cum aliis ad constitutionem vnius entis per se. His omnibus caret summa diuinitas, apud quam non est transmutatio: idque ab omnimoda ipsius simplicitate euidenter deducitur. Etenim tria hæc mutationum genera nõ aliter fiunt, quã per mutuam coniunctionem, vel dissolutionem partium inter se: Deus est omninò simplex, & expers partium: ergo repugnat vt sit capax harum mutationum. Præterea mutationes hæ fiunt ab agente extrinseco contrario, & prædominante in passum, quod mutatur: Deo nihil est contrarium, cum sit infinita bonitas: nihil fortius, cum sit infinita potentia, non ergo erit obnoxius eiusmodi mutationibus. Denique omnes hi modi mutationis ex sua propria ratione arguunt imperfectionem in Deo: nam quæuis mutatio ex his positiua supponit in subiecto priuationem formæ, aut perfectionis acquirendæ cũ potentialitate ad ipsam, quæuis autem destructiua est suo modo corruptio: hæc verò malum, & imperfectionem importat, quoniam vt ait Augustinus *Augustin.* lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 35. *Omne, quod corrumpitur bono aliquo minuitur:* sed hæc clariora sunt, quàm vt longiore probatione egeant.

II. Circa hanc materiam turpiter errarunt Manichæi, qui Deitatem ita partibus diffusam existimarunt, vt vno ex latere contingeret terram tenebrarũ, & ab ipsa quasi cuneo fissa, atque hiulca maneret, vt refert Augustin. lib. cont. Epistol. fundamenti c. 21. *Manichæi.* *Augustin.* Quin verò absurdius aliud fingebãt: nempè cum gens tenebrarum, quam Deo contrariam, atq; inimicã constituebant furore percita aduersus illam consurgeret, Deum partem aliquam sui in tetram illam substãtiam coniecisse, vt ipsius cõmixtione eam refrenaret, & à summo furore reprimeret: & ita asserebant mundum fabricatu ex natura boni, ac mali commista: partem verò

illam diuinam ex omni parte mundi quotidie purgari, & in sua regna resumi: Ita
Augustin. Augustin. conscius Arcanorum sectæ Manichęi refert, lib. 2. de morib. Manich. c. 15. quæ ibidē fusè redarguit. Verùm tam manifesta insania se ipsā prodit. Nam si Deus aliter non potuit resistere genti illi tenebrosæ, quam abscissa parte sui, infirmus sanè, atq; impotens est: si potuit, imprudens fuit, cum maius sibi detrimentū sponte intulit, quam pati poterat ab aduersarijs. Deinde si pars illa diuina illigata est atque immista terræ, aut genti tenebrosæ, tenetur vtiq; vi aliqua maiore, nexuq; firmissimo, à quo deinde quomodo euadet, nisi accedat vis aliqua maior? nam si seipsam ex mistione illa posset eximere, non vtique tam diu in tenebris, & squalore iaceret contra naturam lucis: cuius ad tenebras nulla conuentio est, aut societas. Valeant igitur hæc somnia sacrilega: nam fides Deum vt simplicem, ita impartibilem agnoscit.

III. Contra verò Ariani, vt impartibilitatem Patris sartam, tectamque tuerentur, in
Arrian. aliam insaniam incurrerunt, vt dicerent filium Dei non esse æternum, nec ex eadem Patris substantia genitū: ita enim argumētātur apud Athanas. disputat. cont. Arium,
Athanasius. coram Probo iudice circa mediū: & apud
Cyrill. Alex. D. Cyrill. lib. 6. thesauri c. 1. quomodo æternus esse poterit filius, aut quomodo inseparabiliter emanauit ex Patre; nā, quod ex aliquo prodit, pars substantiæ est, vnde prodit: quod aūt semel separatum est, atq; diuisum, id totū esse non potest, quo argumento suadere conantur, si Deus filiū habeat consubstantialem, vtrumque mutandum; Patrem, quoniam generare non posset, quin partem aliquā substantiæ suæ filio communicaret, vt fit in reliquis generationibus substantialibus viuentium, & sic pateretur diuisionem, filium, quoniam non posset esse coæternus Patri, & propterea, si cæpit esse ex tempore, murationem subijt traductus de non esse ad esse. Verum hæc attingūt quæstionem de generatione Verbi, & ideo in materia de persona verbi ex instituto disputanda. Nunc breuiter perstringenda, quatenus oppugnant immutabilitatem Dei: & vt magis appareat difficultas addendum vnum, vel alterum argumentum. In primis verò se offert obscurus
Autor lib. de Speculo. locus ex Autore lib. de Speculo c. 27. apud Augustinum tomo 9. *Natura*, inquit, *diuinitatis tuæ immobilis est omnino, & immutabilis: personæ verò mobiles sunt secundum relationem non iuxta proprietatem.* Nam vel loquitur de mutatione actiua, aut extrinseca in tēpore, vel de æterna, & intrinseca, prima non minus cōuenit diuinitati ipsi, quam personis: ergò intelligi debet de mutatione æterna, atque intrinseca: quam excludit à natura diuinitatis, admittit in personis. Deinde si processiones diuinæ fierent in tempore, verè caderet mutatio in personas producentes, ac productas, sed ratio mutationis latè sumptæ non tollitur ex eo, quod sit ab æterno: ergò processiones diuinæ de facto sunt mutationes. Propositio illa est euidēs, quo ad personas procedentes: nam si processio fiat in tempore opus est, vt persona procedens esse incipiat: omnis aūt inceptio substantiæ mutatio est. Quod ad personas autem producentes supponitur à D. Am-
Ambrosius. brosio lib. 1. de fide c. 5. qui arguens contra Arianos infert Patrem, si generaret Filium in tempore, fuisse mutandum. *Nam si Pater*, inquit, *esse cœpit, Deus ergò primo erat, postea Pater factus est: quomodo ergo immutabilis Deus, si enim ante Deus, postea Pater, vtiq; generationis accessione mutatus est: sed auertat Deus hanc amentiā.* Probatur verò quoniam sublata generatione actiua nō est Pater: quare si hæc non fuit ab æterno, sed ex tempore Deus incēpit esse Pater in tēpore: & proinde mutatus est. Deinde omnis processio cōtinetur in potentia principij producentis, ex qua tàm processio ipsa, quàm persona procedens educitur in actum: ergo processio mutatio est: patet cōsequentia, quoniam omnis trānsitus de potentia in actū est mutatio, vt dictum est c. 1. tunc verò processio esset transitus de potentia in actum. Deniq; per processiones existunt in Deitate diuinæ relationes, tanquā germina, siue rami ab eadē radice Deitatis exorti, vt ait
Dionysius. S. Dionys. c. 2. de diuin. nom. p. 2. his verbis. *Filius enim & spiritus S. fœcundæ Deitatis, si fas est dicere germina plantata dicuntur.* Relationes autē sunt actus entitatiui, nec habent esse ex se ipsis, sed à personis, à queis procedunt: ergò saltem mutationis vmbram præ se ferunt.

IV. Dicendum nihilominus processiones diuinas, nequaquā esse mutationes, ita expressè docet Alens. 1. p. q. 4. m. 1. ad 5. & 6.
Alensis. & alij referendi in materia de Trinitate. Fundamentum est, quoniam omnis mutatio est à termino oppositō formę, ad quam est mutatio: terminus autē debet esse talis, vt suaptè natura possit dari in aliqua duratione ante formam ipsi oppositam: processiones aūt diuinæ nō ita se habent, nō enim generatio verbi procedit ab vlla forma positiue oppositā Deitati, aut filiationi: non item à negatione: vt contendit cōtra
Augustinus. Arianos Augustinus lib. de Fide, & Symbolo c. 3. & lib. 3. contra Maximin. cap. 14. & alij

Patres

Patres: tunc enim filius esset ex nihilo: atq; adeo creatura, quod est hereticum: cumq; omnis relatio diuina sit summe necessaria, simplex, & à se, hoc est non à causa extrinseca, fingi non potest aliquis terminus illi oppositus, à quo ipsa procedat: quare non habet vllam rationem mutationis. Deinde mutatio omnis est, aut recipitur in aliquo mutabili: per processiones verò diuinas nihil mutatur: ergo processio non est mutatio. Assumptio ostenditur, quoniam non mutatur essentia, non persona producens, aut procedens: & nihil est aliud, quod per diuinas processiones fingi possit mutari. Essentiam diuinam non mutari per se probat Scotus in 1. d. 5. q. 2. §. *Ideo tenendo*, quoniam essentia in diuinis processionibus nõ subit vicem materiæ, aut quasi materiæ: neque relationes comparatione eius habent vicem actus: & ideo cùm dicitur filius genitus de substantia Patris nõ est intelligendum quasi de materia: sed hoc spectat ad materiam de Trinitate, nunc verò Deitatem esse mutationis expertem facilè ostenditur. Etenim omnis Physica mutatio fit ab extrinseco principio: at Deitas ex se ipsa est trina, & vna: quare nõ ineſt illi potentialitas ad Trinitatem relationum constituentium personas, aut binarium processionum: omnis quippè potentia passiua est principiũ indifferens contradictionis, non magis determinatum ex se ad vnam partẽ, quam ad alteram: Deitas verò necessariò est vna, & trina: nec prius est in ea posse esse, quam ipsum esse: quo sensu rectè dixit Philoso. 3. Physic. t. 32. in æternis idem esse quod posse, quia in eo, quod suaptè natura æternum est, potentia vt sit non præintelligitur ipsi esse: nam omnis potentia huiusmodi, aut nititur capacitate ipsa subiecti, quod partim est actu, partim potentia, qualis est potentia hominis vt intelligat, vt sit iustus, vel sapiens: aut sola potentia actiua agentis extrinseci: qua ratione mundus, antequam crearetur, erat in potentia vt esset, per denominationẽ extrinsecam ab omnipotentia diuina: à qua condi poterat: essentia diuina non erat hoc posteriori modo in potentia, cum sit primum agens ex se, & non ex principio extrinseco, non item priore, quoniam id, quod est, secundum quod est, non est in potentia, sed secundum id, quod non est: Essentia verò semper est trina, & vna, neque in ipsa vnitas fuit vllo modo prior Trinitate: ergo nunquam fuit in potentia, vt esset trina: & consequenter neque ad processiones aut relationes personales, quibus est formaliter trina.

V. Iam verò personę producentes manifeste absunt à mutatione: nam, si agentia naturalia non hoc ipso, quo agunt, mutantur: cur in diuinis persona producens mutabitur? Quo argumento vsus est Cyrillus vbi suprà, quando ex illuminatione, & calefactione, quæ emanat ab igne & sole absque mutatione, ipsorum probauit generationem æternam fieri, absque mutatione Patris æterni. Quæ similitudines quoad hoc aptæ sunt, quamuis in aliis differant. Personę igitur diuinæ, quatenus cum causis secundis conueniunt in ratione analogica productionis actiuæ, non mutantur. Ex propria autem ratione nihil addũt ex quo mutari dicantur: nam ita producẽdo personas communicat naturam, vt non per partes, ac diuisionem tribuant dando partem sui, & partem retinendo, sed ita totam naturam, & virtutem procedentibus communicant, vt totam quoq; in se ipsis habeant: & proinde, nec in ipsis minuitur essentia, nec in procedentibus diuiditur, aut separatur: sed tota est in singulis, & tota in omnibus, ratione cuius dicitur pater esse in Filio, filius in Patre, spiritus S. in vtroque, & viceuersa: quia omnes tres personæ vnũ sunt. Cùm igitur omnis mutatio consistat in obiectione, aut acquisitione alicuius actus intrinseci, ad quem mobile est in potentia, consequens est vt personæ producentes, quæ nihil producẽdo amittunt, aut acquirũt, immobiles omninò perseuerẽt; At, inquiet aliquis, generatione actiua resultare in prima persona relationẽ paternitatis, & spiratione actiua in prima, & secunda relationem principij spirãtis: huiusmodi verò relationes, vtpotè reales, & subsistentes, actus entitatiui sunt; ergò videntur mutatione aliqua pullulare in essentia, & aduenire personis. Verùm hæc obiectio facilè dissoluitur: hæc enim resultatio non est actio vlla, vel passio, aut quidpiam ex natura rei distinctum ab essentia, vel persona producente: sed est ipsamet relatio, vt concepta à nobis per modum resultationis, cũ id, quod est simplex, & omninò indiuisum, ratione distinguimus: conceptio verò nostra non ponit in re, neque ex nostro modo concipiendi dependet ratio mutationis realis. *Cyrill. Alex.*

VI. Denique neque personę productæ mutantur processionibus ad ipsas terminatis: quæ veritas deducitur ex eodẽ principio, quo nititur immutabilitas essentiæ, nempè summa actualitate, ac necessitate processionum, & personarũ procedẽtium: Quidquid enim mutatur, vt dicebam cap. 1. procedit saltem à non esse potentiali ad esse

actuale, vel ab hoc ad nō esse: processiones diuinæ nō sunt ab esse ad non esse, vt patet: neque procedūt à non esse actuali, vt fides docet, quoniam æternę sunt: nō à non esse potētiali, quoniā necessariæ sunt, ergò neque mutationes sunt. Hoc argumentū tetigit Cyrill. vbi suprà, de generatione Verbi æterni loquens. *Qualis verò*, inquit, *genitor in omnibus est, talis & qui ab eo nascitur: sed Deus Pater æternus est, æternus ergò, & suus filius est: lux est Pater: huius lucis splendor semper cū ipsa est:* Ecce quomodo generatio Verbi, quia æterna est, non procedit ex non esse actuali; deinde subdit, *& Hominis quidem verbum ad nihilum redigitur, neque viuum, neque subsistens est: Nam & Homo, qui hoc verbum emittit, & ex nihilo productus est, & corruptioni subijcitur, Verbum autem Dei viuum est, & ex viuo Patre profluit, & ideo semper est*, quibus verbis indicat necessitatem absolutam existendi: & consequēter negat in Verbo potentiam ad non essendum, qua sublata tollitur omnis ratio mutationis.

VII. Obiiciet aliquis necessitatem emanationis à principio, etiam si æterna sit, non tollere quo minus sit vera mutatio, si sit potētia productiua in principio: nam, si ab ęterno fuisset necessaria aliqua emanatio à subiecto creato, adhuc intra terminos mutationis includeretur: personę aūt procedentes sunt in potētia producentiū, concipitur enim filius à nobis in priore originis esse in potentia generatiua Patris: ideoq; licet Filius à Patre æterno necessario procedat, non proinde generatio desinit esse mutatio. Et confirmatur, quoniā omnipotentię actiuæ respondet passiua, vt concedit D. Thom. 1. p. q. 41. art. 4. ergò ex parte personarū procedentium erit potētia passiua, & consequenter processio erit mutatio. Henric. quodlib. 8. q. 9. & in sum. art. 54. q. 3. admittere videtur in diuinis potentiā quandā ad aliquid sola ratione differentē, & semper coniunctam actui, ad quem non transit per transmutationē. Hæc tamen solutio, si nihil aliud addatur, non sufficit, nā proprietas realiter distincta à subiecto sēper est coniuncta eidē, & Angelus ab æterno creatus semper esset coniunctus cū actu essendi, & tamen potentia passiua subiecti ad proprietatē, & naturæ Angelicæ, vt exiitat, sat est vt emanatio proprietatis à subiecto, & creatio Angeli sit mutatio latè sumpta. Si ergò verbum diuinū præexistit in aliquo tanquā in potentia, & ipsum habet potentiam, vt generetur, cur generādo non habit aliquā mutationē? Eadem difficultas cernitur in sententia Magistri in 1. d. 7. lit. F. vbi supponit Filium præexistere in essentia diuina tanquam in potentia: & proinde sicut Pater habet potētiam actiuā vt generet, ita filium habere passiuam vt generetur. Ad hoc dubium responderi potest Filium Dei nequaquam præexistere in aliqua potentia passiua, ex qua veluti educatur, nam ipsamet essentia diuina, quæ in Patre est potentia actiua generandi, est etiam in Filio potentia, vt generetur, non tamen passiua procedens de imperfectione ad perfectionē, sed obiectiua, vt loquitur Scot. in 1. d. 5. q. 2. §. *Sed obijcitur*, qua Filius dicitur producibilis, sicut Pater dicitur productiuus: sed sicut in Patre nō est aliud esse productiuum, quam producere, & esse Patrem, ita in Filio non est aliud esse producibilē, siue generabilem, quam generari, & esse Filium; sed adhuc non plene satis fit argumento, quoniam in Patre est vera ratio potentiæ actiuæ: ergò etiā in Filio erit vera ratio potentiæ passiuæ, si Filius est producibilis, eo modo quo Pater est productiuus.

VIII. Pro solutione verò suppono ex Diuo Thoma lib. 3. cōtra Gentes cap. 86. & 1. p. q. 41. ar. 4. ad 2. Possibile significare interdum id, quod non implicat contradictionem, & extenditur tàm ad necessarium, quàm ad contingens: interdum vero id, quod habet indifferētiam ad esse, vel non esse, quæ prouenit ex capacitate, & indeterminatione subiecti respectu alicui' formæ; nam quia capax est illius, potest esse, quia vero nō est determinatū ad eam, potest non esse, potentia verò passiua, quam Philosophi remouent à Deo, non consistit in possibili accepto priore modo, sed posteriore: priore enim modo non repugnat rationi actus puri, cui opponitur potentia passiua; posteriore verò maxime: nam repugnat actum purum habere indifferentiā ad non esse, & ideò possibile priore modo datur in diuinis, non verò posteriore, vt ait D. Thō. vbi proximè: Verbum autem diuinū habet potentiā vt generetur priore modo: quia quidquid est, esse haud dubie potest: & cùm verbū generetur, habere debet potentiam, hoc est non repugnantiam Logicam, vt generetur, non aūt potētiam passiuam, ex cuius potentialitate educatur: nam essentia diuina, quę est potentia generandi Verbum, cum sit actus purus, non est potentialitas, vt sit generatio, aut Verbum genitum, sed actu, & necessario est vtrunque: & ideò sublata indifferētia ad esse, aut non esse tollitur ratio potentiæ passiuæ, sine qua non est mutatio. Hoc posito respondeo ad argumentum, tunc solum necessariò dari potentiam passiuam ex parte

producti,

S. Thom. Henricus. Magister. Scotus. S. Thoma. S. Thom.

producti, quando potentia ex parte producentis est factiua, aut eductiua formæ de potentia subiecti, vel communicatiua formæ distinctæ à subiecto. Ratio est, quoniã factio terminatur ad formam distinctam à natura, & formæ producentis, ad quã subiectum habet potentiam passiuam. Denique; cõmunicatio formæ distinctæ à subiecto, etiamsi nõ educatur de potentia illius, necessario est actio distincta à subiecto, ac proinde mutatio, vt constat in nutritione, qua anima rationalis inducitur de nouo in partes materiæ aduenientes. Si verò hæc tria absint, & productio sit immanẽs in natura operantis, non verò eductio formæ de potẽtia ipsius, sed idẽ prorsus cum illa, & forma idẽ prorsus cũ subiecto, nõ potest concipi tanquã progressio à nõ esse saltem potentiali ad esse, sed solum ab esse eiusdem formæ sub vna ratione essendi ad esse eiusdem sub alia, ita vt habeat vtrunq; modũ essendi nõ in eodẽ supposito, sed diuersis. Ita verò se res habet in processionibus diuinis: nam generatio, v. g. non est factio, quia non est de nihilo, aut de materia præexistente: vt probant Patres, & Scholastici referendi in materia de Trinitate, nõ eductio de potentia materiæ, aut cõmunicatio formæ distinctæ à subiecto: sed tam communicatio ipsa, quam suppositа, quibus fit communicatio, sunt ipsamet forma communicata: & idcirco concipi nequit subiectum cum indifferẽtia ad formã, vel communicationem ipsam: atque adeo non est verè potentia passiua, vt ait D. Thomas citatus, sed solum potentia obiectiua, vt vocat Scotus, & non repugnantia, vt sit coniuncta cum necessitate essendi: & ideo processiões diuinæ, vt ait idẽ Scot. eadem q. §. *Ad argumenta*, non habent terminum à quo negatiuũ, sed soli termini sunt producens, ac productum. Sed ſtior huius rei explicatio pertinet ad materiam de Trinitate.

IX. Testimonium Autoris lib. de Speculo nonnihil habet difficultatis. Potest tamen explicari ita, vt nomen *mobile*, accipiatur metaphoricè pro quauis actualitate. Et tũc explicari debet de mobilitate substantiali, quæ essentiæ, qua essentia, ne metaphoricè quidem conuenit, non enim dicitur generari, aut produci, vt dicũtur personæ, quarum origines concipiuntur ad modum, quo concipi à nobis solent productiones substantiarum creatarum, quę mutationes sunt. Et quoniam proprietates non concipiuntur vt processiones, sed vt formæ, quibus personæ in seipsis cõstituuntur, ait eas esse mobiles secundùm relationes, scil. originis, nõ verò secundum proprietates.

X. Ex dictis patet solutio ad obiectionem suprà positam de resultatione relationum ab essentia: nam, cùm non sint in potentia passiua illius, vel propria, intelligi potest ipsarum emanatio absque vlla mutatione. Ruunt etiam inania fulcra hæreticorum: nam Pater totam naturam, & non partem ab æterno, & non ex tempore cõmunicauit Filio absque sui, vel illius mutatione. Ad primum argumentum concessa maiore distinguenda est minor: nam si variatio penes æternũ, vel tẽporale nihil innouet penes ea, quæ faciunt ad rationẽ mutationis, vt productio aliqua sit mutatio, nihil interierit vtrum sit ab æterno, an ex tẽpore, quomodo res se habet, quãdo mutationes similes temporarijs supponimus esse ab æterno, sẽper enim manet eductio actus positiui ex nõ esse saltem potẽtiali: si vero cũ priore illa durationis varietate inuoluatur variatio penes potentiam passiuã, qua nititur ratio mutationis: tunc suppositа variatione durationis de æterna in temporalem necessariò infertur, vt sit vera mutatio ea, quæ sublata eiusmodi suppositione non esset: nam id, quod incipit in tempore, nõ est absolute necessarium, & est in potẽtia passiua, vt esse incipiat, quare si per impossibile supponatur processiones diuinas incipere, necessario sequetur esse mutationes: quia simul supponitur, quod fuerint in potentia passiua. Et ideo Damasce. lib. 1. Fid. Orthodox. cap. 8. & D. Ambros. citatus admittunt, si non existens Pater postea cõcedatur fieri Pater, induci versionem, hoc est mutationem hypostasis, siue personæ Patris: cùm verò talis potentia ad esse, vel non esse, non sit in processionibus æternis, ideo sunt alienæ à ratione mutationis, vt explicat Alensis 1. p. q. 4. m. 1. ad 5. & 6. Ad secundũ respondetur personas procedentes contineri quidẽ in potentia producentium, non tamen esse potentia, sed actu in illis: aliud enim est principiatum esse in potẽtia principiantis, aliud esse potentia in illo: nam primum de se non excludit esse actuale, personæ quippè procedentes sunt actu in potentia eorum, à queis procedunt: etenim potentia hæc est ipsa essentia diuina vt habita à principijs processionũ, quæ, cùm sit eadem prorsus in personis, ad quas processiones terminantur, ratione ipsius personæ alteræ in alteris mutuo sunt actu, & non potentia. Nam esse potentia excludit esse actuale formale eius, quod est in potentia, & solam inuehit aptitudinem ad esse virtute causæ, siue principij, in quo est potentia, ita vt esse formale virtutis operatiuæ sit formaliter aliud esse, saltem nu-

Damascen. *Ambrosius.* *Alensis.*

mero diuersum, ab esse formali eius, quod in eiusmodi virtute potentia cõtinetur: vt videre est in omnibus effectis creatis. Nam aliud formaliter est esse lapidis in se, & aliud virtus diuina in qua eminenter continetur, aliud esse formale Abellis, & aliud virtus generatiua Adami, in qua ille virtute continebatur, cùm adhuc esset in lũbis eius: at in processionib. æternis longè aliter se res habet: etenim ipsum esse formale personarum procedentium est omninò idem cùm ipso formali esse potentiæ principatiuæ, nempè cum essentia diuina: & ideò, tametsi verum sit personas procedentes esse in potentia producentium, non sequitur vt sint potentia in illis, quoniã sunt actu. Ad vltimum respõdeo, etiamsi similitudo illa sumpta ex arboris radice, trunco, ac ramis vsurpetur à Patribus ad explicandum pro nostro captu ineffabile mysterium Trinitatis, nõ tamen accõmodandam esse in omnibus, alioquin non esset similitudo, sed res ipsa, adducitur autem ad explicandam vnitatem, distinctionem, atque originem personarum: nam, quemadmodum in vna arbore distinguũtur radix, truncus, & rami, ita in vna Deitate tres personæ: & quemadmodũ radix non procedit ex alia parte arboris, sed est primum eius principium, à quo partes aliæ germinantur, ita Pater est in genitus, & primum principium processionum diuinarum: & sicut truncus immediatè procedit ex radice; rami vero trunco mediante, ita Filius à solo Patre immediate procedit, spiritus à Patre per Filium, & à Filio: sicut ergò, si ex hac similitudine quispiam argueret distinctionem partialem, & separabilitatem personarum ex eo, quod partes arboris ita distinguuntur, & separari possunt, nihil concluderet, ita ex eo, quod truncus, ac rami non sint actu in radice sed potentia, non sequitur, vt processiones, & personæ procedentes non sint actu sed potentia in essentia diuina quæ est principium, quo processionum. Nam quamuis nostro modo intelligendi concipiatur essentia, vt radix processionum, & relationum, concipi tamen non debet sub potentialitate, aut indifferentia ad illas: quod requiritur vt ipsarum emanatio sit aliqua ratione mutatio: sed semper cum summa actualitate, identitate, ac necessitate, cum quibus nequit cohærere mutatio.

In Deum non cadit accidentalis mutatio.

Caput VIII.

I. POsita omnimoda immutabilitate substantiali dubitabit aliquis circa accidẽtalem, quoniam in sacris literis dicuntur pleraq; de Deo, quę significant mutationes accidentales, vt motus localis indicatur Iacobi 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Iacob. 4. Pœnitentia, & dolor, Genes. 6. *Pœnituit eum, quod hominẽ fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, &c.* Genes. 6. Dicitur irasci, misereri, & similia, quæ omnia passionem, & motũ secum trahunt. Qua de causa Marcionistæ, vt est apud Tertull. lib. 2. aduers. Marcionem cap. 16. Deum veteris testamenti negabãt: qui sæpè dicitur zelari æmulari, irasci, &c. *Si Deus*, inquiunt, *irascitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo, & corrumpetur: ergo, & morietur.* Marcionist. Tertullian. Secundo Sapient. 7. dicitur, *mobilibus omnibus mobilior est sapientia*. Sapient. 7. Præterea Sancti Patres Dionys. cap. 1. de cœlesti Hierarchia, & cap. 9. de diuinis nominibus. Nazianzen. orat. 42. quæ est 2. in Pascha. satis ante medium. August. l. 8. de Genesi ad liter. c. 20. & alij motum Deo tribuunt: motus autem à mutatione absolui nequit. Deniq; actiones cum mutatione necessario connexæ sunt: Deo verò tribuimus actiones, tàm immanentes, quàm transeuntes, ad quas ipse ratione libertatis indifferẽs erat: quare si cõtingentia est radix mutabilitatis, actiones omnes diuinæ, quæ non sunt necessariæ, nõ erunt alienæ à mutabilitate. Magn. Diony. Nazianzen. August.

II. Perspicuum tamen est Deum esse incapacem mutationis accidentariæ, quod docent cõmuniter Patres. Hilarius enarrat. in Psa. 2. *Beata*, inquit, *illa perfecta, æternaq; virtutis bonitas non patitur conuersione, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctus.* Hilarius. Anselm. in Monol. cap. 24. Hugo Victor. lib. 7. eruditionis didascalicæ, qui est de Trinitatis per visibilia agnitione capit. 20. Diu. August. lib. 5. de Trinitate cap. 2. *Alia*, inquit, *essentiæ, vel substantiæ accipiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacunque mutatio: Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest: & ideo sola substantia, vel essentia, quæ est Deus, incommutabilis est.* Anselm. Hugo Victor. August. Particulari verò ostenditur triplici medio. Primum sumitur à simplicitate: quod enim secundùm accidẽtia mouetur, non est totum, quod est, quia nihil est id, sine quo potest esse: Deus autem ratione suæ simplicitatis est totum, quod est,

quare

quare secundum accidentia moueri nequit. Secundum sumitur ab omnimoda perfectione: nam omne subiectum, quod accidentaliter mutatur, fit mutatione perfectius, vel deterius: Deum tam perfectionem amittere, quam perfici est impossibile, quia est summa bonitas, & infinita perfectio. Vnde Nyssenus lib. de oratione versus finem. *Qui ad omnem mutationem*, inquit, *firmus, & immobilis est, qui non potest reperire melius, in quod transeat.* & ideò merito dicebat Plato. Dialogo 2. de Republica versus finem. Quod si Deus mutaretur fieret deterior: hoc autem si quis admittat, iam concedat necesse est Deum non esse primam, atque infinitam bonitatem: illa enim maior est, quæ nec minui, nec auferri potest. Denique idem deducitur à sufficiente enumeratione mutationum accidentalium, quæ Deo repugnat: non enim habet quantitatem, vt minui possit, vel augeri: non qualitatem, secundum quam alteretur: non abest ab vllo loco, ad quem moueatur. Quoniam vero actiones ipsæ vitales mutationes in nobis sunt, vel saltem non fiunt sine mutatione, oportet ostendere has ipsas nõ esse in Deo mutationes: Porro in nobis duplex considerari potest mutatio in actionibus vitalibus, altera consistit in ipsamet ratione operationis creatæ, quæ suapte natura est quædam vitalis agitatio: altera corporalis, quæ est comes operationum appetitus sensitiui: quoniam iuxta varios eius affectus diuersimode alteratur, ac mouetur sanguis, & Spiritus vitales, qui inseruiunt actibus animalibus. Hæc vero, vt à faciliore exordiar, longè abest à Deo, qui est ab omni concretione corporea segregatus: & propterea quotiescunque in sacris literis tribuitur Deo ira, misericordia, dolor, & alia id genꝰis, quæ fiunt in nobis cum passione corporea, sumuntur in sensu, non proprio, sed metaphorico: quia in Deo est appetitus vindictæ sine perturbatione, displicentia de rebus voluntarijs sine molestia, & afflictione, quod sæpè notarunt Patres Origenes homil. 23. in Num. ante medium. *Hæc omnia*, inquit, *in quibus, vel lugere, vel gaudere, vel odisse, vel lætari dicitur Deus, tropico, & humano more accipienda sunt ab scriptura dici: aliena porro est diuina natura ab omni passione & permutationis affectu: in illo semper beatitudinis apice immobilis, & inconcussa perdurans:* similia dicit Basil. in id. Psalm. 37. *Domine, ne in furore arguas me*; Gregor. lib. 20. moral. cap. 23. in id. Iob 30. *Mutatus es mihi in crudelem*: Et ideò vt inquit Tertullianus loco citato, *Stultissimi sunt, qui de humanis diuina prædicant, & quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur huiusmodi passiones, idcirco & in Deo eiusdem status existimentur*: quod argumentum fusè ibidem prosequitur, in eo tamen non est caute locutus, quod de Deo dixit, *Quæ omnia patitur suo more, quo eum pati condecet.* Nam cum in rigore de Deo loquimur, non possumus accommodare illi Verbum pati. Quapropter quod dicitur, Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, vel mobile intelligitur aptum mouere, quemadmodum sensibile dicitur, quod est aptum mouere sensum, vt interpretatur Alensis 1. p. quæst. 4. m. 2. ad 2. & Bonauent. in 1. d. 8. 1. p. distinctionis, art. 2. quæst. 1. ad 1. vel potius dicendum cum D. Thoma 1. p. quæst. 9. art. 1. ad 2. & in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 1. ad 1. & Richard. art. 2. quæst. 1. dici mobilem diuinam sapientiam, non quia in se moueatur, sed quia quatenus procedit in effectus, assimilatur motui locali processiuo: quemadmodum enim hic procedit à loco proximiori per intermedia vsque ad extrema, ita diuina sapientia suam similitudinem rebus imprimit, easque moderatur incipiens à superioribus, deinde procedens ad inferiores.

Tertullian. Alensis. Bonauent. S. Thom. Richardus.

III.

Quod vero attinet ad primum genus mutationis duo in operatione vitali considerari debent: Alterum quod sit actus quidam, alterum, quod supponat potentiam passiuam, ex qua procedit cum defectibilitate: & primum quidem perfectio quædam est, ratione cuius sancti Patres aliquando tribuunt motum Deo, ne scilicet Deum tanquam in somno ab operationibus vitalibus vacantem conciperemus: Et ob hanc causam Philosophus lib. 12. Metaphys. t. 51. asseruit Deum esse in perpetua Vigilia, quia nimirum est actu secundum operationes immanentes intellectus, ac voluntatis: & secundũ hanc considerationẽ intelligẽdi sunt Patres, si qui nomine motus vtuntur in diuinis, ita expresse loquitur Nazianz. citatus, & Nicetas ibidem, & hac ratione Dionys. interpretatur Richard. in 1. dist. 8. art. 2. quæst. 1. ad 2. & Augustin. idem Richard. ad 1. S. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. ad 1. & in 1. d. 8. q. 3. art. 1. ad 2. & Aureol. q. 2. ad vltimum. Ratione vero alterius conditionis nequit motus ascribi Deo: quoniam in eo non est actio causata, & re ipsa procedens à vita substãtiali, sed ipsamet vita Dei, prout æquipollet eminenter vitæ creatæ accidentali, hoc est actionibus vitalibus, dicitur intellectio, electio, & id genus aliæ

Aristot. Nazianzen. Nicetus. Dion. Mag. Richard. Augustinus. Richardus. S. Thom. Aureol.

actiones: quæ proinde non concipiuntur vt actus educti ex potentia passiua vitæ diuinæ substantialis, sed vt plurimæ rationes formales necessariæ eiusdem vitæ: & quoniam nihil propriè est in potentia comparatione eorum, quæ sunt de intrinseca ratione formali propriæ essentiæ, nisi comparatione ad causam extrinsecam, quæ potest rem traducere de non esse ad esse, & de esse ad non esse, eo ipso, quo res est absque noua mutatione competunt omnia sibi intrinseca: non enim producto Angelo rationes formales intrinsecæ illius incipiunt existere per nouam aliam mutationem: ergo, si qua substantia careat extrinseca causa, à qua sit, & ex se ipsa necessario sit, omnia quoque pertinentia ad rationem formalem ipsius hoc ipso absque mutatione sunt. Quare cum ad rationem formalem Deitatis in se pertineant omnes perfectiones simpliciter, siue sumantur per modum potentiæ, siue per modum actus vitalis, ex se ipsis necessario sunt potentialitatis, ac mutationis expertes: quod argumentum attigerunt nonnulli Patres, & Doctores Scholastici, qui ex eo probant Deum non esse subiectum mutationi, quia est causa prima, ens increatum, & à se.

IV. Hæc locum habent in actionibus Dei necessarijs. In liberis autem peculiaris est difficultas: nam, cùm abesse potuerint à subiecto, nec complete intelligantur esse per absolutam, ac necessariam formã Dei. Dubium est quomodo Deo accidant absq; mutatione ipsius. Eæ vero aut sunt actiones ad extra, quæ Deo ex tempore conueniunt, aut actus vitales liberi, qui competunt ab æterno. De actionibus ad extra agã hoc capite, in sequentibus de actibus liberis immanentibus. Quod attinet ad transeuntes adhuc quæstio dupliciter intelligi potest. Primum quidem vtrum actio ipsa sit formaliter mutatio agentis: deinde vero vtrum ad hoc, vt Deus ageret ex tempore, necessario supponenda fuerit aliqua mutatio in ipso. Primum nonnihil difficultatis habet in sententia eorum, qui censent actionẽ esse in agente: nam cum actio sit verè forma positiua, si de nouo insit alicui subiecto, hoc necessario subit mutationem. Deus autem agit de nouo ad extra: ergo agendo mutatur. Quod vero attinet ad *Auicenna.* secundum Auicen. lib. 6. Metaphys. de mente Philosophorum sentit non posse incipere nouam actionem non præsuppositа mutatione agentis: quoniam, inquit, vnaquæque causa per se, & essentialiter est cum suo causato, & semper est causa ipsius: si vero ex sua natura, & essentia non necessario facit, vt sit causatum, non potest id facere absque operatione aliqua, qua acquirit vim eius necessitatis in causando: atque adeò perspicuum est omnẽ motum nouum præsupponere aliquid noui in causa: id vero nonnisi per motum acquiritur: ergo causa de nouo agens patitur præuiam mutationem vt agat. Ob quam causam Aristot. lib. 8. Physicorum t. 13. ait positionem Anaxagoræ, & aliorum Philosophorum statuentium vnũ principium, quod fuerit semper quiescens, & inceperit mouere in tempore, esse similem figmẽto: & Commentati ibid. *Auerr.* ait esse impossibile, siue primum mouens agat necessario, siue libere: quoniam inquit, vt mouens incipiat mouere, oportet vt sit aliqua proportio inter ipsum ac mobile, quæ antea non erat, hæc vero nonnisi per mutationem agentis primi dabitur, si de nouo agat. Existimabant itaque Deum non posse in tempore aliquid immediate operari, posse tamen interuentu motus, quem aiebant esse ab æterno: vt patet ex verbis Comment. ad citatum locum ex 8. Physicorum: *Et nos,* inquit, *dicimus impossibile esse, vt sit actio noua per antiquam voluntatem,* nisi sit actio antiqua media: voluntas enim non postponit facere quod intendit, nisi post existentiam alicuius intentionis in re intenta, quę non erat in tempore voluntatis. Deinde vero explicat quomodo ex antiqua voluntate possit procedere noua actio nempè mediante motu ab eo quo à voluntate antiqua: & propterea ait opus esse vt sit medius motus æternus inter motorem, qui non mouetur, & inter generabilia, & corruptibilia; hoc idẽ existimarunt quidem Philosophi apud Augustinum lib. 11. de Ciuitate cap. 4. quapropter ne admitterent mutationẽ in Deo, subiecerunt illum necessitati aderentes necessario operatum fuisse ab æterno has res spectabiles. Ex horum sententia arguit Augustinus lib. 11. confess. cap. 10. *Quid faciebat Deus, antequã faceret cœlum, & terram, si enim vacabat, & non operabatur aliquid, cur non sic semper, & deinceps, quemadmodum retro semper cessauit ab opere? Si enim vllus motus in Deo nouus exstitit, & voluntas noua vt conderet creaturam, quã nunquam ante condiderat, quomodo iam vera æternitas, vbi oritur voluntas, quæ non erat? neq; enim voluntas Dei creatura est, sed ante creaturam, quæ non crearetur aliquid, nisi creatoris voluntas præcederet:* & cap. 11. prosequitur. *Ad ipsam ergo Dei substantiam pertinet voluntas eius: quod si exortum est aliquid in Dei substantia, quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia, si autem voluntas Dei*

tas Dei sempiterna erat, vt effet creatura, cur non sempiterna creatura? Eandem alij opinionem inducunt apud eundem Augustinum lib. 12. de Ciuitate cap. 17. quoniam, *bonitas eius nunquam vacua fuisse credenda est, ne sit temporalis eius operatio, cuius retro fuerit æterna cessatio, quasi pœniteret eum prioris sine initio vocationis, ac propterea sit operis agressus initium.* Quæ sententia hoc argumento suadetur, si Deus est immutabilis immutabiliter se habet ad illud, quod immediate procedit ab ipso: ergo, & hoc ipsum est immutabile, quod enim cum immutabili necessario coniungitur, ipsum quoque necessarium, & immutabile est: nihil vero productum ex tempore est immutabile, vt per se patet: ergo vel Deus nihil ex tempore creauit, vel mutationem subijt. Prima consequentia ostenditur, quoniam si primum agens, quandoque agit, quandoque non, proueniet ex mutatione sui, non ex parte obiecti, siue effectus: nam nullum est impedimentum extrinsecum, quod omnipotentia diuina non vincat: ergo aliquid aduenit ex parte Dei, ratione cuius proueniat varietas in effectum, & consequenter in ipsum primum agens, à cuius variatione pendet mutatio effectuum.

V. Dico primum. Actio ipsa non est formalis mutatio agentis, atque adeò Deus agendo non mutatur formaliter actione ipsa. Hæc est expressa Alensis 1. p. quæst. 4. m. 1. ad 3. Alberti in 1. distinct. 8. art. 16. ad 1. Richardi art. 2. quæst. 1. ad 3. Nouo Castro quæst. 3. §. vltimo. Durandi dist. 39. quæst. 1. num. 6. & est de mente Arist. Auerr. Auicen. & reliquorum Philosophorum, qui non ideò negant Deum posse agere ex tempore, quia actione ipsa mutaretur: sed quia opus erat noua dispositione ex parte ipsius, & consequenter mutatione præuia, vt ageret de nouo. Patet vero primo, si actio esset mutatio, repugnaret omnino, vt daretur mouens immobile: omnes vero Philosophi, ac Theologi agnoscunt primum mouens immobile: ergo actio nó est mutatio. Maior ostenditur, quoniam primum mouens agit mouendo: ergo si agendo mutatur, impossibile est, vt sit immobile. Secundo si motio actiua esset mutatio, cum primũ mouens semper actiuè moueat secundos motores, semper erit in perpetua mutatione: ac proinde nó minus mouetur ex eo, quod incipiat mouere de nouo, quam si moueat ab æterno. Idem vero suadetur ex ratione communi actionis, quæ cõtinetur priore parte assertionis, quæ apud eos, qui actionem in passo collocant, facilè conuincitur, quoniam nullum subiectum mutatur forma recepta in alio. In actione vero transeunte agens, ac patiens distinguuntur subiecto: ergo si actio recipitur in patiente, per illam non mutatur agens. Apud eos autem qui actionẽ dicunt manere in agẽte, nõ video quomodo, si de nouo aduenit, & est actus realis distinctus à subiecto, hoc per illam non mutetur: nam re ipsa informatur intrinsecè actu, quo antea carebat: & hac ratione D. Thom. q. 7. de potentia art. 10. ad 1. ait agens naturale, quod mouet actione, vel motu medio inter ipsum, & patiens, etiã in quãtum agens, non esse extraneum à genere patientis; in quantum est patiens: præcipuè cum actio media sit quædam perfectio propria agentis. Ex quo colligitur secunda pars assertionis. Nam si actio non inhæret agenti, sed passo, Deus non mutatur per nouam actionem receptam in creatura: si vero est in agẽte, cùm nó sit actio media inter Deum, & creaturam, sed ipsamet substantia Dei æterna per accessum nouæ habitudinis rationis sit eius actio, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 45. art. 3. ad 1. Alens. 2. p. quæst. 6. m. 2. art. 3. & alij, ex nouo effectu, & actione ad ipsum terminata non sequitur mutatio Dei, quemadmodum indicat Augustinus lib. 11. confessionum cap. vltimo his verbis. *Sicut ergo nosti in principio cœlum, & terram sine varietate notitiæ tuæ, ita fecisti in principio cœlum, & terram sine distinctione actionis tuæ.*

Alensis. Albertus. Richard. Nouo Castro. Durand. Aristot. Auerr. Auicenna.

S. Thom.

S. Thom. Alens. Augustinus.

VI. Dico secundum. Noua actio Dei ex tempore non præsupponit aliam mutationem præuiam. Est certa, & traditur expresse à Bonauentura in 1. dist. 8. 1. p. distinctionis art. 2. quæst. 1. ad 3. & 4. Henrico in sum. art. 3. quæst. 4. ad 1. & quæst. 5. Durando in 1. dist. 8. 1. p. distinctionis quæst. 3. num. 9. Scoto quæst. 4. aliàs 5. §. *Ad argumenta pro opinione*, cùm Lycheto, & alijs interpretibus ibidem. Bassoli, quæst. 3. art. 2. Nouo Castro vbi supra. Holkoth. quæst. 10. determinat. art. 3. Maiore in 1. distinct. 8. q. 2. ad 4. Carthusiano quæst. 4. in solut. argum. Palatio disput. 2. Poster. ad 2. & Syluestro 1. p. quæst. 9. art. 1. §. ratione 3. ostenditur vero quoniam ex quatuor capitibus requiri potest mutatio ex parte agentis: nempè aut ex parte potentiæ actiuæ, quæ non est perfecta, & mutatione augescit: aut ex defectu scientiæ, & artis, quæ addiscitur: aut ex distantia loci, ad quem per motum agens appropinquat: aut denique ex intentione noua voluntatis applicaturæ potentiam ad executionem. Aristotel. Auicen. & Auerr.

Bonauent. Henric. Durand. Scot. Lychetus. Bassol. Nouo Castro. Holkoth. Maior. Carthusian. Palatius. Sylvest.

propter

propter nullum ex tribus prioribus mutationem exigunt: nam si de sententia ipsorum Deus potuit agere, imò de facto egit ab æterno, habuit proportionatam vim, scientiam, & indistantiam ad agendum. Et facilè per singula discurrendo probatur: quoniam primus motor est à se actus purus, & perfectus: quare nequit perfici acquisitione nouæ potentiæ, aut scientiæ: est immensus nõ longè ab vnoquoque effectu creato: ergo ab æterno habet debitam proportionem virtutis, artis, & distantiæ ad agendum: quare, vt agat de nouo, non opus est vt ad hæc acquirenda mutetur. Et confirmatur quoniam motores secundi, verbi gratia artifices creati, absque vlla mutatione horum trium possunt post otium de nouo agere solum propter nouam applicationem voluntatis: vt patet in Cytharædo, qui præhabens hæc omnia ad Cytharæ pulsum necessaria incipit pulsare de nouo, cum libet: ergo & Deus, qui est motor primus, & agit ex liberalitate vt ait Auicenna lib. 6. Metaphys. cap. vlt. hoc est non exspectans perfectionem à producto, vt exponit Scotus in 1. dist. 8. quæst. 4. aliàs 5. §. *Contra istam conclusionem*, & D. Thom. quæst. 7. de potentia art. 10. habet ex se, & absque mutatione potẽtiam, scientiam, & distantiam ad operandum necessariam. Non oportere vero elicere nouam volitionem, & consequenter ex hoc capite Deum non mutari fusè probat D. August. lib. 12. Confession. per multa capita maximè 15. item lib. 11. de Ciuitate cap. 4. & lib. 12. cap. 14. & 17. Vbi *potest*, inquit, *ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium: nec pœnitendo quia prius cessauerat, cœpit facere, quod non fecerat.* Et infra, *in illo non alteram præcedentem altera subsequens mutauit, aut abstulit voluntatem: sed vna, eademq; sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt: & vt posterius essent, quando esse cœperunt.* Idem probat Cyrillus Alexandr. lib. 11. Thesauri ad medium & alij Patres.

Auicen. *Scotus* *S. Thom.* *Augustinus.* *Cyrill. Alex.*

VII. Probatur vero, quoniam vel antiqua voluntas non sufficit ad producendum effectum, quia illum statim necessario producit: vel quia necessario debet interuenire simul eodem tempore cum effectu. Primum non est verum: ex secundo non colligitur intentum: ergo potest Deus in tempore ex vi antiqui consilij producere nouos effectus. Assumptio quo ad priorem partem ostenditur: quoniam homines habent voluntatem efficacem faciendi aliquid in tempore futuro, quin ex tali voluntate statim sequatur effectus, vt experientia constat: ergo præsens decretum voluntatis non necessario producit statim effectum, sed esse diuersam rationẽ in Deo, ac nobis indicat Auerroes, nimirum quod homo expectat aliquid ex parte sui, vel obiecti, ratione cuius non vult modo agere: Deo autem nihil est expectandum, habet enim omnia necessaria ad agendum: ideoque ex vi primi decreti statim consequitur effectus. Non tamen valet hæc responsio: nam quemadmodum, quia Deus liber est, potest pro eodem tempore facere, & non facere, quamuis adsint omnia requisita ad agendum, ita potest effectum differre in tempus futurum. Ostendere autem Dei voluntatem esse liberam in ordine ad effectus ad extra non est huius loci, sed nunc ex fide supponitur: eoque suppolito concluditur nequaquam repugnare, vt adsit nouus effectus ex vi antiqui decreti. Quod etiam in dictis ipsorum Philosophorum euidenter ostenditur: ij enim quamuis assererent Deum agere ex necessitate naturæ, volebant nihilominus, vt ageret per intellectum, & voluntatem: cùm igitur admitterent primum motorem immobilem, mediante secundo motore, esse causam generationis, & corruptionis rerum inferiorum, consequenter concedere debebant illum esse in tempore causam immediatam primi motus: nam de sententia Aristotelis, Alexandri, & Simplicij, 8. Physicorum, primum mobile non mouetur à se, sed à primo motore immobili: cumque agat per voluntatem, necessario etiam de sententia ipsorum volitio illa debebat esse antiqua, & æterna, non noua: quoniam, cùm putent accessu nouæ voluntatis mutari agens, ex eorum dictis sequeretur primum motorem esse mutabilem: quod tamen ipsi merito negant: si ergo volitio, ratione cuius nunc mouet, est antiqua, concedere debent ex vi voluntatis antiquæ sequi posse nouum effectum: atque adeò ex hoc capite non mutari Deum, etiamsi de nouo producat creaturas in tempore. Posterior pars eiusdem assertionis ostenditur, quoniam, vt ipsimet Philosophi admittunt, Deus est actus purus, & immutabilis: & consequenter actus voluntatis, quem habuit ab æterno, nunquam desinet, sed durabit pro omni tempore: ergo poterit in quouis tempore esse efficax ad producendum effectum: atque ad[illegible] ex eo, quod voluntas agentis debeat concurrere simul cum effectu, non sequitur ex antiqua voluntate Dei non posse fieri nouum effectum: Quemadmodum propter

Aristot. Alexand. Simplicius.

libera-

libertatem nostram ex antiqua voluntate, siue continuata, siue physicè interrupta producimus nouos effectus. Est tamen hoc discrimen inter nos, & Deum, quoniam in nobis ipsamet continuatio voluntatis verè est mutatio, quia inceptio quoque mutatio fuit: at in Deo nõ est vllo modo mutatio: non ratione inceptionis, quia hæc in æternis nõ est: neque ratione continuationis, quia eadẽ semper, atque indiuisibilis est: quod si mutatio foret, non minus esset, siue res ab æterno, siue in tempore à Deo fierent: nam continuatio voluntatis semper est eiusdẽ rationis. Et ideò si fatentur non sequi mutationem ex creatione, & alijs actionibus Dei ab æterno, fateri quoque debent non sequi ex temporarijs, siue enim hoc, siue illo modo ageret, semper perseueraret in eadem indiuisibili, ac simplicissima volitione, absque vlla variatione, ac successione.

VIII. Ex dictis constat deceptos fuisse Philosophos, vt late prosequitur D. August. locis citatis: neque illorum fundamenta vim vllam habent. Non enim ideò cœpit operari ex tempore, quia indigeret aliqua dispositione, aut vi agendi intrinseca, aut expectaret occasionem aliquam, aut conditionem extrinsecam, sine qua non posset operari, sed quia iuxta consiliũ voluntatis suæ ita ab æterno libere disposuit, cùm posset aliter disponere, si vellet. Ad rationem Auicennæ respondeo necessariam connexionem effectus, & causæ posse esse mutuam, & non mutuam, inter Deum vero, & creaturas nõ esse mutuam cõnexionem, quoniam Deus extra se nihil habet, à quo necessario voluntas eius moueatur: & ideò, cùm agat per intellectum, & voluntatem, non habet vnde determinetur ad agendum necessario, quamuis autem sit connexio non mutua, quia creaturæ non possunt esse sine creatore, ex hoc tamen non sequitur necessitas ex parte primæ causæ ad operandum. Ex eo vero, quod non necessario agat, minimè sequitur, vt debeat aduenire de nouo aliquid, quo applicetur ad agendum: applicatur enim ex vi voluntatis antiquæ relatæ ad tempus illud, quo primum operatur. Ad fundamentum Auerrois respondetur Deum non cessasse ab æterno ab operationibus ad extra defectu proportionis, quoniam tota proportio desumitur ex eius omnipotentia, & natura creaturæ, ac potentia logica ipsius, vt à Deo producatur, quæ non deerant ab æterno: atque adeò ratione proportionis potuisset Deus operari in quouis tempore æternitatis, solum vero deerat præfinitus terminus, ad quem Deus ab æterno direxerat intentionem suam, & operandi voluntatem. Ad vltimum argumentum respondetur, licet Deus immutabiliter se habeat tũ in se, tum comparate ad creaturas, non proinde ipsas fore immutabiles: nã Deus ipse immutatus omnia mutat: creaturæ enim nõ habent mutuam connexionem necessariam cum existentia diuina, nisi ex suppositione quod sint: hæc vero suppositio, vtpote dependens à voluntate Dei libera, contingens est rebus ipsis. Responderi aliter potest dicendo, Deum habere se immutabiliter formaliter, quia ipse nõ mutatur: efficienter vero mutabiliter, quia causat mutationem in creaturis: quomodo Doctores citati nu. 2. explicant illud Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, & ita neganda est prima cõsequentia, quæ, si vim aliquam haberet, probaret nihil omnino fieri cõtingenter, aut in tempore: nam, cùm primum agens sit necessarium, si cõsequentia bona est, etiam secundum erit, & sic in infinitũ, quod si assignetur aliquod, quod primo agat mutabiliter, non erit opus vt effectus entis immutabilis se habeat ad illud immutabiliter. Ad rationem, qua ostẽdebatur cõsequentia, respondetur varietatẽ, & mutabilitatẽ effectuum nasci ex efficacia decreti liberi voluntatis diuinæ, quod in se immutabile efficit diuersos effectus pro tempore, quo placet Deo.

Deus est immutabilis penes actus immanentes.

Caput IX.

TRipliciter intelligi potest subiectũ esse immutabile secundum actus immanentes. Primo quia eiusmodi actus suapte natura nõ supponunt potentiam passiuam in subiecto, & consequenter nõ procedunt à non esse sui, sed sunt ipsamet substantia subiecti, cui competunt. Secundo quia subiectum nõ admittit vllam successionem secundum actus. Tertio denique quoniam etsi illã admitteret, non esset secundum rationem aliquã entitati intrinsecam: atque adeò ratione talis varietatis non diceretur mutari. De primis duobus erit sermo hoc capite: de tertio in sequentibus. Quod ad primum attinet, suadebit aliquis actus liberos Dei esse suapte natura mutationes, quoniam Deus eliciendo illos procedit ex potentia ad actum: omnis vero processio eiusmodi est mutatio: nam supponit in subiecto saltem non esse potentiale actus, ad quem terminatur: quod sufficere ad rationem mutationis dictum est cap. 1. I.

huius

huius tractatus. Deum vero, cùm actus liberos elicit, procedere de potẽtia ad actum ostenditur, quoniam actus liberi non sunt de ratione formali intrinseca Deitatis, neque illi necessario competunt: quare prior erit potentialitas, quã actualitas ipsorum: nam, quod necessario competit, prius est libero, & libertas habitualis præcedit actualem: quare, cùm Deus sit necessario liber habitualiter, potens velle hoc, vel illud, prius erit ipsum posse velle, quam actu velle: quando igitur actu vult, procedit de potentia ad actum. Respondebitur actus liberos Dei, non procedere à potentia passiua, sed actiua: processum vero à potentia actiua non esse mutationem. Hæc tamen euasio non sufficit, quoniam velle, aut intelligere est actus immanens in ipsa voluntate, & intellectu diuino: ergo, quamuis, prout procedit ab eis tanquam à potentijs actiuis, non habeat rationem mutationis, habebit tamen prout recipitur in eis. Potentia enim recipiens necessario est passiua. Et confirmatur, quoniam ante actum liberum est non esse potentiale ipsius: ergo ille est transitus à non esse potentiali sui ad esse actuale, & consequenter mutatio. Antecedens ostenditur, quoniam si Deus non haberet liberam volitionem creandi mundum, nunc verè competeret illi non volitio: atque adeò daretur non esse actuale eius volitionis: ergo in illo priore, in quo concipitur cum indifferentia libertatis ad habendam, vel non habendam volitionem creandi mundum, erat non esse potentiale ipsius. Patet consequentia: nam repugnat dari determinate non esse actuale rei minimè necessariæ, quod non supponat non esse potentiale ipsius.

II. Pro solutione quæstionis suppono volitionem Dei liberam non esse distinctam ex natura rei ab actu necessario voluntatis diuinæ, neque cum illa facere compositionem: & ideò voluntatem consideratam in illo priore, quo intelligitur libera habitualiter, non habere potentiam actiuam, vel passiuam ad actum liberum, neque dici liberam ex eo, quod illum posit elicere, vel non elicere: vt docent communiter Theologi, sed ex eo, quod libere terminetur ad obiectum: etenim libertas diuina, vt fusius exponam tractatu de libertate Dei, habet id, quod perfectionis est in libertate creata sublata imperfectione: perfectio vero creatæ libertatis est, vt ad obiecta, quæ non habent infinitam bonitatem, vel necessariam habitudinem ad illam: vel cum consistentia subiecti volentis, non necessario determinetur, sed libera maneat ad eligendum vtrum velit. Quod vero libera sit ad eliciendos actus vitales à se distinctos, & immanentes per veram, & realem causalitatem, imperfectionis est: quoniam arguit limitationem perfectionis in voluntate, compositionem accidentalem, & id genus alias imperfectiones: quare libertas diuinæ voluntatis non consistit in eo, vt possit elicere, vel non elicere hunc, vel illum actum, sed vt posit perseuerante eodem actu essentiali & necessario, libere per illum tendere in hæc, vel illa obiecta.

III. Dico primum. Actus liberi Dei immanentes æterni nõ sunt secundum se mutationes: Hæc traditur à Chrysost. homil. 5. in cap. 2. Epist. ad Colos. post medium. & est de mente omnium Theologorum, qui negant Deum mutari, & admittunt habere actus liberos ab æterno: imò etiam colligitur ex principijs fidei, ex qua habetur Deum plura libere velle, & nihilominus non esse mutationi obnoxium. Ostenditur vero quoniam vera mutatio importat formam aliquam, actum, aut modum se habendi diuersum à mobili: actus vero Dei liberi nihil huiusmodi important: ergo non habent rationẽ mutationis. Maior propositio patet ex natura, ac descriptione mutationis, quæ dicitur esse transitus ab vno termino in alium: vbi vero nihil aduenit à mobili diuersum, concipi nequit ratio transitus. Assumptio constat ex suppositione. Nam si actus liberi Dei essent aliquid positiuum diuersum à Deo, & perfectionibus alijs necessarijs, iam libertas diuina respiceret nõ solum obiectum externum, ad quod terminatur, sed etiam actum ipsum quo ad propriam entitatem. Secundo omnis mutatio supponit in subiecto potentiam passiuam ad formam, secundum quam mutatur: in voluntate vero diuina non est potentia passiua ad actum liberum: ergo is non est mutatio. Assumptio constat, quoniam non est potentia passiua, sine actiua: non datur autem potentia actiua respectu actuum essentialium liberorum, vt ostendetur lib. 4. & nunc breuiter suadetur, quoniam omnis potentia actiua distinguitur ex natura rei ab actu, & forma, cuius est principium, voluntas vero diuina non distinguitur ex natura rei à suis actibus immanentibus. Ex hoc etiam principio ostenditur non esse passiuam: nam hæc distinguitur ab actu, cuius est potentia: at vero actus Dei liberi non adueniunt potentijs vitalibus ipsius, quasi actus informatiui distincti à potentijs, sed sunt ipsamet entitas potẽtiarum, adduntque solam terminationẽ extrinsecam ad obiecta.

Chrysost.

menta,

IV. Ex his patet solutio ad contraria argumenta, ad primum neganda est propositio: ad cuius confirmationem respondetur distinguendo consequens, si enim nomine potentialitatis intelligatur non repugnantia vt sit, concedenda est consequentia: in hoc tamen sensu consequens non est contra traditam doctrinam: ex sola enim non repugnantia non colligitur mutatio. Si vero nomine potentialitatis intelligatur vera ratio potentiæ passiuæ, neganda est consequentia: ex eo enim, quod actus liberi non sint necessarij, minimè sequitur vt detur in potentijs vitalibus propria ratio potentiæ passiuæ respectu ipsorum, sed requiritur præterea, vt quo ad id, quo præcisè liberi sunt, ac distincti à necessarijs, sint actus informatiui potentiæ, cui accidunt. Ad probationem vero consequentiæ respondetur ex libertate habituali Dei sequi prius esse aptitudinem ad actus liberos, quam sint ipsimet actus, non tamen sequi dari veram rationem potentiæ passiuæ propter causam assignatam: nam, sicut terminatio ad obiectum extrinsecum, quam actus liber addit necessario, non est actus informans, ita etiam non repugnantia ad illam non est potentialitas: sicut aptitudo personarum diuinarum vt terminare possint dependentiam naturæ creatæ non est potentialitas passiua, sed sola non repugnantia. Arguet aliquis disparem esse rationem, quoniam per vnionem hypostaticam nihil intimum Deo aduenit, at per terminationem ad obiecta extrinseca resultat in voluntate diuina actus liber immanens, vt supra obijciebatur. Respondeo actum liberum esse quidem vitalem & immanentem quo ad fundamentum, & præcipuum significatum, in quo conuenit cum necessario. An vero quo ad id, quo differt, dicat aliquam rationem positiuam virtute distinctam à necessario, explicabo in materia de voluntate Dei. Et si non dicat, sed solam habitudinem rationis ad obiectum connotatum, planum est ad ea non esse potentialitatem in voluntate diuina, sicut non est in Verbo ad vnionem hypostaticam, & ad hoc explicandum adducta est similitudo illius. Si vero dicat aliquid positiuum virtute distinctum, tunc non est colligendum carere voluntatem diuinam potentia passiua ad actus liberos ex eo, quod addant solum respectum rationis, sed ex omnimoda identitate, ac simplicitate, vt colligitur non dari in essentia ad relationes personales, quamuis addunt, rationem formalem positiuam virtute distinctam. Ad confirmationem respondetur in actu libero considerari posse entitatem positiuam realem, & habitudinem terminationis ad obiecta libere volita: si de primo loquamur, falsum est antecedens: nam entitas illa non est, aut fuit vnquam sub non esse actuali, aut sub esse potentiali, cùm sit summe necessaria: nec ratio ad id probandum adhibita vim habet: nam cum absque diuersitate entitatis positiuæ per solam terminationem, aut eius negationem intelligatur esse, vel non esse actus Dei liber ex eo, quod si noluisset creare mundum, verè non esset volens, minimè sequitur in eo priore, quo erat indifferens ad volendum, vel nolendum, habuisse veram potentiam passiuam, si vero antecedens intelligatur de secundo, concedendum est, loquendo de non repugnantia, & in eodem sensu verum est etiam consequens: si autem sermo sit de vera potentia passiua, vtrunque est falsum: nam ad respectum rationis non datur potentia passiua. Ad confirmationem vero antecedentis respondetur, facta illa suppositione, dandum fore non esse actuale volitionis, non quia desit aliqua ratio entitatiua realis, sed solum ob defectum relationis rationis, sine qua non intelligitur ratio actus liberi.

V. Quod dictum est de actibus voluntatis, dicendum est etiam de actibus liberis intellectus diuini, quamuis enim habeant necessitatem suppositionis, quia posito obiecto necessariò in illud tendunt, vt se habet scientia visionis rerum existentium pro aliqua differentia temporis: dicuntur tamen liberi, quia simpliciter abesse potuerunt à Deo, si nempè aliter agere decreuisset. Nam iuxta communem sententiam, hi quoque nihil reale positiuum addunt supra necessarios, sed solam habitudinem ad obiecta existentia: & idcirco licet intellectus diuinus secundum se præcisè spectatus ad obiecta sub tali habitudine non fuerit necessario determinatus, sed quasi indifferens, & expectans decretum voluntatis, non tamen erat in potentia passiua ad actum positiuum intrinsecum, sed in quadam indifferentia, & aptitudine ad terminationem extrinsecam, quæ mutationem non infert, vel si quis dicat addere rationem aliquam positiuam virtute distinctam, recurrere potest ad omnimodam simplicitatem, & identitatem cum intellectu, in cuius proinde potentia passiua non continetur.

VI. Quod attinet ad secundum non defuerunt Theologi, qui verbotenus admitterent mutationem in intellectu, & volun-

tate diuina pro diuersitate temporum, ad quæ referri possunt: nam comparatione diuersorum voluntas non idē vult. Exempli causa antequam Verbum diuinum incarnaretur, ac pateretur, verè Deus volebat, vt incarnaretur, ac pateretur: modo vero iam id non vult, & ita iam non habet voluntatem, quam antea habebat, similiter philosophantur de scientia visionis, quæ pro varietate temporum habet diuersas habitudines: nam modo verè Deus scit Christum incarnatum fuisse, nescit autem incarnandum, quia hoc iam falsum est: contra vero ante incarnationem sciebat Christum incarnandum fore, non vero fuisse incarnatum. Hanc vero mutationem reducunt ad diuersa connotata: Nam, cùm actus liberi Dei compleantur connotatione, siue respectibus ad obiecta, ad quæ referuntur, mutatis obiectis ipsi quoque actus mutantur: probatur autem quoniam propositiones contradictoriæ non verè affirmantur de eodem subiecto pro diuersis temporibus, nisi interueniat variatio penes formam significatam per prædicatum. Ante aduentum Christi hæc propositio, *Deus vult vt verbum diuinum incarnetur*, erat vera, postea vero mansit vera eius contradictoria, nempè, *Deus non vult, vt Verbum diuinum incarnetur*: ergo facta est mutatio penes voluntatem diuinam, quæ est forma, quæ in recto prædicatur.

VII. Non est tamen vllo modo dicendum voluntatem, vel intellectum diuinum mutari, mutatio vero, quam fingunt præfati auctores, est tantum grammaticalis.

Alensis. Albertus. S. Thom. Bonauent. Henric. AEgid. Richardus. Scotus. Sylvest. Palatius. Augustinus.

Prior pars traditur ab Alensi 1. p. quæst. 4. m. 1. ad 4. & quæst. 23. m. 4. art. 6. Albert. in 1. distinct. 45. art. 10. S. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 15. Bonauent. in 1. dist. 35. art. 2. quæst. 2. & dist. 41. art. 2. quæst. 2. Henr. in sum. art. 30. quæst. 4. ad 5. Ægid. in 1. dist. 38. 1. p. quæst. 2. ad 4. Richard. distinct. 41. art. 4. quæst. 1. Scot. dist. 39. quæst. 3. §. *Ad primum argumentum tertiæ quæstionis*: Sylvest. 1. p. conflati quæst. 14. art. 18. Palatio in 1. distinct. 8. disput. 2. posteriore, consentiunt Patres Augustin. lib. 11. de ciuitate Dei cap. 21. *Ille*, inquit, *non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia iam sint, & præterita iam non sint, ipse vero hæc omnia stabili, ac sempiterna præsentia comprehendit, nec aliter nunc, nec aliter antea, & aliter postea, quoniam non sicut nostra, ita & eius quoque scientia trium temporum, præsentia videlicet, præteriti, & futuri varietate mutatur, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio: neq; enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporeo intuitu simul adsunt cuncta, quæ nouit.* & lib. 13. confess. cap. 16. *Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.* & tractat. 23. in Ioann. post medium: *Transi omnem mutabilem Spiritum: transi Spiritum, qui modo scit, modo nescit: modo meminit, modo obliuiscitur: vult, quod nolebat, non vult, quod volebat: siue patiatur iam ipsas mutabilitates, siue pati possit, transi hæc omnia, non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid, quod aliter nunc est, aliter paulò ante fuerit.* Gregor. lib. 16. Moral. cap. 17. in id Iob. 24. *Et nemo potest euertere cogitationem eius, sicut*, inquit, *immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione.* Idem fusè probat Hugo de S. Victore loco cit. cap. præcedenti, cùm igitur scriptura, Patres, & Doctores absolutè negent cadere mutationem in Deo, cauere debemus, nè etiam quoad modum loquendi oppositæ sententiæ fauere videamur. Posterior vero pars eiusdem assertionis constat, quoniam in re ipsa non subest ratio, aut fundamentum mutationis, vt patet ex dictis, & constabit ex dicendis: & proinde licet ex eo, quod propter modum loquendi, & mutationem obiecti de futuro in præteritum primo aspectu videatur interuenisse aliqua mutatio, ratione cuius pro hoc tempore non est vera aliqua propositio, quæ fuit vera pro præterito: hæc tamen mutatio tota est ex parte obiecti, nō autē ex parte voluntatis diuinæ, quæ semper vult id, quod ab æterno voluit. Id vero patet in ipso exemplo incarnationis, quā respectu nostri, ac temporis præsentis futuram Deus modo non vult, hæc tamen voluntas non est noua, sed æterna, Deus enim nunquam voluit vt Verbum æternum, postquam semel incarnatum, & in carne assumpta passum est, iterum incarnaretur, aut pateretur: idemque dicendum de scientia visionis, qua Deus videt idem Verbum diuinum incarnatum, ac passum pro vno tempore, & simul non incarnatum, aut passum pro alio: itaque nolitio vt nunc incarnetur non cœpit post incarnationem, sicut nec visio ipsius iam factæ: sed vtraque fuit ab æterno: Econtra vero volitio vt incarnaretur non cessauit facta incarnatione, siquidem, effectu voluntatis diuinæ in actu posito, non cessat volitio talis effectus: adhuc enim Deus vult Verbum diuinum incarnari pro eo tempore, quo incarnatum

Gregor. *Hugo Vict.*

est,

est, nec ex hoc sequitur vlla varietas, aut successio in voluntate, quoniam eodem actu, quo Deus vult aliquid fore, antequam sit, vult ipsum esse cum est, & fuisse postquam est: & ita non cessat prima volitio, aut succedit altera vt benè notat Gregorius in 1. distinct. 45. quæst. vnica in solutione argumentorum, & probat ex Augustino lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 17. vbi sic ait: *In Deo non alteram præcedentem altera subsequens mutauit, aut sustulit voluntatem, sed vna, eademq; sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt prius non essent egit, quamdiu nō fuerunt: & vt posterius essent, quando esse cœperunt:* Itaque concipere debemus in Deo quendam actum voluntatis adæquatū effectis, siue obiectis volitis, quo in se indiuisibiliter, & æternaliter existens, ac volens determinat, vt res pro tali tempore sint futuræ, pro tali præsentes, pro tali præteritæ: & similiter habet adæquatum actum scientiæ intuitiuæ, quo semper videt res pro tali tempore esse futuras, pro tali præsentes, pro tali præteritas: & quamuis in rebus ipsis sit successio de futuro in præsens, & de præsenti in præteritum, ipsa tamen volitio, aut visio Dei non variatur: quandoquidem semper vult, & videt eas esse pro vno tempore futuras, pro alio præsentes, pro alio præteritas.

Gregor. Augustinus.

VIII. Illa autem variatio grammaticalis sumitur ex parte obiecti: nam, si modo sit obiectum præsens, vel præteritum, non verè dixeris, *Deus vult vt hoc sit futurum, vel scit esse futurum:* quod verum erat affirmare, antequam esset: quoniam in simili locutione inuoluitur varia habitudo ad tempus, respectu cuius res est, aut non est futura: nam, postquam iam actu est, transit tempus, respectu cuius Deus voluit illam esse futuram: & ita modo non rectè dicitur, *Deus vult, vt Verbum Dei incarnetur,* quoniam indicatur Deum velle, vt incarnatio sit pro hoc tempore futura, quod est falsum: tempore verò Moysis rectè dicebatur, *Deus vult, vt Verbum Dei incarnetur,* quoniam connotabatur incarnationis futuritio comparatione illius temporis. Itaque vt docent Alens. & Henr. citati in hac propositione, *Deus vult nunc esse creaturam, quam prius noluit esse,* termini, *nunc, & prius,* vel determinant Verbum, *vult, & noluit,* & in eo sensu propositio est falsa: quoniam significat Deum modo nolle esse creaturam, quam esse voluit ab æterno: quod est falsum, quoniam eadem volitio æterna est etiam nunc in Deo: vel determinant ipsum esse, & in eo sensu propositio est vera: quoniam sensus est, Deus vult creaturam nunc esse, quam prius esse noluit, ita vt *nunc, & prius,* referantur ad esse creaturæ, & non ad voluntatem Dei. Ex quo patet solutio argumenti. Nam ad veritatem propositionis secundum veritatem, & falsitatem, sat est variatio temporis, vel obiecti connotati per prædicatum: vt se res habet in propositionibus adductis: pronunciantur enim varijs temporibus, quorum alteri est futura incarnatio, & ratione eius vera prpositio affirmatiua: alteri vero præterita, & ratione eius manet vera negatiua.

Alens. Henric.

IX. Hæc potius spectant ad modum loquendi, quam ad rem ipsam: si vero de re loquamur pars affirmatiua videtur sumi ex sacris literis, in quibus habetur Deum pœnitere eius, quod fecit, vt in Genes. 6. *Pœnitet me Genes. 6. fecisse eos,* itemque apud Ierem. cap. 18. *Ierem. 18. Agam & ego pœnitentiam.* Præterea Esai. 38. *Esai. 38.* cùm Esaias Dei nomine mortem enunciasset Regi Ezechiæ, postea eiusdem iussu vitam prorogandam prædixit: ex quibus videtur colligi Deum mutasse propositum voluntatis suæ: pœnitentia enim est actus voluntatis oppositus præterito actui eiusdem: suadetur etiam ratione, quoniam in mutatione voluntatis nulla est imperfectio: ergo non repugnat Deo: antecedens ostenditur quoniam vel esset imperfectio physica, vel moralis: nō physica, quoniam, vt patet ex dictis, actus voluntatis diuinæ non sunt suapte natura mutationes: ergo quamuis Deus in tempore eliceret nouum actum, aut antiquum omitteret, nequaquā mutaretur physicè: cumque actus liberi nō sint perfectiones simpliciter, ex eo, quod cessaret ab actu, quē ab æterno elicuit, nulla perfectio decederet, & consequenter ex eo, quod Deus mutaret propositū voluntatis suæ, nō incurreret vllam imperfectionem physicam: non ité moralem: nam mutare animi propositum pro diuersitate casuum occurrentium, nulla est imperfectio moralis: sed in discursu rerū ab initio mundi vsque ad finem multa accidunt, quæ postulant diuersos actus voluntatis diuinæ: ergo non esset imperfectio moralis, si Deus pro illorū varietate mutaret propositū voluntatis suæ. Assumptio est euidens: nam propter varietatem, & inconstantiam voluntatis humanæ multa fiunt, quorum alijs debetur punitio: alijs remissio, & indulgentia: ergo in rebus ipsis sunt obiecta, quæ postulant successiuè actus oppositos: vt in vno Paulo videre est, qui dum erat persecutor, erat obiectum odij, ac detestitiæ diuinæ: cùm vero conuersus veniam petijt, obiectum misericordiæ: cùm deinde

crescere de virtute in virtutem, obiectum liberalitatis, & magnificentiæ diuinæ.

X. Multipliciter fingi potest mutatio actuum liberorum voluntatis diuinæ, primo quidem ex vno actu in alterum illi oppositum, deinde vero ex omissione actus in nouum actum. Denique ex actu ad cessationem illius. Primum quoque membrum bifariam adhuc diuidi potest: nã vel actus sunt omnino oppositi, ita vt per secundũ repudietur id ipsum, quod per priorem approbatur pro eodẽ tempore, & omnibus omnino circunstãtijs: vt si, cùm Deus ab æterno statuisset Verbum diuinum incarnari pro eo tempore, quo de facto incarnatum est, postea nollet vt pro eo ipso tempore incarnaretur: vel actus sunt quidem oppositi respectu obiecti, non tamen respectu temporis, & aliarum circunstantiarum, vt si Deus primum quidem vellet creare hominẽ in aliquo tempore, deinde vero propter eius scelera vellet eundẽ iam creatũ in nihilum redigere: per secundum enim actum nõ repudiatur id ipsum, quod per primũ appetitur, imò supponitur executioni mandatum, sed appetitur aliquid illi contrarium: quo posito destruitur obiectum prioris actus: omnis autem varietas quocunque modo ex prædictis sit, repugnat immutabilitati diuinæ: mutationem enim voluntatis præcipuè respexit D. *Iacob. 1.* Iacobus cap. 1. cùm dixit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* In particulari vero non cadere in Deum mutationem, quæ est de actu in actum omnino contrarium, probat Philo in lib. *Quod Deus sit immutabilis*: non longè à principio, *Philo.* & patet Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*: vbi *Num. 23.* propriè sermo est de mutatione priore modo dicta, vt patet ex verbis, quę sequuntur: *Dixit ergo, & non faciet, locutus est, & non impleuit.* Nam cum Balaam quodam ex loco populum benedixisset, & ductus esset à Balac ad alium, vt exinde malediceret, respondit verba citata, quasi diceret, fieri nõ posse, vt cum ex voluntate Dei benedixisset, postea ex beneplacito ipsius malediceret, quia tunc mutaretur Deus, vt homo: quæ mutatio esset respectu eiusdem omnino: Idem habetur lib. 1. Regum cap. 15. *1. Reg. 15.* *Porro triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neq; enim homo est vt agat pœnitentiam.* Actus autem pœnitentiæ fertur supra idem omnino obiectum, ad quod terminatus fuerat actus complacentiæ. Quod attinet ad cæteros modos, si sunt veræ mutationes physicæ, de fide quoque est non cadere in Deum propter communem rationem immutabilitatis: in particulari vero non est manifestus locus Scripturæ, ex quo colligatur eos repugnare Deo, nisi forte ex cap. 19. Prouerb. vbi sic habetur: *Prouerb. 19.* *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternũ manet*: Nam, cùm Scriptura æternitatem voluntatis diuinæ contraponat multiplicitati actuum voluntatis humanæ, & hæc patiatur omnes illos modos mutabilitatis, videtur eos omnes excludere à voluntate diuina, maximè quia quælibet ex illis mutationibus pugnat cum æternitate, vt per se patet: cùm ergo Scriptura dicat voluntatem Dei actualem (de hac enim loquitur) in æternum manere, consequenter excludit ab ea omnem rationem mutationis, qua dissoluitur ratio æternitatis.

XI. Si vero rationem consulamus, aut loqui possumus de facto, aut de posibili, & quidem communis sententia nullam ex illis mutationibus admittit in actibus diuinis. Ad probandum vero de facto non competere, non suggerit lumen naturale vllum fundamentum aliud, quam id, quod sumitur à repugnantia, si enim non repugnaret ea varietas in actibus Dei liberis, cùm ij lateant naturalem vim intellectus creati, non est vnde is cognoscere certò possit, vtrũ detur penes eos varietas necnè? recurrendum itaque est ad repugnantiam. Potissima est ea, quæ sumitur à dissolutione entitatis actualis actus necessarij, quæ sequitur ex mutatione penes actus liberos: si vero destruatur actus necessarius, Deus non erit actus purus, & omnino simplex, non ens à se, sed subditus actioni alterius agentis: quæ omnia sunt aliena à natura Dei: quare repugnat omnino mutari Deum penes actus liberos: mutato vero actu libero dissolvi necessarium ostenditur, quoniam posito obiecto actus vitalis sub ratione formali actualiter terminatiua actus fieri nequit, vt actus desinat terminari ad obiectum nisi mutetur quoad proprium esse reale, vel aliquem modum eius positiuum. At vero posito actu libero Dei datur obiectum sub ratione formali actualiter terminatiua ipsius: ergo non potest non ad ipsum terminari, nisi mutetur entitatiuè, aut simpliciter, aut saltem secundum quid, quo ad aliquem modum positiuum. Verum hoc fundamentum nonnihil difficultatis habet in sequentibus explicandum, nunc sat est illud attigisse.

XII. Auctoritates sacrarum literarum, quibus agitur de pœnitentia Dei, intelliguntur à Patribus non de vera, ac propria pœnitentia, sed de metaphorica: quia scilicet

Deus

Deus habet se instar hominis pœnitentia ducti, qui quantum in se est, dissoluit, ac destruit opus cuius facti pœnitet: Nam Deus hoc modo per diluuium omne fere genus humanum, & pleraque ad illud spectantia perdidit, & hominibus agentibus pœnitentiam de culpis remittit pœpro ijsdem debitis. Iam vero cum iusserit Esaiæ, vt suo nomine mortem Ezechiæ denunciaret, nõ habuit absolutam voluntatem, vt moreretur, sed enunciari voluit id, quod erat in causis naturalibus, vt explicat D. Thom. 1. p. q. 19. art. 7. ad 2. atque adeò nulla ibi interfuit mutatio voluntatis. Ad argumentum negandum est antecedens: & ad eius probationem dicendum, si Deus mutet voluntatem, debere dari physicam mutationem. Ad cuius impugnationem respondeo negando consequentiam: nam etiam processiones diuinæ secundum se spectatæ non sunt mutationes, & tamen si fierent in tempore, essent mutationes, vt dictum est cap. 7. Hæc breuiter sufficiant in præsentiarum pro solutione huius argumenti. Nam de tota eius materia scilicet de mutatione physica, ac morali, quæ interueniret, si Deus actu admitteret varietatem penes actus liberos, fusius agendum est capitibus sequentibus.

Si in Deo esset varietas penes actus liberos, esset vera, & non adumbratilis mutatio, moralis tamen non semper repugnaret Deo ex propria ratione.

Caput X.

1. CVm omnes negent fieri posse, vt detur aliqua vicissitudo penes actus Dei liberos, differunt tamen penes fundamentum huius veritatis: quo explicato manet expedita tertia difficultas ex cap. præcedente. Hoc reiecta. Nonnulli asserunt, etsi daretur ea vicissitudo, Deum non fore re ipsa mutãdum, propterea quod, cùm actus liberi Dei nostro intelligendi modo censeantur compleri absque additione alicuius entitatis positiuæ per solum respectum rationis ad creaturas, ad quas terminantur, etiamsi ex tempore inciperent, aut desinerent, nihil positiuum accederet, vel decederet, & consequenter non esset vlla mutatio. Patet consequentia, quoniam ex solo accessu relationis rationis res non dicitur mutari. Aiunt nihilominus hoc repugnare Deo: quoniam licet non sit mutatio, est tamen vicissitudinis obumbratio: quæ etiam repugnat Deo, vt dicitur Iacob. 1. Hæc tamen sententia est singularis contra communem Philosophorum, ac Theologorum: namque vt vidimus cap. 8. ipsi etiam Philosophi agnouerunt Deum fore mutandum, si inciperet de nouo velle aliquid, quod non voluisset ab æterno, idemque communi consensione asserunt Theologi. Deinde vero supponit vicissitudinis obumbrationem esse aliquid diuersum à transmutatione, quod tamen est falsum: nã propriè loquendo non datur medium inter mutationem, & immutabilitatem, vel enim res intrinsecè se habet aliter, atque antea, vel non, si se aliter habet, mutatur, si non, immobilis perseuerat. Diuus autem Iacobus addidit illa verba ad explicandam rationem mutationis, quam Deo negat, quæ in vicissitudine consistit: cùm vero dicitur vicissitudinis obumbratio, sensus non est dari aliquem modum varietatis, qui nõ sit re ipsa mutatio, sed quasi vestigium aliquod, aut similitudo vicissitudinis: vera itaque sententia D. Iacobi est ipsammet mutationem, siue vicissitudinẽ esse obumbrationem quandam perfectionis, cui accidit: quia enim D. Iacobus vocauerat Deum Patrem luminum persistens in metaphora solis ait non esse concipiendum ad instar solis materialis, qui mutatis vicibus obumbratur. Denique si sola variatio penes relationem rationis inducit vicissitudinis obumbrationem, non deberent admitti in Deo plures aliæ relationes eiusmodi: quibus de nouo afficitur, ac denominatur, quod tamen est contra communem sententiam Theologorum, dicitur enim de nouo creator, Rex, & Dominus, vt constabit cap. 12. Ex eo igitur præcisè quod fingantur aduenire Deo noui respectus rationis, minimè consequitur ea vicissitudinis obumbratio, quam negat D. Iacobus; si vero respondeant hanc vicissitudinem habere locum in respectibus fundatis in actionibus transeuntibus, non vero in immanentibus, quandoquidem vt docet Diuus Thom. 1. p. q. 14. art. 15. ad 1. respectus, qui fundantur in actionibus immanentibus, conueniunt Deo ab æterno, & inuariabiliter, qui vero fundantur in actionibus transeuntibus, cõueniunt ex tempore, opus est vt reddant rationem, cur potius repugnet in his, quam in illis, si enim vtrique respectus adueniunt absque vlla additione positiua ad entitatem diuinam, cur fundati in actibus immanentibus variari nequeunt, possunt autem illi, qui fundantur in actionibus ad extra,

Iacob. 1.

S. Thom.

II. Quidam alij existimant in actibus voluntatis diuinæ, hoc non repugnare immediate ex immutabilitate physica, sed morali. Ratio prioris est, quoniam, inquiunt, actus liber non addit aliquid positiuum supra necessarium, sed solum habitudinem rationis, & connotationem ad obiectum extrinsecum, accessus autem, vel recessus habitudinis huiusmodi, cùm non ponat, aut tollat aliquid positiuum, non inducit mutationem physicam, posito enim quod Deus nunc vellet aliquid, quod ab æterno noluerit, non opus erat nouo actu, sed solum noua habitudine terminationis ad obiectum: si quis vero obijciat etiam scientiam liberam Dei addere supra necessariam solum respectum rationis, & tamen mutatio penes illam, si daretur, non esset moralis, vt patet, quoniam pura omissio, aut contrarius actus scientiæ secundum se non habet necessario annexam mutationem moralem: ergo esset physica: atque adeò cum sit par ratio in voluntate, hæc quoque physicè mutaretur, si supponamus dari aliquam varietatem penes actus Dei liberos. Respondent esse disparem rationem: nam stante eodem obiecto scibili fieri nequit, vt scientia incipiat, vel desinat, quin aliquid reale de nouo adueniat vel decedat ipsi scientiæ: neque enim tali scientiæ accidere potest variatio ex parte solius obiecti, omnis enim res futura in aliqua differentia temporis, quantum est ex se, semper est scibilis: quoniam in æternitate verum est illam fore, vel non fore pro tali tempore: quod si non semper sciatur, non aliunde prohenier, quam ex imperfectione scientiæ, quæ vel limitata est, vel sumitur à rebus: & idcirco additio eius nō fiet per variationem obiecti, sed per reale augmentum: & consequenter per veram mutationem ipsius scientiæ: Voluntas vero non habet eandem proportionem ad obiectum ipsius, quatenus libera est: nam quamuis obiectum sit aptum in actu primo terminare actus voluntatis, non proinde illa est imperfecta, etiamsi in illud actu non feratur, & idcirco ex defectu terminationis voluntatis ad suum obiectum non arguitur defectus ipsius, & consequenter neque mutatio physica, colligitur autem ex varietate terminationis intellectus ad suum obiectum. Fundamentum posterioris est: quoniam mutatio voluntatis arguit quandam animi inconstantiam, & imprudentem modum se gerendi in suis decretis: quemadmodum in homine imperfectio existimatur, si sit in suo proposito mutabilis, non solum propter variationem entitatis actus, sed multo magis propter animi inconstantiam. Nam, si per impossibile per eandem actus entitatem posset homo variare propositum, & nunc velle, postea nolle, magna esset imperfectio. Hoc autem posito inferri potest voluntatem ita moraliter mutabilem esse finitam, & non rectam per essentiam, & consequenter eam mutationem moralem non accidere sine physica. Hæc tamen illatio, inquiunt, non est per locum intrinsecum, sed extrinsecum: quemadmodum in similibus alijs apparet: etenim moralis imperfectio, qua talis, per locum intrinsecum non arguit mutationem physicam. Nam, si per impossibile concedamus Deum habuisse ab æterno voluntatem mentiendi, esset quidem imperfectio moralis opposita virtuti veracitatis, non tamen mutatio physica, vt re ipsa non sunt reliquæ volitiones Dei liberæ: ex morali tamen illa imperfectione recte sequitur Deum non esse infinite perfectum, & consequenter physicè mutabilem. Quod vero in mutatione voluntatis sit moralis imperfectio, videtur (inquiunt) ex terminis notum: quoniam est quædam inconstantia, & modus operandi, vel ex inconsideratione, vel ex imprudentia procedens.

III. In hac re est vnum certum, alterum versatur in controuersia: certum est nonnullas mutationes penes actus Dei liberos, si darentur, continere imperfectionem moralem, & ideò esse ex hoc capite impossibiles, quamuis non esset physica mutatio: vt cernere licet, si Deus id, quod semel vero animo promisit, adimplere nollet: Versatur vero in controuersia, vtrum quæuis noua inceptio, ac desitio actus liberi futura esset in Deo imperfectio moralis. Vt autem, quid dicendum sit, appareat, oportet præscindere à quauis operatione libera omnem imperfectionem, quę ex alijs radicibus prouenire posit, & considerare solum imperfectionem mutationis moralis. Quatuor vero considerari possunt in morali mutatione: inprimis ipsa physica mutatio, à qua modo abstrahimus: deinde malitia, quam habere potest actus liber ab obiecto, ad quod de nouo terminatur, verbi gratia à mendacio, aut periurio, in quod voluntas fertur de nouo, & hæc licet necessario inducat imperfectionē moralem, non tamen reperitur in omnibus obiectis: & ideò ex ea nō potest sumi ratio vniuersalis. Tertio limitatio perfectionis subiecti habentis nouam volitionem: quod quia non est bonum essentialiter, sed accidentaliter

sit suis

sit suis actibus melius, aut deterius: & hæc conditio locum non habet in Deo, cuius bonitas est suamet substantia, neque vllo modo suis actibus liberis perficitur. Vltimo tandem sola ipsa moralis mutatio voluntatis in oppositum actum, vel obiectũ, abstrahendo ab omnibus alijs extrinsecis: & de hac nude cõsiderata secundùm suam rationẽ communẽ est præsens difficultas.

IV. Dico primum præcisa ratio mutationis voluntatis liberæ ab vno volito in aliud, vel ab vno actu in alium, non est imperfectio moralis, & consequenter ex hoc capite non repugnat Deo: probatur quoniam si secluſis omnibus aliis per intellectum sola mutatio voluntatis esset imperfectio moralis, quotiescunque voluntas mutaretur, daretur eiusmodi imperfectio & defectus moralis: hoc vero est falsum, ergo sola mutatio de se non est imperfectio moralis. Assumptio patet, quoniam siquis habeat propositum ducẽdi vxorem iuxta regulas castitatis, & iustitiæ, illudq; postea mutet in propositum assumẽdi statum religiosum, non incurret vllum defectum moralẽ: ergò præcisa mutatio voluntatis nõ dicit vllam imperfectionem moralem: hæc enim habet rationem mali, ita vt eius oppositum sit melius: mutare verò propositum ducẽdi vxorem in votum Religionis, si omnia alia abstrahãtur, nullam habet rationem mali, imò vero est melius, quã perseuerantia in priore proposito. Et cõfirmatur quoniã secluſa omni alia malitia ab obiecto nõ apparet in mutatione voluntatis alia ratio malitiæ, quam inconstãtia: hæc autem nunquam incurritur, quoties propositum mutatur in melius. At inquies, Deus semper facit quod melius est, consequenter si resiliret à proposito faciendi, quod semel decreuit, non effugeret inconstantiæ vitium. Hæc tamen euasio est friuola. Nam Deus non facit absolute, quod melius est, sed solum quod melius est posito decreto voluntatis suę, etenim considerans absolute obiectis secundùm se potuisset facere plura meliora his, quæ facit: si ergò postquam semel voluit aliquid ex ijs, quæ efficit in hoc rerum genere, mutaret voluntatem, & vellet facere oppoſita ijs meliora, inconstans nequaquam diceretur. Secundo, si non repugnaret Deo mutabilitas Physica voluntatis, & more creaturarum pro præsentibus circumstantiis, hoc, vel illud vellet, profecto nemo illum inconstantiæ argueret si creans Adamum in statu gratiæ, vt sic illum perduceret ad gloriam, & simul nollens absolutè Christum nasci, postea videns Adami ruinam mutaret eiusmodi propositum decernens incarnationem Verbi: nam, si in hoc casu abstrahamus à mutatione Physica, & defectu ignorantiæ, quam ex impossibili supponimus, sola ipsa mutatio decreti nullam habet imperfectionem. At inquient, quamuis in hoc casu non esset inconstantia ob ignorantiam circumstantiarum, queis de nouo cognitis pro tempore, & loco mutatur consilium absque imperfectione morali, tamen posita scientia omnium circumstantiarum, qualem Deus habuit, non posse non argui inconstantiæ, si nulla omnino causa interueniente propositum mutet: cur enim mutaret nisi ex leuitate animi? sed enim scientia circumstantiarum non arguit inconstantiam, quando mutatio fit in melius, vt videre est in casu superiùs posito: non enim ille, qui propositum contrahendi mutauit in votum Religionis inconstans est, quamuis cum plena notitia vtriusque obiecti, & ab initio vellet contrahere nuptias, & postea notitia eadem permanente vellet ingredi Religionem abiecto desiderio nuptiarum. Denique, si ex sola mutatione voluntatis circa obiectum pro eodem tempore consideratum adest imperfectio moralis, & inconstantia, etiam aderit ex mutatione voluntatis penes obiecta pro alio atque alio tempore, hoc autem est falsum: ergo, & illud. Illationem propositionis ostendo, inconstantia non tantum cernitur in eo, quod quis semel voluit voluntarie refutando, hoc est in mutando ipso voluntatis proposito, sed etiam in permutatione ipsius operis boni inchoati: Nam si quis homo vnico, & indiuiduali actu voluntatis proponeret ingredi Religionem hoc anno, & eo finito exire, & viuere in sæculo per aliquot menses, & rursus aliam ingredi Religionem, & viuere in ea per mensem, & illo exacto iterum abiicere habitum monachalem, profecto inconstans esset vitio oppoſito perseuerantiæ, quamuis illo vnico actu vellet simul omnia eiusmodi obiecta, quoniam actus ille æquipolleret multis actibus, qui laborarent vitio inconstantiæ: Assumptio ostenditur, quoniam de facto admittenda esset hæc imperfectio in Deo: nam in vno, ac simpliciſsimo actu voluntatis ipsius, datur hæc varietas penes obiecta: nam voluit pro vno tempore creare hominem, & propagari genus humanum super terrã, postea omne illud paucis exceptis diluuij aquis absumpsit: constat ergò ex eiusmodi varietate non

sumi vitium inconstantiæ quoniam abest propria ratio formalis inconstantiæ oppositæ perseuerantiæ, qua desistimus ab vno incepto ob difficultatem exortam ex diuturnitate actus: ergò si per impossibile Deus mutaret propositum de re semel volita, non ob difficultates in continuando actu, non esset inconstans vitio opposito perseuerantiæ: non item vitio opposito prudentiæ, si mutaret melius: quandoquidem inconstantia prudentiæ opposita, vt iam dixi, & docet Diu. Thomas secunda secundæ, quæstio. 53. artic. 5. solum est quando receditur à bono ad malum, vel à meliore bono ad minus bonum. Quare non video vllam rationem moralis imperfectionis in sola mutatione propositi semel suscepti, nisi ex aliquo extrinseco principio accedat aliqua ratio deformitatis: qualis non adesset, si Deus ex sola proprij arbitrij libertate mutaret voluntatem in melius obiectum.

S. Thom.

V. His in commune ostenditur ex præcisa mutatione voluntatis diuinæ, si non adsit vlla alia circumstantia vitiosa, nequaquam sequi moralem imperfectionem. Nunc in particulari ostendere oportet nequaquam sequi in singulis modis, quibus fingi potest mutari voluntas diuina. Primus modus est si fingamus Deum ab æterno nullum prorsus actum liberum elicuisse, postea verò in tempore voluisse aliquid libere. Secundus est, si cùm habuisset ab æterno actus liberos, eosdem in tempore omitteret. Tertius denique, si voluisset oppositum eius, quod voluit ab æterno. Et quidem iuxta priorem modum nulla omninò sequitur imperfectio moralis: Nam cæteris paribus circa obiectum bonum perfectius omninò est agere, quàm omittere: atque adeo transitus de quiete ad actum secundùm se non arguit vllam imperfectionem: neque est vlla inconstantia, aut leuitas incipere de nouo rectè operari: alioquin quoties nos aggredimur nouam operationem, essemus arguendi inconstantiæ, quod est apertè falsum. At inquient, cùm æterna illa omissio non leuiter, & ex ignorantia, vel perspectis omnibus circumstantijs fuerit electa à Deo, nonnihil leuitatis esset, si ab ea in tempore recederet: Sed hæc responsio facilè impugnatur argumento superiùs indicato, quotiescunque enim relinquitur minus bonum propter maius, non est vlla leuitas, aut inconstantia: secundum se autem melius est exercitium actus, quam eius omissio: quare in transitu de omissione ad exercitium actus, nulla est moralis imperfectio. Respondent iterum, repugnare vt Deus ab æterno cesset ab omni actu: atque adeo nouam nceptionem non repugnare ratione immutabilitatis, sed ratione summæ perfectionis diuinæ; ratione cuius Deus habet actum adæquatum circa omnia possibilia determinando illa ad esse, vel non esse: sed neque hæc responsio sufficit: tum quia etiamsi fieri nequeat, vt Deus careat ab æterno actu libero circa alteram partem contradictionis cuiuslibet entis creati, tamen ac inuestigãdam rationem propriam alicuius rei fieri potest suppositio impossibilis: Ea verò facta manifestè sequitur in transitu ab otio ad actum nullam dari imperfectionem moralem: sequitur verò dari Physicam, vt ostendam capite sequente: Ex quo tandem concluditur eiusmodi transitum repugnare ratione immutabilitatis Physicæ, non moralis.

In secundo modo nonnulla apparet ratio inconstantiæ, & leuitatis moralis: quoniam reliquis paribus semper actus est perfectior quiete: & proinde transitus de actu ad otium videtur quidem recessus ab eo, quod melius est, & consequenter inconstantia, & imperfectio moralis. Verum si res in rigore expendatur, sola cessatio ab actu non est inconstantia, nisi adsint aliquæ circunstantiæ: quandoquidem inconstantia non minus cernitur in interruptione, vel omissione actuum interiorũ, quàm exteriorum: puta verò omisio exteriorum, nisi adsint aliquæ circunstantiæ, quibus vitietur, nõ est inconstantia, aut imperfectio moralis: ergò neque omisio interiorum. Maior patet quoniam vtrique actus pertinent ad genus mortis. Assumptio probatur, quoniam si quis intendat lectioni, vel alteri exercitio exteriori non erit inconstans, si illud interrumpat: neque Deus in fine mundi erit inconstans ex eo, quod cesset ab operationibus, quas modo exercet in hoc mundo inferiore, tàm ad propagationem viuentium, quam ad iustificationem, & consummationem electorum. Secundo vitium inconstantiæ non consistit in pura omissione alicuius actus, sed eius, circa quod præcesserit voluntaria electio, sed non necesse est vt actum liberum voluntatis diuinæ præcedat alius actus, quo in æternum eligatur; ergò, quantumuis ab illo cesserur, nulla erit inconstantia. Video responderi posse in resiliendo ab ipsamet electione posse inter-

VI.

uenire

uenire inconstantiam : & proinde, licet non præcesserit in Deo vlla electio , qua actus proprius eligatur in sempiternum, ipsammet cessationem actus esse inconstantiam : sed neq; hoc effugium satis est : nam dupliciter possumus electionem relinquere, vel refutando obiectum electũ, & nollendo illud persequi, vel solum interrumpendo actũ electionis: si priore modo recedatur ab electione, erit mutatio, & imperfectio moralis, non aũt si posteriore; non enim dicimus inconstantes eos viros, qui non semper perseuerant in ipso electionis actu, dummodo non refutent obiectũ electum: hoc autem loco solum consideratur ipsa cessatio præcisa, vel interruptio actus diuini sine positiua refutatione obiecti per illum electi: atque adeo ex ea non sequitur inconstantia moralis.

VII. Denique, si tertio modo se haberet, & eligeret minus bonum repudiato maiore, sequeretur forsan aliqua imperfectio moralis, nimirum inconstantia; quę, vt ait Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 53. art. 5. importat recessum quendam à bono proposito; si verò eligeret æquè bonum, vel melius, non cernitur vlla ratio inconstantiæ : alioquin etiam in homine hæc vicissitudo electionis esset vitiosa, hoc autem est manifestè falsum, si loquamur de noua electione melioris boni , vt iam suprà ostendi , si verò agamus de noua electione æqualis boni , etiam non apparet ratio inconstantiæ, alioquin omnis, qui propositum faciendi alicuius boni mutaret in appetitum alterius boni similis, vel æqualis, semper peccaret nisi excusaretur ex aliis circunstantiis: Id verò absurdum est , quoniam simplex propositum præstandi aliquod bonum nullam obligationem inducit, quæ non fuerit ante illud propositũ : illo verò præciso æque bonum est vnum , vel alterum opus agere: ergò nullum vitium est mutare propositum faciendi aliquod opus in alterum æquè bonum. Dixi verò, si mutatio fieret à Deo in opus minus bonum , fore forsan mutationem moraliter vitiosam : quoniam , etsi illud detur, adhuc restabant aliæ mutationes , in quibus nulla interueniret imperfectio moralis : ac proinde ex hoc capite non sufficienter defenditur immobilitas diuinæ voluntatis secundùm actus liberos. Verum , si rem exactè perpendamus, neque in eo casu esset vlla imperfectio moralis Dei, etiamsi per impossibile refutaret maius bonum prius electum, & de nouo eligeret minus. Cuius fundamentum est, quoniam, vt superiùs ex Diuo Thoma dictum est, propria ratio inconstantiæ non consistit in simplici mutatione propositi , sed proueniente ex defatigatione , aut difficultate operis : quæ ratio minimè in Deum caderet, posset enim illud mutare ex præcisa libertate voluntatis , & iudicio intellectus dictantis non esse in illo opere necessariam connexionem cum summa bonitate ipsius : & consequenter posse pro libito commutari in aliud, quod ex se non habeat repugnantiam cum eadem bonitate diuina. Et confirmatur, quoniam inconstantia est in creaturis, quæ suis actibus perficiuntur, & propter animi debilitatem desistunt ab executione operis, quæ est propria ipsorum perfectio. Deus autem est summe perfectus in se, neque vllo modo perficitur operibus suis , neque est magis bonus operando meliora, ac maiora, quàm minora, vel etiam nihil operando : ergò ex eo, quod mutaret propositum faciendi operis melioris in propositum minus boni, non incurreret vllam imperfectionem moralem. Denique imperfectio moralis in eo casu aut se haberet ex parte intellectus, aut ex parte voluntatis : non ex parte intellectus, supponamus enim esse tunc Deum perfectum quoad actus intellectus, sicut modo est, & solum intercedere mutationem voluntatis. Video responderi posse semper iudicium practicum , siue imperium intellectus præcedere actum voluntatis, & proinde si hic mutetur, mutandum quoque fore actum intellectus, in qua mutatione est aliqua imperfectio moralis. Verum, si in mutatione actus voluntatis non est imperfectio , neque erit in dictamine præuio: non enim est vitium morale imperare actum, in cuius exercitio non est vllus defectus moralis: & saltem concedi debet hoc vitium intellectus habere principium à vi appetitiua, vt docet Sanctus Thomas secunda secundæ quæstion. 53. articul. 3. & ideo tota difficultas consistit in ostendendo in mutatione ipsa voluntatis nullum vitium reperiri : ostenditur autem, quoniam solum se offert vitium oppositum perseuerantiæ, vel constantiæ : quarum prior facit proprie persistere in bono contra difficultatem, quæ prouenit ex ipsa diuturnitate actus, posterior vero contra difficultatem, quæ prouenit ex quibuscunque aliis impedimentis, & ideo primæ opponitur mollities, qua facilè redditur à bono propter difficilia, quæ aliquis sustinere nequit , vt ait Diuus Thomas, S. Thom. S. Thomas.

secunda

secunda secundæ quæst. 138. artic. 1. Secundę verò opponitur inconstantia, ratione cuius mens, cum posit resistere impulsui passionis, non resistit ex debilitate, nec tenet se firmiter in bono proposito concepto, vt ait D. Thomas 2. 2. quæst. 53. articul. 5. Deus autem in suppositione, de qua loquimur, non desisteret à bono propter vllam difficultatem, nec ex debilitate, sed ex pura electione, ac libertate: quæ sequeretur dictamen intellectus iudicantis nihil ad propriam Dei perfectionem facere, vtrum hoc, vel illud faciat: nec sibi esse melius moraliter facere opus externum melius, omisso minùs bono, sed æquè bonum, ac perfectum esse, siue hoc, siue illud agat, siue omninò nihil operetur ad extrà.

VIII. Quod verò attinet ad scientiam visionis, posito obiecto necessitate Physica sequitur Deum id scire, & ideo si constante veritate obiecti Deus inciperet de nouo, aut desineret scire aliquid, euidèter sequitur Physica mutatio in ipsa scientia: nam ratione alicuius additi de nouo tenderet in obiectũ iam ante scibile, & ratione alicuius defectus desisteret ferri in obiectũ persistens in sua veritate, & cognoscibilitate. Et idcircò immutabilitas scientiæ diuinæ circa obiectum perseuerans sub eadem veritate, & scibilitate, nascitur immediate ex natura ipsius scientiæ.

IX. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo, si supponatur manere actum Dei necessarium, & solum desiderari respectum rationis ad obiectum, non fore Physicam mutationem: Verum suppositio est falsa: nam, si quouis modo fieret mutatio voluntatis diuinæ liberæ: non solum mutandus esset respectus ille ad extrinsecum obiectum connotatum, vt supponit argumentum: sed ipsa quoq; entitas actus diuini, vt fusiùs ostendam capite sequente. Nam quemadmodum scientia visionis supra scientiam Dei naturalem solam addit habitudinem rationis ad obiectum, & tamen, si mutetur, sequitur nó solum tolli huiusmodi habitudinem, sed ipsammet entitatem scientiæ variari, ita dicendum est in voluntate. Ad argumentum pro impossibilitate morali patet solutio ex dictis: non enim quæuis mutatio voluntatis est moraliter imperfecta: sed ea qua desistitur à meliore bono: in Deo verò possemus fingere mutationem de bono in melius: & ita in ea non esset imperfectio moralis. Ad suppositionẽ verò illam, quod homo vnico actu, atque immutabili successiue vellet diuersa obiecta, patet etiam solutio: non enim hoc ipso esset inconstans, si cum primum voluisset bonum aliquod, postea eodem actu vellet aliud perfectius.

Immutabilitas actuum liberorum voluntatis diuinæ, & scientiæ visionis oritur ex repugnantia Physica.

CAPVT XI.

I. SVperiore capite ostendi non in omni mutatione actus liberi interuenire imperfectionem moralem, & proinde non posse ex ea sumi rationem adæquatam immutabilitatis actuum liberorum voluntatis diuinæ: sequitur modo, vt hoc capite ostendam, si ea varietas daretur, interuenturam fuisse mutationem Physicam, ita vt secluſa per intellectum omni morali imperfectione, & non curando vtrum mutatio volũtatis sit bona, vel mala moraliter, sequatur aperta contradictio posita ea mutatione: & hæc nó extrinsecus, aut remote, sed ex natura ipsius actus diuini liberi. Quã sententiam tuentur ex Scholasticis Bassolis in 1. d. 45. q. 2. art. 3. Holkoth quæst. 11. determinat. articul. 3. ad 2. Franciscus Lychetus in 1. dist. 45. quæst. vn. conclusione 2. & Ferrarien. libr. primo contra Gentes, cap. 83. §. *Circa istam*, & videtur expressa Augustini sententia libr. 12. confess. capit. 15. vbi dictum sibi fatetur in aurem interiorem ab ipsa veritate: *De vera æternitate creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius substantiam sit: vnde non eum modo velle hoc, modo velle illud, sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum, neque nunc ista, nunc illa: nec velle postea, quod nolebat, aut nolle, quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est: Deus autem noster æternus est:* nam, si mutatio voluntatis non est Physica, etiamsi daretur in Deo, non tolleretur æternitas illius: siquidem per mutationem voluntatis nihil positiuum ab eo recederet: Ideo verò August. in principio dixit, quod voluntas nó sit extra substantiã, quia ex mutatione voluntatis diuinæ illaturus erat substantiæ mutationem. Vt autem hoc ipsum ratione confirmem, suppono id, quod est cómune inter Theologos, scilicet actum liberum esse vitalem ipsam perfectionem volitionis diuinæ naturalis cum connotatione ad obiectum futurum in aliqua differentia

Bassol. Holkoth. Lychetus. Ferrarien. Augustinus.

temporis:

temporis: ita vt libertas non consistat in eliciendo actum distinctum à naturali, & suaptè natura indifferente quoad entitatem, sed in terminatione ad obiectum externum: quod, hoc ipso, quo terminat actum liberum voluntatis diuinæ; transit de esse posibili ad esse futurum. Deinde, eum ex vero non nisi verum rectè colligatur, vt tradit Aristoteles libr. 1. Poster. t. 17. suppono etiam, quod euidens est, si ex duabus positionibus altera vera, altera impossibili sequatur aliqua contradictio, causam eius esse suppositionem impossibilem, non autem veram.

II. His positis ostendo institutum. Quando nulla ratione habita moralis imperfectionis ex mutatione aliqua sequitur implicatio, mutatio eiusmodi est Physice impossibilis: & consequenter immutabilitas, siue repugnantia subiecti ad illam est Physice necessaria: sed si voluntas diuina mutetur, ita vt nolit craſtina die fieri aliquid, quod ad æterno decreuit, vt cras fieret, necessario sequitur contradictio, etiamsi non habeatur ratio moralis imperfectionis: ergò immutabilitas voluntatis diuinæ est Physice necessaria, & ideo si variatio ipsius per impossibile concedatur, non solum erit moralis, sed Physica. Maior propositio est nota ex terminis. Nam, quando aliquid repugnat ex vna tantum radice: illa seclusa non repugnabit, si enim non habita ratione illius adhuc repugnat, manifestum est ex alio etiam capite repugnare: quare si abstrahendo prorsus ab imperfectione morali, adhuc manet implicatio secuta ex mutatione voluntatis diuinæ, perspicuum est hanc mutationem non solum moraliter: sed Physice etiam repugnare. Assumptionem verò, vt ostendam, suppono voluntatem Dei, cum fingi posit mutari multis modis, ita mutari, vt postquam voluit aliquid ab æterno, id ipsum nolit in tempore: verbi gratia, Deus ab æterno habuit decretum de futura incarnatione Christi, & ita hæc propositio: *Deus voluit Christum nasci ex Maria Virgine*, est vera ab æterno: deinde verò fingamus aliquem viuentem tempore Moysis falsò asserere hanc, *decretum voluntatis diuinæ de incarnatione Verbi ex Maria Virgine, nunc mutatur à Deo*. Tunc sic probo assumptionem. Ex duabus his suppositionibus sequitur implicatio, etiamsi non habeatur ratio imperfectionis moralis: pars illa, quæ sequitur ex priore suppositione vera, necessario erit vera, ne demus ex vero colligi falsum: ergo illa erit falsa, quæ sequitur ex secunda suppositione impossibili, & consequenter illa est impossibilis Physice. Contradictio verò, quæ sequitur, est hæc: *Christus nascetur ex Maria Virgine, Christus non nascetur*, quod autem sequatur ostendo: impossibile est hanc esse veram: *Deus vult ab æterno Christum nasci ex Maria Virgine*; quin hæc sit vera, *Christus nascetur*: nam vt hæc, *Deus vult Christum nasci*, sit vera, opus est, vt actus ipse naturalis voluntatis diuinæ terminetur ad natiuitatem Christi re ipsa futuram: hoc enim respectu addito actus naturalis dicitur liber: si vero futura non sit, iam non est obiectum connotatum, neque habitudo ad illud: & idcircò intelligi nequit actus diuinus liber circa incarnationem futuram, nisi illa sit futura: quare impossibile est hanc esse veram: *Deus voluit Christum nasci*: quin hæc sit vera: *Christus nascetur*: quod pari modo, & ratione dicendum est de illa: *Christus non nascetur*: si supponatur Deum mutare decretum incarnationis, & de nouo decernere ne sit. Cùm igitur in toto hoc discursu sine vllo recursu ad imperfectionem moralem sequatur contradictio manifesta ex suppositione, quod Deus mutet voluntatem, conspicuum redditur eiusmodi mutationem non solum moraliter, verumetiam Physice repugnare.

III. Respondent nonnulli supponi id, quod probandum est, nam ideo effectus erit, quia voluntas diuina est immutabilis: quare ante immutabilitatem nō posse concipi effectū, vt determinatè futurum. Verum ego nihil omninò suppono, nisi quod ipsi etiam concedunt, nempè propriam rationem formalem actus diuini liberi, quæ est vt terminetur ad obiectum sub actuali existentia pro eo tempore, pro quo voluntas decernit. Et ex ea colligo cum tali natura actus liberi non posse cohærere mutationem: & ita ex principiis extrinsecis colligo immutabilitatem Physicam: nam, cum hæc consideretur, vt quædam proprietas actus diuini liberi, prius ratione concipi potest actus ipse quoad suam substantiam, quam quoad proprietatem: consideremus ergo illum, quatenus est actus liber Dei abstrahendo ab immutabilitate: & rogo quidnam pertineat ad rationem formalem intrinsecam huius actus, ita vt nihil illius desit, nihil extraneum misceatur: Credo respondebunt idem, quod paulò antè supposui, nempè rationem formalem actus Dei liberi integrari, vt ita dicam, ex ipsa volitione Dei naturali, & terminatione, atq; habitudine

ad ob-

ad obiectum determinate futurum, quæ fundatur in eminẽtiali perfectione, & causalitate talis actus: si igitur, antequam actus eiusmodi consideretur vt immutabilis in sua ratione formali, includit terminationem, & habitudinem ad obiectum futurum: ex qua posita necessario sequitur, vt non possit non esse tale obiectum: necessario etiam sequitur tanquam proprietas ex ratione formali intrinseca, vt actus sit immutabilis Physice: ita vt prius ipse concipiatur in se vt actus liber, deinde vt immutabilis: & sic non supponitur effectus futurus ex immutabilitate, sed ex efficacitate, eminentia, & causalitate volitionis diuinæ, ex quibus sequitur immutabilitas euentus connotati, & consequenter ipsius actus liberi. Dicet aliquis actum liberum, etsi per eiusmodi respectum à nobis intelligatur, & explicetur, nihilominus illum non includere; sed siue includat, siue non, sine illo à nobis intelligi minimè potest, & saltem est quædam proprietas illum consequens, quare, si ex tali respectu necessario sequitur infallibilitas effectus: sequitur etiã immutabilitas actus liberi, cũ quo necessario cohæret talis respectus. Et confirmatur, quoniam Deus libere volendo non solum habet voluntatem antecedentem & conditionatã, imò vero absolutam, ac determinatam; hæc autem determinatio non consistit in eliciendo actum distinctum à naturali, sicut elicit creatura, sed in terminatione eiusdemmet actus ad hoc potius obiectum, quam illud, non solum vt volitum, sed vt actu ponendum ex vi talis actus: alioquin voluntas diuina non esset omnipotens, & efficax ad agendum quod libuerit. Neque responderi potest efficaciam non consistere in ipsa actuali positione obiecti futura, sed in facultate id efficiendi: namque alia intelligitur esse facultas voluntatis, quamdiu intelligitur solum in actu primo ad obiecta, quæ potest velle, vt concipitur in eo signo, quo solum habet actum voluntatis necessarium, & est adhuc in libertate habituali ad actus liberos: alia verò quando iam concipitur in actu secundo libere volens: prima efficacia consistit in potentia actiua: secunda in executione eiusdem potentiæ pro eo tempore, ad quod refertur actus liber Dei, & hæc est necessario annexa actui voluntatis diuinæ absoluto: quapropter impossibile est Deum velle determinate, & rem non esse futuram. Et hæc est ratio, cur Homo mutare possit actum voluntatis, & non Deus: nempè quia Homo vult eliciendo actum suapte natura inefficacem ad ponendum per se ipsum obiectum volitum: & ita actus liber creatus non habet habitudinem ad obiectum vt actu futurum: sed volitum vt sit: & propterea frequenter accidit, vt desideria nostra absolutissima mutentur: Deus autem non determinate vult eliciendo nouum actum desiderij, vt res sit, sed libere terminando actum necessarium ad ipsam, non solum tanquam volitam vt sit, verum etiam ad eius existentiam pro aliquo tempore determinate futuram; nam sicut ex nostra voluntate libere, & immediate procedit actus suus, qui necessario est posita terminatione voluntatis ad ipsum, sic ex voluntate diuina immediate procedit res futura, ita vt concipi nequeat diuina volũtas terminari libere ad aliquod obiectum, & illud non habere existentiam pro eo tempore, ad quod refertur terminatio voluntatis diuinæ.

IV. Ex dictis excluditur aliud subterfugium oppositæ sententiæ, responderi poterit, inquiunt, obiectum non esse verum determinate, nisi ex conditione, si Deus perseueret in eodem decreto voluntatis: sed hæc responsio est omnino falsa, & impossibilis, efficacitas enim volitionis diuinæ absolutæ, semel habitæ habet pro obiecto ipsum esse actuale rei: & hoc distinguitur à voluntate conditionata, quæ habet sub conditione ipsum esse rei pro obiecto. Et de facto certum est apud Theologos ex positione volitionis diuinæ sequi determinatam veritatem obiecti. Et, cum hoc oriatur ex ipsa natura actus diuini, impossibile est vt aliter sit. Deinde eos, qui sic respondent, interrogo vtrum actus ille liber Dei fuerit absolutus, an conditionatus? Si conditionatus nihil ad præsens institutum: nam hic nõ est efficax nisi posita conditione: absolutus esse non poterat, si pendeat ex mutatione voluntatis futuræ, vel non futuræ: nam, vt ex dictis constat, actus diuinus absolutus is est, à quo existit pro aliquo tempore effectus ad extra, q est terminus extrinsecus, siue obiectum terminatiõis liberæ actus diuini: igitur, si tollatur existentia talis obiecti, tollitur etiam ratio actus diuini absoluti: supponere igitur dari eiusmodi actum, & obiectum ipsius nunquam esse, inuoluit apertam repugnantiam: quoniam sequitur actum esse ex prima suppositione, & non esse ex secunda: quoniam nõ est actus sine terminatione ad obiectũ: sublata verò omnino existentia obiecti pro eo tempore, quo Deus vult illud esse, tollitur obiectum actus liberi.

Denique

V. Denique, vt magis eluceat, in quo consisterer, aut quomodo colligitur mutatio Physica, si Deus mutaret decretum voluntatis suæ, prænoneo, quando agitur de mutatione alicuius rei, non quæri vtrum mutari possit, vt non fuerit ante tempus mutationis: nam, si nec fuit, nec modo est, neutiquam mutatur, sed quæri vtrum posito quod fuerit hucusque, & maneat veritas præteritæ existentiæ, variari de nouo possit in præsenti, & in futuro: ita vt verum sit dicere, fuit, & non est: quod si expositione aliqua sequatur, vt vel id, quod fuit, non fuerit, vel id, quod est, non sit, dicendum erit hoc posterius sequi ex falsa illa suppositione, non vero prius: quod necesse erat ad intellectum conditionis illius impossibilis suppositæ. Hoc explicato facilè ostenditur, si Deus mutet decretum, sequi Physicam, ac realem mutationẽ ipsius. Namq; in decreto illo solum duo concipimus, entitatem naturalem actus diuini naturalis, & habitudinem, siue terminationem ad existentiam obiecti connotati, quæ duo supponuntur ab æterno fuisse in Deo, si actus fuit: si vero in tempore mutari supponatur, manifeste sequitur eiusmodi terminationem nõ fuisse: vel cessare de nouo entitatem ipsam actus: prior suppositio, & veritas, nempè eiusmodi terminationẽ fuisse ab æterno, est omninò necessaria ad intellectum illius conditionis: *Si Deus mutet decretum*: nam, si ab æterno voluntas eius non est terminata ad obiectum, non habuit decretum, quod mutari supponatur: ergo non sequitur illa pars disiunctionis, nimirum terminatio non fuit ab æterno, sed altera nempe cessat ipsamet entitas actus diuini: sequi verò disiunctionem ostendo: nam, quando cessat aliquid, cuius ratio formalis ex duobus aliquo modo coalescit, opus est vt desinat saltem alterum ex illis: actus liber constat ex entitate, & respectu: ergò, si actus cessat, desinet vel entitas, vel respectus: si hic desinat, necessario sequitur, quod nunquam fuerit: supponitur autem fuisse: ergò necessario cessabit illa. At quomodo, si respectus nunc desinat, sequitur nunquam fuisse? nempe quia si respectus desinit, obiectum non existet pro ea differentia temporis, sub qua decernebatur futurum, per æternum illud decretum: si non existat, impossibile est vt ad ipsum fuerit habitudo, siue terminatio voluntatis diuinę, quæ in illud ferebatur sub existentia determinate futura, ergo rectè sequitur terminationem eiusmodi non fuisse ab æterno, si modo iam non sit: cùm vero hoc repugnet primæ suppositioni, fatendum est ex eo, quod Deus mutet decretum liberum suæ voluntatatis, necessario sequi mutationem ipsius entitatis actus diuini, quæ Physica omnino est.

VI. Hoc argumentum conantur eludere recentiores dicendo ex æterno actu Dei libero postea in tempore retractato minimè sequi vt necessario sit futurum eius obiectum, quoniam, inquiunt, aut ideo repugnat vt non sit, quia volitio Dei libera est simplex eius entitas necessaria absq; additione realitatis liberę, vel quia posita veritate obiecti futuri pro aliqua differentia temporis repugnat, vt non sit futurum eo modo, quo cadit in diuinam voluntatem: primum non sufficit, huius enim rationem inquirimus, scilicet, cum Deus per eandẽ entitatem necessariam absque vlla additione possit libere velle creaturas, cur non possit hoc ipsum tàm in tempore, quàm in æternitate præstare, cum æqua vtrobique requiratur additio: & consequenter non sit maior mutatio in vno, quam in altero: & ita tantum abest, vt ex illo principio expediatur hæc difficultas, vt ex illo potius oriatur. Secundum videtur esse petitio principij: obiectum enim, seu effectus volitus à Deo pro aliqua differentia temporis ideo infallibiliter erit, quia voluntas diuina est efficax, & immutabilis: nam, si decretum voluntatis diuinæ esset mutabile, licet daretur ab æterno effectus, non esset absolute futurus, sed solum sub conditione, si Deus in eodem decreto persistat. Huic obiectioni potest responderi immutabilitatem obiecti non fundari immediate in immutabilitate voluntatis diuinę, sed in æterna veritate propositionis de futuro, quæ mutari non potest ob necessitatem compositam, quam includit: nam, si ab æterno verum est aliquid esse futurum, facta hac hypothesi, nõ potuit Deus ex æternitate nolle illud; quia si posset nolle illud, quod futurum esse verum est ab æterno, vel id postea eueniret contra voluntatem Dei, aut omninò sine illa, quod est impossibile: vel postea inciperet Deus velle illud nulla facta mutatione in obiecto, & insurgeret nouus respectus rationis in vtroque extremo, quod etiam est impossibile, & consequẽter expositione veritatis æternæ, de futuro euentu rectè deducitur immutabilitas voluntatis diuinæ. Iidem Autores admittunt hanc responsionem esse probabilem, non tamen vsquequaque satisfacere: quoniam supponit respectus fundari tantũ in obiecto, cum tamen primam

radicem habeant in voluntate Dei, hoc est in eminentia, & causalitate ipsius absque vlla mutatione, vel additione positiua: propterea, inquiunt, dici potest, licet res, quæ est aliquando futura, sit ab æterno futura, id tamen non habere ex eo, quod Deus ab æterno voluit vt esset, sed quia etiam fuit ab æterno verum Deum fuisse aliquando voliturum, vt illa res esset: quo posito, quamuis intelligatur nouus respectus rationis in Deo volente ex tempore, hic tamen fundari posset ex parte Dei in eminẽtia eius, ex parte verò obiecti in eo, quod prius erat futurum ex futura causæ determinatione, postea vero ex actuali: vnde ex vi prioris status potuisset nõ fore ex præcisa ratione actuali, siue statu causali, non vero ex posteriori.

VII. Hæc tamen redargutio non satis impugnat traditam solutionem: supponit enim vnum, ex quo sequitur manifesta contradictio: nempè veritatem obiecti futuri nõ sufficere ad colligẽdam immutabilitatem volitionis diuinæ positæ in actu, quia ab æterno ex vi alterius determinationis voluntatis futuræ potuit esse verum non futurum idem obiectum: & consequenter voluntatem posse esse nouam stante antiqua veritate obiecti: ideoque ex illa minimè sumi rationẽ immutabilitatis. Nam, si ex vi futuri decreti est infallibilis veritas ab æterno, cur nõ erit etiam ex vi æterni decreti? non enim minus efficax est ad causandam veritatẽ obiecti, quam decretum temporarium: neque hoc magis immutabile, quam illud: & proinde, si ratione huius veritas obiecti voliti est æterna, etiã ratione prioris erit: si verò fieri posset, vt voluntas diuina vellet oppositũ eius, quod semel voluit ab æterno, essent duæ contradictoriæ simul ab æterno veræ: nempè illa, qua enunciaretur futurum id, quod Deus æterna voluntate decreuit, & illa, qua idẽ negaretur propter oppositam voluntatem in tempore futuram. Neque satisfacit eorundem solutio asserentium facta illa hypothesi veritatem propositionis de obiecto volito non esse absolutam, sed conditionatam: nimirum si decretum voluntatis diuinæ non mutaretur: eodem namque modo dicam etiam veritatem fundatam in determinatione voluntatis ex tempore esse conditionatam: & consequenter nisi veritas fundata in æterna determinatione voluntatis diuinæ, sit absoluta, & immutabilis, nihil de facto futurum pendens ex libera voluntate Dei erit determinate verum: ex quo sequitur Deum nihil pertinens ad existentiam rerum creatarum cognouisse ab æterno: quod absurdum est, & hæreticum: cùm ergo certum sit veritatem esse immutabilem, itemque ex actuali determinatione voluntatis diuinæ resultare veritatem propositionũ de futuro: certum quoq; esse debet voluntatem diuinam ex vi suæ efficaciæ: & suppositionem veritatis ab ea pendentis esse immutabilem, & hanc immutabilitatem habere ex propria ratione sui, quatenus est actus liber: nam cum nostro modo intelligendi coalescat ex actu necessario, & terminatione, ac respectu eiusdem ad effectum futurum, & posito tali respectu impossibile sit effectum non esse, itemq; posito effectu repugnet, vt non terminet habitudinẽ voluntatis diuinæ, consequenter etiam est impossibile ex principiis intrinsecis ipsius actus diuini liberi, vt si semel est, possit nõ esse. Itaque vt hoc tandem concludam, ex dictis constat vtramque causam in argumento assignatam concurrere ad immutabilitatem Physicam actuum liberorum: primam quidẽ, quoniam, si esset distinctio ex natura rei inter actum liberum, & necessarium; esset quoq; in voluntate diuina potentia passiua ad liberum, & consequenter esset exposita mutationi. Secundam verò, quia sine illa tolleretur habitudo, qua completur ratio actus diuini liberi, & consequenter ea sublata tolleretur quoq; actus, neque hoc est recurrere ad immutabilitatem veritatis obiectiuæ tanquam ad primum fundamentum immutabilitatis actus diuini liberi, sed tanquam ad obiectũ actu terminans habitudinem volitionis liberæ: immutabilitas autem ipsius obiecti non sumitur primario ab ipso, sed ab eminẽtia, & efficacitate voluntatis diuinæ, quæ si terminetur libere ad aliquod obiectum, hoc ipso reponit illud sub actuali existentia, vel sub eius negatione determinate futura. Ex quo etiam patet hanc esse immutabilem sensus compositi, non quidem solum ex eo, quod ponatur volitio diuina æterna esse: sed quia ponitur antecedens, ad quod necessario consequitur, vt actus Dei liber, semel habitus non possit amplius deficere.

VIII. Ex dictis facilè est respondere ad tres illos modos mutationis, qui fingi possunt in actibus liberis: nempe ab actu in actum contrarium, vel ab actu ad cessationem, vel denique à cessatione ad actum. Nam priores duo manifestè repugnãt, siue enim mutatio fiat ab actu in actum contrarium, siue in cessationem, opus est vt desinat, vel connotatio effectus, qui erat obiectũ prioris actus, vel actus ipse: connotatio est necessaria,

cessaria, supposito quod fuisset actus ab æterno: ergo mutaretur ipsa entitas actus, vt superius deduxi. In tertio illo modo non apparet eadem repugnantia. Nam si ponatur Deum ab æterno nullum elicuisse actum circa aliquod obiectum, nulla est connotatio ipsius, nulla habitudo actus diuini ad ipsum, quod autem incipiat de nouo, sola hæc connotatio non arguit vllam mutationem in voluntate diuina: sicut ex eo, quod fuerit ab æterno, nõ dicimus mutari Deum, neq; in hac inceptione arguitur aliqua potentialitas, quoniam id, quod incipit, non est aliquid positiuum intrinsecum Deo, sed solum connotatum extrinsecum, & habitudo rationis ad ipsum, quæ duo in plerisq; alijs de nouo adueniũt Deo absq; mutatione, vt patet in existentia Dei in rebus, in sustentatione naturę assumptæ à verbo. Verùm enim vero hoc dubiũ supponit vnum à falso: nempè quod Deus habuit se negatiuè erga aliquod obiectum creatum, cuius oppositũ ostendam in materia de voluntate Dei: quare sublata suppositione, quod cessauerit circa vllum obiectũ, non habet locum quæstio vtrum, vel cur non mutari posit à cessatione ad actum liberũ. Et nos non agimus de immutabilitate aliqua chymærica, sed de ea, quæ de facto Deo cõpetat. Cùm verò is necessario habuerit ab æterno actum circa alteram partẽ cuiuslibet contradictionis, non habet locũ quæstio, vtrum de nouo trãsire posit ab otio ad actum liberũ: quod vero debuerit ab æterno habere actum illum, non prouenit ex immutabilitate, sed ex summa eius perfectione, & aliis radicibus explicãdis in materia de volũtate Dei. Verum, importunè iniquiet aliquis, supponamus, vel p impossibile cessasse ab æterno, mutabitur ne, si de nouo eliciat actum? Et quidem facta huiusmodi suppositione adhuc aliquis dicere poterit, cum ex sola cessatione actus diuini circa obiectum redundauerit in ipsum determinatio ad non esse, fieri non posse vt per nouum actum determinetur ad esse: nam eo ipso arguitur falsitatis illa suppositio, quod ab æterno fuerit determinatum ad non esse, cuius veritas cum sit de præterito, per suppositionem mutari nequit. Quia tamen videri potest facta illa hypothesi obiectum manere indifferens ad esse, vel non esse, quale ex se est, quamdiu non determinatur à libera volitione Dei: ea verò accedente determinari ad alterutram partem: non video efficax argumentum, quo in eiusmodi casu mutatio Physica colligatur. Verùm id non est absurdum si vno impossibili posito colligatur aliud. Imò verò ex hoc apparet, quomodo sola mutatio habitudinis rationis ad connotatum extrinsecum, si sit possibilis absque alia mutatione entitatiua, non sit formaliter mutatio, sed arguitive: & quoniam omnes habitudines, quæ requirunt actualem existentiam obiecti extrinseci, supponũt mutationem ex parte ipsius, qua posita incipit, vel desinit terminare habitudinem, propterea adueniunt, ac recedunt à Deo absque ipsius mutatione, vt relatio dominij, existentia in rebus, & similes: at verò illæ, quæ comitantur actus intellectus, & voluntatis, & indifferenter se habent ad obiecta, siue actu existant, siue non, cum non supponant pro omni tempore actualem existentiam obiecti, & actu cõueniant ante illam, si mutentur, mutationem aliquam supponant necesse est: non obiecti, nam ad ipsius mutationem non variantur: vt patet; de fide enim habemus actus diuinos minimè mutari, & tamen eorum obiecta mutantur: supponunt ergò mutationem subiecti, hoc est actus diuini in quo fundantur, & hoc voluit D. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 15. ad primum; cùm cõstituit hoc discrimen inter has relationes, nempè vt illæ, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas secũdùm quod in se ipsis sunt, varie dicantur de Deo secundùm variationem creaturarum, quę verò consequuntur actus vitales, qui intelliguntur esse in Deo immanenter, vt scientia, & amor, inuariabiliter prædicantur de Deo: ratio verò, quæ indicatur hac sententia Diui Thomæ, est optima: nam relationes, quæ consequuntur actionem ad extra, non habent proximum, ac sufficiens fundamentum in ipsis actibus diuinis internis, nisi accedente mutatione creaturæ, qua posita ponuntur, sublata vero tolluntur Deo prorsus immoto: quæ verò cõueniunt Deo ante rerum existentiam, habent proximum, ac sufficiens fundamentum ex parte ipsius, nec fundantur in vlla mutatione extrinseca actuali, & coexistente actibus ipsis pro omni tempore, quod respondet æternitati, sed solum pro aliquo, & propterea sunt priusquam interueniat eiusmodi mutatio extrinseca, antequam habent sufficiens fundamentum in ipso actu diuino, & rerum existentia futura: & ideo non possunt desinere, nisi variato fundamento, hic enim est mos relationum postquam semel sunt.

S. Thom.

IX. Sed contra hanc doctrinam Diui Thomæ, est difficile argumentum. Ex parte

Dei non est aliquid distinctum, etiam virtualiter ab ipsa entitate actus naturalis, quod intelligatur illi accedere, vel recedere vt sit, vel non sit fundamentũ similium respectuum actus liberi ad obiecta: ergò quemadmodum ab æterno intelligitur absque accessu vllius entitatis, fundare eiusmodi respectus, etiam ex tempore fingi potest fundare similes de nouo absque accessu, vel nõ fundare antiquos absq; recessu vllius entitatis. Longè tamen diuersa ratio est in resultatione horum respectuũ ab æterno, atq; ex tempore: vt enim supra notaui, pleraq; sunt ab æterno mutationis expertia, quæ, si inciperent in tempore, naturam, & nomen mutationis nõ euaderẽt, vt processiones diuinæ, quæ tũc ob hypothesim impossibilem censerentur exire de potentia in actum: similiter pullulatio relationum ad obiecta libere volita ab æterno, nec in se est mutatio; quod est cõmune omnibus habitudinib. rationis, nec arguitiuè, quoniam non est ibi vllus transitus de non esse actuali, ad esse actuale, quod enim ab æterno est semper fuit: sed solum de esse indifferente obiectorum ad determinate futurum: at si de nouo pullularent, vel desinerent, cũ obiecta ab æterno fuerint determinate futura, vel non futura, non poterat ex parte ipsorum fingi vllus trãsitus: restat igitur, vt si actus liber Dei mutetur per impossibile, ipsa illius entitas transmutetur: quod fidei, & rationi rectè aduersatur.

Deus non est mutabilis aduentu nouæ relationis.

Caput XII.

I. INter ea, quæ de Deo dicuntur ex tempore, sunt relationes, & actiones: actionibus non mutari dictũ est suprà, restat inquirendum de relationibus. Pars autem affirmatiua suadetur, quoniam, si Deus ex tempore esset Pater, verè mutaretur, vt dictum est suprà c. 7. tũc autem solum aduenire illi noua relatio: ergò etiã ex eo, quod de nouo dicitur creator, & Dominus dici potest mutari. Et confirmatur, quoniã hæ relationes Deum verè, ac realiter denominant, & non per solam operationem intellectus: non enim Deus est Dominus, aut creator ex eo, quod à nobis cõcipitur, sed quia re ipsa habet dominium super creaturas. Secundo relatio causæ ad effectum est realis, eiusque vicissitudine mutatur id, quod est causa: sed omnis noua denominatio realis intrinseca supponit mutationem: ergò Deus, cum denominatur creator, conseruator, & gubernator vniuersi, supponitur mutatus resultantia nouarum relationum, quas non habuit ab æterno. Patet consequentia: nam relatio est forma intrinseca subiecto, & relatio creatoris, conseruatoris, & gubernatoris est vere relatio causæ efficientis. Si quis respondeat relationes, quæ in creaturis sunt reales, in Deo esse solum secundùm rationem, varietatem verò secundùm relationes rationis non esse necessario coniunctam cum mutatione, debet in primis assignare rationem, cur Deus non sit capax relationum realium ad creaturas, quemadmodum aliæ causæ: deinde verò cur varietas penes relationes rationis non inducat mutationem: nam, si per impossibile Deus admitteret vicissitudinem actuum liberorum, reuera mutaretur: & nihilominùs solum daretur varietas penes habitudines rationis, quibus nostro modo intelligendi actus necessarius completur in ratione liberi, prout terminatur ad diuersa obiecta creata: terminatio enim eiusmodi sola est habitudo rationis ad creaturas in ratione obiecti: quare sola vicissitudo penes respectus rationis potest inducere mutationem oppositam immutabilitati.

II. Hæc quæstio tenuit aliquando ancipitem Diu. Augustinum. Augustin. August. non videbat enim quid tandem aduenire Deo de nouo, propter quod dici posset creator, cùm antea non esset: & ita dubitabat an verè dici posset ab æterno Dominus, & creator, vt colligitur ex verbis ipsius lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 15. *Sicut Deum aliquando Dominum non fuisse dicere non audeo, ita Hominem nunquam antea fuisse, sed ex quodam tempore primum omnium creatum esse dubitare non debeo: sed cum cogito cuius rei Dominus semper fuerit, si semper creatura non fuerit, affirmare aliquid pertimesco.* Postea tamen vidit non repugnare, vt dicatur Dominus, & creator absque vlla imperfectione, aut mutatione: vt patet ex libr. 5. de Trinitate capit. decimosexto. Pro cuius rei solutione suppono ex duplici capite posse interuenire mutationem accessu nouæ relationis: vel ratione fundamenti ad quod sequitur relatio, vel ratione resultantiæ ipsius relationis: quæ ineſt, ac denominat subiectum. Si priore modo loquamur, nonnullę relationes supponunt mutationem, aliæ verò minimè: supponunt eæ, quæ fundantur in actuali dependentia effectus ad causam efficientem: nõ supponũt verò necessario pro tempore, quo aduenium eæ, quæ ex parte

vnius

vnius subiecti habent sufficiens fundamentum, & non dantur, quia deest subiectum, vel fundamentum ex altera. Eæ enim aduenient de nouo sine actuali mutatione præuia in ipso subiecto pro eodem tempore, quo relatio aduenit: existente enim vna solum re alba in rerum natura, si alia de nouo fiat, resultabit in vtraque relatio similitudinis: & tamen in ea, quæ erat alba, non datur noua mutatio præuia resultantiæ relationis. Fundamentum attigit D. Thom. q. 7. de potẽtia art. 8. ad quintũ, quoniam causa habitudinis realis inter duo extrema est aliquid inexistẽs vtrique; siue ergo desinat solum in vno, siue incipiat, dummodo alterum præhabeat, resultabit relatio per solam mutationem vnius, quod fusè explicat Anselm. in Monologio cap. 24. quare non est audiendus Henric. in sum. art. 30. qu. 4. ad 2. vbi negat in Deo relationes secundùm esse, quia hæ non dantur sine mutatione subiecti: admittit autem relationes secundùm dici, quia possũt dari absq; mutatione subiecti: nam quædam secundùm esse possunt dari sine mutatione, & si Deus esset capax relationis realis, posset dici ex tempore diuersus à creatura sine præuia mutatione sui per solam inceptionẽ creaturæ. Idemque magna ex parte accidit in plerisque relationibus rationis, quæ dicuntur secundùm extrinsecam denominationem. Quæ doctrina desumitur ex D. Augustin. lib. 5. de Trinitate cap. 16. vbi tradit duo genera relationum, quorum alia accidunt cum mutatione rerum, de quibus dicuntur; qua ratione aliquis dicitur amicus, neque enim esse incipit, nisi cum amare inceperit, & ita fit aliqua mutatio voluntatis, vt amicus dicatur, nummus autem dicitur relatiuè, nec tamen mutatus est, cum incipit esse pretium, quia scilicet hoc habet ab extrinseca deputatione Reipublic. statuentis nummum vt mensuram rerum venalium.

III. Dico primum. Deus nequaquam subit mutationem præuiam, cum de nouo denominatur à relationibus ad creaturas, hæc traditur ab Anselmo citato, & Augustino vbi suprà, vbi cum proposuisset quæstionem, quomodo verum sit nihil secundùm accidens dici de Deo, per quod mutetur, cum tamen denominetur relatiuè, & proposuisset duo genera relationum paulò antè tradita, subdit, *Si ergò nummus potest sine aliqua sui mutatione toties dici relatiuè, vt neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in eius natura, vel forma, qua nummus est, mutationis fiat, quanto facilius de illa Dei immutabili substantia debemus accipere, vt ita dicatur relatiuè aliquid ad creaturas, vt quamuis incipiat temporaliter dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur?* quæ ex Augustino mutuatus est Hugo Victor. in summ. tractat. 1. cap. 10. in fine, & hic est cõmunis sensus Theologorum, Alensis 1. part. quæst. 4. m. 1. S. Thom. 1. part. quæst. 13. articul. septimo, & quæst. 7. de potentia articul. 8. ad quintum & sextum, Bonauentur. in 1. dist. 8. 1. part. distinctio. nis, articul. 2. quæst. 1. ad 2. Henric. vbi suprà, AEgidij in 1. dist. 30. quæst. 1. ad 3. Bassolis quæst. 2. §. vltimo. Suadetur autem primo, quoniam, vt ait Diuus Thomas, vbi suprà ad quintum, vt relatio incipiat dici de subiecto, non opus est, vt mutatio fiat in vtroque extremo, quod si locum habet in rebus creatis, multo magis habebit in Deo: Secundo quoniam omnis relatio, quæ ex tempore de Deo dicitur, aut pertinet ad causalitatem, secundùm quam terminat dependentiam creaturæ à se, aut est relatio diuersitatis: quæ duo genera attigit Diuus Thomas art. citato in corpore, aut denique sunt relationes, quæ consequuntur ad actus nostros tendentes in Deum, tãquam in obiectum: sed nulla ex triplici ratione causalitatis, quæ Deo conuenit, requirit mutationem, vt terminet dependentiam creaturæ à se: in primis eam non requirit causalitas causæ efficientis, scilicet actio, vt constat ex cap. 8. non item causalitas finis vltimi: etsi enim fines intermedij possint subire mutationem, non tamen vltimus, causando enim nihil in se recipit: omnis autem vera mutatio consistit in noua receptione alicuius esse intrinseci, aut desitione eiusdem; qua etiam ratione concluditur Deum, quatenus exemplariter causat, non mutari: causalitas enim exemplaris non consistit in aliqua receptione formæ in ipso exemplari, neque eam per se requirit, sed in passiua imitatione, qua effectus effingitur ad similitudinem exemplaris. Nulla item ex relationibus secundi generis mutationem in Deo supponit: quemadmodum enim in creaturis subiecta, quæ habent fundamenta relationum, non mutantur, quando ex parte alterius subiecti datur de nouo fundamentum mutuæ relationis, ita quoniam fundamentum diuersitatis, aut conuenientiæ, quæ datur inter Deum, & creaturas, & ipsa natura diuina, & perfectiones eius essentiales, exposition naturæ creatæ, inter quam & diuinam exercetur relatio diuersitatis,

Hugo Victor. *Alensis.* *S. Thomas.* *Bonauent.* *Henricus.* *AEgid.* *Bassol.*

S. Thom. *Anselm.* *Henricus.* *Augustin.* *Anselm.* *Augustin.*

vel conuenientiæ, non sequitur vlla mutatio Deitatis: Denique neque relationes tertij generis arguunt vllam mutationem: in obiecto enim actuum mentis creatæ nihil omninò reale resultat ex eo, quod terminet eiusmodi actus: sed per solam denominationē extrinsecam à mutatione, quæ est ex parte potentiæ elicientis actus, recipit nouam relationem.

IV. Quod attinet ad alteram partem difficultatis, apud nonnullos, qui asserunt Deum referri ad creaturas realiter, esset maior difficultas: nam, cum accessus nouæ entitatis variet subiectum, si Deus de nouo referretur realiter ad creaturas, vtique mutaretur. Verum recentiores Metaphysici non propterea negant Deum referri realiter ad creaturas, quia mutaretur, existimant enim relationem non distingui ex natura rei à fundamento, sed solum virtute, atque adeo cum nulla noua entitas adueniat accessu nouæ relationis non diceretur Deus mutari. Cuius sententiæ veritas pendet ex modo quo intelligitur distinctio virtualis, si enim relatio non significat aliquam rationem formalem intrinsecam subiecto distinctam virtute à fundamento, sed solum fundamentum cum connotatione extrinseca existentiæ alterius extremi, verè per nouæ relationis accessum non mutatur subiectum, vt per patet, nihil enim intrinsecum habet de nouo, cuius receptione mutatum intelligatur: sin autem relatio secundùm proprium conceptum significat aliquam rationem formalem obiectiuam virtute distinctam, & præcisam à ratione formali fundamenti, non video quomodo de nouo esse possit, si nihil positiuum aduenit, vel quomodo possit incipere, aut desinere sine mutatione. Nam iuxta hunc modum explicandi distinctionem virtualem conceptus obiectiuus respondens vni rationi formali virtute distinctæ est vere ens reale positiuum, quod incipit, aut desinit accessu nouæ rationis formalis, noua verò formalitas positiua aduenire subiecto, vel antiqua recedere absque ipsius realitatis mutatione nequaquam potest. Id verò per cætera rerum genera discurrendo constat: nam, si Deus nunc desineret esse sapiens, aut omnipotens, vtique mutaretur: & tamen sapientia, & omnipotentia non nisi virtute distinguitur ab essentia diuina: si intellectus humanus non ex impedimento extrinseco, sed ex intrinseco defectu potentiæ, & priuatione eius præcisè facultatis, qua est discursiuus, desineret habere vim discurrendi, profecto subiret mutationem, & tamen intellectus, quatenus discursiuus solum virtute differt à seipso, quatenus apprehensiuus, aut iudicatiuus est; sed hac de re dicendum, cum ex instituto tractabitur quæstio vtrum Deus referatur realiter ad creaturas. Nunc autem ex ibi dicendis suppono nullo modo admittere relationes reales, vt autore D. Thoma est communis sensus Philosophorum, Patrum, & Theologorum.

V. Dico secundum. Deus ex ipsa resultantia, siue existentia relationum, à quibus denominatur ex tempore, non patitur vllum suæ immutabilitatis detrimentum. Hæc est certa apud Theologos, & expressè traditur ab Alensi vbi suprà. *Alensis.* Sanctus Thomas in 1. distinct. 30. quæstione *S. Thom.* vn. articul. 1. Richardus quæstio. 4. ad 6. *Richardus.* & aliis. D. Anselm. in Monologio cap. *Anselm.* 24. eam deducit ex communi ratione relationis, quam non repugnat aduenire subiecto, sine eius mutatione: *Quid repugnat,* inquiens: *quorundam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantiæ consequitur variabilitas?* quæ autem hæc sint paulò pòst explicat. *Alia,* inquiens, *omnino nullam, vel accidendo, vel recedendo mutationem circa id, de quo dicuntur, efficere noscuntur, vt quædam relationes?* quod statim declarat exemplo relationum realium: & tandem concludit posse dici de Deo sine eius mutabilitate. A communi etiam ratione relationis, quæ nō requirit mutuam dependentiam ex parte vtriusque extremi, idem probat Alensis citatus. Verum, quo- *Alensis.* niam licet Philosophus 5. Physic. capit. 2. *Aristot.* asserat ad relationem non esse per se motum, & Philosophi, & Theologi communiter dicant solo accessu relationis subiectū minimè mutari, tamen quia hoc inter recentiores cepit esse controuersum, & in sententia eorum, qui existimant relationem distingui ex natura rei à fundamēto, habet difficultatem, non opus est recurrere ad communem rationem relationis, neque item ad mutuā dependentiam, vel independentiam, quandoquidem Pater in creatis, non dependet à Filio, neque producens à producente, & nihilominus habent relationes reales; vt fatetur Alens. vbi *Aristotel.* suprà, Aristotel. libr. quinto, Metaphysic. capit. 15. numerat inter relationes reales eas, quæ fundantur in potentia actiua, & actione ipsa. Si quis autem respondeat tametsi productiuum, ac producens non dependeat secundùm proprium esse

à pro-

à producibili, vel producto, dependere tamen, quatenus habent relationem productiui, ac producentis, non tollit difficultatem, propterea quod hac ratione quidquid concipitur, vt productiuum sub ratione productiui: neque esse, neque intelligi potest sine producibili. Doctores vero, qui recurrunt ad mutuam dependentiam, videntur potius respicere mutationē præuiam, quę in ijs, quę dependent, supponitur ad existentiam relationis, quā huius resultantiam, quam communiter negant esse mutationem. Omissis igitur eiusmodi rationibus, firmum assertionis fundamentum est, quoniam mutatio solum interuenit per veram receptionem, aut acquisitionem formæ realis existētis re ipsā in rebus, non vero ex inceptione respectus rationis existentis obiectiuè in intellectu: Deus autem, vt suppositi ex communi sententia Doctorum, non est capax relationis realis ad creaturas, sed solum denominatur à respectib⁹ rationis, sub quib⁹ intelligitur terminare habitudines creaturarū ad ipsum: quare per nouam denominationē sumptā à relationibus ad creaturas, nequaquam mutatur. Maior propositio est de mente Augustini superius citati, qui nummum sentit non mutari ex eo, quod subeat rationem pretij, vel pignoris, quas denominationes suscipit ex sola designatione, & respectu rationis: idemque cernitur in columna, quæ immota in se ipsa dicitur dextera, vel sinistra pro diuersitate applicationis hominis ad ipsam, quod sexcentis alijs exemplis patet, & suadetur ratione, quoniam physica mutatio nō datur ex parte obiecti ex eo, quod intellectus aliquid circa illud operetur, & proinde, cùm relationes rationis quoad propriam existentiam dependeant ab actuali consideratione intellectus circa obiectum à relatione denominatum, nulla ex hoc redundat mutatio in obiectum.

VI. Sed inquiret aliquis vtrumne redundet in ipsum intellectum: nam, si hic per existentiam obiectiuam relationis mutari dicendus sit, videtur cadere in Deum posse mutationem, quandoquidem, vt dictum est supra, in mente diuina dantur etiam obiectiuè respectus rationis, & proinde, si intellectus creatus concipiens creaturam cum dependentia actuali ab omnipotentia diuina consequenter concipit Deum, vt terminum huius dependentiæ, & sic habitudine, ad creaturam, ita quoque Deus concipiet, & si intellectus creatus id concipiendo mutatur, diuinus quoque mutabitur; & confirmatur, quoniam, vel Deus hoc concipit ab æterno, vel ex tempore, non ab æterno, quia iam tunc denominari verè posset creator à relatione rationis existente in eius intellectu, si vero id concipit ex tempore, est manifesta mutatio secundum actum immanentem intellectus. Hæc etiam quæstio dupliciter intelligi potest: Primo vtrum intellectus debeat realiter immutari mutatione præuia fundamentaliter existentiæ ipsi obiectiuæ relationis rationis, deinde vero vtrum sola ipsa existentia obiectiua sit in se mutatio. Quod ad primum attinet, certum est quotiescunque de nouo in aliquo intellectu existit obiectiuè respectus rationis, dari veram mutationē præuiam eiusmodi existentiæ nimirum ipsammet operationem intellectus circa aliquod ex extremis comparatis, nisi enim intellectus diuersa obiecta mutuo comparet, vel idem cum se ipso, non potest existere de nouo relatio, quæ antea non extiterit, & consequenter cum actus immanens sit mutatio iuxta mentem Philosophi 3. lib. de anima t. 12. vbi ipsum intelligere appellat quoddam pati, necessario ad nouam habitudinem rationis, supponitur mutatio ex parte intellectus. In secundo nulla est difficultas: nā cum existentia obiectiua nō sit aliquid reale distinctum à rebus comparatis, aut comparatione ipsa mentali, sed res ipsæ prout sub tali comparatione intelliguntur, & obijciuntur intellectui secundum esse cognitum, in præcisa positione ipsius nulla est mutatio, est enim sola denominatio extrinseca ab actu mentali, quo obiecta comparantur, & proinde, si non sit mutatio in ipso actu intelligendi, nō erit etiam ratione existentiæ obiectiuæ relationis rationis. Ex quibus patet Deum non solum non mutari quatenus est subiectum de nouo denominatum à relationibus rationis, quæ de nouo resultant in intellectu creato, sed neque etiam quatenus per proprium intellectum cōcipit se ipsum per comparationem ad res creatas: quandoquidem tota mutatio intellectus, in quo sunt obiectiuè respectus rationis, consistit in nouitate conceptus comparatiui: in Deo autem nulla est nouitas conceptus, sed quidquid intelligit, vnico, & simplicissimo actu intellexit ab æterno: ideoque ex eo, quod habitudines rationis ipsius ad creaturas sint obiectiuè in mente diuina; nulla sequitur mutatio. Nam, ipsæ quoque relationes fuerunt ab æterno obiectiuè in mente diuina nec post creationem ipsam in tempore resultarunt, nec tamen proinde poterāt ab æterno denominare actu Deum creatorem, aut Dominum, quoniam deerat proxima ratio fundandi, nempè actualis

Aristot.

dependentia creaturæ à Deo, quæ de nouo fuit in tempore.

VII. At, inquiet aliquis, fieri non potuit, vt existeret relatio, nec tamen aliquid per illam referretur: vel ergo Deus ab æterno referebatur ad creaturas, vel relatio fuit de nouo in mente ipsius, & consequenter mutatio. Primum non est dandum, Deus enim ideò refertur ad creaturas, quia hæ ad ipsum referuntur: ab æterno autem nulla creatura refertur ad Deum: ergo neque Deus ad creaturas: Ex quo consequenter sequitur intellectum diuinum mutari, si in ipso sint obiectiuè relationes ad creaturas, à quibus ex tempore denominatur. Pro solutione suppono relationum rationis quasdam esse adinuentas ab intellectu, & attributas ijs, quæ relatiuè dicuntur, *S. Thom.* vt ait Diuus Thomas quæst. 7. de potentia art. 11. in corpore, alias verò consequi ipsum modum intelligendi, quo intellectus intelligit vnum in ordine ad aliud, licet ipse eum ordinem non adinueniat, cùm potius ex quadam necessitate sequatur modum ipsum intelligendi: Relationes primi generis habent proximum fundamentum in ipso intellectu, aliæ vero requirunt etiam à parte rei. Primi generis est vniuersalitas, quæ fundatur in vnitate præcisionis, quæ nonnisi per intellectum existit, secundi generis est relatio pretij, aut mensuræ, quę exigit publicam designationem: item relatio creatoris, quæ requirit actualem productionem rei ex nihilo. Priores, vt denominent, solum exigunt opus intellectus, posteriores vero requirunt, vt præcedat proximum fundamentum ad extra, ante quod, etiamsi intellectus concipiat vnum extremum comparatiuè ad aliud, neutrum illorum potest denominari à relatione per Verbum præsentis temporis: nam, si magistratus cogitet de noua mensura, vel moneta præstituenda, verè potest illas comparare cum rebus mensurandis, aut permutandis: necdum tamen ante publicam designationem dici possunt habere actu rationem mensuræ, vel monetæ. Eodem modo, quoniam relatio creatoris, & aliæ similes fundantur in actuali dependentia creaturarum à Deo, quæ non fuit ab æterno, non poterant ab æterno Deum denominare: nec tamen propterea conceptus Dei comparatiuus iui ad creaturas erat falsus, aut inanis: quia terminus comparationis erat idem tempus, quo res à Deo creatæ sunt: comparabat enim potentiam suam ad creaturas, vt ad terminum à se dependentem pro eo tempore, quo decreuerat, & prouidebat creandas, vel conseruandas: ex vi cuius comparationis denominari poterat creator futurus pro eo ipso tempore. Nec est absurdum esse obiectiuè respectus rationis, quin denominent pro eo tempore, quo actu sunt, quiuis enim potest concipere aliquod subiectum sub habitudine rationis, siue comparate ad aliud, quin actu subsit fundamentum proximum relationis, cogitetur tamen vt futurum, qua ratione Princeps Regni hæres viuente Patre potest cogitare se Regem post obitum illius, in qua cogitatione re vera existit obiectiuè relatio rationis, nec tamen potest verè conferre illi propriam denominationem in tempore præsenti, quoniam deest electio, aut alia quæuis forma Regalis exterior requisita ad hoc, vt verè sit, ac dicatur Rex. Ex quo iam patet solutio ad rationem dubitandi: ideò enim intellectus creatus formando entia rationis mutatur, quia ad hoc requiritur, vt nouum eliciat conceptum: quod minimè cernitur in Deo, qui omnem actum intelligendi habet ab æterno. Idcirco vero Deus, etsi præexistant relationes ab æterno in mente diuina, ab illis non denominatur pro quouis tempore, quoniam pleræque exigunt rationem fundandi à parte rei, quæ non data est ab æterno.

VIII. Ad primum argumentum initio propositum neganda est consequentia, ratio discriminis est quoniam, si Deus fieret Pater in tempore, aliqua mutatio substantiæ interueniret, vt notat Alensis, quæst. citata, *Alensis.* tum quia relatio ipsa est substantialis, tum quia ad nouam generationem naturæ mutatio sequeretur: at relationes omnes, quæ dicuntur ex tempore de Deo, non sunt reales, neque supponunt nouam dispositionem ex parte ipsius Dei: & idcirco, licet Deus mutaretur, si esset Pater ex tempore, non mutatur ex eo, quod sit ex tempore creator, aut subeat de nouo denominationes alias relatiuas. Ad confirmationē respondetur ex doctrina D. Thomæ *S. Thom.* q. 7. de potētia art. 11. ad tertium: sicut subiectū denominatur realiter idē sibi, quamuis relatio identitatis sit rationis, quoniam vnitas eiusdem ad se, quę est causa, siue fundamentum identitatis, est realis, ita Deum posse denominari realiter Dominum, & creatorem ratione potētiæ coërcendi subditos, & creandi, itemque ratione actualis creationis, quæ sunt fundamenta relationum dominij, & creatoris. Ad secundum probanda est solutio ibidē assignata,

rationes

rationes vero, cur in alijs causis efficientibus dentur relationes reales, non vero in Deo, reddit D. Thom. q. 7. de potentia art. 10. in corpore, quas explicare non est huius loci, neque itē reddere rationem cur Deus nō sit capax relationum realium, qua de re lib. 4. agendum est, nunc sat est illa, quā assignat D. Thomas vbi supra, & alij, nimirum, quia relatio est ordo relatiui ad extremum, ad quod refertur: Deus autē non habet ordinē realem ad vllā creaturam. Ratio vero eius, quod secundo loco petitur, iam reddita est supra: nam, cùm relatio rationis non sit forma re ipsa inhærens subiecto, quod denominat, noua denominatio nullam supponit, aut inducit mutationem. Ad huius impugnationē neganda est assumptio, vt enim superius ostēdi, si Deus intermitteret, aut penitus omitteret actus liberos, quos ab æterno elicuit, re ipsa mutaretur, nō solum quoad relationes rationis, sed etiam quo ad entitatē actus diuini: si vero supponatur solum variari penes relationes rationis, non esset mutatio opposita immutabilitati, de qua nunc loquimur: Nā Verbum æternū ex tempore subijt nouam relationem rationis ad naturā assumptam, nec tamen est mutatus, vt de fide constat, & explicatur in materia de incarnatione.

S. Thom.

Immutabilitas omnimoda, incommunicabilis est creaturæ, ex parte tamen, & imperfecte, participabilis.

Caput XIII.

IMmutabilitatem hucusque explicatam nulli creaturæ, actu, vel potentia competere, sed soli Deo conuenire ex instituto probant Magist. in 1. d. 8. lit. C. Alens. 1. p. q. 4. m. 3. Albert. in summa tract. 4. q. 21. m. 3. & in 1. d. 8. art. 18. S. Thom. 1. p. q. 9. art. 2. cùm Caietano, & in 1. d. 8. q. 3. art. 2. Bonauent. ibid. 1. p. distinctionis, art. 2. q. 2. Henr. in sum. art. 30. q. 6. Ægid. in 1. d. 8. 3. p. primæ partis principalis, q. 2. Richard. art. 2. q. 2. Durand. 1. p. distinct. q. 3. Scotus q. 4. aliàs 5. §. *Ad quæstionem*, cùm Lycheto, & alijs interpretibus, Aureol. q. 2. art. 4. propositione 1. & 2. Bassol. q. 3. art. 3. Nouo Castro q. 3. conclusione 4. Ocham. q. 7. Gabriel. q. 7. art. 2. Adam. q. vn. Capreol. q. 3. conclusione 1. Cistercien. q. vn. art. 2. Heru. q. 2. & Alliacens. q. 7. art. 3. 2. prop. post solutionem secundi. Probatur vero inprimis testimonijs sacrarum literarum. Nam cum Malach. 3. dicitur: *Ego Deus, & non mutor.* & Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur:* Satis significatur immutabilitatē prouenire ex natura Deitatis, & ideò cætera aliena esse ab immutabilitate Dei, sicut aliena sunt à natura: hoc ipsum intendit Regius Vates Psalm. 101. cum ait. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* vt notant Gregorius in expositione eius Psalm. qui est quintus ex pœnitentialibus: & hoc ipsum significatum esse Moysi à Domino cum dixit. Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, docet Euseb. lib. 11. de præparat. Euangel. cap. 6. Augustin. lib. de natura boni aduersus Manichæos cap. 19. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 27. in id Iob 28. *Non commemorabuntur in comparatione eius, &c.* & homil. 2. in Ezechielem versus finem. Isidor. lib. 7. Etymolog. cap. 1. Bed. in id Ioan. 8. *Nisi credideritis quia ego sum:* & Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 7. quasi ipse ideò solus sit, quia solus incommutabiliter est, vt enim recte notat Augustinus sermone de rubo Moysis, qui est 17. de diuersis: *Ea, quæ mutantur, non sunt, quia non permanent, quod autem mutatur, fuit aliquid, & aliquid erit, & non tamen est, quia mutabile est: ergo commutabilitas Dei isto vocabulo se dignata est intimare: Ego sum, qui sum.* Non oportet autem immorari adducendo loca Scripturæ ad ostendendam creaturæ mutabilitatem. Passim enim accurrunt, sat est illud Psalm. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Ex eo Regius Vates tanquā nihilum substantiam suam æstimandam putat comparatione Deitatis, quoniam mensurabiles dies habet. Deus vero quia semper idē est, ideò simpliciter, ac verè ens est: vt explicat D. August. lib. 2. de morib. Manich. cap. 1. *Hoc enim*, inquiens, *maximè esse dicendum est, quod semper eodem modo se habet: quod omni modo sui simile est: quod nulla ex parte corrumpi, ac mutari potest, quod non subiacet tempori: quod aliter se habere nunc, quam habebat antea, non potest: id enim est, quod esse verissimè dicitur: subiacet enim huic verbo manentis in se, atq; immutabiliter se habentis naturæ significatio, hanc nihil aliud, quam Deum recte possumus dicere.* Idem ferè docet Anselmus in prosologio cap. 22. his verbis. *Tu solus Domine es, quod es; in quo est aliquid mutabile non omnino est, quod est: & quod habet fuisse, quod iam non est, & futurum quod nondum est, id non est propriè, & absolute: tu vero es, quod es: quia quidquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus, ac semper es: & tu es: qui propriè, ac simpliciter es:* eadem ferè habet in Mo-

I. Magister. Alens. Albertus. S. Thom. Caietan. Bonauent. Henric. Ægid. Richardus. Durand. Scot. Lycheus. Aureol. Bassol. Nouus Castro. Ocham. Gabriel. Adamus. Capreol. Cistercienſ. Heruæus. Alliacenſis. Malach. 3. Num. 23. Psalm. 101. S. Gregor. Exod. 3. Eusebius. Augustinus. Gregor. Isidorus. Beda. Fulgentius. Augustinus. Psalm. 38. Augustinus. Anselm.

nologio

nologio cap. 28. Idem patet ex Paulo 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem*: Si solus: ergo cætera omnia subiecta sunt immortalitati: per quam Patres intelligunt mutabilitatem, per quã res transit ab vno esse in aliud: vt enim ait D. Augustinus lib. 11. Confessionum cap. 10. *In quantum quisq; non est, quod erat, & est, quod non erat, in tantum moritur, & oritur*: eodem modo interpretantur eundem locum idem August. lib. 1. de Trinitate cap. 1. lib. 3. contra Maximinum c. 12. de cognitione veræ vitæ cap. 31. & tract. 23. in Ioan. post medium. Gregor. lib. 12. moral. cap. 17. in id Iob 15. *Ecce inter sanctos nemo immutabilis.* & lib. 25. cap. 4. in id Iob 34. *Non sunt tenebræ, &c.* Isidor. loco citato, Beda super illa verba Pauli. Post Scripturas sequitur communis sententia Patrum, qui oẽs agnoscunt discrimen inter Deum, & omnes creaturas, quo ad immutabilitatem, Tertullian. lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16. August. lib. 11. de Ciuitate cap. 10. & lib. 12. cap. 1. lib. 5. de Trinitate, cap. 2. & sæpè alibi, Athanasius de passione, & cruce Domini initio, Didymus lib. 1. de Spiritu sancto non longè à principio, Cyrillus Alexandr. de recta fide ad Theodos. non longè à principio, Sophronius oratione de Angelorũ excellentia tom. 2. Bibliothecæ PP. Theodoretus, dialog. dicto *immutabilis*: Bernard. serm. 81. in Cant. & optimè Nyssenus lib. rde hominis opificio cap. 16. his verbis. *Quid igitur inquies, in quo naturæ diuinæ & eius, quæ ad diuinam est confirmata, discrimẽ perspici posit? illud vero in eo perspicies, quod Dei natura existit increata, hominũ vero per creationem est orta: hoc deinde discrimen alia quædam consequuntur. Est enim planè apud omnes in confesso naturam increatam, immutabilem, eandemq; semper esse: creatam sine perpetua vicissitudine consistere nullo modo posse: nam ipse transitus ex nihilo ad ortum motus quidem est, & mutatio.*

1. ad Tim. 6. *Augustinus.* *Gregor.* *Isidorus.* *Beda.* *Tertullian.* *Augustinus.* *Athanasius.* *Didymus.* *Cyrill. Alex.* *Sophronius.* *Theodoret.* *Bernard.* *Nyssenus.*

II. Breuiter vero facienda est comparatio, quo ad singula genera mutationum, in primis constat creaturas quasdã esse participes corruptionis substantialis in partem, alias vero minimè. Prioris generis sunt mista, & elementa: posterioris vero Angeli, materia prima, anima rationalis: quoniam carent contrarietate: siue extrinseca, à qua corrumpantur, siue intrinseca, ratione cuius dissoluantur, postquam semel sunt: carent quoque partibus, quarum altera sit actus, altera potentia: & idcirco nec per diuinam potẽtiam possunt subire generationem, & corruptionem propriè dictam. Materia tamen, quia est generationis, corruptionisque subiectum, per accidens subit eiusmodi corruptiones, sicut etiam per accidens diuiditur, diuiso ente naturali, cuius pars est. Constat Deinde nullam omnino creaturam esse expertem versionis, hoc est mutationis substantialis secundum totum. Ratio est: quoniam cum ex se nõ sint, sicut per omnipotẽtiam creatoris transitæ sunt de non esse ad actualem existentiam, ita ab eadem traduci possunt ad nihilum, vel in quidpiam aliud commutari: nam, vt inquit Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. *Quæcunq; initium sumpserunt, & dissolutionem possunt percipere*, & Damascen. lib. 1. de fide cap. 3. *Quæcunq; à versione incipiunt, versioni subiecta sunt*: Versionem vero, vt explicant Doctores Scholastici, vocat mutationẽ totius de non esse ad esse, aut vice versa: sicut ergo secundum fidem creaturæ à Deo ex nihilo conditæ sunt, ita ab eodem possunt in nihilum redigi.

Irenæus. *Damascen.*

III. Porro accidentalium mutationũ nulla omnino substantia expers est, tametsi enim quædam, quia incapaces sunt accidentium nonnullorum, penes illa mutari nequeant, vt Angeli penes quantitatem, & reliqua accidentia corporea: tamen, cùm nulla substantia creata sit formaliter omnis sua perfectio possibilis, imò accessu, vel recessu perfectionũ accidentalium fiat melior, vel deterior, necessario coniunctam habet potentiam passiuam ad perfectiones, quibus caret: cùm qua simul adest mutabilitas: & ita propter diuersitatem perfectionis nihil aliud à Deo est immutabile subiectiuè: si quid enim esset, maximè prima intelligentia, vt argumentatur Scotus vbi proximè: hæc autẽ immutabilis nõ est: nã potest habere intellectionem cuiusuis intelligibilis: nõ vnicam omnium, quia hæc esset infinita: nõ simul infinitas, quia hoc nequit intellectus finitus: ergo vnam post aliam. Alia mutatio est penes voluntatẽ, & eius actus: quæ ipsas etiam substãtias incorporeas comitatur, nedum homines mortales, & corruptibiles. Quo argumento videtur vsus Eliphaz apud B. Iob cap. 4. *Ecce, qui seruiunt ei nõ sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quãto magis hi, qui habitant domos luteas, &c.* Ad quẽ locum B. Gregor. lib. 5. moral. cap. 28. *Natura*, inquit, *Angelica, etsi cõtemplatione Auctori inhærendo in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen, quo creatura est, in semetipsa vicissitudinẽ immutabilitatis habet: mutari autem ex alio in aliud ire est, & in semetipso stabilẽ nõ esse, vnaquæq; enim res quasi tot passibus in aliud tendit quot mutabilitatis suæ motibus subiacet, sola autem natura incomprehensibilis à statu suo nescit moueri, quæ ab eo,*

Scotus. *Iob 4.* *S. Gregor.*

quod

quod semper est, nescit immutari: nam si Angelorum substantia mutabilitatis motum fuisset aliena, benè ab Auctore condita nequaquam in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset, vbi de accidentali mutatione sermo est. Quare non sunt audiendi Aristot. lib. 12. Metaph. cap. 9. & Auicen. vt refert Scotus in 2. d. 2. quæst. 4. §. *Ad primum*, quatenus indicant substantias omnes separatas esse actus puros, quorum esse, velle, atque intelligere idem sit: ex quo sequitur apertè non cadere in ipsos mutationem illam intrinsecam, quod falsum est, quoniam hoc solum reseruatur vni illi, ac supremæ naturæ, quæ neque proficere potest, nec deficere.

Aristot. Auicenna. Scot.

IV. Porro ex ipsis formis accidentalibus non omnes sunt mutabiles subiectiuè, vt docet Cistercienſ. quæst. citata, art. 2. conclusione 4. & Adam. quæst. vn. conclusione 3. Ratio est quoniam propter suam imperfectionem, non sunt capaces perfectionis, aut formæ superadditæ, hac tamen de re dubitat Gabriel. in 1. distinct. 8. quæst. 7. art. 3. in fine, & posset inter Philosophos disputari: & quidem, si vera sit sententia asserens vnam relationem realem non posse esse subiectum, aut fundamentum alterius, relatio est talis forma: quoniam, vt per se patet, non est fundamentum vllius alterius accidentis: quare si nequit fundare aliam relationem, ita est forma, vt non sit subiectum. Qui vero censent relationem realem posse esse fundamentum alterius, non agnoscent formam vltimam, quæ non possit esse subiectum alterius formæ, & consequenter mutabilis subiectiuè: si vero iuxta priorem sententiam concedatur vlla vltima forma creata immutabilis subiectiuè, adhuc tamen erit obnoxia mutationi latissimè sumptæ inprimis locali, saltem per accidens ad mutationem subiecti, vt docet Adamus vbi supra, deinde vero inceptioni, ac desitioni saltem potentiali: quando enim Philosophus lib. 11. Metaphys. cap. 10. ipsas formas, quæ sunt termini mutationum, dicit immotas, loquitur de mutatione propriè dicta, quæ fit in eodem subiecto successiuè subeunte terminos, siue formas oppositas: eodemque modo intelligi debet, quod à Philosophis dicitur, nempè mutationem ipsam non mutari. Nam, vt inquit Alensis. 2. p. quæst. 13. m. 2. aliter dicitur mutabilis res, quæ mutatur, aliter mutabilitas ipsa, siue mutatio: nam, hæc dicitur mutabilis, vt causa formalis mutabilitatis rei, quæ est mutabilis, vel mutatur: res autem ipsa, quæ subit mutationem à se distinctam, dicitur mutabilis vt subiectum mutationis; tametsi vero mutatio ipsa non sit hoc modo mutabilis, adhuc tamen non est immutabilis eodem modo quo essentia diuina: hæc enim est immutabilis, quia nec est subiectum, nec terminus mutationis, nec mutatio. Accidentia vero alia, siue formæ per modum qualitatum, vel actionum, quale est lumen gloriæ, visio beata, & amor beatificus, tametsi suapte natura perpetua sint, quia non habent contrarium, vel agens vllum naturale, virtute cuius corrumpantur: tamen non accedunt ad immutabilitatem Dei, cùm inceperint, & Deo volente possint desinere: quamuis de facto nunquam desinent, quoniam Deus non retrahet influxum suum debitum naturis rerum, & eandem firmitatē habent huiusmodi formæ postquam sunt, quam habent Angeli, & aliæ substantiæ incorruptibiles in suo esse naturali.

Gabriel. Adamus. Aristot. Adamus. Alensis.

V. Hæc vera sunt spectata rerum natura, in qua pro varia perfectione cuiusque sunt cum mutabilitate permista nonnulla vestigia immutabilitatis, siue secundum esse substantiale, vt in Angelis, siue secundum alterationes corruptiuas, vt in ijsdem, atque cœlis: siue secundum nonnullas actiones vitales, vt in beatis: siue secundum accretionem, vt in cœlis, quo enim res perfectior est, eo paucioribus mutationibus obnoxia est, vt Angeli, ac beati: quo vero imperfectior, ac remotior à participatione summi boni, eo pluribus. Ex quo materia prima, vtpote substantia imperfectissima, omnium mutationum est subiectum, vt discurrenti cōspicuum fiet: nempè generationis, corruptionis, augmentationis, alterationis, motus localis, & actionum omnium, quæ in subiecto corporeo recipi nō repugnat. Sed quid dicendū consideratā omnipotentia Dei, poterit ne fieri creatura immutabilis? Pars affirmatiua suadetur, quoniam eadē est ratio de immutabilitate quo ad vnam formam, & quoad aliam, imò quoad omnes: Deus autem facit quasdam creaturas immutabiles quoad esse substantiale: ergo facere poterit quoad accidentale, & ita restabit absolute immutabilis. Præterea visio beata reddit voluntatem inuertibilem ad malum, vnio hypostatica voluntatem Christi impeccabilem.

VI. Duo dubia inuoluuntur his argumentis. Alterum est vtrum Deus facere possit aliquid natura sua immutabile, alterum vtrum ea, quæ suapte natura sunt mutabilia, facere possit immutabilia per gratiam. Ad quæstionem in priore sensu respondet Alensis vbi supra membro 4. immutabilitatem sumi dupliciter, vel prout

Alensis.

remouet

remouet actum, vel prout remouet potentiam, & priore quidé modo potuisse Deum creare creaturam immutabilem: quæ scilicet careret omni mutatione, posteriore vero nequaquam? hoc posterius dictum probat, quoniam impossibile est, vt Deus faciat aliquid de sua substantia diuersum à se in natura. Id vero, quod est alterius naturæ à diuina, nequit omnino esse immutabile: quare nihil à Deo factum potest omnino esse immutabile. Maior probatur quoniam, cùm natura diuina sit vnica, ac simplicissima, id, quod differt à Deo secundum naturam, non potest esse de substantia eius, non enim vnum est de substantia alterius, nisi accipiat ab eo partem, vel totam substantiam illius: quod vero differt in natura non accipit totam, alioquin non differret: natura diuina, cùm sit simplex, communicari non potest secundum partem: quare nil factum à Deo est eiusdem naturæ cum eo. Assumptio vero constat quoniam id, quod à Deo secundum substantiam differt, non ex se ipso, sed ex nihilo est: & proinde simpliciter contingens, ac potentiale, mutationique obnoxium: quæ probatio desumpta videtur ex Augustino lib. 12. de Ciuitate cap. 1. vbi sic habet: *Dicimus immutabile bonum non esse nisi vnum verum Deum beatum, ea vero, quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo, verùntamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt.* Prius assertum non probat Alensis, sed supponit vt verum: explicari tamen potest exemplo Angeli si crearetur ab æterno perseuerans semper immobilis localiter, & in vna, atque indiuisibili contemplatione Deitatis, & amore ipsius. Verum huiusmodi Angelus, tametsi dici posset immotus mutatione propriè dicta, quę est transitus inter terminos oppositos, nunquam enim transisset de negatione præexistente in formam negatam, neque de forma in eius priuationem. Tamen si mutatio sumatur in tota sua latitudine, vt capite 1. explicaui, nullum ens creatum de facto carere potest mutatione: nam ipsamet creatio, & conseruatio, mutatio quædam est, & transitus saltem de non esse potentiali ad esse actuale: & operationes ipsæ vitales mutationes quædam sunt: Nam procedunt ex aliqua potentia passiua subiecti, siue naturali, siue obedientiali.

VII. Quod attinet ad secundum dubium, nullum donum gratiæ potest tollere mutabilitatem naturæ, potest tamen impedire illius effectus in ordine ad causas secundas, non autem in ordine ad Deum. Prima pars expresse traditur à Cyrillo Alexandr. *Cyrill. Alex.* lib. 3. in Ioan. cap. 23. & lib. de recta fide ad Theodos. non longè à principio asserente, quemadmodum Deus non potest fieri mutabilis, ita neque creaturam posse fieri immutabilem, & est de mente Patrum, & Doctorum Scholasticorum quos retuli, communiter enim mutabilitatem creaturæ colligunt ex eo, quod de nihilo facta est: & patet ex dictis: nam mutabilitas naturæ fundatur in ipsa limitatione, potentialitate, & contingentia naturæ, nullum vero donum gratiæ exuere potest naturam à potẽtia saltem obedientiali, & extrahere extra propriæ essentiæ, ac finitionis terminos, vt perspicuum est: non ergo potest auferre à natura propriam mutabilitatem. Et ita dona gratiæ, quibus naturæ aliquæ obfirmantur in existentia, non desinunt esse suapte natura res mutabiles, vt videre erit in corporibus beatorum, quæ dote incorruptibilitatis ab omni passione corrumpente reddentur immunia: & in voluntatibus, quæ confirmabuntur in bono, ita vt ad malum flecti nequeant: non tamen proinde, vel hæ, vel illa desinent esse suapte natura obnoxia mutationi: adhuc enim verum est dicere voluntatem beati esse suapte natura flexibilem in malum, & corpus suapte natura corruptioni obnoxium. Ex quo etiam pars secunda facilè deducitur: nam quemuis effectum, sine quo non repugnat interdum reperiri causam, potest Deus omnino separare à causa, seu potius impedire, sed actualis mutatio non necessario cohæret semper cum mutabilitate: ergo fieri à Deo potest ex dono gratiæ, vt firmetur res aliqua inesse immobiliter in ordine ad causam secundam. Et ita fieri potest, vt id, quod suapte natura corruptibile est secundum substantiam, à causa secunda corrumpi nequeat: & vt alterabile non alteretur, & sic in reliquis omnibus, quod iam factum est in fornace ignis ardentis, in quam missi sunt tres illi sancti pueri, vt habetur. Dan. 3. *Quos tamen ignis non tetigit, neq; quidpiam molestiæ intulit.* Dan. 3. Dixi autem, quando id non repugnat, quoniam fieri neque à Deo potest, vt res posita mutatione non mutetur, aut vt sit motus, & non moueatur: itaque sola mutatio non potest non esse mutabilis se ipsa, quoniam formaliter est mutatio. Denique tertia pars ostenditur, quoniam si quid vi sua impedire posset omnem actualem mutationem alicuius subiecti, ita vt nec à Deo mutari posset, id profecto iam esset à Deo independens, & ex se, non vero donum creatum ipsius Dei. Dixi vero vi sua, quoniam fieri potest, vt facta aliqua suppositione

repugnet

repugnet mutari rem aliquo genere mutationis, non ex vi physica ipsius doni gratuiti, quod semper obedit ad nutum creatoris, sed ex vi promissionis, aut pacti diuini, quod violari à Deo repugnat: itaque vita æterna beatorum ex vi sua entitatiua non habet vt permanere queat Deo nõ conseruante, quia tamen ex vi promissionis suæ Deus non potest non conseruare illam, habet ex suppositione immutabilitatem in suo esse.

VIII. Primum argumentum, si procedat de omnimoda immutabilitate, quæ excludit omnem potentiam passiuam etiam obedientialem, assumit falsum: nempè aliquid hoc modo, vel secundum partem esse immutabilem: nullum quippe ens ex vi potest huiusmodi potẽtia obedientiali, ac dependentia à creatore, si vero procedat de immutabilitate respectu causarum secundarum, assumptio quidem vera est, sunt enim nõnulla quo ad aliquid immutabilia à causis secundis. Maior tamen propositio est falsa: nam immutabilitas quo ad vnã formam non eximit rem ab imperfectione, atque mistione potẽtiæ passiuæ, neque traducit illam ad infinitam perfectionẽ actus puri: hoc enim solum sibi vendicat naturalis immutabilitas simpliciter, quæ est inuariabilitas, quo ad omnem formam. Ea verõ supponit rem esse omnẽ suam perfectionem. Et ideò nõ est eadem ratio de immutabilitate naturali quo ad vnam formam, & quo ad omnes. Quamuis autem, si comparentur seorsim immutabilitas substantialis, & accidentalis, illa sit hac perfectior, & ideò qui illã habet ex natura, hanc quoque habet, saltem quoad aliqua, vt habet Angelus quoad potentias vitales: tamen immutabilitas naturalis quo ad omnes perfectiones, quæ nobis sunt accidentales, arguit etiam omnimodam immutabilitatem quoad substantiam, & cõsequenter quoad omnia, & ideò impossibilis est creaturæ, quæ eximi nequit à subiectione primæ causæ, & à mutabilitate, quę nascitur ex potentia passiua respectu agentis extrinseci. Secundum argumentum probat quidem habere immutabilitatem aliquam secundum partem ex dono gratiæ, non tamen absolutam: qualis est immutabilitas Dei, qui solus habet immortalitatem, hoc est immutabilitatem omnimodam, vt expiicant Patres citati num. 1. quandoquidem in omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quæ facit in illa esse aliquid, quod non erat, vel etiam non esse, quod erat.

TRACTATVS NONVS, DE IMMENSITATE DEI, ET IMMVTABILITATE SECVNdum locum.

POst identitatem, & immutabilitatẽ sequitur immensitas diuina, quæ est modus quidam identitatis, & immutabilitatis, & in summa Dei vnitate, & identitate fundatur: Est modus identitatis, quoniam ratione eius Deus absque vlla diuersitate ex parte sui præsens est rebus omnibus: quam proprietatem inter eas, quæ pertinent ad identitatem, attigit Magnus Dionys. cap. 9. de diuinis nominibus his verbis: *Idem vero supersubstantialiter æternum est, inuertibile in se ipso manens, semper secundum eadem, & eodem se habens modo, omnibus eodem modo præsens:* præsentia vero secundum locum ad res omnes competit Deo ratione immensitatis. Est vero modus immutabilitatis, quia remouet à Deo potentiam, vt moueatur secundum locum: & idcirco, cùm sit immediata ratio cuiusdam partialis immutabilitatis, post tractatum de immutabilitate sequitur disputatio de immensitate. Quin vero etiam ex alio capite pertinet ad hunc librum, qui est de vnitate Dei: quoniam magnitudo, quæ est quantitas à numero contradiuisa, coincidit cum vnitate prædicamentali. Immensitas autem ex primaria acceptione significat negationem mensuræ passiuæ, & cum infinitate recurrit: nam, quidquid fine caret, est expers mensuræ. Hoc modo accepit Tertullianus apologet. aduersus gent. cap. 17. Nazianzen. orat. 38. quæ est secunda in Christi Natiuitatem & in eodem sensu Deum immensum esse dixit August. lib. de essentia diuinitatis initio, vbi, *Deus*, inquit, *immensus est, quia quãtitas, id est, qualitas à nulla ex creaturis metiri potest.* Hoc autem modo non est hic sermo de immensitate, sed de ea, quæ est attributum distinctum ab infinitate simpliciter, quomodo vsurpant nomen immensitas Patres referendi cap. vlt. num. 1. est vero immẽsitas ita sumpta modus magnitudinis diuinæ, seu potius magnitudo ipsa virtualis, qua Deus coexistit rebus omnibus, ac locis: nam ex vi eius habet, vt sit præsens rebus omnibus, ac locis, & consequenter vbique. Primum itaque agam de præsentia Dei ad res omnes: deinde explicabo quid requiratur, vt dicatur esse in rebus, ac locis: vltimo tandem ostendam, quæ sit

Magn. Dion.

Tertullian.

Nazianzen.

Augustinus.

propria ratio immensitatis, & quomodo Deo conueniat.

Deum esse præsentem rebus omnibus ex humana, diuinaque fide constat.

Caput I.

I. NOmine præsentiæ hoc loco indistantiam Dei à rebus intelligo, vt communiter accipiunt Theologi: quam nonnulli explicant per esse vbique, quamuis hoc minus late pateat, quam præsentia cum rebus omnibus: nam esse vbique solum significat existentiam in omni loco, locus vero minus patet, quam res: siquidem substantia Angeli, & animæ rationalis res quædã est, non tamen locus. Sed re ipsa coincidunt, quoniam nulla omnino creata res est, quæ per se, vel per accidens non sit in loco: & proinde, quidquid vbique est, consequenter est præsens rebus omnibus: & vice versa, quidquid omnib⁹ est præsens, est in omni loco. Item, quamuis non quidquid est alicui præsens, sit in illo, vt infra constabit, quidquid tamen in aliquo est, præsens illi est: atque adeò, qui asserit Deum esse in rebus, aut vbique, consequenter astruit eius præsentiam ad res omnes. Hæc prius notanda fuerant, nè in progressu ad singula hæreamus.

II. Quod itaque attinet ad præsentiam, siue indistantiam Dei à rebus omnibus, non defuerunt Hæretici, & Philosophi, imò etiam Catholici, qui opinati sunt Deum non esse præsentem rebus omnibus: in hoc errore fuerunt imprimis omnes illi, qui existimarunt Deum constare materia, & forma, & figura corporea præditum, quos retuli tractat. 4. cap. 4. Deinde nonnulli Iudæorum, qui putabant Deum templo Hierusalem posse concludi, vt refert Hieron. super illa verba Isai. 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Manichæi vero, vt refert Augustin. lib. contra Epist. fundamenti cap. 21. si non ex omni, saltem ex aliqua parte diuinitatem circunscriptam esse dicebant: nam, cùm duos Deos contrarios admitterent, regionibus quoque separabant, ita vt alia esset sphæra, & quasi prouincia Dei lucis, altera Dei tenebrarum. Et quamuis cõcedebant Deum lucis ex tribus lateribus immensum, atque infinitum, ex ea tamen parte, siue latere, cui ex aduerso respondebat Deus tenebrarum, fingebant finitum, & quasi distinctum à materia tenebrosa: ne scilicet sincera natura Deitatis contaminaretur mutuo contactu, & consortio tenebrarum. Nec dissimili ferè ratione inductus Augustin. Eugubinus in illa verba, Psalm. 138. *Si ascendero in Cœlum tu illic es*, credit Deum substantiali sua præsentia tantummodo in cœlo esse: & sicut sol inferiora loca omnia luce sua perlustrat, nec sordibus rerum, quas illuminat, inquinatur, sic Deum res omnes cognitione sua perlustrare, nec tamen earum commercio lædi, aut perturbari: eo quod non immediate per suam substantiam, & entitatem, sed sola cognitione ijs præsens sit. In quo errore ante Eugubinum fuerunt aliqui, quorum meminit Anastasius Synaita lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus tom. 1. bibliothecæ Patrum his verbis. *Nonnullos videas, qui propriæ naturæ infirmitatem ad diuinam maiestatem transferant, eam suæ imbecillitati admetientes, circa maxima disquirentes, vel minutißima quæque: rati proinde fore melius, si diuinam naturam ad moderationem reuocent, & imminuant, tanquã ex materia desumptam, quam vt eandem opinentur ad vsq; omnia pertingere: nefarium prorsus, & impium existimantes tantam maiestatem corpora ingredi minus decentia, squaloreq;, & graueolenti pædore oppleta, aut certe impias animas intoire, & alia quædam, quæ de Deo iuxta supereminentem cunctis eius naturam, ne cogitari quidem debent.* Alios refert Hugo Victor. lib. 1. de sacr. p. 3. cap. 17. & in sum. sent. tract. 1. cap. 4. dicentes: *Deum per potentiam, & non per essentiam vbiq; esse: quia eum contingere possent inquinationes sordium, si vbiq; esset essentialiter.*

III. Certa tamen fide tenendum est Deum esse secundum substantiam præsentem rebus omnibus. Suadetur vero ex locis, quibus Deus dicitur, *immensus*, ita in cap. *firmiter*, de summa Trinitate, & fide Cathol. & in Symbolo Athanas. itemque ex illis, quibus asseritur Deum replere omnia, Cœlum, terram, & omnia creata, nihil enim replere potest id, à quo abest: si enim Deus omnia replet, omnibus præsens est: ita Hierem. 23. dicitur, *Cælum, & terram ego impleo*, hoc est vniuersam creaturam corpoream; quæ in sacris literis Cœli, & terræ nomine intelligitur. Vnde hoc testimonio Patres sæpius probant Deum esse vbique, ita Irenæus lib. 4. aduersus hæres. cap. 36. Origen. hom. 12. in Genes. circa principium, Euseb. Cæsar. lib. 9. de demonstr. Euangel. demonst. 12. Athanas. orat. contra gregales Sabellij post medium, & de humana natura suscepta post medium, & de vnita substantia Trinitatis lib. 5. in fine:

Iudæi. *Hieronym.* *Manichæi.* *Augustinus.* *Eugubinus.* *Anastas. Sy-naita.* *Hugo Vict.* *Hilarius.* *Irenæus.* *Origen.* *Euseb. Cæs.* *Athanas.*

Hilarius

Hilarius in id Psalm. 118. *Prope es tu Domine:* Nazianzen. Orat. 34. quæ est secunda de Theologia, num. 14. Ambros. in id Psalm. 118. *Prope es tu Domine:* Hieronym. Epist. 146. ad Damasum, & in cap. 66. Isai. initio, & super illum locum Hieremiæ, Augustin. lib. 2. de Trinitate cap. 5. tractat. 36. in Ioan. serm. 8. de verbis Apostoli cap. 1. & Epistol. 57. ad Dardanum quæst. 1. Cyrill. Alexand. lib. 13. thesauri cap. 2. Theodoret. in commentarijs Hierem. 23. & serm. 10. de prouidentia inter principium, & medium. Fulgent. de fide ad Petrum, cap. 3. & lib. 2. ad Monimum cap. 6. Gregor. lib. 2. moralium cap. 8. in id cap. 1. Iob, *Egressusq; est Satan à facie Domini:* Anastasius synaita lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, Petrus Damian. Epist. 4. de omnipotentia Dei cap. 6. Euthym. super illud Matthæi 5. *Neq; per Cœlum, quia thronus Dei est:* & Hugo Victorin. in sum. sent. tractat. 1. cap. 4. simile testimonium habetur Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, &c.* Quo testimonio vtitur Hilarius, Nazianzen. Ambros. Gregor. Fulgent. Anastas. & Petrus Damian. vbi proximè, August. lib. 3. contra Maximin. cap. 21. & super id Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* & Theophilus Alexandrinus Episcopus Epistol. paschali prima contra Origenistas ad medium, tom. 3. Bibliothecæ Patrum. Eiusdem generis sunt illæ sententiæ, quæ asserunt Deum esse in Cœlo, terra, mari, inferno, &c. quale est illud Psalm. 138. *Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades,* quo vtitur Origenes in id Iob cap. 1. *Venerunt Angeli Dei, vt starent ante Deum,* Athanas. loco citato de humana natura suscepta, & Epistol. 1. ad Serapionem de sancto Spiritu, Hilarius lib. 1. de Trinitate non longè à principio, Nyssen. tract. de professione Christianorum versus finem, Ambros. loco citato, & lib. 2. in Lucam in id cap. 1. *Hic erit magnus* & lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. Hieronym. Epistol. cit. & in id ad Ephes. 2. *Facti estis prope in sanguine Christi.* & in commentarijs eius loci: Chrysostom. ibidem, & hom. de Spiritu sancto versum finem tom. 3. Augustin. Epistol. citata, & tractat. 111. in Ioann. in id Psalm. 32. *Confitemini Domino in cythara.* & lib. de essentia diuinitatis initio, & super illum locum Psalm. Cyrill. lib. 5. in Ioan. cap. 40. & lib. 13. thesauri cap. 2. Theodoret. in commentarijs eiusdem loci. Gaudent. Episcopus Brixiensis tractat. de promissione paracleti, qui est ordine serm. 14. tom. 2. Bibliothecæ Patrum. Fulgentius, Anastasius, Theophilus Alexandrinus, & Hugo Victorinus vbi supra. Item illud Isai. 66. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum:* Nam, si Deus est præsens extremis mundi partibus, oportet, vt adsit etiam medijs, alioquin à seipso diuisus, ac diuulsus erit: quod absurdum est. Et ita Patres sæpè ex hoc loco immensitatem Dei probant Euseb. Cæsar. vbi supra, Athanas. de vnita substantia Trinitatis lib. 5. in fine. Hilarius lib. 1. de Trinitate cit. Hieron. super eum locum, & in id Ezechiel. 40. *Et introduxit me in atrium, &c.* Gregor. lib. 2. moral. cit. & hom. 17. in Ezechiel. à med. Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 23. Euthymius, & Petrus Damianus vbi supra, & Theodoret. serm. 10. cit.

Idem etiam sumitur ex locis Scripturæ, quibus Deus dicitur minimè capi rebº creatis, ita dicitur lib. 3. Reg. cap. 8. & lib. 2. Paralipom. cap. 2. & 6. *Cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt,* ex quibus locis Ecclesia desumpsit, quod canit de B. Virgine: *Quem cœli capere nō poterant, tuo gremio contulisti.* & illud, *quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera,* ijs vero ad hanc veritatem confirmandam vtuntur Athanas. orat. contra Gregal. Sabellij post med. Hieronym. in cap. 66. Isai. initio, Augustin. de essentia diuinitatis initio, & Petrus Damianus vbi supra. Huc etiam spectant illa loca, in quibus Deus dicitur maior, & excelsior rebus creatis, vt Iob 11. *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior abysso, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius.* & cap. 22. *Nonne cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur?* Ex quibus Deum esse vbique deducunt Hieronym. Iob 11. & August. de essentia diuinitatis initio. Affine est illud Esai. 40. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit, quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles statera?* Quibus verbis significatur excessus immensitatis diuinæ supra res omnes, spatia, & loca creata; quibus non includitur, sed adhuc extra manet: sicut ea, quæ sunt alijs celsiora, profundiora, ac longiora, extra illa protenduntur: & quæ exterius aliquid continent, nec ab illo capiuntur, longè maiora esse debent. Hoc testimonio eandem veritatem confirmant Athanas. de vnita substantia Trinitatis lib. 5. in fine. Hilarius lib. 1. de Trinitat. cit. Hieronym. in cap. 66. Esai. initio, Chrysost. in id Psalm. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui alta habitat:* Gregor. locis superius citatis, & Petrus Damian. vbi supra. Præterea idem

IV.

Hilarius. Nazianzen. Ambros. Hieronym. Augustinus. Cyrill. Alex. Theodoret. Fulgentius. Gregor. Anastas. Synaita. Pet. Damian. Euthymius. Hugo Victor. Cap. 1. Hilarius. Nazianzen. Ambrosius. Gregor. Fulgentius. Anastasius. Pet. Damian. Augustinus. Theophil. Psalm. 138. Origen. Athanasius. Hilarius. Nyssenus. Ambrosius. Hieronym. Chrysost. Augustinus. Cyrill. Alex. Theodoretus. Gaudentius.

Fulgentius. Anastasius. Theophilus. Hugo Victor. Isai. 66. Euseb. Cæsar. Athanasius. Hilarius. Hieronym. Gregor. Rupertus. Euthymius. Pet. Damian. Theodoretus. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 2. & 6. Athanasius. Hieronymus. Augustinus. Pet. Damian. Iob 11. & 22. Hieronymus. Augustinus. Isai. 40. Athanasius. Hilarius. Hieronymus. Chrysost. Gregor. Pet. Damian.

dogma stabilitur illis locis, quibus Deus asseritur adesse omnibus, aut prope esse: quale est illud Psalm. 118. *Prope es tu Domine.* Ex quo Deum esse vbique colligunt Hilarius, & Ambros. ibidem, & illud Hierem. 23. *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè:* quo loco vtuntur ad hoc institutum Hieronym. ibidem, & in id ad Ephes. 2. *Facti estis prope in sanguine Christi:* & Chrysostom. in Psalm. 112. cit. Denique facit illud Actor. 17. *Non longè est ab vnoquoq; nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus:* quod ex instituto expendam cap. 3.

Psalm. 118. *Hilarius.* *Ambros.* *Hierem. 23.* *Hieronym.* *Chrysost.* *Actor. 17.*

V. His obstare credet aliquis, quod in sacris literis nonnunquam tribuitur Deo peculiaris aliquis locus, vt Genes. 28. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam:* & Psalm. 13. 32. 52. 79. 101. dicitur Deus de cœlo in terram aspicere, quasi non sit in terra, sed solum in cœlo, & Psalm. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum:* Christus Dominus Matth. 6. *Pater noster, qui es in cœlis:* Psalm. 75. *Habitatio eius in Sion.* & sæpè in Scriptura dicitur habitare in sanctis, & longè esse ab impijs. Hoc tamen non obstat: quoniam vt expresse notant Nyssen. tractat. de professione Christianorum versus finem, Chrysostom. in id Psalm. 9. *Psallite Domino, qui habitat in Sion,* Cyrillus Alexandrinus super illud Esai. 63. *Conuertere è Cœlo, &c.* Procopius in cap. 64. Esaiæ. Alcuinus lib. 2. de Trinitate cap. 5. Damascen. lib. 1. de fide cap. 16. Euthym. super illud Matth. 6. *Qui es in cœlis.* Rupertus vbi supra. Bernard. serm. 1. in Psalm. *Qui habitat,* in fine, & serm. 6. in dedicatione Ecclesiæ, huiusmodi locutiones non respiciunt communem modum, quo Deus est in rebus omnibus, sed peculiarem, quo est in aliquibus propter peculiares effectus, aut manifestationem omnipotentiæ, & gloriæ suæ, vel aliarum perfectionum diuinarum. Ex eo autem quod peculiari quadam ratione sit in vno loco, & non in alio, minimè sequitur, vt non sit in omnibus communi modo ratione immensitatis. Quod patet, quoniam ex eo, quod Deus post incarnationem cœperit esse in Christo speciali quadam ratione, consequens nō est, vt desierit esse in cœlo, & alijs locis, in quibus prius erat, vt constat ex verbis Christi Domini Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* In terra erat ratione humanitatis, nec tamen proinde desinebat esse in cœlo ratione diuinitatis.

Genes. 28. *Psal. 13. 32. 52. 79. 101.* *Psalm. 113.* *Matth. 6.* *Psalm. 75.* *Nyssenus.* *Chrysost.* *Cyrill. Alex.* *Procopius.* *Alcuinus.* *Damascen.* *Euthymius.* *Rupertus.* *Bernard.* *Ioan. 3.*

VI. Post sacrarum literarum testimonia sequuntur dicta Patrum, qui eandem veritatem, vt fide certam asserunt. Inprimis præter loca citata num. 3. & 4. sunt testimonia, quibus expresse dicitur Deum esse vbique, ita Philo lib. 2. legis allegoriarum initio, & lib. de confusione linguarum post medium, dum explicat illa verba Genes. 11. *Descendit Dominus vt videret Ciuitatem.* Iustinus in q. à gentibus Christianis positis ad 144. Clemens Alexandrinus lib. 6. strom. inter principium, & medium. Tertullianus lib. aduersus Hermogen. cap. 44. Cyprianus de Idolorum vanitate numero 5. Eusebius Emissen. hom. de inuentione S. Crucis. S. Macharius senior. Ægyptius hom. 12. & 16. habetur 2. tom. Bibliothecæ Patrum, Athanas. de incarnatione Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu inter medium, & finem. Gregor. Nyssen. orat. 1. de Christi resurrectione post medium, & lib. de orat. versus finem. Ambrosius in libello de dignitate conditionis humanæ cap. 2. initio, lib. 2. de fide cap. 4. lib. 8. in Lucam in id cap. 17. *Nam sicut fulgur, &c.* & lib. 9. in id cap. 20. *Peregre fuit multis temporibus,* & in id 2. ad Cor. 5. *Peregrinamur à Domino,* Cyrillus Hierosolym. catechesi 6. ante med. Hieronym. in id Psalm. 30. *Statuisti in loco spatioso pedes meos:* in id Psalm. 70. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum,* in id Psal. 84. *Iustitia de cœlo prospexit:* & in id Psalm. 93. *Intelligite insipientes in populo.* & in id Psalm. 143. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius:* Chrysostom. tom. 5. hom. 1. in Symbolum Apostolorum, hom. 5. in cap. 2. ad Colossens. homil. 17. ex varijs locis Matthæi versus finem, & hom. 17. in Gen. initio. August. lib. 1. confess. cap. 3. & lib. 5. cap. 2. lib. 22. de Ciuitate cap. 29. prope finem, lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 5. serm. 104. de tempore, Auctor lib. de speculo apud Augustin. cap. 5. & 24. Cyrill. Alexandrinus lib. 1. thesauri cap. 7. circa principium, & lib. 9. contra Iulianum post med. Prosper in sent. collectis ex Augustin. sentent. 91. & 123. Theodoretus, in id Psalm. 17. *Inclinauit cœlos, & & descendit,* in cap. 44. Ezechiel. in id Oseæ 11. *Et non ingrediar Ciuitatem.* & in id 1. ad Corinth. 15. *Vt sit Deus omnia in omnibus:* Procopius in cap. 32. Isai. ad finem. Elias Cretens. in orat. 1. apologet. Nazianz. pag. 4 & in orat. 24. quæ est in Ægyptiorum aduentum pag. 653. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 15. in id Iob 24. *Si ad orientem venero, non apparet.* & lib. 27. cap. 4. in id Iob 36. *Ecce Deus magnus:* Isidor. lib. 1. sentent. de summo bono cap. 2. §. 1. Alcuin. Epistol.

Philo. *Iustinus.* *Clem. Alex.* *Tertullian.* *Cyprianus.* *Euseb. Emis.* *Macharius.* *Athanasius.* *Nyssenus.* *Ambrosius.* *Cyrill. Hier.* *Hieronym.* *Augustinus.* *Cyrill. Alex.* *Prosper.* *Theodoretus.* *Procopius.* *Elias Cretens.* *Gregor.* *Isidorus.* *Alcuinus.*

Epistol. de animæ ratione, & lib. 2. de Trinitate, cap. 5. Damascen. lib. 1. de fide cap. 17. OEcumen. in id Actor. 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum:* Theodorus Episcopus Carum. disput. 2. tom. 4. Bibliothecæ Patrum, Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 21. in fine, tom. 6. Bibliothecæ. Anselm. in id 2. ad Corinth. 6. *Vos enim estis templum Dei:* in id ad Ephes. 4. *Qui super omnes est, & super omnia,* in monolog. cap. 19. 20. 21. 22. & 23. & in proslog. cap. 13. & 18. Theophil. lib. 2. ad Autolycum circa principium. Euthym. super illud Matth. 6. *Qui es in cœlis:* Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacram. p. 3. cap. 17. & lib. 7. eruditionis didascalicæ, qui est de Trinitatis summæ per visibilia agnitione cap. 19. Richard. Victor. lib. 2. de Trinitate cap. 23. Bernard. serm. 3. super *missus est*, lib. de interiore domo cap. 67. serm. 1. in Psalm. *Qui habitat*, in fine, & serm. de triplici cohærentia vinculorum, & B. Laurent. Iustin. de contemptu mundi cap. 13. Ad hunc etiã locum spectant Patres asserentes Deum nusquam deesse, Gregor. hom. 21. in Euangelia explicans illud Marci 16. *Non est hic:* & homil. 28. exponens illud Ioan. 4. *Rogabat eum vt descenderet:* item illi, qui aiunt Deum omnibus adesse: ita Athanas. serm. 4. contra Arrian. inter principium, & medium, Basil. in id Psalm. 118. *Prope es tu Domine.* & in id Psalm. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo?* Deum vero esse in omnibus asserunt multi ex Patribus citatis, & præterea Iustinus in expositione fidei initio, Hilarius in id Psalm. 124. *Montes in circuitu eius, &c.* Basil. orat. de Verbi incarnatione, quæ habetur tom. 1. Biblioth. Patrum August. de cognitione veræ vitæ, cap. 9. & 29. Theodoret. in id ad Ephes. 1. *Qui omnia in omnibus adimpletur:* Alcuinus lib. 2. de Trinitate cap. 4. Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. cit. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 6. in fine. Ad hanc etiam veritatem confirmandam faciunt Patres asserentes expresse Deum esse immensum quos referam cap. vlt. & incircunscriptum, ita vero expresse affirmant S. Macharius hom. 16. citat. Basil. hom. 16. in illa verba. *In principio erat Verbum,* post medium, Auctor. lib. de speculo apud August. cap. 2. 3. 4. & 32. Theodoret. in id ad Hebr. 7. *Excelsior cœlis factus:* faciunt etiam testimonia citanda, cap. 1. Patrum asserentium Deum non comprehendi, nec concludi loco, & esse in omni loco. Denique Deum implere omnia, & penetrare omnia, quæ referam c. 16. Ex quibus patet non esse hac de re fideli dubitandum.

Iam vero motiuum oppositi erroris nullius est momenti: non enim timendum est, vt Deus ex contactu virtuali, & præsentia rerum sordidarũ vllas maculas contrahat, siquidem ea solum sordescunt ad contactum aliorum, quæ vel cum ijs permiscentur, vt liquores, & quæuis substantiæ fluidæ, vel ab ijs patiuntur, vt quæuis substantia corporea corruptibilis: Deus vero est impermiscibilis, & passionis expers, & proinde nullius rei, etiam sordidæ contactu maculatur. Has duas causas attigit Altisiodor. lib. 1. cap. vlt. quæst. 1. ad 2. ex vltimo loco obiectis. Omnia igitur penetrat munda, atque immunda sine sui pollutione, vt notat Augustin. lib. de triplici habitac. cap. 6. vbi vtramque causam attingit: *Si enim lux ista,* inquit, *visibilia omnia loca illustrat & sterquillinia etiam penetrat, sine sui fœtore, & sine sui pollutione, quanto magis Deus, qui est inuisibilis, & incommutabilis lux.* Nam inuisibilitas ratione spiritualitatis permistionem excludit, incommutabilitas passionem, & Anastas. vbi supra: *Si sol,* inquit, *iste, corpus cum sit, seq; propius cæteris corporibus admoueat radiorum eiaculatione, nihil tamen inde colligit inquinamenti, sordium nihil, aut fœdi odoris sibi hinc vendicat, innumeris licet specie, & squalore deformibus se adiungat proximè, (imò res in diuersum abit, suæ enim aptitudine naturæ hasce qualitates in melius permutat) quanto præsole cumulatius in suas creaturas Deus dispertietur propria bona, nullo ab eisdem accepto emolumento? vt etiam demus solem nonnihil fœtoris colligere ex istis corporibus, non continuo sequeretur Deum contrahere, vel tantillum contagij. Nunc autem, cùm sol perinde, ac cætera corpora passionibus obnoxius sit, nec tamen quidquam corradat sordium, qua fronte dixeris, Deum ijsdem subiacere, & esse participem, cum ab his sit longissimè seiunctus?* Sicut ergo anima ex coniunctione ad corpus morbidum, ac leprosum non contaminatur, sicut lux solis, non minus inter sordes, quam inter flores pura, ac syncera manet, ita Dei substantia simplicissima, ac purissima, omnia siue munda, siue immunda permeans, natiuum nitorem, ac pulchritudinem intactam, atque incolumem retinet, vt docet S. Macharius homil. 16. cit. & Theodoret. serm. 10. de prouidentia inter principium, & medium, & fusius ostendit Magist. in 1. dist. 37. lit. H. post August. lib. de agone Christiano cap. 18. & de natura boni, cap. 29. & Hug. de sancto Victor. vbi supra. VII.

Altisiodorens. Augustinus. Macharius. Theodoret. Magist. Augustinus. Hugo Victor.

Exclusis hæreticis cum Philosophis agendum est. Ex quibus non defuerunt, qui Deum certo, ac determinato loco in- VIII.

cluderent, asserentes non esse vbique substantialiter præsentem, sed in summa cœli arce, ex qua mundum per inferiores causas, quasi Monarcha ex vrbe Regia prouincias sibi subditas per inferiores magistratus, ac Iudices, moderetur: quorum sensum expressit sapiens ille apud Iob 22. *Circa cardines cœli perambulat.* Tertull. vero Apolog. aduersus gentes cap. 47. refert Stoicos posuisse Deum extra mundum: qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc vniuersi: In simili errore videtur fuisse Arist. 15. n. lib. 8. Physic. cap. vlt. text. 84. ait fuisse duas sententias Antiquorum de existentia Dei in rebus, quorum alij ponebant Deum esse in centro, alij in circunferentia, quibus ipse assentiri videtur. Et lib. 1. de cœlo, cap. 3. text. 22. sentit esse in cœlo: & lib. 2. de generatione cap. 10. text. 59. ait hæc inferiora, non posse perpetuo eadem conseruari, quia ab ipso principio longè absunt, & idè ferè docet lib. 2. de cœlo cap. 12. text. 66. & lib. de mundo ad Alexandr. post medium expresse docet Deum esse in cœlo, & non in hoc mundo inferiore. Quamuis autē nonnull dubitarint, an hic liber sit Aristot. tamen illius esse affirmant Iustinus Martyr orat parænetica ad gentes nō longè à principio, Themistius, & Bessarion Cardinalis citati à Ludouico Viue in censura operum Aristot. Tandem Auerr. disputatione 14. contra Algarelum, pueros vocat dicentes Deum esse in reb' omnibus.

Iob 22. *Tertullian.* *Stoici.* *Aristot.* *Iustinus.* *Themistius.* *Bessarion.* *Lud. Viues.* *Auerr.*

IX. Ex his tamen locis minimè colligitur Aristot. existimasse Deum non esse vbique secundum substantiam: Et quidem prima duo loca facile explicat D. Thomas: nam lib. 8. Physic. lectione 23. dictū illud Arist. quod primus motor sit in circunferentia, ait non esse intelligendum per determinationem substantiæ, quasi primus motor determinetur ad aliquam cœli partem, sed per influentiam motus, quia in suprema sphæra, & maxima eius circunferentia, à parte orientis incipit motus: illud vero aliud ex lib. 1. de cœlo, nempè quod de sententia omnium mortalium, locus Dei sit cœlum, super eundem locum lect. 7. explicat dictum esse per accommodationem, & similitudinem: quia scilicet corpus cœleste inter cætera corpora magis accedit ad similitudinem substantiæ spiritualis, atque diuinæ: subdit vero rationem, quoniam est impossibile, vt aliter tribuatur Deo habitatio cœli, quasi indigeat loco corporali, à quo comprehendatur: locus vero ex 2. lib. de generatione intelligi potest de distantia secundum participationem naturæ: cùm enim Philosophus dixisset naturam semper appetere, quod melius est, esse vero melius esse, quam non esse, subdit, *Hoc vero in omnibus inesse impossibile, propterea quod longè ab ipso principio distent:* quasi dicat quia res aliæ sunt minus perfectæ, nec accedunt ad participationem incorruptibilitatis diuinæ, ex qua prouenit perpetuitas in essendo? Quæ interpretatio est de mente D. Thomæ lect. 10. super eundē locum, vbi, *Quædam,* inquit, *sunt, quæ lōgè distant à primo principio, sicut res materiales, generabiles, & corruptibiles, & ista sunt, quæ modicum participant de esse diuino:* quibus verbis explicat distantiam, de qua loquitur Philosophus, esse secundum naturam, & participationem diuini esse. Itaque priora loca non cogunt, vt dicamus Philosophum existimasse Deum secundum substantiam esse solum in cœlo. Ex vltimo vero loco ex lib. de mundo ad Alexandr. cōstat auctorem eius lib. existimare Deum solum esse in suprema mundi regione, non autem in mundo hoc inferiore. Verum non constat, vtrum liber ille sit Aristot. qua de re plurimi dubitant, & merito, sunt enim probabiles, nec cōtemnendæ coniecturæ, quas affert Ludouicus Viues vbi supra ad probandum eum librum non esse Aristotelis, & hoc ipsum, de quo agimus, potest esse ratio dubitandi: cum idē Philosophus lib. 1. de part. Animalium cap. 5. commendet Heracliti sententiam: nam quosdam qui erubescebant ingredi ad eum in casa quadam furnaria sedentem, ingredi fidenter iussit, *Quoniam,* inquit, *ne huic quidem loco Dij desunt immortales,* quod dictū applicat Philosophus ad opera naturæ, quibus omnibus numen inesse testatur.

S. Thom. *Lud. Viues.*

X. Sed quidquid sit de sententia Aristotelis, veritas hæc nota fuit apud Philosophos teste Athanasio orat. contra Idola post medium: vbi, *Rata,* inquit, *famaq; de Deo obtinuit eum vbiq; existere posse, nihilq; omnium esse, quod Deum sub se teneat, ac potius omnia sub potestate illius contineri.* Et Auctor. lib. de mundo cit. ait veteres nonnullos dixisse hæc omnia Deorum esse plena, quæ fuit sententia Thaletis ab Aristot. lib. 1. de anima cap. vlt. t. 86. & Heracliti vbi supra, Patres etiam aliquorum veterum hac de re sententias referunt, & valde commendant Euseb. Cæsar. lib. 13. de præparat. Euang. cap. 7. & Cyrill. Alexandr. lib. 1. cōtra Iulianum, post medium testimonium Orphei Poëtæ antiquissimi, quo perspicue tradidit Deum esse vbique, Lactantius vero lib. 1. Instit. cap. 5. & Hieron. in id Ezech. 40. *Introduxit me in atrium, &c.* Illud Latini Poëtæ; *Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes, lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra*

Athanasius. *Thales.* *Aristot.* *Heraclitus.* *Euseb. Cæsar.* *Cyrill. Alex.* *Orpheus.* *Lactantius.* *Hieronym.* *Virgilius.*

Spiritus

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet: eamque fuisse Platonicorum, & Peripateticorum sententiam affirmat Cicero 1. Academic. quã fusè explicat Plotinus Platonic. Ennead. 5. lib. 5. c. 9. & Ennead. 6. l. 8. c. 16.

Vtrum demonstrari possit immediata potentia Dei, ad omnes res.

Caput II.

I. NOnnulli Theologi existimant sola fide probari posse immediatam præsentiam Dei ad oẽs res, quoniam rationes, quæ ad id confirmandũ afferri solent, non sunt euidentes. Ita Bassol. in 1. dist. 37. q. vn. art. 1. & 3. & Andreas de Nouo Castro qu. vn. in dub. post solut. arg. partis affirmatiuæ. Quatuor verò modis ostendi potest Deum esse vbiq;. Primus sumitur ex infinitate, & perfectione diuina: Secundus ex æternitate: Tertius ex immutabilitate: Quartus deniq; ex causalitate, siue ex operatione ipsius: de tribus primis dicã hoc c. deinceps verò de quarto. Quod ad primũ attinet, ita arguunt nonnulli apud Mayron. in 1. dist. 37. q. 1. art. 2. quoniam infinitas perfecta debet esse intensiua, & extensiua: ergò Deus non solum est intensiue perfectus, quoad perfectiones intrinsecas, sed etiam extensiue in ordine ad spatium: non quidem ita, vt extendatur eius substantia, quantitate corporea, & habeat partem extra partẽ, sed vt possit coexistere locis infinitis, ac rebus omnibus. Et confirmatur, quoniam substantia spiritualis, quo perfectior, eo maiorem locum occupat. Hoc argumẽtum ait Mayron. non concludere, quoniam procedit ex creditis: nam Angelum perfectiorem posse coexistere maiori loco: *Creditum,* inquit, *est.* Ipse verò adducit hanc rationem; omnis limitatio est imperfectio, sicut finitas: Deus autem est id, quo nihil, aut perfectius cogitari nequit: ergò existentia eius nõ est limitata ad certam rem, vel locũ: atque adeo est præsens omnibus: Concludit autem neq; hanc rationem habere vim: quoniam ex ea sequitur necessario esse danda infinita loca, in quibus Deus sit; & spatium aliquod positiuum maius vniuerso, vt Deus illud sua immensitate repleat: quod est falsum.

II. Hæ tamen responsiones minimè eludunt argumentum. In primis aũt ego non video vbi reuelatum sit Angelum perfectioré posse esse in maiore loco, neq; hoc ad fidẽ vllo modo pertinet, sed est dogma Theologicum, vel Metaphysicum: fortassis intellexit esse creditum fide humana: & ideo non habere vim ad demõstrandum. Sed, si lumine naturæ non constat substantiam spiritualẽ, quo perfectior est, eo posse occupare maius spatium, etiam nõ constat limitationem ad locum esse imperfectionem: nam, si ad rationem perfectionis hoc nihil refert, siue res sit in magno, siue in paruo spatio, non erit proinde minus, vel magis perfecta: ideoq; non debuit ipse hanc rationem, quasi aliam subijcere. Solutio quoque, quam adhibet ad rationem à se adductã, nullius momẽti est. Nam aliud est habere rẽ ex se talẽ naturã, & perfectionem, vt possit coexistere, & esse præsens infinitis locis, si dentur: aliud verò coexistere actu: primum sequitur ex ratione adducta, nõ secundũ. Hoc enim est discrimẽ inter attributa diuina, q̃ respiciunt actualẽ rerũ existentiã, & illa, quæ eam non respiciunt: hæc enim habẽt infinitatem per modum actus: nam sapiẽtia diuina comprehẽdit actu infinita obiecta, siue ea existant, siue nõ: illa verò habent quidẽ actu infinitatem in ipsa essentia diuina, comparatione tamen rerũ concipiuntur per modum potentiæ, vt videre est in omnipotentia, quæ potest producere non tot, quin plura: actu verò non necessario requiritur, vt producat aliquid: item æternitas ratione suæ infinitatis potest coexistere infinitis temporibus, si dentur, actu verò nõ nisi existentibus coexistit. Ratio discriminis est, quoniã in prioribus perfectio cõsistit in actuali terminatione ad obiectũ, & idcirco secundum eam cõpetere debet actualis infinitas Deo: in posteriorib⁹ verò perfectio nõ est actualis habitudo ad creaturas existentes, alioquin dependeret perfectio diuina ab existentia illarum, quod est absurdum, sed solum consistit in tali dispositione subiecti, vt possit ad illas terminari. Immensitas verò est huius generis: & ideo, sicut omnipotentia infinita non requirit infinitos effectus actu productos, ita neque immensitas exigit infinita loca, in quibus actu sit: sed solum debet esse eius naturę, vt possit esse in infinitis, si dentur actu.

III. Hoc verò fundamentum vsurpatur cõmuniter à Doctoribus Scholasticis: Ex illo institutum probant, Altisiodorens. lib. 1. cap. vlti. quæst. 1. Alens. 1. p. q. 9. m. 2. Albert. in 1. d. 37. art. 1. Richard. ar. 1. quæst. 1. Ocham. quæst. 1. lit. D. Gabri. q. vn. art. 2. Conclusione 2. Maior. q. 1. conclusione 1. Palatius disput. 1. versus finem. Abulensis in c. 20. Exod. q. 46. & aliqui Recentiores. Vt verò enim habeat, supponi debet quãtitatem

Altisiodor. *Alensis.* *Albertus.* *Richard.* *Ocham.* *Gabriel.* *Maior.* *Palat.* *Abulens.*

tatem virtualem rei non includentis vllũ modum imperfectionis, quo maior est, hoc maiorem perfectionẽ importare: atq; adeo, si sit infinita, habere perfectionem infinitam: si verò sit finita, habere finitam: perfectio enim rei accrescit simul iuxta proportionem quantitatis ipsius. Nam, si quantitas virtualis est maior, vel minor intensiue, eodem modo perfectio est maior, vel minor intensiue: itemque extensiue, si quantitas sit maior, vel minor extensiue. Hoc posito ita colligitur institutum. Nulla perfectio diuina est limitata: esset autem, nisi ratione immensitatis posset esse vbique: ergò potest. Maior propositio supponitur nunc ex communi hominum conceptione existimantium Deum esse id, quo maius esse, aut cogitari nequit, vt dictum est lib. 1. tract. 8. cap. 1. Assumptio verò ostẽditur, quoniam maior perfectio est posse coexistere pluribus rebus, ac locis, quã paucioribus: ergò, si ratione immensitatis Deus non posset coexistere omnibus in infinitum posibilibus, perfectio ipsius esset limitata. Patet consequentia, quoniam careret cumulo perfectionis, qui accresceret, si posset omnibus coexistere. Antecedens verò probatur, quoniam habere vim coexistendi locis, aut rebus creatis non includit imperfectionem, alioquin non competeret Deo: sed, vt constat ex suppositione, quo maior est quantitas virtualis rei non includentis vllam imperfectionem, eo maior est perfectio eiusdem, quo verò quantitas est minor, eo perfectio minor: ergò maior perfectio est posse coexistere pluribus rebus, ac locis, quàm paucioribus: Itaque, sicut quãtitas corporis limitata caret perfectione extensiua, quam posset habere, si magis extenderetur, & careret terminis, quibus clauditur, ita quantitas diuina virtualis, si quoad locum definiretur, non esset infinite perfecta in suo genere.

IV. *Ochamus. Gabriel.* Ab immutabilitate immensitatem Dei probant Ocham. & Gabriel vbi suprà, & Recentiores cõmuniter; ostenditur primo in hunc modũ. Omne viuẽs distans ab aliquo loco, potest ad illum moueri: ergò, si Deus esset in vno loco, & nõ in alio, posset moueri ab vno ad alium: hoc aũt repugnat eius immutabilitati: quare non potest esse res, aut locus, cui non sit præsens. Dupliciter responderi potest ad hanc rationem: in primis dicendo nõ posse Deum mutare locum: deinde verò etsi mutet locum, ipsum nõ mutari intrinsece mutatione oppositа immutabilitati. Prima respõsio impugnatur: cur enim non possit Deus moueri ad locum, à quo abest, si vilia animalcula possunt? num, quia deest vis motiua? at est infinitæ potẽtiæ: num, quia est suaptè natura determinat' ad certum locũ? at hæc determinatio nõ potest aliunde prouenire, quã ex indigentia locati dependentis à loco: Deus autem est summe perfectus, & à loco prorsus indepẽdens. Sed inquiẽnt nõ posse mutari, quia motus ipse est imperfectio repugnans Deo. Verum hęc solutio prodit imbecillitatem primæ responsionis: nam, si ex existentia Dei definitiua in loco colligitur in bona cõsequentia, ipsum moueri posse localiter, & hæc obiectio non aliter potest solui, quam recurrendo ad ipsã imperfectionem motus, rectè perspicitur infirmitas respõsionis. Posteriorem responsionem tradit Mayron. art. citato dum impugnat tertiam viam, & Aureol. in 1. d. 37. q. vn. art. 2. ante primam propositionem, quoniã Deus posset dici mutari de loco in locũ per solum nouũ respectum præsentialitatis loci ipsius ad Deũ, quemadmodum dicitur creare, & esse Dominus per nouum respectũ creaturæ ad ipsum, non verò per aliquid intrinsecus inhęrẽs; quod illustrari potest exemplo earũ rerum, in quib. Deus esse de nouo dicitur: nam in anima de nouo creata Deus incipit esse, & inciperet esse in alio mundo, si illum supra cęlum modo crearet: & nihil plus haberet in se, si ad illũ iam creatum localiter transferretur, quam haberet, si in illo recẽs creato de nouo esse inciperet: si verò ita inciperet, non subiret mutationem repugnantem immutabilitati diuinę: ergò neque subiret, si re ipsa transferretur de vno loco ad alium. *Mayron. Aureol.*

His non obstantibus dicendum est optime ex immutabilitate cõcludi Deum non definiri loco. Certum quippè est apud oẽs motum localem esse mutationem oppositam immutabilitati omnimodæ, qualis est diuina. Quod apud eos, qui censent per motum localem acquiri vbi intrinsecum, qui est modus realis aliter se habendi, perspicue ostenditur: nam omnis accessus, vel recessus modi realis intrinseci est transitus ab actu in eius priuationem, siue à potentia, & priuatione in actum, in quo consistit ratio mutationis passiuæ, vt explicaui in tractat. de immutabilite capit. 1. Apud eos autem, qui non agnoscunt vbi intrinsecum, sed rationem eius confundunt cum loco, & constituunt in superficie ambiente, difficilius assignatur propria ratio mutationis repugnantis immutabilitati: nam huic non repugnat mutatio in subiecto diuerso extrinsece denominans aliud: visio enim, & intellectio creata sunt reuera V.

mutatio-

mutationes: tamen subiecta, quæ videntur, aut intelliguntur, non mutantur, quia visio, & intellectio ipsis non insunt, sed solum extrinsece ea denominant: quamuis ergò motus localis sit secundùm se mutatio, si tamen per ipsum nihil intrinsecum abijcitur, aut recipitur à mobili, sed solum acquiritur, aut deseritur locus extrinsece denominans, non erit mutatio opposita immutabilitati, aut repugnans Deo: Nihil verò intrinsecum mobili acquiri per motum; constat ex doctrina Diui Thomæ in 3. distinct. 15. quæstion. secunda, artic. primo, quæstiuncula prima, vbi ait, nullum alium motum præter alterationem proprie loquendo esse passionem, quia eo solo motu aliquid abijcitur à subiecto, aut imprimitur: motum verò localem esse secundùm id, quod est extra rem, hoc est secundum locum; idem docet 1. part. quæst. 110. articul. 3. & alibi sæpè. Verum quamuis de sententia Diui Thomæ, & aliorum motus ipse localis per se primo feratur in locum, non videtur negandum agnouisse illos in re, quæ localiter mouetur, propriam rationem mutationis. Ad hanc enim non necessario requiritur, vt acquiratur, vel abiiciatur aliquid intrinsecum subiecto, tanquam terminus mutationis: nam apud eos, qui censent visionem, & alias sensationes sensuum exteriorum non habere terminum productum, sed esse puram actualitatem potentiæ percipientis obiectum, potentiæ verè mutantur ipsarum operationum receptione, vel abiectione. Ita, qui negant per motum acquiri modum aliquem intrinsecum subiecto, dicere debent ipsum motum esse quandam actualitatem subiecti, quæ vim habet constituendi illum successiuè indistantem à loco maiore, quam sit ipsum: & idcirco solum receptione ipsius motus verè mutari subiectum.

1. Thomas.

VI. Hoc posito facilè ostenditur, quomodo, si Deus mutaret locum, moueretur propriè motu opposito immutabilitati perfectæ: nam ante motum esset in potentia ad actum, vel formam, est enim motus actus entis in potentia: & per motum transiret de priuatione ad actum esse localis: atque adeo mutaretur intrinsece. Ad obiectionem Mayronis respondetur diuersam esse rationem in actione, atque in passione reali: nam actio progreditur ab agente, recipitur verò intrinsece in passo: & proinde potest denominare agens absque vlla mutatione sui: passio verò realis, quæ non coniungitur cum passo intentionaliter, sed realiter, non denominat propter solam extrinsecam relationem, sed debet inesse realiter passo, vt per singula discurrendo constat, & ob eam causam, de quamuis Deus denominetur realiter creator à creatione, quæ secundùm rem inest creaturæ, non posset tamen dici moueri loco in locum propter solum nouũ respectum præsentiæ loci ipsius ad Deum, quoniam creatio denominat illum actiue, mutatio verò denominaret passiue. Et ex eo, quod Deus de nouo creet hoc, aut illud, minimè sequitur dari in ipso virtutẽ nouam, aut rationẽ operandi, quia ex antiqua virtute, & voluntate potest prodire nouus effectus, vt ostendi tract. de immutabilitate cap. 8. at verò ex eo, quod coexistente iam termino relationis præsentiæ, hoc est creatura, non intercedat relatio præsentiæ inter illam, & Deum, sed aduenire debeat per motum Dei, rectè sequitur non esse ex parte ipsius sufficiens fundamẽtum coexistentiæ cum creatura: id verò poni debet per se primo ex parte ipsius, qui mutatur, non verò ex parte loci, aut creaturæ, ad quam immotam ille per motũ accederet. Cùm enim de nouo incipit habitudo inter duo, mutatio non tribuitur illi, quod eodem modo se habens terminat habitudinem: at locus est immobilis, atque adeo nõ ideo locatum illum respicit, quia locus ad ipsum refertur, sed è contra: quare, si inter Deũ, & creaturã iam prẽexistentem nõ daretur habitudo præsentiæ, & creatura immota inciperet habitudo ex eo, quod Deus illi per motũ localẽ appropinquaret, Deus verè, ac propriè mutaretur. Ad exemplũ respõdetur longe diuersam esse rationem: nam, cùm Deo immoto res creãtur, & statim fiũt illi præsentes, supponitur ex parte Dei sufficiẽs, & adæquata dispositio ad coexistendũ omnib. rebus, ac locis, & solum deest existentia, & indistantia ex parte ipsorũ, qua posita absq; mutatione Dei resultaret vtrinq; relatio præsentiæ: vt de facto Deus cũ primũ cõdidit mundũ incepit esse in illo absque sui mutatione: At verò, si rebus existẽtibus Deus prẽsens nõ esset, accederetq; ad eas per motũ, desideraretur ex parte ipsius adæquata ratio coexistẽdi reb. illis, ad quas moueretur, q̃ per motũ resultare deberet. Ex quo patet negandum esse Deũ nihil amplius habiturũ de nouo, si ad mundũ iam creatũ, & à se distantẽ de nouo accederet, q̃ si ab initio in illo esse inciperet; nam si statim in illo esse inciperet, non careret aliqua dispositione, aut modo intrinseco, qué postea acquireret: si verò de nouo mutaretur, & antea careret, & postea per motũ acquireret modum entitatiuũ,

quo

quo disponeretur ad coexistendũ huic potius loco, quam illi: Itaque vt benè obseruat Nouo Castro in 1. dist. 37. qu. vn. §. vlt. ad 3. dupliciter intelligi potest, aliquid incipere, vel desinere esse in loco, vno modo per accessum ad locum præexistentem, vel recessum ab eodem, altero per nouam positionem, vel desitionem loci: primo modo Deus nequit incipere, aut desinere esse in loco, quia datur vera mutatio; secundo verò modo nõ datur mutatio eius, qui incipit esse in loco, & hoc modo non repugnat Deum incipere, vel desinere.

Nou. Castr.

VII. *Marsilius.* Argumentum sumptum ab æternitate, quo vtitur Marsilius in 1. quæstion. 39. art. 1. Conclusione 1. non est à priore, imò nec proprie loquendo à posteriore: quoniam nec immẽsitas est ratio, cur æternitas conueniat Deo: nec econtrà æternitas est ratio, cur eidem conueniat immensitas: sed solum procedit à paritate rationis, quoniã non habet maiorem extensionem virtualem æternitas in ordine ad coexistentiam temporis, & eorum, quæ sunt in tempore, quam immensitas in ordine ad coexistendum loco, & ijs, quæ illo cõtinentur: æternitas autẽ ex sua infinitate habet, vt respõdeat omni tempori, & rebus existentibus in illo: ergò eandem vim habebit immensitas ad coexistendum omni loco, & rebus contentis loco. Huic argumento respondebit aliquis diuersam esse rationem in extensione virtuali in ordine ad tempus, & locum: quoniam in rebus creatis videmus quasdam minus extensas secundùm durationem esse maiores alijs secundùm quantitatem, & consequenter magis extensas in ordine ad locum: contra verò alias diuturnioris vitæ esse, exiguæ magnitudinis, vt videre est in equis, ac bobus cõparatis cum coruis, & cornicibus: nam boum, equorũque vita est admodum breuis, coruorum, & cornicum longa: cum tamen magnitudine corporis hæ ab illis superentur: imò non repugnat, vt res finitæ magnitudinis habeat durationem infinitam, saltem syncathegoromatice: ergò ex æternitate vitæ diuinæ non colligitur immensitas magnitudinis virtualis in ordine ad locum. Hæc responsio euincit quidẽ in ijs, quæ non durãt, aut sunt magna per essentiam, minimè requiri, vt æqualis sit extẽsio virtualis, vel formalis in ordine ad tẽpus, & locum: cùm enim vtramq; habeant per participationẽ ab essentia diuina, non repugnat, vt participent plus de vna, & minùs de altera. At verò Deus nihil habet per participationem à causa extrinseca, sed quidquid est, habet per essentiã, & secundùm totam eius perfectionem: & sicut non habet, vnde restringatur eius duratio ad hoc tempus, vel illud, sed est simpliciter infinita respõdens omni durationi creatæ, ita quoq; non est, vnde immẽsitas ipsius, & extentio virtualis in ordine ad locum coarctetur. Et proinde, quamuis in rebus creatis, quæ magnitudinem, & durationem habent, non per essentiam, sed per participationem, nõ valeat argumentum ex magnitudine secundùm tempus ad magnitudinem secundùm locum, aut viceuersa: valet tamen in Deo, qui per essentiam est æternus, magnus, & immensus.

Ex omnipotentia, & operatione Dei colligi præsentiam ipsius ad omnes res ostenditur auctoritate.

Caput III.

I. FVndamentum sumptum ab omnipotentia, & operatione diuina dupliciter accommodari potest, vel à paritate rationis, quomodo capit. proximo ex æternitate ostensa est immensitas: vel à priore, aut posteriore: si priore modo sumatur, non est controuersia inter Doctores: nam omnes concedunt rectè sequi, sicut omnipotentia propter suam infinitatem extenditur ad omnes res, & loca, cõtingendo omnia tactu virtuali suę operationis, sic etiam extendi debere immẽsitatem; ita vt Deus per indistantiam, & præsentiam localem coexistat rebus omnibus, ac locis. De secundo modo est controuersia; Est autem vis difficultatis in hoc; scilicet vtrum, si per impossibile supponatur abesse Deum à re aliqua, vel loco, possit in eo operari, an verò vt operetur, necessario requiratur præsentia secundùm locum: nam, si facta illa suppositione Deus operatur, nequaquã sequitur ex operatione præsentia ad locũ: atque adeo neq; ex omnipotentia immensitas; si verò non possit operari propter distantiam, rectè sequitur ex operatione præsentia. Sententiam, quę negat sequi ex operatione præsentiam defendit Scotus in 1. d. 37. q. vnica, quem sequuntur discipuli eadẽ d. Bassol. q. vn. ar. 3. Mayron. q. 1. ar. 2. dum impugnat secundam viam. Aquilan. q. vn. ar. 1. Rubion. q. 2. Lychet. & Bargius q. vn. Ocham. qu. vn. lit. B. & C. Gabr. q. vn. art. 3. dub. 1. Nouo Castro q. vnica, ad finem, in solutione dubijs, & nonnulli Recentiores. Fundamenta huius opinionis inferius expendentur.

Scotus. B. Sol. Mayron. Aquilan. Rubion. Lychetus. Bargius. Ocham. Gabriel. Nouo Castro.

Contra-

Contraria tamen sententia amplectenda est: ac dicendum ex operationibus Dei transeuntibus colligi præsentiam ipsius secundùm essentiam, quę est communior inter Doctores Scholasticos. Ita Altisiodorens. lib. 1. c. vlt. q. 1. Alens. 1. p. q. 9. m. 2. ad primum. Albert. in 1. d. 37. a. 1. S. Thom. q. 1. ar. 1. & 1. p. q. 8. art. 1. cum Caietano, Sylvestro, Chrysost. Fauello, & alijs recentioribus Thomistis ibidem, & libr. 3. contra Gentes cap. 68. cum Ferrarien. Bonauent. in 1. d. 37. 1. p. ar. 1. q. 1. AEgid. 1. etiam p. distinct. q. 1. Richard. art. 1. qu. 1. Durand. 1. part. distinctio. quæst. 1. numer. 9. Aureol. quæst. vnica, art. 2. propositione 2. 3. & 4. Capreol. q. vnica conclusione 1. & ad argumenta contra eandem conclusionem. Hispalens. quæst. vnica art. 3. Notab. 1. & ar. 4. ad argumenta contra primam cõclusionem. Soncinas q. 2. conclusio. 3. Argent. quæst. vnica art. 1. conclusione 2. Marsilius quæst. 39. Maior quæst. 1. Palatius disp. 1. Dionys. Carthusian. quæst. 1. & apud eundem Petrus de Tarantasia, & Vdalricus, Ionnes Vigerius. Instit. cap. 19. §. 1. vers. 2. idem supponit Henric. in sum. art. 30. q. 5. quatenus asserit, ideo Deũ non mutari localiter, quãdo in diuersis locis diuersa operatur, quia est vbiq; præsens. Eadẽ est sententia Patrum, nam ex operatione præsentiam Dei colligit Anselm. in Monolog. cap. 19. 20. 21. & 22. Hugo Victor. lib. 7. eruditionis didascalicę, qui est de Trinitatis summæ per visibilia agnitione, cap. 19. & Richard. de Sancto Victore li. 2. de Trinitate, cap. 23. Nyssen. orat. catechetica, cap. 25. vbi, *Quis enim*, inquit, *est adeo puerili animo, & ingenio, vt ad vniuersitatem aspiciens non credat esse Deum eam induentem, & continentem, & ei insidentem? ab eo enim quod est, pendẽt omnia, nec fieri potest, vt sit aliquid, quod in eo, quod est, non habeat essentiam: si ergo in illo sunt omnia, & illud est in omnibus.* Et Hierõ. in id ad Ephe. 2. *Facti estis prope in sanguine Christi; Deus*, inquit, *vbiq; est, à quo quis potest superari, cùm eo sint omnia?* Et Anastas. Synait. l. 2 de rectis fidei Catholicæ dogmatis tom. 1. Bibliothecæ Patrũ, vbi inter alia sic habet: *Rei, quæ effici cœpit, tantisper dum peragitur, necessario adest natura agentis. Quiduis enim operis nemo, absens si est, operatur. Deus igitur cũ nullo non tẽpore quiduis eorum, quæ fiunt, efficiat, cunctaq; moderetur, ac dispenset sua iugi conseruatione, prorsus necesse est fateri Deum omnibus inesse, nec ab vllo vnquam disparari entium.*

III. Confirmari solet hæc sententia aliquibus testimonijs Sacrarum literarũ: in primis ex illo Psalm. 138. *Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; vbi ex operatione manus diuinæ Regius vates arguit, Deum adesse rebus secundùm essentiam: idemq; sonare videntur verba Diui Paul. Act. 17. *Non longè est ab vnoquoq; nostrũ, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus:* Vbi apertè ex operatione eius in nos colligit Apostolus indistantiam ipsius à nobis. Respondẽt recẽtiores ex his locis minimè colligi Deũ esse substantialiter præsentem rebus, quia in eis operatur. Dupliciter autẽ illa interpretantur: prima interpretatio est, Sacras literas, cùm dicunt Deum vbiq;, & in omnibus nobis esse, ex eo, quod in ipso viuamus, ac simus, & virtute eius cõseruemur, non reddere causam rei, sed cognitionis, & more humano se nobis accõmodare, vt ex Dei virtute, qua in omni loco cõseruamur, intelligamus ipsum vbique esse, & vt ait Chrysost. hom. 38. in Acta, & Theoph. ad eundem locũ Act. 17. quasi exẽplo corporali Dei in nobis præsentiam declarent; vt sicut ignorare nõ licet aërem vbiq; esse diffusum, cũ ipso viuamus, ita etiam Deũ vbiq; esse non ignoremus, quia nõ tantum per ipsum, sed etiam in ipso viuimus. Secũda interpretatio maximè accõmodatur sentẽtiæ D. Pauli illo loco. Act. 17. *Non lõgè est ab vnoquoq; nostrũ, in ipso enim viuimus, &c.* Vbi dicũt Apostoli institutum esse ostendere, quam facilè Deus ab vnoquoq; Hominũ cognosci, & adorari possit: nam cùm vidisset Athenis aram cum eiusmodi inscriptione, *ignoto Deo*, vt redargueret inscitiam illorũ, qui Deum ignotũ colerẽt, subiunxit, *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis: Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic Cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat*, & infrà, *fecitq; ex vno omne genus Hominum habitare super vniuersam faciem terræ diffiniens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum*: quasi dicat vniuersa hæc operatus est, vt Homo auctorem suum quærat, & quasi attrectet manibus, non quidem præsentia loci, aut tactu substantiæ, sed vera cognitione, ac religione, quia verò vox illa, *fortè*, qua vsus fuerat, dubitationem ingerere videbatur, quasi seipsum corrigens subiecit; *quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, hoc est, ad eius agnitionem comparandam non opus est à nobis ipsis discedere, habemus enim in eius operationibus sufficiens argumentũ agnoscẽdi illum, itaq; illud, *non longe est ab vnoquoque nostrum*, ex vi discursus

Act. 17.

Chrysost. Theophilact. Act. 17.

D. Pauli

D. Pauli volunt non intelligi de præsentia secundùm existentiam realem essentiæ diuinæ in nobis, sed de præsentia obiectiua, qua facilè est cognoscibilis ex suis operationibus erga nos: quod colligunt ex eo, quod verba illa; *quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum*, referuntur ad illa alia; *Si forte attrectent eum*, quæ de cognitione, cultu, & amore nostro erga Deum intelligenda sunt.

IV. Antequam rationibus agam, expendam quam vim habeant allata testimonia ad hanc sententiam confirmandam, quod attinet ad locum Psalm. satis efficaciter ex illo colligitur; nam in prima illa interrogatione Prophetæ, nomine *Spiritus*, vel intelligitur ipsa substantia spiritualis Dei, vt expresè intelligit Basilius, Euthymius, & Lyranus in commentarijs eiusdem loci, & indicant Hieronym. & Augustin. ibidem, vel Spiritus sanctus, quæ est cómunior interpretatio Patrum, ita Athanas. de natura humana suscepta post medium, Epistol. 1. ad Serapionem de Spiritu sancto, de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti inter principium, & medium, & de vnita, ac sempiterna substantia Trinitatis lib. 5. in fine: Cyrillus Alexandr. libr. 13. Thesauri cap. 2. Basil. lib. de spiritu Sancto cap. 22. & lib. 5. contra Eunom. ad medium, Ambrosius serm. 19. in Psalm. 118. super illa verba: *Prope es tu Domine*. Theophil. Alexandr. Epist. 1. Paschali contra Origenist. ad medium habetur 3. tom. Bibliothecæ Patrum, Gaudentius tractat. de promissione Paracleti, qui est serm. 14. in tom. 2. Bibliothecæ, Theodoretus, & Euthymius in eum locum, qua expositione suppositâ sensus est, *quo ibo à spiritu tuo?* hoc est, quo gentium abire possum, vbi à te, & essentia tua loco disitus sim? quasi dicat nusquam gentium; & deinde in sequentibus reddit rationem huius, & inter alia dicit, quod si ad extremos Oceani fines peruadat, etiam illuc eum manus, siue potentia diuina deductura sit.

Basilius. Euthym. Lyranus. Hieronym. Augustin. Athanasius. *Cyrill. Alex. Basilius.* *Ambrosius.* *Theophil. Alexand.* *Gaudent.* *Theodoret. Euthymius.*

V. Porrò locus Pauli absque dubio intelligitur, non solum de præsentia Dei secundùm rationem cognoscibilitatis obiectiuæ, verumetiam de præsentia secundùm essentiam: ita expresè intelligunt Athanas. de incarnatione verbi Dei inter medium, & finem, OEcumen. & Lyran. in commentarijs eius loci, & Patres, qui ad probandam Dei immensitatem eo testimonio vtuntur Irenæus lib. 4. aduers. hæreses capit. 36. Hilarius, & Ambros. in id Psalm. 118. *Prope es tu Domine*. Hierony. in fine commétariorum in Habac. Theodoret. in id Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* quod etiam prima illa expositio sumpta ex D. Chrysost. supponit, nam, si Paul. vult, vt more humano colligamus Deum vbique esse ex virtute ipsius, qua vbique viuimus, & conseruamur, quemadmodum ignorare non licet aërem esse vbique diffusum, cum ipso viuamus, profectò cèset ab operatione diuina in rebus sufficiens argumentum deduci ad probandam præsentiam ipsius secundùm essentiam: & consequenter ex operatione rectè inferri præsentiam, alioquin neq; causam rei, neq; cognitionis traderet: id enim, ex quo aliud non rectè colligitur, nõ est causa illius cognoscendi, nisi fortè per accidens. Itaque Paulus voluit operationem Dei in rebus per se conducere tum ad notitiam Dei acquirendam, vt benè habetur in secunda interpretatione superiùs adducta, tum etiam ad arguẽdam immediatam præsentiam secundùm essentiam in eisdem. Etenim Beatus Apostolus ratiocinationis suæ occasione sumpsit ex ara illa, quam viderat inter Athenienſium simulacra cum inscriptione illa: *ignoto Deo*, & duo reprehensione digna in ea re animaduertit: alterum, quod veri numinis notitia carerent, & colerent numen ignotum: alterum, quod crederent verum numen instar inanium Deorũ ara. id est, tẽplo contineri, ac indigere basilicis ad habitandum, aut hominum cultu, & veneratione: & vtrumque ex operationibus diuinis redarguit. Primum quidem, quoniam ignorare non licet Deum conditorẽ vniuersi, & suismet effectibus quasi radijs sese mentis humanæ oculis ingerentem: Secundum verò, quoniam is, qui nullis certis locorum spatijs includitur, non indiget templo, cui quasi addictus sit ad habitandum; & is, qui non longè est ab vnoquoque nostrum, sed singulos mirabiliter inhabitat, nõ opus habet arca, vel templo, quo Homines conueniant ad cultum illi exhibendum, cum in se ipsis Deum præsentem habeant: & vtramq; præsentiam nempè cognoscibilitatis obiectiuę, & indistantiæ secundùm propriam essentiam intellexit illis verbis: *quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum*, & vtramque sufficienter probauit ratione, quam subtexuit sequentibus: *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, nam ab effectibus pendentibus actu à causa efficiente agnoscitur causa non solum absolute, sed vt actu præsens operi suo, vt inferius vberius ostendam. Et hoc ipsum indicat modus ille loquendi, *in ipso viuimus*; nam terminus *in*, videtur constituere Deũ instar fundamenti actu fulcientem vitam,

Athanas. OEcumenius. Lyranus. *Irenæus. Hilar. Ambrosius. Hierony. Theodoret.* *Chrysost.*

motum,

motum, & existentiam nostram, & consequenter ipsius erga nos propinquitatem, atque præsentiam indicare: Et hic est sensus Patrum, qui sæpè hoc testimonio, & ratione Pauli vtuntur ad Dei præsentiam in rebus omnibus cõprobandam. Ita Ambrosius in libello de dignitate conditionis humanæ initio. *Deus*, inquit, *vnus semper, vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quod in eo viuimus, mouemur, & sumus.* Hieronym. Isai. cap. 66. Initio probans multis testimonijs Dei immensitatem, adducensque illud Hier. 23. *Cœlum, & terram ego impleo*, addit, *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Theodorer. in id. 1. ad Corinth. 15. *vt sit Deus omnia in omnibus. Nunc enim*, inquit, *vbique quidem est per essentiam, habet enim naturam, quæ non potest circumscribi, & in ipso viuimus, mouemur, & sumus; vt ait Diuinus Paulus*, & serm. 10. de prouidentia ad medium; *Si itaque*, inquit, *in illo mouemur, & sumus, iuxta Apostoli vocem, nulla vndique mundi pars Deo destituta est.*

VI. Quidam recentiores videntes scripturam, & Patres maximè fauere huic sententiæ, quæ docet ex operatione diuina ad extra colligi immediatam præsentiam Dei ad omnes res, alia vero ex parte existimantes cum Scoto ex præcisa ratione agentis immediate non colligi immediatam præsentiam agentis ad passum, aiunt, quamuis operari indistans non operando in propinquum sit quædam perfectio, quoniam vendicat independentiã à contactu quantitatiuo, & illimitationem virtutis actiuę, absolute tamen perfectius esse modum operandi, quo agens est magis propinquum intime, & indistans à passo, & per se adest omnibus suis effectis, si hinc non sequitur vlla distractio, aut immunitio virtutis, vt indicat Diuus Thomas quodlib. 11. qu. 1. art. 1. ad 4. atque adeo hunc operandi modum, si ab eo separentur imperfectiones, quæ in agentibus creatis permistæ sunt, non esse Deo negandum. Alij verò dicunt, quamuis ex eo solum, quod Deus vbique operetur, non colligatur immediata præsentia eius ad res, colligi tamen ex eo, quod agat, & conseruet omnes omninò res, vt agens primum, ac perfectissimum: nam hic modus agendi continet virtutem infinitam, qualis esse debet virtus agentis primi; at verò ens infinitum in omnibus rebus præsens est. Et hoc modo aiunt concludere argumentum Diui Pauli, & Patrum ex eo probantium Deum esse in rebus omnibus, quia facit, & sustentat omnia, scilicet vt causa perfectissima, & infinita. Ad testimonium verò Pauli, & dicta Patrum respondent, non opus esse, vt omnes consequentiæ, quæ fiunt in sacris literis, vel à Patribus, sint formales, quæ scilicet habeant omnem vim suam spectatis solum rationibus formalibus vocabulorum.

Hi tamen omnes eneruant, aut potius VII.
mutant argumentum Pauli, & Sanctorum Patrum. Primi quidem, quoniam nõ colligunt simpliciter eo eo, quod Deus alicubi operetur, debere esse ibidẽ præsentem, quoad substantiam, sed quia hic modus dicit perfectionem, & potest separari ab imperfectione, colligunt competere Deo. At D. Paulus hoc non curauit, neq; hoc argumento vsus est ad promiscuã turbam, sed ratione magis apparente, & quę facilè percipi posset; ea verò est, quod agens est, vbi habet peculiares effectus in nullam aliam causam reducibiles, vt habet Deus. Itaque, etiamsi illa prima collectio recentiorum idonea sit, est longè diuersa à collectione D. Pauli: quę ex operatione ipsa concludit immediatam præsentiam Dei in rebus. Secunda quoq; suam habet vim, sed est aliena à mente D. Pauli: is enim non adeo ineptè discurrere debuit, vt supponeret id, quod intendebat, volebat autem persuadere Athenienſibus Deum nõ includi loco certo, aut templo, nec egere ara, vt à nobis colatur, cum non longè sit ab vnoquoque nostrum: itaq; intendebat probare Deum esse à nobis indistantem, quia in ipso viuimus, mouemur, ac sumus: Si verò in ratione ipsa supponeret nos esse, ac moueri in Deo tanq̃ in agente primo, ac infinito, supponeret ipsũ esse immensum, & consequenter non longè ab vnoquoq; nostrum: quod intẽdebat probare. Præterea, aut argueret ex infinitate agentis, qua agens est, hoc est ex infinita potentia Dei, aut ex infinitate eius in ordine ad locum, aut denique ex infinitate entitatiua in se: non ex prima, nam si ex infinitate potentiæ in genere potentiæ colligitur immediata præsentia ad omnem rem, vel locum possibilem, quo virtus fuerit maior, vel minor, respondebit maiori, vel minori quantitati spatij, quod esse apertè falsum experientia docet. Non ex secunda, quoniam tunc supponeret idem omninò, quod probare intendebat. Non deniq; ex tertia, quoniam tunc esset collectio per accidens, & eo modo ex illo principio possent colligi omnes omninò perfectiones diuinæ: non minus enim ex infinitate entitatiua Dei colligitur vna perfectio, quam alia: at verò Paul. & Patres indicant speciali ratione colligi im-

mediatam præsentiam Dei ex immediata eius operatione, vt re vera colligi in sequentibus ostendam.

Ostenditur rationibus ex operatione diuina rectè inferri præsentiam eius ad omnia.

Caput IV.

I. POst diuina testimonia, & Patrum dicta ratione agendum est. Præmittendum verò ex Logica nihil referre ad bonam illationé vtrũ procedat ex causa, vel effectu à priore, aut posteriore, dummodo tamen cum veritate antecedentis stare nequeat falsitas cõsequentis, & veritas huius per se ex illius veritate inferatur, non assumpto termino extraneo: nam rectè infertur, *si dies est, sol lucet*, & tamen posteriùs natura est diem esse, quam solem lucere, rectè item infertur, *si signum actu imprimitur in ceram sigillo, hoc tangit illam immediate*: & tamen prius natura est tactus sigilli imprimentis figuram ceræ, quam ipsa impressio. Ita quoque, & si in aliquo casu concedatur operationem Dei esse priorem natura, quam sit actualis præsentia ipsius ad rem, vel locum, vbi operatur, non proinde est inutilis collectio præsentiæ ex operatione. Respondent quidam sigillum prius esse præsentem substantiæ molli, vel fluidæ, quam caracteris sui formam imprimat: & ideo non valere argumentum sumptum ab exemplo eius. Verum non est negandum sigillum, sicut est præsens ceræ, cui imprimit figuram, esse quoque præsens ipsi figuræ: in argumento vero proposito non sumitur comparatio à præsentia sigilli ad ceram, vel aquam, sed ad ipsam figuram impressam, quæ est posterior tactu impressiuo sigilli: Ex quo tamen rectè concluditur præsentia sigilli ad figuram. Eodem modo licet admittamus rem creatam esse posteriorem tactu actiuo Dei, qui est ipsius operatio, quia tamen hæc quoad immediatam dependentiam actualem à Deo est similis figuræ impressæ ab annulo in re liquida, quemadmodum ex actuali figuratione rei liquidæ rectè deducitur immediata præsentia annuli, ita ex actuali operatione Dei rectè colligi potest immediata præsentia ipsius secundùm substantiam.

II. *Caietan. Sylvest.* Notandum præterea Caietan. 1. p. q. 8. art. 1. §. *Nota secundo*, & Sylvestrum eodem articulo, initio, duos assignare indistantiæ modos inter agens, & effectum: nempè quando agens est immediatum immediatione virtutis, quod contingit quoties virtus agentis iungitur effectui non mendicãdo talem coniunctionem ab alia virtute: vel immediatione suppositi, quando agens attingit effectum nullo alio supposito interueniente inter effectũ; & primum agẽs, quod vt verum sit, ita intelligi debet, vt influxus, qui ab agente procedit, non exeat mediante alio supposito, quod sit tota ratio operandi proximè attingens effectum. Hoc verò duobus modis euenire potest, primo si nullum aliud omninò supponatur operetur, quomodo Deꝰ creat immediate immediatione suppositi: deinde si, quamuis aliud simul operetur, primũ non solũ agat, quatenus agit per secundum, sed etiã influxu proprio, à se immediate procedẽte attingat effectum, & vtrouis ex his modis agẽs immediate operetur necessario requirit, seu infert præsentiã substantialem sui ad effectũ: diuersa quippè est ratio immediationis in agẽdo, atque in existendo: nam Scotus admittit cælum immediatione suppositi gignere animalia imperfecta in terra, cum generationem illam substantialem, non nisi à cœlo attingi velit; & tamen negat immediationẽ secundùm locũ, itaq; immediatio in agendo excludit interuentum alterius causę inter effectũ, & causam quæ dicitur agere immediate: immediatio vero in existendo excludit distantiam vnius ab altero. Tripliciter autem fingi potest agens non esse immediatum passo quoad præsentiam substantialem. Primò, si agens loco disitum nihil omninò agendo in medium producat effectum in loco remoto. Secundò, si quoad exteriores tantum partes sit contiguum, & immediatum passo: adhuc enim quoad partes intrinsecas distat à passo, neque illis est immediate præsens: denique, si alterutro horum modorum distãs per virtutem à se procedentem attingat passum longè remotum, vel saltem disponat ad susciendam formam à se ipso immediate producendam. Et de secundo quidem, ac tertio modo inferiùs dicam, nunc de primo agendum est.

III. Esse verò hunc modum impossibilem, saltem in actionibus causarũ secundarum, Scot. quoque, & eius sectatores admittunt, semper enim requirunt actionem aliquam agentis immediatum passum, licet non exigant vt per eam, vel terminum ipsius tanquã instrumentum agentis principalis, attingatur effectus productus in loco dissito. Impossibilitas verò huius primi modi ostenditur hoc argumento: Omnis actio

suppo-

ſupponit exiſtentiam operantis: ergò omnis actio in hoc, vel illo loco ſupponit ibidem exiſtentiam agentis. Intelligitur aũt conſequens, & antecedens de exiſtentia ſecundùm propriam eſſentiam, vel virtutẽ; ita vt quemadmodũ id, quod nec actu, nec virtute exiſtit, operari nullo modo poteſt: ſic etiam id, quod in hoc loco non eſt actu, vel virtute, nequeat in illo operari; quod verò primo modo diſtat à paſſo, neq; actu neque virtute eſt illi præſens, vt per ſe patet; ergò nequit in illud operari.

IV. Dicet aliquis, agens infinitum, quamuis ex impoſsibili fingatur abeſſe loco, & nihil agere in medium, adhuc eſſe virtute in loco remoto: quatenus efficacitate omnipotentiæ ſuæ poteſt in illud operari. Hæc reſponſio ſupponit falſum. Dupliciter enim eſt aliquid virtute alicubi; nempè vel in cauſa, quę eſt virtus actiua continens effectum, & hoc modo Deus nullibi eſt virtute, cũ non habeat cauſam, vt per ſe patet; vel in aliquo effectu à ſe relicto, q eſt virtus cauſæ, à qua procedit; & vt hoc modo res ſit virtute in aliquo tempore, aut loco, ſupponit in eodẽ veram exiſtentiã alicui', quod ſit aliquo modo virtus eius: nã quod nec per ſe, nec per aliquid aliud alicubi eſt, intelligi nequit quomodo ibi ſit virtute; Et proinde, cum agens diſtat à paſſo, neq; illi prẹſens eſt immediate per aliquã virtutem ſuam operatricem actu inibi exiſtentem, non eſt in illo virtute. Et confirmatur à ſimili, quoniam ideo res, quæ actu, vel virtute pro hoc tẽpore non exiſtit, in eo operari nequit, quamuis exiſtat in alia differẽtia temporis, quia intelligi nequit, quomodo effectus pro hoc temporis momento depẽdeat à re, quæ modo nec eſt formaliter in ſe, nec virtute in alio; ſed eadem eſt proportio exiſtentiæ in hoc tempore ad agendum in eodem, atque exiſtentiæ in loco ad agendum in illo: ſicut enim, quod eſt in hoc tempore, diſtat ſecundùm durationem ab eo, in quo non eſt, ita quod eſt in certo loco, diſtat ſecundùm præſentiam ſubſtantialem ab eo, in quo non eſt: nõ eſt igitur maior ratio, cur id, quod nullo modo eſt in tempore diſtanti, non poſsit in illo operari, poſsit autem agere in loco id, quod in ipſo omnino non eſt: Quare, quemadmodum omnipotentia Dei non ſe extendit ad hoc, vt operari queat in tempore, in quo non eſt, ita etiam operari non poterit in loco, vbi nullo modo eſt: & ita ex modo operandi immediate immediatione ſuppoſiti rectè infertur exiſtentia immediata, & præſentia ſubſtantiæ diuinæ ad locum.

V. Vt magis eluceſcat tradita doctrina, expendẽda eſt ſolutio, qua vtuntur Autores oppoſitæ ſententiæ: dicunt enim, tametſi indiſtantia requiratur in cauſis ſecundis, non proinde requiri in prima: quoniam virtus huius operatrix eſt infinita, illarum vero finita, ac limitata: idque à ſimili oſtenditur, quoniam nullum agens creatum operatur nullo præſuppoſito ſubiecto ob imperfectionem virtutis actiuæ, & tamen Deus ob infinitatem potentiæ ſuę, quando creat, agit non ſuppoſito ſubiecto, & ex infinita diſtantia traducit effectum à puro non eſſe ad eſſe: ita ergò operari poteſt in ſubiectum non præſens: eademq; namque, imò maior eſt improportio ſubiecti ad nõ ſubiectum, quæ eſt ſubiecti, vel effectus præſentis, ad non præſentem: quare, ſi efficacitas omnipotentiæ diuinæ illam diſtantiam ſuperat: hanc etiam ſuperare poterit, & conſequenter agere indiſtans, non agendo in medium.

VI. Hæc tamen ſolutio ſtare non poteſt; ſi enim non repugnat abſolute ſecundùm communem rationem agentis, vt agat indiſtans non agendo in proximum, non eſt vnde colligatur requiri potentiam infinitam ad agendum in paſſum remotum ſolum diſtantia vnius cubiti; quandoquidem hæc diſtantia eſt finita: ergò vinci poterit virtute potentiæ finitæ. Et confirmatur, quoniam poſita communi ſententia ad agendum in paſſum, diſtans ab agente per ſpatium infinitum, opus eſt potentia infinita: ergò ad agendum in paſſum diſtans finito interuallo ſat erit potentia finita. Patet conſequentia, quoniam ea eſt proportio potentiæ ad potentiam, quæ eſt diſtantię ad diſtantiam, vt patet in agentibus per medium; ſi ergò ad agendum in remotius ſpatium eſt neceſſaria maior virtus, ad agendum in propinquius ſufficiet minor. Ex quo ſequitur, ſi ex communi ratione agentis, non prærequiritur ad operandum immediatio agẽtis cum paſſo, dari aliquas potentias creatas, quæ poſsint agere in remotum, non agendo in proximum. Nam inter illas eſt inæqualitas participationis potentiæ diuinæ, & ſi ſunt inæquales quoad effectus, & alios agendi modos, cur nõ erunt etiam inæquales quoad hoc, vt aliæ poſsint agere in remotum, non per proximum, aliæ verò non? Dicet aliquis cum eadem inęqualitate virtutis cohærere æqualitatẽ quoad exigentiã ſubiecti, quæ eſt cõmunis agentibus omnibus creatis: Eodemque modo poſſe cauſas ſecundas eſſe inæquales quoad effectus, & cõuenire ex æquo in impotentia agendi in remotum non per

proximum. Longè tamen diuersa ratio est vtrobiq; : nam agere nullo præsupposito subiecto nõ habet latitudinem : & idcirco. si propterea conuenit Deo, quia infinitus est, conuenire nequit vlli agenti finito. At verò agere indistans habet latitudinem: & ideo, cum minus sit agere in aliquod certũ interuallum, & nõ vltra, quam posse agere in quamuis distantiam maiorem in infinitum, si hoc secundùm cõuenit Deo ratione suæ omnipotentiæ, illud primum, cum sit minus, cur non conueniet causæ secundæ, quamuis non sit infinita? præsertim quia, si possibile est agere in remotum nõ agendo in proximum, non arguitur virtus infinita ex hoc ipso, quod agat solum in remotum, quin prius agat in proximum : si enim fingamus vnũ agens solum posse agere in passum distans decem cubitos, & non vltra: aliud verò indistans per viginti, & sic in infinitum, vis actiua primi erit minor, quam secundi, & huius quam tertij, & sic in infinitum: atque adeo ea sola, quæ potens est agere indistantiam infinitam, erit infinita: cæteræ autem finitæ.

VII. Itaque negatio distantiæ agentis immediate non per aliud suppositum, est conditio requisita omni agenti, qua agens est, sunt enim quædam cõditiones communes causis, qua tales sunt: à quibus nec ipsa causa prima absolui possit : qualis est in causa finali apprehensio, atq; intentio finis : sine quibus nec bonitas diuina mouere potest tanquam finis: In materiali, ac formali cõditio necessaria est vnio : sine qua nec ipsum verbum diuinum, quod cõparatione naturæ assumptæ habet quandam similitudinem cum materia, quatenus sustentat, & formæ quatenus cõmunicat illi suum esse diuinum, posset hypostatice sustentare naturam terminando dependentiam illius. Eiusdem generis est in causa efficiente negatio distantię secũdùm tempus & locum. Cuius rei rationem reddit Iauell. 1. p. q. 8. art. 1. §. *Sed contra hoc, si hoc,* post Capreol. in 1. d. 37. q. vnica ad 8. Scoti contra primam conclusio. quia agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potẽtia ad ipsum agens, actus autem, & potentia ex ratione sua sunt indistantes, ex 9. Met. Hæc ratio, licet ostendat aliquã proportionem inter agẽs, ac patiens similem illi, quę est inter actũ, & potentiã, nõ tamen reddit sufficiens fundamentum. Responderi. n. potest, quemadmodum ex hac proportione non rectè sequitur agens, & patiens debere cõiungi formaliter, sicut actus vnitur formaliter potẽtiæ passiuæ, ita etiam non sequi debere esse indistantes.

Iauellus. Capreol.

VIII. Frmum verò fundamentum est, quia sicut ipsum esse causæ supponitur ad actionem, ita esse hoc loco, vel tẽpore supponi debet ad operationẽ in hoc loco, vel tempore: nam, quę est proportio ipsius esse absolute ad agere absolute, eadem est inter esse hic, vel nunc ad operari hic, vel nunc: & proinde, si quod absolute non est actu, vel virtute, nequit absolute operari, & iam quod non est actu, vel virtute hic, aut nunc, nequit agere hic, vel nunc: nam existentia pro alio tempore, ac loco perinde se habet, ac si non esset : quis enim dicet sat esse substantiam aliquam existere in certo aliquo tempore, vt possit operari in tota æternitate, vel saltem in aliqua differentia temporis, in qua nullo modo existat. Ratio verò cur hoc euidentius appareat impossibile in tempore, quam in loco, est, quoniam id, quod pro hoc tempore non existit, simpliciter non habet esse : & propterea neque vim operandi : & quod alibi existit, simpliciter habet esse, quamuis non sit in loco, vbi sit effectus : si tamen res benè expendatur quoad hoc est eadem fere ratio. Rogo enim cur effectus, qui hodie producitur, fieri, atque dependere nequeat ab existentia hesterna causæ, quæ hodie iam non est per se aut virtutem relictam. Respondebitur quia non est in tempore præsenti, in quo effectus actu producitur : eodem modo effectus, qui in vno loco sit, pendere nequit à causa absente, nisi saltem per virtutem à se emissam in eo sit. Quemadmodum igitur Deus, quamuis sit omnipotens, si concipiatur in vno certo tempore existere, & non in alio, non poterit actu producere effectum pro eo tempore, quo concipieretur non existens, ita quamuis sit omnipotens, si concipiatur circumscriptus certo aliquo loco, agere non poterit in eo, à quo abest.

Exoperatione Dei colligitur præsentia Dei intima ad res omnes.

Caput V.

L. Capite præcedente ostendi non posse agẽs operari in remotum nihil agendo in proximũ: atque adeo debere esse immediatum passo per se, vel propriam virtutem. Ut ex hoc principio Deum esse immediate præsentem rebus omnibus, neque posse illi cõpetere primum illum modum operandi in remotum ex tribus assignatis eodem capite, numero 2. Nunc videndum verum cõueniat aliquis ex duobus aliis, an

vero

verò ex operatione eius necessario colligatur immediata præsentia substantiæ diuinæ ad res omnes, non solum secundum contactum extrinsecum, sed etiam secundum indistantiam ipsius ab intimis quibusque partibus rerum omnium.

II. Sunt verò, qui existiment, quamuis causa nihil agens in intermedium spatium operari nequeat in remotum, tamen operationem huiusmodi non esse necessariam ad hoc, vt virtus agẽtis principalis sit immediata passo, sed propter subordinationẽ effectuum, quorum vnus supponit alterius productionem, vel propter dispositiones requisitas ex parte subiecti, vt recipiat formã à principali agente: & ita cõcedunt esse possibilẽ secundum, ac tertium modũ agendi in remotũ præsuppositã actione aliqua in proximum. Vtrunq; verò exemplo illustrant: tertium quidẽ quoniam sol distans à corruptibilium corporum sphæra producit in eam lumen, producẽdo simul in medium, non quasi virtutem productiuam vlterioris luminis, sed tanquam conditionẽ, sine qua nequit produci lumen in spatio remoto. Secundum verò probant sumpta simili udine ab adgeneratione, siue nutritione naturali viuentis, ad quam non requiritur intima præsentia agentis principalis, sed sufficit contactus extrinsecus absque eo, quod intromittatur in alimentum, quod est passum, vlla vis actiua attingens efficienter eductionẽ formæ ex potentia materiæ. Probatur verò, quoniam viuẽs, quod nutritur, vi potentiæ nutritiuæ introducit formam substantialem in interiores partes alimenti proximè dispositi, quibus nõ est immediate, & intime presens per se, vt euidens est. Non item per aliquam virtutem: nam virtus nutritiua seu cõuersiua alimẽti in substantiã aliti est vitalis, & proinde conuenire nequit partibus alimenti, quamdiu manent sub forma alimenti: & ita saltem quando materia alimẽti minima informaretur, simul anima nutriti erit actio in intimas partes passi ab agente præsente solũ exterius sine virtute instrumentaria introducta. Idem cernitur in motu proiectorum: nam quamuis proijciens initio attingat immediate mobile, illudque pellat, postea tamen disiungitur mobile à proijciente, & continuatur motus absq; actuali impulsione, aut vlla virtute, quæ remanserit impressa mobili à proijciente: neque pars prima motus est causa efficiens sequentium, neque relinquitur impulsus aliquis, siue impetus, quo mobile feratur: hic enim, si daretur, cũ sit eiusdẽ speciei, quando exit ab eadem virtute motiua, verbi gratia Hominis, non posset efficere motus specie diuersos, quales videmus fieri ab Homine proijciente nũc lapidem sursum, nũc deorsum. Ex quo colligunt posse Deo competere alterutrum ex his operãdi modis: & consequenter ex operatione ipsius minimè colligi præsentiam eius intimam ad oẽs res; quoniam ipse virtute sua supplere potest omnem conditionem agendi, & subordinationẽ effectuum, itemq; vicem dispositionũ: potest enim subitò copulare formam substantialem materiæ nullis dispositionibus præuijs: quare sublatis dispositionibus intermediis poterit è loco remoto facere id, quod illis intermedijs fieret, & ita operari indistans.

III. Hi etiam operandi modi sunt impossibiles ob rationẽ assignatam cap. præcedente: si enim effectus intermedij nõ sunt virtus actiua agẽtis principalis, nõ est hic, vbi effectus producitur, vis efficiẽs, à qua actio pendere, & promanare possit: cõditiones verò, aut dispositiones, quibus passũ redditur habile suscipiendę formæ, nõ sufficiũt, nisi adsit vis actiua, quæ reuera non adest, si in sola re distanti est vis agẽdi, neq; vllo modo communicatur alicui agenti saltem instrumentali immediato. Neq; argumentum sumptum à sole rem concludit: nam, vt inferiùs fusiùs explicabo, lumen intermedium, est verè causa efficiens instrumentaria luminis vlterius diffusi.

IV. Quod verò attinet ad modum agẽdi per immediatum contactum extrinsecum in partes internas cum distantia ab eisdẽ, dicendum omninò est non esse possibilem, nisi in proximas sibi imprimat vim aliquã actiuam, qua mediante attingat internas. Fundamentum est, quoniam tactus secundum partes externas non tollit veram distantiam inter agens ita immediatũ passo, & partes interiores ipsius; quare, si detur actio ab agẽte extrinsecus appositio in partes remotas, & nõ per virtutẽ transmissam ab illo in intermedias, verè aget indistans, & effectus pendebit à potentia actiua alibi existente, & nullo modo, vel saltem virtualiter præsente: eadem verò prorsus est ratio impossibilitatis in hoc agendi modo, atque in priore: idcircò enim Philosophus negat agens operari posse indistans, quin operetur prius in propinquum, quoniam interuentu formę in medio productæ tanquam instrumenti agentis principalis remoti attingitur effectus immediate: & quemadmodum in naturalibus experientia docet nihil agere in passum remotum actu distinctum ab immediato, quin prius agat in immediatum, eadem quoque

magistra scimus nihil agere in parte remotas, quin agat in proximas: &, sicut in priore casu ratio suadet eiusmodi actionem non solum requiri, vt conditionem ad agendum vlterius, verum vt traductionem virtutis actiuæ, à qua dependeat effectus longe disitus ab agente principali, ita etiam in casu, de quo agimus, actio in partes vicinas agenti immediato requiritur tanquam communicatio virtutis actiuæ, à qua proxime, & immediate procedat actio, quæ fit in partibus intrinsecis. Quæ res inductione constare poterit in omni actione naturali, siue substantiali, siue accidentaria. Quem discursum Philosophis relinquo: solumque ostendo in generatione naturali, in qua maior est difficultas, admittendo eam sententiam, quę asserit generationem esse veram actionem: in qua generans non potest esse intime præsens omnibus partibus materiæ, quæ est subiectum generationis, vt per se patet: sed, si consulimus experientiam, comperiemus nullo modo opus esse, vt generans immediate attingat materiam geniti, pro eo instanti, quo forma substantialis primo inducitur in materiam, frequenter enim animatur fœtus in vtero materno absente Patre; sæpius etiam mortua gallina, quæ ouum peperit, & gallo, qui semen indidit, alterius gallinæ incubitu gignitur pullus: signum ergò est ipsam momentaneam actionem generationis nõ pendere ab immediata præsentia generantis, sed à præsentia virtuali, quæ mansit in semine, & dispositionibus actione illius inductis: quæ, cum sint intime præsentes materiæ, quam actuant, ac disponunt, virtute principalis agẽtis, à quo sunt, educunt formam de potentia ipsius materiæ: & ita nullibi datur partialis eductio, quin ibidem intime præsens adsit partialis virtus, à generante deriuata.

V. Hoc generationis exemplo euertitur oppositæ sententiæ fundamentum petitum à nutritione: nam in hac etiam id, quod immediate attingit introductionem formæ aliti in materiam nutrimenti, non est ipsa forma substantialis nutriti, imò neque ipsa potentia nutritiua, sed dispositiones cõnaturales viuenti, quod nutritur, introductæ in materiam alimenti vi potentiæ nutritiuæ, & caloris naturalis: hæ verò dispositiones diffusæ sunt per totam illam materiã conuertendam in substantiam aliti, non enim inducitur forma in materiam non apte dispositam: & ipsæ vel euocant, atque inuitant ad materiam, quam actuant, formam viuentis, si incorruptibilis est, vel ex ipsa materia educũr, si forma est corruptibilis, & vtramque mutuo nexu copulant. Respondeo itaq; argũmento, tametsi vis nutritiua vitalis non insit alimẽto, quamdiu manet sub forma alimenti, tamen actione partium viuentium, & virtute caloris natiui introduci dispositiones in totam illam materiam minimam informandam forma viuentis, quarum vi, & actione immediata introducitur forma in singulas eius partes. Argumentum de motu proiectorum apud eos, qui negant imprimi mobili vim aliquam, siue impulsum à proijciente, difficile fortasis erit: ijs verò, qui impulsum admittunt, non item: quorum ego sententiæ accedo: Et rationi, qua oppugnatur, respondeo absurdũ non esse, vt ab instrumento eiusdem speciei diuersimode applicato proueniant effectus specie distincti, vt vel in eodem motu admittere debent ij, qui impulsum negant. Nam Homo vna pollet virtute motiua eiusdem speciei ad mouenda alia corpora, & tamen pro diuersa ipsius applicatione, ac directione causat motum sursum, deorsum, & plures alios diuersos: quod ergò ipsi concedere tenentur in virtute motiua, non debent absurdum reputare in impulsu.

Hoc ipsum, quod ostensum est de agen- VI.
tibus creatis, habet etiam locum in Deo, non propter imperfectionem virtutis, sed propter repugnantiam rei. Et sicut causæ secundæ transmittere nequeunt actionem in partes intimas passi, quod immediate tangunt, nisi per intermedias, ita si DEVS esset solum extrinsece præsens, nec illaberetur intime rebus omnibus per se, vel suam virtutem, nequaquam posset operari intra res ipsas. Fundamentum est, quoniam conditio propinquitatis causæ ad effectum, vt iam superùs dixi, est de ratione causæ agentis in communi: & proinde, quamuis Deus supplere possit efficacitate potentiæ suæ vicem cuiusuis causæ secundę, nec indigeat instrumento, aut dispositionibus ad agendum, tamen vt agat vbi nõ est, non cadit in eius omnipotentiã. Sed enim inquiet aliquis, quamuis hæc ita sint, adhuc ex operationibus ipsius nõ colligetur immediata prẽsentia; quandoquidẽ creaturæ, quæ agunt, non oẽs habent intimam prẽsentiã, sed solæ incorporeæ: & nõ semper habent præsentiã cõtactus extrinseci, vt patet in sole, qui à visceribus terræ longè disitus inibi gignit metalla: sicut ergo agẽtia creata, cum re ipsa distent ab effectu exerunt vim actiuã, & per virtutẽ in

medio

medio diffusum operantur, vbi non sunt, ita non videtur repugnare causæ primæ, vt non cõcurrat ad effectus immediate per se, sed per virtutes communicatas creaturis, & ita ex operatione diuina in re aliqua, vel loco non elicitur efficaciter, quod Deus sit illis intime præsens. Et confirmatur quoniam Deus potest supplere actionem causæ secundæ: ergo supplere poterit concursum virtutis instrumentariæ, quam ipse extrinsecus assistens induceret in intimas partes subiecti, vt per ipsam operaretur: quo dato per solam extrinsecam præsentiam posset agere in intimas partes subiecti, absque alia virtute actiua intermedia.

VII. D. Thom. in 1. d. 37. q. 1. art. 1. & 1. p. q. 8. art. 1. volens occurrere huic difficultati asserit habere Deum in omni re effectum quendam sibi proprium: nempè esse creatum: hoc autem est intimum rei: ideoque oportet, vt Deus siue de nouo illud producens, siue conseruans sit intime præsens rei, quę habet esse: contra quod fundamentum arguitur ex Scoto in 4. dist. 1. quæst. 1. quoniam, vel hic effectus ita est à Deo, vt non sit etiam à causis secundis, vel admittit etiam causalitatem ipsarum: primum non est dicendum, quoniam quidquid aliquid gignit, aut causat, confert illi esse, omnis enim causalitas terminatur ad ipsum esse: si secundum admittatur, non recte infertur præsentia: nam proprius effectus causæ principalis, ad quem admittuntur aliæ causæ subordinatæ, non arguit immediatam præsentiam causæ illius principalis, vt constat in Architecto, cuius proprius effectus est tota fabrica, cùm singulæ partes sint effectus opificum subordinatorum, & tamen non opus est, vt Architectus fabricam contingat: Caietan. 1. p. quæst. 8. art. 1. §. *Nota tertio*, ita explicat sententiam D. Thom. vt proprium non sumatur, prout distinguitur contra commune, sed prout distinguitur contra alienum; dicitur ergo ipsum esse proprius, siue per se primo effectus Dei, quia is solus potest omnia facere, quæ exiguntur ad hoc, vt aliquid sit: etenim res omnis, aut est materialis, aut immaterialis, si materialis, vt sit indiget materia, quæ à solo Deo creatur, & conseruatur: si immaterialis, similiter à solo Deo fit, & ita in omni re est aliquid productum, & conseruatum à solo Deo, & propterea Deus dicitur agens omnium immediate immediatione suppositi.

VIII. Et quidem hæc interpretatio bene ex operatione colligit præsentiam: quoniam, cum res omnis sit substantia, vel insubstantia, si in quauis substãria est esse à solo Deo orpductum, Deus est intime præsens eiusmodi substantiæ, & omnibus operationibus, & accidentibus, quæ in ea sunt. Verum tamen nõ videtur attingere mentem sancti doctoris, neque germanum sensum literæ: nã D. Thom. ait esse creatũ esse proprium effectum Dei, sicut ignire est proprius effectus ignis: significans ipsum esse creaturæ quoad se ipsum adæquate procedere, ac fieri à Deo: quare censeo cum Syluestro 1. p. conflati q. 8. art. 1. §. 2. quãdo S. Thom. vocat ipsum esse effectũ Dei proprium, id est, nõ alienum, intelligere esse adequatum, ita vt nullũ sit esse, quod nõ fiat à Deo, siue solo, siue simul cum causis secundis: & ita abstrahendo ab actione, qua Deus solus conseruat esse substãtiæ immaterialis, & considerando actionem vitalem talis substãtiæ, ex ipsa colligitur immediata, atque intima præsentia essentiæ diuinæ, ex iacto fundamento. Quoniam esse huius etiam est proprius effectus Dei, ita vt nulla omnino virtute fieri possit, quin sit, etiam immediate à Deo: nam, cum sit creatura, absolui nequit ab vniuersali dependentia à creatore. Itaque, vt alibi contra Durand. fusius ostendam, res omnis siue sit substantia, siue accidens, semper actu pendet ab vniuersali cõcursu causæ primæ, qui talis est, vt nõnisi ab ea immediate procedat, aut procedere possit. Quo fundamento iacto, iam ex omnib' præmissis cõflatur argumẽtum, quo ostenditur immediata, atque intima præsentia Dei in rebus omnibus. Nihil distans agit in remotũ nisi transmittat in proximum virtutem, quæ sit ratio agendi in remotum, non est autem virtus vlla creata, quæ suppleat, aut supplere possit vicem concursus generalis Dei in omnes effectus: ergo vbicunque fit, aut est aliqua creatura, ibi quoque est Deus secundum essentiam,

IX. Ex dictis constat cur Deus necessario debeat esse intimè præsens vbi operatur, non vero creatura: nempè quoniam hæc potest transmittere aliquã virtutem, quæ suppleat vicem ipsius, nõ vero Deus. Ad confirmationem respondetur distinguendo antecedens. Nam, si loquamur de facto absque vlla suppositione impossibili, verũ est: si vero de causa instrumẽtaria impossibili, & chymærica negãdum. At vero virtus, quæ suppleat immediatam causalitatem Dei, & sit veluti intermedia inter ipsum, & effectum, est impossibilis, & ideò argumentum nihil probat. Potest etiam respõderi idcò Deum supplere posse concursum causæ secundæ, quoniam illã virtute continet: verum, sicut ipsa non potest operari indistans, ita neque Deum supplendo eius cõcursum posse

agere in remotum, & sicut ad agendum per se supponit immediationem cum passo, ita etiam ad operandum supplendo actiuitatem causæ secundæ.

Operatio diuina supponit præsentiam potentialem ad effectum, actualem vero ad subiectum, quod supponitur actioni.

Caput VI.

I. EX superioribus satis liquet inter Deum, & omnes eius effectus, atque adeò res omnes creatas, quæ sunt effectus illius, intercedere præsentiam aliquam, siue indistantiam secundum esse reale, eamque recte ex diuina operatione probari. Nunc videndum supereſt vtrum sit prior operatio Dei in rebus, an vero indistantia ab illis. Huius quæstionis decisio facilis est in sententia Caietani, Ferrar. & aliorũ Thomistarum dicentium ipsam Dei operationem esse rationem formalem existendi in loco, & fundamentum proximum præsentiæ: nã cum omnis ratio formalis sit prior natura effectu formali, & omne fundamentum relatione, consequenter operatio, cùm sit contactus quidam virtualis Dei ad creaturas, si sit ratio formalis existendi in illis, erit prior existentia, ac præsentia Dei in rebus. Et huiusmodi præsentia non requiretur, quasi quid necessarium ad operationem, sed consequenter, vt effectus ipsius, vt expresse notat Caietanus 1. p. quæst. 8. art. 1. §. *Ad obiectionem*, Iauell. §. *Quantum ad tertium*, & Ferrar. lib. 3. contra Gentes cap. 68. §. *Respondetur*, Ego tamen cum sentiam non operationem, sed immensitatem, cum indistantia esse proximum fundamentum præsentiæ Dei ad res, aliam rationem ordinis assignare debeo.

Caietanus. *Iauellus.* *Syluest.*

II. Præmitto itaque primo terminorum expositionem, & quandam diuisionem: diuisio est actionis diuinæ: nam alia est creatiua dans esse nullo præsupposito subiecto, & cum nouitate essendi, alia sine nouitate essendi, quæ est conseruatiua: Alia denique productiua alicuius in, vel ex præsupposito subiecto siue cum nouitate essendi, siue non: quales sunt omnes productiones, & conseruationes formarum dependentium à subiecto. Porro in hac comparatione aliud est loqui de præsentia Dei ad rem productam per operationem, aliud ad locum, siue subiectum, in quo producitur. Termini, quorum expositio est necessaria, sunt distans, non distans, indistans: quorum duo priores sunt contradictorij, inter quos respectu cuiusque non datur medium; postremus est veluti priuatiuus, & contrarius primo, ita vt inter vtrunque cadere possit medium, saltem per negationem vtriusque: Etenim distans necessario inuoluit habitudinem inter duo extrema actu existentia, & disiuncta loco: indistans vero importat negationẽ distantiæ duarum rerum actu existentium: quod enim non existit sicut non est distans, ita neque indistans ab altero, siue existente, siue non. Ex quo fit, vt si comparentur duæ res, quarum vtraque, vel altera nõ existat, verè dicantur non distantes, indistantes vero, aut distantes nequaquam. Porro indistantia vnius rei ab altera, alia est actualis, alia potentialis: actualis est, quando vtraque actu existit cum negatione distantiæ: potentialis vero, quando res actu existit sub ea dispositione, vel modo, vt absque sui mutatione possit coexistere loco, aut rei alteri non distanti à se: quomodo cœlum empyreum dici potest indistans potentialiter à loco, vel corpore possibili fieri à Deo immediate post superficiem conuexam ipsius cœli empyrei: quamdiu enim tale corpus actu non fit, cœlum non est actu distans, aut indistans ab eo: potentia tamen est indistans: nam de se habet sufficiens fundamentum, vt sine vlla sui mutatione coexistat illi, si ponatur: hoc etiam modo, vt constat ex dictis Patrum referendis, cap. 20. dicentium Deum esse supra cœlos, & extra omnia, Deus est potentia indistans ab omni loco, & re, quandoquidem vi suæ immensitatis est aptus, vt sit in omnibus posita ipsorum existentia, quod ratione patet: nam quoties interuenit aliqua negatio, quæ eo solum definit esse priuatio, quia desideratur connotatum, eo ipso, quo id ponitur, transit in priuationem, vt negatio visus in cæco ante septimum diem adueniente illo iam restat priuatio, siue cæcitas, quoniam iam est subiectum aptum, quod cæcitate connotatur: indistantia vero supra non distantiam solum addit connotationem existentiæ extremorum: Et ideò cum Deus non sit distans ab vlla re non existente, vt ostensum est patet: Et hæc negatio semper, ac necessario ipsi conueniat, hoc ipso, quo res incipit existere, adest connotatum, & ita negatio distantiæ perseuerans transit in indistantiam priuatiuè sumptam. Quod non necessario competit

creatu-

creaturis inter se collatis: nam negatio distantiæ est accidens respectu illarum: atque adò potest abesse illis existentibus: Et idcirco euenire poterit, vt cum antequam existerent non essent distantes, sint tamen postquam existunt, si procul disitæ creentur.

III. His prælibatis dico inprimis præsentiam, siue indistantiam potentialem Dei à re, vel loco, in quo debet operari, esse priorem natura quauis operatione transeunte, quæ sit in eadem re, vel loco: & esse conditionem requisitam ad operandum in ijsdem. Prior pars constat ex dictis: nam indistantia potentialis est, qua res aliqua, quod ad se attinet, est sufficienter constituta in actu primo, vt sine mutatione sui coexistat alteri rei, vel loco: hoc autem habet Deus ratione suæ immensitatis comparatione cuiusuis creaturæ, aut loci: neque aptitudo, siue potentia proxima ad existendum alicubi prouenit illi ex vlla operatione transeunte, nihil enim pertinens ad actum primũ habet ex creaturis, sed à semetipso: restat igitur, vt ante omnem operationem transeuntem sit potentialiter indistans ab omni re, vel loco: quod non conuenit vlli creaturæ existenti: nam licet habeat aptitudinem coexistendi cuiuis rei disiunctiuè sumptæ, non tamen simul: si namque illi adsit vnum corpus, nequit alteri coexistere: loco vero nonnisi vni respondere potest absque sui mutatione: Cœlum enim empyreum ex ea parte conuexa, quæ directe respondet polo arctico, illi tãtum loco absque mutatione sui respõdere potest, qui est creabilis à Deo iuxta illã partem, ac spatium: quod si secundum eam sui partem respondere debeat loco creabili ex diametro supra polum antarcticum, moueatur necesse est: Deus autẽ ratione suæ immensitatis est in potentia proxima, vt immobilis perseuerans respondeat omnibus rebus, ac locis, si ponantur, & idcirco ab æterno habet indistantiam potentialem à rebus omnibus, ac locis. Secunda pars assertionis videtur intenta ab ijs, qui indistantiam realem Deitatis necessariam dicunt ad agendum. Probatur vero in hunc modum: multo maior vis requiritur ad agendum in remotum distans interposito vacuo, quam per plenum: Deus autem, vt constat ex dictis, operari nequit indistans per plenum: ergo neque per vacuum: operaretur autem, si non presupponatur præsentia potentialis. Nam nunc potest de facto producere alium mundum huic minimè contiguum, atque adeò, nisi ratione immensitatis sit ita dispositus, vt secundum potentiam sit indistans ab omni re creabili, traducet actionem indistans per vacuum interpositum. Hæc vero indistantia potentialis explicari potest exemplo rei corporeæ: nam cœlum empyreum ex parte superiore nõ est præsens vlli alteri corpori, si tamen fingamus illud habere vim producendi aliud, ex parte indistantiæ non repugnaret, vt id sibi immediatum produceret: quoniam ex propria existẽtia ita dispositum est, vt absque vlla mutatione sui possit coexistere corpori cuicunq; supra se immediate collocato: ita ex modo existendi, quo Deus est in se ratione suæ immẽsitatis, habet, vt statim absque mutatione sui coexistat secundũ essentiam præsens cuilibet rei, vel loco, cùm primum incœperit esse.

IV. At inquiet aliquis indistantiam potentialem nihil ad agendum referre: adhuc enim ea posita Deus operabitur in nõ præsens: quamdiu enim desideratur extremum alterum, cui Deus sit actu præsens, non est præsentia: eadem vero difficultas est in agendo in distans, atque in non præsens: imò vero idcirco non datur actio in obiectum distans, quia non est præsens. Ad hanc obiectionem respondetur longè diuersam rationem esse indistantia, ac in non præsentia: nam distantia tollit immediationem situalem effectus à causa, posito enim effectu in loco distãti à causa tollitur tactus: & intelligi nequit quomodo, quod omnino abest, conferat esse effectui: non præsentia vero actualis præconcepta ante actionem coniungi potest cum præsentia aptitudinali proxima, & non arguit distantiam effectus à causa: imò effectus ita productus nunquam non est immediatus, atque indistans à causa. Quod ostendi potest ex adducto exemplo cœli empyrei: nam, si supponamus illud habere vim creandi ex nihilo, & de facto creare aliud corpus sibi immediatum, nõ diceretur agere in remotum, quoniam ratione aptitudinis proximæ coexistendi tali loco absque sui mutatione est aptitudinaliter indistans ab illo: & quamuis ante actionem non esset illi præsens, tamen, cùm per illam incipit esse, non potest non esse præsens: si vero fingeretur producere aliud corpus in vacuo infra concauum lunæ, quamuis ante productionem esset nõ distans ab eiusmodi corpore, censeretur tamen agere in remotum, quoniam non habet aptitudinem proximam, vt sine mutatione sui correspondeat immediate eiusmodi loco. Ratio vero, cur ante operationem sufficiat indistantia aptitudinalis, proxima est: quoniam, cùm effectus non dependeat ab agente, nil

quando

quando est, si causa erat ab eodem loco proximè indistans aptitudinaliter, vbi primum effectus, ibi incipit esse, iam manet actu indistans, & ita nunquam pendet ab agente distante: nunquã enim in ea dispositione causa, & effectus à se mutuo distant: itaque non ideò distantia est impedimentũ actionis, quia ante operationem tollit præsentiam actualem, sed aptitudinalẽ proximam: post illam vero tollit actualem, sine qua nõ datur actualis dependentia effectus à causa. Et hoc modo nunquam Deus operatur in nõ præsens: tametsi enim prius natura, quam operetur, abstrahat ab actuali præsentia, & non præsentia: nunquam tamen in eadem duratione actionis est non præsens effectui, vel loco, in quo operatur: esset autem, si careret aptitudinali indistantia proxima.

V. Dico secundum. Præsentia, siue indistantia actualis est posterior actione productiua rei, ad quam est præsentia. Hæc non solum est de mente Thomistarum, sed etiam Durand. in 1. dist. 37. 1. p. distinctionis q. 1. num. 13. & aliorum. Probatur autem ex dictis: nam actualis indistantia, atque præsentia supponit existẽtiam vtriusque extremi, inter quæ est: existentia vero effectus supponit actionem productiuam ipsius: ergo etiam indistantia supponit actionem, & est posterior illa. Dixi autem esse posteriorem actione productiua rei, ad quam est præsentia: quoniam si diuersi sint termini actionis, & præsentiæ, fieri potest, vt aliqua præsentia actualis requiratur ad actionem: exempli gratia, cùm primum Deus mundum condidit, quia nihil præerat, cui Deus coexisteret, non supponebatur vlla præsentia actualis ipsius ad rem quampiam: sed præsentia actualis eius ad mundum fuit posterior creatione mundi. At si Deus in loco, vel subiecto præexistente aliquid de nouo producat, siue in subiecto, siue extra illud, ad ipsum quidem effectum de nouo productum habebit nouam habitudinem præsentiæ actualis posteriorem ipsa productione, vt patet ex dictis: supponet tamẽ aliam priorem ad locum, vel subiectum, in quibus operatur: nam, cùm ad agendũ supponenda sit saltem aptitudinalis indistantia ad locum, & effectum, si posito loco, & subiecto aliquo existente, Deus non esset actu præsens illis, iam hoc non proueniret ex defectu extremi requisiti ad præsentiam, sed ex ineptitudine ipsius ad coexistendum rebus in eo loco, & consequenter ad operandũ in illo. Cùm igitur Deus post mundum conditum semper operetur in loco aliquo, vel subiecto, ex operationibus eiusmodi colligitur semper actualis indistantia, & præsentia ad omnem locum.

VI. Tertio, & vltimo dico. Indistantia, & præsentia actualis non est posterior natura actione Dei conseruatiua, ita Durand. q. citata, num. 9. Fundamentum est, quoniam conseruationem non aliter distinguimus à creatione, quam quod hæc sit cum nouitate essendi, illa sine nouitate essendi: itaque concipi nequit conseruatio, quin supponatur existentia rei conseruatæ: nam terminus ipsius non est res ipsa conseruata absolute sumpta, sed cum suppositione eiusdem esse habiti: quidquid autẽ pertinet ad conceptum distinctiuum alicuius, nõ est posterius ipso, quoniam saltem in connotato ingreditur rationem formalem ipsius, quæ semper est prior natura, quam res, cuius est ratio formalis: quare, si res conseruata est prior natura conseruatione ipsa, iam Deus illi in ea prioritate coexistet, & ita est præsens ante conseruationem. Est tamen non leuis obiectio aduersus hanc doctrinam: quoniam omnis actio est prior natura suo termino: quare conseruatio erit prior re conseruata: etenim res in primo signo durationis, qua conseruatur, secundum se spectata indifferens est, vt conseruetur, & & non conseruetur: & per actualem conseruationem traducitur de illa indifferentia ad permanendum in esse pro tali duratione: ergo prius est conseruari, quã existere, & consequenter, quam coexistere, ac esse præsentem Deo. Respondeo hoc argumentum vt plurimum concludere prioritatem in diuerso genere causæ: quod non tollit, quo minus in alio res sit prior conseruatione. Deinde dico illam ipsam indifferentiam ad permanendum inuoluere existentiam rei conseruatæ: nam nihil non existens potest esse indifferens, & consequenter aptum ad permanendum in esse, siue ad continuandam existentiam, quod enim concipitur non esse, quomodo potest perseuerare in esse? & ita, si res in eo priore est indifferens ad permanendum, supponitur existens in se, & coexistens Deo. Responderi etiam potest in re cõseruata considerari posse, vel ipsum esse eius absolute consideratum, vel sub ratione conseruati: priore modo consideretur, semper præcedit actionem conseruatiuam, vt patet ex dictis: si vero posteriore, cùm habeat rationem termini, nõ præcedet, sed subsequitur: vt vero Deus sit præsens actualiter alicui rei, sat est, vt illa quouis modo existat: Et ideò, cùm absoluta existentia rei præcedat actionẽ cõseruatiuam, etiã ante illã supponi debet præsentia Dei, ad rem cõseruandam.

Durand.

Durand.

Soluun-

Soluuntur argumenta opinantium ex operatione diuina non colligi immediatam præsentiam Dei cum rebus omnibus.

Caput VII.

I. Scotus.

EXplicatis fundamentis sententiæ affirmantis facilè erit diluere argumenta negantis. Arguit autem Scotus primo quoniam non est maior vis actiua creaturæ, quam Dei: agens vero creatum operari potest vbi non est: nam quamuis oporteat, vt sit immediatum alicui passo sibi proximo, in quod agat, in id tamen non semper agit eadem potentia, vel actione eiusdem rationis cum ea, qua agit in remotum, vt multis experimentis constat: nam torpedo manum piscatoris tremulam, ac torpentem reddit, rete vero, aut calamum nõ item: cœlum gignit venas auri, atque argenti in visceribus terræ, non in aëre intermedio: quare, cùm accidens à sole immediate productum per corpora interposita substantiam nequeat generare, ageret enim supra propriam virtutem: nam substantia non continetur virtute nisi in substantia ipsa, & ita forma substantialis cœli est virtus generatiua mistorum, qua cœlum agit indistans non agendo simul per eandem in propinquum, licet in hoc simul agat per virtutem aliam distinctam. Hæc vero necessitas agendi simul in proximũ per aliam vim, quando per formã substantialem agitur in remotum, prouenit, inquit, vel ex concursu duarum facultatum actiuarum, quarum alteri est proportionatum passum remotum, alteri vero proximum: vel ex defectu virtutis actiuæ ipsius agentis, quod prius agit secundum formam imperfectiorem, posterius secundũ perfectiorem, sicut accidit in generatione substantiali, prius enim disponitur materia per formas accidentarias: deinde vero introducitur forma substantialis. Quod si hæ duæ conditiones tollantur, nihil erit impedimento, quo minus agens operari possit indistans nõ agendo in propinquum: in Deo autem propter perfectionem omnipotentiæ suæ vtraque abest: nõ minus enim proportionatũ est illi passum remotum, quã proximum, & absque præuia alteratione potest integrã producere substantiam, ita vt productio ipsa substantialis sit prior saltem natura quauis alia actione terminata ad accidentia, quibus deinceps fouebitur forma in materia. Alio exemplo idem fundamentum corroborat Ocham. vbi supra facta hypothesi possibili, nempè quod radius solis per foramen aliquod penetret in domũ vndique clausam, & terminetur ad parietem, aut aliud corpus opacum. Hoc posito sic arguit aut lumen productum in illo corpore opaco est immediate à sole, aut à lumine sibi propinquo, non ab hoc: ergo à sole. Assumptionem ostẽdit, quoniam omne principium actiuum æque approximatum diuersis passiuis ex æquo dispositis, & capacibus formæ imprimendæ, & non existente vllo impedimẽto, habebit æquales effectus in illis: sed lumen illud est ex æquo proximum corpori opaco, in quod producitur lux, & alteri corpori inter quod, & solem est aliud corpus opacum, & vtrunque est æque dispositum, & tamen in hoc aliud nõ producitur lux: ergo lumen illud propinquum non est agens productiuum lucis in parietem directo oppositum foramini, sed sol ipse.

Ad hoc argumentum patet solutio ex proximis capitibus, vbi ostẽdi causam operantem debere esse immediatã passo per se, vel propriam virtutẽ: & ideò negãdum est fundamentũ Scoti, ac dicendum nullã causam distantẽ ab effectu producere illũ immediate per se, sed per virtutẽ à se missam. Ad particulares vero instantias, quæ proponuntur respondeo torpedinem, licet nõ reddat tremulam lineam, vel arundinem, sed manũ piscatoris, aliquid tamen per illa transmittere ad manum, quod sit causa tremoris illius, nõ autem lineæ, vel arundinis: nõ est enim nouum in Philosophia, vt eadẽ omnino causa propter diuersas dispositiones subiectorum, antipathiam, vel sympathiam habeat aliquẽ effectum in vno, & nõ in alio: vt patet ex solis luce, quæ lutũ exsiccat, ceram liquefacit, & propter diuersas dispositiones terræ, alibi spinas, alibi flores procreat; ita qualitas occulta à torpedine ad manum transmissa habet vim mouendi manũ, nõ arundinem. Ad instantiam petitam à sole respondeo ipsum nõ producere immediate aurũ in venis terræ, sed mediante luce, & alijs qualitatibus, quibus terra disponitur ad formam auri. Ad huius vero impugnationẽ respondeo formã substãtialem nõ contineri virtute in accidẽtali, quasi in causa principali, contineri tamen tanquam in instrumento agentis principalis: non repugnat enim, vt instrumentũ sit minus nobile, quam effectus, vt est doctrina D. Thomæ, in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæstiuncula 1. ad 3. & communis. Ex eodẽ principio respondetur ad argumentum Ochami sumptũ à sole producẽte lucem, dicẽdo lumen in medio diffusum nõ esse prẽcipuam, sed

II.

S. Thom.

Ocham.

sed instrumentariam causam lucis, quæ recipitur in loco opaco per lineam rectam opposito, solem vero ipsum esse præcipuam, & ideò cum inter eum, & alia loca sit obstaculum corporis opaci intermedij non produci in ijs lumen.

III. Contra hanc solutionem obijcit Ochamus. Nam, vel ideò lumen intermedium nequit in alia vicina loca lucem diffundere, quia non potest esse nisi à sole conseruante, vel quia non potest agere nisi sole aliquam virtutem ipsi immittente, aut denique sole ipso coagente: non propter primum, quoniam, quæ ita pendent à principali causa ex æquo agunt in subiecta sibi æque approximata, atque disposita, vt luna cuius lux pendet à sole in conseruari, & tamen ex æquo diffundit radios in omnes partes: & item ignis conseruatus virtute alterius maioris, æqualiter agit in subiecta æque proxima, ac disposita: non potest dari secundum: nam, idem argumentum fieri potest de illa virtute: nam si detur, erit principium actiuum naturale, & consequenter aget ex æquo in omnem partem, si vero detur tertium, habetur intētum: nam, eo posito sol immediate causat lumen in loco, vel subiecto distante, quamuis simul agat aliud, quod sit in distans à passo.

IV. Pro solutione obseruandum est non repugnare, vt causæ instrumentariæ eiusdem speciei propter subordinationē ad diuersa agentia principalia causent effectus non solum numero, sed etiam specie differentes, vt videre est in călore naturali indito diuersis seminibus: nam, vt habet probabilis sententia est eiusdem speciei cum elementari, & tamen propter diuersam subordinationem ad viuentia, ex quibus semina deducuntur, in his disponit aliter materiam, atque in alijs: & reddit aptam formis specie distinctis. Præterea impulsus, quo corpora grauia mouentur violenter, est eiusdem speciei, cùm procedat ab eadem virtute motrice hominis: & tamen, si mobile dirigitur in vnam partem, nequit ab eo impulsu cieri in aliam: si quis autem, quando lapis perfecte sphæricus sursum proiectus est, in medio motu roget cur impulsus, qui æquè distans est à parte aëris ambientis, potius inclinet in hanc partem, quam in aliam, non potest reddi alia ratio, quam quia est instrumentum motoris, qui imprimendo ipsum ita modificauit, vt nonnisi illo impelleret lapidem, quo à motore dirigitur. Eodem modo lumen diffusum per aërem procedit à sole per lineam directam, & vt sic productus nō habet vim instrumentariam producendi lumen, aliter quam indirectum, vel per reflexionem ad corpus opacum tersum, ex quo rursum per lineam rectam diffunditur in alias partes. Hoc posito respondetur ad impugnationem solutionis assignatæ causam, cur lumen à sole diffusum in corpus rarum, & transparens non possit producere lumen in omnem differentiam loci, cui vicinus est, non esse vllam ex illis tribus, vt ex adductis impugnationibus patet, quamuis si secunda recte intelligatur, adaptari commode possit, nō tamen vt præcisè ponitur: non enim ideò lumen ita agit, quia accipit à sole virtutē agēdi à se distinctam: sed quia ipse est virtus solis ita modificata, vt ex modo dependentiæ ipsius à sole in essendo, & operando non possit aliter, quam indirectum lumen illud diffundere. Contra quem dicendi modum non procedit impugnatio: nam modificatio ipsa non est principium actiuum naturale, vt proinde debeat esse principium agendi in omnem differentiam loci, sed est modus luminis, ex quo habet, vt nonnisi in directum possit agere.

V. Argumentatur secundo Scotus, quoniam omnipotentia diuina non distinguitur à voluntate: quemadmodum igitur de ratione voluntatis non est, vt habeat præsens obiectum, circa quod operatur, ita neque de ratione omnipotentiæ erit vt sit præsens passo, in quod agere debet, siquidem velle Dei est operari. Ad hoc argumentum Scoti respondetur inprimis, si loquamur de voluntate diuina, qua diuina est, repugnare illi, vt velit obiectum absens, quoniam ex eo, quod diuina est, ratione immensitatis est omnibus præsens, sed solum hoc illi non repugnat sub ratione communi voluntatis: omnipotentiæ vero repugnat, & qua est diuina, & qua est vis operatiua: quando vero in eandem rem cōueniunt duæ rationes formales distinctæ secundum rationem talis naturæ, vt vni repugnet vnum prædicatum, alteri vero non: quoniam est indifferens ad illud, & ad eius negationem, in singulari vtrique debet repugnare idem prædicatum, alteri quidem formaliter, alteri vero materialiter ratione identitatis, vt se res habet in voluntate, & omnipotentia diuina. Respondetur secundo ex identitate reali non recte colligi conuenire eadem prædicata ijs, quæ ratione distinguuntur. Nam etiam intellectus diuinus, & voluntas sunt idem realiter, & tamen intellectus, vt intelligat supponit formam intelligibilem, qua nostro modo intelligendi sit in actu primo ad intelligendum, & intelligit actu omne intelligibile:

bile: voluntas vero minimè supponit in se ipsa formam, qua sit in actu primo, neque vult quidquid potest velle. Quamuis autem voluntas, & potentia sint idem realiter, differunt tamen secundum rationem, vt ostendam 2. p. lib. 2. tract. de omnipotentia Dei, & ideò nihil mirum, si de ratione voluntatis, qua voluntas est, non sit, vt solum feratur in obiectum præsens, sit autem de ratione omnipotentiæ, vt nonnisi in præsens per se, vel virtutem suam operetur.

VI. Obijcit deinde Scotus, & aliqui recentiores, quoniam Deus antequam mundum conderet, nulli rei, aut loco præsens erat: etenim prius res extitêre, quam inter ipsas, ac Deum intercederet indistantia, siue contactus, ac præsentia secundum locum: ergo operatio Dei creantis non supponit præsentiam ipsius ad rem creatam, imò præsentia supponit creationem. Eademque ratio militat in conseruatione, quæ est prior natura, quam res conseruata, & proinde concipi potest procedere, à Deo non præsente: semper enim præsentia supponit vtrunque extremum, inter quæ exercetur, sub esse existentiæ, & indistantia situali. Et idcirco concludunt Deum non contineri sub illo principio vniuersali, omne agens debet esse immediatum passo.

VII. Hoc argumentum facilè soluitur ex dictis cap. præcedenti. Nam, quod attinet ad creationem, rectè concludit præsentiam actualem non prærequiri inter Deum, & creaturam, quæ nondum est: quod nō tollit, quo minus necessaria sit potentialis, quę posito termino creationis transit in actualem: & ideò ex creatione etiam colligitur præsentia actualis Dei ad creaturas simul tempore, sed posterius natura, quā creaturæ ipsæ existant. Quod vero attinet ad conseruationem, ex eodem cap. constat, sicut existentia rei conseruatæ est prius ipsa conseruatione, itaque quoque priorem esse præsentiam Dei cum eadem re. Et quamuis esse posterior natura, tamen est simul duratione, ita vt impossibile sit rem conseruari ab agente prorsus distante: Et propterea ex ipsa quoque cōseruatione colligitur immediata præsentia Dei cum rebꝰ omnibus, ac locis; quemadmodum in annulo, & figura ab ipso impressa non obstante prioritate causalitatis, recte ex impressione actuali colligitur præsentia annuli ad figurā: prius siquidem est imprimi annulum ceræ, & ex eius impressione resultare figuram, quā annulum esse præsentem figuræ: & nihilominus si quis ex actuali impressione colligat annulum esse indistantem à figura, rectè concludet: similiter quamuis prius natura sit Deum producere effectum, quam esse ab illo indistantem actu, tamen simul tempore, ac necessario illi præsens est.

VIII. Denique aliqui recentiores contendunt saltem ex operatione non colligi intimam præsentiam Dei cum rebus omnibus: quoniam, licet Deus contineretur sub communi ratione causæ, vt debeat esse proximus effectui, sat esset, vt sit præsens extrinsecè quoad extimam superficiem, vt sunt causæ naturales. Huius argumenti solutio patet ex dictis cap. 5. vbi ostensum est ex operatione diuina colligi intimā eius prę̃sentiam ad res. Nunc vero breuiter respondetur, cur satis sit causas creatas esse extrinsecè præsentes effectis, vel subiectis, in quæ agunt, sit vero opus Deum esse intime præsentem omnibus causam esse quoniam illæ transmittunt in partes proximas vim actiuam, qua mediante agunt in remotas: at vero nihil est producibile à Deo, quod ipsi possit esse totum principium operandi, aut supplere vniuersalem eius concursum. Et ita, si Deus fingeretur esse solum extrinsecè præsens corpori, nequaquam posset efficere aliquid in interioribus partibus illius, imò neque illas conseruare: quoniam secundum propriam substantiam abesset ab ijs, neque adesset secundum vllam virtutem, quoniam partes proximæ nō sunt virtutes Dei operatrices, per quas, vt per instrumenta exerat Deus suum concursum in remotas: quare, si in ipsis operetur, necessario erit intime præsens.

Deus est rebus formaliter præsens, per relationem rationis.

Caput VIII.

I. EX dictis constat Deum esse præsentem rebus omnibus, ac locis. Superest explicandum, in quonam consistat hæc præsentia: vtrumne sit ratio aliqua positiua simultatis inter Deum, & creaturas, quibus coexistit, an vero sola negatio. Nō esse rationem positiuam, sed negatiuam existimat Aureol. in 1. d. 37. q. vn. art. 1. Vt vero hoc explicet, propositione 5. supponit varias proprietates locati in ordine ad locum: Prima est contactus vtriusque. Secunda simultas, quæ non est aliud, quā vnitas in situ: ex his oritur præsentialitas, siue coexistentia locati cum loco. Tertia est, vt locatum circunscribatur loco: alia vt figuretur secundum figurā ipsius: alia, vt in eo cōseruetur: vltima tandem, vt non distet à loco. Non

Aureol.

distantia vero à loco: alia coniungitur cum ratione positiua oppositæ distantiæ, hoc est cum relatione propinquitatis: qua ratione corpora nō distant à loco, quia ipsum contingunt: atque adeò ab eo non distant: Alia vero datur negatio distantiæ, quæ nō coniungitur cum ratione positiua propinquitatis; & quæ ita non distant, non sunt propinqua, nec remota, sed abstrahunt ab vtraque relatione, scilicet propinquitatis, atque distantiæ, quia abstrahunt à situ, in quo illæ fundantur. Ex omnibus autem loci proprietatibus solam indistantiam hoc secundo modo sumptam ait conuenire Deo, & ratione eius dici esse in rebus omnibus. Quod enim Deus non contingat locum, aut habeat cum illo simultatem situs, siue contactus, item quod non circunscribatur, & figuretur loco per se patet. Quod vero etiam non distet fides docet. *Non procul enim est ab vnoquoque nostrum:* Actor. 17. Et ex hac indistantia habet, vt non sit extra mundum, aut quamuis eius partem: Non tamen propterea habet positiuam rationem propinquitatis, aut simultatis, sed abstrahit ab illis, & ab oppositis, hoc est à relatione distantiæ, & elongationis: Et idcirco Deum esse vbique non dicit formaliter Deum nō esse intra res, aut non coexistere, aut non esse illis propinquum, hoc enim modo tolleretur omnis conditio locati ad locum; & non remaneret etiam indistantia, atque adeò Deus nō posset dici esse in loco. Cùm vero ait Deum, cùm dicitur esse vbique, abstrahere à relatione distantiæ, & propinquitatis, non ita intelligit, quasi æqualiter se habeat ad negationem vtriusque, sed quia concernit, ac determinat negationem distantiæ, quæ negatio est quædam præsentialitas, intimitas, vel simultas, non tamen positiua.

Actor. 17.

II. Probat vero illa prope per hanc indistantiam dici Deum esse vbique auctoritate Patrum: nam Augustin. lib. 83. quæstionum, quæst. 20. ait, *Deum non alicubi esse, & tamen quia est, & in loco non est, in ipso sunt potius omnia, quam ipse alicubi.* Similiter D. Hilarius lib. 8. de Trinitat. circa medium ait, *Deum esse viuam potestatem, quæ nusquam non adsit, nec desit vsquam, vt vbiq; esse credatur, vt in omnibus non desit.* Et idem Augustin. super Ioan. *Deum nusquam deesse.* Quibus loquendi modis satis indicant Deum esse vbique nō importare vllam habitudinem positiuam, sed solam negationem distantiæ. Propositione vero prima probat rationibus non dari rationem positiuam præsentiæ, siue simultatis. Prima est, quoniam non potest concipi simultas inter aliqua, quin concipiatur aliquod fundamentum, in quo sint simul, vt se habent ea, quę sunt simul in aliquo situ, vel spatio: at vero entitas diuina, & creata non sunt simul in aliquo tertio: quare inter Deum, & creaturas non datur relatio simultatis, quæ sit præsentia. Assumptio constat, quoniam Deus abstrahit ab omni situ, vel loco, & proinde nequit esse simul cum creaturis secundum situm, vel locum. Secundo concipi nequit res aliqua existens simul cum alia, nisi quatenus intelligitur ibi esse, vbi est alia: sed esse hîc, vel ibi nō conuenit nisi ijs, quę sunt subiectum situs, & vbi: ergo simultas, vel præsentialitas Deo non competit, qui est omnino incapax situs. Tertio aut hæc relatio simultatis fundatur super res ipsas secundum se sumptas, hoc est quatenus res quædā sunt, aut quatenus situatæ sunt: primo modo fundari nequit simultas præsentiæ: secundo vero non conuenit Deo: quare Deus nequit esse simul cum creaturis absque loco, vel situ, in quo simul sint. Assumptio probatur quoad priorem partem: nam simultas eo modo sumpta solum facit esse simul in hoc, quod sint res: hoc vero nō sufficit, vt dicantur esse simul, ac præsentes inuicem: nam talis simultas est etiam inter ea, quę loco maximè distant, quę enim sunt in oriente, & occidente, sunt simul in hoc, vt sint res, nec tamen sunt mutuo præsentia: ergo modus ille non sufficit ad simultatem præsentiæ. Probatur deinde eadem assumptio quoad alterā partem, quoniam relatio simultatis fundata in rebus, quatenus situatæ sunt, facit, vel supponit illas esse situatas, nō enim fundatur simultas in aliquo, in quantum album, nisi ad aliud etiam album: Deus autem non est situatus, alioquin seipso situaretur, ac locaretur: ergo modus simultatis fundatus in rebus, quatenus situatæ sunt, non conuenit Deo. Quarto id, quod in sua realitate caret omni termino, intra quem sit, & extra quē nihil de eo sit, nec aliter concipitur, quam sub ratione mere quidditatiua, necessariò abstrahit ab omni simultate ad aliquod situatum: Deus vero ita abstrahit: quare abstrahit etiam à simultate, & coexistentia cùm rebus alijs. Assumptio ostenditur: nam, si Deus ita nō abstraheret, esset determinatus ad aliquem situm, & conciperetur intra, & non extra rem aliquam, aut vice versa.

Augustinus.

Hilarius.

Augustinus.

III. Hæc sententia Aureoli continet quædam vera, & communia inter alios Doctores, quędam vero singularia, & minus probabilia. Nam repugnare Deo proprietates locati, quę sonant imperfectionem, qualis est contactus, circunscriptio, figuratio, &

conseruatio passiua à loco, Deum item in distantem esse à loco verissimum est, & cómune inter Doctores: Dici vero Deum esse in loco per indistantiã præcisè sumptã, nec habere vllã rationẽ præsentialitatis saltem relatiuam, in quo Aureolus à reliquis differt, vt ipsemet fatetur, minus probabile est. Pro quo obseruandũ est præsentiam aut sumi solum pro pura relatione simultatis, aut pro habitudine locati, siue existentis in loco ad locum: si priore modo sumatur, ex æquo conuenit loco & locato, vt constat ex dictis. Nam, quando fundamentum proximum conuenit ex æquo duobus extremis, ipsa quoque relatio ex æquo conuenit, indistantia vero, quę est fundamentum præsentiæ, ex æquo cõuenit loco, & locato: ergo etiam præsentia. Si verò sumatur posteriore modo, nequaquã: aliquid enim concernit præsentia locati ad locum, quod non concernit præsentia loci ad locatum, vt infra dicam. Ex quo prouenit, vt locatũ dicatur esse in loco, locus vero in locato nequaquam. Et sicut habitudo est diuersa, fundamentum quoque debet esse diuersum. Et quidẽ fundamentum puræ præsentiæ, & simultatis, quę abstrahit à modo existendi in alio, est indistantia cõnotans entitatem rei indistantis. Ea vero solum non est fundamentum proximũ præsentiæ localis, siquidem indistantia conuenit tam loco, quã locato: ergo ipsa sola non est proximum fundamentũ præsentiæ localis, quæ solum conuenit locato, nõ autẽ loco: sed hac de re infra dicam. Nunc solum est controuersia de præsentia priore modo sumpta, vtrum verè competat Deo, an autem dicatur præsens solum per indistantiam negatiuam.

IV. Dico primum. Sola indistantia non sufficit, vt Deus dicatur formaliter præsens locis, ac rebꝰ creatis. Hæc assertio est de mente Doctorum quos referam pro sequente assertione. Probat vero Mayron. in 1. d. 37. q. 1. art. 1. conclusione 2. quoniam ipsum nihil, vniuersale, & ens in potentia obiectiua verè habent negationem distantiæ à loco, nec tamen dicuntur esse in loco: quare pura hæc negatio, non est præcisa ratio formalis essendi vbique. Hęc tamen impugnatio non habet vim: nam indistantia, quamuis formaliter significet negationem, constat tamen subiectum reale actu, & per se existens: quod non competit vlli ex illis, quæ in argumento adducuntur. Arguit deinde, quoniam omnis ratio negatiua resoluitur in affirmatiuam: indistantia est ratio negatiua: ergo debet resolui in affirmatiuam: quæ non potest esse alia, quam præsentialitas positiua, siue Deum esse alicubi. Hæc etiam ratio nõ conuincit: nam, quamuis negatio omnis fundetur in aliqua affirmatione, non tamen opus est, vt sit aliqua ratio positiua distincta à fundamento, in quam resoluatur: vt patet in vnitate, quæ fundatur in ratione entis, nec tamen habet aliam rationem positiuam, in quam resoluatur, sed sufficienter resoluitur vnum cum dicitur ens indiuisum: ita negatio distantiæ supponit ens, quod est indistans, & hoc modo sufficienter resoluitur præsentia negatiua, cùm dicitur præsens est ens indistans.

Mayron.

Omissis ergo his rationibus obseruandum est, quando negatio aliqua est fundamentum relationis inter duo extrema, nõ posse ostendi dari relationẽ positiuam adducendo aliqua duo, quibus competat negatio, & quæ non denominentur à relatione: nam, si fundamentum conuenit, etiam relatio conueniet: vt si quis exempli causa dicat homines non dici similes formaliter à relatione similitudinis, sed ab vnitate secundum qualitatem, impugnari nequit adductis duobus habentibus vnitatem secundum qualitatem, quæ tamen non sunt similia: hoc enim impossibile est. Ita, cùm indistantia sit fundamentũ relationis præsentiæ, ostendi nequit aliquid, quod sit indistans, & non dicatur præsens. Ostenditur ergo à simili in hunc modum, sola indistantia non denominat res creatas sibi inuicem præsentes formaliter, sed materialiter tantum, & fundamentaliter: ergo eodem modo denominabit Deum, & creaturas. Responderi tamen potest esse disparem rationem, quoniam creaturæ ad inuicem comparatur aliter, atque cum Deo: & ideò non sequi, vt si illæ inter se sunt præsentes formaliter relatione præsentialitatis, eodem modo sit Deus illis præsens. Huius responsionis impugnatio, & plena huius assertionis probatio pendet ex secunda assertione, & eius probatione. V.

Dico secundum. Deus est positiuè præsens rebus per relationem simultatis, qua terminat relationem præsentialitatis creaturæ ad ipsum. Hanc asserit Alensis 1. p. q. 9. m. 3. ad vlt. & m. 4. S. Thom. in 1. d. 37. q. 2. art. 3. Capreol. q. vn. art. 2. post solutionem argumentorum, Aureoli contra primam conclusionem. Hispalens. quæst. etiam vn. art. 4. ad argumenta Aureoli contra primam conclusionem. Soncin. q. 2. conclusione 4. Caietan. 1. p. quæst. 8. art. 1. §. *Ad hoc dicitur.* & Ferrarien. lib. 3. contra Gentes cap. 68. in fine. Probatur primo: quoniam, quando inter Deum, & creaturas est fundamentum proportiona- VI.

Alensis. *S. Thom.* *Capreol.* *Hispalens.* *Soncinas.* *Caietanus.* *Ferrarien.*

liter simile ei, ratione cuius creaturæ fundant relationem ad inuicem, etiam Deus vendicat habitudinem aliquam rationis, vt patet discurrendo per singula: nam, sicut quia substantia, & accidens cóueniunt analogicè in ratione entis, habent relationem quandam identitatis analogicæ: quia vero diuiduntur prędicamento, habent relationem diuersitatis secundum genus, ita Deus, quia conuenit cum homine in ratione entis, denominatur à relatione identitatis analogicæ, & quia non pertinet ad prædicamentum, dicitur esse diuersus genere ab homine, & sic in cæteris. At vero in creatis illa, quæ habent negationem indistantiæ vnius ab altero, fundant mutuam relationem præsentiæ, vt per se patet: ergo, si Deo in ordine ad creaturas competit negatio distantiæ, competit etiam relatio præsentiæ. Et confirmatur quoniam vel eiusmodi negatio est sufficiens fundamentum huius habitudinis, vel non: si est, competet etiam Deo formalis habitudo, siue præsentia positiua: si non est sufficiens, non erit satis, vt Deus denominetur præsens: nam à fundamento inadæquato relationis non potest sumi denominatio ipsius. Secundo relatio præsentiæ non includit ex propria ratione aliquid imperfectionis repugnans Deo: ergo de facto competit. Patet consequentia, quoniam Deo non repugnat referri ad creaturas per relationem rationis: & habet fundamentum aliqua ex parte simile illi, ratione cuius res creatæ dicuntur sibi inuicem præsentes: quare si ex propria ratione prędentiæ, non importatur aliqua imperfectio, non potest non conuenire Deo. Antecedens constabit ex solutionibus argumentorum.

VII. Testimonia Patrum non cogunt. Inprimis autem in verbis D. Augustini non video quid sit pro sententia Aureoli: August. enim eo loco solum ait Deum nullibi esse, & nõ esse in loco. Ex hoc vero solum colligitur Deum non esse in loco propriè dicto cum proprietatibus, puæ inuoluunt imperfectionem, vt loquuntur alij Patres, vt dicam cap. 15. id vero, quod subdit, nempè omnia potius esse in ipso, quam ipsum alicubi, propterea dictum est, quia creaturæ præter indistantiam habent quandam proprietatem locati, quod conseruatur à loco, vt illæ conseruantur à Deo. Ex quibus non potest colligi Augustinum negare præsentiam positiuam, aut agnoscere solam indistantiam negatiuam. D. etiam Hilar. & si qui alij Patres eodem modo loquuntur, non faciunt pro Aureolo, quia non asserunt Deum non esse positiuè præsentem rebus, sed explicant per negationem positiuum modũ præsentiæ: res enim occultas, quas in se ipsis non possumus apprehendere, per negationes explicamus, quod magis vsurpatum est in relatiuis, quæ per fundamenta solent explicari: quomodo Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 15. t. 20. relationem identitatis, æqualitatis, ac similitudinis explicat per vnitatem, quæ est negatio: & ideò cum ait similia esse ea, quæ sunt vnum in qualitate, nõ significat similitudinem esse puram negationem diuisionis secundum qualitatem, aut non esse ens positiuum ad aliquid. Eodem modo cum August. Hilar. aut alij Patres dicunt Deum nusquam deesse, &c. Explicant relationem præsentiæ per indistantiam, quæ est fundamentum ipsius, & proinde non negant præsentiam positiuam. Aristot.

VIII. Ad primum neganda est maior simpliciter: nam extrema loci, & corporis locati sunt simul, quoniam sunt contigua, quorum extrema sunt simul, vt ait Philosophus lib. 5. Physic. t. 22. & tamen non est aliquid tertium in quo sint simul. Ibi enim non est situs, locus, aut spatium reale distinctum à loco, vel locato: si vero Aureolus obijciat esse spatium imaginarium, nihil probat: hoc enim nihil est, & ideò non verè dicentur res esse simul respectu ipsius. Quod si verè sufficit ad hoc, etiam Deus, & creaturæ possunt dici esse simul respectu eius, siquidem adsunt eidem spatio imaginario: si quis autem velit concedere maiorem, adhuc potest negare assumptionem, dicendo Deum, & creaturas esse simul contactu virtuali, sicut duo corpora sunt simul tactu quantitatiuo. Hanc solutionem indicat Capreolus vbi supra ad primum Aureoli: tactum vero hunc ait consistere in operatione diuina consequenter ad opinionem, quam sequitur, nempè quod operatio sit Deo fundamentum præsentiæ. Ego vero iuxta sententiam, quam tueor, nempè quod ipsa immensitas diuina, quæ est quantitas virtualis Dei, sit fundamentum præsentiæ, vt est quantitas creata corpori, contactum statuo in ipsa indistantia substantiæ diuinæ à creata, sicut etiam contactus duarum quantitatum, non est aliud, quam existentia vtriusque immediata inuicem secundum indistantiam. Ad secundum distinguenda est assumptio, si enim esse hic, vel ibi intelligatur de loco propriè sumpto, concedenda: sed in hoc sensu maior est falsa, possunt enim aliqua esse simul, quin vnum sit propriè in loco, vbi est aliud: si vero as- Aristot. Capreol.

sumptio

sumptio intelligatur de loco impropriè sumpto, neganda est: vnde argumentum nihil cõcludit. Ad tertium negat Capreol. maiorem, & merito, quoniam deest aliquod membrum: possunt enim res esse simul, quatenus se tangunt, quem tactum ipse intelligit operationem, ego vero indistantiam iam explicatam. Ad quartum neganda est assumptio quoad eam partem, quæ asserit Deum non posse aliter concipi, quã sub ratione quidditatiua, potest enim intelligi, vt accidentaliter præsens locis, ac rebus creatis. Ad cuius impugnationem respondetur ex hac conceptione minimè sequi Deum esse determinatum ad locum, extra quem non sit: ex eo enim, quod anima concipiatur prẹsens capiti minimè sequitur non esse prẹsentem cordi: eodem modo, etiamsi Deus concipiatur præsens cœlo, potest esse extra illud in infinitis rebus, ac locis.

Capreol.

Fundamentum remotum præsentiæ Dei ad omnes res est quantitas, ipsius virtualis ab essentia, & alijs perfectionibus virtute distincta.

Caput IX.

I. CVm diuina ex creatis agnoscamus ex mutua præsentia corporum inter se, & fundamento ipsius indagare debemus fundamentũ præsentiæ Dei ad omnes res. In rebus autem corporeis duplex est fundamentum præsentiæ: alterum remotum, quod potest ab hac, vel illa prẹsentia separari: alterum proximum, quod necessario coniungitur cum certa, ac determinata prẹsentia. Remotum est quantitas: per hanc enim est corpus aptum commensurari loco, vel cuiuis alteri rei corporeæ: & quia quoduis corpus quantum est mobile, & separabile ab altero, cùm quantitate non necessario cohæret prẹsentia cum alio corpore determinato. Ex quo patet præcisam rationem quantitatis nõ esse proximum fundamentum prẹsentiæ, quoniam in variata quantitate potest per motum localem prẹsentia variari. Est autem proximum fundamentum præsentiæ contactus quantitatiuus, quo duorũ corporum extrema sunt simul: nam, si se tangunt, absque dubio sibi mutuo prẹsentia sunt, ac vice versa. Itaque in corporibus fundamentũ remotum præsentiæ est quantitas, proximum contactus. In Deo autem, qui propriæ quantitatis, & contactus expers est, fundamentum præsentiæ erit quantitas virtualis, & contactus metaphoricus. Sed quænam sit hæc quantitas, & contactus, controuersia est inter auctores: dicam ergo prius de quantitate, deinde de contactu.

II. Vt vero incipiam à quantitate, obseruandum est quantitatem metaphoricam non vno solum modo dici. Nam, cùm quantitas corporea sit mensura substantiæ, secundum quam fit comparatio penes maius, aut minus, quidquid aliquo modo subit hanc comparationem, habet rationẽ metaphoricam quantitatis: ex quo prouenit, vt perfectio ipsa essentialis substantiæ, intensio qualitatis, extensio potentiæ, & alia id genus dicantur quantitates virtuales. Verum quantitas metaphorica in hac acceptione latissimè patet, nec facit ad institutum: nam etiamsi per impossibile daretur qualitas infinitæ intensionis, aut potentia infinitæ extensionis in genere potentiæ, si nihil amplius haberet, nõ proinde esset prẹsens omnibus rebus: videmus enim qualitates magis intensas in minore quantitate, quam remissas, nec tamen proinde coexistere pluribus rebus, ac locis. Concipienda vero est ad præsens institutum quantitas metaphorica, quatenus est perfectio magis similis, & proportionata propriæ: nam, sicut hęc pro sua magnitudine constituit substantiam in ea dispositione, vt possit commensurari tanto loco, ita perfectio illa, quæ substantiam carentem propria quãtitate eo modo afficit, vt possit rebus alijs, & locis coexistere, dicitur quantitas virtualis: vt enim docet Auicenna in sua sufficientia relatus ab Ægidio in 1. d. 37. 2. p. primæ partis principalis q. 1. nulla res dicitur esse in loco, nisi propter quantitatem, vel magnitudinem suam. Et de hac respectu Dei videtur locutus Athanas. contra Gregales Sabellij: nam probare volens Deum non contineri loco, *Ne inquiras*, inquit, *magnitudinem loci tam spatiosam, quæ capere possit Dei magnitudinem: non enim id, quod mensurabile est, in mensurato contineri poterit:* Quibus verbis agnoscit in Deo magnitudinem, quæ sit ipsi ratio existẽdi in loco. De hac similiter loqui videtur Dion. c. 9. de diuin. nom. vbi sic ait: *Magnus quidem appellatur Deus iuxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suimet consortium tradit: & extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & supra expanditur, omnem continens locum, omnem transcendens numerum, omnem transiliens infinitatem:* nam ex magnitudine solius intensionis, aut perfectionis essentialis non habet Deus, vt supra omnem magnitudinẽ corpoream fundatur, omnemque contineat locum, sed

Auicenna. *Ægid.* *Athanasius.* *Magn. Dion.*

solum ex magnitudine, qua eminenter æquipollet magnitudini corporeæ: Eiusdem magnitudinis meminit Ambrosius lib. 2. in Luc. super id cap. 1. *Hic erit magnus: Benè*, inquiens, *magnus, late enim funditur Dei virtus, late cœlestis substãtiæ magnitudo porrigitur.* Et Chrysost. in id Psalm. 9. *Psallite Domino, qui habitat in Sion,* dicens Deum loco nõ circuncludi, *est enim infinita eius magnitudo:* Isidorus lib. 1. sentent. de sum. bono cap. 2. §. 3. Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 23. Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. & auctor lib. de speculo, cap. 22. apud Augustinum.

Ambrosius. *Chrysost.* *Isidorus.* *Rupertus.* *Alcuinus.* *Augustinus.*

III. Est vero inprimis dubium, vtrum hæc magnitudo virtualis distinguatur aliquo modo ab essentia diuina, & cæteris perfectionibus attributalibus. Pro parte negatiua videtur esse Aureol. in 1. d. 37. q. vnica art. 1. propos. 5. & art. 3. propos. 3. qui ait magnitudinem diuinam, siue immensitatem non esse aliud quam essentiam diuinam cum negatione distãtiæ à rebus: atque adeò non admittit rationem aliquam positiuam virtute distinctam ab essentia. Ille tamen eodẽ ferè modo Philosophatur de omnibus attributis, in quibus non agnoscit aliud prẽter essentiam cum negatione aliqua, vel cõnotatione extrinseca quam sententiam iam impugnaui tract. 6. c. 7. Id vero specialiter de immensitate suadetur primo, quoniam magnitudo metaphorica nõ distinguitur virtute à re, cuius est magnitudo, ita vt possit concipi vna ab altera prẽcisa per diuersos conceptus: magnitudo diuina nõ est propria, sed metaphorica, vt ꝑ se patet: ergo nõ distinguitur virtute ab essentia, cuius est magnitudo. Mai. propositio ostenditur, quoniã in omni re est aliqua magnitudo metaphorica, vt cum dicitur magna virtus, magna sapientia, vt enim ait Aug. lib. 6. de Trin. c. 8. in rebus, q̃ nõ mole magna sunt, id est maius, ꝙ est melius, nec tamẽ in virtute, aut sapientia est aliqua ratio magnitudinis, quæ præscindi ab illa possit, & huiusmodi magnitudinẽ esse idẽ re cum rebus ipsis, ait D. Thomas in 1. d. 17. q. 2. art. 1. ad 3. Secundo Angeli habent quoque suam magnitudinẽ metaphoricam, ratione cuius sunt in loco definitiuè: & tamen non datur in ipsis aliqua ratio positiua distincta à propria substãtia, per quã sint in loco: ergo neque Deus habebit vllã rationẽ positiuam distinctã à ꝓpria essentia, ratione cuius sit præsens loco. Consequentia est manifesta, quoniam substantia diuina secundum propriam rationem substantiæ non est minus perfecta, quam substantia Angelica: ergo, si hæc per se ipsam absque ratione alia formali superaddita, habet vim coexistendi loco, diuina quoque similiter habebit. Tertio, Actualis existentia in loco solum addit negationẽ distantiæ à loco, & relationẽ præsentiæ ad ipsum: ad hoc autẽ est sufficiens fundamentũ ipsa substantia illimitata absque vlla alia ratione positiua: ergo hæc est superflua, & proinde non est dãda. Assumptio probatur: nam si consideretur diuina substãtia cum sola illimitatione, & præscindãtur oẽs aliæ rationes positiuæ, eo ipso intelligitur apta, vt sit indistans à quouis loco, & præsens omnibus. Vltimo ita se habet æternitas ad coexistẽtiam Deitatis cũ tempore, vt immẽsitas ad coexistẽtiam ipsius cum loco, vt per se patet: æternitas autem vt constabit tract. 10. cap. 5. nõ addit rationem formalem positiuam supra existẽtiam diuinam: ergo neque immẽsitas addet supra substãtiam. Cõsequentia ostenditur: nam, si sola existentia diuina sub certis negationibus, aut habitudinibus est apta coexistere, ac respondere tempori, etiam substantia diuina sub negatione finis, & mensuræ erit apta respondere omni loco.

Aureol. *Augustinus.* *S. Thom.*

IV. Rationes formales positiuæ quædam sunt absolutæ, & respondent perfectionibus creatis absolutis habentibus conceptus præcisos, vt se habet ratio formalis iustitiæ, sapientiæ, & similium: aliæ vero cõcipiuntur, vt modi aliarum, neque possunt omnino per intellectum ab illis præscindi, si intelligi debent in particulari: vt se habet intensio, remissio, magnitudo perfectionis, & similes aliæ: nemo enim potest apprehendere gradualem intensionẽ albedinis, quin albedinẽ ipsam concipiat, neque itẽ magnitudinem perfectionis essentialis cuiusuis naturæ, quin essentiam ipsius agnoscat: vt probat Scot. quodlibet. q. 6. art. 1. §. *Contra ista:* Nam circunscriptis ab homine omnibus alijs, quæ non sunt de eius ratione formali intrinseca, adhuc habet propriam magnitudinem perfectionis, siue finitatẽ in genere entium: & hæc magnitudo non est aliquid distinctum realiter à re, cuius est magnitudo, etiam in rebus creatis. Et quidem, si immensitas sumeretur prout recurrit cum infinitate, maximè quatenus est infinitas intensiua perfectionũ singularum, non videretur improbabilis sententia Scoti vbi supra asserentis illã esse idem cum essentia, quasi modum eius, non autem quasi perfectionẽ per se intelligibilem cum præcisione ab essentia. Verum immẽsitas aliter se habet: nã quæuis perfectio diuina, siue per modũ essentiæ; siue per modũ attributi cõsiderata concipi potest cũ præcisione ab immẽsitate: ex quo sequitur ipsam nõ esse modũ intrinsecũ rationi formali singularum,

Scot.

sed

sed apprehendi posse conceptu proprio à singulis præciso, sicut magnitudo, siue quantitas substantiæ concipi potest abstractiue ab eadem, vt concipitur à Mathematicis. Verum ex eo, quod non sit modus intrinsecus, & concipi possit præcisa ab alijs perfectionibus, adhuc non sequitur esse perfectionem positiuam virtute distinctam ab essentia: nam perfectiones, quæ important negationem, vt vnitas, simplicitas, & similes possunt concipi præcise ab alijs attributis: & nihilominus non important perfectionem positiuam virtute distinctam ab essentia.

V. Dicendum tamen est magnitudinem Dei virtualem, quam Theologi immensitatem appellant, quatenus est attributum, in quo fundatur præsentialitas in ordine ad omnem locum, & rem, esse rationem aliquam positiuam distinctam virtute ab essentia diuina. Ostenditur verò, quoniam omnis perfectio diuina, quæ æquipollet perfectioni creatæ re, & ratione distinctæ à cæteris omnibus perfectionibus creatis, distinguitur virtute ab alijs perfectionibus diuinis; potestque apprehendi præcisa ab eisdem, vt constat ex dictis tractat. 6. cap. 8. ita vero se habet immensitas: quare distinguitur virtute ab essentia. Assumptio indicatur ab Anselmo in Monologio cap. 21. vbi loquens de præsentia Dei ad tempus, ac locum, cùm dixisset Deum non esse proprie in tempore, aut loco, quia illis non circumscribitur, addit aduerbia temporis, ac loci, quodammodo de illo dici posse: *quoniam sic est præsens omnibus circumscriptis, ac mutabilibus, ac si circumscribatur eisdem locis*. Ex quibus planè colligitur habere æquipollenter, ac virtualiter quantitatem, quatenus præsens est loco extenso. Ostenditur verò ratione; quoniam essentia diuina considerata quatenus præcisè continet essentiam creatam, aut quamuis aliam perfectionem distinctam à magnitudine proprie dicta, non est repletiua loci, aut apta præsens esse rebus omnibus: ergo solum eam vim habet, quatenus eminenter continet quantitatem. Antecedens patet in primis quoad præcisam rationem essentiæ, quoniam hæc solum dicitur ad se, nec habet ordinem ad locum: ergo essentia diuina, quatenus eminenter continet rationem essentiæ, vel substantiæ creatæ, non habet rationem immensitatis. Antecedens ostenditur: quoniam, si ratio essentiæ, sub propria ratione diceret ordinem ad coexistendum præsentialiter rebus, vel locis, quo perfectior esset, diceret ordinem ad plures, res, vel maiorem locum. Hoc verò est falsum; nam perfectior est natura Hominis, quàm Elephanti, & natura formicæ, quam lapidis, & tamen & lapis formicam, & Elephantus excedit Hominem magnitudine, & ordine ad maiorem locum: & perfectior candor est in exigua margarita, quam in pede Equi, vt ait Auctor. 6. principiorum in cap. de susceptione magis, ac minus: ergò ratio præcisa essentiæ non importat fundamentum præsentiæ, aut vim repletiuam loci. Sequela maioris ostenditur, quoniam vt ait Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. in rebus, quæ non mole magnæ sunt, id est maius, quod est melius: at verò essentia sub præcisa ratione essentiæ, non est magna mole, sed virtute: ergò si præcisè sub ratione essentiæ est ratio existendi in loco, quo perfectior fuerit, eo erit maior in ordine ad locum. Idipsum ratione ostenditur, quoniam quo ratio aliqua perfectior est, eo perfectiora sunt ea, quę sunt idem omnino cum illa re, & ratione: si verò vis repletiua loci, & fundamentum præsentiæ non distinguitur ab essẽtia virtute, est idem cum illa re, & ratione: quare, quo maior fuerit essentia secundum esse, eo maior erit in ordine ad locum.

Gilbertus. *Augustin.* *Anselm.*

VI. Ad primum argumentum respondeo magnitudinem metaphoricam esse duplicem, alteram intensiuam, alteram extensiuam in ordine ad locum: & principium assumptũ, esto, sit verum de magnitudine metaphorica intensiua, non esse de extensiua: & proinde negandum in eo sensu. Ratio verò, quæ ad illud probandum adducitur, solum procedit de ijs, quæ habẽt magnitudinem intensiuam, vt patet in exemplis adductis: & de ijsdem quoq; loquitur Augustinus. Secundum argumẽtum tangit difficultaté de ratione formali, qua Angelus est locabilis, de qua est eadem ferè controuersia, quæ de Deo, & ideo argumentũ ab hac re sumptum non habet vim. Nam si quis dicat Angelum esse in loco per modum aliquem distinctũ ex natura rei à substantia ipsius, dicet etiam in diuina essentia requiri aliquid positiuum virtute distinctum, quod æquipollenter contineat non nó solum quantitatem, sed modum illum Angelicum. Si quis autem existimet Angelum esse in loco per propriam substantiam, absque alia ratione formali distincta ex natura rei, dicet substantiam Angeli habere rationem quantitatis virtualis, quatenus respondet spatio diuisibili loci: atque adeo sub ea ratione distingui virtute à se ipsa, quatenus præcisè concipitur vt essentia substantialis. Ad tertium ad-

missa interim maiore propositione, de qua est controuersia inferiùs explicanda, neganda est assumptio. Ad eius confirmationem respondetur, tametsi demus substantiam illimitatam esse rationem existendi in omni loco, tamen hanc ipsam illimitationem ad locum non fundari in substantia sub præcisa ratione substantiæ, sed sub ratione quantitatis, siue magnitudinis virtualis. Illimitatio enim circa aliquam perfectionem radicatur immediate in ipsa ratione formali perfectionis ipsius: Et ita illimitatio in genere perfectionis essentialis oritur immediate ex ratione essentiæ, qua essentia est: illimitatio quoad effectus producendos prouenit ex propria ratione omnipotentiæ diuinæ, qua potentia actiua est: eodemque modo illimitatio quoad locum nascitur ex essentia diuina, quatenus est quantitas virtualis in ordine ad locum. Vltimum aduersus eos, qui existimant durationem creatam distingui ex natura rei à subiecto durante, non habet vim: nam dicunt etiam æternitatem significare rationem positiuam virtute distinctam ab existentia diuina, & non solam existentiam sub aliqua negatione, vel habitudine. Apud eos autem, qui oppositum sentiunt, plus ponderis habet: negabunt tamen consequentiam, & reddent rationem discriminis: Ea verò est quoniam in rebus creatis ipsamet existentia sub illis negationibus, aut habitudinibus apprehensa absque alia ratione positiua superaddita habet rationem durationis: nec est vlla duratio creata intrinseca subiecto, quæ ab illius existentia distinguatur à parte rei, siquidem ipsum quoque tempus est prorsus idem ex natura rei cum motu primi mobilis; qua de re dicam tractatu decimo huius libri: & ideo, cum distinctio virtualis in diuinis colligatur ex continentia virtuali, & æquipollentia perfectionum creatarum suapte natura distinctarum, non est vnde sumatur distinctio virtualis æternitatis ab essentia diuina.

At verò magnitudo formalis, & propria, ratione cuius corpora sunt in loco, est ratio formalis positiua distincta ex natura rei à substantia: & ideo essentia diuina, vt comparatur ad locum sub ratione immensitatis, distinguitur virtute à se ipsa sub ratione essentiæ substantialis, quoniam magnitudo, cui æquiualet vt immensitas, distinguitur ex natura rei ab essentia substantiæ corporalis, cui diuinitas æquipollet vt essentia.

VII. Nunc explicandum est vtrum immensitas coincidat cum aliquo ex diuinis attributis. Videbitur autem esse prorsus idem cum omnipotentia, quod sentire videntur Doctores referendi capit. decimo, numero secundo, qui dicunt Deum esse rebus omnibus præsentem per ipsam operationem, quæ est velut quidam contactus ad locum, & creaturas, in quibus est: ipsa verò operatio, cum sit aliquid ad extra, neque conueniat Deo necessario, esse nequit propria ratio immensitatis, quæ est perfectio Dei necessaria: sed habet se ad immensitatem, sicut contactus quantitatiuus ad quantitatem formalem: hic verò immediate fundatur in ipsa quantitate: ergò, cum operatio Dei ad extra emanet immediate ab omnipotentia, hæc est quantitas Dei metaphorica, siue immensitas ipsa, qua est aptus esse præsens omni loco.

VIII. Ostenditur verò hæc sententia inprimis autoritate Hilarij, libro octauo de Trinitate; *Vbi Deus*, inquit, *immensæ virtutis est, qui nusquam non adsit, nec desit vsquam:* Nisi autem ratio virtutis, & omnipotentiæ diuinæ esset fundamentum præsentialitatis ad omnem locum, profectò inepte diceret Deum immensæ virtutis esse ex eo, quod adsit omni loco, & nulli desit. *Hilarius.* Accedit Nyssenus orat. 1. de Christi resurrectione post medium de Christo loquens. *Nyssenus.* *Qui per diuinam*, inquit, *potentiam vbique est*, & Augustinus libro secundo de sermone Domini in monte cap. 5. *Augustin.* *Vbique*, inquit, *præsens est non locorum spatijs, sed maiestatis potentia:* Anselm. item in Elucidario initio. *Anselm.* *In omni loco*, inquit, *totus esse ideo dicitur, quia in nullo loco impotentior est, plusquam in alio, vt enim in Cœlo, sic potens est in inferno.* Qui Patres non obscure significant fundamentum, per quod Deus est vbique, & præsens omnibus, esse omnipotentiam: tauet Athanasius Epistol. de decretis Synod. Nycen. contra hæres. Arian. inter principium, & medium his verbis. *Athanas.* *Deus per se existit, omniaque in se continet, & à nullo continetur, & in omnibus est secundum suam bonitatem, & potestatem; ideoque extra omnia est secundum propriam naturam:* solum agnoscens modum existendi in rebus per potestatem, & bonitatem, quæ duo sunt principia causalitatis ad extra. Et contra Gregales Sabellij, cùm dixisset Deum non implere vniuersa corporali modo,

subdit

subdit causam dicens; *Deus enim vt vis, ac potentia continet omnia, eo quod potentia incorporalis, & inuisibilis sit, non ambiens, nec ambita.* Si potentia non esset ratio existendi in loco, perperam redderet pro ratione, cur Deus non sit in loco extensus, & concluſus potentiæ immaterialitatem, & inuisibilitatem. Probatur deinde ratione, primo quoniam magnitudo omnis, aut est molis, aut virtutis, in Deo non est magnitudo molis, vt per se patet, & fusè probat Philosophus libr. octauo, Physic. text. 86. & libro duodecimo Metaphys. text. 41. erit ergo magnitudo virtutis, vt habetur ex Fulgentio in libro de fide ad Petrum, cap. 9. vbi *firmissimè*, inquit, *tene, & nullatenus dubites Trinitatem Deum immensum esse virtute, non molę.* Nihil verò habet rationem virtutis nisi in ordine ad operationem: ergò, cum virtus diuina, & omnipotentia recurrant, magnitudo virtutis, qua Deus est aptus coexistere loco, est ipsa omnipotentia. Secundò, quoniam id est ratio præsentiæ ad locum, & res alias creatas, quod ex parte existentis in loco immediatius attingit locum: præsentia quippè ad locum est habitudo immediata: ex omnibus autem perfectionibus attributalibus nulla immediatius attingit locum, & res creatas, quam omnipotentia diuina: ergò hæc est ratio existędi in loco. Assumptio patet, quoniam Deus non attingit locum tactu quantitatiuo, sed tactu virtutis: hic verò immediate procedit à virtute operatrice: ergò hæc est illa vis, ratione cuius Deus est in loco.

Aristotel. Aristo. *Fulgentius.*

IX. Dico secundum. Omnipotentia non est magnitudo virtualis, qua Deus est præsens rebus omnibus. Est de mente omnium, qui negant Deum esse per se, & formaliter præsentem rebus omnibus per operationem, quos referam cap. sequenti. Ostenditur autem primo: quoniam omnipotentia est vnicum attributum eminenter continens omnem potentiam creatam, & intelligitur à nobis per ordinem ad operationes, vel effectus ad extra, ita vt si concipiatur potentia actiua sub habitudine ad omne possibile passiuum, verè constet ratio omnipotentiæ, quantumuis præscindantur reliquæ omnes rationes formales: ergò omnipotentia non est magnitudo virtualis, quæ est fundamentum præsentiæ ad res omnes. Antecedens constat apud omnes Theologos, qui omnipotentiam numerant quasi vnum attributum à cæteris contradiuisum, & definiunt per ordinem ad id, quod fieri non implicat contradictionem; in qua finitione non permiscetur aliquid pertinens ad cæteras rationes attributales. Consequentia verò facilè deducitur, quoniam quantitas virtualis, quæ est fundamentum coexistentiæ cum rebus aliis, secundum propriam rationem formalem est essentia diuina, prout æquipollet quantitati corporeæ, qua res diffusæ loco coexistunt, ac sunt præsentes alijs: ergò, sicut in nobis differt realiter, & essentialiter potentia actiua à propria magnitudine, ita differt in Deo omnipotentia à quantitate virtuali. Denique illa, quorum rationes mutuo præcisæ per intellectum manent integræ, non habent eandem prorsus formalitatem, etiam virtute indistinctam: id verò conuenit omnipotentiæ, & immensitati: ergo non constant eadem prorsus formalitate, sed mutuo distinguuntur virtute. Assumptio probatur: nam, si per impossibile fingeremus vim aliquam operatricem certo, & finito loco concluſam non habere terminum quoad effectus, & habere pro obiecto omne possibile, constaret propria ratio omnipotentiæ, & tamen non includeret rationem immensitatis, quoad locum, vt per se patet: contra verò, si fingeremus substantiam aliquam infinitæ magnitudinis virtualis in ordine ad locum, habętem tamen vim operandi finitam, cōstaret ratio immensitatis sine ratione omnipotentiæ: quare rationes formales ipsarum mutuo præcisæ per intellectum adhuc manent integræ, atque perfectæ. Neque soluitur dicendo supponi à nobis impossibile: Nam si suppositio est impossibilis, & id, quod tolli supponitur, est ipsa ratio alterius, vel ad illam intrinsece pertinet, non manet integra ratio illius, vt si supponatur tolli ratione animalis, vel rationalis, hoc ipso dissoluitur, nec potest manere integra ratio hominis. Contra verò, etiamsi suppositio sit impossibilis, & sublato vno manet integra ratio alterius, id, quod sublatum est, minimè pertinet ad rationem illius: vt si sublata per impossibile risibilitate ab Homine, adhuc constaret definitio Hominis, rectè concluditur risibilitatem non esse ipsammet rationem formalem Hominis, aut ad eam intrinsece pertinere: similiter, etsi facta suppositio sit impossibilis, si tamen ea facta adhuc restat integra ratio immensitatis præcisa omnipotentia, profecto hæc non est ipsa vis repletiua loci, & fundamentum præsentiæ ad res creatas.

X. Ad autoritatem Diui Hilarij respondeo in-

deo, inprimis ipsum non explicare vtrum loquatur solum de virtute actiua; nam etiam immensitas ipsa dicitur à Theologis vis replendi locum: atque adeo comprehendi potest nomine virtutis: quo sensu ex eo, quod nusquam non adsit, nec desit vsquam, rectè colligitur esse immensæ virtutis: & è contra ex eo, quod immensæ virtutis sit, rectè colligitur, quod nusquam non adsit, nec desit vsquam. Respondeo secundò, cum attributa sint mutuo connexa, rectè ex vno colligi alterum: maximè cum tactus actiuus omnipotentiæ sit necessario coniunctus cum tactu præsentialitatis. Eodem modo respondendum est ad testimonia Nysseni, Augustini, & Anselmi: frequenter enim propter hanc connexionem Patres coniungunt præsentiam potentiæ, & substantiæ diuinæ ad res omnes. Ambros. lib. 2. in Lucam, in id capit. 1. *Hic erit magnus, bene* inquit, *magnus, latè enim funditur Dei virtus, latè cœlestis substantiæ magnitudo porrigitur.* Augustin. lib. 7. de Ciuit. cap. 30. *Deus vbique totus implens Cœlum, & terram, præsente potentia, non absente natura*, & optimè Anselm. in Monolog. cap. 19. Primus locus Athanasij nonnihil difficultatis habet, videtur enim significare rationem, cur Deus sit in rebus, esse ipsammet potestatem. Verùm non est ea mens Diui Athanasij alioquin non sola omnipotentia, sed etiam bonitas erit fundamentum præsentiæ, quod nemo ait. Mens ergò Athanas. est declarare Deum secundùm se, propriamq; naturam esse segregatum à rebus, & impermistum, atque immensum, & ideo *per se*, inquit, *existit, & à nullo continetur; & secundum propriam naturam, est extra omnia*: deinde verò reddere rationem cur specialem modum, & quasi determinatum habeat in rebus, quo extra illas non est: & hoc ait prouenire ex bonitate, & potestate; ex bonitate, quatenus voluit has determinate res operari, ex potestate verò quatenus has solũ condidit: quia itaq; res sunt actu in se per participationem actualem bonitatis, & exercitium potestatis diuinæ, & actualis existentia ipsarum requiritur ad hoc, vt sint terminus præsentiæ diuinæ, idcircò Athanas. cum de modo existendi in rebus loquitur, bonitatis meminit, ac potestatis: non verò ex eo, quod credat has coincidere formaliter cum immensitate: nam, cum hæc comitetur naturam extra res, etiam per bonitatem, & potestatem esset extra res, cuius oppositum supponit, quia nimirum accipit bonitatem, & potestatem pro suis effectibus. Ad secundùm testimonium eiusdem respondeti potest eodẽ ferè modò, quo respõsum est ad dictum S. Hilarij. Respondetur secundo Athanas. non reddere rationem simpliciter cur Deus nõ sit in loco, sed cur non sit per commensurationẽ, & circumscriptionem, vt corpora; & cur non contentus omnia contineat: vt patet tum ex verbis ipsis, tum ex antecedentibus, dixerat enim Deum non se porrigere, aut circumscribere ad modum rei corporalis, sed continere omnia non contentum. Et quia continere pertinet ad omnipotẽtiam, idcirco ait ipsum eo, quod potentia incorporea sit, non circumscripta loco, aut quasi extrinsecus solum res ambiens, non commensurari loco, neque per illum, aut cum illo distendi.

XI. Ad primum argumentum respondendum est quantitatem virtutis nõ esse idem atque quantitatem potentiæ, vt colligitur ex doctrina Diui Thomæ 1. part. qu. 42. articul. 1. ad 1. de veritate quæstione 8. aritic. 14. ad 19. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. vbi asserit quãtitatem virtutis esse qualitatem, id est, formam ipsam substantialem: perspicuũ verò est hanc non esse virtutem actiuam. Quin verò citatis locis, & primo contra Gent. c. 43. diuidit quantitatem in tria membra, quia sc. alia est quantitas perfectionis, alia virtutis, alia molis, ex quo patet quantitatem perfectionis contineri interdum sub quantitate virtutis, ideoque hanc prout solum contradiuiditur à quantitate molis, non esse præcise quantitatem virtutis actiuæ. Dicitur verò quantitas virtutis quia aliquo modo cõtinet virtutem rationẽ quãtitatis. Vnde patet ex eo, quod Fulgent. agnoscat in Deo solam quantitatem virtutis, minimè colligi immensitatẽ, quę est magnitudo diuina, consistere in ipsa Dei omnipotentia. Ad secundũ respondetur multiplicem esse immediationem, ad præsens verò institutum duplicem considerari posse, alteram rei ad rem, alteram causæ ad effectum. Vtramque verò in suo ordine nõ admittere medium: atque adeo neutram comparari cum altera secundùm magis, & minus in ratione tactus virtualis. Immediatonem verò, quæ per se requiritur secundùm tactum præsentialem, non esse immediationẽ effectus ad causam, aut causæ ad effectum, quia non repugnat vt inter duo sibi mutuò præsentia, nulla eiusmodi propinquitudo intercedat, sed solũ per se requiritur immediatio rei ad rẽ secundùm situ, vel indistantiã. Hoc posito negãda est consequentia, licet. n. immensitas non immediatius attingat res, q̃ omnipotẽtia, quia quælibet in suo ordine immediate attingit, om-

Ambrosius. *Augustin.* *Anselm.* *Athanas.* *S. Thomas.*

git omnipotentia immediatione causalitatis, immensitas autem immediatione præsentiæ, siue indistantiæ localis, non proinde sequitur omnipotétiam esse propriam rationem, vt Deus sit pręsens rebus, ac locis: quoniam immediatus eius tactus ad res creatas, quatenus pręcisè concipitur in ratione operationis, non est immediatus immediatione rei ad rem, sed causalitatis ad effectum.

Completa ratio fundamentalis præsentiæ Dei ad creaturas non est operatio ad extra, sed immensisitas cum indistantia priuatiua vtriusque extremi.

CAPVT X.

I. SOla quantitas non est completa ratio præsentiæ, aut existendi in loco, sed præterea requiritur aliquis contactus: vt superiùs dictum est: quare licet immensitatem diuinam concipiamus, vt quantitatem Dei virtualem, & vt fundamentum remotum præsentiæ, & coexistentiæ cum rebus omnibus, ac locis, oportet indagare contactum eius ad creaturas, & rationem proximam pręsentiæ inter Deum, & ipsas.

II. Fundamentum proximum huius præsentiæ esse operationem Dei externam censet Diuus Thomas in 1. distinct. 37. qu. 1. articul. 1. & quęst. 2. articul. 1. & 3. & 1. parte, quęstion. octaua, artic. 1. ad 2. & art. 2. cum Caietano, Syluestro, Iauello, & aliis Recentioribus Thomistis ibidem, & libro tertio contra Gent. cap. 68. cum Ferrariens. AEgidius in 1. distinct. 37. secund. parte, primæ partis principalis quæst. prima. Capreolus quæst. vnica ad argumenta contra primam Conclusionem. Hispalens. quęstion. vn. articul. 3. notabil. 1. & articul. quarto, ad argumenta contra primam conclusionem. Soncinas qnęstion. secunda, conclusione tertia, & quarta, & octaua. Argentin. quęstione vn. artic. 1. conclusione secunda. & Abulens. in capit. secundo. Exod. quęst. 46. Ita verò ait Diuus Thomas articul. secundo citato ex primo sententiarum: *Essentia Dei, cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura, nisi inquantum applicatur sibi per operationem, & secundum hoc, quod operatur in re dicitur esse in re per præsentiam, secundùm quod oportet operans operato aliquo modo præsens esse: & quia operatio non deserit virtutem diuinam, à qua exit, ideo dicitur esse in re per potentiam, & quia virtus est ipsa essentia, ideo consequitur, vt in re etiam per essentiam sit.* Quibus verbis satis indicat operationem esse applicationem diuinæ potentiæ, atque essentiæ ad res creatas. Quam sententiam quæstion. tertia, eiusdem distinctionis articulo primo, extendit ad omnem substantiam spiritualem, quàm secundum se absolutam esse credit ab omni loco, solumque in illo esse per quandam applicationem. Hanc verò fieri solum per actionem in substantiis completis materię expertibus probat hoc discursu: hæc applicatio, inquit, vel intelligitur secundùm situm, aut contactum, vel secundùm formam, vel secundùm operationem aliquam: secundum formam, sicut anima est in corpore, quo modo non sunt substantiæ spirituales completæ, quæ non sunt actus corporis: secundùm situm determinatum, sicut punctus est in linea, quam terminat: qua ratione non se habent spirituales substantiæ, quæ non habent situm in magnitudine: secundum contactum, quo modo corpus est in loco: contactus verò huiusmodi non conuenit substantiæ spirituali: restat ergò, vt sit præsens loco per operationem, quæ est contactus virtualis, ac Metaphoricus. Quidam recentiores Metaphysici, ita interpretantur Diu. Thomam, vt dicant illum non asserere operationem esse fundamentum præsentiæ Dei ad res creatas: hanc enim aiunt fundari in ipsa Dei substantia, prout est indistans à rebus: sed solum velle Sanctum Doctorem, vt hæc præsentia non habeat rationem existendi in loco, nisi per operationem, in qua fundatur aliqua habitudo ad locum, quoniam sola indistantia, siuæ præsentia non est satis, vt res dicatur esse tanquam in loco, in alia, cui est præsens: nam duo Angeli possunt esse indistantes secundùm locum, & duo corpora se inuicem penetrantia, nec tamen vnum est in altero vt in loco, atque adeo sola præsentia non sufficit. Quidquid tamen sit de hac difficultate, de qua inferiùs dicam, tamen Diuus Thomas operationem censet esse rationem præsentiæ Dei ad creaturas, vt constat ex citatis verbis ipsius: Et in hoc sensu Sanctum Doctorem intellexerunt, & sequuntur Doctores citati.

Capreol. Hispalens. Soncinas. Argentin. Abulens.

III. Et huic dicendi modo fauet modus loquendi sacrarum literarum: nam frequenter

Thomas. Caiet. Syluest. Iauell. Ferrariens. AEgid.

quenter vsurpant nomen tangendi pro actione aliqua diuina, quale est illud apud Beatum Iobum cap. 19. *Manus Domini tetigit me*; eodemque modo sumitur lib. 1. Regum, cap. 6. *Manus eius tetigit nos*: & cap. 1. eiusdem lib. *Quorum tetigerat Deus cor*. Facit illud Psalm. 138. *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*: Intellige etiam illic es, subdit autem rationem: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*: quasi dicat in omnibus his locis es, quia in omnibus operaris, atque adeo operationem, credit esse rationē præsentię ad res omnes: suadetur deinde ratione primo. Præsentia Dei secundum essentiam ad creaturas est relatio rationis conueniens Deo ex tempore, immò aduenies, ac recedens iuxta inceptionem, vel desitionem creaturarum, quibus est præsens: solum enim ijs, quæ existunt est hoc modo præsens, vt Doctores communiter astruunt: & proinde cum eisdem incipit, ac desinit eiusmodi præsentia: omnis autem habitudo conueniens Deo ex tempore fundatur in actione aliqua, aut causalitate ipsius ad creaturas: cur ergò præsentia de nouo conuenit, nisi quia de nouo aduenit proximum fundamentum? quod vel est ipsa actio, vel aliquid ad illam consequens: non apparet autem aliquid aliud ab actione distinctum, quod sit fundamentum præsentiæ Dei ad creaturas: nam posita actione; & eius termino statim Deus intelligitur præsens creaturæ: ergò operatio est proximum fundamentum præsentiæ, seu est ipsa præsentia fundamentalis, siue contactus Dei, quo constituitur intime præsens creaturæ. Secundò subtrahente Deo concursum virtutis suæ à rebus, hoc ipso immediate dissoluitur præsentialitas inter ipsum, & res: ergò ratio præsentialitatis actualis Dei ad locum, & res, quæ in ipso sunt, est applicatio virtutis, sicut ratio præsentialitatis corporis ad locum est applicatio quantitatis ipsius ad quantitatem loci. Antecedens suadetur: quoniam, si immediate ad subtractionem concursus diuini non dissoluitur præsentia, sed oportet adhuc subtrahi aliquid aliud, potest intelligi præsentia Dei ad res non existentes: hoc verò est manifestè absurdum: ergò & illud, sequela ostenditur: quoniam non repugnat, vt intelligatur manere ratio formalis sine aliquo fundamento remoto, quod dissoluitur prius natura, quam proximum, & immediatum: siquidem in eo priore, quo subato remoto intelligitur manere proximum, potest etiam intelligi manere ratio formalis fundata in proximo: ergò, si dàtur aliud fundamentum, quo proxime nititur præsentia, siue existentia Dei in loco, potest Deus intelligi præsens rebus non existentibus pro eo priore, quo subtrahitur applicatio potentiæ, & nondum intelligitur subtracta proxima radix præsentiæ.

Iob. 19. *1. Reg. 6. 10.* *Psal. 138.*

IV. Dico tamen, licet aliqua Dei operatio transiens supponatur ad fundamentum proximum præsentiæ realis inter ipsum, & creaturas, ipsa tamen operatio non est ex parte Dei fundamentum præsentiæ, sed potius requiritur, vt ponat extremum huius habitudinis, hoc est creaturam, cui Deus est præsens. Tres sunt partes huius assertionis: Prima, quod fundamentum proximum præsentiæ supponat aliquam operationem Dei ad extra: Secunda, quod operatio eiusmodi non est ipsa ratio fundamentalis præsentiæ: Tertia, quod non alia ratione requiritur, quam vt ponat extremum habitudinis. Prima satis constat ex duobus argumentis allatis pro sententia opposita: nam si nulla sit actio Dei ad extra: nulla quoque erit creatura, & proinde etiam non erit habitudo præsentiæ, quæ non nisi inter res actu existentes exercetur.

V. Secunda pars, in qua consistit difficultas, traditur à S. Bonauentura in 1. dist. 37. 1. parte distinctionis, artic. 3. quæst. 1. & 2. Richardo articul. 1. quæstion. 2. Durando prima parte distinctionis, quæst. 1. numero 9. Aureolo quæst. vn. articul. 1. propositione 3. Maiore. quæst. 1. notabil. 2. & conclusione 2. Palatio disputat. 1. & alijs Recentioribus, & est de mente omnium, quos retuli cap. 3. num. 1. negantium ex operatione colligi Dei præsentiam ad res omnes. Probatur inprimis: quoniam, vt patet ex communi sententia Theologorum explicanda cap. duodecimo, Triplex est modus, quo Deus existit in rebus creatis, nempè per essentiam, præsentiam, & potentiam: at verò, si operatio esset ratio proxima existendi per essentiam, essent tantum duo: quoniam eadem operatio est ratio existendi per potentiam. Caietan. 1. part. quæst. 8. art. 1. §. *Ad euidentiam*, respondet, licet aliud sit esse præsentem secundùm substantiam, & aliud secundùm potentiam, non tamen esse aliud esse præsentem secundùm substantiam, & aliud secundùm potentiam immediate attingentem effectum, siue passum: siquidem præsentia potentiæ nō exigit immediationem

Bonauent. *Richard. Durand. Aureol.* *Maior.* *Palat.*

suppositi:

suppositi: nec tamen sunt omninò idem esse præsentem secundùm substantiam, & secundùm potentiam immediate agentem: sed distinguuntur sicut ratio præsentiæ, & res præsens: quoniam immediate attingere est ratio præsentiæ, non solum ipsi potentiæ, sed substantiæ: nam, sicut substantia situata est præsens ipso situ, & nihilominus ipsa est præsens, ita substantia spiritualis immediata attinctione est præsens, vt quod, ipsa verò attinctio, siue operatio, vt quo. Hæc Caietanus quibus inprimis admittit esse præsentem secundùm substantiam, & secundùm potentiam immediate attingentem non esse simpliciter duos existendi modos, sed secundum quid, vt quo, & vt quod: cùm tamen duo illi modi constituantur ab Auctoribus, vt simpliciter diuersi: si verò diuersitas modi vt quo, & vt quod est satis, vt res dicatur habere duos existendi modos, etiam corpus dicetur existere in loco secundùm substantiam, & quantitatem: quoniam substantia est in loco, vt quod: ipsa verò quantitas, vt quo. Præterea immensitas, & omnipotentia sunt perfectiones virtute distinctæ: & vtraque intelligitur per ordinem ad creaturas; ergò vnicuique per se primo conuenit aliqua habitudo ad creaturam, quæ non conuenit alteri. Ex parte immensitatis non se offert alia, quam correspondentia ad creaturas, quibus Deus est præsens: ergò ratio formalis, in qua immediate fundatur relatio præsentiæ Dei ad locum, est ipse contactus immensitatis, quatenus est quantitas virtualis: non autem operatio. Et confirmatur primo: quoniam, si per impossibile fingeremus dari creaturas absque operatione Dei, & Deum esse immensum, non vero omnipotentem, adhuc intelligeretur Deum esse præsentem rebus: ergò proximum fundamentum præsentiæ non est operatio. Confirmatur secundo, quoniam alioquin immensitas per se primo conueniet potentiæ diuinæ, non essentiæ: quod absurdum est. Consequentia patet, quoniam id, quod participat effectum formalem, siue primarium, siue secundarium alicuius formæ ex eo, quod habet identitatem cum alio, ratione cuius illum participat, non per se primo, sed secundario illum participat: essentia vero diuina dicitur esse præsens rebus, quia est idem cum omnipotentia: quæ ratione operationis immediate in illis est, vt ipse Diu. Thom. admittit: præsentia verò ad res omnes est quasi effectus formalis secundarius immensitatis, sicut esse in loco est quantitatis: ergò immensitas per se primo conuenit omnipotentiæ, & secundario Deitati.

VI. Secundò contactus debet esse mutuus, non enim concipi potest ex vna parte, quin sit ex altera: ergò tam in Deo, quam in creatura debet esse aliqua tangendi ratio, & ita, cum hic tactus sit substantialis inter Deum, & creaturam, sibi inuicem præsentes, etiã ex parte creaturæ debet esse aliqua tangẽdi ratio: hęc non est operatio, quoniã creatura non est præsens Deo, per potentiã qua posit in illum operari: & tamen est præsens illi secundum propriam entitatem: concipi ergò potest tactus præsentialis vnius substantiæ ad alteram, & nõ per operationem. Responderi poterit ad hoc argumentum, rationem tactus ex parte creaturæ esse passionem, quæ respondet actioni diuinæ, & quamuis passio non attingat ipsum Deum, satis esse si attingat actionem, quæ est Deo ratio contactus ad creaturam: non enim opus est, vt id quod est ratio contactus vni substantiæ cum altera, per se, & immediate attingat alteram substantiam, sed sat est si attingat rationem contactus eiusdem substantię, vt videre est in tactu corporum per quantitates, quæ non immediate attingunt ipsas substantias: sed se ipsas, substantias verò mediate. Hæc solutio non est adæquata: nam, quando ipsę rationes tangendi sunt intrinsecę rebus, quæ se tangunt, vt, quod, ad contactum substantiæ, sat est ipse contactus rationis tangendi intrinsecæ, quæ tangi nequit, quin tangatur substantia, cui inhęret intrinsece: at quãdo ratio tangendi est extrinseca, qualis est actio trãsiens, quę recipitur in passo, non intelligitur quomodo per eius tactum immediate attingatur Deus, cui actio transiens non ineſt. Verum quoniam cõtrouersum est apud Thomistas, an in opinione S. Doctoris actio Dei transiens sit in ipsis creaturis, an verò resideat in Deo, & sit ipse actus voluntatis diuinæ, provt illi respondet effectus extrinsecus, aliquis amplectens hãc vltimam sententiam eludet argumentum dicendo actionẽ, quę est ratio tactus diuini ad creaturas, esse aliquid intrinsecum Deo, & per contactum passionis cum ipsa suo modo attingi Deum à creatura. Sed qui ita respondet, cõcedat necesse est actionem huiusmodi non esse tactum, neque proximum fundamentum præsentię: nam tactus exigit actualem existentiam vtriusq; extremi, nec interuenire potest inter rem existentem, & non existentem, & proinde

non fuit inter Deum, & creaturas ante orbem conditum: actio verò eiusmodi, si est Deo intrinseca, totum suum esse habet ab æterno, quando nondum existebant creaturæ: ergò ipsa secundùm se non est tactus, aut proximum fundamentũ præsentiæ: sed opus est, vt addatur aliquid, quo vltimo cópleatur ratio tactus, & proximum fundamentum habitudinis præsentiæ.

VII. Tertia pars eiusdem assertionis explicatur similitudine tactus, ac mutuæ præsentiæ substantialis corporum inter se: nam, Cœlum empyreum ratione propriæ quantitatis est modo sufficienter constitutum in actu primo, vt si iuxta eius superficiem conuexam, ratione cuius non est contiguum, aut præsens vlli corpori, creetur à Deo corpus aliquod sibi immediatum, possit illud attingere, & consequenter præsens illi esse: quamdiu tamen non creatur eiusmodi corpus, neque tangere, neque præsens illi esse poterit: itaque creatio corporis illius erit quidem necessaria ad mutuum contactum, atque præsentiam, non tamen erit ipsa fundamentalis ratio præsentiæ, sed eatenus solum præsupponitur, quatenus ponit, siue adducit alterum extremum contactus. Ita prorsus Deus Optimus, Maximus consideratus secundùm suam substantiam, & immensitatem sufficienter constitutus est in actu primo, vt possit coexistere, & præsens esse secundùm situm cuiusuis creaturæ: verum, quia coexistentia, atque præsentia exigit duo extrema actu existentia, quamdiu creatura non existit, non est Deus in actu secundo coexistentiæ, siue præsentiæ: & idcircò requiritur actio productiua creaturæ, non quidem vt ratio præsentiæ ad ipsam: nam, si per impossibile fingamus eiusmodi creaturam produci ab alio agente, & non à Deo, adhuc ratione suæ immensitatis existit, & præsens illi erit secundùm propriam substantiam: sed solum tanquam actio adducens extremum, ad quod terminari debet habitudo præsentiæ, & quasi subit vicem approximationis in tactu corporeo: hæc enim non est ipse tactus quantitatiuus, in quo immediate fundatur relatio præsentiæ corporalis, qui permanenter durat, quamdiu corpora contigua sunt: approximatio vero, cum sit motus, cessat acquisito termino.

VIII. Discursus adductus ad probandam sententiam oppositam deficit, quia non est adæquata assignatio membrorum illius disiunctiuæ: in qua non fit mentio tactus virtualis, vel, si fit, cum operatione confunditur, cum tamen latiùs pateat: nam, quoties admittitur quantitas virtualis, admitti quoque debet tactus virtualis ipsius: at immensitas diuina est virtualis quædam quantitas, qua Deus potest rebus omnibus, ac locis præsens existere: & proinde admitti etiam debet tactus ipsius virtualis: hic autem non est actio Dei transiens, quæ nullo modo est effectus immensitatis, sed omnipotentiæ: quare, non solum actio transiens est tactus virtualis Dei. Iam verò sacræ literæ, quando tactum vsurpant in operibus diuinis, non sumunt pro tactu quantitatiuo virtuali, qui requiritur ad præsentiam substantiæ tangentis, sed pro tactu actiuo, qui de sua ratione non habet, vt faciat rem præsentem secundùm substantiam, sed secundùm potentiam: nam qui de longe sagitta, vel ferrea glande vulnerat alium, dicitur illum tangere, non tamen tactu quantitatiuo, quod est proximum fundamentum præsentiæ secundùm substantiam. Ad locum Psalm. & alia eiusmodi respondetur ad veritatem similium propositionum sat esse, vt ex operatione Dei in omni loco colligatur eius præsentia secundùm substantiam: non requiri autem, vt immediata ratio existendi sit operatio. Primum argumentum probat quidem aliquam actionem Dei requiri ad contactum, ac præsentiam, non tamen probat ipsam actionem esse contactum, ac fundamentum proximum præsentiæ, vt in plerisque aliis exemplis conspicuum est; sed id, quod sumitur ex coexistentia secundùm tempus, est accommodatissimum. Constat enim, vt Deus sit actu præsens secundùm durationem rebus creatis, necessarium omninò esse, vt illæ existant, & consequenter, si non sint, vt producantur: & tamen proxima ratio fundamentalis habitudinis præsentiæ secundùm tempus non est actio ipsa productiua creaturæ, sed æternitas cum simultate existentiæ alterius extremi, seu cum negatione distantiæ secundùm durationem vnius ab altero: eodem modo ad existentiam Dei in rebus, vel locis creatis supponi debet existentia ipsorum, quæ non nisi per operationem diuinam esse potest: verum operatio ipsa non est ratio immediata coexistentiæ, sed immensitas sub aliqua habitudine, vel negatione de qua dicam capite sequente.

IX. Pro solutione secundi supponendum dupliciter dissolui rationem aliquam dissoluta altera, nempè causaliter, & formaliter:

liter: sublato concursu omnipotentiæ, hoc ipso causaliter dissoluitur præsentia Dei ad creaturas: nam, cum præsentia requirat vtriusque extremi existentiam, altero eorum sublato, consequenter etiam dissoluitur præsentia, etiamsi ex parte alterius sit sufficiens, & immediatum fundamentum præsentiæ, si alterum non deesset. Non tamen dissoluitur formaliter: hæc enim dissolutio non intelligitur nisi sublata forma, quæ est ratio formalis præsentiæ, hæc autem non est operatio, sed immensitas cum negatione distantiæ, vt statim explicabo. Hoc posito negandum est antecedens, si intelligatur de dissolutione formali, vt patet ex dictis. Ad eius probationem neganda est consequentia; possunt enim adduci plurima exempla similia, in quibus non tenet consequentia, vt autem res clariùs appareat, ostendetur in simili fere materia, nempè in existentia in loco rei corporeæ, quam certum apud omnes est existere in loco per suam magnitudinem: & tamen res corrupta eo ipso desiuit esse in loco, quamuis prius natura sit rem non esse, quam non esse in loco: quia non desinit esse in loco, nisi dissoluta connexione ipsius cum quantitate, & cõmensuratione cum loco, quam habebat per eandem quantitatem; prius autem natura est dissolutio corporis corruptibilis quoad substantiam, quam dissoluatur nexus eius cum quantitate, quæ est proprietas illius, sine qua ipsum dum existit, esse nequaquam potest: sicut igitur corrupta substantia corporea non potest vllo modo intelligi præsentia eius ad locum, quamuis hæc non dissoluatur formaliter, sed fundamentaliter, & causaliter, per corruptionem substantialem, ita etiam, quamuis præsentia Dei ad creaturas non fundetur immediate in applicatione omnipotentiæ ad effectus, sed in applicatione immensitatis ad tactum præsentialem rei ad rem, fieri nequit, vt destructa creatura per substractionem concursus diuini intelligatur Deus illi præsens esse. Ratio verò huius est, quia ea, quæ supponunt aliquod fundamentum in eo priore, quo fundamentum ponitur, nondum concipiuntur esse formaliter, sed causaliter: & è contra quando fundamentum dissoluitur, etiam tunc concipiuntur destrui causaliter: non tamen proinde pro eodem priore intelliguntur adhuc esse formaliter, quoniam in eo solum formaliter est, vel non est fundamentum ipsum: Et quemadmodum, quando fundamentum existit, pro eo priore nondum intelligitur esse ratio in illo fundata: ita quando dissoluitur, tunc non est, dicitur tamen dissolui in posteriore, in quo, si fundamentum esset, ipsa existere deberet: resultantia enim, vel dissolutio alicuius rationis formalis solum intelligitur pro eo signo, quo illi competit esse: in eo verò signo naturæ, in quo competit esse fundamento, non conuenit rationi in ipso fundatæ: Et proinde hæc nequit in eo corrumpi, nec tamen proinde in ipso dicenda est existere. Ex quibus patet non valere illam consequentiam: si immediatè ad substractionem concursus diuini non dissoluitur formali præsentia eius ad res; potest Deus esse præsens rebus non existentibus. Ad eius confirmationem negandum est antecedens: & ad probationem, quæ ibidem inuoluitur, respondetur supponi falsum, hoc est sublato fundamento remoto manere proximum: nam eorum, quæ in eodem instanti indiuisibili desinunt, nullum manet, quandoquidem instans est primum non esse omnium, repugnat autem idem simul esse, ac non esse. Ordo verò prioris, ac posterioris, qui ibi interuenit, non est secundùm rationem existentiæ, quasi existente vno aliud desina, aut vno desinente aliud maneat actu existens: sed consistit in dependentia, & prioritate, quasi causalitatis: nam quia res, quæ desinit esse candida, consequenter desinit esse similis alteri rei candidæ, dicitur prius natura dissolui candorem, quam similitudinem, quia similitudo dissoluitur, quia corrumpitur candor, non è contra.

X. Vt autem clariùs appareat propria ratio præsentiæ Dei ad res creatas, & tactus secundùm quantitatem virtualem, obseruandum est. Fundamentum proximum præsentiæ substantiæ spiritualis, ad alias res sumi debere per analogiam ad fundamentum præsentiæ localis corporum, à qua vtpotè magis nota, translata est similitudo ad locum rerum spiritualium, qui in ratione aliqua communi conuenit cum loco corporearum. Porrò fundamentum remotum præsentiæ ad locum circumscriptiuum est ipsa quantitas rei locandæ: qua sublata etsi substantia non esset distans ab aliquo spatio, non tamen esset in loco circumscriptiuè. Dicitur verò quantitas fundamentum præsentiæ localis circumscriptiuæ, quia ipsa est radix, ac principium commensurationis substantiæ cum loco: dicitur verò remotum, quia non potest peruenire ad effectum actualis commensurationis,

nisi per mutuum contactum, quo partes corporis aptantur, ac respondent partibus loci: hic verò contactus impeditur tum per distantiam positiuam, quando duo corpora existunt à se inuicem disiuncta loco: tum etiam per non indistantiam: quamuis enim ea, quæ non existunt simul tempore, non distent loco positiue: nam distantia positiua exigit vtriusque corporis existentiam, non tamen sunt indistantia namque sumitur priuatiue, & formaliter inuehit negationem distantiæ in subiecto apto: nullum verò subiectum est aptum distare, nisi existat. Itaque per indistantiam excluditur impedimentum contactus inter corpora quanta, qui non est aliud, quam distantia ipsa secundum situm, vel locum extremarum partium corporum, vt enim ait Philosophus li. 5. Physic. t. 22. illa se tangunt quorum extrema sunt simul.

Aristotel.

XI. Tactus autem quantitatiuus dupliciter vsurpatur, aut pro actione, vel passione qua vnum corpus ab altero distãs illi coniungitur, & adaptatur, aut pro indistantia ipsa duorum corporum: illa enim se tangunt, quorum extrema sunt simul. Prima solum competit causæ mouenti corpus, vel corpori ipsi moto, quod alteri applicatur: nam Homo dicitur tangere equum virga, & virga ipsa similiter: equus verò non dicitur tangere virgam: secunda competit vtrique corpori: nam duæ tabulæ contiguę dicuntur se mutuo tangere. Ex his tactibus secundus est proxima ratio præsentiæ: eo namque posito necessario sequitur præsentia eorum, quæ se mutuo tangunt. Primus verò non est proximum fundamentum illius: sed est quasi via ad secundum tactum, ad quem terminatur. Et idcirco inter ea, quæ positiue distant non potest esse transitus ad tactum indistantiæ, nisi per tactum actiuum: qui transit manente tactu secundùm indistantiam quantitatum: Itaque adequatum fundamentum præsentiæ vnius corporis ad alterum est quantitas formalis cum tactu permanente, siue indistantia vnius ab altero. Tactus verò actiuus requiritur tanquam causa tactus permanentis, ad quem terminatur.

XII. Quæ dicta sunt de fundamento præsentiæ localis substantiæ corporeæ, suo modo applicanda sunt ad præsentiam diuinæ substantiæ cum rebus creatis. Quemadmodum igitur quantitas est prima radix ac fundamentum, ratione cuius substantia corporea apta est commensurari loco sibi adæquato, ita immensitas diuina est prima radix, ac ratio, qua Deus potens est correspondere rebus omnibus, ac locis: non enim concipitur alia ratio immensitatis, prout distinguitur à cæteris attributis, quam ita afficere, atque actuare substantiam diuinam, vt quantum est de se, coexistere possit secundùm locum rebus omnibus: sicut verò quantitas creata, nisi adsit contactus, non reddit rem præsentem loco, ita neque immensitas Deum: & ideo non est DEVS in rebus possibilibus, quia deficit tactus Dei erga illas. Hoc tamen differt immensitas à quantitate: quod hæc, vtpotè finita, distare potest à rebus alijs quantis: & ideo ad contactum applicari potest per motum, vel sui ad illas, vel illarum ad se: at immensitas, cum sit interminata, nullibi absens est, nec distat à re existente: Et proinde ad contactum eius cum creatura, non exigitur motus vllus localis, neque ipsius, neque creaturæ: quoniam hæc, si est, semper Deo præsens, & Deus in ipsa est. Solum requiritur existentia ex parte creaturæ, vt negatio distantiæ positiuæ, quæ erat inter Deum, & creaturam possibilem, transeat in priuationem, & verum sit dicere, Deus est indistans à creatura: quæ indistantia non est inducta per translationem extremi alterius, ex loco distanti, sed per solam productionem creaturæ, cui existenti Deus ob suam immensitatem non potest non esse præsens; Itaque tactus sufficiens ex parte Dei ad creaturas vt sit illis præsens, est indistantia suę immensitatis ab eisdem: ipsa verò operatio, qua fit creatura, potest appellari tactus actiuus, quo creatura, quæ antea non erat indistans, quodammodo applicatur, atque aptatur immensitati: atque ita productio creaturæ non est tactus vltimus Dei ad ipsam, sed quatenus est positio creaturæ sub existentia cum negatione distantiæ à Deo, est tactus actiuus, ad quem sequitur tactus secundùm indistantiam, qui tactus analogicè respondet tactui formali quantitatum, & constituit creaturam indistantem à Deo, cui eo ipso competit indistantia à creatura. Et hic est proprius tactus quantitatis diuinæ virtualis, in quo immediate fundatur præsentia Dei ad creaturas.

XIII. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam immensitas diuina præstat Deitati in ordine ad locum: quidquid quantitas confert corpori sublatis imperfectionibus: hæc autem vt reddat substantiam corporis, cui inest, præsentem loco, non indiget alio, quam indistantia secundùm extremas sui partes, ad superficiem

conca-

concauam loci: ergò neque immensitas indigebit vlla re alia præter indistantiam substantiæ increatæ à creata. Præterea sicut ad coexistentiam, siue præsentiam Deitatis ad creaturas secundum durationem non exigitur aliquid aliud præter æternitatem, qua Deus formaliter durat, & existentiam creaturæ in tempore cum indistantia secundùm durationem: siquidem æternitas, cum eminenter contineat omne tempus, & durationem creatam, ex se ipsa habet vim coexistendi omni rei duranti absque additamento formæ alterius; ita, vt si per impossibile creaturæ non procederent effectiuè à Deo, sed ab alia causa, & adhuc conciperetur Deus æternus, & creaturæ existentes in tempore, hoc ipso coexisteret, & esset præsens ijs secundùm durationem: ita quoq; quandoquidem immensitas eminenter continet omnem extensionem quantitatiuam in ordine ad locum, se ipsa absque alia ratione formali apta est coexistere, & esse præsens secundùm locum cuiuis rei locatę, ac loco: adeo vt quamuis per impossibile fingeremus creaturas non à Deo, sed ab alia causa fuisse productas, si tamen eum concipiamus immensum, eo ipso sua immensitate erit præsens rebus omnibus; similitudo verò est euidens, quoniam ita se habet æternitas diuina ad tempora, sicut immensitas ad loca.

Deus est multipliciter in rebus, ad quod nec sufficit, nec formaliter loquendo requiritur indistantia.

CAPVT XI.

I. SOla indistantia duorum extremorum non est satis, vt alterum dicatur esse in altero, vt supponit Albertus in 1. dist. 37. artic. 7. & facilè constat, nam locus & locatum, corpus & anima habent mutuam præsentiam, nec tamen locus dicitur esse in locato, nec corpus in anima. Contra verò nonnulla dicuntur esse in ijs, à quibus secundùm substantiam longè distant, vt Rex in Regno per potentiam, amans in obiecto amato, vnde est illud communi quasi paræmia vsurpatum: *anima magis est vbi amat, quam vbi animat*: & nihilominus nec Rex est secundùm substantiã præsens toti Regno, nec animans est præsens obiecto, quod amore prosequitur. Cùm verò ea, quæ metaphorice dicuntur, habeant analogiam ad ea, quæ dicuntur proprie, & ex omnibus modis, quo res vna dicitur esse alia, maximè proprius sit is, quo locatum dicitur esse in loco, vt ait Phylosophus libro 4. Physic. t. 23. ex hoc debet sumi ratio similitudinis ad alios. Aristot.

Ad hoc autem præter indistantiam requiritur, vt locatum sit intra terminos loci. Intra terminos autem potest aliquid esse dupliciter, nempè adæquate, vel inadæquate: adæquate cum locus, & locatum sunt æqualia, quoad extrema, quibus se mutuo tangunt; qua ratione sphæra corruptibilium est in Cœlo, & de hoc modo loquitur Phylosophus lib. quarto. Physic. t. 30. cùm inter proprietates loci numerat, quod sit æqualis locato: inadæquate verò est locatum intra terminos, cum inter ipsum, & locum est inæqualitas, hæc autem vel prouenit ex capacitate loci, quæ est maior corpore locato, quomodo Senator est in Curia, Præses in Prætorio: vel ex magnitudine locati, quod excedit capacitatẽ loci, quamuis quoad aliquid sui sit intra terminos loci, quomodo Doctor est in Cathedra, non enim secundùm se totum, sed quoad aliquid sui est intra terminos illius. Aristot.

II. Ex his constat ad quemcunque modum existendi in alio requiri aliquem modũm indistantiæ, & existentiæ intra terminos rei, in qua aliud esse dicitur. Indistantia verò nõ semper opus est vt sit realis: Hoc enim modo requiritur solum in ijs, quæ secundũ propriam substantiã sunt in aliis: in aliis verò, quæ sũt alijs modis, sat est indistantia secũdùm eam rationẽ, qua res dicitur esse in illis, verbi gratia id, quod est in alio per potentiam, potest re ipsa distare ab eo, tamen secundùm virtutem operandi debet esse indistans, quia debet illud immediate attingere per se, vel per suam virtutem: item cum effectus dicitur esse in causa, quamuis non sit indistans ab illa secundum proprium esse reale, tamen secundum id, ratione cuius est in illa, hoc est secundum propriam entitatem, & potentiam causæ, in qua est virtute, vel eminenter, est indistans à causa: quod in cæteris rebus videre est. Idem quoque dicendum est de existentia intra terminos, sat quippè est, vt id, ratione cuius vnum dicitur esse in alio, immediate sit intra terminos illius. Exempli causa Rex dicitur esse in Regno per potentiam; sat est vt potentia sit intra Regni terminos: creatura dicitur esse in Deo, tanquam in suo principio, vel causa, sat est, vt omnipotentia diuina, itemque ideæ, ratione quarum creatura est in Deo,

sint nostro modo loquēdi intra essentiam Dei. Ad hoc vero non requiritur, vt res, quæ metaphorice dicuntur esse in alijs sint adæquate intra terminos ipsorum; nam Rex est per potentiam in qualibet Vrbe sui Regni, quod non impedit, quo minus sit in aliis, & dæmon dicitur esse in Homine obsesso, & nihilominùs non est in anima, sed in toto corpore. Ex quo patet, cum Deus sit plurimis modis in omnibus, & singulis creaturis, non esse in singulis adæquate, quoniam ita est in illis, vt nō concludatur, sed etiam sit in aliis, imò nec in omnibus est adæquate, quoniam etsi actu non sit in non existentibus, atque adeo solum sit in omnibus, quæ actu sunt, potest tamen esse in multis aliis, non deserendo ea, in quibus aliquo modo est.

III. Est verò Deus multipliciter in rebus ratione plurium attributorum, vt videre est apud Magist. in 1. distinct. 37. & alios Scholasticos ibidem. Porrò ex omnibus modis existendi in alio numeratis à Philosopho lib. 4. Phys. cap. 3. t. 23. solus vltimus conuenit Deo: nam, cum ipse sit prorsus expers compositionis tam actiuæ, quam passiuæ, nequit esse, tanquam totum in parte, aut pars in toto: cum sub nullo genere, aut specie contineatur, consequenter caret modo existēdi in genere, aut specie: cum sit actus purus, & non informans, non est particeps modi, quo forma est in materia. Denique, cum sit à se, & independens ab omni causa, non est ad eum modum, quo effectus sunt in causa, siue efficiente, siue finali. Solus vltimus modus, quo res dicūtur esse in loco, quem Philosophus ait esse maximè proprium, accommodari Deo potest, non quoad omnem prorsus rationem, qua conuenit rebus creatis, sed quoad aliquam superiorem ipsis, à Deo communem, vt dicam inferius. Verum Aristoteles prætermittit aliquos essendi modos vulgò, imo etiam à sapientibus vsurpatos. Primus est, quo amans dicitur esse in obiecto amato, item causa dicitur esse in effectibus, quomodo Princeps est in tota Republica, quam legibus & iudiciis administrat. Dicuntur etiam res esse in sua similitudine, atque imagine, & his omnibus modis Deus est in rebus iuxta earum capacitatem. Nam per amicitiam dicitur esse in iustis, vt significauit Christus illis verbis. Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: per suos effectus in creaturis omnibus, vt patet ex illo Genes. 1. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*; quod plerique Patres exponunt de operatione diuina, qua ex confusa illa congerie materiæ primo die conditæ educebantur res distinctæ, atque perfectæ, quæ operatio appropriate tribuitur spiritui diuino. Item ex illo Lucæ quarto. *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me*: maximè verò ex illo Genes. 26. *Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam*: neque enim, vt notat Bernardus serm. 6. in dedicatione Ecclesiæ, credendum est Sanctum Patriarcham ignorasse Deum ibi esse præsentem, vt quidam illi imponunt: sed locutum esse de speciali aliqua ostensione, & operatione Deitatis in eo loco, in quo erat ratione alicuius particularis effectus: plures alios modos, quibus Deus est in diuersis rebus enumerat Albertus in 1. dist. 37. artic. 6. Altisiodorens. lib. 1. cap. vltim. quæstio. 2. & alij.

Magister. Aristotel. Luca 4. Genes. 26. Bernard. Albertus. Altisiodor.

IV. Verum his, & aliis omissis. Magister in 1. distinct. 37. & alij Theologi post Gregorium in Glossa super illud Cantic. 5. *Quo abijt dilectus tuus?* enumerant tres præcipuos modos, quibus Deus est in omnibus rebus, scilicet per essentiam, potentiam, & præsentiam; quos & alij non inepte colligunt ex illo Psalm. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, & dixi forsitan tenebræ occultabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*. Nam per verba illa, *illic es, & ades*, significatur modus essendi per essentiam: per illa vero: *illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; modus essendi per potentiam, quæ per manum, & dexteram Dei intelligitur: denique per illa *tenebræ non obscurabuntur à te*, modus essendi per præsentiam intuitus diuini, quem nihil omninò latet.

Magister. Psalm. 138.

V. Sunt vero hi modi vniuersales respectu omnium creaturarum, & cæteros omnes, qui particulares sunt, aliquo modo continent, sunt vniuersales: quia nulla omninò creatura est, cui Deus non sit præsens per essentiam, potentiam, atque præsentiam: omnibus enim est immediate præsens, & prorsus indistans: in omnibus immediate operatur: omnia nuda, atq; aperta sūt oculis eius, cuius oculus tanquā in centro constitutus ex æquo omnia collustrat. Continet verò reliquos oēs particulares, quoniam omnes illi possunt ad hos reduci, nec competunt comparatione rerum omnium: exempli causa modus, quo est in iustis

per

per gratiam, solum competit in ordine ad creaturam rationalem: & quia gratia est specialis quidam effectus omnipotentiæ diuinæ, modus hic spectat ad eum, quo dicitur esse per potentiam. Ad quem etiam modũ reuocari potest modus existendi in humanitate assumpta, quatenus est maximum opus omnipotentiæ diuinæ: quatenus vero est vnio secundum substantiam, participat etiam modum existendi per essentiam: nam ipsamet substantia Verbi, atque essentia diuina per vnionem hypostaticam re ipsa præsens est humanitati assumptæ: sed de his duobus modis, quibus Deus existit in iustis per gratiam, in humanitate assumpta per vnionẽ hypostaticam, non est hic disputandi locus: nec de plerisque alijs, qui ad hos tres reuocari possunt. Quin vero etiam ex his tribus, solus modus existendi in rebus per essentiam pertinet ad attributum immensitatis. Tamen quia eius occasione Theologi disputant etiam de alijs, breuiter quoque de illis dicam, deinde vero prosequar proprium existendi per essentiam, & cætera, quæ pertinent ad attributum immensitatis.

Explicantur tres modi, quibus Deus est in rebus, nempè per essentiam potentiam, & præsentiam.

Caput XII.

I. Aureol. in 1. dist. 37. quæst. vnica art. 3. propos. 1. ait hos nõ esse tres modos existendi in rebus, sed solum perfecte exprimere modum illum, quo Deus est vbique. Nam, propositio illa, *per*, explicat causalitatem, & potest designare, vel substratum, siue subiectum, quod dicitur esse vbique, vel causam formalem, qua substratum dicitur esse vbique, vel denique id, quod determinat formale ad substratum: quando vero ratio formalis essendi non est multiplex, sed simplex, est vnus, non vero plures essendi modi. Ita vero se rem habere in hac materia probat: quoniam, quando Deus dicitur esse in rebus per essentiam, solum significatur substratum, siue id, quod est vbique, nempè diuina essentia: cùm vero dicitur esse vbique per præsentiam, exprimitur ratio formalis essendi vbique, quæ est præsentia, siue indistantia Dei à rebus. Denique cùm dicitur Deum esse vbique per potentiam, exprimitur aliquid determinans formale ad substratum, videlicet indistantiam ad essentiam: ex hoc enim, quod Deus est potens, apprehenditur operatio diuina attingere necessario intima quæque rerum omnium, & essentia ipsa, à qua manat operatio, vt indistans à rebus omnibus. Et hic est, inquit, perfectus modus essendi vbique, scilicet per essentiam subiectiuè, per potentiam determinatiuè, per præsentiam, siue indistantiam formaliter. Non probat autem Aureolus aliter suam sententiam, quã impugnando explicationes aliorum doctorum. Quod attinet ad modum existendi in rebus per potentiam, illũ impugnat, quoniam esse per potentiam nõ est modus per se existendi proprius, sed abusiuus, & metaphoricus: nã modus, quo Rex dicitur esse in toto Regno per potentiam, non arguit illum esse præsentem immediate, sed per aliquem executorem ipsius: non est itaque potentia Regis realiter in toto Regno, sed secundũ esse rationis, quatenus apprehẽditur voluntas ipsius, & obligatio ad eam exequendam, quomodo Deus non est in rebus, & ideò esse per potentiam, est idem, quod per essentiam. Arguit deinde pluribus argumentis, quæ inferius referam contra modum existendi in rebus per præsentiam, cognitionis diuinæ: vnde colligit præsentiam; nihil aliud esse, quam indistantiam diuinæ essentiæ à rebus, ac proinde nõ esse modum distinctum à modo existendi per essentiam.

Aureol.

II. Hæc tamen positio est cõtra communem sententiam Doctorum cum Magistro vbi supra: Quod nõ est ita intelligendum, quasi sint in Deo plures modi actu distincti, sed quia concipimus existentiam ipsius in ordine ad diuersa cõnotata, & quatenus eminenter continet similes modos sparsos in creaturis. Et idcirco ad diiudicandũ vtrum sint distincti, recurrendũ est ad creaturas: in quibus, si reperti fuerint similes modi separati, perspicuum est habere aliquam distinctionẽ secundum rationes formales: videmus autem reperiri quosdã sine alijs: nã spæra corruptibilium est in cœlo lunæ per essentiam, quia omnium substantia, siue essentia continetur intra concauum lunæ: non tamen per potentiam, quia nequeunt in illud agere, aut per præsentiam, quia hic modus, vt infra dicam conuenit solis rebus cognoscentibus. Contra vero cœlum ipsum, sol, & astra non sunt in terra per essentiam, aut præsentiam, vt per se patet, & tamen sunt per potentiam, quia virtus, & operatio ipsorum ad terram pertingit. Denique Aquila ex præruptis silicibus in subiectam planitiem prospectans est per præsentiam in ijs, ad quæ eius intuitus diffunditur, in quibus tamen minimè est

per essentiam, vel potentiam. Idem ostendi potest, ex propria ratione cuiusque quoniam, vt statim explicabo, esse per essentiam consistit in existentia essentiæ diuinæ cum immediata præsentialitate, siue indistantia à rebus: esse per potentiam in eadem cum habitudine ad obiectum suæ virtutis, siue ad subiectum operationis: per præsentiam vero significatur eadem sub habitudine notitiæ intuitiuæ ad obiectum visum, quæ omnia differunt secundum rationes formales. Ex quo patet non esse veram explicationem Aureoli: nam, licet præsentialitas, vt ab ipso sumitur pro indistantia, pertineat ad rationem formalem modi existendi per essentiam, tamen in hoc sensu non accipitur, cùm ponitur modus existendi ab alijs contradiuisus, vt infra dicam. Deinde vero modus existendi per potentiam non est determinatiuus, siue copulatiuus rationis formalis existendi cum substrato: nam hæc coniunctio habetur ab immensitate: si enim ponamus per impossibile Deum non esse omnipotentem, & nihilominus esse immensum, vt modo est, & dari creaturas, vt nunc sunt, ex vi solius immensitatis esset ab omnibus indistans. Ad argumentum, quo impugnat modum existendi in rebus per potentiam, Respondetur in exemplis non debere esse omnia similia. Exemplum vero Regis vt notat Capreolus in 1. distinct. 37. quæst. vnica art. 2. ad argumenta Aureoli, affertur à D. Thoma ad explicandum, quomodo modus existendi per potentiam consistat non in indistantia, vel præsentia reali, sed in via actiua, siue coërciua, qualem habet Rex in toto Regno, in quo non est præsens realiter: differt vero à modo existendi Dei, tum quia potentia Regis in toto Regno est solum moralis, non physica, Dei vero est physica: tum quia existentia Regis secundum potentiam non habet adiunctam existentiam, secundum realem indistantiam, siue præsentiam, vt habet diuina. Et ideò vt ait Capreolus vbi supra, licet Rex dicatur esse abusiue in Regno per potentiam, Deus dicitur esse propriè.

Capreol.

III. Est vero magna sententiarum diuersitas in explicandis his modis. Albertus in 1. distinct. 37. art. 5. explicat omnes secundum rationem exemplaris, ita vt Deus dicatur esse in rebus per essentiam, quia creaturæ habent essentiam participatam à diuina, per potentiam, quia habent suas potentias à diuina, per præsentiam, quia speciem suam habent ab idea, quæ est species in mente diuina. Verum in hoc vltimo modo non procedit expositio, tum quia non distingueretur à primo, quemadmodum species rei non distinguitur ab eius essentia, tum quia præsentia obiectiua respectu speciei, quæ est in mente diuina est habitualis, non actualis, ac proinde non facit res absolute præsentes diuino conspectui. Ideò aliter hos tres modos explicant reliqui Doctores deinceps referendi: S. Thom. in 1. distinct. 37. quæst. 1. art. 2. ita explicat, vt diuina essentia, quia absoluta est ab omni re, non sit in rebus, nisi quatenus in eis operatur, & secundum quod operatur, dicitur esse in rebus per præsentiam, quia oportet operans aliquo modo præsens esse operato: & quia operatio non deserit virtutem, à qua exit, dicitur esse in rebus per potentiam: & quia virtus est idem cum essentia, dicitur esse in rebus per essentiam, eundem modum, vt probabilem admittit. Ægid. ibidem 1. p. distinctionis quæst. 1. & Hispalensis. quæst. vnica, art. 3. Notabil. 1. Et in idem recidit expositio Alensis, quæst. citata m. 2. & 4. & Durand. in 1. distinct. 37. 1. p. distinctionis, quæst. 1. num. 12. & 13. Verum neque etiam hæc expositio placet, quia iuxta illam modus existendi in rebus per præsentiam, non est distinctus à modo existendi per essentiam, & potentiam, sed cum vtroque coincidit, quia est præsentia, vel indistantia, potentiæ, & essentiæ à rebus.

S. Thom. *Ægid.* *Hispalens.* *Alensis.* *Durand.*

IV. Sunt vero tres alij modi explicandi probabiles. Primus est Andreæ de Nouo Castro in 1. distinct. 37. quæst. vnica, ad quintum, & Maioris, quæst. 1. notab. 2. qui dicunt Deum esse per essentiam in rebus quatenus participatur ab illis, per potentiam quatenus comparatur ad illas, vt agens, per præsentiam, quatenus est ab illis indistans. Secundus est Bonauent. in 1. distinct. 37. 1. parte distinctionis, art. 3. quæst. 2. Ochami, quæst. vnica, litera C. & Gabriel. quæst. etiam vn. art. 1. notab. 3. Qui quoad modú essendi per potentiam, & præsentiam conueniunt cum Nouo Castro, differunt quoad modum existendi per essentiam, quem dicunt addere præsentiæ intimitatem, & illapsum rei, cui præsens est. Tertius modus communior, & probabilior, qui conuenit cum præcedentibus quoad modum existendi per potentiam, differt quo ad alia, modum enim existendi per essentiam dicit esse indistantiam diuinæ essentiæ, & substantiæ à rebus omnibus: modum vero existendi per præsentiam, esse per notitiam intuitiuam Dei in rebus actu existentibus.

Nouo Castro. *Maior.* *Bonauent.* *Ochom.* *Gabriel.*

V. Vt autem probabilitas huius explicationis magis appareat proponenda sunt

aliqua

aliqua argumenta, quibus nonnulli Doctores illâ impugnant. Arguunt primo Alens. art. 4. citato init. & Aureol. art. 3. dum impugnat opinionem S. Thomæ, & Scoti, quoniam potius dicitur obiectum esse in cognoscente, quam cognoscens in obiecto cognito, quare res cognitæ magis dicuntur esse in Deo, quam ipsæ in rebus. Secundo arguit Durand. vbi supra, & Aureol. dum impugnat opinionē Scoti, quoniam Deus non est præsens nisi rebus actu existentibus, at eodem modo cognoscit res præsentes, præteritas, & futuras: ergo non ideò est Deus per presentiam in rebus omnibus, quia illas intuitiuè cognoscit. Tertio arguit Aureol. dum agit contra S. Thomam, quia si præsentialitas illa referatur ad esse cognitum, sequeretur quod diuina essentia non solum est in rebus per præsentiam, imò Deus esset in sua essentia per præsentiam, cum sit sibi cognita, quod tamen nullus concedit.

Alens. *Aureol.* *Durand.* *Aureol.* *Aureol.*

VI. Pro solutione supponendum præsentiam esse triplicem, localem, obiectiuam, vitalem: præsentia localis consistit in indistantia duorū secundum locum, quo modo corpus Christi Domini dicitur esse presentialiter sub speciebus consecratis, & hoc modo opponitur absenti secundū locum, vt patet ex Paulo secundæ ad Corinth. cap. 13. *Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens,* de hac præsentia loquebatur Apostolus eadem Epistola cap. 10. *Præsentia autem corporis infirma:* Et ad Philippens. 2. *Non vt in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea:* hoc modo accipit Anselm. in Monologio c. 12. cum ait: *Sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeat, nisi per eiusdem seruatricem potentiam.* Obiectiua est qua obiectum est præsens potentiæ cognoscenti, quomodo ait D. Thom. 1. p. quæst. 8. art. 3. ad 2. posse aliquid dici præsens alicui inquātum subiacet eius conspectui: quoniam vero obiectum modo est sub esse cognoscibili, modo vt terminans actualem cognitionem: ita præsentia eius ad potentiam, alia est habitualis, & quasi in actu primo, quando est in ea propositione ad potētiam cognoscentem, vt ab ea cognosci queat intuitiuè: alia vero actualis, quando actu videtur præsens, vt præsens. Præsentia denique vitalis est habitudo ipsius potentiæ ad obiectum præsens, siue vt cognitum, siue vt cognoscibile in actu primo: hoc modo sumitur illud Iob cap. 4. *Cùm Spiritus me præsente transiret,* non loquebatur enim de præsentia sui, ad spiritum obiectiua, sed vitali, qua scilicet spiritum sub corporea figura apparentem vidit, ita etiam accipitur primo Regum 15. *Introduxisti hunc, vt fureret me præsente,* hoc est in conspectu meo, me vidente: & lib. 4. Reg. cap. 5. dixit Eliseus ad Giesi, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de cursu suo,* cùm tamen ab illo longè distaret, nec ipse esset in prospectu Giesi, & ita hæc præsentia erat clara notitia, quam de facto illo habuit, & Clarius secundæ ad Cor. 5. vbi cum Apostolus dixisset: *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino,* subdit, *audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, & ideò contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi:* Loquitur Apostolus de præsentia, quæ non semper competit homini respectu Dei: nam, si eam semper haberet, frustra illam appeteret. At presentia cum secundū esse reale, tum secundum esse obiectiuum respectu Dei necessario competit omni creaturæ: non ergo de his, sed de alia intelligit, nempè de presentia vitali, qua ipse Deum præsentialiter aspiciat, quod colligitur ex verbis ipsius: nam, cùm dixisset: *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino,* subdit, *per fidem enim ambulamus, non per speciem:* & ideò, *dum præsentes esse ad Dominum,* coniungit cum peregrinatione à corpore, planè indicat se loqui de præsentia, quæ euacuat fidem, peregrinationem à Deo, & inducit visionem Dei, quam debet antecedere peregrinatio à corpore, hoc est mors.

2. ad Cor. cap. 13. *Ad Philip. 2.* *Anselm.* *S. Thom.* *Iob cap. 4.* *1. Reg. 15.* *4. Reg. 5.* *2. Cor. 5.*

VII. His præmissis dicendum est, modum existendi per præsentiam optimè explicari per notitiam intuitiuam Dei in rebus actu existentibus. Ita Altisiodor. lib. 1. cap. vlt. q. 1. Albert. art. 5. citato in 2. expositione, & art. 6. S. Thom. etiam mutans priorem sententiam tum in 2. scripto in 1. d. 37. q. 1. art. 2. tum 1. p. quæst. 8. art. 3. quem sequuntur Caiet. Iauellus, & alij recentiores Thomistæ ibidem, Ægidius vbi supra, Richard. in 1. d. 37. art. 1. q. 1. & 2. Ocham. q. vn. lit. C. & D. Gabriel q. vn. art. 1. notab. 3. & art. 2. conclusione 2. Bassolis q. vn. art. 1. Aquilan. q. vn. art. 4. Nouo Castro, q. vn. ad 5. in 2. expositione illius diuisionis, Capreol. q. vn. conclusione 3. & ad argumenta Aureoli 3. loco posita contra eandem conclusionem, Hispalens. notabil. citato, & art. 4. ad argumenta Aureoli 2. loco inducta contra secundam conclusionem Soncin. q. 2. concluſ 6. Marsil. q. 39. art. 1. notab. 1. Maior. vbi supra. Palat. disput. 1. Carthus. q. 2. Eadem est sententia Augustini lib. de essentia diuinitatis in principio: vbi, *Deus,* inquit, *est vbiq; præsens, sed latens: præsens, quia ipse omnia cognoscit, latens, quia*

Altisiodorens. *Albertus.* *S. Thom.* *Caietanus.* *Iauellus.* *Ægid.* *Richardus.* *Ocham.* *Gabriel.* *Bassol.* *Aquilanus.* *Nouo Castro.* *Capreol.* *Hispalens.* *Soncinas.* *Marsilius.* *Palatius.* *Carthusianus.* *Augustinus.*

non

non videtur à nobis. Ostenditur autem, quoniam Deus considerata solum scientia visionis, qua omnia penetrat, ita vt omnia sint nuda, & aperta oculis eius, potest dici esse vbique præsens, quamuis per impossibile fingamus nō habere omnipotentiam, aut immensitatem: ergo à præsentia secundum cognitionem optimè dicitur Deus esse in rebus per præsentiam.

VIII. Ad primum argumentum in oppositum respondetur, res creatas posse dici esse in Deo ratione esse intellectualis, quod in ipso habent, & præsentes Deo ratione terminationis extrinsecæ diuini intuitus: quę enim sunt in prospectu alicuius verè illi præsentes dicuntur. Hoc vero nō sufficit vt creaturæ dicantur esse in Deo per præsentiam: non enim est aptus, aut consuetus loquendi modus, vt obiectum dicatur esse per præsentiam in potētia vitali, à qua videtur intuitiuè, sed vice versa potentia in obiecto: vt patet ex illo Iob cap. 7. *Oculi tui in me.* & ex illo Prouerb. cap. 17. *Oculi stultorum in finibus terræ,* dicitur enim potentia esse in obiecto, quasi motu suo vitali ad illud vsque pertingat. Ad secundum respondeo, non omnem scientiam sufficere, vt sciens dicatur esse prę̃sentialiter in obiecto cognito, sed solā intuitiuam obiecti actu existentis: nā modus existendi in alio per præsentiam non solum exigit obiectū prę̃sens intentionaliter, hoc enim modo potius obiectum ipsum est in cognoscente, quam hic in obiecto, sed vlterius requirit præsentiam realem, siue existentiam obiecti cogniti: quamuis enim contingat, vt id, quod existit in alio, non sit actu in se, quomodo fructus, antequam sint actu formaliter, sunt virtute in semine, id tamen, in quo aliud esse dicitur, oportet vt existat: nam, vel est alteri ratio existendi, quomodo effectus sunt in causa, & vicissim causæ in effectibus: vel extremum coexistentiæ alterius, quomodo corpus est in loco: repugnat autem, vt id, quod non existit, sit vel ratio existendi alteri, vel terminus coexistentiæ illius: & proinde in creaturis non existentibus non est Deus per præsentiam. Ad tertium neganda sequela: nam Deus est in se per identitatem, vt vero vnum dicatur esse in alio per prę̃sentiam requiritur distinctio actualis, quæ non est inter essentiam, & sapientiam diuinam, si vero quis dicat ad hoc non requiri distinctionem actualem, quod non est improbabile, vt indicat Capreolus in 1. distinct. 37. quæst. vn. ad 2. Aureoli ex ijs, quæ secundo loco obijciuntur. Respondetur non esse absurdum vt diuina essentia dicatur sibi præsens per cognitionem.

Iob 7. *Prouerb. 17.* *Capreol.*

IX. Circa modum existendi in rebus per essentiam, notandum est, non ita dici Deum esse in omnibus per essentiam, quasi non simul adsit potentia, scientia, ac reliqua attributa, quæ sunt idem prorsus cum essentia: impossibile enim est vt eorum, quæ sunt prorsus idem, sit vnum absque altero; & ita non solum essentia, sed omnia attributa, proprietates, & personæ diuinæ sunt vbique per essentiam: quoniam secundum entitatem, ac formalitatem suam à nulla re, aut loco distant. Nam, quemadmodum simplicitas, infinitas, & alia eiusmodi attributa, quæ concipiuntur à nobis, vt modi quidam substantiales, vel negationes imperfectionis alicuius, afficiunt essentiam, nō solum prout distinguitur ab attributis, sed etiam prout illa includit, & consequenter afficiunt etiam singula attributa, ita etiam immensitas non solum est ratio, vt substantia diuina sit vbique præsens, sed etiam vt ipsa attributa, ac personæ rebus omnibus adsint: Dicitur tamen hic existendi modus secundum essentiam: quoniam id, quod propriè, ac per se alicubi intelligitur esse vt quod, est ipsa rei substantia, ratione vero eius proprietates, atque accidentia ipsius: quidquid autē secundum suam propriam entitatem alicubi est, verè dicitur esse ibidem per essentiam: & quoniam omnia attributa diuina secundum propriam entitatem, ac rationem formalem adsunt rebus omnibus, verè dicuntur in illis esse per essentiam.

Deus est in rebus omnibus intime præsens secundum substantiam, non autem creaturæ in Deo.

Caput XIII.

I. Prætermissis duobus modis existendi in rebus, nempè per potentiam, & prę̃sentiam, qui non pertinent ad attributum immensitatis, sequitur vt prosequamur tertium, quo Deus dicitur esse in rebus per essentiam, is verò, vt dictum est supra, fingitur remote in immensitate diuina, proximè vero in indistantia. Quia tamen, vt capite II. dictum est, sola indistantia non sufficit, vt vnum in altero esse dicatur, sed præterea requiritur, vt sit intra terminos ipsius, explicare

oportet

oportet quomodo Deus ratione immensitatis, aut alterius perfectionis sit intra terminos rerum creatarum: & vtrum creaturæ, quę sunt æque præsentes Deo secundum indistantiam propriæ essentiæ dici possint esse in Deo secundum essentiam.

II. Quod attinet ad primum, certum omnino est Deum esse intime præsentem rebus omnibus, non solum corporalibus, sed etiam spiritualibus, quæ est communis sententia Patrum asserentium Deum omnia penetrare, peruadere, & permeare. Ita expresse loquuntur Philo lib. 2. legis allegor. initio, & lib. de confusione linguarum post medium dum explicat illa verba Genes. 11. *Philo.* *Descendit Dominus, vt videret Ciuitatem*, Hilarius in id Psal. 124. *Montes in circuitu eius, &c.* Nyss. tract. de professione Christianorum versus finem. Nazianzen. orat. 34. quę est secunda de Theologia num. 14. August. de cognitione veræ vitæ cap. 29. Auctor lib. de speculo apud August. cap. 3. Cyrill. Alexand. lib. 1. Thesauri cap. 7. circa principium, Damascen. lib. 1. de fide cap. 16. Hugo de sancto Victore in sum. sent. tract. 1. cap. 4. Rebus omnibus illabi dixit Basil. hom. 27. de Spiritu sancto. Est etiam communis sententia Scholasticorum, quam Albertus in 1. dist. 37. art. 5. & alij deducunt ex illo Apostoli ad Hebr. 4. *Hilarius.* *Nyssenus.* *Nazianzen.* *Augustinus.* *Auctor.* *Cyrill. Alex.* *Damascen.* *Hugo Victor.* *Basilius.* *Albertus.* *Ad Hebr. 4.* *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsq; ad diuisionem animæ, ac spiritus: compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*: quo loco sermo est de Verbo æterno, vt ait Athanas. serm. 3. cõtra Arian. ante medium, & iterum versus finem, & de salutari aduentu Christi post medium, & interpretatur ibidẽ Anselm. & D. Thom. & constat ex verbis sequentibus: *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, &c.* Quod non potest intelligi de sermone, siue Verbo creato, sed de increato: cùm ergo Paulus dicat, *Pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus*, satis indicat Verbum diuinum ita esse intimum nobis, vt sit intra ipsos terminos essentiæ, & quasi interpositum inter rationem vitæ animalis, quam habemus communem cum brutis, & spiritualis, qua conuenimus cum Angelis: nam, quamuis hoc intelligatur à multis ratione operationis, ac præsentiæ, intelligi quoque potest, ac debet ratione indistantiæ intimæ secundum essentiam, quæ ex operatione colligitur: vnde D. Chrysost. eodem loco homil. 7. ait verbis illis significari, quod Verbum Dei, ipsa etiam peruadit incorporea, non quemadmodum gladius solum corpora. Itaque certum est Deum ita esse intimum etiam rebus spiritualibus, sicut ipsæ possunt esse intime præsentes corporalibus. *Athanasius.* *Anselm.* *D. Thom.* *Chrysost.*

III. Difficultas vero est in explicando modo huius præsentiæ. Nam, si nihil est intimum alicui rei, nisi sit intra terminos illius, res autem spirituales non habeant terminos extensionis entitatiuæ secundum spatium, sed totæ sint in qualibet parte spatij, si quid intra terminos ipsarũ est, peruadere debet ipsos terminos essentiæ: his vero intermisceri aliquid extraneum, quod non sit de ratione formali intrinseca rei, est impossibile: nam termini essentiæ ita rei cuiusque naturã finiunt in se ipsa, vt etiam separent ab omni alia, quæ non continetur ijsdem terminis: Deus autem, vtpote infinitum pelagus essentiæ, nullis terminis circunscribitur: atque adeò nequit intelligi intra terminos essentiæ vllius creaturæ; & consequenter neque intimus. Hęc obiectio quamuis ostendat difficultatem explicandi rem, non tamen veritatem doctrinæ euertit.

IV. Pro explicatione huius difficultatis supponendum inprimis est ad intimam præsentiam primum omnium requiri, vt nullibi sit creatura, vbi non sit Deus, nec sit quidquam tam intimum in creatura, cui diuina substantia præsens nõ sit, quod expresse requirunt Ocham. in 1. dist. 37. quæst. vn. lit. C. Gabriel quæst. etiam vnica art. 1. notabil. 3. & Aureol. quæst. etiam vn. art. 3. propositione 3. Hoc vero Deo conuenit ratione immensitatis diuinæ, quæ est magnitudo virtualis infinita, cui repugnat, vt sit aliquod spatium, à quo absit: Et idcirco præsentia intima, quatenus exigit indistantiam à rebus creatis, fundatur in immensitate. Verum, si sola hęc indistantia, & immensitas consideretur cum abstractione ab omni alia perfectione, nõdum intelligitur præsentia intima: si enim concipiamus sphæram existentiæ localis cuiusuis Angeli nullis terminis circunscribi, & penes cætera non variari, posset Angelus dici immensus, & haberet vim coexistendi præsentialiter omnibus omnino rebus, nec tamen esset intime præsens spiritualibus: nam, vt est communis sententia Theologorum in 2. d. 8. modo non est intimus animæ, aut alteri Angelo, à quo tamen est indistans secundũ spatium: ergo neque tunc esset: quoniam, vt suppositi, quoad alia præter extensionẽ virtualem nõ esset vllo modo mutandus. Est vero fundamentũ summa Dei immaterialitas, atque simplicitas, vt notat Albert. in 1. d. 37. art. 5. & significant Patres dicentes Deum propter summã *Ocham.* *Gabriel.* *Aureol.* *Albert.*

simpli-

simplicitatem, & subtilitatem omnia penetrare. Ita Anastasius Synaita lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmat. Gregorius lib. 2. moralium cap. 8. in id Iob 1. *Egressusq; est Satan à facie Domini.* & Auctor lib. de speculo, cap. 32. apud Augustinum. Id verò respectu corporum perspicuè patet: nam ideò Angelus, & anima possunt esse intime præsentes rebus corporeis, quoniam sunt immateriales: quod adeò verum est, vt corpus Christi Domini materiale, & quantum, quia in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento est modo indiuisibili, & quasi spirituali, sit intimè præsens speciebus consecratis.

Athanasius. *Gregor.* *Augustinus.*

V. Quoad res spirituales est difficultas, quoniam ipsæ nõ habent vllam repugnantiam inter se quoad existendum simul in eodem spatio: atque adeò, si creatæ nequeunt esse sibi mutuo præsentes intime, ratio immaterialitatis non videtur ad hoc conducere. Et confirmatur primo, quoniam existente eadẽ indistantia secundum situm, & eadem immaterialitate, res desinit esse intimè præsens substantiæ spirituali, cùm antea foret: ergo sola immaterialitas non est ratio intimæ præsentiæ vnius rei spiritualis ad aliam. Antecedens ostenditur: nam, si ponamus Deum potentia absoluta conseruare extra subiectum eadẽ accidentia spiritualia, quæ erant in anima, vel Angelo in eodem situ, vel spatio, in quo est anima, vel Angelus, habebunt eandem indistantiam ab eisdem, quam antea habebant, & cõseruabunt eandem immaterialitatem: Et nihilominus, cùm antea essent intimè præsentes substantijs, quibus inhærebant, modo iam nõ sunt. Confirmatur secundo, quoniam si sola immaterialitas sufficeret, etiam Angeli possent esse intimè præsentes animabus: quod est cõtra communem sententiam Theologorum. Sequela ostenditur, quoniam non est minus immaterialis substantia Angelica, quam accidentia spiritualia: hæc autem sunt intime præsentia substantijs, quibus insunt: ergo, si supposita indistantia immaterialitas esset ratio adæquata, cur res sit intime præsens substantijs spiritualibus, Angeli essent intime præsentes animabus.

VI. Hæc argumenta probant quidem præcisam rationẽ immaterialitatis absque alia ratione non esse sufficiens fundamentum intimæ præsentiæ respectu rerum spiritualium. Cùm hoc tamen stat immaterialitatem maximè ad id conducere; quod præcipuè locum habet in diuina, quæ tam eximia, atque excellens est, vt sancti Patres relati tractat. 4. cap. 4. num. 10. asserant res omnes creatas; etiam spirituales respectu Dei esse materiales: vnde est illa Bernard. serm. 6. in Cant. initio. *Demus ergo securi veram soli Deo, sicut immortalitatem, ita & incorporeitatem.* Quod dictum est ratione potentiæ passiuæ, quæ reperitur in omni re creata spirituali, & quia Deus est actus purus, & alienus ab omni ratione subiecti, & potentiæ, ipse simpliciter dicitur immaterialis, cætera vero respectu eius materialia. Et quemadmodum actus omnis potest intime inesse potentiæ, cuius est actus, quia sub hac consideratione habet perfectiorem modum immaterialitatis, ita Deus, quia est actus purus, licet non informans, sed subsistens, ratione suæ immaterialitatis eminentissimæ habet, vt sit intimus rebus etiam spiritualibus. Verum adhuc habet vim argumentum supra propositum; quoniam accidens spirituale non est minus immateriale, cùm ponitur extra subiectum indistans ab illo, quam cum ipsi inhæret: & tamen, dum inhæret, est intime præsens, separatum verò à subiecto nequaquam: ergo, cùm Deus nullo modo actuet formaliter creaturas spirituales, sola ratio actus puri subsistentis non est satis, vt dicatur esse intime præsens, nisi detur aliqua alia conditio, vel ratio.

Bernard.

VII. Hæc difficultas in sententia D. Thomæ facile expeditur: nam, sicut sentit Deum esse præsentem rebus omnibus per suam operationem, ita etiam dicet esse intime præsentem eisdem per intimam operationem: cùm enim operatio sit tactus virtualis, quo Deus est in rebus, operatio intima erit tactus intimus, quo nostro loquendi more Deus sit penetratiuè, atque intime in ipsis rerum essentijs, ita 1. p. q. 8. art. 1. & q. 28. de veritate art. 2. ad 8. & in 1. dist. 37. q. 1. art. 1. ad primum: nam, cùm dixisset Deum non esse intrinsecum rebus, quasi partem constitutiuam, subdit tamen, *Est intrarem, quasi operans, & agens esse vniuscuiusq; rei,* ad idem alludit in cap. 4. ad Hebræos super illa verba: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti:* Hæc sententia iuxta principia D. Thomæ probabilis est. Ego tamen, vt congruenter procedam, sicut superius dixi præsentiam Dei ad res omnes non constitui formaliter ipsa operatione, ita nunc dico existentiam, siue præsentiam intimam ipsius in rebus omnibus, etiam spiritualibus non consistere formaliter in ipsa operatione, sed in alia ratione existendi penetratiuè, quodammodo in ipso Spiritu. Fundamentum est, quoniam absque operatione intelligitur ratio præsentiæ intimæ: nam perfectiones formales intrinsecæ essentiæ cuiusuis substantiæ

S. Thom. *Ad Hebr. cap. 4.*

spiritua-

spiritualis, item formæ accidentales intrinsecùs inhærentes, etsi non sint vllo modo actiuæ, sunt intimè præsentes substantijs spiritualibus: quare præsentia intrinseca potest intelligi absque operatione eius, quod est intimè præsens. Cùm ergo substantia diuina per se solum sine operatione considerata, non minus sit intimè præsens animæ, quam intellectus, memoria, & voluntas, & operationes vitales ab ijs procedentes, si hæc secundum propriam entitatem habent modum intimæ præsentiæ, Deus quoque habebit. Quod supponit Bonauent. in 2. d. 8. 2. p. distinctionis art. vn. quæst. 2. vbi ait duo requiri ad rationem illapsus vnius rei in alteram: nempè, & quod sit illi intima, & quod in illa intimè operetur: nam, si hæc sunt duo, primum abstrahi à secundo, atque adeò concipi potest ratio præsentiæ intimæ præcisa operatione: quod etiam docet Gabriel. eadem dist. quæst. 2. art. 2. & alij. Quid tamen sit, aut in quo consistat hæc præsentia Gabriel non explicat, sed solum ait esse indistantiam, & penetrationem sumpta metaphora à corporibus se inuicem penetrantibus: sicut enim hæc se mutuo secundum interiores partes penetrant, ac peruadunt, ita id, quod est alteri intimè præsens, intima quoque illius penetrat.

Bonauent. Gabriel.

VIII. S. Bonauent.

S. Bonauentura explicat in hunc modum, in anima humana idem est intimum, ac supremum: quod probat quoniam, quo magis animus noster redit ad interiora, tanto magis ascendit, atque vnitur æternis: & ideò, sicut secundum suum supremum magis appropinquat Deo, ita etiam secundum intimum: & quoniam Deus solum est superior humana mente secundum suum supremum, ipse quoque solus potest esse illi intimus. Hæc expositio supponit duo, quæ non carent dubitatione: alterum est supremum, & intimum esse idem: alterum est solum Deum esse superiorem anima secundū eius supremum. Nam, quod attinet ad primum, non minus intima est animæ ratio inferior, quam superior, voluntas, quam intellectus: & tamen intellectus est quid perfectius voluntate, & ratio superior inferiore. Iam vero secundum facilè confutatur: nam substantiæ Angelicæ secundum perfectiones naturales sunt mediæ inter Deum, & animam rationalem, cùm sint inferiores Deo, superiores anima secundum naturam: quare non solus Deus est superior anima secundum eius supremum: nam supremum animæ est pars intellectiua, secundum quam Angelus præstat animæ. Denique ex hoc ipso colligitur rationem præsentiæ intimæ non consistere in ratione superioritatis: tunc enim accidentia spiritualia ordinis naturalis, non essent intime præsentia substantiæ spirituali: econtra vero Angeli essent intime præsentes animabus: vtrunque vero est falsum. Non negauerim tamen ex absoluto, & independente excessu perfectionis diuinæ supra creatas posse aliquo modo colligi intimam præsentiam Dei ad creaturas. Quoniam hæc præsentia est perfectio simpliciter, & melius est cuicunque enti esse intime præsens alteri, quam extrinsecus relinqui. Sed in ipso excessu, siue superioritate neutiquam consistit hæc intima præsentia, quam nunc exquirimus. Nam excessus perfectionis essentialis constituit quidem habitudinem maioritatis secundum quantitatem virtualem, non tamen contactum intimum vnius substantiæ cum alia: quod patet exemplo Angelorum, qui omnes excellentioris naturæ sunt, quam anima rationalis, & ipsi inter se alij alijs perfectiores: nec tamen proinde vel omnes animabus humanis, vel superiores ipsorum sunt intime præsentes inferioribus.

IX. S. Thom.

S. Thomas lib. 4. contra gent. cap. 17. in fine indicat ad præsentiam intimam requiri, & sat esse indistantiam participati à participante quatenus dicit ideò Spiritum sanctum esse intimum, & infundi animæ, quia participatur ab anima. Idem quoque docet Dydimus lib. de Spiritu sancto, vbi cum dixisset solum Deum implere posse mentem hominis iuxta substantiam, diabolum vero dici esse in corde, quia in eo extrinsecus operatur, subdit. *Introire in aliquem increata naturæ est eius, quæ participatur à pluribus.* Et ideò ait diabolum introire secundum operationem nō secundum substantiam, quia est imparticipabilis. Hæc tamen ratio non caret dubitatione: nam, cùm dicitur præsentiam intimam constitui per indistantiam participati à participante, vel intelligitur de participatione formali, vel de causali: de neutra intelligitur: quare participatio nihil facit ad rationem intimæ præsentiæ. Assumptio constat inprimis quoad formalem: nam Deus est intime præsens omnibus rebus, nec tamen participatur formaliter ab illis, quasi sit forma perficiens formaliter res ipsas. Non item debet intelligi de causali. Nam, formæ omnes intrinsecæ subiectis habent intimam præsentiam cum illis, non tamen participantur causaliter, Angelus etian

illuminat alium Angelum, vel animam, atque adeò participatur causaliter, & nihilominus non est intimè presens animæ, vel
Ferrariens. alteri Angelo. Ferrariens. cap. 17. citato. §. *Ad huius euidentiam.* Existimat D. Thom. intelligendum esse de participatione causali, non qualicunque, sed secundum substantiam, quod exinde colligit, quoniam D. Thom. loco citato ex eo probat, nullam creaturam alij infundi, quia nulla est participabilis: at vero Spiritus sanctus, infunditur quasi ab eis participatus: certum vero est Spiritum sanctum non participari formaliter, sed causaliter. Hæc interpretatio Ferrar. si intelligatur de creatura per se existente, vt ipse loquitur, accommodata est ad doctrinam Diui Thomæ: cùm enim ait Spiritum sanctum infundi, & participari, non vero creaturam, loquitur de creatura per se existente, siue de substantia creata: & quia Spiritus diuinus causaliter participatur secundum substantiam à creaturis, substantia vero creata nequaquam, idcirco ille dicitur esse intime præsens, & infundi animæ, non vero dæmon, aut vlla alia creatura. Hæc tamen causa non est adæquata: nam, formæ accidentales, quæ insunt animæ, sunt illi intime præsentes: ob quam causam supernaturales virtutes dicuntur infusæ à
Trident. Theologis, imò, & à Concil. Trident. sess. 6. de iustific. cap. 7. & in hymno Ecclesiæ dicitur, *Illapsa nobis cœlitus largire dona Spiritus*; & tamen formæ accidentales non participantur causaliter ab anima, sed formaliter.

X. Participatio omnis supponit aliquam dependentiam subiecti participantis à perfectione participata, vel quoad esse substantiale, vel quoad accidentale, quod superuenit substantiali: nam, si perfectio participata sit intrinseca subiecto, habet modum causæ formalis, vt se habet vita ad viuens, intellectus ad intellectiuum, candor ad candidum; si vero sit extrinseca, habet saltem rationem causæ exemplaris: vtraque vero habet suum effectum communicatum subiecto, quod proinde pendet aliquo modo à perfectione participata. Et vero, cùm forma informans sit intrinseca subiecto, & effectui formali, recte percipitur quomodo sit intrinseca substantiæ spirituali, quæ est subiectum, & interdum etiam effectus formalis ipsius, vt viuens est formalis effectus vitæ: item, cùm actus sit intimus potentiæ passiuæ, quam perficit, et in ea perspicuum manet, quomodo forma participata, quæ est actus subiecti, cui communicat suum effectum formalem, sit illi intrinseca. De forma exemplari manet difficultas: non enim, quidquid exemplariter participatur est intrinsecum subiecto participanti: nam rosa picta participat aliquas perfectiones naturalis, nec tamen hæc est illi intima, quod multis alijs exemplis constat. Imò, si per impossibile fingamus creaturam habere vim creandi independenter à Deo, vt à causa efficiente, cùm subordinatione tamen ad eundem vt ad exemplarem, ex hac dependentia minimè argueretur, præsentia intima Dei ad creaturam creatam: ad hoc enim, vt vnum tanquam exemplar det esse alteri, sat est, vt sit obiectiuè in animo operantis ad similitudinem exemplaris: præsentia vero obiectiua ad animum operantis, non infert realem ad ipsum, vel ad effectum productum, vt per se patet. Ergo, si præcisè consideretur dependentia ad causam exemplarem, non est sufficiens ratio, vt forma participata sit intime præsens rebus participantibus: atque adeò neque Deus ex eo præcisè, quod eius essentia participetur exemplariter à creaturis, erit intime præsens rebus spiritualibus.

Vt ergo constet, quænam habitudo participati ad participans sufficiat ad complementum præsentiæ intimæ, obseruandum discrimen inter formas participatas formaliter, & causaliter: primæ enim communicant formaliter subiecto suum proprium esse, & habent in illo suum effectum formalem, vt se habet humanitas ad hominem, iustitia ad iustum: secundæ vero non communicant suum proprium esse formale participanti, sed aliquam eius similitudinem. Rursus participatio causalis alia est solum exemplariter à participato, quomodo rosa vera participatur à picta, alia exemplariter, & efficienter simul, qua ratione imago impressa in cera participat eam, quæ est in sigillo, cuius impressio fuit impressa. XI.

Hoc posito dicendum est præsentiam intimam consistere in indistantia secundum situm cum habitudine ad formam participatam immediate formantem subiectum participans. Probatur quoniam omnis forma informans est intrinseca subiecto formato, & sublata informatione hoc ipso desinit esse intima subiecto, quantumlibet sit ab eo indistans secundum. Ergo signum est habitudinem ad formam participatam, & formantem per XII.

tinere

tinere ad rationem intimæ præsentiæ. Dictum est formam debere esse formantem, & non necessario informantem, quoniam forma non inhærens, quæ non est formaliter vnita subiecto, & consequenter non est informans, potest esse intima subiecto formato, & hoc modo se habet
Augustinus. diuinitas, quæ auctore D. Augustino lib. de spec. cap. 21. est forma rerum omnium, quæ ab ipsa formantur, vt tradit idem Augustin. lib. 2. de libero arbitr. cap. 17. his verbis: *Conficitur itaq; vt & corpus, & animus forma quadam incommutabili, & semper manente formetur:* Format autem Deus per intrinsecum illapsum applicando se, vt exemplar rebus creatis, & quasi sigilli impressione constituendo aliquam sui similitudinem in ijsdem, quo exemplo vtitur
Albert. Albert. in 1. distinct. 37. art. 1. Et quemadmodum sigillum, quod impressione materiæ mollis, reddit in illa effigiem similem propriæ, est quodammodo intra partes eiusdem effigiei, ita Deitas est intima ipsi essentiæ creatæ, quam immediate applicatione sui figurat, & pro diuersitate applicationis constituit diuersas rerum species, & figuras. Et quia quidquid est in creatura participatur ab hac forma immediate figurante, propterea Deus est intimus rebus omnibus, non vero aliæ causæ exemplares: & ob eandem causam dixi formam, in habitudine ad quam completur vltima ratio præsentiæ immediatæ, debere formare immediate: quod solummodo conuenit illi, quæ vel informat, vel si non informat, format simul exemplariter, & efficienter: hoc autem respectu entitatis spiritualis soli Deo competit: atque adeò solus ille est intimè præsens.

XIII. Ex dictis solui potest obiectio proposita num. 3. cuius sunt duo capita: alterum est, quoniam natura diuina est extrinseca essentiæ rerum creatarum, alterum quoniam caret terminis essentiæ: & ideò intra nullos terminos essentiæ esse, vel concipi potest. Ad primum respondeo dupliciter aliquid dici intrinsecum naturæ, siue essentiæ: nempè, vel quia clauditur in conceptu quidditatiuo rei, pertinetque ad eius rationem formalem intrinsecam, vel quia in ipsa intrinsecus existit quamuis non denominat intrinsecus: quæ duo non conuertuntur: nam, etsi quidquid clauditur in conceptu quidditatiuo essentiæ, inexistat intrinsecus, non tamen econtra quidquid intrinsecus in aliquo existit, pertinet ad rationem formalem ipsius, vt patet in accidentibus tam corporeis, quam spiritualibus, quæ substantiæ intrinsecus inhærent, nec tamen pertinent intrinsecè ad eius essentiam: similiter Deus etsi existat intimè præsens rebus spiritualibus, & intra terminos essentiæ ipsarum, non proinde clauditur intrinsecè in ratione formali quidditatiua ipsarum. Ad secundum respondeo, quemadmodum non repugnat, vt Deus infinitus secundum magnitudinem virtualem extensiuam sit intra res corporeas, quia ita est intra terminos ipsarum vt sit quoque extra, sic etiam non repugnare, vt infinitus secundum essentiam sit intra terminos essentiæ rerum creatarum, quia illis non circunscribitur, sed ita est in singulis, vt sit extra in omnibus alijs.

XIV. Quod attinet ad secundam quæstionem, an dici posset creaturas esse in Deo secundum essentiam, Pars affirmatiua probatur, quoniam Actor. 17. dicitur. *In Actor. 12.* *ipso viuimus, mouemur, & sumus:* Si ergo sumus in Deo cum omnimoda indistantia, profecto sumus in illo per essentiam: Et confirmatur ex dicto D. Gregor. *Gregor.* relati ab Alens. 1. p. quæst. 9. m. 3. quo- *Alens.* libet mittantur Angeli intra Deum currunt. Et ex communi modo loquendi Patrum, qui aiunt Deum esse extra res, & continere illas, qua de causa Alens. vbi supra ait res dici esse in Deo, quatenus ipse est continens extra. Ratio vero dubitandi est quoniam Patres & Doctores communiter dicunt Deum & continere creaturas, & non contineri ab illis: res vero contenta propriè dicitur esse in continente, vel intra illud, vt patet in rebus corporeis: nam corpora corruptibilia dicuntur esse intra cœlum, à quo continentur, aqua in vase, scientia in anima, & sic in cæteris: quare creaturæ possunt dici esse in Deo, vel intra Deum.

XV. Hæc quæstio non intelligitur ratione magnitudinis infinitæ, qua Deus ita est in singulis rebus, ac locis, vt sit extra, & intra omnes: nam forte ratione huius non repugnaret dicere creaturam esse intra Deum, hoc est vndique contentam Deo, ad quod allusisse videntur illi, qui creaturam comparant spongiæ immersæ mari, Deum vero ipsi mari, sed neque hoc modo propriè dicuntur esse intra Deum, quoniam Deus vt ait Athanas. *Athanasius.* orat. cont. gregales Sabellij post med. nec ambitur, nec ambit: atque adeò, quamuis sit extra res omnes, non proinde hæ verè dici possunt esse intra Deum, vel esse in illo per essentiam, vt patet in ipsis

membris corporis humani, extra quæ est anima in alijs: nam cor non dicitur esse intra animam, quamuis ipsa sit extra illud in alijs membris, quæ corpus vndequaque ambiunt. Intelligitur vero quæstio solum cõsiderata præcisè ratione præsentiæ, & indistantiæ creaturæ ad Deum in eodemmet spatio.

XVI. Dicendum est nihilominus creaturas non esse in Deo per essentiam, aut illi intimè præsentes: hæc expresse traditur ab *Alensis.* Alens. 1. p. quæst. 10. m. 4. in quæst. collateral. Probatur vero primo quoniam ratione materialitatis maior est improportio creaturæ ad Deum, quam ad quamuis substantiam spiritualem creatam: sed ratione materialitatis corpus non est intra animam, aut intra substantiam dæmonis, à quo obsidetur, & est prorsus indistans: ergo neque erit intra substantiam Dei. Secundo habitudines eius, quod est in alio, & eius in quo est aliud secundum eundem essendi modum sunt oppositæ: Deus vero est in creaturis secundum essentiam, vt iam ostendi: ergo illæ nequeunt hoc ipso modo esse in Deo. Ex quibus facilè soluuntur rationes dubitandi. Inprimis autem quod adducitur ex Actis Apostolorum non accipitur eodem modo, quo dicimus Deum esse in rebus per essentiam: nam hic terminus, *In*, significat quasi quietem in re, in qua aliud esse dicitur: citato vero loco act. valet idem ac per virtutem, siue potentiam Dei, frequenter enim accipitur ad hunc sensum in sacris literis vt constat Psalm. 17. *In Deo meo transgrediar murum.* & 1. Pet. 1. *In virtute Dei custodimini*: Eodem modo, Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur, ac sumus*: Idem valet, ac si diceret per ipsius vim, & potentiam habemus vitam, motum, & existentiam. Ad dictum Gregorij respondetur locutum fuisse metaphoricè propter immensitatem diuinam, ratione cuius Deus nusquam deest. Et ideò quocunque pergat Angelus Deum reperit, sicut nos reperimus aërem, & pisces aquam: est tamen in modo discrimen, nos enim scindimus, & penetramus terminos corporis: Nulla vero creatura penetrat intima Dei. Ad rationem dicendum est non esse eandem rationem in spiritualibus, & corporalibus: *Albertus.* quamuis enim vt notat Albertus in 1. dist. 37. art. 5. ad hoc, vt res vna dicatur esse in alia, requiratur connotatio aliqua continentis, & contenti, diuersimode tamen in corporalibus id, quod continetur, est in continente, vt aqua in vase, locatum in loco. In spiritualibus tamen contra se res habet: nam ea, quæ continent, dicuntur esse in ijs, quæ continentur: anima enim est in corpore, quod vi sua informatiua continet, ac fouet, corpus autem non dicitur esse in anima. Et ideò quamuis creaturæ contineantur à Deo, non proinde hæ sunt in illo per essentiam, sed Deus in ipsis.

Non est idem prorsus esse in rebus per essentiam, & tanquam in loco.

Caput XIV.

I. EXplicato fundamento, & propria ratione formali existendi in rebus per essentiam, sequitur explicandum vtrum, & quomodo Deus sit in loco: nam ipsa quoque immensitas est fundamentum existendi in loco. Inprimis autem non est curanda distinctio, quam Alens. 1. p. quæst. 9. *Alensis.* m. 4. tradit, vult enim hæc tria distingui, nempè esse vbique, in omni loco, in omni re. Nam idem est esse vbique, atque esse in omni loco, vt doctores communiter exponunt, vt videre est apud S. Thomam in *S. Thom.* 1. dist. 37. quæst. 2. art. 3. ad 2. Bonauent. *Bonauent.* 1. p. distinct. art. 2. quæst. 2. & alios: licet enim aliqui distinguant vbi à loco, quatenus constituunt modum quendam intrinsecum locato, per quem respondet loco, tamen is modus potius est ratio proxima existendi in loco, quam extremum, siue terminus, in quo sit locatum. Et ideò cum rogamus vbi sit Petrus, nõ curamus de hoc modo, sed de loco, in quo sit: Eodem modo, cum dicimus Deum esse vbique, intelligimus esse in omni loco: sed omisso hoc discrimine veniamus ad duos alios modos.

II. Non esse vero discrimen inter modum existendi in rebus, & in locis, Probatur. Primo quoniam in substantijs spiritualibus idem est esse in re aliqua, & in loco, ac vice versa: & tamen potest in eis considerari eadem diuersitas ex parte connotati, vel habitudinis extrinsecæ, quæ reperitur in Deo: quare hæc in Deo non distinguntur. Secundo ex parte Dei eadem est ratio fundamentalis existendi in re, atque in loco: ex parte vero ipsarum rerum, ac locorum eadẽ habitudo ad Deum: quare discrimen non potest esse intrinsecum ex parte ipsius Dei, neque extrinsecum ex parte connotati, & ideò nullum omnino est. Antecedens quo ad priorem partem est manifestum: nam ratio fundamentalis existendi

in re-

in rebus, remota quidem est ipsa immensitas Dei, qua aptus est coexistere, & esse præsens rebus omnibus: proxima vero est indistantia ipsius à rebus: hæc eadem vero est ratio existendi in loco. Ex parte verè rerum, ac loci est existentia cum negatione distantiæ ab ipso Deo, posita enim re, vel loco cum eiusmodi negatione, hoc ipso est terminus præsentiæ diuinæ ad ipsa. Tertio si, hæc duo distinguuntur, aut habent aliquem ordinem prioritatis, & connexionis inter se: aut sunt prorsus disparata, atque disiuncta: posterius admitti non potest: nam saltem in loco nequit esse Deus quin sit in re, quandoquidem locus ipse res quædam est; & ideò, si est in loco, simul etiam est in re. Ex quo fundamẽto Albert. *Albertus.* infra citandus indicat prius esse Deum existere in aliquo vt in re, quam in loco. Et patet, quoniam ab existentia in loco valet consequentia ad existentiam in re, non è contra: nam, si Deus creasset solum substantias spirituales, esset in illis, vt in re, non vt in loco. Econtrario vero ratio loci videtur esse prior, & independens ab existentia in re: nam, quod manet idem alijs, atque alijs succedentibus, suapte natura est prius ijsdem, & independens ab eis: sed succedentibus sibi inuicem varijs rebus in eodem loco, manet idem locus, & eadem præsentia Dei ad illum: variatur autem in ordine ad res: nam habitudines variantur mutatis terminis. Et idcirco, quando in locum aëris succedit aqua, Deus iam non est ibi præsens aëri, sed aquæ, cùm tamen sit præsens loco eodem modo quo antea erat: ergo prius est existentia Dei in loco, quam in rebus.

III. Dicendum est tamen aliquam esse distinctionem in modo præsentiæ, siue existentiæ Dei in loco, atque in rebus. Hæc est communis doctorum, qui aliter explicant modum existendi in rebus, & in loco, vt videre est apud Alens. 1. p. quæst. 9. m. 3. Albert. in 1. distinct. 37. art. 2. Ægid. ibid. 2. p. primæ partis principalis, quæst. 1. & alios, quos inferius referam. Facilè vero suadetur, quoniam aliter comparatur anima ad corpus, quod informat, aliter ad superficiem corporis ambientis, siue ad locum proprij corporis, in quo est per accidens, ita vt in proprio corpore sit intimè præsens informatiuè, in ambiente vero localiter: similem vero comparationem suo modo habet Deus ad res, quas actuè format, vt actus non inhærens, sed per se subsistens, & quibus intimè præsens est, & ad locum, in quo sunt ipsæ res: sed modus, quo anima est intimè præsens corpori, distinguitur à modo, quo est in loco: ergo etiam modus intimæ præsentiæ Dei, ad creaturas distinguitur à modo existendi in loco. Et confirmatur: quoniam, quando duo ita se habent, vt alterum sine altero reperiatur, necessario distinguuntur ratione aliqua: potest autem fingi casus possibilis, in quo Deus sit in re aliqua, nec tamen sit in vllo loco: quare aliud est esse in re, aliud esse in loco: casus vero est, si Deus ante vllam creaturam corpoream crearet Angelos: hoc enim dato Deus esset in Angelis, non tamen esset in loco, quippe cum non esset locus.

Difficultas vero est in assignanda differentia inter vtrunque. D. Thom. in 1. distinct. 37. quæst. 2. art. 1. & 1. p. quæst. 8. art. 2. cùm Caietano, & Syluestro, & Chrysostomo Iauello ibidem, Ferrariense lib. 3. contra Gentes cap. 68. §. *Circa existentiam.* Capreolo in 1. dist. 37. quæst. vnica, conclusione 2. discrimen constituit in hoc, quod in rebus sit sicut dans eis esse, virtutem, & operationem, & hoc modo est etiam in loco, vt res quædam est, dans ei esse, & virtutem locatiuam: Est vero in loco, vt locus est, ad modum, quo locata sunt in loco, in quantum illum replent; & ita suo modo Deus est in loco repletiuè, non quidem instar corporum, quæ excludunt alia ab eodem loco, sed modo sibi peculiari, quia dat esse locatis, quæ replent loca. Ex quo discursu sancti Doctoris euidenter colligitur de sententia ipsius prius esse Deum esse in rebus, quam in loco: imò existentiam in rebus locatis esse rationem existendi in loco, quemadmodum accidentibus existentia in subiecto est ratio existendi in loco ipsius subiecti: nam, si eatenus est in loco repletiuè, quatenus dat esse locatis replentibus locum, & in rebus locatis est, quatenus dat eis esse, virtutem, & operationem, consequens est, vt idcirco sit in loco, quia est in rebus: imò quod eadem operatio, quatenus est collatiua existentiæ, sit ratio essendi in re, cui datur existentia: quatenus vero dat eidem rei vim repletiuam loci, sit ratio existendi in loco: & ita esse in re, vel in loco nituntur eadem ratione fundamentali, nempè oratione diuina, cùm diuersa connotatione, & habitudine, siue præcisè ad ipsam rem, siue præterea ad locum, quem ipsa replet. Eadem est sententia Ægidij in 1. distinct. 37. 2. p. primæ partis principalis quæst. 1. asserentis Deum esse in loco, quatenus continet locata, quia non est in loco magnitudine molis, sed immensitate virtutis. Verum non intelligo, quo-

IV. *S. Thom.* *Caietanus.* *Syluest.* *Iauellus.* *Ferrariens.* *Capreol.*

Alens. *Albert.* *Ægid.*

Ægid.

modo eatenus solum Deus est in loco, quia dat esse rebus locatis: nam hoc modo non erit per se in loco, sed per accidens ratione rerum, in quibus est, quod non est dicendum: tum quia id, quod recedente altero à loco manet in eodem, est per se in illo, non ratione eorum, quæ sibi inuicem succedunt in eodem loco: tum quia id, quod habet proprium fundamentum existendi in loco, per se, & non per aliud in illo est: immensitas vero diuina est Deo sufficiens fundamentum existendi in omni loco: ergo per ipsam coexistit, ac respondet omni loco: non vero per accidens ratione rerum, quibus confert existentiam. Præterea replere locum efficienter non sufficit, vt, qui ita replet in loco sit: nam, sol, qui lumine suo omnia colluſtrat, & complet, non dicitur esse repletiuè tanquam in loco, in toto aëre, quem illuminat. Aliud quippe est replere locum suis effectibus, aliud propria substantia: & hoc secundum pertinet ad rationem existendi in loco, non vero illud: ideoque vt ostendam cap. 16. Deus non solum replet omnia loca suis effectibus, sed substantiæ suæ immensitate.

V. *Albert.* Albertus in 1. distinct. 37. art. 2. q. 7. & 8. ait Deum dici esse in loco, quia tenet locum in se: & dat ei virtutem contentiuam: hanc vero non dat Deus cuilibet rei, in qua est, sed ea solum, quæ sunt propria conseruationi ipsius. Qui etiam videtur sentire existentiam in loco esse per aliquam causalitatem habentem particularem effectum, hoc est vim contentiuam, qua locus continet locata. Albertum sequitur *Ægid.* Ægidius loco citato, dicens Deum esse in loco, quatenus ipsum continet. Verum hic modus explicandi non est idoneus: quoniam, vt probatum est supra, ratio præsentiæ rei ad res omnes, & locata non est operatio, sed immensitas: atque adeò, etiam si per impossibile Deus non haberet virtutem communicandi loco potentiam continendi loca, & conciperetur immensus, adhuc esset præsens omni loco. Præterea, quatenus Deus dicitur esse in loco, non requiritur, vt sit intimè præsens ipsi entitati loci, sed sufficit, vt sit intra ambitum illius, quomodo creata sunt in loco, quin sint intima ipsi loco siue superficiei: vt autem Deus conferat loco vim continendi locata, non sat est esse intra locum, nisi simul sit intimus realitati ipsius: quare propria ratio existendi in loco, non consistit in eo, vt conferat illi vim continendi locata.

VI. Vt vero pateat in quo potissimum hæc duo differant, supponenda sunt ea, quæ superius cap. 9. & 10. dicta sunt de ratione fundamentali præsentiæ diuinæ ad res creatas. Quibus positis dicendum est modum existendi Dei in rebus, & in loco, partim conuenire, partim differre: conuenire quidem in ratione fundamentali ex parte ipsius Dei hoc est in immensitate, atque indistantia: differre vero in modo applicationis suæ immensitatis, & in modo indistantiæ à rebus. Prima pars ostenditur, quoniam Deus ratione suæ immensitatis habet, vt coexistere possit rebus omnibus, ac locis: ratione vero indistantiæ, vt sit præsens illis secundum substantiam. Secunda vero patet, quoniam esse in rebus dicit intimam, ac simultaneam indistantiam Dei à rebus: ita vt, si Deus concipiatur extrinsecus rebus, non verè dicatur esse in ijs, quamuis sit immediatus ipsis secundum externam superficiem: esse vero in loco dicit existentiam Dei intra locum, cùm sola indistantia extrinseca à superficie concaua loci: ita vt, si per impossibile Deus non esset intimus eiusmodi superficiei, sed tantum intra illam, adhuc esset in loco: quod exemplo animæ declaratur, quæ in corpore est vt in re, in superficie autem aëris ambientis corpus est per accidens vt in loco: si vero aliqua pars corporis arescat, ita vt non informetur ab anima, quamuis sit illi immediate præsens extrinsecè, non est in tali parte, vt in materia sua, vel re: at in superficie ambientis est vt in loco, non vero in vltima superficie proprij corporis, quod informat, quoniam huic est intima, neque ea extrinsecus ambitur. Pari modo quatenus Deitas consideratur vt præsens intra concauitatem loci, & illam immensitate sua replens dicitur esse in loco: quatenus autem totam substantiam peruadit intimè præsens singulis eius partibus dicitur esse in re.

VII. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ respondetur etiam in Angelo, & rebus spiritualibus posse concipi modum existendi in alio per essentiam quatenus substantia ipsius indistans ab illo est, quin definiatur, aut exterius ambiatur, & modum existendi in loco, quatenus ipse est intra superficies extremas loci quin sit illis intimè præsens: quod etiam patet in anima, vt dictū est supra. Secundum argumentum probat quidem fundamentum remotum vtriusque modi existendi esse idem, scilicet immensitatem: non tamen idem proximum, nec eandem connotationem:

nam

nam proxima ratio existendi in rebus, vt res sunt, ex præsentia, siue indistantia intima cum connotatione effectus, quandoquidem, quando anima dicitur esse in corpore, est præsentia intima connotando ex parte corporis proximam capacitatem, vt informetur ab anima: proxima verò ratio existendi in loco est indistantia immediata, extrinseca tamen secundum vltimam concauitatem loci. Et ita argumentum deficit, quatenus solam immensitatem cum indistantia constituit proximum fundamentum vtriusque: nam esse in re connotat solum effectum, esse in loco connotat capedinem loci, intra quam sit res, quæ existit in loco. Ad tertium Diuus Thomas responderet modum existendi in re esse priorem modo existẽdi in loco, quoniam non est in loco, nisi quatenus conseruat rem, quæ est in loco. Verum, quoniam Deus ratione suæ immensitatis verè esset in loco, etsi supponeretur res in loco existentes non fieri ab eo, neque ad esse simpliciter in loco requiritur aliud, quam esse intra capedinem illius, nam existentia in loco non includit habitudinem ad aliud, quam ad locum, nõ video rationem prioritatis per se inter hęc duo. Etenim, quamuis non possit Deus esse in loco, quin in ipso sit etiam tanquam in re per intimam præsentiam, atque illapsum, tamen hic modus existendi non est ratio illius: vterque enim exigit distinctam applicationem immensitatis diuinæ. Si verò comparemus existentiam Dei in rebus locatis cum existentia in loco, nulla est necessitas connexionis, nullus ordo absolute loquendo: nam potest esse in re, quin sit in vllo loco, vt tactum est in argumento. Posito tamen ordine vniuersi videtur admittenda mutua prioritas: nam vna ex parte, cum locus sit quædam res, & prius sit esse aliquid in se, quam in ordine ad locum, prius Deus est in rebus locatis, & in loco ipso, tanquam in re, quam tanquam in loco. Contra verò ex alia parte modus existendi in loco videtur aliquid prius, & independens ab existentia in rebus locatis: quandoquidem vt in argumento dicebatur in variata existentia in loco, variatur existentia in rebus.

Deus non est proprie in loco, est tamen vbique totus interminabiliter.

Caput XV.

POst explicatam differentiam inter modum existendi in rebus, & in loco, explicare oportet, an, & quomodo Deo conueniat esse in loco. Non abhorret aũt à modo loquendi sacrarum literarum, si tribuamus illi locum: Nam, in Psal. 67. dicitur: *Deus in loco sancto suo*; & Iob. cap. 12. sic habetur, *Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Vbi sermo est de sapientia diuina, & Psalm. 25. *Locum habitationis gloriæ tuæ?* Baruch. 3. *O Israel quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius?* Verùm hæc, & similia testimonia Scripturæ accipi aliter possunt, quam de loco creato, in quo Deus sit, domus enim Dei, & locus possessionis eius, de quo loquitur Baruch, est ipsemet Deus: sicut & locus habitationis gloriæ Domini intelligitur tabernaculum, in quo Deus peculiari modo gloriam suam manifestauit Hebræis: & Iob non asserendo, sed interrogando locutus est: & eodem capite asserit sapientiam, de qua loquitur, non inueniri in terra suauiter viuentium: Ex quo patet, non loqui de existentia substantiali Dei in loco. Verba etiam Psalmi 67. possunt intelligi de tabernaculo, vbi se ab Israelitis sanctè coli, & adorari voluit. Non est tamen negandum hæc, & alia testimonia scripturæ plurimum conducere, vt non habeatur tanquam absurdus vsus huius vocis, cum Deo tribuitur; sed quoniam voces à creaturis translatæ interdum retinent aliquem modum imperfectum ex parte obiecti significati, interdum verò absoluuntur ab omni imperfectione. Explicare primum oportet proprietates loci, vt constet vtrum inter eas sit aliqua, quæ sine imperfectionis nota possit tribui Deo, & consequenter Deus dici esse in loco. I.

Inter alias proprietates loci, quæ communiter traduntur à Philosophis post Aristotelem 4. Physic. sunt præcipui tres, quas perstringit Diu. Bonauentura in 1. distinct. 37. articul. 1. quæst. 2. nam locus, inquit, continet, mensurat, saluat, ac terminat locatũ: verum quia prima, & quarta ferè coincidunt, propterea in 2. distin. 2. art. 1. q. 1. tres tantũ enumerat, nempè continet, mensurat, & seruat: continet vt vas, II. *Aristotel.* *S. Bonauent.*

mensurat vt quantitas, seruat vt natura. Primam tradit Philosoph. lib. 4. text. 39. cum appellat locum terminum corporis continentis: continere verò hic non sumitur causaliter, sed localiter, quia locus recipit, ac tenet locatum intra suum sinum, & ambitum. Ex qua proprietate sumitur vna imperfectio rei locatæ, nempè inclusio, ac terminatio: nam locus, vt docet Philosophus lib. 3. Physicor. cap. 4. tex. 39. & 41. est finis corporis continentis: & propterea ea parte, qua continet, necessario est finitus: & consequenter ipsum corpus contentum debet esse finitum: vt constat ex Philosopho ibidem text. 42. vbi idcircò docet locum esse simul cum re locata, quia ipsi fines simul sunt, nempè corporis, & loci. Et patet quoniam, vt idem docet text. 30. primus, hoc est proprius, rei locus, non debet esse maior, vel minor re locata: & ideo, sicut locus est finitus, ita quoque res locata est finita, ac limitata. Ex quo deinde sequitur, vt locatũ claudatur loco, nec sit extra illum: nam, si finis corporis locati ex parte conuexa est simul cum fine loci ex parte ipsius concaua, ambitur, & includitur ab illo ita, vt dum cõtinetur loco, non possit esse extra. Ex quo etiam prouenit, vt sit aliquid extra ipsum locatũ; nam, vt ait Philosophus vbi suprà, *corpus id est in loco, extra quod aliquod est corpus continens ipsum.* Et consequenter, si esset corpus infinitum, non esset per se in loco, quia non esset finis alterius corporis, quo ambiretur: Et hac de causa rectè notauit Diuus Thomas in 2. distinct. secund. quæstion. secunda, articul. secundo ad tertium, & de potentia quæst. nona, articul. septimo, locum & vbi non deberi quanto, in quantum huiusmodi, sed in quantum est determinatæ naturæ: & ob eam causam locum, & tactum non deberi Mathematicis nisi metaphorice: quod dictum est, tum quia determinatus locus Physicus non debetur nisi ratione determinatæ naturæ; tum quia Mathematica possunt abstrahere à finitudine, & consequenter à loco, qui non nisi finitæ magnitudine competit.

Aristotel.

S. Thomas.

III. Secunda proprietas loci est conseruatio locati; propter quod dixit Auerroes libr. quarto Physicorum com. 36. & lib. 4. de Cœlo comment. 34. locum esse formam, & perfectionem locati, quod sumpsit ex Aristotele lib. 4. Physic. t. 49. asserente locatum respectu loci esse tanquam potentiam, & materiam: locum verò tanquam actum, & formam, intellige formãtem extrinsecus, & actiue, non intrinsecus actuantem. Ad hoc verò probandum sat est tanta diuersitas in animalibus propter diuersitatem locorũ, vt notat Aristot. li. 8. de histor. Animal. c. 28. & 29. Ex hac loci proprietate colligitur maxima imperfectio locati, nempè potentialitas, & dependentia à causa: quod enim ad sui generationem, vel conseruationem pendet à loco, non habet esse à semetipso, sed aliunde, nec est actus primus, sed potentialitati mistus.

Auerroes. Aristot.

Aristotel.

IV. Tertia denique est ratio mensuræ: ex magnitudine enim loci innotescit magnitudo locati; hæc verò commensuratio vel est in ordine ad totum, & hanc indicauit Aristoteles cùm dixit lib. 4. Physic. t. 30. locum esse æqualem locato, vel in ordine ad partes vtriusque, quæ sibi mutuo respondent maior maiori, & minor minori. Et ita, sicut totum locatum commensuratur loco, ita partes ipsius partibus loci: & propter hanc causam dixit D. Thom. in 1. distinct. 37. q. 2. arti. 1. & q. 3. art. 1. ad primum: idem esse proprie in loco, atq; esse in mensura. Ex quo colligitur sola corporea esse proprie in loco. Ea namq; sola cõmensurantur loco. In corporea enim, cùm careant quantitate, nequeunt cõmensurari: omnis enim mensura continet formaliter, vel eminenter mensuratũ, quantitas corporea non continet formaliter spiritũ, vt per se patet: neq; item eminenter, quoniam est multo imperfectior illo.

Aristot.

S. Thomas.

V. Hę omnes conditiones competunt rebus corporeis corruptibilibus, vt notat Gabri. in 1. d. 37. q. 2. Notab. 2. & per se patet; omnes enim ratione finitudinis continentur à loco extrinsecus ambiente: ratione magnitudinis eidem commensurantur: denique ratione corruptibilitatis indigent loco conseruante: incorruptibiles autem, quoniam non indigent ad sui conseruationem actione vllæ causæ secundæ, sed solo influxu Dei, solum habent duas priores habitudines ad locũ. Angeli verò, cùm sint incorruptibiles, & careant quantitate, ratione tamẽ finitudinis dicuntur cõtineri seu definiri loco. Ex quo sumpta est celebris diuisio loci apud Philosophos, ac Theologos, in circũscriptiuum, ac definitiuũ, vterque enim conuenit in ratione communi continendi locatum, differunt verò mutuò, quoniam circũscriptiuus commẽsuratur locato, & secundũ totum, & secundum partes: nam diuersæ partes locati respõdẽt diuersis partib⁹ loci: at verò definitiuus non cõmensuratur locato: nõ enim potest esse cõmensuratio secũdum magnitudinem inter rem carentẽ mole corporis, & locum quantum: sed tota substantia rei

Gabriel.

spirituа-

spiritualis est in toto loco, quo definitur, & tota in singulis eius partibus; locus circumscriptiuus dicitur propriè, definitiuus autem minus propriè.

VI. Omnes hæ tres proprietates includunt imperfectionem. Prima quidem finitudinem, & circumscriptionem, quam aliqua ex parte admisit in Deo Manichæus & alij hæretici supra relati. Secunda distinctionem propriæ substantiæ per alias, atque alias partes quantitate extensas: quam finxerunt Anthropomorphitæ, qui Deum corporeum esse commenti sunt. Tertia denique; dependentiam quandam à loco penes conseruationem, aut meliorem dispositionem locati, quam ex parte inuexerit, etiã Manichæi, quatenus terram lucis statuerunt locum proprium veri Dei, terram verò tenebrosum, vt locum aptum Dei tenebrarum: ita vt, & partes Dei lucis ex conflictu cum Deo tenebrarum in hunc inferiorem mundum detrusæ sint extra naturalem dispositionem, & conentur ad propriam regionem se recipere, sed hæ nõ dicam hæreses, sed portẽta, & figmenta somniantium procul exulant à veritate.

VII. Dicendum igitur primo est Deum non esse in loco proprie, immò nec minus propiè. Hanc ex professo tradit Magist. in 1. d. 37. lit. S. Alens. 1. p. q. 9. m. 1. Albert. in 1. d. 37. artic. 7. S. Bonauent. 1. p. distinct. art. 1. q. 2. Durand. 1. etiam part. distinct. q. 2. Gabriel qu. vnica art. 2. conclusio. 4. Argent. qu. vn. art. 1. conclusio. 1. Consentiunt Patres expresè asserentes Deum non comprehendi, contineri, includi, aut circunscribi loco; Ita Iustinus dialogo cum Tryphone versus finem. Origen. homil. 12. in Genes. circa principium, & libr. 7. contra Celsum paulò ante medium. Athanas. ora. contra Gregal. Sabellij post medium. Hilarius in id Psalm. 118. *Propè es tu Domine.* Ambros. lib. 2. in Lucam in id c. 1. *Hic erit magnus:* & lib. 2. de Fide cap. 4. post medium. Cyrillus Hierosolym. Cateches. 6. ante medium. Hieronym. in id Psalm. 118. *Propè es tu Domine.* Chrysostom. enarratione in id Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem, &c.* homil. 17. ex variis in Matth. locis versus finem. in id Psalm. 9. *Psallite Domino, qui habitat in Syon.* August. libr. 5. confess. cap. 2. lib. 7. de Trinitate, capit. 30. tractat. 36. in Ioan. lib. 20. de sermone Domini in Monte capit. 5. & epist. 57. ad Dardanum quæst. 1. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Isai. in id cap. 66. *Cœlum mihi sedes est:* Lib. 4. in Ioan. cap. 40. & tract. de fide in Christum ad medium, qui refertur à Concilio Ephesin. tomo 1. cap. quarto. Fulgentius lib. 2. ad Monimum cap. 6. Procopius in cap. 64. Isaiæ. Theophylus libr. 2. ad Autolycum circa principium. Euthy. super illud. Matth. 6. *Qui es in cœlis.* Hugo de S. Victore in summ. sentent. tract. 1. cap. 4. Richard. Victorin. lib. 2. de Trinitate ca. 23. Bernar. ser. 6. in dedicatione Ecclesiæ. Ad sensum huius assertionis locuti sunt Patres, qui simpliciter negant Deum esse in loco: ita Clemens Alexan. lib. 2. Stromat. non longè ab initio. Tertullian. lib. aduersus Praxeam. cap. 16. Origen. homil. 13. in Genes. Basilius homil. 16. in illa verba. *In principio erat Verbum;* Autor lib. de Speculo apud Augustinum cap. 32. Cyrillus lib. 9. contra Iulianum post medium, & lib. 1. Thesauri cap. 7. circa principium Damascen. lib. 1. de Fide cap. 16. Quod expresè dixit Anselm. in Monolog. cap. 22. his verbis, *in nullo itaque loco, vel tempore proprie dicitur esse, quia omnino à nullo alio continetur;* Et Philo lib. 2. legis Allegoriarum inter principium, & medium, explicans illa verba Genes. 3. *Adam vbi es? Audi,* inquit, *sententiam verissimam ab eo, cui cuncta sunt cognita, Deum esse nusquam, nam ipse non continetur, sed vniuersa continet, quidquid autem in loco est, id contineri, non continere necessario sequitur.* Similia dicit lib. de confusione linguarum post medium, dum explicat illa verba Genes. 11. *Descendit Dominus vt videret Ciuitatem.*

Megister. Alensis. Albertus. S. Bonauent. Durand. Gabriel. Argentin. Iustinus. Origenes. Athanasius. Hilarius. Ambrosius. Cyrill. Hiero. Hierony. Chrysost. Augustinus. Cyrill. Alex. Fulgent us.

Procopius. Theophil. Euthym. Hugo Victor. Richardus. Bernard. Clem. Alex. Tertullianus. Origenes. Basilius. Augustin. Cyrill. Alex. Damascen. Anselm. Philo. Hieronym. Augustin. Anselm. Hugo Victor.

VIII. Ratione verò patet, quoniam conditiones omnes loci assignatæ à Philosopho repugnant Deo. Et quidem quod attinet ad primam proprietatem, planú est Deum nullo modo contineri, aut includi loco; quoniam omne continens est maius contento: Deo autem nihil maius esse, aut fingi potest: atque adeo neq; loco contineri dicendus est. Præterea Deus est vbique, & omnibus rebus præsens: ergò non continetur loco. Hoc argumento Patres vtuntur ad probãdum Deum esse illocalem. Ita Hierony. in id Psalm. 30. *Statuisti in loco spatioso pedes meos;* & in id Psal. 70. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum.* Augustinus de essentia diuinitatis initio. Autor libro de Speculo apud Augustinum cap. tertio, & quarto. Anselm. in Elucidario in principio. Hugo Victor. libr. 1. de Sacramentis part. 3. capi. 18. & libr. 7. Eruditionis didascalicæ, qui est de Trinitatis summæ per visibilia agnitione cap. 19. Quibus omnibus pro comperto est Deum non esse in loco, quasi contineatur loco, & absit alicui spatio. Ex quo etiam cõuincitur nullum omninò esse certis spatij limitibus circumseptum esse Deum.

Ex quo

Irenæus. Ex quo principio, Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 1. & sequ. impugnat errorem Valentini, & Sequacium statuentium plures Deos alios ab aliis loco disitos, cùm enim dixisset Deum continere omnia subdit: *Quomodo enim poterit super hunc alia plenitudo, aut initium, aut potestas, aut alius Deus esse: cum oporteat Deum omnium pleroma in immenso omnia circum continere, & circum contineri à nemine; si autem extra illum est aliquid, iam non omnium est pleroma, neq; continet omnia.* Et similiter arguit contra Marcionem, qui duos Deos astruens alterum ab altero disiunctum, & circumclusum fingebat.

IX. Iam verò secunda imperfectio longè aliena est à Deo, vt iam tract. 4. huius libri, cap. 3. & 4. ostendi. Nam spiritus est Deus, neque magnitudine corporea distenditur: Et sicut ex eo, quod est infinitus, & incircumscriptus, non adæquatur loco secundum æqualitatem, ita ex eo, quod est spiritus non commensuratur secundùm partes loci. Ex quo prouenit, vt Deus non sit maior in maximis, nec minor in minimis, sed tantus est in paruis, quantus in magnis: Vt

Augustin. benè explicat D. Augustin. epistol. 57. ad Dardanum qu. 1. his verbis. *Ideo vbique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est, ideo totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æqualibus æquales, minori verò minorem, maioriq́ue maiorem, sed non solum vniuersitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti eius totus pariter adest.* Ad quam rem declarandam adducit exemplum sapientiæ, quæ non propterea maior est, quia est in Homine maioris staturæ, potest enim tanta esse in minore: nam, quod totum est in toto, & totum in qualibet parte, non est maius in toto, quam in qualibet eius parte, vt explicat Autor lib. de Speculo apud Diuum

Augustin. Augustinum tom. 9. cap. 2. sic enim habet. *An quia non possunt te totum capere omnia, partem tui capiunt, & eandem partem simul omnia capiunt an singuli singula, & maiores maiora, minores capiunt minora. Ergone aliqua pars tui maior, aliqua minor, an vbique totus es, & res nulla te totum capit? particulatim imples omnia, nec vllatenus ita putandum est, vt vnaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat te, id est maxima maius, vel minima minus, dum potius in omnibus totus ipse sis, siue omnia in te.*

Hug. Victor. Eodem modo explicat Hugo Victorin. in summa sentent. tractat. 1. cap. 4. & Scholastici, *Alens.* 1. part. q. 9. m. 2. Magister in 1. distinct. 37. lit. B. & alij ibidem. Ratione verò patet, quoniam quantitas nō mensurat nisi proprium subiectum, aut aliquid participans quantitatem commēsurabilem quantitati subiecti: Deus non est subiectū loci, & caret quantitate commensurabili quantitati corporeæ loci; quare non est commensurabilis loco.

Denique tertia proprietas etiam repugnat Deo. locus enim eatenus cōseruat locatum, quatenus hoc ad existentiam indiget certis dispositionibus, cum quibus forma conseruatur in materia, & impeditur corruptio: quod pro diuersitate rerum naturalium quibusdam præstat vnus locus, quibusdam vero alius propter diuersam distantiam à sole, & orbibus cœlestibus: Existentia verò Dei non pendet in conseruari à dispositionibus corporeis, aut actione Cœli, ideoque locus non comparatur ad ipsum, vt natura conseruans. Ex quo fundamento confutari potest inane, & blasphemum dogma Manichęorum: nam, si Deus ad sui, suarumque partium conseruationem loco indiget, hoc ipso conuincitur non esse Deus, cuius vita, & incolumitas non pendet ex loco. X.

Dico nihilominùs secundo, Deus est in loco improprie. Hæc est cōmunis Scholasticorum cum Magistro in 1. d. 37. Consentiunt Patres, Philo lib. 2. legis allegoriarum initio. *Quem locum,* inquit, *occupabis, in quo non sit Deus?* Origen. in id Iob. c. 1. *Venerunt Angeli Dei, vt starent ante Deum.* Basilius orat. 2. de Precatione ante medium. Cyril. Hierosolymit. vbi suprà. Hierony. in id Hieremię 23. *Deus appropinquans ego sum.* Grego. hom. 28. in Euangelia exponēs illud Ioan. 4. *Rogabat eum, vt descenderet, &c.* Anastasius Synaita lib. 2. Anagogic. contemplat. in hexamer. Hugo Victor. in sum. sentent. tractat. 1. c. 4. & lib. 1. de Sacram. p. 3. c. 17. & 18. & lib. 7. erudit. didascalic. c. 19. Richar. Victor. vbi suprà. Rupert. lib. 7. in Genes. c. 23. Bernar. ser. 6. in dedication. Ecclesiæ. Est etiā de mente Patrum, qui aiunt Deum esse vbiq́; quos retuli c. 1. nu. 6. vbiq; enim est aduerbium loci. Fundamentū est; quoniam esse in loco improprie nullā dicit imperfectionē, propter quam remoueri debeat à Deo; si enim consideremus ipsum modum existendi in loco creaturæ spiritualis, aliquid comperiemus in illo, quod possimus concipere præcisa omni imperfectione; inprimis enim caret duabus vltimis imperfectionibus, quoniā neq; commensuratur loco, neq; ab illo dependet, vt iam diximus. Quamuis aūt singuli spiritus contineantur, ac definiantur suis locis, siue sphæris adæquatis, ita vt sint intra, & non extra illas, tamen si comparentur cum locis inadæquatis, hoc est minoribus maximè, quē actu occupant, sortiūtur aliquem XI.

Magister. Philo. Origenes. Basilius. Cyrill. Hieros. Hieronym. Gregorius. Anastasius. Hugo Victor. Rich. Victor. Rupertus. Bernardus.

modum

modum in circumscriptionis: ita vt sint in illis non inclusi, aut contenti, non commensurati, nō dependentes. Quod exemplis patet: nam, anima rationalis ita est tota in vna parte corporis, vt sit etiam tota in aliis: & ideo secūdum quid est incircūscripta respectu singularum partium, quibus minimè finitur, aut circūscribitur: exempli causa in corde est tota non contenta, ac terminata localiter, quoniā est extra illud in reliquis partibus corporis: Et ita hac similitudine ad immēsitatē Dei explicandā vtuntur Athanas. de Incarnat. Verbi eiusque corporali ad nos aduentu inter med. & fin. Hilar. in id. Psalm. 118. *Propè es tu Domine.* Ambros. in libello de dignitate conditionis humanæ, cap. 2. initio. S. Macharius hom. 40. Bernard. li. de interiori domo cap. 67. & Hugo Victorin. lib. 7. eruditionis didascalicæ cap. 19. item Angelus, cum est in loco sibi adęquato quoad maximum suę sphæræ, non dicitur finiri, ac terminari minoribus spatijs eiusdem sphęræ: quoniam ita est in ijs, vt sit etiam extra illa in maioribus: si verbi gratia consideretur sphæra loci Michaelis secundùm figuram circularem ambiri linea centum cubitorū, deinde verò intra eiusmodi ambitum considerentur plures alii circuli minores, quorum circumferentiæ mensurentur lineis nonaginta, octoginta, septuaginta, aut sexaginta cubitorum, Michael facta huiusmodi suppositione, ita erit in circulis minoribus suæ sphæræ, vt ijs non claudatur, aut terminetur, sed adhuc sit extra in maioribus. Hoc ipso modo, si concipiatur aliqua substantia cum infinita extēsione virtuali, erit in quouis loco interminabiliter. Sic enim erit in quouis loco designabili, vt nō claudatur, aut terminetur, sed adhuc sit extra illum in aliis maioribus in infinitum. His imperfectionibus sublatis nihil est ex parte existētię in loco, quod repugnet enti simpliciter perfecto: manet enim existentia cum relatione præsentiæ, quæ nihil imperfectionis habent. Atq; adeo si considerem⁹ solam rationem essendi alicubi prescindendo ab inclusione, & alijs imperfectionibus proprijs loci rerum creatarum, nulla manet imperfectio. Atq; ita Patres, vt significent Deū esse in loco sine vlla imperfectione, dicunt Deum esse vbiq; totū, dicentes enim Deū esse vbique remouent à Deo omnē definitionem, & limitationem ad certum locū, dicentes aūt esse totū, vbicunq; est, excludunt à Deo cōmensurationem ad locum. Ita verò expressè loquuntur Iustin. ad q. 144. ex ijs, q̄ gentes Christianis proposuerūt. Cypria. de Idolorum vanitate num. 5. Hilar. in id Psal. 118. *Propè es tu Domine.* Basil. in id Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* & orat. de Verbi Incarnat. quæ habetur tom. 1. Bibliothecę Patrū. Ambr. in libello de dignitate conditionis humanæ initio. Hierony. in id ad Ephes. 2. *Facti est is prope in Sanguine Christi.* Chrysost. tom. 5. hom. in Symbolum Apostolorum, & in id Psal. 138. *Si ascendero in Cœlū*, &c. August. de cognitione veræ vitæ c. 29. lib. 7. de Ciuit. c. 30. lib. 16. c. 5. & in id Psal. 18. *Et opera manuum eius annunciat firmamentum.* Autor lib. de Speculo apud Augustin. c. 2. 3. & 5. & 24. Theodot. Ancyræ Episcopus hom. in Natalem versus finē, quæ habetur tom. 6. Concil. Ephesin. c. 10. Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. & l. 2. ad Monimum c. 7. Gregor. lib. 16. moral. c. 15. in id Iob. 24. *Si ad Orientem venero, non apparet.* Isidor. lib. 1. de senten. de sum. bono c. 2. §. 1. Alcuin. epist. de Animæ ratione. Damasc. li. 1. de Fide c. 16. Anselm. in Elucidario in principio, in Monolo. c. 22. & 23. & in Prosol. c. 13. & 18. Hugo de S. Victore in sum. senten. tract. 1. c. 4. Richard. Victor. vbi sup. & Bern. ser. 3 sup *Missus est*, & l. de interiori domo, c. 67.

Athanas. *Hilarius.* *Ambrosius.* *Macharius.* *Bernard.* *Hugo Victor.* *Iustinus.* *Cyprianus.* *Hilarius.* *Basilius.* *Ambrosius.* *Hierony.* *Chrysost.* *Augustin.* *Theodotus.* *Fulgentius.* *Gregorius.* *Isidorus.* *Alcuin.* *Damascen.* *Anselm.* *Hug. Victor.* *Rich. Victor.* *Bernardus.*

XII.

At inquiet aliquis, non quidquid imperfectione caret, tribuendū esse Deo absolutè sumpto, prout præscindit à personis: nā relatio paternitatis, & filiationis non dicūt imperfectionem, alioquin non conuenirent Deo: nec tamen cōueniunt per se primo essentiæ diuinæ, quatenus prę scindit à personis: & ideo id, quod debet conuenire Deo necessario, opus est, vt dicat perfectionē simpliciter: at verè esse in loco, tametsi nō inuoluat imperfectionē repugnantem Deo, nō dicit perfectionē simpliciter: tum quia conuenit Deo ex tēpore; tum quia est relatio rationis: tum quia cōuenit in ordine ad creaturas: omnis aūt perfectio simpliciter Deo conuenit anteq̄ concipiantur creaturæ, aut vllus ordo ad illas. Huic obiectioni respōdetur, Deo absolute sumpto tribuendum esse quidquid est ens reale intrinsecum virtute distinctum à quouis alio, & caret omni imperfectione tàm secundū propriam rationē formalem, quàm secundùm antecedentia, & consequentia necessaria. dixi *reale*, quoniam actualis relatio dominij, vnionis hypostaticæ, & similes, quæ conueniunt Deo ex tempore, non inuoluunt imperfectionem, nec tamen Deo conueniunt necessario: dixi *intrinsecum*, propter actiones ad extra, dixi *distinctum virtute à quouis alio* propter actus liberos, qui complentur terminatione extrinseca ad creaturas. At verò relationes diuinæ, quatenus personales sunt,

nullo

nullo ex his modis importans imperfectionem, vt per se patet: sin autem Deo absolute considerato competerent, non importarent quidem formaliter imperfectionem, sed antecedenter, quoniam supponerent Deum distingui secundùm naturam realiter ab altero Deo: quæ est maxima imperfectio. Supponere verò id constat, quoniam relatio realis exigit realem distinctionem inter extrema, & fundamenta: Et ideo, si Deus absolute sumptus esset Pater, dandus esset necessario alius Deus ab eo realiter distinctus, qui ab ipso procederet. Respectus verò Dei ad locum supponit in Deo aliquid reale absolutum virtute distinctum à quouis alio carens omni imperfectione, nempè immensitatem ipsam, ratione cuius est in loco. Nam Deus dupliciter comparatur ad locum: nempè vel in actu secundo penes actualem existentiam in illo, vel in actu primo penes aptitudinem proximam essendi in omni loco. Prima comparatio est simpliciter accidentalis Deo: supponit enim actualem rerum, & loci existentiam, quæ contingens est; nam habitudo simultatis secundum locum dari nequit absque actuali existentia loci, & eius, quod est in loco. Et ideo, cum perfectio Dei intrinseca, & necessaria minimè pendeat ex contingenti existentia rerum creatarũ, actualis præsentia, siue habitudo essentiæ diuinæ ad locum non est perfectio eius intrinseca, & necessaria: atque adeo neque attributum, vt notauit Altisiodorens. libr. 1. cap. vlt. q. 1. ad tertium ex vltimo loco obiectis. *Altisiodor.* Secunda comparatio est ad formam, siue perfectionem necessariam, & intrinsecam Deo, quæ proinde conuenit Deo ab æterno independenter ab existentia loci, & hæc est perfectio simpliciter, quæ necessario conuenit Deo. At inquies hæc perfectio est quidem radix existentiæ in loco, non tamen ex ea necessario sequitur Deum esse in loco. Ad quod dicendum est absolute quidem non esse necessarium Deum esse in loco, quoniam contingens est esse locum creatum, in quo sit: posito tamen loco necessario consequi, vt Deus in illo sit, quoniam cum habeat ex se ipso sufficiens fundamentum existendi in illo, hoc ipso, quo locus ponitur, in illo est: nam, si non esset, à destructione cõsequentis rectè inferretur carere Deũ fundamento, coexistentiæ cum omni loco: quemadmodum visio intuitiua creaturarum absolute non necessario cõuenit Deo, quoniam supponit existentiam creaturarum in æternitate, quæ contingens est: at positis creaturis necessario conuenit, si enim actu essent, nec viderentur à Deo, colligeretur limitatio, & imperfectio scientiæ diuinæ. Ex quibus facilè soluitur argumentum distinguendo antecedens: quod si intelligatur de actuali existentia in loco, verum est: si verò de potentiali falsum. Prima verò, & secunda probatio eius deficit, quoniam existentia potentialis in loco non conuenit ex tẽpore, nec propriè est relatio rationis: Tertia verò, quoniam plurimæ perfectiones simpliciter conueniunt Deo in ordine ad creaturas.

Deus est in loco repletiue, non causaliter solum, sed aliquo modo formaliter.

Caput XVI.

INter plurimas imperfectiones existentium in loco vnam agnoscit perfectionem Alens. 1. part. q. 9. m. 1. ac 3. & D. Bonauent. in 1. dist. 37. 1. p. d. art. 1. q. 2. ea verò est vis repletiua loci, qua locatum replet, ac supplet indigentiã illius: locus enim sine locato priuatus est, & indigens quodammodo, sicut concauitas oculi est sine organo. Est ergo quæstio vtrum Deus repleat locum. Pro qua obseruãdum est duplicem esse repletionẽ, scilicet formalem, & efficientem, siue causalem: formalis est, qua locatũ præsentia, siue indistantia propriæ substantiæ complet vacuitatem, vel capedinem loci: causalis, qua producit in eadem res illum formaliter replẽtes; vtraque proprie loquendo supponit locum, siue rem, quæ dicitur repleri, & exigit vt replẽs distinguatur à repleto. Exemplum est in vrna, quæ dicitur repleri formaliter ab aqua infusa, effectiue ab infundente, & distinguitur re ipsa ab aqua, & ab eo, qui infundit. Et quod apparet in hac repletione propria, cernitur quoque in metaphorica: nam Deus dicitur replere efficienter Homines spiritu sapientiæ, & intellectus, ipsa verò dona consilij, & intellectus replent formaliter. Hoc tamen est discrimen inter repletionem propriam, & metaphoricam: quod propria, cum fiat per corpora, quæ sunt impenetrabilia, & excludunt alia ab eodem loco, non potest intelligi, cum præsentia, aut existentia alterius corporis in eodẽ loco, qui repletur ab altero: nam, si vas plenum est aqua, non capit oleum, aut alium humorem: metaphorica vero, cum fiat per quantitatem virtualem, & spiritualem, quæ patitur in eodem subiecto, I. *Alensis. S. Bonauen.*

iecto, vel loco plures alias quantitates virtuales, intelligitur cum præsentia aiterius quanti virtualis in eodem subiecto, vel loco: vt sumitur ex loco illo Esai. 11. *Esaiæ 11.* *Replebit eum spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Quo loco numerantur plura dona Spiritus Sancti, & tamen omnia, & singula dicuntur replere, nec repletio vnius impedit, quo minus altera impleat, & repleat. In his tamen est quoddam discrimen, nam quædam dicuntur replere, non quia compleant capacitatem extensiuam sed intensiuam subiecti: quiuis enim habitus sapientiæ est presens toti animæ vbicunq; illa est, nec tamen ob vnum vel alterum habitum dicuntur homines pleni sapientia, quia manet adhuc capacitas subiecti intensiua magna ex parte vacua: cùm vero habitus crescunt numero, vel intensione ad magnam quantitatem virtualem, ita vt capacitatem magna ex parte repleant, denominatur subiectũ ab his repletum, quomodo viros præstantes doctrina dicimus plenos sapientia: & Sanctissima Virgo dicta est gratia plena à Gabriele. Alia verò magis accommodate ad metaphoram sumptam ex corpore replente locum, dicuntur replere aliquid, cum ratione aliqua adæquãtur extensioni illius: qua ratione aër dicitur repletus luce, cum nulla eius pars caret luce, sed omnes luce aliqua perfunduntur: si verò simul vtrunque adsit, nempè, & vt impleatur capacitas extensiua, & intensiua, tum demum est perfectissimus modus replendi aliquid metaphoricè.

II. Porrò Deum esse in loco repletiuè est communis sententia Theologorum, ita docent Alensis, & Bonauentur. vbi suprà. Durand. in 1. dist. 37. 1. part. dist. qu. 2. nũmer. 6. Gabriel. ibid. qu. vnica art. 2. concl. 4. Altisiodorens. lib. 1. cap. vltim. q. 1. & alij, & idem est communis modus loquendi Patrum, quos infrà referam, imò, & sacrarum literarum Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* Hierem. 23. *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Et quidem Deum replere omnem locum effectiue planum est: nam, vt habetur Genes. primo. Deus creauit omnia, quæ locum replent, atque adeo est in illo repletiue causaliter, ad quem modum alluſit Propheta Baruch. cap. 3. *Qui præparauit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus.* Eccles. 16. *Post hæc Deus in terram respexit, & repleuit eam bonis suis:* quę repletio actiua extenditur etiam ad communicationem perfectionum, quæ replent metaphoricè; quomodo loquitur Dauid Psalm. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne Animal benedictione.* Controuersia est vtrum Deus repleat etiam loca formaliter, hoc est præsentia, & indistantia suæ substantiæ. Durand. vbi suprà solam agnoscit repletionem causalem, quod etiam sentire videtur Alensis vbi suprà m. 1. nam solum duos modos repletionis agnoscit, nempè materialem, & virtualem: & hunc secundum Deo tribuit, quatenus is continet locum, eique vim conseruandi tribuit: eiusdem sententiæ videtur esse D. Thom. & Sectatores relati ca. 14. num. 4. dicentes Deum esse in loco in quantum dat esse locatis: Facit Diuus Augustinus libr. 1. confess. cap. 3. vbi sic ait: *Ao opus habes, vt à quoquam contineari, qui contines omnia, quoniam, quæ imples continendo imples.* Ecce non agnoscit aliam repletionem, præter actiuam, qua Deus omnia continet, & Autor lib. de Specul. apud eundem Augustinum cap. 21. *Nec ideo,* inquit, *te omnia implere dicimus, vt te contineant, sed vt ipsa potius à te contineantur.* *Psalm. 144.* *Durand.* *Alensis.* *Augustin.*

III. Ostenditur autem ratione primo: quoniam, si Deus repleret locum, non admitteret aliam substantiam in eodem loco: admittit autẽ tàm spiritualem, quàm corpoream: ergò non replet. Secundò, vt Deus hoc modo locum repleat, opus est dare in loco aliquam capacitatem respectu Dei, qua substantia ipsius repleatur: est autem impossibile creaturam vllam esse capacem recipiendi Deum in se, sicut locus recipit locatum; ergò Deus non replet hoc modo locum. Diu. Bonauentura, vbi proxime ait Deum per suam præsentiam implere vacuitatẽ essentiæ, & illam quidem sine hac esse non posse. Hæc tamen responsio non satisfacit: nam vel intelligit Deum replere essentiam perfectionibus superadditis, vel producendo, & conseruando illam: vterq; modus pertinet ad repletionem causalem, nec assignat capacitatem in loco, vel rebus respectũ ipsius. Præterea secundus modus in particulari repugnat repletioni formali, quæ supponit locum, & capacitatem ipsius, quam replet, nihil formaliter communicando loco continenti, sed exhibẽdo se illi præsentem: at Deus non replet aliter vacuitatem essentiæ, quam faciendo vt sit actu, cum suapte natura non necessario sit: atque adeo non est vlla vacuitas actu, quam Deus repleat, imò repugnat esse vacuitatem, quoniam repugnat esse rem aliquam sub sola vacuitate, & aptitudine, vt Deus in ea sit: si enim aliquid est necessario Deus erit in illo. Respondebit aliquis ideo Deum dici replere vacuitatẽ essentię, *S. Bonauent.*

quia ipsa secundum se non est omnis alia perfectio, & considerata absq; perfectionibus accidentalibus superadditis, est quasi vacua: & ideo, quatenus Deus cõmunicat eiusmodi perfectiones, dicitur replere eius vacuitatem. Hæc tamen responsio non satisfacit, tum quia recurrit ad repletionem causalem, vt paulò antè dicebam: tũ quia, etiamsi per impossibile Deus conseruaret essentiam rei sine perfectionibus accidentarijs superadditis, adhuc verè esset in illa, & diceretur illam replere: quare hęc repletio nõ cõsistit in cõmunicatione perfectionum accidentaliũ, quibus ornatur substãtia rei, capacitasque naturalis repletur.

IV. Dicendum est tamen Deum replere omnia loca formaliter, hoc est immediata præsentia substantiæ diuinæ. Ita in particulari docet Altisiodorens. Bonauent. & Gabriel. vbi suprà, & Syluester 1. p. qu. 8. art. 2. §. 2. sumitur verò ex Sapi. 1. vbi dicitur: *Spiritus Domini repleuit orbem terram, & & hoc, quod cõtinet omnia, scientiam habet vocis*: quo loco non est sermo de repletione effectiua, sed formali: nam Salomon eo loco vult ostẽdere ex eo Deum esse consciũ cogitationum nostrarũ, & testem sermonum, quoniam replet orbem terrarum: ad id verò parum facit sola repletio effectiua: non repugnat enim substantiam aliquam replere aliquid effectiue, & distare longe ab illo, & consequenter non percipere, quę in eo fiunt ex ratione repletionis actiuæ: sol enim replet luce corpora vniuersa, nec tamen omnibus præsentialiter adest, nec si haberet audiẽdi vim, ex vi actiua replendi posset percipere verba vbiq; prolata: cùm ergo Salomon ex eo contendit spiritum Domini esse testem sermonem nostrorum, quia replet omnia, intelligi debet de repletione formali ratione propriæ substantiæ, atque præsentiæ: quem locum de repletione formali intelligunt Athanasius de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti satis ante medium, epist. 1. ad Serapionem de Spiritu Sancto, & Epist. ad eundem contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum esse creaturam inter medium, & finem. Augustin. epist. 57. ad Dardanum quæst. 1. Ambros. in id Psalm. 118. *Propè es tu Domine*, & alij relati cap. 1. numer. 3. Et ad eundem sensum accipi debet illud Hierem. 23. *Cælum & terram ego impleo*: adducitur enim ad idem probandũ, hoc est Deum nihil latere eorum, quæ fiunt apud nos, sic enim habet contextu: *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus, nunquid non cœlum, & terram ego impleo dicit Dominus? audiui quæ dixerunt Prophetæ, &c.* Nam, ti propterea ait non posse abscondi ab illo ea, quæ falsi Prophetæ in abscondito dicunt, quia ipse Cœlum, & terram implet, intelligi profecto debet de repletione formali, qua replet omnia exhibendo se immediate præsentem omnibus: quomodo hũc locum intellexerunt communiter Patres citati ca. 1. numer. 3.

Altisiodor. Bonauent. Gabriel. Sylvest. Sapient. 1. *Athanasius.* *Augustin. Ambrosius.* *Hierem. 23.*

V. Eadem est sententia Patrum, ita Philo lib. 2. legis allego. initio. *Deus, inquiens, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens se ipso vacuum*; & libr. de confus. linguar. post medium explicans illa verba Genes. 11. *Descendit Dominus, vt videret ciuitatem.* Origen. in id Iob. cap. primo. *Venerunt Angeli Dei, vt starent ante Deum:* Euseb. Cæsarien. libr. nono, de demonstrat. Euangelic. demonstratione 12. Athanas. orat. cõtra Gregales Sabellij post medium, de humana natura assumpta post mediũ, & de vnita substantia Trinitatis libr. 5. in fine. Hilarius in id Psal. 124. *Montes in circuitu eius*, &c. Basilius homil. 16. in illa verba. *In principio erat Verbum* post medium, & lib. de spiritu Sancto cap. 6. & lib. 5. contra Eunom. ad medium. Nazian. orat. 34. quæ est secunda de Theologia, num. 14. Elias Cretens. in orat. primam Apologetic. Nazianzeni pag. 41. Chrysost. enarrat. in id Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem*: & in id Psal. 138. *Si ascendero in cœlum*, &c. Et homil. 17. in Genes. initio. Autor li. de Speculo apud Augustinum cap. 4. 6. & 24. Cyrill. Alexandr. in id Isai 63. *Conuertere è cœlo, &c.* & in id cap. 66. *Cœlum mihi sedes est, &c.* lib. 4. & 9. in Ioan. vtrobiq; c. 40. lib. 13. thesauri cap. 2. & libr. 9. contra Iulian. post medium. Fulgentius de fide ad Petrum, c. 3. & lib. 2. ad Monum. c. 6. Theodoret. in id Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* Procopius in c. 32. Isai. ad fin. Gregor. lib. 16. moral. cap. 15. in id. Iob. 24. *Si ad Orientem venero, non apparet*: Anastasius Synaita lib. 1. Anagogic. contemplat. in Hexamer. explicans illud Genes. 1. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, & lib. 2. Isidorus lib. 1. senten. de sum. bono, cap. 2. §. 1. Alcuin. lib. 2. de Trinitate cap. 4. Damasce. lib. 1. de Fide cap. 16. & 18. *Cuncta*, inquiens, *substantia imples, omnia continens, mundumq; substantialiter replens.* Euthymius super illud Matth. 5. *Neque per cœlum, quia thronus Dei est.* Hugo Victor. lib. 7. Eruditionum. didascalicæ, quę est de Trinitatis sum. næ per visibilia agnitione capi. 19. Denique August. libr. 7. de Ciuit. cap. 30. *Deus*, inquit, *vbiq; totus, implens cœlum, & terram, præsente potentia, non absente natura.*

Philo. *Origenes.* *Euseb. Cæs.* *Athanasius.* *Hilarius.* *Basilius.* *Nazianz.* *Elias Creten.* *Chrysost.* *Augustin.* *Cyrill. Alex.* *Fulgentius.* *Theodoret.* *Procopius.* *Gregorius.* *Anastasius.* *Isidorus.* *Alcuinus.* *Damascen.* *Euthymius.* *Hugo Victor.* *Augustinus.*

VI. Suadetur autem ratione, quoniam à

rebus

rebus creatis ascēdimus ad diuinas: at verò res corporeæ, à quibus metaphora replēdi locum transfertur ad spirituales, non dicuntur esse in loco propriè, quia illum replent efficienter, sed formaliter: ergò etiã Deus dicitur esse repletiuè in loco, nõ quia replet omnia causaliter suis effectibus, sed quia replet formaliter assistentia, & præsentia suæ substantiæ. Accedit quod repletio causalis de se non necessario importat indistantiam substantiæ replentis à loco, quem replet effectibus, vt per se patet: repletio verò formalis maximè, vt patet discurrendo per singula: at esse in loco nil potest nisi sit indistans: ergò ratio existendi in loco nõ est repletio causalis, sed formalis. Et confirmatur quoniam diuersa est ratio replendi locũ formaliter, & causaliter: ergo & diuersa repletio. Antecedens ostēditur, quoniam vis replendi locum causaliter consistit in ratione omnipotentiæ, vis aũt repletiua formaliter cõsistit in magnitudine virtuali Dei, qua eminenter cõtinet quantitatem creatam: ergò, sicut in creatis quantitas molis est ratio replendi locum formaliter, in illoque existendi, etiam immensitas diuina erit ratio, & fundamentum replendi locum formaliter.

VII. Cùm Deus omnem locum repleat tàm actiuè, quàm formaliter, diuersimode tamen competit vtraq; repletio: nam actiua, siue causalis conuenit propriè, formalis aũt metaphoricè: vt patet, quoniam Deus actione sua replet vacuitatē locorũ creando, & cõseruando corpora, quæ sunt in illis: creare verò, & agere propriè conuenit Deo. Quia tamẽ repletio formalis propria dicitur de rebus corporeis, quæ adæquant omninò capacitatem loci, & ideo non patiuntur secum simul aliud corpus in eodem loco, non cõuenit Deo, cuius præsentia ad locum non impedit, quo minus alia pleraq; possint in eodem simul esse: conuenit autem metaphoricè, tum quia explet capacitatem extēsiuam cuiusuis loci, cuius omnibus, & singulis partibus præsens est: sic aer itaque aër, cuius nulla pars luce vacat, dicitur totus plenus luce propter adæquatam coexistentiam lucis ad ipsum, ita etiam, quia Deus rebus omnibus est præsens secundum totam latitudinem spatij creati, verè omnia dicuntur plena Deo, quo respexit Poeta cùm dixit. *Iouis omnia plena*: tum etiam, quia replet capacitatem intensiuam creaturæ, non quasi formaliter, & intrinsecè illam perficiat, sed quoniam creatura habet aptitudinem, vt coexistat enti perfectissimo, cuius præsentia, & quasi societate illustratur, quæ aptitudo aliarum rerum præsentia minimè completur: omnes enim habent infinitam distantiam à perfectione Dei, qui est omnis perfectio simpliciter; & idcircò sola præsentia ipsius repletur vacuitas immensa creaturæ, & quodammodo satiatur eius appetitus hoc qualicunque contactu summi boni.

VIII. Autores in contrarium allati, quando negant Deum replere loca formaliter, intelligẽdi sunt de repletione propria, quod nos etiam concedimus: non tamen negant, neq; negare possunt de metaphorica, quæ consistit in indistantia substantiæ diuinæ, vt explicatum est. At verò D. Augustin. citato loco confess. non aduersatur dictis: nam, cùm ait Deum implere continendo, non significat eandem esse rationẽ formalem continendi, & implendi: sed solum intendit assignare discrimen inter corpora, quæ ita implent locũ, vt ab illo contineantur: nam implere, & contineri non sunt idẽ formaliter: terra enim cõtinetur cælo, nec tamen illud implet; viceuersa mare implet spongiam, nec tamen illa continetur; similiter implere, & continere differunt formaliter: nam continere est actus potentiæ, implere verò immensitatis. Eodem modo interpretandus est Autor lib. de Speculo.

IX. Pro solutione primi argumenti obseruandum est discrimen inter repletionem, quæ fit quãtitate molis, & eam, quę prouenit ab immediata præsentia substantiæ spiritualis. Nam, quæ prouenit à quantitate molis, excludit ab eodem loco alia corpora ratione trinæ dimensionis, quæ alij corpori impermeabilis est, quę vero à præsentia spirituali, nequaquam; Deus verò replet immensitate, ac præsentia suæ Deitatis, quæ propter summam simplicitatem non repugnat existentiæ alterius rei in eodem loco: implet eo ferè modo, quo gratia, & sapientia implere animam dicitur in sacris literis, qua similitudine vtitur Diu. Augustinus epist. 57. ad Dardanum: sicut ergo gratia, & sapientia ita animam replent, vt tamen non excludant ab ea iustitiam, religionem, fidem, ita Deus omnem locum replet, vt rem quamlibet in eiusdem consortium admittat, nullam excludat: dicitur tamen replere constituens in illo se ipsum, quia est plenitudo essentię, ac perfectionis vniuersæ, & quemadmodum is locus dicitur repleri corpore, cuius nulla pars vacat corpore, ita locus dicitur repleri à Deo, quatenus nulla est pars, cui Deus non sit præsens. Hoc posito neganda est sequela mai. nam, vt patet ex dictis, sola repletio materialis excludit alia eiusdem

generis ab eodē spatio, quod replet: Deus autem non replet materialiter, ac proprie, sed spiritualiter, & metaphorice per immediatam sui præsentiam. Ad secundum respondetur dupliciter aliquid recipi, & esse in loco, vel per modum contenti, & inclusi, vel per modum præsentis, siue indistantis: & priore quidem modo non est in vlla creatura capacitas recipiendi Deum: posteriore autem maximè, quoniam creatura omnis necessario eget præsentia diuinæ substantiæ, & est capax coexistendi Deo, quæ capacitas adimpletur per existentiam Dei in ipsa. Quod verò attinet ad verba D. Bonauent. possunt intelligi, vel de repletiõe effectiua, qua Deus rerum essentias ornat, & complet perfectionibus superadditis: Verùm hæc non est, qua dicitur esse in loco, vt benè probat argumentũ; vel de repletione formali per præsentiam propriæ substantiæ: tunc verò vacuitas substantiæ non est respectu propriæ existentiæ: sed, quia cum res creatæ comparatæ Deo sint quasi non entia, & nihil, vt aiunt Sancti Patres, concipiuntur vt quædam capacitas ad ipsum ens simpliciter, & recipiendo Deum in se tanquam in loco habent in se summum ens, & omnem perfectionem.

X. Ex dictis colligo, quamuis Deus non sit proprie in loco, non tamen esse absolute dicendum, Deus nullibi, vel nusquam est: ideoque Patres absolute asserunt eius contradictoriam. Augustin. in id Psal. 32. *Confitemini Domino in cythara. Vbi ergò,* inquiens, *deest, qui nusquam non est?* & Chrysost. enarrat. in id Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem, &c. Qui nusquam non præsens est.* Ratio est quoniam, vt rectè aduertit Alensis 1. p. q. 9. m. 1. ad 4. absoluta negatio excludere videtur omnem modum existendi in loco: at verò Deus in sacris literis dicitur alicubi esse, & Sancti Patres vnica consensione aiunt esse vbique quare non est absolute negandum esse in loco, sed cum aliqua moderatione: quomodo locutus est Boet. lib. de Trinit. cap. 8. cùm dixit Deus omninò in loco esse non potest, qui vbiq; est. Chrysost. homil. 5. in cap. 2. ad Colossens. *Nusquam,* inquit, *est Deus, & est vbique.* Fulgent. lib. 2. ad Monimum ca. 7. *Cum Trinitas sic localiter nusquam sit, vt tamen nusquam desit?* Bernardus lib. 5. de consideratione c. 6. in fine. *Non parum apprehendisti, si hoc tibi de Deo captum est, quod nusquam sit, qui non clauditur loco, & nusquam non sit qui non excluditur loco:* & serm. de triplici cohærentia vinculorum: *Nusquam est, & vbiq; est, quia nec abest vlli, nec vllo capitur loco.* Itaq;, vt notauit D. Bonauēt. in 1. d. 37. 2. p. d. art. 1. q. 1. ad tertiũ, quando Deus dicitur esse hic, aut illic, in hoc, vel illo loco, si eiusmodi locutiones sumantur demonstratiuè, id est, quatenus præcisè indicant Deum esse in hoc loco, non negando quod sit etiam in aliis, veræ sunt: nam hoc etiam modo verè dici solet animã esse in manu, quia scil. substantia sua illi præsens est, cum tamen etiam sit in aliis membris. Si verò voces illæ sumantur discretiuè, quasi discernẽtes, ac separantes Deum ab alijs locis, falsò dicuntur de Deo. Ob hanc causam Patres relati c. 15. num. 8. negant Deum esse locabilem, quoniam acceperunt has voces ex vi communis vsurpationis, qua sumuntur pro locabilitate terminabili, ac separabili ab vno loco in alterũ: eodemq; modo Bonauent. q. cit. ad 1. & alij non audent dicere Deum esse locatum. Et merito, quoniam voces, quæ ex primaria impositione significant modos imperfectos creaturarum, non debent vulgò accõmodari Deo, nisi sapientiũ vsus hoc approbet: eiusmodi verò nomina non videntur hactenus vsurpata ad significãdam actualem existentiã, vel aptitudinẽ, vt sit in loco. Verum quẽadmodum in aliqua acceptione dicimus Deum esse in loco, iuxta eandem posset dici locabilis, hoc est de se, ac ratione suę immensitatis, aptus vt in loco sit: & locatus, hoc est actu præsens loco. Locus enim, locabilis, & locatus sunt coniugata ab eadem forma: quare, si ea rectè tribuitur Deo, etiam dici possunt denominatiua ab ea deriuata. Cui rei fauet Anselm. in Monologio c. 23. vbi de existentia Dei in loco, ac rebus loquens, sic ait. *Solemus namque localia verba sæpè irreprehensibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali cõtinentur.* Hæc dixerim in rigore, seruandus tamen est vsus, nec temere sine explicatione vsurpanda vocabula, quæ doctores, ac patres respuunt.

Bonauent. Anselm.

Proprium est Deitatis esse vbique.

Caput XVII.

I. DOctores omnes Scholastici in 1. dist. 37. communi cõsensione docent, esse vbique soli Deo conuenire, & ex professo probant Alens. 1. p. q. 9. m. 5. Albertus in 1. dist. 37. art. 8. Bonauentur. 1. p. distinctionis art. 1. quæst. 1. Argentin. q. vnica, art. 1. concluf. 3. Maior quæst. 1. conclusione 3. & alij deinceps referendi. Contra tamen arguitur, quoniam rei singularis proprietas neque illi vnquam deesse, nec aliis adesse de-

Alensis. Albertus. Bonauent. Argentin. Maior.

esse debet: esse autem vbique nec soli, nec semper conuenit Deo: quare non est proprietas illius. Assumptio cõtinet duas partes, prima asserit esse vbique conuenire aliis à Deo: ostenditur autem primo, quoniam vniuersalis natura substantiæ vbiq; adest, & omnia replet, neque est locus vllus, à quo absit: cùm non sit vllus locus vacuus in rerum vniuersitate: vacuum autem sola substantia corporea excludit: ergò est vbique. Et quod in substantia vniuersali videmus, vere etiam dici potest de ipsa singulari substantia orbis vniuersi, quæ vbique est, & omnia loca complet. Secundò si creetur à Deo corpus vndequaque infinitum, erit vbique: non enim assignabitur locus, in quo non sit: si vero non repugnat fieri eiusmodi corpus, non repugnabit fieri animam indiuisibilem, quæ illud informet: hæc autem, si detur, absque dubio erit vbiq; eodem modo, quo Deus incircunscriptibiliter, atque interminabiliter: si verò possibile est corpus infinitum, & anima illud actuans, ac viuificans, plane erit possibilis Angelus tantæ perfectionis substantialis, vt habeat infinitam extensionem virtualem, & possit esse præsens toti illi corpori infinito; si enim infinitas extensiua non repugnat corpori, quod est multo imperfectius rebus incorporeis, cur repugnabit Angelicæ naturæ? Si verò fiat Angelus, cui suapte natura competat extensio virtualis infinita; is profectò quoad rationem existendi vbique, non differet à Deo: erit quippè in omni loco repletiuè per suam substantiam: independenter, quia corruptionis expers: incircumscriptiuè, quia totus in toto, & totus in quauis parte: interminabiliter, quia nullus erit certus locus, extra quem non sit. Secunda pars assumptionis primi syllogismi, nempe non semper conuenire Deo vt sit vbique, traditur ab Alensi 1. part. quæst. 9. m. 4. Alberto in 1. distinct. 37. art. 4. Sanct. Thom. quæst. 2. art. 3. Bonauent. art. cit. quæst. 2. & Gabriel. quæst. vnica, artic. 3. dubio 3. Et probatur primo, quoniam omnis forma, quæ necessario inuoluit habitudinem ad creaturam actu existentem, conuenit Deo ex tempore posita existentia creaturæ, vt conspicuum est in relatione dominij, & creatoris: at esse in aliquo, vt ex superioribus constat, dicit habitudinem ad rem actu existentem: ergò antè orbem conditum nõ conueniebat Deo: imò verò neq; modo: nam creaturę non occupant omne spatium occupabile ab aliis, atq; aliis creaturis: Deus verò solum est in spatio, quod occupant creaturæ actu existentes. non verò in infinito illo spatio imaginario, quod protenditur extra cõuexam partem cęli empyrei: ergò est in certo, ac diffinito loco, & non vbique. Et confirmatur, quoniam si Deus de nouo conderet alium orbem supra vltimam sphæram, inciperet esse de nouo in illo: ergò modo non est vbique.

Alensis. Albertus. Bonauent. S. Thom. Gabriel.

His non obstantibus absolute dicendum est proprium esse Deo, vt sit vbique; quod communi cõsensione docent Patres. Ambros. lib. 1. de spiritu Sancto c. 7. Hierony. in id Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* Damasc. lib. 1. de Fide cap. 17. Ansel. in Prosologio cap. 13. Richard. Victor. lib. 2. de Trinitate cap. 11. & 12. & plures alij. Porrò esse vbique aut dicit ordinem ad locũ, & res creatas, aut ad ipsam immẽsitatem Dei, quæ est infinita, & æquipollet omni loco: & ideò, quod adæquate in ipsa est, vbiq; est: & hoc modo accipiunt, Hugo Victo. in sum. sent. tract. 1. c. 4. Alens. & Bonauent. vt suprà, qui aiunt Deum ab æterno fuisse vbique, hoc est in se ipso, in sua immensitate: nec absurde hoc modo dici potest esse vbique: cum propter ipsius immensitatem dicat Baruch. 3. *O Israel quam magna est domus Domini, & quam ingens locus possessionis eius?* Si domus, & locus dicitur, & est infinita, merito, quod est in illa adęquate, verè dici potest esse vbique: si verò sumatur in ordine ad locum, vel sumi potest secundùm potentiam, vel secũdùm actum: & secundum potentiam, is dicitur esse vbique, qui suapte extensione virtuali ita affectus est, vt absque vlla mutatione sui possit esse simul in omni loco, qui dabitur: actu verò id est vbique, quod actu coexistit in omni loco actu existenti. Hoc autem vel potest explicari in sensu cõiuncto, ita, vt huius propositionis, *Deus est vbique*, sensus sit, & Deus, & locus exiſtit, & Deus illi coexistit: vel conditionaliter, ita vt sensus sit, si est locus, in quo possit esse aliquid præsens, Deus est in illo. Hoc posito dicendum est, si loquamur in sensu cõiuncto de existentia actuali Dei in loco esse vbique non est proprietas Dei, vt notat Altisiodorens. l. 1. cap. vltim. qu. 1. ad 3. ex vltimo loco positis, & Gabriel. in 1. dist. 37. qu. vnica, art. 3. dubio 2. conclusione 1. Et rectè ostenditur priore parte vltimi argumenti: & fortè non repugnat, vt creetur à Deo substantia aliqua spiritualis tantæ perfectionis, ac virtualis extensionis, vt orbis vniuersus sit adęquata sphęra locabilitatis ipsius: vel, si hoc videatur impossibile, saltem non repugnat, vt Deus conderet solum corpus

II.

Ambrosius. Hieronym. Damascen. Anselm. Rich. Victor. Hugo Victor. Alensis. S. Bonauent. Baruch. 3. Altisiodorens. Gabriel.

aliquod tantæ magnitudinis, quanta est sphæra locabilitatis primi Angeli, qui proinde tunc temporis esset vbique, si verò loquamur in sensu conditionato, verè est proprietas Dei. Patet quoniam ad veritatem conditionalis, non requiritur veritas antecedentis, sed sat est habitudo connexionis inter antecedens, & cõsequens: hæc verò datur inter existentiam loci, & coexistentiam, siue præsentiam Dei ad ipsum: quæ habitudo non est inter existentiam loci, & coexistentiam alterius omninò rei: neque enim, si locus existit, opus est, vt res aliqua creata determinate sumpta in eo sit.

III. Vt verò ad præsentiam aptitudinalem veniamus, quoniam aptitudines dignoscuntur ex actibus, ad quos sunt, explicandum est prius, qualis sit vbiquitas Deo propria, nulli alteri substantiæ accommodabilis. Omissis verò aliis rationibus, quæ à pluribus adducũtur: præcipua ratio vbiquitatis diuinæ, consistit in eo, vt ratione eiusdem singularis, ac simplicissimæ entitatis necessario sit in omnibus locis designabilibus interminabiliter. Ita Sanctus Thomas in 1. distinct. 37. quæst. 2. art. 2. & 1. part. quæst. 8. artic. 4. cum Sylvestro ibidem, AEgid. in 1. dist. 37. 2. part. primæ partis principalis quæst. 2. Richard. artic. 1. Quæst. 3. Ocham. q. vnica, à lit. E. Gabriel quæst. vnica, art. 3. dub. 2. & 3. Bassolis qu. vnica, art. 2. Aquilan. quæst. vnica, art. 3. Marsilius quæst. 39. artic. 1. conclusione 4. Dico ratione eiusdem singularis, ac simplicissimæ entitatis, quoniam id, quod proprie, ac per se est alicubi, debet esse singulare; nam vniuersalia per accidens, & ratione singularium sunt in loco, & quamuis admissa, & ad actum reducta possibilitate infiniti secundùm quantitatem discretam: natura vniuersalis esset vbique, non tamen ratione eiusdem singularis entitatis, sed ratione vnius in vno loco, ratione alterius in alio, non tamen in omnibus ratione eiusdem. Addidi simplicissimæ ad declarandum modum indiuisibiliter existendi in loco, non ratione diuersarum partium, vt sunt corpora, sed ratione eiusdem essentiæ simplicissimæ, quę est tota in toto, & tota in quauis parte: qua ratione excluditur corpus infinitũ à consortio vbiquitatis diuinæ: nam esset quidem vbiq; ratione diuersarũ partium, non tamen ratione eiusdem indiuiduæ, & simplicissimæ entitatis. Addunt aliqui recentiores etiã substantias incorporeas non esse hoc modo præsentes locis, in quibus sunt: nam, quamuis substantia ipsa simplex sit, atque indiuidua, modus tamen ipse præsentialitatis diuisibilis est, & ita nõ est tota in toto, & totus in qualibet parte: quéadmodũ, inquiunt, anima rationalis, tametsi indiuisibilis sit, nõ tamen habet totã vnionem cum qualibet parte, etenim, corrupta vnione ad aliq̃ partem, adhuc manet integra substantia animæ, & vnio ad reliquas partes: At verò essentia diuina ita est vbique, vt habeat ibidem totam substantiam, præsentiã, atq; immensitatem; quãdoquidem in Deo præsentia, quamuis concipiatur à nobis, vt modus immẽsitatis, re tamẽ ipsa non est: sed ipsamet essentia diuina, à qua nullo modo distinguitur ex natura rei. Ego verò non intelligo in Deo præsentiã, vt quid intrinsecum, ac reale, idem cum Deitate, sed solum relationẽ ad rem, à qua Deus indistans est, fundatam in immensitate, & indistantia Dei ad creaturas: hęc autem præsentia, vel etiã indistantia suo modo à nobis concipitur vt diuisibilis: nam sublata re, vel loco, cui Deus præsens erat pro aliquo tẽpore, iam desinet etiam præsentia Dei erga rem illã, vel locũ manente præsentia eiusdẽ erga alias creaturas. Quapropter, si ex eo, quod dissoluta vnione animæ cum vna parte corporis, manet integra erga alias, colligitur esse diuisibilem, colligetur etiam diuisibilem esse præsentiam Dei ad creaturas. Quod nõ est absurdum: nam eadẽ est ratio præsentiæ, siue coexistentiæ Dei cum creaturis secundũ tempus, ac secundùm locũ: coexistẽtiam verò secundùm tempus esse diuisibilem ostendam tractat. sequ. de æternitate cap. 17. eodem igitur modo est diuisibilis coexistentia secundùm locum. Neq; vt hæc dicatur indiuisibilis simpliciter, sufficit esse indiuisibilem ipsam immensitatẽ, quæ est fundamentum huius præsentiæ: quoniam hæc non meretur nomen præsentiæ, cum semper, ac necessario conueniat Deo: præsentia verò contingenter. Eodem verò modo ipsa extensio virtualis substantię incorporeæ creatæ est idem ex natura rei cum ipsa, & solum distinguitur penes conceptum, & est omninò indiuisibilis tota in toto, & tota in quauis parte. Neque id, quod hæc sententia supponit, nempè Angelum in loco existentem habere modum quendam realem, ac diuisibilem distinctum ex natura rei à substantia Angeli, tantam habet probabilitatem, vt in eo fundari debeat distinctio inter modum existendi in loco proprium Dei, & modum creaturæ.

S. Thomas. Sylvest. Aegid. Richardus. Ochamus. Gabriel. Bassol. Aquilan. Marsilius.

IV. Cæteræ partes adiunctę sunt ad explicandam negationem omnimodam terminationis,

tionis, quæ competit Deo: ratione cuius habet, vt quouis loco designato adhuc possit esse in maiori: quia nullo clauditur, ac terminatur: non est autem possibilis creatura, quæ ratione eiusdem simplicis entitatis excludat omnem terminum. Ex quo sequitur propterea nõ esse possibilem animam indiuisibilem, quæ actuet corpus infinitum, neque Angelum, qui virtute connaturali adæquari possit spatio infinito, quoniam anima indiuisibilis eo, cæteris paribus, est perfectior, quo est informatiua maioris corporis, & Angelus, quo maius spatium occupat: & proinde, siue hic naturaliter esse possit in spatio infinito, siue illa infinitum corpus actuare, vterque esset infinite perfectus secundum substantiam, quod falsum est. Si vero aliquis contendat id non repugnare, adhuc eiusmodi Angelus, aut anima longè distarent à modo vbiquitatis diuinæ: hæc enim non solum habet negationem terminationis actualis, sed etiam potentialis: idcirco enim dixi necessario debere esse in omnibus locis: nam, si sit locus, Deus necessario in eo est, & ita non solum caret termino actuali: sed etiam capacitate, vt terminetur: at creatura omnis, etsi in aliquo casu admitteretur esse actu vbique, posset tamen excludi ab aliqua parte loci, siue spatij illius immensi: nam anima, si in aliqua parte illius corporis infiniti dissoluatur harmonia dispositionum, quibus corpus redditur, apta, ac proxima materia animationis, desinet informare illam partem, & consequenter esse in illa: quo posito nõ erit actu vbique. Item Angelus, quemadmodum, vt censet D. Thomas, non necessario est in sphæra adæquata suæ extensionis localis, sed pro libito se retrahit in minorem, ita posito illo euentu posset has, vel illas partes infiniti spatij deserere: & consequenter non esset actu vbique, neque careret termination potentiali, vt caret Deus, sine quo nullus locus est, aut esse potest.

V. Ex his patet quomodo aptitudinalis existentia Dei in omni loco sit proprietas ipsius. Et de hac intelligendi sunt sancti Patres, atque Doctores, cùm dicunt proprium esse Dei, vt sit vbique: nempè aptitudine proxima ratione immensitatis, & actuali indistãtia, si sit locus aliquis, aut res, cùm negatione omnimodæ terminationis, tam actualis, quam potentialis: quæ ratio nulli creaturæ conuenit, cùm tamen competat semper Deo. Porro argumenta, quibus probatur hanc perfectionem cõuenire etiam creaturis, facilè diluuntur ex dictis: nam, licet admittamus dari infinita corpora in rerum natura, non proinde natura vniuersalis esset vbique per se, ratione eiusdem singularis naturæ, vt est Deus: orbis etiam vniuersus non est vbique per se, sed ratione partium, & habet terminationem: nam ita est in omni loco per partes, vt non possit simul esse in alio, si detur: & ita continetur loco: corpus etiam infinitum non esset ratione eiusdem indiuisibilis entitatis, sed ratione diuersarum partium. Angelum vero, aut animã repugnat esse extensiue infinitam, vt iam ostendi: ratio vero, cur potius repugnet hæc infinitas, quam corporis est, quoniam in corpore quemadmodum multiplicantur partes quantitatiuæ extensionis, ita multiplicantur partes substantiales, ex quo non colligitur infinitas intensiua perfectionis essentialis, sed solum extensiua partium integrantium: at in anima, vel Angelo, cùm careant partibus, tota illa vis locabilitatis infinitæ sumenda est à perfectione essentiali infinita, quæ in creaturam non cadit. Si cui vero non videbitur absurdum dari substantiam spiritualem creatam infinite perfectam, vel infinitæ locabilitatis, quamuis sit finita secundum perfectionem essentialem: respondebit adhuc vbiquitatem talis creaturæ non esse eiusdem rationis cum diuina, quoniam hæc excludit etiam terminationem potentialem, illa vero nequaquam, vt paulo ante explicaui.

VI. Argumentum, quo confirmabatur secunda pars assumptionis primi Syllogismi, solum probat esse vbique, quatenus dicit actualem præsentiam Dei ad creaturas, in sensu copulatiuo non esse proprietatẽ Dei, quod est verissimum: non vero quatenus dicit aptitudinalem, vel etiam actualem in sensu conditionato, vt explicatum est. Ex eo vero, quod loci creati, ac res, in quibus Dus est, sint numero, ac magnitudine finitæ, non sequitur Deum habere terminum suæ immensitatis: quoniam ita est in rebus omnibus, vt sit extra illas non contentus, sed continens. Quia tamen hoc vltimo argumento attingitur celebris difficultas de existentia Dei in vacuo, quæ plurimum conducit ad agnoscendum modum immensitatis diuinæ, in sequentibus expedietur.

Deus non est in imaginaria capedine spatij vltra mundum.

CAPVT XVIII.

I. CElebris est quæstio apud recentiores de existentia Dei, extra, vel supra mundum. Pro qua supponendum est Dei existentiam vel esse in aliquo, vt in loco, vel vt in re: item aliam esse potentialem, aliam actualem. Item vacuum, siue inane posse considerari dupliciter, aut simpliciter, aut cum habitudine ad aliquod corpus, simpliciter quidem prout est pura negatio spatij veri sine vllo respectu, aut habitudine ad corpus intra, vel iuxta cuius extremas partes non est aliud corpus, quo pacto ante orbem conditum nihil omnino erat præter inanitatem, quam nos concipimus ad instar spatij cuiusdam in infinitum circunquaque diffusi cum capedine quadam potentiali ad recipienda corpora: cùm habitudine vero ad corpus potest etiam concipi duobus modis: nempè vel intra concauitatem alicuius loci, quo pacto appellatur propriè vacuum à Philosopho, *Aristot.* cùm vacuum diffiniens lib. 4. Physicor. t. 68. *Est*, inquit, *locus carens corpore aptus tamen repleri*: vel extra superficiem cõuexam supremi cœli, quod Theologi nominare etiam solent vacuum. Triplex ergo est difficultas. Prima vtrum Deus sit in spatio ipso imaginario, quod concipimus extra mundum. Secunda vtrum, si quo casu fieret vacuum intra mundum, esset in ipso. Tertia denique vtrum verè sit supra cœlum, & habeat respectu vltimæ superficiei ipsius præsentiam aliquam extrinsecam. Et quidem controuersiam non credo esse de existentia Dei potentiali: nam hæc ab æterno Deo conuenit, quia potest esse in corporibus, quæ mole sua possunt vacuum illud explere, & loco eius succedere: ita vt iam nunc Deus sit sufficienter constitutus in actu primo, vt sit præsens illis corporibus, ac spatijs realibus, si fierent, & explerentur inania, & vacua, in hoc enim conueniunt omnes doctores, ita expresse *Altisiodorens.* Altisiodorens. lib. 1. cap. vlt. quæst. 1. ad 1. ex 3. loco positis, cuius sententiam approbat *Nouo Castro.* Nouo Castro in 1. distinct. 37. quæst. vn. proposit. 1. in fine. Controuersia igitur est de existentia Dei actuali in spatijs imaginarijs.

II. Quod ad primam attinet. Partem affirmantem sequuti sunt aliqui antiqui, quorum tacito nomine meminit Nouo Castro q. citata, & expresse tenet Maior eadem d. *Maior.* q. 2. & in 2. d. 1. q. 1. ad 8. Palatius in 1. d. *Palatius.* 37. disp. 2. Marsilius Ticinus lib. 2. de Im- *Marsil.* mortalitate animæ, cap. 6. Fonseca lib. 5. *Fonseca.* Met. cap. 15. q. 9. sect. 4. Molina 1. p. q. 8. *Molina.* art. 1. dist. 3. Ostenditur vero inprimis ex testimonijs sacrarum literarum, in quibus dicitur Deus, *Excelsior cœlo.* Iob 11. item *Iob 11.* 3. Reg. 8. *Cœli cœlorum te capere non possunt.* *3. Reg. 8.* Deinde vero auctoritate Patrum, quos referam cap. 20. qui aiunt Deum esse extra mundum: extra mundum vero non est aliud, quam spatium imaginarium. In particulari vero fauet D. Augustinus lib. 11. *Augustinus.* de Ciuitate Dei cap. 5. vbi sic habet. *An forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco: sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorpoream præsentia vbiq; totam, tantis locorum extra mundum spatijs absentem esse dicturi sunt, & vno tantum, atq; in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.* Hæc August. quibus sententiam affirmantem Deum esse absentem ab illis locorum extra mundum spatijs reijcit, vt vanam, atque absurdam. Accedit communis sensus hominum, *Etenim quæ sunt*, inquit Aristoteles lib. 4. Physicor. t. 1. *Omnes* *Aristot.* *existimant alicubi esse*: Et consequenter, quod nullibi est, nunquam existere: iuxta quem sensum loquitur Hugo Victor. lib. 1. *Hugo Vict.* de sacramentis p. 3. c. 17. *Quod nusquam est*, inquiens, *ipsum omnino nihil est.* Deus autem verè extitit, antequam quicquam faceret: ergo necessario fuit alicubi, non in locis, aut rebus creatis, quæ non erant: ergo in spatio illo imaginario. Si respondeatur sat esse, vt fuerit in semetipso, vt aiunt sancti Patres: obijcitur quoniam, vt probat Philosophus 4. Phy- sic. t. 4. nihil di- *Aristot.* citur esse in semetipso, nisi minus propriè ratione partium, quatenus totum est in partibus, & partes in toto. Deus vero est expers partium, vt ratione ipsarum dicatur esse in se: quare non satisfit dicendo Deum esse, quia in se est: deinde vero esto Deum in se esse concedatur, id non sat est, vt sit alicubi: nam in sententia Philosophi supremum cœlum, quamuis in se ipso sit, nusquam tamen est, quia non est in loco distincto à se, & suis partibus.

III. Ratione vero ostenditur. Primum quoniam, si Deus non est in loco imaginario, nec fuit ante mundum conditum, incœpit de nouo esse in spatio, in quo nunc est mundus:

mundus: Hoc vero fieri nequit absque mutatione ipsius, quod repugnat: ergo est in loco imaginario. Assumptio vero probatur, quoniam non potest concipi quomodo essentia diuina absque vlla mutatione incipiat de nouo esse præsens spatio, in quo antea non erat: nam, si non erat ibi, & modo est, aliunde venit: & consequenter per motum acquisiuit nouum vbi, & præsentiam ad spatium: quemadmodum Christus per veram mutationem sui incœpit esse præsens spatio, quod post ascensionem occupauit supra cœlum empyreum: nam, sicut Christus non dicitur esse præsens eiusmodi spatio per denominationem extrinsecam à substantia Dei, sed per veram indistantiam, ac præsentiam ad illud spatium, ita quoque substantia diuina non dicitur præsens ibi per accidens ratione corporis Christi: nam, si cogitatione fingamus essentiam diuinam certo aliquo spatio diffinitam, verbi gratia cœlo stellato, ita vt nequeat à Christi corpore extrinsecè denominari præsens spatio eiusdem corporis, deinde vero de nouo incipere esse præsentem ei spatio, in quo est corpus Christi, profecto denominaretur ab aliquo sibi intrinsecus inhærente, quod absque mutatione intrinseca non posset aduenire de nouo: ergo nisi Deus concedatur esse in vacuo supra cœlum, cùm incœpit esse præsens humanitati Christi Domini, debuit mutari: si respondeatur negando consequentiam, quoniam Deus absque sui mutatione incipit esse præsens de nouo singulis creaturis, quæ de cursu temporum succedunt, & eodē modo sine mutatione potest de nouo coexistere spatio nouo, cui antea præsens nō erat, obijciunt esse disparem rationem: nam, cùm Deus incipit esse præsens cœlo, aut alteri rei, inuoluitur extrinseca denominatio, aut relatio orta ex præsentia cœli, vt dimanantis à Deo: ex quibus solum resultat in Deo denominatio extrinseca, aut relatio rationis: cùm vero dicitur esse, vbi cœlum est, neutrum horum includitur, sed solum id, quod ex parte Dei necessario supponitur ad hoc, vt eo ipso, quo res aliqua ibi existit, dicatur Deus existere in illa: quod fundamentum nequit aduenire de nouo absque mutatione ipsius: hoc igitur habuit Deus antequam corpus Christi ascenderet supra omnes cœlos, vt statim, ac peruenit illuc, cœperit ibidem coexistere humanitati illius, & consequenter iam antea ibi erat.

IV. Secundo ad omnem operationem præsupponitur indistantia operantis à loco vbi operatur: Deus autem operatus est in spatio, in quo est mundus: ergo erat in illo antequam operaretur: & modo potest operari in infinito spatio imaginario supra cœlum: ergo iam ibi est. Namque vt bene notauit Durandus in 1. dist. 37. quæst. 1. non minus colligitur præsentia diuina ex actuali operatione, quam ex potentia ad operandum: præsertim quia attributum immensitatis est prius attributo omnipotentiæ: ergo etiam ipsius veluti actus, nempè existentia Dei in omni spatio, erit prius actione transeunte, quæ est actus omnipotentiæ. Tertio, si Deus crearet extra mundum corpus aliquod non contiguum cœlo, & simul cum illo Angelum existentem totum in eo corpore, & in quauis parte illius: deinde vero nulla facta mutatione in Angelo permitteret corpus illud in nihilum redigi, Angelus maneret in vacuo: ergo eti m Deus, quoniam esset in Angelo: & eod m Angelo in nihilum redacto maneret ibidem. Ex qua suppositione sumitur aliud argumentum: nam, si corpus illud, & Angelus essent distantes à cœlo empyreo, diuina substantia esset à se ipsa quodammodo diuisa, nempè existens in extremis, & non in medio: quod est absurdum: Vltimo Deus ratione infinitæ perfectionis est tam perfectus, vt nihil secundum perfectionem maius cogitari possit, & quia est infinite bonus, nihil eo melius cogitari potest, & quia est æternus in duratione, nihil eo magis durare fingi potest: ergo etiam, quia est immensus, hoc est magnitudinis infinitæ, debet esse in tanto spatio, ita vt non possit cogitari aliquid esse in maiore: at si non est extra mundum in vacuo, non repugnat, vt cogitetur aliquid esse in maiori spatio.

Durand.

V. Dicendum est tamen Deum non esse in ipso spatio imaginario. Hæc est expressa Richard. in 1. d. 37. art. 1. q. 4. Scot. q. vn. in fine corporis cum Lych. ibid. & Bargio. §. 1. Nouo Castro ibidem q. vn. propolit. 1. Marsil. q. 39. art. 2. ad 8. principale. Capreol. in 1. d. 37. q. vn. ad 4. Scoti contra primam conclusionem, Hispalens. ibidem, quæst. vnica, art. 4. ad 4. Scoti contra 1. conclusionem, & est communis Thomistarum. Nam hi, cùm asserant Deum non esse aliter in aliquo, quam per operationem, & in vacuo non sit vlla operatio Dei ad extra, consequenter dicunt Deum non esse in vacuo: sed cum hoc fundamentum supra reiecerim, alio opus est. Inprimis vero nititur hæc assertio manifestis Patrum testimonijs negantium Deum ante orbem conditum fuisse alibi, quā in se: ita Tertull. lib. contra

Richardus. Scot. Lychetus. Bargius. Nouo Castro. Marsil. Capreol. Hispalens.

Tertullian.

Augustinus. *Alcuinus.* *Bernard.*

Praxeam cap. 5. Augustin. in id Psalm. 122. *Qui habitas in cœlo.* Alcuinus lib. 2. de Trinitate cap. 5. Bernard. lib. 5. de consideratione cap. 6. in fine, vbi, cùm docuisset Deum esse in omni loco creato, subiungit: *Alias vero vbi erat, antequam mundus fieret, ibi est: non est, quod quæras vltra, vbi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.* Hæc Bernard. qui breuiter perstrinxit huius assertionis fundamentum, quod est huiusmodi. Præsentia realis in altero requirit actualem existentiam eius, quod est terminus præsentiæ: in eo enim, quod non est, nihil omnino esse potest: sicut enim id, quod nō est, nusquam est, vt ait Philosophus lib. 4. Physicor. text. 1. ita etiam in ipso nihil est: etenim ad coexistentiam, siue præsentiam requiritur mutuus contactus extremorum, qui nonnisi inter res actu existentes datur:

Aristot.

quapropter dixit idem Philosophus lib. citato, text. 18. *Semper id, quod alicubi est, & ipsum esse aliquid, & aliud aliquid extra ipsum:* Alioquin dici posset Deum iam modo coexistere actu rebus futuris, imò, & possibilibus, quæ nunquam erunt: siquidem hæc sunt vera entia, & habent potentiam logicam, vt sint, quæ, cùm nitatur rei essentia, verius meretur nomen potentiæ, quam capacitas illa vacui imaginaria: cùm igitur ante orbem conditum nihil omnino fuerit, sed pura inanitas, dici nequit Deum fuisse alibi, quam in se ipso: aut fuisse in spatio imaginario. Et confirmatur, quoniam non plus habet entitatis, aut veritatis illud spatium imaginarium, quã chymæra, aut aliud ens fictitium: Deus autem nō est in chymæra secundum realem præsentiam: ergo neque in spatio imaginario. Patet consequentia quoniam vtrunque non habet aliud esse, quam fictum ab intellectu nostro: nam spatium imaginarium non est

Aristot.

ens positiuum, vt colligitur ab Aristotele lib. 4. Physic. t. 37. nam si esset ens, nunc etiam maneret simul cum alijs corporibus, quæ successiuè occupant idem spatium loci, quod tamen Aristot. impugnat, non est priuatio quoniam hęc supponit subiectum, cui conueniat, at vero extra cœlum nihil omnino est, cui hæc priuatio competat: non pura negatio; non enim apparet forma, quam neget, quæ etiam non competat entibus fictitijs, si quis respondeat esse non repugnantiam, vt recipiantur, ac fiant in eo spatio substantiæ corporeæ. Contra, non repugnantia omnis, & aptitudo habet modum potentiæ passiuæ: hæc vero fundari debet in aliquo actu: ergo si supra cœlum nihil est, etiam non est non repugnantia: sed tota hæc potentia se habet ex parte omnipotentiæ diuinæ.

VI.

Testimonia sacrarum literarum, & sanctorum Patrum non probant Deum esse in ipso vacuo sublata omni habitudine ad aliquid positiuum, vt modo loquimur: Ex eo enim, quod dicant Deum non capi cœlo, aut mundo, vel esse extra mundum, vel supra cœlum, minimè sequitur esse in ipsa inanitate, sed habere existentiam cum diuersis negationibus, & habitudinibus ad mundum, vel cœlum, in quo est, vt in sequentibus explicabo. Quod vero attinet ad verba D. Augustini ibidem adducta respondetur esse intelligenda ratione distantiæ potentialis, qua Deus est supra cœlum sub ea dispositione, vt ex vi ipsius Deus sit in actu primo ad coexistendum cuiuis corpori, vel loco, si supra cœlum crearetur: August. enim solum intendit Deum nō ita esse in hoc mundo, vt in illo concludatur, quod colligitur ex discursu eiusdē Augustini, loquebatur enim ex suppositione aduersus eos Philosophos, qui contendebant mundum fuisse ab æterno, eo quod existimarent Deum non potuisse cessare ab operando in infinitis temporum spatijs, quæ ante mundum conditum cogitabant: contra quos arguit, vt similiter cogitent extra mundū infinita locorum spatia, & reddant rationē, cur ibi Deus ab opere cesset. Quia vero respondere aliquis posset, Deum non esse in illis, & idcirco non operari, intulit non esse dicendū Deum inde abesse: quemadmodum ex ipsorum sententia nō aberat ab infinitis spatijs temporum præteritorum: deinde vero in fine capitis recitans responsionem ipsorum, qua dicunt spatia eiusmodi extra mundum esse fictitia, non eam reprobat, sed admittit, & applicat ad spatia temporum his verbis: *Quod, si dicunt inanes esse hominum cogitationes, respondetur eis isto modo imperiti homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum tempus sit ante mundum:* Si inaniter vtrunque cogitatur, inaniter etiam dicitur Deum fuisse actu in tempore imaginario, vel nunc esse in loco fictitio supra cœlum: & ideò, quemadmodum hæc est falsa: *Deus fuit in spatio temporis imaginarij, ante mundum conditum:* Quia spatium eiusmodi nihil est, ita hæc est falsa, *Deus est in spatijs loci imaginarij extra mundum,* quia eiusmodi spatia nihil sunt. Populari hominum sensui, quem refert Aristoteles, opponitur auctoritas eiusdem Aristotelis, qui cap. 9. lib. 4. Physic. ex instituto probat dari corpus, quod non sit in loco: id nimirum, extra quod non est aliud corpus: ideoque eodem capite text. 45. *Cœlum,* inquit, *sicut*

dictum

dictum est, non ast alicubi totum, siquidem nullum corpus ipsum continet: Ex quibus constat de mente Philosophi posse aliquid existere, quin sit alicubi, hoc est in aliquo loco. Et hoc modo antequam mundus fieret, Deus nullibi erat, hoc est in nullo loco, nec tamen propterea absolute non erat: quoniam licet non esset alicubi, in se ipso tamen erat. Hugo autem Victorin. ideò verè dicit; *Quod nusquam est, nihil omnino esse*, quia accipit alicubi, vel vbique esse, non solum pro existentia in alio: sed etiam in seipso, vt patet ex summ. sententiar. tractat. 1. cap. 4. quo sensu manifestum est, nihil omnino esse, quod nusquam est. Aristot. autem quatenus asserit nihil esse in semetipso, intelligi debet de proprio existendi modo: non vero de quocunque: nam, quamuis nihil in semetipso sit propriè velut in loco, qui semper est aliquid extrinsecum, & distinctum à locato, id tamen quod non indiget loco, vt sit, & reuera existit, quamuis nihil omnino aliud sit, merito dicitur esse in semetipso ratione independentiæ ab extraneo, & propriæ sufficientiæ, vt sit: & hoc modo Deus est in semetipso iuxta communē loquendi modum sanctorum: ratione cuius independentiæ, & sufficientiæ immensitatis diuinæ, dixit Plotin. Enead. 6. lib. 8. cap. 16. potius dicendum ꝙ Deus sit ipsum vbique quā quod ipse sit vbique: quo etiam modo loquitur Hugo Victorinus, & Scholastici citati cap. 17. nu. 2. quatenus aiunt, sicut semper esse significat æternitatem, ita etiam vbique esse immensitatem: non igitur mirum si Deus, cùm non alibi, quam in se ipso sit, vbique esse dicatur, quia ratione immensitatis est ipsum vbique, ipse sibi locus adæquatus.

VII. Ad primum argumentum neganda est assumptio; Et ad probationem sumptam ab exemplo corporis Christi respondetur, etiam corpus Christi non esse in spatio ipso imaginario, sed esse supra cœlum, quo per motum peruenit: in Deo vero est dispar ratio, quoniam iam modo est supra cœlum, & in se existens eo modo, vt ex vi ipsius absque mutatione sui possit coexistere cuiuis corpori, si ponatur supra cœlum: at vero corpus Christi est circunscriptum loco, neque quando erat in terris, erat taliter dispositum, vt ratione suæ quantitatis absque vlla mutatione respondeat parti cœli, supra quam stat, & ita probanda est solutio ibidē assignata. Ad cuius impugnationem respondetur inprimis, terminum, *vbi*, aut significare locum extrinsecum, aut spatium intrinsecum, in quo res est: si significetur locus extrinsecus, necessario connotari debet existentia ipsius: nam in loco non existente nihil est: si vero significetur spatium intrinsecum, adhuc opus est connotatione rei corporeæ, sine cuius positione spatium nihil est: & consequenter nequit esse extrinsecum coexistentiæ vllius rei: quare supra cœlum, nec fuit antea, nec modo est aliquod spatium distinctū re ipsa à corpore Christi, & eius quantitate: & proinde Deus verè dicitur esse in humanitate Christi, & in spatio, in quo ipsa est, per solam positionem humanitatis, ac spatij supra cœlum. Verum inquiet aliquis Christum modo esse in diuerso spatio, ac erat quando versabatur in terra: quare illud esse aliquid distinctum à proprijs dimensionibus. Ad hoc distinguendum est antecedens: nam, si intelligatur per se de spatio positiuo est falsum: erat enim Christus in terris in proprijs dimensionibus, in quibus consistit ratio positiua spatij, in quo modo est, si vero intelligatur quoad connotatum, concedendum est: quoniam spatium connotat immobilitatem per respectum ad diuersa puncta immobilia, quemadmodum locus: & quoniam mutatur in Christo hæc connotatio, idcirco variatur spatium quoad connotatum, & non quoad positiuum. At vero Deus antequam Christus Dominus penetraret ad locum, in quo modo est, erat præsens ipsi connotato, hoc est vltimis partibus cœli empyrei, quas Christus tangit plantis: & ratione quarum dicitur esse in hoc loco designato: & idcirco Deus ex eo, quod incipiat ibidem de nouo coexistere Christo, non mutatur: quoniam habet præsentiam ad humanitatem Christi, & eius dimensiones cum noua connotatione ad certum locum empyrei: ratione cuius connotati dicitur Deus modo esse in dimensionibus, vt in diuerso spatio: non quod ab ipsis vnquam abfuerit, sed quia illæ ratione diuersi connotati habent rationē diuersi spatij. Et ita patet quomodo Deus sine mutatione sui per solam positionem extremi incipiat esse in illo. Quod si velint Deum in se ipso ratione propriæ immensitatis sufficienter esse constitutum in actu primo, vt coexistat creaturæ, si ponatur in vacuo, id verissimum est: verum ex hoc nō sequitur, vt sit in vacuo, quemadmodū cœlum empyreum ratione propriæ quātitatis aptum est respondere alteri corpori, si immediate supra ipsum creetur à Deo: nec tamen ex parte superiore est alicubi, aut in vacuo.

Solutio secundi argumenti patet ex VIII.
dictis cap. 6. Ad agendum enim actione

creatiua

creatiua de nouo nõ exigitur actualis præsentia Dei ad effectum, vel spatium, quod non est: & idcirco nequit esse terminus coexistentiæ, vel præsentiæ: Sed sat est aptitudo proxima, vt posito termino agens sit statim præsens, vbi operatur. Ad obiectionem ex Durando respondeo existente spatio, ac subiecto recte ex potentia ad operandum colligi actualem præsentiam: quoniam, si datis terminis, ad quos haberi possit habitudo presentiæ, substantia non est præsens, profecto neque operabitur, quoniam erit verè distans ab ijs: à distante autem, vt sic non potest esse, aut dependere effectus. Quod locum nõ habet, quando non dantur termini coexistentiæ, tunc enim agens de se potest ita esse dispositum, vt sit aptum coexistere illis, si dentur: quod sat est ad agendum. Ad alteram obiectionem respondeo formas attributales, quæ habent aliquam habitudinem ad creaturas, duplicem habere actum, alterum intrinsecum, & quasi formalem, quomodo immensitas constituit Deum interminabilem loco, omnipotentia potentem operari: alterum extrinsecum, & secundarium, qualis est actualis presentia, quæ respondet immensitati, & actualis operatio, quæ respondet omnipotentiæ: & intrinsecos quidem, quoad rationem prioritatis, sequi ordinem formarum, à quibus sunt, vt patet: extrinsecos vero nequaquam: vt videre est in attributo scientiæ practicæ, & potentiæ executiuæ: etenim prius nostro intelligendi modo est Deus sciens, quam potens operari: concipimus enim scientiam, vt regulam potentiæ, & tamen in ipso opere non prior est effectus scientiæ, quam omnipotentiæ: ideoque cum esse actu in rebus sit veluti actus extrinsecus immensitatis, non opus est, vt sit semper prior operatione, quæ est actus omnipotentiæ.

IX. *Nouo Castro.* Propter tertium argumentum Nouo Castro vbi supra cum propositione prima absolute negasset Deum esse in vacuo supra cœlum, rursus proposit. 3. concedit posse in illo esse: Immerito tamen, quid enim post Angeli annihilationem haberet Deus in spatio imaginario, quod modo nõ habeat? etsi modo non est in illo, quia nulla res est in nihilo, etiam facta illa hypothesi non esset, quoniam ipsa non dat esse spatio illi. Est vero respondendum facta illa suppositione Angelum adhuc non manere in vacuo: quoniam, vt iam dixi, in eo, quod non est, nihil existit. At inquies, Angelus ille existeret, non in pleno: ergo in vacuo, quoniam quidquid est, in alterutro horum est. Neganda est consequentia, & medium, quod ad illam probandam sumitur: nam vt ait Aristot. lib. 4. Physic. t. 45. *Aristot.* supremum cœlum est: & tamen nullibi est secundum se totum, hoc est in nullo loco. Et hoc modo se haberet ille Angelus: esset enim extra mundum, & ideò non in pleno: vacuum vero præcisè sumptum cum abstractione à loco nihil est, & ideò Angelus in ipso non esset, sed in se. Ad argumentum vero, quod ex eadem suppositione sumitur neganda est sequela: nam substantia rei non censetur diuisa eo, quod sit interrupta coexistentia ipsius ad aliam rem, quomodo anima nostra non est diuisa, etiamsi partes, quas informat, inter se aliqua ex parte diuidantur, sed plenior huius argumenti solutio constabit cap. sequent. Ad vltimum distinguendum est consequens: &, si intelligatur de existentia actuali Dei in spatio, est neganda: concedenda vero, si intelligatur de potentiali. Ratio vero est quoniam existentia actualis Dei in spatio non est perfectio simpliciter, nec conuenit Deo necessario absque suppositione, sed posito spatio: quæ vero ita conueniunt non opus est, vt infinito modo conueniant: nam non opus est, vt creet tot, ac tam perfectas creaturas, vt plures, ac maiores creare nequeat. At vero existentia potentialis conuenit necessario, & fundatur in immensitate: & ideò non potest existere in tanto spatio, quin possit adhuc in maiore. Alia vero omnia, quæ in argumento adducuntur, cõueniunt necessario: & ideò ex eo, quod est tam bonus, ac perfectus, vt melior, ac perfectior nec esse, nec fingi possit, minimè sequitur debere existere actu in tanto spatio, vt nequeat existere in maiore.

Deus erit in loco vacuo, si quo modo detur.

CAPVT XIX.

I. EXpedita prima difficultate initio superioris cap. proposita, veniendum est ad secundam. Cuius negatiua pars suadetur. Primo, quoniam eadem est ratio vacui contenti intra duo corpora, ac extra corpora diffusi: in vacuo secundo modo sumpto Deus non existit: ergo neque erit in vacuo prio*re* modo accepto. Antecedens ostenditur, quoniam vtriusque ratio consistit in negatione spatij realis. Consequentia vero patet: quoniam, si ideò non est in vacuo concipimus supra cœlum, quoniam

est non

est non ens, & nequit esse terminus habitudinis eius, quod est in alio, etiam quia vacuum intra mundum est non ens, non poterit esse in illo. Secundo frustra, & sine fundamento dicitur Deum esse actu præsentem ibi, vbi nihil agit: non agit autem quidpiam in vacuo, si detur: ergo non est in illo. Tertio, si dato loco vacuo intra mundum Deus in illo esset, necessario quoque erit in vacuo destructo mundo: huius oppositum dictum est cap. proximo: ergo non potest esse in vacuo intra mundum. Maior patet, quoniam Deus non desinit esse vbi aliquando fuit, nisi desinat ipsum, in quo fuit: sed vacuum manet, etiamsi dissoluatur corpus & locus, intra quem esse dicitur: ergo, si Deus sit in vacuo intra mundum, erit etiam in vacuo extra mundum, vel etiam in spatijs imaginarijs destructo mundo. Denique si Deus fecisset ab initio vacuum intra mundum, non esset in illo: ergo neque, si modo faciat, erit in ipso. Patet consequentia, quoniam ex parte ipsius est eadem immensitas, ex parte vacui eadem negatio spatij corporei, ex parte loci eadem capacitas ad recipiendum intra se corpora: quod vero fuerit ab initio mundi, vel postea, parum facit ad præsentiam, vel existentiam Dei in ipso. Antecedens vero probatur, quoniam Deus non incipit esse de nouo alicubi, nisi posito de nouo termino coexistentiæ, vel præsentiæ, vt patet ex cap. præcedente: ante mundum conditum Deus non erat in vacuo, siue spatio imaginario: si autem mundus crearetur remanente aliquo vacuo intra ipsum, non poneretur in eiusmodi vacuo nouus terminus coexistentiæ, siue præsentiæ diuinæ: ergo, si ab initio mundi fuisset vacuum intra ipsum, Deus nequaquam esset in illo.

II. Illi, qui rationem existendi in loco aiunt esse ipsam operationem, consequenter negare debēt Deum esse in vacuo intra mundum. Econtra vero illi, qui asserunt Deum esse in spatijs imaginarijs extra cœlum, consequenter dicent esse in vacuo intra mundum, quoniam immensitas, ratione cuius Deus nostro intelligendi modo habet infinitam extensionem virtualem, non minus est ratio existendi in loco vacuo, quam in infinitis spatijs imaginarijs extra cœlum, difficultas supereſt solum apud illos, qui censent ipsam Dei immensitatem esse rationem existendi in loco, & negant ipsum existere in spatio imaginario. Cuius decisio, vt melius intelligatur obseruandum est vacuum propriè dictum, vt à Philosopho definitur lib. 4. Physic. t. 60. & à nobis nunc accipitur, non esse puram negationem corporis occupantis locum, sed esse locum carentem corpore cum capacitate apta, vt repleatur: atque adeò, id, quod in vacuo esse dicitur, non habere respectum ad ipsam negationem, & capacitatem continendi corporis, sed ad locum, intra cuius ambitum corpus aliud recipi potest. Ad hoc autem, vt aliquid sit in loco non requiritur, vt secundum omnem suam magnitudinem realem, vel virtualem illum attingat, sed solum sufficit, vt secundum aliquid illius sit immediate præsens extremis superficiebus loci, vt se habet sphæra terræ, & aquæ comparata aëri, non enim illum tangit secundum omnes partes suæ magnitudinis, sed solum secundum extimas, & tamen dicitur esse intra ambitum ipsius aëris: & quamuis per impossibile nihil nisi terra, & aqua esset intra hunc ambitum, ipsæ mole magnitudinis suæ totum illum replerent. Et quod in rebus corporeis ipso sensu apparet, in spiritualibus, & incorporeis ratio ostendit: nam, si Angelus haberet tantam sphæram, quantus est globus ex terra, & aqua conflatus, & se præsentialiter applicaret toti illi globo, verè diceretur esse in cōcauo aëris: tum vero si terra, & aqua annihilarentur, non desineret Angelus esse ibidem, quoniam præsentia eius ad locum aëris non dependet ex terræ, vel aquæ existentia. Nec tamen tota eius magnitudo virtualis contingeret superficiem aëris, sed ratione eius haberet eum existendi modum, vt si rursus terra, & aqua fierent, absque mutatione sui coexisteret omnibus, & singulis partibus ipsarum. *Aristot.*

III. Hoc posito dicendum est, si Deus comparetur cum ipsa vacuitate loci carentis corpore non magis esse in illa, quam in vacuo supra cœlum: si vero cum loco vacuo verè in illo esse. Hæc est expressa Bonauent. in 1. distinct. 37. 2. p. distinctionis art. 1. q. 2. ad vltimum. Prior pars est de mente eorundem, qui asserunt Deum non esse in spatijs imaginarijs, & ijsdem rationibus probatur, quoniam hæc vacuitas est eodem modo non ens, atque illa quæ fingitur vltra cœlum: ergo non potest terminare relationem præsentiæ. Posterior est de mente aientium Deum esse supra cœlum, & in spatijs imaginarijs. Ostendi vero potest ex dictis sanctorum asserentium Deum esse intra omnia, esse rebus omnibus interiorem: quod verum non esset, si dato loco vacuo non esset intra *Bonauent.*

illum,

Athanasius. illum, ita vero loquuntur Athanas. de vnita ac sempiterna substantia Trinitatis lib. 5. in fine. *Augustinus.* August. lib. de essentia diuinitatis initio. *Hilarius.* Hilarius lib. 1. de Trinitate non longè à principio. *Hieronym.* Hieronymi in id Ezech. 40. *Et introduxit me in atrium.* *Richardus.* Richard. *Gregor.* Victorin. lib. 2. de Trinitat. cap. 23. Gregor. lib. 2. moral. cap. 8. in id Iob cap. 1. *Egressusq; est Satan à facie Domini.* & hom. 17. in Ezechiel. à med. & alij. Respondebit aliquis sanctos Patres loqui de rebus, prout modo sunt: nunc autem omnia esse plena: & ideò non posse ex eorum dictis sumi argumentum ad probandum Deum fore in vacuo, si daretur. Verum sancti solum attendunt immensitatē Dei, quæ nullis terminis circunscribitur, & à nullo excluditur: & idcirco siue locus sit plenus, siue vacuus, intra illum esse volunt, quamuis id in particulari non dicant, sed absolute esse intra omnia.

IV. Fundamentum vero sumitur primum ab indiuisibilitate, & simplicitate diuinæ substantiæ. Nam, si non sit in loco vacuo, sequitur Deum esse prorsus diuisum à se facta aliqua hypothesi, nimirum quod annihilet Deus cœlum Veneris: tunc enim Deus erit in cœlo solis, ac lunæ, in loco vero intermedio non erit: atque adeò ex omni parte erit à se diuulsus. Hoc argumentū dissoluet aliquis dicendo procedere ex falsa imaginatione, qua concipimus Deum quasi distinctum, atque diffusum per ipsas creaturas, & rursus ijs abeuntibus constringi quodam modo, & coarctari in se ipso. Quod est merum figmentum: nam Deus in se ipso est immensus, atque interminabilis: non magis extensus, quo est in pluribus, ac maioribus locorum spatijs: quia non minus in angustis, quam in latis totus est: vt ait D. *Fulgentius.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. quare esse, vel non esse in hoc, vel illo loco nihil intrinsecum illi addit, vel demit, sed solam relationem præsentiæ ortam ex positione creaturæ, cui coexistit: & quemadmodum, si omnis creatura desineret esse, nō diceretur Deus absolute non esse, ita ex eo, quod creaturæ, quibus coexistit, inter se disitæ, ac distantes sint, ipse à se diuisus haudquaquam existit: quemadmodum si supra cœlum empyreum collocarentur aliqua corpora, à se inuicem certis interuallis distantia, cœlum tamen immediate tangentia, illud non diceretur à se diuisum ex eo, quod haberet præsentiam ad illa corpora, nō autem ad spatia vacua intermedia: quoniam substantiæ ipsius integritas, atque indiuisibilitas, non pendet à præsentia ad alia corpora extra se: quod exemplum etsi nō omnino, magna tamen ex parte rem declarat: magis enim vnius, atque idem sibi, & independens ab alijs est Deus, quā cœlum empyreum à corporibus, magisque aptus ratione suæ immensitatis ad coexistendum rebus omnibus, quam cœlum empyreum ad coexistendum illis corporibus. Et ideò, cùm in se ipso indiuisus, & immēsè existat, etiamsi non sit actu in spatio illo inani, non proinde à se diuisus erit. Rem apertius explicat similitudo æternitatis comparatæ ad tempus: nam, si ponamus Deum cessante aliquantulum tempore per annihilationem vniuersi, rursus producere mundum cum ordine temporum simili ei, qui modo est, non proinde dicemus durationem Dei fuisse interruptam ex eo, quod tempora, quibus coexistit interrupta sint: nec in illa interruptione verum fuerit dicere: Deus existit in hoc spatio: siquidem tunc non erat spatium verum: itaque interruptio eorum, quibus Deus coexistit, non arguit illam interruptionem ipsius: & sicut, etiamsi tempora interrumpantur, semper indiuisibiliter existit in sua æternitate, ita licet loca, quibus coexistit, interiecto vacuo distincta sint, non proinde diuina substantia erit diuina à semetipsa.

V. Hæc tamen solutio non eneruat argumentum, quoniam hîc non agimus de coexistentia Dei ad creaturas: hæc enim potest esse interrupta ratione connotati, quod importat: sicut enim creaturæ ipsæ sunt disitæ inter se, ita coexistentia est interrupta: nam Deus facta illa hypothesi coexisteret cœlo solis, ac lunæ, in medio, quorum, non haberet aliquid, cui coexisteret. At vero existentia in loco non potest interrumpi, nisi desit locus: inter cœlum autem lunæ, & solis esset locus aptus repleri: & ideò si substantia aliqua sit in ipsis cœlis intimè, & non in loco intermedio, verè erit à se disiuncta. In similitudine vero sumpta à cœlo empyreo est diuersa ratio: nam illud esset solum præsens extrinsecè corporibus supra se positis, & proinde quamuis ea à se disiuncta sint, & consequenter non continuata præsentia cœli ad ipsa, non sequitur cœlum esse à se diuisum: Deus autem est intrinsecè præsens vtrique cœlo, ideoque si non est in medio apto recipere quamuis substantiam, est à se disiunctus secundum substantiam. Nam, si locus est capax substantiæ, & accommodatus terminus existentiæ, siue præsentiæ, quasi localis substantiæ ad ipsum, non potest intelligi, quomodo talis substantia sit extra eum locum circumquaque præsens, & non intra ipsum, quin verè diuisa, & à se ipsa

diuulsa

diuulsa sit. Similitudo etiam sumpta ab æternitate comparata tempori est longè diuersa: nam substantiæ corporeæ interruptæ, media aliqua capacitate habent rationem loci, & modum denominationis realis, quem tribuunt substantijs replentibus eam capedinem: & ideò, quod coexistit ipsis substantijs, quibus inest ratio loci, nisi etiam sit intra locum, à seipso diuulsum est, nō enim desinit existere, quia deest terminus in quo dicatur existere, sed quia ipsum est disiunctum à se, nec habet talem modum existendi, vt sit in loco, & substantijs ipsis, quæ circunstant locum. At vero ex temporis interruptione non sumitur vlla denominatio realis ad rē existentem inter finem vnius, & initium alterius: & idcirco, quamuis res non sit actu in spatio intermedio, quoniam re vera non est spatium, in quo sit, non sequitur vt sit duratio eius interrupta, quia potest existere in se vnica, & indiuisa duratione.

VI. Secundo Deus est immensus: ergo est in loco vacuo. Patet consequentia, quoniam immensitas est magnitudo virtualis Dei, æquipollens quantitati infinitæ: si vero esset corpus magnitudine infinitum esset in omni loco: ergo & Deus est in omni loco: vacuum vero intra mundum est locus carens corpore: quare Deus est in illo. Patet consequentia, quoniam non est maior vis replendi locum magnitudinis corporeæ distensione sui, quam immensitatis diuinæ; ratione suæ extensionis virtualis. Et ideò, quemadmodum corpus infinitum non potest abesse vlli loco, Deus etiam non potest non esse in quouis loco, etiam vacuo. Vt vero hoc clarius eluceat, supponamus esse vas plenum aqua, in quo Deus est, & vt in re, & vt in loco: in re quidem quatenus præcisè est intimus partibus substantialibus vasis, quatenus vero est indistans ab aqua contenta vase, habet indistantiam extrinsecam ad superficiem concauam vasis, estque in illo tanquam in loco. Si vero ponamus aquam in nihilum redigi, & impediri ingressum alterius corporis, Deus carebit habitudine coexistentiæ ad aquam, quoniam hæc iam non est, non vero præsentiæ secundum superficiem conuexam vasis, quoniam nec Deus ipse in se, nec vas mutatum est: Et ideò si antea erat in vase, vel intra vas tanquam in loco, etiam modo est.

VII. Ad primum negandum est antecedens: quoniam vacuum propriè sumptum importat aliquid reale, in quo Deus est: impropriè vero sumptum importat solam negationem, in qua nihil est, vt patet ex dictis. Ad secundum negandum est antecedens: non enim ratio existendi alicubi est operatio ad extra, sed immensitas: Et ideò non repugnat, vt Deus sit etiam, vbi non operatur. Ad tertium neganda est maior propositio, & ad eius probationem distinguenda est assumptio: si enim vacuum sumatur impropriè pro pura negatione repletionis per præsentiam corporis, concedenda est: sed in hoc sensu non est ad rem: non enim dicimus Deum esse in vacuo ita sumpto: si vero vacuum sumatur propriè, neganda est assumptio: cùm enim sit locus carens corpore destructo loco ipsum quoque desinit, & consequenter etiam Deus desinit esse in illo. Ad vltimum neganda est sequela maioris: Et ad eius probationem dicendum est, si initio mundi crearetur locus vacuus, dari verum terminum coexistentiæ, nimirum ipsum locum vacuum: nam si potest esse terminus coexistentiæ alterius corporis intra illud contenti, cur non erit respectu Dei, cuius immensitas replet quidquid potest corpus replere.

Deum esse extra mundum, & supra cœlum ostenditur auctoritate scripturæ, Patrum, & Scholasticorum.

Caput XX.

I. TAmetsi Deus non sit in ipsa vacuitate, quam extra mundum, & supra cœlum animus noster fingit, adhuc dubitari potest vtrum sit supra cœlum: nam corpus Christi Domini est supra cœlum empyreum, nec tamen est in ipsa vacuitate: eodemque modo, si Deus de nouo crearet aliud cœlum supra empyreum, verè ac realiter esset supra illud, non tamen esset in vacuo: sicut nec ipsum empyreum est in vacuo propter rationem assignatam in superioribus: nempè quia vacuum nihil est: terminus autem coexistentiæ, siue præsentiæ realis debet esse aliquid reale. Hæc autem controuersia dirimi potest auctoritate, & ratione: locum ab auctoritate tractabo hoc capite, rationum momenta expendam in sequente. Inprimis autem pro parte negante, nihil ex sacris literis adduci potest. Ex Patribus fauent relati cap. 18. num. 5. qui aiunt Deum, ante mundum conditum nullibi fuisse, nisi in se: Nam,

si tunc nullibi fuit, & modo est in creaturis, planum est de mente horum Patrum Deum solum esse, vbi aliqua creatura est: extra mundum vero, aut supra cœlum non est vlla creatura: ergo neque Deus erit.

Nouo Castro. Hoc argumento conuictus Nouo Castro, in 1. dist. 37. q. vn. conclusione prima ait Deum non esse extra cœlum, quoniam Patres interrogati vbi esset Deus ante mundum conditum, respondebant esse in semetipso, si vero crederent Deum esse in spatio infinito supra cœlum, hanc, non illam responsionem dedissent.

II. Ex Scholasticis eandē partem sequuntur

Capreol. præter Nouo Castro loco citato. Capreol. in 1. d. 37. q. vn. art. 2. ad 4. Scoti contra

Hispalens. primam conclusionem. Hispal. q. vn. art. 4. ad 4. etiam Scoti contra primam conclusionem. & ferè recentiores Thomistæ, qui rationem existendi collocant in operatione Dei ad extra: nam, cùm Deus nihil operetur extra mundum, si ratio existendi est operatio, non erit extra mundum. Pro eadem sententia refert Nouo Castro. Altisiodorens. Alensem, Bonauent. Scotum, & recentiores aliqui addunt Albertum, Ægidium, Richardum, Durandum, Argentinam, Gabrielem & Carthusianum, vnde colligunt hanc esse communem Theologorum sententiam: sed hi doctores vel sunt in oppositā sententia, vel saltem huic non fauent, vt inferius constabit.

III. Certa tamen, ac vera sententia est Deum existere actu, & realiter extra mundum, & supra omnes cœlos: ita vt, si per impossibile fingamus nō esse in mundo, adhuc ratione realis existentiæ, quam habet extra illum, verè, ac realiter existeret: quemadmodum, si Deus crearet multos Angelos intimè præsentes moli corporeæ cœli empyrei, deinde vero illud annihilaret, ij Angeli verè haberent existentiam extra mundum: verè enim existerent in seipsis, & non essent intra superficiem conuexam primi mobilis, & ideò manerent extra. Hanc sententiam probant quidā ex illo Christi Do-

Ioan. 12. mini, Ioan. 12. *Ego lux veni in mundum,* ad

Caietan. quem locum Caiet. *Si non esset,* inquit, *extra mundum, non diceret: ego lux veni in mundum.*

Ad Hebr. 11. Addunt aliqui locum illū Pauli, ad Hebr. 11. *Et iterum cum introducit primogenitum in orbem terrarum, ait, adorent eum omnes Angeli eius.* Sed hæc testimonia non sunt ad rem, non agunt enim de aduentu Verbi diuini ad nos per accessum localem, quasi ex loco, in quo erat, venerit ad locum, in quo non erat. Si enim facienda vis est in verbo, *Veni,* sicut ex illa colligitur fuisse antea in termino à quo, ita etiam colligi debet, non fuisse in termino ad quem: dicere autem verbum diuinum ante incarnationem non fuisse in mundo per realem præsentiam absurdum est, & hæreticum: quare ex illis verbis minimè colligitur Verbum diuinum esse extra cœlum, sed esse in se, vel in toto mundo, non eo modo, quo per incarnationem incœpit esse in mundo. Accedit quod eo loco nomine mundi non intelligitur vniuersa moles creaturæ corporeæ, sed orbis terrarum, in quo viuunt homines, de quo etiam loquitur Paul. cum ait, *Cùm introducit primogenitum in orbem terrarum:* Si ergo Caietan. ex dicto Christi colligit illum fuisse antea extra mundum per independentiam, & excellentiam sui esse non vnitum humanitati rectè quidem, sin autē putat inferri ex illo dicto fuisse extra cœlum, non est audiendus.

IV. Alia sunt testimonia, quibus Patres vtuntur, quæ, iuncta illorum interpretatione, magnam vim habent ad hoc institutum. Primum habetur Iob cap. 11. *Excelsior cœlo est:* nam, quod excelsius est altero substantiæ suæ magnitudine, illud & æquat, & superat, ita vt respondeat toti spatio, in quo illud est, & adhuc supra illud extet, ac emineat: si ergo Deus excelsior cœlo est, supra summū eius verticem esse debet. Quo testimonio ad hoc institutum vtitur Gregorius *Gregor.* eodē loco lib. 10. moral. c. 7. & D. Hieron. *Hieronym.* ibidem, ex eo colligit omnia esse intra Deum, quemadmodū locata intra locum, qui est ipsis superior & exterior. Secundum habetur 3. Reg. 8. & 2. Paralip. cap. 2. & 6. *3. Reg. 8.* *Quem cœli cœlorum capere non possunt,* conso- *2. Paral. 2.* nat hymnus Ecclesiæ de Deipara, *quem to-* *& 6.* *tus non capit orbis:* intelligi nequit vnum esse intra aliud, & non capi, si simul non sit extra illud: nam, quod continetur ijsdem terminis loci, quibus aliud, verè ab ipso capitur: Deus est intra mundum, & cœlum, vt docent communiter patres, & sumitur ex locis scripturæ, quibus dicitur replere orbem: si ergo non capitur debet esse extra vtrunque. Ex quo testimonio eandem æternitatem probat Maior q. 2. citata, & non- *Maior.* nulli recentiores. Tertium habetur Esai. *Esai. 40.* 40. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit?* Quibus verbis significatur Deum vniuersam cœli, ac terræ machinam pugillo manus suæ comprehendere: & sicut manus manet exterior ijs, quæ pugno continet, ita Deus manet extra vniuersam creaturam. Quod testimonium ad hoc ipsum vsurpant Patres Gregor. lib. 2. mor. *Gregor.* cap. 8. in id Iob 1. *Egressusq; est Satan à facie Domini.* Homil. 17. in Ezechiel. à medio. Athanas. de vnita, ac sempiterna substantia *Athanasius.*

Trini-

Trinitatis lib. v. in fine. Hieron. Iſai. 66. initio, & in id Ezech. 40. *Et introduxit me in atrium.* Hilarius lib. 1. de Trinitate nō longè à principio, & Petrus Damian. Epiſt. 4. de Dei omnipotentia cap. 6. Quartum denique habetur Iſai. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt:* nam ſicut ſedens eminet, atque extat ſupra ſedem, ita quoque Deus eſt ſupra cœlum. Quo teſtimonio hoc ipſum confirmat Athanaſ. Hilar. Hieron. Gregor. & Petrus Damianus locis citatis, & Cyrill. Hieroſol. catechet 6. vbi, *Sedes*, inquit, *ipſi cœlum, ſed illud tamen excellit ſedens.*

V.

Quod attinet ad Patres, quorum conſtans eſt hac de re ſententia, nonnullos ſimul referam, qui vtuntur certis quibuſdā loquendi modis, ex quibus inſtitutum colligitur, aliorū verba in particulari expendam. Inprimis vero faciunt pro hac ſententia omnes, qui aiunt Deum eſſe ſuper cœlos, ſupra mundum, ſupra omnia. Reſpondent recentiores illis loquendi modis noluiſſe Patres ſignificare exceſſum diuinæ immenſitatis ſuper ſpatia locorum creata, ſed diuinæ potentiæ ſuper res omnes, quod colligunt ex Auguſtino lib. de natura boni contra Manichæum cap. 3. *Vbi Deus*, inquit, *ita ſupra omnem creaturæ modum eſt, ſuper omnem ſpeciem, ſupra omnem ordinem, nec ſpatijs locorum ſupra eſt, ſed ineffabili, & ſingulari potentia, à quo omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo.* Hæc reſponſio ſimul cum verbis D. Aug. probat quidem Patres, quando aiunt Deum eſſe ſupra res creatas, aliquādo ſignificare voluiſſe exceſſum, & eminētiam diuinæ naturæ, vel potētiæ, quod gratis concedimus, & ita Patres ſæpè expreſſe affirmant Deum eſſe ſuperiorem per potentiam? Gregor. & Petr. Damian. locis citatis, & auctor lib. de ſpecul. cap. 32. & alij. Non tamen ſuſpicior ſemper poſſe in hoc ſenſu explicari, cùm enim dicunt Deum eſſe vbique, vel aliquid ſimile, quo ſignificent Deum eſſe præſentem rebus omnibus per ſuam immenſitatem, & præterea addunt eſſe ſuper cœlos, ſupra omnia, & ſimilia, manifeſte ſignificant velle ſe declarare exceſſum diuinæ magnitudinis virtualis ſuper omnem magnitudinem & locum creatum. Ita vero loquitur S. Macharius Senior Ægyptius homil. 12. *Deus*, inquiens, *eſt vbique, & ſuper cœlos.* Damaſcen. lib. 1. de fid. c. 16. *Deus incircunſcriptus cuncta replens, & ſupra omnia eminens, totus in omnibus, & totus ſuper omnia.* Et Elias Cretenſis in orat. 1. apologeticam Nazianzen. pag. 41. *Quis neſcit eum vbiq; præſentem eſſe, omnia implere, & ſupra omnia eſſe?* & in orat. 24. quę eſt in Ægyptiorum aduentū pag. 653. *Quis locus Dei eſſe poſſit, qui cœlum, ac terram implet, atq; vbique præſens eſt, & omnia ſuperat?* Accedit quod Patres aliquando expreſſe declarant loqui ſe de excellu diuinæ magnitudinis ſuper omnē locum creatū, Damaſcen. lib. citato, c. 17. *Deus*, inquit, *vbique exiſtens, & ſuper omne vbique.* Imò Concil. Epheſin. tom. 1. cap. 6. ex ſententia Cyrilli Alexandrini aſſerit naturam diuinam eſſe omni termino, ac loco, etiam imaginario, ſuperiorem.

Augustinus. *Hieronymus.* *Gregorius.* *Pet. Damian.* *Athanasius.* *Hilarius.* *Cyrill. Hierosolym.* *Macharius.* *Damascenus.* *Elias Cretens.* *Damascenus.* *Cyrill. Alex.*

VI.

Ad hunc etiam loquendi modū ſpectat, quod Patres dicunt Deum omnia creata excedere, ſupereminere, tranſcendere, & ſimilia, quæ verba quamuis abſolute ſumpta intelligi poſſent de exceſſu diuinarum perfectionum ſuper creatas, tamen ſæpè non admittunt huiuſmodi interpretationem, aperte enim ſignificant exceſſum diuinæ immenſitatis ſuper omnem magnitudinem, & locum creatum. Inprimis enim Cyrillus Alexandr. locis citatis à Concil. Epheſin. tom. 1. cap. 4. & tom. 6. cap. 1. expreſſe affirmat Deum immenſitate ſua omnia excedere, & Gregor. lib. 10. moral. cap. 7. in id Iob 11. *Excelſior cœlo eſt, cœlo*, inquit, *eſt excelſior, quia incircunſcriptione ſui Spiritus cuncta tranſcendit.* Deinde alij Patres, quamuis nō dicant quaſi in actu ſignato diuinam immenſitatem excedere omnem locum creatum, tamen aſſerentes Deum eſſe in omni loco, & in omni re, & illa omnia excedere, aperte ſignificant loqui ſe de exceſſu immenſitatis, non vero naturæ diuinæ. Ita vero loquuntur, Ambroſ. in id ad Epheſ. 3. *Vt poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo, &c. Sphæra*, inquiens, *definito modo concluditur, Deus autem non ſolum implet omnia, ſed & excedit, vt ſolus ineffabilis, & infinitus habeatur.* Cyrill. Hieroſolym. catechet. 6. *In omnibus locis exiſtens, à nullo tamen comprehenſus, ſedes ipſi cœlum, ſed illud tamen excellit ſedens.* Hilar. vbi ſupra, *Nullus*, inquiens, *ſine Deo, neque vllus non in Deo locus eſt, ineſt interior, & excedit exterior.* Theodorus Ancyræ Epiſcopus hom. in Natalem verſus finē habetur tom. 6. Concilij Epheſini cap. 10. *In Chriſto*, inquiens, *omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, ſed ô rei miraculum? tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen ſecius reliqua omnia adimplet, & ita implet, vt vniuerſam creaturam excedat.* Et Gregorius hom. 8. in Ezechiel. paulò ante medium. *Deus vbique eſt, & vbique totus, ponamus ante oculos mentis, quæ illa natura ſit, quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, ſuperexcedit omnia.* Similia dicit auctor lib. de Speculo cap. 2. apud Aug. tom. 9.

Ambrosius. *Cyrill. Hierosolym.* *Hilarius.* *Theodorus.* *Gregorius.* *Augustinus.*

VII. Secundo faciunt illi Patres, qui aiunt Deum esse extra omnia, exteriorem rebus omnibus, vel ijs exterius, aut forinsecus circunfundi: Hoc argumentum conantur eludere recentiores aliqui Theologi dicentes hæc dicta esse à Patribus propter incircunscriptionem essentiæ diuinæ, quæ non est in loco circunscriptiuè, aut definitiuè: non vero quasi instar corporis sit extra creaturas. Verum, quamuis non sit ad modum corporis, est tamen ad modum Spiritus, si crearetur extra cœlum, extra quod etiam verè Deus habet existentiam actualem: si enim non habet, quomodo dici potest esse extra mundum, aut exterius rebus omnibus circunfundi, vt loquitur Hieronymus *Hieronym.* Isai. 66. initio, & in id Ezechiel. 40. *Hilarius.* *Et introduxit me in atrium*, & Hilar. vbi supra. Nam illud, quod nullo modo habet esse extra terminos alterius, sed solum cum illo, & in illo existit, extra illud non est, neque exterius, aut forinsecus circunfunditur. Nec ad veritatem harum locutionum sufficit diuersitas secundum essentiam, ita vt diuina ratione suæ perfectionis creatas omnes quodammodo supergressa exterius ambiat, continens omnem illarum perfectionem, & plures alias in infinitum: nam anima perfectior est corpore, itemque dæmon, neque tamen illa dicitur esse exterior corpore, quod informat, vel hic corpore, quod obsidet. Accedit quod Patres diuinam magnitudinem respiciunt cum ita loquuntur, vt patet *Magn. Dion.* apud Dionysium capit. nono, de diuin. nomin. *Extrinsecus*, inquiens, *super omnem magnitudinem funditur.* *Hieronym.* Hieronym. Isai. 66. initio. *Ac ne arbitremur*, inquiens, *cœlo quoque, & terra Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus, qui tenet cœlum palmo, & terram pugillo, per quæ ostenditur Deus, & forinsecus, & intrinsecus, & infusus, & circunfusus, dum & solio ambiente non concluditur, & pugillo concludit, & palmo.* *Gregor.* Gregor. Magn. *Augustinus.* citato libro secundo, moral. cap. octauo, & auctor libro de speculo capit. trigesimosecundo, *Pet. Damian.* Petr. Damian. Epistol. 4. de Dei omnipotentia capit. sexto. *Exterior*, inquiunt, *est per magnitudinem*, & *Alcuinus.* Alcuin. libro secundo, de Trinitate cap. quarto. *Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, qua vbique præsens, & omnia illi præsentia.* Si ratione præsentiæ omnia concludentis est rebus exterior, vtique non propter immensitatem perfectionis, sed magnitudinis virtualis dicitur exterior omnibus. Hoc ipsum expressit Isidor. *Isidorus.* libro primo, sentent. de sum. bono cap. secundo §. tertio, sic enim ait: *Immensitas diuinæ magnitudinis ita est, vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum, extra omnia, sed non inclusum: & ideò interiorem vt omnia contineat, ideò exteriorem vt incircunscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat:* Quæ verba etiam vsurpant auctor lib. de *Augustinus.* speculo, capit. 22. & Alcuin. loco citato. *Alcuinus.* Idem aperte significant Patres, qui dicentes Deum esse vbique, vt significent excessum diuinæ immensitatis super omnia loca, addunt esse extra omnia. Ita Athanas. *Athanasius.* Epist. 1. ad Serapion. de Spiritu sancto dicens *Verbum, & Spiritum sanctum esse vbique, & extra omnia.* Et August. lib. de cogni- *Augustinus.* tione veræ vitæ, cap. 29. *Vbique, scilicet in omnibus, & extra omnia est totus.* Præterea Richard. lib. 2. de Trinitate cap. 23. cuius *Rich. Vict.* verba rem optimè explicant. *Si essentialiter vbique est, ergo & vbi locus est, & vbi locus non est: erit itaque, & intra omnem locum, & extra omnem locum, erit supra, erit infra omnia, intra omnia, extra omnia. Sed quoniam simplicis naturæ est Deus, non erit hic, & ibi per partes diuisus, sed vbique totus. Erit itaque in quantulacunque cuiuslibet parte totius totus, & in toto totus, & extra totum totus: sic igitur extra omnem locum totus in nullo loco concluditur, &c.* Ex quibus patet ipsum loqui de modo, quo Deus est vbique per essentiam, cùm vero hoc modo sit ratione immensitatis, quando ait esse intra, & extra, ratione eiusdem intelligit: quod magis patet ex eo, quod ait esse intra, & extra omnem locum: extra locum enim solum est res ratione suæ magnitudinis propriæ, vel virtualis, quæ non capitur loco, sed extra illum manet. Ac[illegible]utem lib. 5. *Athanasius.* de vnita, & sempiterna substantia Trinit. cit. cùm dixisset Deum omnia continere interius, & exterius, vt indicet se loqui de magnitudine, qua respondet locis creatis, subdit, *Vt vbique præsens est hæc indiscreta sempiterna Trinitas.* Præterea Augustin. lib. de *Augustin.* essentia diuinitatis initio. *Extra omnia*, inquit, *est, sed non exclusus, intra omnia est, sed non inclusus.* Quæ verba etiam vsurpant Isidor. lib. 1. sentent. de summo bono cap. 2. §. 3. Alcuin. lib. 2. de Trinit. cap. 4. auctor. *Alcuinus.* lib. de speculo, cap. 22. quemadmodum Deus intra omnia est ratione magnitudinis, ita ratione eiusdē extra omnia esse dicitur ab his Patribus. Tandem idē auctor *Augustin.* lib. de speculo cap. 2. cùm Deo loquens. *Quo ergo*, inquit, *te inuoco, cum in te sim, aut vnde venis in me? quo ergo recedam, quo ibo? Extra*

cœlum,

cœlum, & terram fortassè, vt inde veniat in me Deus meus, qui dixit, cœlum & terram ego impleo? capiunt ergo te cœlum, & terra, quoniam tu imples ea; an imples, & restat quod te non capiunt? & quo refundis quidquid impleto cœlo, & terra ex te restat? Annè opus habes, vt à quoquam contineari, qui contines omnia, quoniam quæ imples continendo imples?

VIII. Tertiò confirmatur autoritate illorum Patrum, qui aiunt Deum circumcontinere, complecti, concludere, ambire, circumdare omnem rem, vel locum: sanè verba illa circumcontinere, complecti, circumdare excessum significant magnitudinis virtualis Dei, quæ ita est præsens rebus omnibus, ac locis, vt tamen illa vasto sinu suæ immensitatis ambiat, ac circundet. Quamuis autem Deus continere dicatur res actiue per potentiam, Patres tamen prædictis verbis vtentes non potentiam respiciunt, sed immensitatem, qua omnia circumplectitur ipse exterius assistens, vt patet ex Irenæo libro secundo aduersus hæreses cap. 2. vbi, *cùm oporteat*, inquit, *Deum omnia circumcontinere, ipsum autem contineri à nemine*. Quemadmodum negat Deum contineri ab aliquo continentia locali, similiter affirmat ipsum circumcontinere omnia virtuali magnitudine. Origen. lib. 7. contra Celsum, paulò ante medium: *Complectens* inquit, *omnia, cum ipsum nihil possit capere*. Sane cùm ait, Deum non capi à creaturis, de inclusione loquitur magnitudinis: atque adeo, cùm ait ipsum complecti omnia, ratione eiusdem magnitudinis intelligit; & in id Iob. cap. 1. *Venerunt Angeli Dei, vt starent ante Deum*: hæc duo coniungit, *vniuersa eius circumdat virtus, cuncta e[illegible]et magnitudo*: & ideo non est idem apud ipsum continere magnitudine, ac vi, potentiaque actiua. Gregor. homil. 8. in Ezech. cit. postquam dixerat Deum omnia implere, addit etiam circ[illegible]plecti, vt significaret diuinæ magnitudinis immensitatem; similiter loquitur Autor lib. de Speculo, capit. 6. ratione etiam magnitudinis, & immensitatis Deum omnia circundare docet Gregor. lib. secundo Moral. cit. & lib. decimosexto, capit. decimoquinto, in id Iob. 24. *Si ad Orientem venero, non apparet*: Et homil. 17. in Ezechiel. à medio. Autor lib. de Speculo cap. trigesimosecundo. August. lib. 7. confess. cap. quinto. Deum ait ambire totam massam creaturarum, vt immensum mare spongiam in se immersam. Gregor. libr. secundo Moral. cit. ait Deum exterius omnia ambire, quod ratione magnitudinis intelligit, ibidem enim dixerat Deum esse exteriorem per magnitudinem. Isidor. vbi suprà, *ideo exterior est, vt magnitudinis suæ immensitate omnia concludat*: Quæ verba etiam vsurpant Alcuin. cit. & Autor lib. de Speculo, cap. 22. Deniq; Petrus Damianus Epistol. citata, *Dominus*, inquit, *per Prophetam dicit cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, rursusque de eo scriptum est, cœlum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit. Sedi quippè, cui præsidet, interior, & superior manet. Nam per id cœlum palmo metiens, & terram pugillo coucludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior, id namque, quod interius concluditur, à concludente exterius continetur. Per sedem ergo, cui præsidet, esse interius, & supra perpenditur, per pugillum vero, quo continet, esse exterius, subterque significatur, quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior est per magnitudinem, & interior est per subtilitatem*. Si Deus est cunctis rebus, quas creauit, circumquaque exterior, profecto concipi debet vndique circumfusus mundo: hoc autem fieri nequit, nisi designata quauis parte superficiei conuexæ cœli empyrei, verum sit dicere Deus est suprà, vel extra hanc partem: quod si verum est, vtique Deus non dissimiliter est supra illam, ac esset quæuis alia res ab ea indistans. Argumentatur autem ab analogia rei corporalis, qua alia concluditur, est enim illi exterior: & ideo, sicut corpus gremio suo aliud concludẽs est illi ratione magnitudinis suę exterius præsens, ita Deus creaturas oẽs circundans, & continens debet omnibus esse præsens exterius vera, & reali præsentia suæ immensitatis. Non perpendo singillatim cætera verba, quæ satis declarant nostram sentẽtiam, quia ipsa per se clara sunt, & longum esset singula considerare.

IX. Denique idem colligitur ex eo, quod Patres aiunt creaturas esse intra Deum, nihil extra illum esse, & similia. Ita Origen. in illa verba Iob. capit. 1. *Venerunt Angeli Dei, vt starent ante Deum*. Ambros. vbi supra: *Nec enim Deus clauditur, sed omnia in se habet, vt solus ineffabilis, & infinitus habeatur*. Similia dicit Hilarius, lib. primo de Trinitate non longe à principio. *Atque ita*, inquiens, *totus ipse intra, extraque se continens, neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non ine[illegible]nt*. Hieronym. in verba illa Iob. 11. *Excelsior cœlo est, credimus, quod vbique est Deus, & intra*

Irenæus.
Origenes.
Gregorius.
Augustin.
Gregorius.
Isidorus.
Alcuinus.
Augustin.
Petr. Damia.
Origen.
Ambrosius.
Hilarius.
Hieronym.

eum omnia, quæ ab eo creata sunt, continentur.

Gregorius. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 15. in illa verba Iob. vigesimoquarto. *Si ad Orientem venero,* vbi sic ait, *incircumscriptus Spiritus omnia intra se ipsum habet, quæ tamen, & implendo circundat, & circundando implet, &c.* *Isidorus.* Isidorus vbi suprà: *Verum ne, quæ creata sunt, extra Deum essent, Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo.* *Alcuin.* Similia dicit Alcuinus vbi supra: *Augustin.* & Autor libro primo de Speculo, capit. vigesimosecundo. Cùm verò hæ locutiones propriæ non sint, habeant tamen aliquid proportionale in Deo respondens, ratione cuius omnia intra ipsum dicantur esse, non aliter id intelligi potest, quam ratione magnitudinis virtualis ipsius, qua ita existit in se omnia circumplectens, & ambiens præsentia substantiæ suæ, vt aër ambit aues in ipso volantes, mare pisces, & omne corpus ingens, ac fluidum minuta corpora intra ipsum comprehensa. Quam rem egregia similitudine explicauit Augustin. *Augustin.* lib. 7. confess. cap. quinto, constituta ante oculos mentis massa omnium creaturarum cum Deo loquens; *Concipiebam,* inquit, *te Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen, plena esset spongia ex omni sua parte ex immenso mari, sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam.* Si comparatio Augustini vllo modo quadrat in rem, de qua agit: ita se habet diuina substantia vastitate suæ immensitatis ad vniuersam creaturam, vt vastissimum mare ad spongiam ipsi immersam: est vero mare spongiæ illi extrinsecus vndequaque præsens: simili ergo Deus est extra creaturam, illi tamen immediate præsens.

X. Sunt verò aliqua Patrum testimonia, quibus omnes ferè modi loquendi, qui hanc veritatem confirmant, simul attinguntur, quale est illud *Athenagoras.* Athenagoræ Philosophi Christiani in legatione pro Christianis inter principium, & medium, quæ habetur tomo 9. Bibliothecæ Patrum dicentis, *Deum esse circa, extra, & supra mundum.* *Magn. Diony.* Clarius id explicat Dionysius capit. 9. de diuin. nominibus, vbi sic ait. *Magnus appellatur Deus iuxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suimet consortium tradit, & extrinsecus super omnem magnitudinem fundatur, & supra expanditur, omnem continens locum, omnem transcendens numerum, omnem transiliens infinitatem.* Loqui Dionysium de magnitudine virtuali Dei, quæ recurrit cum immensitate, vel saltem illam includit, patet ex verbis ipsis: ait vero eam extrinsecus super omnem magnitudinem fundi, & supra expandi: ergo censet à parte superiore supereminere, atque adesse conuexæ superficiei cœli empyrei: quid enim aliud significant verba illa fundi, atque expandi? nisi substantia diuina adsit vndequaque præsens ex superiore, atque extima parte mundi, non verè dicitur fundi, & expandi, quantumlibet in se sit infinita: verba enim illa propriè accommodantur rebus corporeis, quæ protensione magnitudinis suæ circum aliud corpus diffunduntur: in Deo autem deest quidem dilatatio, ac protensio, cum sit incorporeus, ac summe simplex, dari tamen debet aliquid, ratione cuius dicatur superfundi, & expandi: nec sat est purus modus existendi absque vlla habitudine præsentiæ extrinsecæ ad conuexam mundi partem, vel existentiæ extra terminos illius.

XI. Audiamus etiam Diu. Gregor. hoc ipsum fusè, ac dilucide declarantem libr. 2. *Gregorius.* Moral. capit. 8. in id. Iob. 1. *Egressusque est Satan à facie Domini. Quo exitur,* inquit, *ab eo, qui vbique est? hinc namque est, quod Dominus dicit, cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: hinc rursum de eo scriptum est, cœlum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit: sedet quippè, cui præsidet, interior, & exterior manet: Cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior. Id enim, quod interius concluditur, à concludente exterius continetur; per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interius, supraq[uam] [illegible] pugillum, quo continet, exterius, subterque signatur. Qua enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per similitudinem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed vnus, idemq; totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circundando penetrans, penetrando circundans. Vnde superius præsidens, inde infirmus sustinens, & vnde exterius ambiens, inde interius replens, sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circundans. Est itaque inferior, & superior sine loco: est amplior*

sine

sine latitudine, est subtilior sine extenuatione. Sanè illa verba, *ipse sit circumquaque rebus, quas creauit, exterior*, non solum significant Deum ratione suæ immensitatis manere extra res, sed ex omni exteriore mundi parte esse circumcirca præsentem, alias dici nequit circumcirca exterior. Iam verò illa alia verba *exterior per magnitudinem*, item illa *extra circundans*, & illa *exterius ambiens*: idem prorsus declarant, cætera addita sunt ad ostendendum modum, quo Deus est interius, & exterius præsens, non per diuersas partes magnitudinis, sed vna simplici ratione immensitatis: hoc enim significat, cùm ait, *exterius sine extensione circundans*, circundare non negat, sed non eodem modo, quo res quantæ: circumdat itaque exterius non propria extensione quantitatis, sed virtuali immensitatis: similia ferè habet homil. 17. in Ezechielem à medio.

XII. Denique vt plura alia eiusdem generis omittam, vltimo referam testimonium Diui Hilarij libr. primo de Trinitate, non longè à principio: postquam enim retulit illud Esai. quadragesimo: *Qui tenet cœlum palmo, & terram pugillo:* Et rursum cap. sexagesimo sexto. *Cœlum mihi thronus est terra autem scabellum pedum meorum*; *conclusum* inquit, *palmo cœlum, rursum Deo thronus est, & terra, quæ pugillo continetur, eadem & scabellum pedum eius est, ne ci throno, & scabello secundum habitum consistentis protensio speciei corporeæ posset intelligi, cum id, quod sibi thronus, & scabellum est, rursum illa ipsa infinitas potens palmo, ac pugillo apprehendente concluderet, sed vt in his cunctis originibus creaturarum Deus intra, & extra, & supereminens, & internus, id est circumfusus, & infusus in omnia nosceretur: cum & palmo pugilloque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet, ac thronus, ac scabellum substrata esse, vt interno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interiora concluderet. Atque ita totus ipse intra, extraque, se continens, neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non inessent*; Et paulò pòst. *Nullus sine Deo, neque vllus non in Deo locus est, in cœlis est, in inferno est, vltra maria est, inest interior, excedit exterior. Itaque cum habet, atque habetur, neque in aliquo ipse, neque in omnibus est.* Sanè verba ista, Deus intra, & extra, & supereminens, aliquam habitudinem Dei ad mundum significant: non nisi secundùm modum præsentiæ: ea verò talis est, vt vere sit illi præsens ex parte intima, & extima: hoc autem intelligi nequit, nisi Deus verè existat supra, & extra mundum, & quoad hoc habeat similem habitudinem ei, quam haberet corpus de nouo conditum extra vniuersum: quod apertè sonant illa verba, *ipse rursum exterior interiora concluderet*, indicant enim Deum nostro intelligendi modo esse circumfusum cœlis, totumque orbem vniuersum claudere, non quidem mole corporis, sed propriæ substantiæ immensitate, ratione cuius circunfunditur cœlo. Idque apertè sumitur ex illis verbis: *inest interior, excedit exterior*, quomodo enim excedit exterior, si extra cœlum, & mundum non est? quantumlibet enim res secundum se sit perfectior, ac maior alia, & ratione suæ magnitudinis possit esse in alijs locis extra illam, nequaquam dicitur esse actu extra illam, nisi de facto vere extra illam existat: vt patet in corpore Christi existente sacramentaliter in speciebus consecratis, quibus est multo maior secundùm naturalem magnitudinem, & tamen nisi sit extra illas, secundùm existétiam naturalem, non verè dicitur existere extra species: similiter, quantumuis Deus sit immensus, & maior mundo, nisi tamen actu existat, supra, & extra mundum, non dicetur vere esse extra illum.

Hilarius.

XIII. Quod attinet ad Doctores Scholasticos inprimis pro hac sententia sunt omnes citati capit. decimoactauo, numer. secundo, dicentes Deum esse in spatiis imaginarijs extra mundum, non enim credendum est docere voluisse Deum ibi esse tanquam in aliquo, quod sit terminus diuinæ coexistentiæ, sed tantum habere realem existentiam in se cum tali habitudine non inclusi, & circunfusi ad mundum, qualem haberet si esset in infinitis spatiis creatis. Præterea eandem sententiam expresè docet Gullielmus Parisiensis prima parte, secundæ partis principalis de vniuerso cap. 123. post med. Adam in 1. dist. octaua, quæstion. vnica. ad primum principale. Nicolaus de Orbellis distinct. trigesima septima, quæst. vnica ad secundum. Abulens. quæstio. 47. in cap. vigesimum Exod. Marsilius in 1. quæstion. trigesimanona, articul. 1. notab. sexto, & articul. 2. ad octauam rationem principalem. Bargius distinct. 37. quæstion. vnica, §. primo. Clemens Monilianus Cardinalis in institut. Theolog. in Symbolum capit. quinto. Brulef. in 1. distinct. 37. secund. part. articul. 1. quæstion. tertia. Eiusdem sententiæ sunt Altisiodorens. Alens. Bonauentur. Ri-

Guliel. Paris. *Adam.* *Orbellis.* *Abulensis.* *Marsilius.* *Bargius.* *Monilianus.* *Brulefer.* *Altisiodor.* *Alensis.* *Bonauent.*

Richardus. Carthusian. Altisiodorens.

tur. Richard. & Carthusian. qui referuntur pro contraria: Inprimis Altisiodorens. lib. 1. cap. vltim. quæst. 1. ad primam replicam secundi ordinis, §. *Item Deus est in mundo*, cum primo proposuisset argumenta, ad probandũ Deum non esse extra mundum, deinde arguit in cõtrarium ex autoritate D. Augustini: postea verò concludit his verbis: *Ergo Deus est extra mundum, non ergo est in mundo per loci determinationem, quod concedimus*. Existimat itaque Deum esse extra mundum, & ideo in responsione ad primum, ait hanc propositionem, *Deus non est extra mundum*, esse falsam. Deinde verò explicat in quo sensu sit vera: nempè, & potentia, quia si essent infiniti alij mundi, Deus eos repleret: & quodammodo actu, quia est in se ipso, qui maior est mundo: sicut ergo corpus de nouo conditum à Deo supra mundum non esset alibi, quam in se ipso, & nihilominus esset actu extra mundum, ita de sententia Altisiodorens. Deus est actu extra mundum. Porrò Alens. 1. part. quæstion. nona, m. 4. solum ait hanc esse falsam, Deus fuit vbique ab æterno, si esse vbique connotet locum, & sumatur actualiter non aptitudinaliter: hoc autem nihil facit contra traditam doctrinam. Cùm enim aio Deum esse extra cœlum, non dico esse tanquam in loco, sed tanquam extra locum, & quamuis extra cœlum, non sit aliud positiuum, in quo Deus sit, est tamen ipsemet, qui est in se ipso: Et hoc modo idem Alensis quæstion. decima, m. 1. absolute concedit Deum esse extra res, quia scilicet est in se ipso: qui, vt ait Altisiodorens. vbi supra, est maior rebus: Et proinde immensitate sua existens extra mundum vere, ac realiter extra illud est. Sanctus Bonauent. in 1. distinct. 37. secund. part. articul. 1. quæstion. tertia, distinguit significationem huius termini *extra*: nam modo significat situm, ac positionem, alio modo excessum, & superexcellentiam immensitatis respectu loci: & priore modo negat Deum esse extra mundum, posteriore concedit: quod est verisimum, nec aduersatur traditæ sententiæ: nam situs, ac positio dicit ordinem ad aliquid positiuum, in quo sit id, quod est extra aliud: at verò extra mundum nihil est positiuum, in quo Deus sit: excessus autem ratione cuius vna res dicitur esse extra aliam, non sat est, vt sit secundùm perfectionem, sed secundùm magnitudinem extensionis saltem virtualis: & quæ hoc modo sunt extra, vere habent existentiam realem extra terminos eius, extra quod sunt. Itaque solum vult Bonauentur. Deum non habere habitudinem præsentiæ realis ad vacuum, vt patet ibidem in solutione ad primum, vbi, *Statim*, inquit, *dum intelligitur aliquid extra mundum, ex hoc datur intelligi, quod Deus sit ibi, sicut si intelligatur nouus mundus fieri, absque dubio Deus esset in illo, tamen non sequitur quod ibi sit, quia illud nihil est*. Si Deus de mente Bonauenturæ propterea in mundo possibili non est, quia nihil est, profecto censet rationem, cur Deus non sit extra mundum esse, quia nihil aliud extra mundum est: quæ ratio solum probat Deum non esse positiuè in aliqua re extra mundum, cum quo tamen stat, vt existens in se vere habeat relationem extraneitatis ad mundum, quod non obscure concedit Doctor Seraphicus, vt patet ex dictis.

Alensis.

S. Bonauent.

XIV. *Richard.*

Richardus autem eadem distinct. art. primo, quæst. 4. vtitur eadem ferè distinctione, qua Diu. Bonauentur. ait verò dupliciter intelligi posse Deum esse extra mundum: primò ita, vt immensitas eius excedat mundum, nec ab eo definiatur: secundò ita, vt detur extra mundum spatium, in quo Deus sit: & priore modo ait Deum esse extra mundum: quod ostendit, quoniam si de nouo crearetur alius mundus, Deus esset in illo, non autem per translationem de hoc mundo ad alium, sed ratione suæ immensitatis, quæ capacitatem huius mundi in infinitum excedit: posteriore verò nequaquam; quoniam extra mundum non est spatium, in sit Deus. Itaque solum intendit id, quod cap. decimooctauo dictum est, nimirum Deum nõ esse in ipsa vacuitate extra mundum, & apertè significat Deum habere realem existentiam & se ipso cum habitudine non inclusi; siue exterius circumfusi ad mundum: Carthusian. relatus quæst. 1. eiusdem distinctionis 37. non solum propositæ sententiæ non est contrarius, sed etiam fauet, imò eam expressè docet, quod constat ex verbis ipsius, quæ habentur post sententiam Scoti in hunc modum. *Quamuis natura abhorreat vacuum, nec illud realiter sit, tamen cum imaginatio sit non entium, & impossibilium, nihil prohibet etiam imaginari vacuum, & nunc, & ante mundi productionem ad hunc sensum: quod si vere extra mundum esset locus per se infinitus, sicut imaginatio apprehendit, in loco illo Deus vere increumscriptibiliter extitisset: Et nunc tam vere, & illimitabiliter, & inextensibiliter est extra hunc mundum, ac si extra mundum esset locus realiter infinitus.*

Carthus.

Non

Non potuit clariùs explicare modum, quo Deus verè positiue, & illimitabiliter est extra mundum, quam dicendo tam verè esse extra illum, ac esset, si extra mundum daretur locus realiter infinitus: qui si daretur, de sententia omnium Deus esset extra hunc mundum vere, ac realiter: atque adeo de sententia Carthusiani eodem modo nunc est: & paulò pòst refert, & approbat verba Altisiodorensis superiùs adducta. Quare ex eo, quod mox subdit in explicatione sententiæ Argentin. non sibi repugnat: non enim existimandus est statim sui oblitus. Nec verò sententia Argentin. dictis repugnat: cùm enim ait præpositionem *extra:* in hac propositione, *Deus est extra mundum*, non designare præsentiam actualem ad locum, sed potentialem, quæ est Dei immensitas, qua infinitos mundos impleret, si essent, non negat Deum esse vere extra mundum, sed solum non habere præsentiam actualem ad locum, qui sit extra mundum, quod verissimum est. Carmina vero illa.

Dic vbi tunc esset, cùm præter eum nihil esset.
Tunc, vbi nunc: in se quoniam sibi sufficit ipse:

Nil aliud significant, quam ante mundum conditum, nihil verè fuisse, in quo DEVS esset præterquam in semetipso: quod verum est, & à nemine negatur. Ex eo verò non colligitur Deum non esse modo extra mundum: nam sicut ex eo, quod ab æterno Deus fuit in se, & non in mundo, minimè colligitur modò non esse in mundo, ita etiam non colligitur non esse extra mundum: imò, sicut ratione suæ immensitatis, qua interior est mundo, dicitur esse intra illum, ita ratione eiusdem exterior est mundo, & vere dicitur esse extra illum.

XV. Scotus. Scotus verò eadem distinct. quæst. vnica in vltima confirmatione rationis suæ opinionis non tractat, vtrum Deus sit extra mundum necnè: sed solum ait ante mundum conditum non esse imaginandum vacuum infinitum, quasi ibi prius fuerit præsens Deus secundùm essentiam suam antequam mundum conderet. Bargius. Quod, vt rectè obseruat Bargius vbi suprà, non est contra traditam doctrinam; vt enim iam præmonui, non repugnat vt aliquid sit supra cœlum, & tamen non sit in vacuo, vt re ipsa cœlum empyreum est extra primum mobile, nec tamen est in vacuo. Similiter ex eo, quod Durandus eadem dist. quæst. 1. numer. decimotertio, dicat nihil esse posse in eo, quod non est, colligitur quidem Deum non esse in ipso spatio imaginario, non autem haudquaquam esse extra mundum. Denique non fauent contrariæ sententiæ Patres dicentes Deum ante mundum conditum non fuisse alibi, quam in se ipso, neque scholastici dicentes Deum non fuisse vbique ab æterno vt Albertus in 1. distinct. trigesimaseptima, articul. 4. Bonauentur. 1. part. distinct. artic. 2. quæst. 2. AEgid. 1. part. distinct. quæst. 3. Argentin. quæstion. 1. articul. 1. ad quartum. Gabriel. quæst. vnica, articul. 3. dub. tertio. & alij citati capit. decimo septimo, numer. primo: nam sumunt esse vbique, vel alicubi proprie pro esse actuali in re aliqua creata, vel loco, quomodo Deus non fuit ab æterno: Hoc tamen non impedit, quominus posito corpore, & loco, sicut est in illo per intimam præsentiam, ita sit extra illum per realem existentiam suæ immensitatis.

Albertus. S. Bonauent. AEgid. Argentin. Gabriel.

Deum esse extra Cœlum ratione ostenditur.

CAPVT XXI.

I. AVtores, qui negantem tuentur partem propositæ quæstionis, ita cum Patribus verbotenus concedunt Deum esse extra Cœlum, ac mundum, vt tamen hanc existentiam dicant esse Dei in se, absque vlla habitudine ad cœlum, extra quod est. Aiunt autem disparem esse rationem in rebus corporeis, & spiritualibus: quoniam corporeæ habent quantitatem, qua distenduntur, & idcircò ratione eius habent rationem propinquitatis, vel distantiæ ad alterum corpus: quatenus inter ipsas potest interponi maius aut minus corpus: at verò spiritus, cum careat quantitate, non est suaptè natura capax, vt inter ipsum, & alium contineri nequeat corpus, aut alius spiritus, caret enim extremis, ac mensura distantiæ, neque per suam substantiam constituit aliquod interuallum, ratione cuius inter duos Angelos tertius alius, vel corpus contineatur. Addunt etiam spiritibus non conuenire primario, vt sint in loco, sed secundario ratione corporum, quibus præsentia sua substantiali primario coniunguntur: fusè præterea probant nihil omninò esse in spatio illo imaginario.

Hi au-

II. Hi autores, vt plerique alij, videntur existimare idem omninò esse Deum esse extra Cœlum, ac in spatio imaginario: & proinde vtrumque negant, & ijsdem rationibus vtuntur ad vtriusque probationem. Verùm, vt obseruaui initio cap. 18. aliquod est discrimen inter illa duo: nam, si crearetur de nouo corpus supra Cœlum empyreum, non esset in spatio imaginario, & tamen esset extra Cœlum, quorum vtrumque ijdemmet autores fatentur. Quod si hæc duo in existentia corporum distinguuntur, cur non distinguentur in existentia rei spiritualis? Vt enim aliquid dicatur esse extra aliud, minimè requiritur, vt sit in aliquo tertio: sed sufficit, vt habeat veram, ac realem existentiam, quæ non circunscribatur terminis eius, extra quod esse dicitur: nam vltimum Cœlum, vt concedit Aristotel. non est in alio, & si crearetur de nouo corpus suprà Cœlum empyreum, non esset in vacuo, aut in aliquo à se distincto, & tamen esset extra cœlum. Quamuis igitur Deus, aut quiuis alius spiritus, non sit in ipso spatio imaginario, quod nihil est, sed in se ipso, si tamen non finitur terminis cœli empyrei, verè est extra illud. Neque ad hoc quidquam refert spiritum carere terminis quantitatis: non enim plus requiritur quantitas ad esse extra, quam ad esse intra: sunt enim contrarie opposita, quæ versantur circa idem subiectum: ideoque, quod non est capax, vt denominetur esse extra, non poterit etiam denominari esse intra, & si dici potest intra, dici quoque poterit extra: at spiritus diabolici sunt intra corpora obsessorum, vt admittit communis sententia Doctorum: ergò etiam, quando non continentur, aut definiuntur terminis alicuius corporis, aut loci, sunt extra illum. Ex quo vlterius infertur, sicut ad hoc, vt Angelus sit intra corpus, satis est præsentia intima ad partes ipsius, ita quoque vt sit extra, sat esse negationem præsentiæ, siue indistantiæ intimæ: hoc verò dupliciter dari potest, aut ita vt sit extime præsens, aut ita vt sit distans. Neque ad huiusmodi distantiam requiritur quantitas in subiecto distante: nam distans, & indistans sunt priuatiuè opposita circa idem subiectum: at verò Angelus, quando est intra terminos corporis, vel magnitudine sua virtuali illos immediate attingit, dicitur esse indistans: ergò quantumuis careat quantitate, erit distans, si terminos corporis immediate non attingat.

III. Quamuis autem vera distantia non nisi corporeis spatiis mensuretur, & idcircò absque ordine ad quantitatem concipi nequeant certa distantiæ interualla, tamen sicut inter Angelos loco disitos ratione corporis intermedij actu reperitur spatium, ita si extra mundum sint à se inuicem diuisi, habebunt distantiam saltem potentialem, quatenus habent eum modum existendi: vt si suprà cœlum collocetur corpus, ex vi illius debeat vnusquisque manere indistans à determinata parte eius corporis cum certa distantia inter se, & in ordine ad extremas partes cœli empyrei. Et quemadmodum, dum sunt in corporibus, verè inter duos est tertius alius: quis enim neget intelligentiam motricem orbis Veneris, aut Mercurij esse inter eam, quæ mouet orbem lunarem, & eam quæ mouet solarem? ita etiam non repugnat, vt existentes extra cœlum ratione distantiæ corporeæ potentialis concipi possint, imò verò sint à se inuicem diuisi, & alij inter alios interpositi: Quod facilè ostenditur: nam, si Deus supra Cœlum supremum creet, nunc tres orbes singulos cum propriis intelligentiis assistentibus; deinde verò nulla facta mutatione penes ipsos Angelos tres illos orbes in nihilum redigat, absque dubio Angeli manebunt disiuncti secundùm substantiam, & secundus in medio primi, ac tertij: quandoquidem antea sic erant, & penes illos supponitur non fuisse facta vlla mutatio, sed solum per desitionem loci corporei amisisse præsentiam ad ipsum: quare solum carent ijs, quæ pendent ex præsentia ad locum corporeum, nempè distantia actuali per verum spatium, potentialis tamen remanet. Ex quibus patet ex eo, quod Deus sit substantia simplex expers corporis, haud quaquam sequi minimè esse supra cœlum empyreum.

IV. Eandem sententiam negantem pluribus confirmat Nouo Castro vbi suprà, & alij, sed omnia fermè argumenta eo tendunt, vt probent Deum non esse in ipso spatio imaginario, quod quia ipse etiam concedo, ea argumenta non faciunt contra meam sententiam. Alia ergò adhibenda sunt. Primum est; quoniam, si Deus est extra Cœlum, aut est terminabiliter, aut interminabiliter: non primo modo, quoniam magnitudinis diuinæ non est finis: non secundo, ergo nullo. Assumptum ostenditur primo, quoniam si Deus est interminabiliter supra Cœlum, erit etiam in spatio imaginario supra Cœlum: cuius oppositum dictum est supra. Sequela patet, quoniam non potest aliter

concipi

concipi existentia interminabilis Dei supra Cœlum, quam intelligendo ipsum diffusum per infinita spatia: deinde verò, quoniam, si Deus est interminabiliter supra Cœlum, poterit etiam creare corpora, & creaturas absque termino, & consequenter infinitum. quod communiter negatur à Philosophis. Antecedens probatur, quoniam infinitas potentiæ non minus potest agere vbique, quam immensitas possit esse ratio existendi vbique: Si ergò Deus est interminabiliter supra cœlum, poterit producere creaturas absque termino. Secundo non magis est modo Deus supra cœlum, quam fuit ante mundum conditum: tunc autem non fuit, vt patet ex dictis cap. decimo octauo, quoniam Deus nullibi erat nisi in se ipso; ergò neque nunc est. Maior propositio patet, quoniam sicut ante mundum conditum non erat aliquid, in quo Deus esset, ita etiam nunc supra cœlum nihilominùs est, in quo Deus sit: ergò si ideo tunc nullibi fuit, quia nihil erat, in quo esset, nunc etiam non erit supra cœlum, quia supra cœlum nihil est, in quo Deus sit.

V. Nihilominùs dico primum. Deus est supra, vel extra cœlum empyreum, ostenditur verò in primis à simili: nam ita se habet ante, & post ad tempus creatum, & finitum, ac extra, & supra ad locum: sed Deus verè dicitur fuisse ante tempus creatum, vt patet ex illo Pauli ad Ephes. primo. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem:* & Eccles. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum:* & fusiùs ostendam tractat. de æternitate cap. decimo septimo: ergò similiter vere dici potest Deus esse supra cœlum, quamuis non adsit vllum corpus, cui coexistat, quemadmodum ante orbem conditum non fuit tempus, cui ratione æternitatis suæ responderet in duratione. Secundo Deus ratione immensitatis suæ non est minus potens replere omnem locum, & adesse præsens cuiuis rei, quam corpus ratione quantitatis; sed ex conuexa parte cœli posset fieri à Deo corpus, ita vt verè esset supra cœlum empyreum: ergò iam modo Deus est supra superficiem conuexam empyrei. Patet consequentia: nam, si eiusmodi corpus fieret, Deus verè, ac realiter esset supra cœlum, sed tota ratio præsentiæ ex parte Dei est immensitas: ergò, cum hæc sem adsit Deo, iam Deus erit modo supra cœlum. Respondebit aliquis Deum supra cœlum non habere, vbi sit, & proinde esse solummodo in se ipso: hæc tamen ratio non est adæquata: vt enim supra ex Aristotele dictum est, supremum cœlum non est in loco: & consequenter, si de nouo produceretur aliud supra empyreum, illud non haberet locum, vbi esset ex parte superiore, & esset in semetipso: & nihilominus verè esset supra cœlum empyreum, & esset in illo: cùm ergo essentia diuina ratione suæ immensitatis habeat extensionem virtualem, quæ eminenter æquipollet quantitati corporeæ, quamuis post cœlum non sit alius locus, in quo Deus sit, cur non dicetur esse extra, vel supra cœlum, cuius terminis minimè comprehenditur? Tertio Deus ratione immensitatis habet sufficiens fundamentum habitudinis coexistentiæ internæ, vel externæ respectu cuiuslibet extremi apti terminare talem habitudinem: Cœlum est extremum aptum terminare eiusmodi habitudinem secundùm superficiem conuexam, quandoquidem si ibi ponatur aliud corpus, vere dicetur præsens cœlo secundum partes extremas: ergò etiam Deus vere, ac realiter est extra cœlum. Maior patet quoniam adueniente nouo corpore, quod incipiat esse supra cœlum Deus verè erit supra illud: ex hoc vero non aduenit fundamentum nouum, ratione cuius dicatur esse extra cœlum, hoc enim habet quia immensus est, nec clauditur cœlo: ergò etiam, si non sit corpus supra cœlum, Deus erit supra illud ratione immensitatis.

Ephes. 1. Eccles. 24.

VI. Porrò dupliciter vnum corpus est extra aliud, vel immediate præsens, atque indistans secundum extremam superficiem, vel distans; distans autem dupliciter etiam fingi potest, aut simpliciter, ita vt per nihil sui attingat extremas partes corporis, extra cuius superficié est: vt se habet cœlum lunæ ad superficiem conuexam aëris, aut secundum quid, ita vt per se quidem attingat extrema corporis, & simul per aliquid sui distet ab ijsdem, quomodo aqua distat ab aere, nam est illi contigua, & superficie sua concaua immediate tangit eius conuexam. In rebus autem spiritualibus suo modo possumus cõcipere eiusmodi distantias in ordine ad corpus: nam simpliciter distant, quando ita existunt, vt corpus ab illis indistans actu, vel potentia necessario distare deberet ab eo corpore, extra quod sunt: secundum quid autem, quando habent in se actu illum existendi modum, vt corpus illis coexistens actu, vel potentia secundum aliquid sui tangat aliud, secundum aliquid

vero distet ab eo: vt se habet anima informans corpus humanum respectu loci, quo illud continetur: nam ratione extremarum partium corporis est indistans à loco, quatenus verò existit in intimis, est distans; vt verò hæc accommodentur diuinæ existentiæ obseruandum est nos hic loqui de Deo, quatenus est præcise supra cœlum non considerando intimam eius præsentiam ad omnes res, & ipsum cœlum.

VII. Hoc posito. Dico secundum: Deus ab externa superficie cœli est simpliciter ab eo indistans, secundum quid autem distans. Prior pars suadetur, quoniam ea, quæ immediate contingunt externas partes alicuius corporis, sunt simpliciter indistantia: ita vero se habet Deus: ergo est simpliciter indistans. Assumptio constat ex dictis Sanctorum Patrum superius relatis: aiunt enim Deum circundare extrinsecus mundum, & circumfundi, esse circumquaque, omnia intra seipsum habere: hoc ipsum significat similitudo, qua vtitur Augustinus libr. septimo, confess. cap. quinto, cum creaturas comparat spongiæ, Deum vero mari vndique circunfuso: hæc enim omnia indicant immediatam indistantiam Dei respectu extremarum partium mundi, quatenus est illis exterior. Suadetur autem ratione: quoniam, vt constat ex prima assertione, Deus verè, ac realiter est extra cœlum, & mundum, non simpliciter ab eo distans: ergò indistans. Assumptio probatur quoniam ad distantiam simpliciter requiritur, vt vtrumque illius extremum existat absque vllo tactu secundùm quantitatem propriam, vel metaphoricam, & vt inter vtrunque sit actu, vel potentia spatium reale: repugnat verò inter Deum, quatenus exterior est creaturis, & ipsas creaturas esse spatium actu, vel potentia, in quo Deus non sit, alioquin esset à se ipso diuisus, quod est absurdum. Et confirmatur primo, quoniam Deus ex proprio modo existendi suæ immensitatis habet, vt si creetur de nouo corpus aliud supra empyreum, sit intime præsens eius superficiei vltimæ: & consequenter, cum ea deberet esse extrinsece, & immediate præsens cælo empyreo, Deus quoque esset: imò iam modo est, quia iam habet ex se quidquid requiritur ad præsentiam cuiusuis corporis, cui aliud posit esse præsens. Respondent aliqui ad huiusmodi præsentiam extrinsecã, & immediatã requiri, vt supra cœlum sit corpus aliquod, cui Deus coexistat, ita vt præsentia, qua intimus esset illi corpori, maneat extrinseca cœlo, sed hæc responsio non satisfacit: cur enim Deus, vt sit extrinsece præsens cœlo, indigebit coexistentia ad corpus, ipsum vero corpus non indigebit coexistentia ad vllam aliam rem? nam, etiamsi per impossibile nihil illi coexisteret, si tamen sua superficie concaua tangeret conuexam empyrei, vere esset supra cœlum.

Augustin.

VIII. Confirmatur secundo: quoniam, si Deus non sit actu præsens cœlo extrinsece, verè mutabitur, hoc est absurdum: ergo & illud. Maior ostenditur: nam si supra cœlum creatur de nouo corpus planum, & ab Angelo moueatur, supra vnum latus empyrei, Deus successiue acquiret præsentiam extrinsecam erga cœlum, eamque successiue perdet simul cum corpore illo: ergo mutabitur. Responderi potest non esse mutationem Dei, sicut non fuit, quando corpus Christi incœpit esse supra cœlum empyreum: si enim ex eo, quod Deus incœpit esse actu in nouo spatio, non mutatur, etiam non mutabitur ex eo, quod incipiat esse de nouo præsens extrinsece alijs, atque alijs partibus cœli empyrei. Hæc tamen solutio non tollit argumentum: quoniam, cum Christus incœpit esse supra cœlum, & Deus intime præsens spatio illi positiuo, non est acquisita de nouo præsentia ad locum, aut terminum iam præexistentem, sed solum expositione termini resultauit ex parte Dei relatio præsentiæ ad ipsum: in proposito autem euentu acquiritur præsentia de nouo ad terminum præexistentem, iam enim præerant partes ipsæ conuexæ cœli empyrei aptæ coexistere cuicunque substantiæ indistanti, & extrinsece præsenti immediate: ergo Deus, si acquirit de nouo præsentiam ad illas, mutabitur. Patet consequentia, nam quoties inter duos terminos resultat noua relatio, opus est, vt ex parte alterius saltem intercedat aliqua mutatio, inter Deum vero, & partes conuexas cœli empyrei oritur noua relatio præsentiæ extrinsecæ: ergo danda est aliqua mutatio saltem ex altera parte: non ex parte cœli, quod supponitur quiescere: ergo ex parte Dei. Dicet aliquis sat esse ad impediendam rationem motus ex parte Dei, vt moueatur illud planum, cui Deus intime præsens est: nam illo applicato variis partibus cœli, Deus manet præsens illis extrinsece. Hæc etiam solutio non est idonea: nam saltem admittit in Deo motum per accidens, quo moueretur ad motum corporis: simili fere modo, quo moueretur anima illius

ullus corporis, si esset animatum: Deo verò non minus repugnat motus per accidens, quam per se.

IX. Magn. Dionys. Posterior pars eiusdem assertionis ostenditur ex verbis Dionys. cap. 9. de diuinis nominibus dicentis Deum supra omnem magnitudinem fundi, & supraexpandi, quæ verba non solum significant præsentiam immediatam, & quasi indiuisibilem, sed cum extensione virtuali versus omnia puncta assignabilia ex directo quorumlibet punctorum cœli empyrei, quod etiam indicant Patres capit. vigesimo, numer. sexto, qui aiunt Deum excedere, & excellere omne corpus, ac locum: hæc enim plus sonant, quam præsentiam extrinsecam indiuisibiliter denominantem, item similitudo Augustin. ex lib. confess. superiùs allata, & verba illa. *Concipiebam te Domine ex omni parte ambientem, & penetrantem, & vsquequaque infinitum tanquam si mare esset vbique.* Quæ conceptio explicat infinitudinem virtualem immensitatis diuinæ, qua in infinitum protenditur, nõ spatio, aut quantitate diuisibili, sed magnitudini indiuisibili formaliter, virtute extensa & æquipollente magnitudini diuisibili: atq; adeo ratione eius Deus ita est totus immediate præsens extrinsece cęlo, vt concipi debeat non interruptus, sed ex suo modo existendi ita immensus, vt si ponatur corpus infinitum, illi secundùm omnes, ac singulas partes coexistat: atque adeò ratione magnitudinis virtualis, quatenus est apta indistanter coexistere alicui parti corporis creabilis distanti ab empyreo centum cubitis, iam nunc dicitur secundum quid virtute distans ab empyreo centum cubitis, & sic in infinitum, quomodo concipienda est infinita magnitudo dei in ordine ad locum. Ex quo principio facilè suadetur institutum: Deus ratione immensitatis ita existit extra Cœlum, vt non distet simpliciter ab eius externa superficie, imò sibi illi immediate præsens, & simul ita incircumscripte, atque illimitate existit, vt ratione suæ extensionis virtualis possit respondere alijs, atque alijs partibus corporis possibilis à cœlo distantibus: ergò est secundùm quid distans à cęlo empyreo, non ita vt aliqua eius pars ab illo absit, nam cum sit indiuisibilis, totus est præsens: sed ita vt totus ratione infinitatis ad extremam cœli superficiem non limitetur.

X. Ad primum argumentum in oppositum dicendum est Deum supra cœlum, vel extra mundum esse interminabiliter: & ad primam impugnationem neganda est Sequella: & ad eius confirmationem respondetur magnitudinem quantitatiuam non posse concipi absque spatio vero, & reali: Et proinde, si sit interminata, debere protendi per infinita spatia, non tamen imaginaria, vel distincta à propriis partibus extensionis: si vero sit magnitudo virtualis, posse concipi absque formali extensione, ac diffusione per infinita interualla realia, & sat esse vt concipiatur in se ipsa immensa, quemadmodum corpus infinitum non oportet vt sit diffusum per spatium infinitum ab ipso distinctum, sed sat est, vt concipiatur sub infinita protensione suarum partium: debet tamen magnitudo virtualis interminata æquipollere quo ad extensionem propriæ quantitati infinitæ, ita vt ex proprio existendi modo sit apta coexistere illi sine mutatione sui, vt re vera se habet immensitas diuina. Ad secundam confirmationem respondendum est iuxta diuersa opiniones de possibilitate infiniti: nam, qui existimauerit esse possibile, concedet consequentiam, & negabit consequens esse absurdum: ita verò respondet Maior in 1. di- *Maior.* stinct. 37. quæstion. 2. ad quartum. Qui verò crediderit repugnare, vt sit actu infinitum, distinguet consequens: etsi intelligatur de infinito syncategorematico, concedet consequentiam: sed ex potentia ad hoc infinitum, nequaquam sequitur dari aliquando actu infinitum categorematice: si vero intelligatur de infinito categorematice, negabit consequentiam. Ad eius verò confirmationem respondebit ita Deum esse interminabiliter supra cœlum, vt relationem præsentiæ non habeat nisi ad cœlum, & mundum, quæ relatio non habet terminum infinitum, sed finitum, hoc est vniuersitatem rerum creatarum, & ita aptitudo ad coexistendum rebus fundata in immensitate finito modo reducitur ad actum, sicut omnipotentia finito modo reducta est ad actum. Ad secundum neganda est maior propositio: quoniam ante mundum conditum non erat vllum extremum reale, in ordine ad quod Deus haberet respectu præsentiæ intimæ, vel extimæ: & sicut tunc non erat Deus in cœlo, ita neque extra cœlum: creato verò mundo, ac cęlo datus est terminus, respectu cuius Deus potest dici præsens intrinsece, & extrinsece, & consequenter intra, & extra cœlum. Ad confirmationem verò mai. respondetur solum probare Deum non

esse nũc extra cœlum tanquam in re: quod verissimum est: nam supra cœlum non est vlla res creata, cui Deus sit intime præsens, & ratione eius habeat supra cœlum modum existendi in re. Non probat autem non esse supra cœlum aliquo modo improprie, vt in loco, quatenus habet immediatam indistantiam ad extremam superficiem cœli; ab æterno verò non propterea non erat supra cœlum, quia supra cœlum nihil erat, sed quia non erat cœlum, quod est terminus realis præsentiæ extrinsecæ eorum, quæ supra ipsum sunt.

Immensitas proprie est magnitudo Dei virtualis in ordine ad locum, quæ habet proprium modum infinitatis.

Caput XXII.

I. EX dictis toto hoc tractatu facilè est explicare propriam rationem immẽsitatis, prout est peculiare attributum Dei, & eius ab infinitate discrimen statuere. Prius tamen præmittenda est multiplex acceptio vocabuli tradita ab Alensi prima parte, quæst. 6. m. 1. initio. Est verò quadruplex: aut enim consideratur immensitas ipsius esse secundum se, & hoc modo dicitur infinitas: aut in ordine ad intellectum, & appellatur incomprehensibilitas: aut in ordine ad locum, & dicitur incircumscriptio, siue incircumscriptibilitas: aut denique in ordine ad durationem, & dicitur æternitas. Prima duo pertinent ad librum quartum, in quo sermo erit de magnitudine, ac perfectione essentiæ diuinæ, & singulorum attributorum in se ipsis, de quarto dicam tractat vltim. huius libri. Tertium est huius loci proprium, & importat perfectionem illam, qua Deus dicitur immensus, & illocabilis, quam Patres, & Doctores explicant per verbum illud, *incircumscriptum*, quamuis enim non solum ea, quæ loco, sed etiam, quæ tempore, cognitione, & fine, terminove aliquo clauduntur, circumscribi dicantur à Patribus, & Scholasticis, vt videre est apud Nazianzen. orat. 34. quæ est secunda de Theologia numero decimooctauo. Basilium Epist. 141. quæ est apologia ad Cæsarianos. Ambros. libr. primo de Spiritu Sancto, ca. 7. & libro 2. in Luc. super illud cap. 1. *Hic erit magnus.* Damascen. lib. 1. de Fide, cap. 17. Alens. 1. part. quæst. 8. m. primo & secundo, & alios, circumscriptio tamen frequentius à Patribus applicatur ad locum. Ita Athanas. orat. contra gregales Sabellij post medium, & in fine, & Epistol. ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum esse creaturam inter medium, & finem. Clemens Alexandrin. lib. 2. Stromatum non longe ab initio. Augustin. de cognitione veræ vitæ capit. vigesimooctauo, & vigesimonono, & l. 5. confess. cap. 2. Anastas. Synaita lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmat. tom. 1. bibliothec. Patr. Anselmus in Monolog. cap. vigesimosecundo, & vigesimotertio; & ideo incircumscriptio communiter vsurpatur pro ea perfectione qua Deus adest omni loco, & à nullo continetur. Ita accipitur à Basilio homil. 16. in illa verba Ioannis 1. *In principio erat Verbum.* Cyrillo Alexandrin. lib. primo contra Iulian. post medium, & libro nono in Ioan. capit. 40. Greg. lib. 10. moral. cap. 7. & in id. Iob. 11. *Excelsior cœlo est.* Isidor. lib. primo sententiarum de summo bono, capit. 2. Autore lib. de Speculo cap. 22. Alcuin. lib. secundo, de Trinitate capit. quarto. Anselm. in Prosolog. capit. 13. Anastas. loco citato & alij. Hanc ipsam perfectionem communiter significant Theologi hoc nomine *Immensitas*, quo etiam in eodem sensu sæpè vtuntur Patres. Athanas. orat. contra Gregal. Sabellij post medium. August. de cognit. veræ vitæ cap. 29. Autor lib. de Specul. apud Augustin. cap. 3. Cyrill. Alexandrin. orat. de Verbi Incarnatione, quæ habetur tom. 6. Consil. Ephesin. cap. 1. Fulgent. lib. secundo ad Monim. cap. septimo. Isidor. lib. 7. Etymolog. siue origin. cap. 1. & libr. 1. sentent. de summo bono, capit. 2. §. 3. Hugo Victorin. in sum. sentent. tract. 1. cap. 4. & lib. 1. de Sac[illegible]. p. 3. cap. 17. Richard. Victorin. libr. secundo de Trinitate cap. 11. & 12. Rupertus lib. 7. in Genes. capit. 23. & alij. Est vero immensitas hoc modo considerata dispositio quædam, siue perfectio essentiæ diuinæ, qua constituitur in actu primo apta, vt coexistat præsens omni loco, & rebus omnibus in loco existentibus: cum verò loca possibilia sint infinita, ad hanc aptitudinem præsupponitur etiam infinitas quædam in perfectione essentiæ diuinæ, ratione cuius maneat semper extra quemuis locum maiorem, ac maiorem in infinitum, non quidem inclusa, sed nec exclusa. Et ab hac ratione excessus supra omnem magnitudinem, & locum immensitatis nomen accepit.

II. Duo itaque considerare possumus in immen-

Alensis. *Nazianz.* *Basilius.* *Ambrosius.* *Damascen.* *Alensis.* *Athanas.* *Clem. Alex.* *Augustin.* *Anastasius.* *Anselm.* *Basilius.* *Cyrill. Alex.* *Gregorius.* *Isidorus.* *Alcuinus.* *Anselm.* *Anastasius.* *Athanasius.* *Augustin.* *Cyrill. Alex.* *Fulgentius.* *Isidorus.* *Hugo Victor.* *Rich. Victor.* *Rupertus.*

immensitate, sicut in quouis alio attributo, nempe & propriam rationem ipsius, & modum infinitatis: nam, sicut scientia diuina, & est perfectio quædam vitalis, qua etiam omnia fiunt Deo conspicua, & præsentia secundum esse intellectum, & in suo genere non habet terminum, & idcirco scientia diuina est infinita, ita etiam immensitas & est quantitas virtualis Dei, ratione cuius, quantum est de se, est aptus coexistere loco, & in ratione quantitatis virtualis non habet terminum, & idcirco magnitudo eius virtualis est infinita. Quatenus quantitas virtualis non extendit formaliter Deum, quoniam hoc est proprium quantitatis corporeæ: Et ideo modum positiuum, quem immensitas significat, in Deo nō possumus aliter intelligere, quam per aptitudinem, vt coexistat rebus, ac locis creatis: quæ procedit immediate ab immensitate, tanquam proprio fundamento huius coexistentiæ. Ex hoc proueniunt duo alia discrimina eiusdem à quantitate propria. Primum est quod quantitas propria, cum distentat subſtantiam, cui ineſt, per partes, est radix existentiæ circumscriptiuæ, & commensurabilis loco secundum partes: immensitas vero nequaquam, sed ita Deitatem afficit, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte loci: alterum est quoniam quantitas propria ratione partium materialium, quibus distendit corpus, est in causa, vt illud naturaliter esse nequeat intime præsens alteri corpori: magnitudo vero virtualis Dei, quia eiusmodi partes non habet, nequaquam impedit intimam Dei præsentiam ad res omnes. Denique omnis quantitas propria certis terminis circumscribitur, & proinde est finita: magnitudo vero Dei virtualis caret mensura, ac termino, & proinde est infinita. Sed quæret aliquis, an, si foret subſtantia quanta simpliciter infinita versus omnem differentiam loci, haberet veram rationem immensitatis, siquidem careret omni mensura, tam circumscriptiua, quam definitiua. Respondendum est negatiue: quoniam vera immensitas excludit omnem commensurationem tàm actualem, quàm potentialem: corpus vero illud infinitum tametsi secundum se totum non posset mensurari, partes tamen possent commensurari alteri corpori circumposito. Immensitas itaque primo excludit extensionē, & commensurationē partium ad corpus, vel locū: deinde verò terminationem totius, & inclusionem in loco. Ex priore conditione habet, vt subſtantia immēsa sit tota simul in quouis loco, imò & in qualibet eius parte, & consequenter sit intra locum: ex posteriore vero postulat, vt nullo loco includatur: atque adeo sit extra omnem locum.

III. Explicato discrimine magnitudinis diuinæ virtualis à magnitudine propria corporis, opus est statuere discrimen inter illam, & magnitudinem virtualem creaturæ spiritualis: nam hæc conuenit cum diuina in eo, quod vtraque caret partibus, & commensuratione ad locum, & eius partes: & vtraque potest esse intime præsens rebus corporeis. Dicet aliquis discrimen consistere in eo, quod magnitudo diuina non impedit præsentiam intimam, & illapsum Dei in alias subſtantias spirituales, Angelica vero maxime, quoniam nulla creatura spiritualis potest esse intime præsens alteri. Hoc quidem discrimen verum est: sed non fundatur in ipsa ratione immensitatis diuinæ, quatenus præcisè concipitur sub ratione magnitudinis virtualis, sed in summa simplicitate, & actualitate diuini esse, cui cętera comparata sunt quodammodo materialia: quod indicat Gregor. l. 2. moral. cap. 8. super illa verba, *egressusque est Satan à facie Domini*: Cùm enim dixisset Deum esse exteriorem rebus per magnitudinem, subdit esse interiorem per subtilitatem. Et idcirco, sicut creaturæ spirituales sunt intime præsens corporalibus: ita Deus illabitur spiritualibus, & sicut creaturæ corporeæ non possunt esse mutuo præsens intime, ita spirituales nequeunt inuicem aliæ aliis illabi. Respondebit alius differentiam esse, quoniam magnitudo virtualis creaturæ est finita, & ideo locus Angeli est definitiuus: diuina verò est infinita, nec vllis terminis circumscribitur: & propterea locus Dei non est definitiuus. Verum neque hoc discrimen videtur attingere id, quo per se primo distinguitur magnitudo virtualis Dei à magnitudine creaturæ spiritualis: nam differunt per se primo, & essentialiter propriis rationibus intrinsecis, at vero discrimen penes finitudinem, vel infinitudinem non est secundum rationes formales intrinsecas: nam finitudo, vel infinitudo sunt modi magnitudinis, quæ proinde secundùm propriam rationem formalem potest concipi sine illis.

IV. Vt planè constet discrimen magnitudinis virtualis Dei à magnitudine virtuali creaturæ spiritualis, oportet explicare, quomodo se habeat infinitas ad ipsam, & vtrum sint idem prorsus: & si distinguuntur, vtra sit prior altera, vel modus ipsius:

ipsius: Et quidem non distingui, probatur primo, quoniam infinitas, & immensitas ex æquo pertinent ad quantitatem: nam ratio mensuræ pertinet ad quantitatem, vt docet Aristoteles libr. 10. Met. c. 2. quemadmodum etiam ratio finis, ac termini: negatio vero & forma negata pertinent ad idem genus, ob quam causam dixit Philosophus lib. 3. Physic. text. 24. proprium esse quantitatis vt sit finita, vel infinita: in singulis autem rebus non est nisi vna quantitas: ergo etiam in Deo non erit duplex ratio quantitatis virtualis, scilicet immensitas, & infinitas. Secundo aut infinitas, & immensitas sumuntur materialiter pro re, siue modo substrato negationi termini, ac mensuræ, aut formaliter pro ipsis negationibus: sumptæ præcisè pro negationibus non constituunt attributa diuersa, non enim inferunt diuersas perfectiones, sed in eadem prorsus fundantur, quæcunque enim perfectio concipitur sub negatione finis, concipi etiam potest sub negatione mensuræ: si vero accipiantur materialiter est tantum vnus modus adæquatus magnitudinis diuinæ, qui in adæquate cernitur in singulis perfectionibus: atque adeo immensitas, & infinitas in ordine ad locum sunt idem prorsus.

Aristotel.

V. Infinitas diuina est modus quidam adæquate afficiens essentiam diuinam: quæ, quia est omnis perfectio simpliciter, est etiam infinita simpliciter: singulas autem perfectiones attributales formaliter loquendo solum afficit in adæquate; hoc est secundum proprias rationes ipsarum, vt verbi gratia cum dicimus: *Sapientia diuina est infinita*, formaliter solum designatur infinitas sapientiæ, licet realiter cum essentia & aliis perfectionibus sit etiam infinita simpliciter. Et ideo attributum infinitatis aut comparari potest cum reliquis attributis secundum proprias rationes formales ipsorum, aut secundùm infinitatem singulorum. Exempli causa infinitas, aut comparatur cum sapientia diuina, aut cum infinitudine sapientiæ: eodemque modo infinitas Dei simpliciter aut conferri potest cum ratione magnitudinis virtualis Dei, quatenus est quædam dispositio essentiæ diuinæ, sub qua est, & concipitur à nobis apta correspondere loco, aut cum propria infinitate ipsius: si cum hac comparatur immensitas, siue infinitas secundùm quantitatem virtualem in ordine ad locum respectu infinitatis simpliciter, & absolute sumptæ, habet rationem partis virtualis, ex qua simul cum aliis integratur vna totalis ratio infinitatis: neque præsens quæstio circa hanc versatur, sed solum est difficultas quomodo se habeat magnitudo virtualis Dei in ordine ad locum comparata propriæ infinitati, aut etiam infinitati simpliciter.

His positis dicendum est magnitudinem non esse ipsam infinitatem Dei, sed comparari ad illam tanquam ad modum suum, ad suam quidem adæquare: ad infinitatem vero simpliciter inadæquate. Hæc supponitur ab Autore lib. de Speculo apud Augustinum tom. 9. capit. 23. vbi appellat immensitatem incircumscriptæ magnitudinis diuinæ, quasi alia sit ratio formalis magnitudinis, alia immensitatis: supponitur etiá à Patribus, & Doctoribus, quatenus non recurrunt ad infinitatem, tanquam ad rationem, cur Deus sit in loco, sed cur sit vbique, & non circumscribatur loco, ita Athanas. contra Gregales Sabellij, Basil. homil. 16. in verba illa Ioan. *In principio erat Verbum*: Chrysost. in verba illa Psalm. 9. *Psallite Domino, qui habitat in Sion.* Hilarius lib. 1. de Trinitate non longè à principio: & Cyrill. Alexandr. lib. nono in Ioan. capit. quadragesimo. Ex quo doctorum placito perspicuè probatur assertio. Nam, si, præscindendo ab infinitate, concipere possumus Deum esse in loco, infinitas non est idem omninò re, ac ratione cum immensitate: si enim esset, non posset concipi effectus proprius vnius præscindendo à ratione alterius. Si ergo ideo Deus est in loco, quia habet magnitudinem virtualem, ideo autem est aptus esse in locis omnibus, quia est infinitus diuersa est ratio formalis magnitudinis, & infinitatis diuinæ. Et confirmatur, quoniam propria comparatio magnitudinis sumitur in ordine ad locum in se, comparatio vero ad ea, quæ accidit in loco, fundatur in ratione aliqua superaddita magnitudini ipsi: magnitudo autem, vel paruitas non sunt de ratione loci, sed ipsi accidunt: ergo etiam ea secundum quæ quantitas locati comparatur ad paruitatem, vel magnitudinem loci, non sunt per se de ratione ipsius quantitatis: infinitudo autem pertinet ad magnitudinem, prout opponitur finitudini, aut paruitati, & secundum eam comparatur quantum cum infinitudine loci: ergo per se loquendo non est de intrinseca, & formali ratione magnitudinis virtualis. Secundo ita se habet infinitas magnitudinis virtualis ad ipsam, vt infinitas sapientiæ ad sapientiam, infinitas potentiæ ad potentiam: in his vero infinitas est aliquid

VI.

Augustin.

Anastasius. Basilius. Chrysost. Hilarius. Cyrill. Alex.

posterius

posterius perfectionibus, quarum est infinitas: ergo est etiam posterior magnitudine virtuali: & consequenter id, quo essentia diuina per se primo est apta coexistere rebus, ac locis, non est infinitas. Ex his etiam probatur infinitatem esse modum virtute distinctum à magnitudine diuina, illi tamen necessario annexum: nam magnitudo omnis comparata loco, vel habet certum, & finitum locum, cui adæquate respondeat, vel respicit omnem locum absque vllo termino: & ita finitas, vel infinitas est modus magnitudinis etiam in ordine ad locum: immensitas autem ad nullum certum locum determinatur: ideoque vendicat rationē infinitatis, tanquam modum intrinsecum, ex quo intelligitur incircunscripta, & illimitata. Dictum est autem comparari ad suam infinitatem adæquate, quoniam infinitas extensiua in ordine ad locum per se primo conuenit immensitati, ratione vero eius alijs attributis: ad infinitatem vero simpliciter inadæquate, quoniam secundum suam rationem formalem, nó participat illam ex toto, tunc enim esset etiam formaliter sapientia, ac iustitia, quod est falsum: eatenus autem comparatur ad illam, quatenus vendicat proprium modum infinitudinis extensiuæ in ordine ad locum, qui est pars virtualis infinitudinis simpliciter.

VII. Ad primum argumentum, quod militat aduersus hanc conclusionem, respondetur immensitatem ipsam, siue vim coexistendi præsentialiter rebus, ac locis habere rationem quantitatis metaphoricæ, siue virtualis in Deo: at vero infinitatem non esse quantitatem virtualem, sed modum ipsius: quemadmodum est respectu propriæ quantitatis: vt paulò ante explicaui. Non est [illegible] absurdum, sicut in rebus creatis est propria quantitas, & modus ipsius: ita dari in diuinis absque distinctione actuali, sed solum sub virtuali. Quin vero id, quod in eodem argumento supponitur, nimirum non esse in eodem subiecto, nisi vnam rationem quantitatis, solum est verum de quantitate propria, & formali: nam metaphorica potest esse multiplex, quoniam multiplicatur pro multitudine formarum, quibus conuenit, quas non repugnat esse plures in eodem subiecto: vt patet si idem homo sit insignis Philosophus, mathematicus, ac Theologus: nam, sicut habet plures scientias, ita plures magnitudines metaphoricas, alia est enim magnitudo Philosophiæ, alia Theologiæ vt per se patet. In Deo vero est simpliciter vna magnitudo realis, qua amplectitur omnem perfectionem: verum, sicut formæ, siue perfectiones simpliciter sunt plures secundum rationem, & distinctionem virtualem, ita magnitudo metaphorica singularum distinguitur virtute à magnitudine reliquarum.

VIII. Pro solutione secundi obseruandum est, quamuis omnis perfectio diuina sit infinita, tamen quasdam significari nominibus importantibus simul ipsam infinitatem, vt omnipotentia, & immensitas, quasdam vero minimè, vt voluntas diuina, sapientia diuina. In his autem, quarum nomina important simul ipsam infinitatem, non minus cernitur ratio quædam positiua distincta secundum rationem ab infinitate, quam in alijs, vt patet in omnipotentia, quæ habet veram rationem potentiæ effectiuæ distinctam formaliter à modo infinitatis: hoc etiam modo immensitas, quamuis ex propria significatione importet simul modum infinitatis, tamen ipsa habet propriam rationem formalem distinctam à reliquis, cuius modus est infinitas in ratione magnitudinis virtualis. Hoc posito respondetur esse discrimen inter infinitatem, & immensitatem, quatenus accipitur pro magnitudine virtuali Dei in ordine ad locum: nam infinitas non dicit propriam rationem attributalem præcisam à reliquis, sed modum omnium: immensitas vero dicit propriam rationem, vt explicatum est: atque adeò nomine immensitatis tria possumus concipere, negationem mensuræ, modum infinitudinis, & propriam rationem formalem magnitudinis. Et quamuis quoad duo priora non differat ab infinitate simpliciter, nisi quasi ratio inadæquata, ab adæquata, tamen ratione tertij differt à propria infinitate, tanquam propria, & peculiaris ratio formalis à suo modo.

IX. Ex dictis etiam colligitur magnitudinem virtualem Dei esse nostro modo intelligendi priorem infinitate, & quasi fundamentum ipsius. Ratio est quoniam res omnis, & perfectio absoluta est prior modo ipsius: infinitas autem, vt ex instituto ostendam lib. 4. est modus quidam virtualis quantitatis diuinæ metaphoricæ: Nam, sicut quantitas formalis secundum se est entitas absoluta abstrahens à finito, vel infinito, prior vtroque, & quasi fundamentum vtriusque, propter quod dixit Philosophus lib. 3. Physic. t. 24. finitum, vel infinitum esse proprietatem quantitatis, ita etiam se habet quantitas virtualis ad rationem finiti, vel infiniti.

Ex quo prouenit, vt quamuis re ipsa quantitas omnis sit finita, vel infinita, ipsius tamen ratio non consistat in modo finitatis, vel infinitatis: si enim per impossibile fingatur transire de vno ad alterum, adhuc retinebit propriam rationem formalem. Quod intelligi debet, quando ex propria ratione formali non vendicat necessario vel infinitudinem, vel præscriptum terminum finitudinis: si enim definita magnitudo virtualis perfectionis essentialis naturæ humanæ varietur, iam non erit eadem natura, vel quantitas metaphorica secundum speciem, quoniam præscripta finitudo est eius proprietes, qua dissipata consequenter dissoluitur ratio ipsa magnitudinis essentialis: Et quoniam magnitudo diuina in ordine ad locum ex sua ratione quasi specifica vendicat infinitudinem, hac negata censetur etiam negari magnitudo ipsa virtualis in ordine ad locum.

X. His præmissis facilè respondetur ad difficultatem, cuius occasione hæc dicta sunt. Nam, quamuis magnitudo virtualis Dei in ordine ad locum secundum suam propriam rationem formalem intrinsecam præscindendo ab infinitate distinguatur à magnitudine virtuali Angeli in ordine ad locum, tamen quia nos latent veræ, ac propriæ rationes quidditatiuæ perfectionum diuinarum, solemus eas explicare per proprietates nobis notas: Et quia inter attributa quantitatis numeratur à Philosopho, vt sit finita, vel infinita, merito diuinam discernimus à creata, quod hæc sit finita, illa infinita, quod non solum in immensitate, sed in æternitate vsu venit, quã Doctores omnes post Boët. distinguunt à durationibus creatis, eo quod sit suapte natura possessio vitæ interminabilis, quod non conuenit durationibus creatis. Vt ergo, quæ toto hoc tractatu dicta sunt, in summam redigamus, immensitas diuina sic describi potest, est magnitudo virtualis Dei, qua suapte natura est aptus secundum se totum intime, & extime præsens esse rebus omnibus, ac locis in infinitum multiplicabilibus. Quas omnes proprietates diuinæ immensitati conuenire fusè probatum est in superioribus.

TRACTATVS DECIMVS, DE AETERNITATE DEI.

AETERNITAS est modus quidam vnitatis, & identitatis diuinæ, vt indicat Dion. cap. 9. de diuinis nominibus. *Idem vero*, inquiens, *supersubstantialiter æternum est inuertibile, in se ipso manens semper secundum eadem, & eodem se habens modo*: quod etiam constat ex Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*: quasi ipsa vitæ diuinæ perpetuitas sit quidam modus identitatis. Anni enim Dei vt notat Augustinus, & Beda in id eiusdem Psalm. *Vsque in generationem, & generationem anni tui*: itaque anni, siue ætas Dei, vt vocat Anselmus in Monolog. cap. 22. & 24. non deficient, quia æternitas sibi ipsi non est dissimilis, sed simpliciter eadem, & indiuisibilis: quæ ratione etiam indiuisibilitatis est modus vnitatis: vt enim ait Hugo de S. Victore de sacramentis fidei lib. 1. p. 3. cap. 31. *In vnitate agnoscimus æternitatem*: Et S. Thom. in 1. d. 8. q. 2. art. 1. ad 1. æternitatem vocat vnitatem, sicut è contrario tempus propter successionis diuisibilitatẽ habet rationem multitudinis, & propterea diffinitur à Philosopho lib. 4. Physic. cap. 11. t. 100. *Numerus motus secundum prius, ac posterius*: est vero tanta inter immutabilitatem, æternitatemque affinitas, vt nonnunquam vna pro altera accipiatur. Vnde est illud Augustin. lib. de natura boni aduersus Manichæos capit. 39. *Illa autem vera est æternitas, quæ est vera immortalitas, hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet*: Et paulò post *cuius solius immortalitas ipsa est vera æternitas*. & libro quarto, de Trinitate capit. decimooctauo, *In quantum*, inquit, *mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus*. & infra, *Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est æternitas*: nam, cùm æternum sit, quod principio, ac fine caret, idem est dicere æternum, ac id, quod semper eodem modo se habet, siue quod immutabile est. Verum ratione distinguuntur: ideoque ipsi quoque Patres frequenter Deo tribuunt immutabilitatem simul, atque æternitatem, quasi duo inter se distincta: imò Doctores, quos referam capit. primo, numero 8. ex incommutabilitate æternitatem probant, quæ probatio esset inepta, nisi inter vtramque esset aliqua distinctio secundum

Magn. Dion. Psalm. 101. Augustinus. Beda. Anselm. Hugo Victor. S. Thom. Aristot. Augustinus.

rationem

rationem ratiocinatam. Quia ergo, vt notat Henricus in sum. art. 31. initio, immediata radix æternitatis est omnimoda immutabilitas, post hanc de illa agendum est. Dicam vero inprimis de multiplici acceptione nominis, *AEternitas*, & de propria ratione ipsius in maximè propria significatione: vltimo tandem de habitudine eius ad diuinitatem, & comparatione ad durationes creatas.

Henric.

AEternitas multipliciter accipitur: conuenit autem Deo sumpta in maximè propria significatione.

CAPVT I.

I. AEternum multipliciter accipitur, vt patet apud Magnum Dion. cap. 10. de diuinis Nominib. Damascen. lib. 2. fidei cap. 1. S. Thom. 1. p. q. 10. art. 3. & in 1. d. 8. q. 2. art. 2. Bonauent. in 4. d. 3. p. 2. art. 3. q. 1. ad 1. & alios Theologos. Est vero hæc varietas in lingua Latina, Græca, & Hebræa. Vt vero à Latina incipiam, æternum sumitur inprimis pro re existente sub longa temporis diuturnitate longè remota à præsenti tempore, quantumuis initio, ac fine non careat: iuxta quam acceptionem Dauid appellat montes, & annos æternos, montes Psalm. 72. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Montes autē hoc est sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui ibi per montes intelliguntur, vt ait Gregor. lib. 27. Moral. cap. 5. in id Iob 36. *Quæ præterexerunt cuncta desuper.* & alij Patres non fuerant ab æterno, sed quia longo ante Dauid tempore præcesserant, ratione antiquitatis dicuntur æterni: quantiam ratione Patriarcha Iacob. Genes. 49. vocat Messiam, *Desiderium collium æternorum.* Annos vero æternos dicit Psalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui:* Sunt vero anni æterni idem, quod anni antiqui ab initio sæculi. Item quod in longinquum tempus durabit, etsi finem sit habiturum, dicitur æternū vt patet Genes. 17. Ex verbis Domini ad Abraham. *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ omnem terram Chanaam in possessionem æternam:* & tamen, vt constat, eiusmodi possessio principium, ac finē habuit. Quem locum expendit D. Augustinus lib. 1. quæstionum super Genes. quæst. 31. & probat illo versiculo Horatij, *Seruiet æternum, qui paruo nescit vti:* Simile quid notat lib. 2. quæstionum in Exod. quæst. 43. eodem modo intelligitur à D. Thoma 1. p. quæst. 10. art. 2. ad 2. illud Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum, & vltra:* aitque æternum sub hac significatione esse idem, quod sæculum: & ideò Deus dicitur regnare vltra æternum, quia durat vltra quamuis durationem assignatam, siue vltra quodlibet sæculum: quod, vt habetur lib. 1. de cœlo text. 100. est periodus cuiuslibet rei.

Magn. Dion. Damascen. D. Thom. Bonauent. Psalm. 72. Gregor. Genes. 49. Psalm. 76. Genes. 17. Augustinus. Horatius. S. Thom. Exod. 15. Aristot.

II. Tradita acceptio est valde impropria: alia magis propria est, qua æternū dicitur id, quod saltem altera ex parte caret termino, quamuis ex altera sit finitum: iuxta quā, quæ fuerunt ab æterno, etsi finem habeant dicuntur æterna: ita accepit Apostolus cap. vlt. ad Romanos vbi mysterium conuersionis gentium dicit, *Tacitum temporibus æternis,* quæ nempè præcesserunt mundi exordium: vel potius in æternitate, quatenus eminenter continebat tempore possibilia ab æterno, vsque ad illud tempus, quo primum mysterium eiusmodi reuelatū est, vt indicat D. Thomas, & Lyran. in expositione eius loci, porro illa tempora caruerunt quidē principio, non tamen fine. Eodem modo loquitur Baruch. cap. 3. *Qui præparauit terram in æterno tempore:* aliquando è contra æternum dicitur id, quod tamen initium habeat, caret fine: quomodo de cœlis dicitur in Psal. 148. *Statuit ea in æternum.* & de pœnis inferni Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam:* Quod perperam accipiebat Orig. pro longo tempore habituro tamē finem: ideoque merito reprehenditur à B. Cæsareo in 3. dialog. & alijs Patribus: & August. lib. 83. quæstionum: q. 23. animam nostram æternitatem consequi dixit æterna æternitatis participatione: & Angelos æternos appellari. Psalm. 72. ait D. Thomas 1. p. q. 10. art. 3. in corpore, quæ acceptio est valde vsitata apud Doctores, vt videre est in Alensi 1. p. q. 12. m. 1. art. 2. & alijs.

II. S. Thom. Ad Rom. vlt. S. Thom. Liranus. Baruch. 3. Psalm. 148. Matth. 25. Cæsarius. Augustinus. S. Thom. Alensis.

III. Tertia acceptio magis propria, quam secunda, est, qua æternū dicitur, quod habet durationē absque principio, & fine, habet tamen adiunctā mutabilitatem, & non repugnantiam, vt esse desinat, vel saltem abstrahit à repugnantia, & non repugnantia, vt mutetur: quod sempiternum dici ait Richard. de S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 4. & Isidor. lib. differentiarum, differ. 496. Et quidē, si vis vocis attendatur, sempiternum significare videtur id, quod semper est. Hoc tamen ipsum vt notat Alensis 1. p. q. 12. m. 1. art. 1. æquiuoce dicitur: nam inprimis significat id, q̄ est omni tempore vero, quomodo Angelos omni tempore fuisse docet D. Aug. lib. 12. de Ciuitate c. 15.

III. Rich. Victor. Isidorus. Alensis. Augustinus.

qui

qui tamen habuerunt initium: dicitur etiam id, quod semper est, hoc est nunquam non est: in sacris vero literis accipitur etiam pro habente principium, ac
Genes. 9. finem. Nam Genes. 9. fœdus initum à Deo cum Noë dicitur sempiternum, quod
Num. 28. tamen habuit initium. Item Num. cap. 25. vocatur pactum sacerdotij sempiternum, quod Deus contulit Phinees filio Eleazari, quod tamen tandem expirauit finito sacerdotio legali per sacerdotium Christi, ac legis nouæ. Vt tamen ad tertiam acceptionem æterni redeam, sumitur absolute pro eo, quod caret initio, ac fine durationis: quomodo Dionys. cap. 10. de diuin. *Absolute*, inquit, *ingenita, id est, sine principio, & verè perpetua dicuntur æterna, sicut diuina.* Et quamuis nihil creatum hoc modo æternum fuerit, quoniam omnia sunt condita in tempore à Deo, tamen in sententia illorum, qui censent non repugnare, vt mundus fuerit ab æterno, Angeli ab æterno producti forent hoc modo æterni: quoniam ex suppositione carerent initio durationis: & quia suapte natura sunt incorruptibiles per naturam, & vires causarum secundarum, non haberent finem. Vbis tamen vocis, *AEternus*, in hac significatione non potest efficaciter ostendi ex sacris literis: quoniam cum solus Deus de facto careat vtroque termino durationis, & sit omnis mutationis expers, cùm dicitur æternus non constat vtro ex his modis accipiatur.

IV. Vltima acceptio est, qua æternum dicitur id, quod caret initio, ac fine, & caret omni mutabilitate: vt explicat
Rich. Victor. Richardus vbi supra cap. 4. & cap. 9. *Carere*, inquit, *initio, ac fine, & omni mutabilitate dat æternum esse.* Ad quem ferè modum accipit Anselmus in Monologio cap. 24. vbi ad rationem æternitatis exigit immutabilitatem. Hæc est
Anselm. maximè propria acceptio, à qua cæteræ deriuantur propter aliquam affinitatem ad significatum illius: nam, quemadmodum immobile in maximè propria acceptione est illud, quod omnino est immutabile: & nihilominus quædam, quæ raro, tarde, aut difficilè mouentur, immobilia solent appellari, ita æternum propriè significat id, quod habet durationem vniformem, & inuariabilem sine principio, ac fine, impropriè tamen extenditur ad significandas res, quæ ratione d[illegible]rnitatis, antiquitatis, aut perpetuitatis aliquo modo, participant æternitatem, & in hac vltima acceptione vsurpatur à Theologis, cùm disputant de æternitate Dei.

Hæc dicta sunt de nomine Latino: in V. Hebræo vero עולם eadē est diuersitas: nam accipitur pro vera æternitate, vt Psalm. *Psalm. 44.* 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi:* Item Psalm. 116. *Veritas Domini manet in æter-* *Psalm. 116.* *num.* & Psalm. 89. *A sæculo, & vsque in sæ-* *Psalm. 89.* *culum tu es Deus:* Quibus locis in Hebræo habetur vox עולם. Interdum significat longissimum tempus, licet principio, & fine claudatur, ita accipitur Genes. 6. *Isti* *Genes. 6.* *sunt potentes à sæculo viri famosi.* Item Hierem. 2. & alibi sæpè vox עולם vsur- *Hierem. 2.* patur pro longo temporis spatio terminis vtrinque circunscripto. Sumitur etiam pro duratione carente principio, vt Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum,* vel *Prouerb. 8.* carente fine, vt Psalm. 99. *Laudate no-* *Psalm. 99.* *men eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius.* D. Hieronym. in *Hieronym.* Comment. ad cap. 1. Epistolæ ad Galat. asserit vocem holam si scribatur per literam ו, significare veram æternitatem, si absque illa scripta fuerit, significare iubilæum, hoc est, spatium quinquaginta annorum. Hæc tamen obseruatio non sem[illegible] est vera. Nam Genes. 13. Vbi di- *Genes. 13.* citur, *Omnem terram hanc dabo semini tuo vsque in sempiternum*, est vox עולם, cùm litera ו, & nihilominus non significat propriam æternitatem, sed longissimum tempus, vt notat ibi Caietanus, & Abulens. *Caietanus. Abulens.* & per se patet: quoniam semen Abraham iam non possidet terram illam, atque adeò nec possidebit per totam æternitatem. Accedit quod Deut. cap. 15. vbi *Deut. 15.* dicitur, *Et seruiat tibi vsque in æternum*, habetur vox עולם cum litera ו, & nihilominus significatur tempus Iubilæi, quo finito seruus ille recuperaturus erat libertatem.

Quod attinet ad nomen Græcum D. VI. Augustin. lib. contra Priscillianistas ad *Augustinus.* Orosium, cap. 5. & 6. sentire videtur esse aliquod discrimen inter duo hæc nomina Græca nempè ἀιὼν, & ἀιδιότης, quia scilicet primum dicitur indifferenter de sæculo, hoc est duratione vtrinque terminata: posterius verò de interminata, & infinita saltem ex parte vlteriore: quoniam verò præuidit posse in scripturis reperiri posterius acceptum non pro vera æternitate: sed pro diuturno tempore, vt cum de Sacramentis, ac cæremonijs legis antiquæ, quæ *Exod. 28.* erant finem habituræ, dicitur Exod. 28. *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini eius post eum*, recurrit ad æternitatē rei significatæ, erant enim vmbræ futurorum, ac

cœlestium

cœlestium bonorum, quæ finem non habent, & proinde dici poterant αἰώνια non re, sed signo. Verum hæc etiam obseruatio non est necessaria: quoniam vbicunque in Hæbreo est vox עולם ibi textus Græcus absque delectu dabet nunc αἰών, nunc vero αἰώνιον: quin vero ad Titum primo vbi dicitur, *In spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ante tempora sæcularia:* In Græco dicitur πρὸ χρόνων αἰωνίων, quo loco nõ intelligi veram æternitatem, sed tempus ab initio mundi docet idẽ D. Augustin. vbi supra: quapropter vox αἰώνιον apud Græcos non necessario sumitur pro vera æternitate: idemque patet cap. vlt. Epistolæ ad Roman. illis Verbis: *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei:* nam vtrobique habetur vox, αἰώνιον & tamen cum Deo tribuitur significat veram æternitatem, cùm vero tempori præterito ab initio mundi, nequaquam. Has, & plures alias acceptiones vocis αἰών tradit Damascen. lib. 2. fidei cap. 2. Aristotel. autem lib. 1. de cœlo text. 100. tradit duas alteram qua αἰών accipitur pro periodo durationis cuiusli bet rei, quam Latini vocant ætatem, vel æuum, alteram pro duratione totius mundi, ac cœli, quam quia credidit infinitam censet etiam αἰών signficare æternitatem propriè dictam: idque ex propria significatione vocabuli, dicitur enim αἰών quasi ἀεὶ ὤν hoc est semper existens vt notauit Nicetas in orationem secundam Nazianzeni, hoc vero solum est id, quod initium, aut finem durationis non habet.

Ad Tit. 1. *Ad Rom. vlt.* *Damascen. inscr.* *Nicetas.*

VII. Deum vero esse æternum fides docet, vt patet ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica, *Vnus solus est, verus Deus æternus, &c.* & ex Symbolo Athanasij, *AEternus Pater, AEternus Filius, AEternus Spiritus sanctus, & tamen non tres æterni, sed vnus æternus.* Item cap. vlt. ad Roman. *Secundum præceptum æterni Dei.* & Micheæ 5. *Egressus eius ab initio ab itineribus æternitatis eius*, vbi sermo est de processione Verbi æterni Isai. 40. *Deus sempiternus Dominus.* & cap. 57. *Excelsus, & sublimis habitans æternitatem.* At inquiet aliquis ex his locis minimè colligi Deum esse æternum in maximè propria acceptione: quando enim nomen aliquod multipliciter accipitur, non sumitur efficax argumentum ad probandum aliquid in certa, ac determinata significatione. Hæc responsio non tollit vim argumenti sumpti ex citatis testimonijs sacrarum literarum: quoniam, quando vocabulum multipliciter accipitur, sumi debet pro maximè proprio significato, nisi inde manifestum sequatur absurdum: & ideò cum Deus dicitur æternus, intelligi debet iuxta maximè propriam significationem: quæ non dedecet, imò vero maximè conuenit Deo. Quin vero quoniam hæc erat ambiguitas in hac voce, *AEternum*, Scriptura adhibuit alia verba, quibus explicaret modum proprium æternitatis diuinæ, vt in Psalm. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus:* Quo loco in Hebræo est nomen עולם, quod Latinus interpres modo vertit sæculum, modo æternum, vt autem constaret nomen illud sumi pro vera æternitate adduntur illa verba: *Antequam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis:* quibus indicatur sermonem non esse, de duratione aliqua temporaria, ac finita, sed infinita absque principio, & verè æterna, quod idem factum est. Prouerb. 8. vbi dicitur. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c.* Vbi sermo est de æterna Verbi generatione, vt plerique Patres exponunt: similiter aperte excluditur finis, cùm dicitur Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum & vltra*, quia scilicet vita, & Regnum Dei est vltra omnem durationem creatam, quæ æterna nuncupari possit, vel vt ait D. Thomas 1. p. quæst. 10. art. 2. ad 2. etiamsi aliquid aliud à Deo semper esset, tamen Deus adhuc vltra regnat, in quantum Regnum eius est totum simul, atque perfectum: aperte etiam habetur ex illo Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* quibus explicatur inuariabilitas vitæ diuinæ primis illis verbis: *Tu autem idem es:* Illis vero alijs, *& anni tui non deficient*, sempiterna, & interminabilis vitæ diuinæ possessio, vt notat sanctus Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 15. Denique breuissimè, & compendiosè idem expressit Scriptura Ecclesiast. 18. illis verbis: *Qui viuit in æternum creauit omnia simul:* & Exod. 3. *Ego sum, qui sum, & qui est misit me ad vos.* Nam loquendo per verbum præsentis temporis abstrahit à futuro, ac præterito, explicatque indiuisibilem, inuariabilem, & interminabilem permanentiam vitæ diuinæ: quæ abstrahit ab omni differentia temporis, hęretque perenniter, & immobiliter in se ipsa: & ita Patres referendi cap. 11. asserunt in Deo non reperiri præteritum, nec futurum, sed tantum præsens: Hanc doctrinam confirmat Magnus Dionys. cap. 10. de diuinis nominibus.

Concil. Later. *Athanasius.* *Ad Rom. vlt.* *Micheæ 5.* *Isai. 40. & 57.* *Psalm. 89.* *Prouerb. 8.* *Exod. 15.* *S. Thom.* *Psalm. 101.* *S. Thom.* *Eccles. 18.* *Exod. 3.* *Magn. Dion.*

Antiquus,

Antiquus, inquiens, *dierum Deus prædicatur, quod ipse sit omnium, & sæculum, & tempus, & ante dies, & ante sæculum, ac tempus.* & paulò post, *quocirca etiam in sacris mysticarum visionum apparitionibus, & antiquus, & nouus effingitur, seniore quidem antiquitatem eius, quæ ab initio est, iuniore autem insenescibilitatem signante ipsius, vtriq; vero eum ab initio ad finem vsq; per cuncta procedere monstrantibus:* Quibus verbis constat ex mysticis visionibus colligi vitam Dei, & initio, & fine carere, & varietatis iniurijs obnoxiam non esse.

VIII. Hanc fidei veritatem ipsi quoque Philosophi agnouerunt, vt Aristoteles lib. 8. Physic. & lib. 12. Metaphys. eiusque interpretes vtrobique: imò vero, vt ait Boëtius lib. 5. de consolat prosa vltima, Deum esse æternum cunctorum ratione degentium commune est iudicium: D. Anselm. in Monologio cap. 17. & Richard. de sancto Victore lib. 2. Trinitat. cap. 2. id probant quoniam veritas nec principium nec finem habet: summa autem natura est ipsa prima, ac summa veritas: quare neque principium, neque finem habet. Verum hæc probatio non est ad modum firma, neque à priore: nam vel per veritatem intelligunt entitatiuam, siue obiectiuam, vel formalem, & intellectiuam: si priorem intelligant, ex illa nó necessario sumitur actualis existentia rei: nam antequam Verbum diuinum incarnaretur, verum erat ipsum incarnandum, & tamen incarnatio ipsa, quæ erat obiectum veritatis, nondum erat. Si vero sermo sit de veritate formali, hoc est de illa, quæ existit obiectiuè in mente intelligentis, recte quidem concluditur à posteriore, si veritas æterna est, primam quoque substantiam, quæ est prima veritas, esse æternam, verum qui negauerit primã substantiam esse æternam, negabit etiam æternitatem veritatis formalis, quæ non existit per se, sed in intellectuali substantia. Ideò melius, & clarius ostenditur ab Alens. 1. p. quæst. 12. m. 4. post Richard. de S. Victor. lib. 1. de Trinitate cap. 7. 8. & 11. ex eo, quod Deus sit à se: Nam, quod est à se, & non ab alio, non habet principium durationis: cùm enim in se ipso habeat sufficiens principium existendi, & existat per essentiam, concipi nequit, non existens antequam existat: atque adeò non habet principium durationis. Præterea id, quod non est ab alio, non habet in suo esse admistam potentiam ad non esse: ac proinde non est vertibile in non esse, atque adeò est æternum, Deum autem esse ens à se ostendit tract. 1. quare est simpliciter æternus. Optime etiam ex immutabilitate, tanquam ex proxima radice, æternitatem Dei probant S. Thom. 1. p. quæst. 10. art. 2. & lib. 1. contra Gentes cap. 15. Henric. in sum. art. 31. quæst. 1. Durand. in 1. d. 19. q. 2. num. 7. Capreol. d. 9. quæst. vn. a. 2. conclusio. 1. Hispalens. quæst. vn. art. 1. conclusione 3. Richard. dist. 19. art. 2. quæst. 1. & alij. Ratio est: quoniam, quod prorsus immutabile est, semper idem est absque vlla varietate, & successione, neque potest non esse: cùm igitur ex superioribus cõstet Deum esse omnino immutabilem, ex ipsa etiam ratione constat esse verè, ac propriè æternum: hoc est sine initio, & fine, sine varietate, aut successione durationis. Quod attributum, vtpote modus essentiæ, conuenit omnibus perfectionibus diuinis; non sola enim vita, & substantia Dei sempiterna est, sed sapientia quoque, iustitia, omnipotentia, & omnis alia perfectio, tam absoluta, quam relatiua, vt obseruat Mayron. in 1. d. 9. q. 1. art. 1.

Aristot. *Boetius.* *Anselm.* *Rich. Victor.* *S. Thom.* *Henric.* *Durand.* *Capreol.* *Hispalens.* *Richard.* *Mayron.*

IX. Ex dictis conuincitur impia superstitio Idololatrarum, qui colunt Deos, quorum patres, ac matres, ortus, & interitus produntur antiquis literarum monumentis. Vnde etiam ortum habuit ridicula illa distinctio Deorum, quorum alij seniores, iuniores alij dicuntur, quam recte hoc nomine irridet, ac traducit D. Chrysostom. homil. 1. in cap. 1. Ioan. super illa verba. *In principio erat Verbum*, additque *nihil tale in nostra religione: nam si Deus est, quemadmodum est: nihil eo superius: si omnium conditor, primus: si Dominus, & Princeps omnium, omnia post ipsum, & creatura, & sæcula.*

Chrysost.

Explicatur diffinitio æternitatis, & ostenditur ipsam esse durationem [illegible] diuinæ.

Caput II.

I. POstquam ostensum est Deum esse æternum æternitate propriè dicta, sequitur vt explicem, quænam sit propria ratio, & natura æternitatis. Diffinitur autem æternitas ab Anselmo in Monologio cap. 24. in hunc modum. *Vera æternitas est interminabilis vita simul tota existens.* & Richardo de S. Victore lib. 2. de Trinitate, cap. 4. *Quid aliud est æternitas, quam diuturnitas sine initio, & fine, & carens omni mutabilitate.* Potissima tamen diffinitio, quam Doctores communiter recipiunt, & exponunt, est, quam tradit Boëtius lib. 3. de consolat.

Anselm. *Rich. Victor.* *Boetius.*

consolat. prosa vltima circa principium, & sic habet: *AEternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio.* Ita vero proponi debet gratia claritatis. *AEternitas est possessio vitæ interminabilis tota simul, & perfecta.* Possessionis nomine intelligitur duratio habita ad arbitrium possidentis, quamuis autem possessio ex vi nominis importare videatur successionem secundum prius, & posterius, dicitur enim quasi post sessio, hoc est permanentia in re prius habita, tamen quoad rem, vt notat Alensis 1.p. q.12. m.3. ad 5. Albert. in 1. d. 8. art. 8. ad quintum & septimum. & S. Thom. q.2. art.1. ad 6. non significat successionem, sed importat stabilitatem, & quasi dominium rei, quæ possidetur, & ita duratio est quædam possessio vitæ: nomine autem vitæ intelligitur actualitas essendi substantiæ viuentis, vt notauit idem Alensis ad 2. & propterea cœli duratio excluditur à ratione æternitatis. Additur autem interminabilis, quia vt notat Alensis m. cit. in corpore, & ad 1. & S. Thom. art.1. citato: vita, quæ æternitate durat, ex vtraque parte carere debet termino, principio, inquam, ac fine: quo vtrinque clauduntur viuentia generabilia, & corruptibilia, quæ incipiunt, ac desinunt: substantiæ vero spirituales incorruptibiles saltem principium habuerunt. Quin vero, vt benè notat Ægidius in 1.d.8. 2.p.quæst.2.art.2. etiamsi fuissent ab æterno, nondum vitam viuerent interminabilem: nam interminabile non est, quod non terminatur, sed cui repugnat terminari: omnis autem duratio creata sicut variari, ita etiam terminari à Deo potest: soli vitæ diuinæ deest aptitudo, vt terminetur. Debet autem possessio esse tota simul: nam vbi aliquid vitæ deest, non æternitas sed ætas, aut tempus est. etenim, vt idem Boëtius loco citato inquit. *Quidquid viuit in tempore, id præsens à præteritis in futura procedit: nihilq; est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti.* Hoc idem voluit Philosophus lib. 4. Physicorum text. 117. cùm dixit ea, quæ semper sunt, quatenus semper sunt, non esse in tempore: non enim continentur, aut mensurantur per se à tempore: cuius rei signum ait esse, quod non patiantur à tempore: nam quod totum est, nec motu, nec tempore dilabitur, nec ipsius vicissitudine particulatim decerpitur: excluditur itaque à ratione æternitatis omnis duratio diuisibilis, & obnoxia successioni. Quoniam vero æuum Angeli, & reliquarum substantiarum corruptionis expertium iuxta communiorem sententiam indiuisibile, ac totum simul est, additur diffinitioni æternitatis, vt sit *perfecta*. Hoc autem vel intelligitur ratione independentiæ ipsius æternitatis: quæ ita tota simul est, vt non sit dependens ex alterius causalitate, cuius suspensione possit interrumpi, ac non esse, sicut potest æuum, atque omnis duratio creata: quæ proinde, licet tota simul, ac indiuisibilis esset, adhuc longè distaret ab æternitate: vel intelligitur melius, *perfecta*, hoc est, cui non est possibilis aliqua additio, etenim æuum Angelicum non est perfecta possessio vitæ hoc modo, quoniam vita ipsorum substantialis non est summe perfecta: & ideò perficitur vita accidentali, hoc est actibus vitalibus potentiarum intellectiuarum, qui ne ipsi quidem perseuerant, sed abeunt permanente vita substantiali subdita ipsorum priuationibus, & plerisque alijs imperfectionibus: At vita Dei, quæ est suamet intellectio, ac volitio, est perfectissima: & ideò non variabilis: & consequenter duratio ipsius est perfecta possessio.

Alensis. Albertus. S. Thom.

Alensis. S. Thom.

Ægid.

Boetius.

Aristot.

II. In tradita diffinitione continentur quædam communia æternitati cum æuo Angelorum, & ætate hominum: quædam illi propria: communia sunt, quod sit possessio vitæ, hoc est duratio existentiæ substantiæ viuentis: quamuis enim cæterarum rerum duratio propter dependentiam à prima causa, à cuius perpetuo influxu pendet, non adeò propriè dicatur possessio, tamen quatenus concipitur vt forma habita à re durante, possessio quoque appellari potest: nam eorum quoque possessionem habere dicimur, quæ precario possidemus. Est itaque possessio vitæ idem, quod duratio existentiæ rei viuentis. Propria æternitatis sunt interminabilitas, integritas, & perfectio, siue inuariabilitas, atque independentia: quæ singillatim explicanda sunt, vt ex ipsis colligamus, quantum fieri poterit, exactam notitiam æternitatis. Et quamuis ea, in quibus æternitas conuenit cum durationibus creatis, spectent ad Metaphysicam, & ideò supponenda essent, quia tamen diuersæ sunt opiniones de rerum duratione, quæ etiam suo modo pugnant circa æternitatem, breuiter attingam ea tantum, quæ inseruient ad institutum: deinde ad æternitatem accommodabo, quæ sicut à Boëtio dicitur possessio vitæ interminabilis, ita à Theologis appellatur duratio æterna, quamuis Aureolus repugnet, cuius sententiam, & rationes expendere oportet, antequam ad alia pergamus.

III. Æternitatem non esse formaliter du-

rationem, sed solum vim quandam, qua Deus attingit omne tempus, siue omnem durationem imaginabilem censet Aureol. in 1. d. 9. q. 2. art. 2. quoniam mens, inquit, apprehendens Deum æternũ non concipit moram aliquam, aut durationem, quam illi tribuat, sicut, qui concipit Deum immensum, non debet imaginari circa ipsum distinctionem aliquam, aut magnitudinem permanentem, sed vim quandam, qua potest coexistere omni magnitudini, ac loco imaginabili: quæ vis non est aliud, quam Deitas ipsa: ita quoque intelligendus est Deus æternus, non ex duratione aliqua sibi intrinseca, sed ex vi naturali, qua attingit omnem moram, & durationem imaginabilem. Probat auctoritate, ac ratione: auctoritas est Dionysij, qui cap. 10. de diuin. nomin. exponens, quare Deus dicitur Rex sæculorum respondet: *Quia fecit esse tempora, & æuum existentium: Deus enim non quodammodo est existens, sed simpliciter, & incircunscripte totum in se ipso esse accepit, & præaccepit: propter quod dicitur Rex sæculorum, est enim totius esse, & entis substitutus, vnde ipse est æuum æuorum, qui est ante sæcula: omne quidem æuum, & tempus ex ipso est, & omnis sæculi, ac temporis est præexistens principium, & causa:* Ex quibus patet de mente D. Dionysij Deum nuncupari æternum, quia est principium omnis durationis creatæ: & ideò non denominatur formaliter æternus, quasi contineatur ab aliqua duratione, sed per præsidentiam, quia omne tempus ab ipso est. Eodem etiam cap. asserit Deum vocari antiquum dierum, quia intransmutabilis existens æui, temporis, & dierum est causa. Denique in fine eiusdem capitis ait, Deum laudandum sicut æuum, & sicut tempus, hoc est sicut temporis, & æui causam. Ex quibus patet non agnoscere in ipso Deo rationem vllam durationis, sed solam causalitatem, & præsidentiam super omnem durationem: ex vi cuius illi respondet. Ad idem adducit definitionem æternitatis traditam à Boëtio: sed ex ea nihil colligi potest in fauorem sententiæ ipsius, vt patet: ideoq; illam omitto.

Aureol.

Magn. Dion.

IV. Priorem partem suæ sententiæ, quod nimirum æternitas non sit formaliter duratio, ratione ostendit. Primo, quoniam non est vlla duratio præter tempus: Deus autem non est in tempore, non enim reperiuntur in eo temporis differentiæ, præteritum, inquam, præsens, aut futurum: quare æternitas Dei non est duratio. Maiorem probat, quoniam omnis duratio alteri comparata, vel est æqualis, vel inæqualis: sed æqualitas, vel inæqualitas durationis concipi nequit sine successione aliqua secundum prius, & posterius, quæ in solo tempore reperitur: ergo duratio omnis est tempus. Secundo omnis duratio intelligitur per modum cuiusdam moræ, ac distensionis: hæc vero aut apprehenditur secundũ ante, & post, aut secundũ simultatem, & permanẽtiam: nó secundũ hãc, si secundũ illã necessario interuenit successio: quare duratio omnis cũ tempore reciprocatur. Prima pars assumptionis patet: quia distẽsio, si tota simul sit, quãtumcunque sit maior alia, non erit maior duratio. Tertio omnis duratio habet vnde dicatur tãta, vel tanta: non potest vero ita dici, nisi interueniat ibi aliqua multitudo partiũ sibi inuicẽ succedẽtiũ secundũ ante, & post: in hac autẽ propriè tempus consistit: ergo nó est duratio, quę nõ sit tempus. Assumptio probatur: quoniam, qui apprehendit aliquid plus durasse, quã aliud, apprehendit etiam illud habuisse plus de priore, vel posteriore: nó enim concipere possumus vnũ vixisse plus quam alium, nisi cõcipiamus fuisse ante illum, vel vixisse post illum. Deinde vero probat æternitatẽ nihil aliud dicere ex parte Dei, quã vim attingendi omnẽ durationem creatam: quoniam, inquit, attributa dicunt diuinã essentiam cũ certo connotato: cùm ergo æternitas sit attributũ, significabit essentiam, prout virtute ipsius, nó vero alia superaddita, attingitur omne tempus. Et cõfirmatur à similitudine immensitatis, quæ non ponit in Deo magnitudinẽ aliquam, aut extensionẽ permanentem, sed solum dicit vim, qua Deus attingit omnem locum absque sui extẽsione. Denique omnis duratio formalis includit prius, ac posterius & successionẽ: hæc Deo nó competunt, sed solũ vis attingendi omne prius, ac posterius, ita vt nullum omnino cogitari possit, cui Deus non coexistat: ergo æternitas nihil est aliud, quã vis attingendi omnem durationem.

V. Hac sententia Aureoli continentur tria. Primum est æternitatem, sicut & reliqua attributa, formaliter dicere solum essentiam cum cõnotatione extrinsecæ durationis. Secundum esse vim quãdam, qua Deus attingit omnẽ durationem creatã de facto datam, vel imaginabilem. Tertium denique est vim hanc, siue æternitatem nó esse formaliter durationem. Primum iam impugnaui superius tract. 2. vbi ostendi attributa dicere formaliter perfectiones inexistentes essentiæ diuinæ, ab eaque virtualiter distinctas: & ideò nõ opus est modo repetere eadẽ fundamenta: sed quod de cæteris dictũ est, de æternitate quoque intelligi

debet:

debet: si quid vero facit in particulari difficultatem, circa ipsam inferius expendam. De secundo ac tertio est hic proprius agēdi locus. Pro cuius decisione opus erat prius statuere quid sit propriè duratio, ex cuius natura, & proprietatibus expendendum est an in Deum cadere possit. Verum, quia Aureolus in eo maximè facit vim, quod duratio nō possit esse permanens, sat erit in præsentiarum, hoc tantum examinare relictis alijs ad sua loca. Contraria itaque sententia, quæ durationem abstrahit à successione, ac permanentia, communis est inter Philosophos, & Theologos, qui illā immediate diuidunt in successiuam, & permanentem. *D. Thom.* Fundamentum vero sumitur ex D. Thoma in 1. d. 19. q. 2. art. 1. nā duratio omnis attenditur secundum quod aliquid est in actu, tamdiu enim res durare dicitur quamdiu est actu: dupliciter vero est aliquid in actu: nā vel actus essendi est incompletus, & permistus potētiæ, ratione cuius vlterius procedit in actum, & hic actus est motus, qui *Aristot.* vt ait Philosophus lib. 3. Physic. text. 6. est actus existentis in potentia, prout in potentia est; vel actus nō est permistus potentiæ, nec recipit additionē perfectionis: & hic est quietus, ac permanens. Cùm igitur vnicuique rei propria mensura respondeat, oportet vt secundum naturam mensurati sumatur propria ratio mensuræ: motus, cuius est mensura tempus, habet successionē secundum prius, ac posterius: & cōsequenter duratio motus successiua est: actus autem permanens, cuius mensura est æuum, vel æternitas, non habet huiusmodi successionem: consequenter ergo duratio ipsius nō habebit successionem, vel ordinem secundum prius, ac posterius. Ex quo vlterius infert D. Thom. quemadmodū tempus, quod est mensura motus secundū prius, & posterius, dicitur numerus, quia inuenit ex parte mēsurati plura ratione diuisibilitatis, ac successionis, ita durationem actus completi, & perfecti, cùm non inueniat ex parte numerati successionem, aut multitudinem. Secundum prius, ac posterius, sed indiuisibilitatem, & inuariabilitatem actus, habere modum vnitatis. Ex quo discursu constat ad rationem durationis nequaquam requiri successionem, aut varietatem secundum prius, ac posterius.

VI. *Alensis. Albertus. D. Thom. Caietan. Henric. Richard. Durand. Scotus.* Hoc posito dico. Æternitas est duratio existentiæ diuinæ. Hæc est Alens. 1. p. q. 12. m. 5. ad 1. Albert. in 1. d. 8. art. 8. sacrius & d. 9. art. 1. & 2. S. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. cùm Caietano & in 1. d. 19. q. 2. art. 1. Henrici in sum. art. 31. q. 1. 2. & 3. Richard. in 1. d. 19. art. 2. q. 1. Durand. q. 2. Scot. quodlib. q. 6. art. 1. §. *Contra istud,* Capreoli in 1. d. 9. q. 1. art. 2. ad argumenta Aureoli 4. loco inducta: Petri de Tarantasia apud Carthusianum in 1. d. 8. q. 3. ad 3. Hispal. d. 9. q. vnica art. 3. Notabil. 4. & art. 4. ad 1. ex vlt. loco positis. Abulens. in cap. 11. Iosue q. 22. & 50. Bassolis in 2. d. 2. q. 1. art. 1. Ioann. Viguer. Instit. cap. 3. §. 2. versic. 5. ostenditur vero, quoniam Deo conuenit ratio formalis durationis: nō est vero aliud attributum diuinum, quod sit duratio formaliter: ergo erit ipsa æternitas. Maior propositio ostenditur inprimis, quoniam in sacris literis, cū sermo est de Deo, & eius vita, & regno, vsurpantur nomina, quæ apud nos significant durationem. Iob cap. 10. *Nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui, sicut humana sunt tempora?* Item in Psalm. 101. *& anni tui non deficient.* Mich. 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis eius:* Licet durationes propriè his nominibus significatæ non conueniant Deo, signum est aliquid proportionabile esse in illo, quod scriptura illis significet: hoc autem nō potest esse aliud, quam æterna duratio existentiæ diuinæ. Deinde nihil est comparabile secundum rationem aliquā communē cum alijs, nisi illa modo aliquo participet: Creaturæ autē comparantur cum Deo secundum rationem durationis, dicuntur enim minus durare, vel habere durationē minus diuturnam, quam Deus: debet ergo Deus vendicare rationē communem durationis. Assumptio autem constabit discurrenti per omnia attributa diuina, & consideranti singularum rationes formales. Secundo æternitas est attributum diuinum distinctum à reliquis, nec habet rationem aliam formalem perfectionis, præterquam si dicatur esse duratio actus perfecti existentiæ diuinæ: ergo est formaliter duratio. Maior propositio recipitur communiter ab omnibus Theologis, qui æternitatem numerant vt attributum ab alijs distinctum, deque ea peculiarem tractatum instituunt. Assumptio vero probatur: quoniam æternitas est ipsa permanētia existentiæ diuinæ: at in creaturis permanentia existentiæ habet rationem durationis: ergo etiam æternitas idē habet. Maior probatur ex ipsa definitione Boëtij superius explicata, communi sententia Doctorum, & ratione: quoniam præcisa per intellectū permanentia existētiæ diuinæ dissoluitur ratio æternitatis: non enim concipi potest vita interminabilis tota simul, atque perfecta, nisi cōcipiatur permanentia ipsius vitæ actualis: id autem, quo præciso per intellectum, dissoluitur ratio formalis alicuius, pertinet intrinsece

Capreol. *Tarantas.* *Hispalens.* *Abulens.* *Bassol.* *Viguerius.* *Iob 10.* *Psalm. 101.* *Mich. 5.*

ad ipsum: quare permanentia vitæ diuinæ est ratio formalis intrinseca æternitatis: cumque non pertineat formaliter, & intrinsecè ad rationem formalem alicuius alterius attributi, vt per se patet, est propria ratio formalis æternitatis. Denique id, quo nostro modo intelligendi Deus cõcipitur respondere durationibus extrinsecis, habere debet rationem durationis: Deus vero sola æternitate respondet omni tempori, & durationi imaginariæ: ergo æternitas est duratio. Assumptio probatur, quoniam quæuis alia perfectio diuina intelligitur à nobis habere alium effectũ formalem diuersum ab eiusmodi correspondentia: Nam Deus vita viuit, existentia existit, sapientia sapit, & sic in alijs: sola autẽ æternitate dicitur esse à sæculo, & vsque in sæculum, habere annos à generatione in generationem, & sexcenta alia eiusmodi.

VII. Huic argumento reddi potest duplex solutio. Prima est negãdo maiorem, & adducendo instantiam: quandoquidem Deus immẽsitate sua correspondet omni magnitudini, & loco, & tamen immensitas nõ est magnitudo vel locus: ideoque, quãuis Deus æternitate sua correspondeat omni tempori, & durationi, non requiritur vt æternitas ipsa sit duratio. Tamen hæc responsio non tollit argumenti vim: omnis enim correspondẽtia nititur aliqua similitudine rationum formalium, in quibus fundatur: si enim nulla requiritur proportio, vel adæquatio, cur potius Deus dicitur immensitate respondere omni magnitudini, & loco, nõ vero tempori? æternitate vero respondere omni tempori, nõ autem magnitudini, & loco? Hæc autem similitudo nõ opus est, vt sit vniuoca, sed analoga: est vero in analogis diuersitas: nam quædã cõueniunt omnibus analogatis secundum propriam significationem, quædã vero minimè, sed alijs secundum propriam, alijs autẽ secundum Metaphoricam. Et idcirco contingit, vt ratio correspondentiæ ex vna parte non vendicet propriè nomen, & rationem eius formæ, in qua fundatur ratio correspondentiæ ex alia: aliquando verò potest vtrunque propriè vendicare saltem secundum rationẽ communem. Et hoc modo se res habet in immensitate, & æternitate: nam immensitas quidem non conuenit formaliter in proprio nomine, ac ratione magnitudinis, siue extensionis, cõuenit tamen metaphoricè: immensitas enim diuina dicitur metaphoricè Dei magnitudo, siue quãtitas virtualis ipsius: quoniam ratio propria magnitudinis, siue quãtitatis dicit formaliter imperfectionem, quæ non caditin Deum: ideoque Deus nõ dicitur Magnus, aut quantus propriè, sed metaphoricè: omnis autem metaphora nititur aliqua similitudine, aut saltem similitudinum proportione, duratio autem, quæ est ratio communis tempori, ac durationi indiuisibili, in sua communi abstractione nullã inuoluit imperfectionem: & proinde, quia æternitas proportionaliter se habet ad existentiam diuinam, sicut duratio creata ad creatam, vendicat propriè communem rationem durationis, cùm tamen immensitas nõ vendicet propriè rationem magnitudinis.

VIII. Altera responsio est non repugnare, vt vna forma habeat duos effectus formales, alterum primarium, alterum secundarium: quantitas enim & extendit substantiam in se ipsa, & facit vt correspondeat loco, vel alteri substantiæ quantæ. Ob eamque causam ex eo, quod reliqua attributa habeant alios effectus formales, minimè concludi nullũ ex reliquis esse rationem, qua Deus respondeat durationi rerũ creatarum: quin vero necesse est vt ratio formalis, qua Deus respondet durationi extrinsecæ veræ, & imaginariæ, habeat nostro modo intelligendi effectum alium formalem intrinsecum Deo, in quo fundetur correspondẽtia ipsius ad reliquas durationes. Hæc responsio admittit inprimis conuenire Deo rationem durationis, quod nõ admittit Aureolus: nam si admitteret, minimè negaret eam esse æternitatem. Deinde vero, quamuis concedatur, quod assumit, nempè eandem formam posse habere duos effectus formales, alterum primarium, alterum secundarium, tamẽ opus est, vt primarium sit tale, vt possit esse fundamentũ secundarij: quod nõ competit vlli alij attributo: nam esse sapientem, qui est primarius effectus formalis sapientiæ, nõ est fundamentum respondentiæ diuinæ existentiæ ad durationes alias, idemque patet discurrendo per effectus primarios reliquarum rationum attributalium: quamuis enim omnes concipiantur, si præscindatur ratio permanentiæ interminabilis existentiæ diuinæ, nõ possit concipi in Deo vis, siue fundamentum respondentiæ, vel simultatis cum durationibus extrinsecis: si vero præcisis alijs concipiatur eadem permanentia, hoc ipso potest intelligi Deus sub aptitudinali correspondentia ad alias durationes: sicut igitur adæquatio vnius quantitatis ad alteram fundatur in formali extensione intrinseca, quam tribuit subiecto, ita aptitudo, vt Deus possit correspondere omni tempori nititur in formali ratione durationis intrinsecæ, quæ est ipsa æternitas.

D. Dio

IX. D. Dionysius in contrarium citatus nō negat æternitatem esse durationem, sed solum reddit causam, cur nuncupari queat seculum, ac tempus, quia scilicet est auctor temporis, & æternitatis participatæ, siue æui, quæ duo nomina, vt notat D. Thomas in 1. dist. 19. q. 2. art. 2. apud antiquos non distinguebantur, vt nunc distinguuntur à Theologis: accipiebatur enim æternitas pro æuo, imò & tempore, vt patet ex eodē Dionysio ibidem: quod nō obstat, quo minus Deus verè denominetur formaliter ab æternitate, quę ipse est. Vnde ipsemet Dionys. eodem cap. veram rationem æternitatis, siue sæculi, vt traduxit Latinus interpres, distinguit à duratione rerum incorruptibilium habentium initium, itemque à tempore, quod est duratio motus: quod minimè fecisset, si existimasset Deum non aliter appellari sæculum, siue æternitatem, quam quia est eius auctor: nam subiectum, q̄ denominatur ab aliqua forma propter solam habitudinē causæ ad illam, non vendicat illā formaliter: cùm ergo de sententia D. Dionys. verum sæculum, siue æternitas Dei vendicet aliquas proprietates, quæ minimè cōueniunt durationibus creatis, perspicuum est Deum denominari formaliter, & intrinsecè æternum: non solum quia est causa præexistens omnis durationis creatæ, sed vel maximè, quia habet intrinsecam rationem durationis, cui proprietates illæ conueniunt.

D. Thom.

X. Ad primum neganda est maior propositio, vt patet ex dictis: ad eius vero probationem neganda est assumptio. Æternitas enim, vt ait D. Thomas in 1. d. 19. q. 2. art. 1. ad 2. est mensura excedens omnem durationem, & tamen est indiuisibilis: itaque ad rationem inæqualitatis nō requiritur propriè ratio diuisibilitatis, aut successionis secundum prius, & posterius: quoniam, sicut vnitas, quamuis non sit multitudo, cùm numero comparatur, ita duratio indiuisibilis, quæ se habet per modum vnitatis, vt dictum est de sentētia D. Thomæ, comparari potest secundum rationem æqualitatis, vel inæqualitatis cum tempore, quod est duratio successiua. Quæ ratio sola non diluit argumentum, quoniam vnitas quantitatis permanentis semper exceditur à numero, vnitas autē durationis nequaquam: nam duratio Dei, imò & Angeli, quæ habet rationē vnitatis, excedit quamuis multitudinem temporis successiui: & ideò hæc inæqualitas per excessum fundari nequit in præcisa ratione vnitatis, quæ est minima in ratione mensuræ, vt docet Philosophus lib. 10. Metaphys. cap. 2. Capreol. vbi supra ad primum respondet ad inæqualitatem non requiri propriam diuisibilitatem, aut successionem rei ad alias comparatæ per excessum, sed in rebus ipsis excesis: ex parte vero excedentis requiri, vt totam aliquam attingat, & præterea alias priores, vel posteriores: sicut anima correspondet toti manui, & alijs etiam partibus à manu distantibus: ita æternitas, cùm sit apta respondere cuiuis parti temporis, & præterea alijs prioribus, ac posterioribus, omnes, ac singulas continet, & excedit, quin ipsa habeat rationem prioris, ac posterioris. Potest breuius, & clarius responderi ad inæqualitatem non requiri rationem prioris, ac posterioris, sed solam extensionem virtualem, ac metaphoricam: hanc vero habet æternitas diuina, quatenus absque imperfectione diuisibilitatis, & successionis eminenter continet omnem durationem creatam, cui vnica ratione indiuisibili, & permanente respondet. Hanc solutionem indicat Caietan. 1. p. q. 10. art. 2. §. *Ad hoc breuiter*: Ad secundum neganda est maior: nec enim duratio necessario concipitur per modum distensionis, aut moræ: sed per modum numeri, vel vnitatis, vt dictum est supra ex D. Thoma. Secunda quoque pars assumptionis est falsa, vt notat Capreolus vbi supra in solutione ad secundum: cuius probatio etiam supponit falsum: nimirum durationem, si sit simul tota, non posse dici maiorem altera, cuius oppositum patet ex solutione primi argumenti. Ad tertium neganda est maior absolute: nam datur infinita duratio: at vero tantum, & quantum propriè solum dicitur de finitis: si vero sumatur latè, ita vt applicari etiam possit rebus infinitis, neganda est assumptio: Vt enim duratio sit tanta, vel quanta, non requiritur successio secundum prius, ac posterius, sed sat est virtualis extensio, qua respondeat pluralitati durationum successiuarum, vt dictum est in solutione primi argumenti.

Caietan.

XI. Cætera argumenta, quatenus probant æternitatem esse vim quandam, qua Deus coexistit, ac respondet omni durationi successiuæ, verum concludunt: non tamen quatenus probant hanc vim non habere rationem durationis. Primo igitur respondetur attributa dicere formaliter perfectiones intrinsecas Deitati conuenientes secundum idem nomen, ac rationem analogicam cum creatis: & quamuis pleraque describantur in ordine ad extrinseca connotata, propriam tamen ipsarum rationem nō consistere in sola connotatione iam superius ostendi tract. 2. cap. 6. & tract. 6. c. 7.

Aristot. Capreol.

Capreol.

Porro exemplum immensitatis potius illustrat communem sententiam, quam oppugnat: non placet autem solutio Capreoli vbi supra ad primum ex vltimo loco positis, quatenus ait immensitatem dicere in Deo magnitudinem virtutis: immensitas enim, prout afficit virtutem, aut omnipotentiam diuinam, est idem quod infinitas potentiæ, de cuius ratione solum est, vt in genere potentiæ nó habeat terminum: hoc vero non pertinet formaliter ad immensitatem, secundum quam Deus comparatur ad locum: quamuis itaque immensitas non sit magnitudo molis, est tamẽ excellentior: nam concipitur à nobis, tanquã magnitudo Dei metaphorica, qua ita est in se, vt possit respondere omni magnitudini, ac loco: eodemque modo æternitas concipitur vt duratio interminabilis, tota simul, atque perfecta existentiæ diuinæ, ratione cuius est apta correspõdere successioni temporum, quæ eminenter continet. Et sicut immensitas est magnitudo Dei, nõ tamen extensiua, ita æternitas est duratio ipsius, nõ tamẽ successiua, nec de genere vnitatis, aut numeri quantitatiui, sicut etiam immensitas nõ est magnitudo de genere quantitatis. Vltimum argumentum assumit falsum: scilicet omnem durationem formalem: includere prius, ac posterius secundum durationem, cuius oppositum tenet communis sententia Doctorum.

Quæ sit propria ratio formalis durationis.

Caput III.

I. EX superiore capite cõstat æternitatem esse durationẽ existentiæ, siue vitæ diuinæ: nunc explicari oportet, quæ sit eius propria ratio formalis, sub qua distinguitur à vita. Qua de re est magna sententiarũ varietas, sicut est circa distinctionem durationis ab esse actuali rei durantis. Præcipuas explicabo, vt elũceat, quænã sit propria ratio æternitatis, quatenus est duratio, & ab existentia diuina distinguitur. Quidam censent durationem esse positiuam permanentiam rei in existendo: qui auctores supponunt rem non durare, si tantum sit in instanti: quandoquidem durare, vt verbum ipsum sonat, permanentiam aliquam in existentia, vel actione inchoata significat: & quemadmodum productio, & cõseruatio sunt idem ex natura rei & sola ratione distinguuntur, quatenus illa procedit à nõ esse, hæc vero præsupponit esse habitum, ita existentia solum dicit actualitatem rei extra suas causas absolute non connotando vllam proprietatem, duratio vero dicit perseuerantiam in præhabita existentia: & ita non distinguitur ab illa re ipsa, sed sola connotatione prioritatis, siue præexistentiæ. Fauere videtur D. Thomas in 1. d. 19. S. Thom. q. 2. art. 1. ad finem corporis, vbi ait permanentiam actus, secundum quod intelligitur in ratione vnius, quod habet rationẽ mensuræ, complere rationem æui, & æternitatis: idemque ferè repetit in 2. distinct. 2. quæst. 1. art. 1. ad quintum, dum ait æuum esse vnitatem permanentiæ actus, qui est esse, vel operatio creati, & similiter æternitas increati, & Caietan. 1. p. quæst. 10. Caietanus. art. 2. §. *Circa vim:* hisce verbis, *quia namque retinet esse durat res, & non ob aliud:* retentio vero supponit esse præhabitum rei quæ retinetur: & ita sentire videtur durationem consistere in permanentia esse præhabiti: Probatur auctoritate Boëtij lib. 1. Boetius. de Trinitate cap. 9. communiter recepti à Theologis asserentis, nunc stans facere æternitatem, sicut nunc fluens facit tempus. Sed nunc fluens est prius tempore, & ab eo præsupponitur: ergo etiam nunc æternitatis supponitur ad ipsam: & consequenter æternitas est duratio, hoc est permanentia vitæ diuinæ, quæ nostro intelligendi modo præsupponit ipsum esse diuinum. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: non est autem opus addere existentiæ entitatem aliquam positiuam, qua formaliter durare dicatur: ad hoc enim sat est ipsamet non interrupta persistens: nam durare nihil est aliud, quam in eadem existentia perseuerare: ex quo recte sequitur sufficienter concipi rationem durationis concepta existentia præhabita cum negatione desitionis absque alia ratione formali entitatiua.

II. Duo sunt capita huius sententiæ. Primum, quod duratio non distinguatur entitatiuè ab existentia: alterum quod distinguatur solum per negationem inceptionis prò eodem spatio temporis, quo durat, vel per suppositionem eiusdem existentiæ præhabitæ. Et quidem, si duratio non sit aliud, quam permanentia existentiæ præhabitæ, recte asseritur constitui per huiusmodi negationem, & suppositionem: etenim permanentia existentiæ non est aliud, quam existentia ipsa cum negatione desitionis, & suppositione præteritæ inceptionis: quod enim iam antea cœpit, nec deficit, aut definit, perseuerat in sua existentia: quod sufficit ad completam rationem permanentiæ cuiusque rei in sua existentia. De secunda parte huius sententiæ

dicam

dicam hoc loco, inferiùs autẽ de prima. Vt aũt pateat quid dicendum sit, obseruandũ est nõ esse faciendam vim in vulgari vsurpatione vocabuli, quod translatum à propria acceptione vulgi sapientes accommodant alicui rerum generi significando: & idcirco non esse curandum, an iuxta communẽ vsum vulgi nomen *duratio*, significet permanentiã esse prẽhabiti, nec ne? Sed attendendum aliquid primo, & adæquate significandũ vsurpetur à sapientibus: nam, si primùm cõsideretur, non solum significat permanentiam, sed distensionẽ quandã rei permanentis: ideo enim Boetius, vt notauit D. Thom. in 1. d. 8. q. 2. art. 1. ad 6. in diffinitione æternitatis non adhibuit loco generis nomen, *duratio*, sed *possessio*, ne sentire videretur distendi Deum æternitate, sicut res corruptioni obnoxię tempore distenduntur: & tamen Doctores cõmuniter æternitatem durationẽ Dei appellant. Duratio vero à Theologis vsurpatur pro abstracto prædicamenti, quando in consideratione analogica cõmuni Deo, & creaturis: quæ est forma constituens rem formaliter durantem, seu existentem in tẽpore, hoc est aliquando: tempus enim latissimè sumptũ reciprocatur cum duratione, siue cum abstracto prædicamenti, quando sic enim illud Apostoli ad Rom. vlt. vocantis æterna tẽpora interpretantur de ipsa æternitate: S. Thom. & Lyran. ibidem: & Deus dicitur apud Daniel. c. 7. *Antiquus dierum:* Et Iob. c. 10. *Nunquid sicut dies Hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tẽpora?* quod abstractũ semper inuoluitur, quoties fit responsio ad quęstionem quando: & respondetur per aduerbia temporis, *nunc, antea, postea*, & similia: quemadmodum abstractũ loci inuoluitur quotiescunq; respondetur ad quæstionẽ vbi est per aduerbia, *hic, illic, supra, infra*, &c. non enim rectè respondetur ad quæstionem quando, nisi per differentiã, vel speciem aliquam participem illius rationis formalis communis, de qua fit interrogatio: quemadmodum in aliis prędicamẽtis conspicuũ est: nam, si quis rogatus quantus fuerit Alexander, respondeat fuisse album, vel rogatus, vbi sit natus, respondeat natum sexta Olympiade, inepte respondebit: quoniam ad quæstionem de quantitate, respondet per qualitatem, & ad quæstionem vbi respondet per tempus.

Boet. S. Thom.

ad Rom. vlt. S. Thomas. Lyranus. Daniel. 7. Iob. 10.

III. Hoc posito dico primum. Duratio, vt à sapientibus vsurpatur pro abstracto, siue ratione formali cõmuni quando, non consistit in permanentia existentiæ prẽhabitæ. Hæc assertio est de mente omnium ferè Antiquorum, qui diuersas alias assignant rationes formales durationis: neque eam collocant in permanẽtia, siue persistentia eiusdẽ esse prẽhabiti: neq; vt res duret, exigunt eius præexistentiam. Suadetur autẽ, quoniã ratio formalis prędicamenti quando distinguitur à rationibus cęterorũ prędicamentorum, vt patet: permanentia vero, vt superius explicata est, non est distincta à rationibus singulorum prædicamentorum: ergo ratio formalis durationis nõ consistit in permanentia. Assumptio constat, quoniam permanentia existentiæ est idem cum illa, solumq; distinguitur ab ea accidentaliter: ergo, sicut existentia non constituit proprium prædicamentum, sed pertinet ad illud, in quo reponitur res, cuius existentia est, ita quoq; permanentia: & ideo sicut existentia substantiæ reducitur ad prædicamentum substantiæ, & existentia quantitatis ad prædicamentum quantitatis, ita permanentia existentiæ substantialis pertinet ad genus substantiæ, & sic in cæteris: ergo fieri nequit, vt permanentia existentiæ sit ratio formalis propria alicuius prædicamenti. Et confirmatur, quoniã ipsamet conseruatio, quę in exemplum adducitur non est aliud, quam permanentia quædam actionis creatiuæ, & ita pertinet ad genus actionis, nõ vero durationis. Cõfirmatur etiam, quoniam permanentia in possessione aliarũ formarum non pertinet ad propriũ, ac peculiare genus, sed ad genera singularum formarum: v. g. permanentia in loco, non est distincta ab ipsa prima existentia in loco, sed pertinet ad prædicamentum loci, permanentia in magnitudine pertinet ad genus quantitatis, & sic in cæteris: ergo permanentia existentiæ non constituet per se peculiare genus, sed pertinet ad eadem, ad quæ pertinent res, quarum est permanentia. Secundo præcisa ratione permanentiæ secundum existentiam potest intelligi ratio prædicamenti quando: ergo duratio, quæ est ratio formalis huius prędicamenti, non consistit in permanentia existentiæ. Consequentia est manifesta: nam cõcipi nequit genus vllum, vel species illi subiecta præcisa eius ratione formali: Antecedens vero ostenditur, quoniam apta responsio ad interrogationem alicuius prædicamenti non redditur nisi per speciem aliquam, vel differentiam eiusdem: potest vero, & solet responderi ad quæstionem quando, non habita ratione permanentiæ: imò, etiamsi à parte rei non sit: nam, si quis roget quando incarnatio facta est, rectè respondebitur factam in instanti, quo B. Virgo præbuit assensum suum: & tamen

pro illo instanti non poterat concipi permanentia, quæ connotat negationem inceptionis: siquidem ea, quæ complentur in instanti, vt incarnatio, simul sunt, atque incipiũt: & pro illo instanti loquitur Paulus ad Galat. 4. cum ait: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, &c.* Vox vero illa *vbi*, idem valet, ac quãdo: item creatio est in aliqua duratione, & tamen non nisi in momento existit: ergo duratio non dicit respectum ad inceptionẽ prꝛteritam, vel ad existentiam prꝛhabitam. Patet antecedens, quoniam Genes. 2. dicitur: *istæ sunt generationes cœli, & terræ quando creata sunt*: denique si permanentia requiritur ad durationem, ineptè quæritur, quando hoc, vel illud incipiet: nã interrogatio per aduerbium, *quãdo*, durationẽ petit, quod vero incipit, nondum habet permanentiam: quare, si hæc pertinet intrinsece ad durationẽ, inceptio non est in duratione: atq; adeo inepte petitur, quando hoc, vel illud incꝛpit, vel incipiet: & tamen Marci 5. dicitur: *quando hæc omnia incipient consummari*, nec minus solemus interrogare quando res finienda sit, in fine vero non est permanentia. Tertio tempus verè habet rationem durationis, nõ tamen permanẽtiæ: nam permanens, & successiuũ sunt differentiæ oppositæ, vt patet apud Philosophũ cap. de quantitate: ergò duratio non consistit in ratione permanentiæ. Respondent permanens hoc modo nõ sumi, prout pertinet ad genus quantitatis, sed prout excludit desitionẽ, & interruptionẽ: quomodo conuenit etiã rebus successiuis, quæ durant eædem in indiuiduo secũdum successionẽ variarum partiũ: nam motus, qui semel cœpit, quamdiu non desinit, durare dicitur. Hꝛc responsio probat quidem motum dici durare, quod nemo negat: nõ vero defendit quomodo duratio distinguatur solum ratione ab existentia rei durantis eo, quod sit permanentia esse prꝛhabiti: nam, quamuis motus successiue duret per partes, nihil tamẽ in eo est, quod idem prorsus perseueret in esse prꝛhabito: & proinde in ipso duratio non potest distingui ab existẽtia per connotationẽ eiusdem esse prꝛhabiti: quandoquidem in partibus temporis non est fas concipere prꝛcessisse aliquod esse, & permanere, sed hoc ipso, quod est, transit: & proinde non retinetur ratio durationis, si ea consistit in permanentia eiusdem esse; idem cõfirmat communis modus loquendi Doctorum sumptus à Boetio vbi suprà, qui in omni duratione concipiunt aliquod nunc, & vocant nunc temporis, nunc ęui, nunc æternitatis: quod pertinet ad genus quando, nec de se inuoluit permanentiam, sed solum significat durationẽ indiuisibilem, siue cum inceptione, siue post illam: qui enim dicit, Angelus nunc est, minimè curat, vtrum nunc primum sit, an vero iam fuerit: sed solum quod habeat existentiam pro duratione illa indiuisibili, quæ significatur per aduerbium *nunc*: nam, si eo ipso instanti, quo Angelus creatus est, quis diceret, Michael existit in instanti B. prꝛdicaret de illo aliquid præter existentiam: nã si solam existantiam prædicaret, semper quamdiu existeret verum esset dicere, quod existat pro illo instanti B. quod est falsum, quoniam iam transijt: aliquid ergo prædicatur per aduerbium *nunc*, quod non est sola existentia, aut permanentia ipsius: potest ergo concipi duratio absq; permanentia: Et confirmatur quoniam omnis actus, & omne esse durat: sunt vero quidam actus, qui nonnisi in instanti fiunt: cùm ergo in instanti non sit permanentia existentiæ tunc acceptæ, hæc non est de ratione durationis.

Respondebitur ad hoc argumentum, & ad cætera huiusmodi, quæ fiunt de instantibus, nihil posse existere tantum per instans: & idcircò, licet res aliquæ incipiant intrinsece in instanti, necessario post illud permansuras aliquandiu in suo esse, & ita non habere durationẽ in instanti, sed post illud: incipere tamẽ in illo quasi in principio durationis, quod imperfectè reducitur ad genus quãdo, tanquã terminus durationis: quæ propriè est ratio formalis prædicamenti quando: quemadmodũ punctũ reducitur ad genus quantitatis. Hanc responsionem, quoad vltimam eius partem attigit Richard. vbi suprà: Ea tamen supponit vnum meo iudicio falsum: nam in quouis instanti motus continui mobile est sub tali dispositione formæ, sub quali non ante, vel post instans: v. g. in calefactione peruenitur ad intensionem quatuor graduum: quæ, si motus continuetur vlterius solum habetur pro instanti indiuisibili, ante quod erat minor, & post quod erit maior: ita, vt verum sit dicere, nunc est intensio caloris, vt quatuor, & immediate antea non fuit, nec immediate post erit, quod in motu locali euidentius est: nam in quouis instanti est corpus in certo loco sibi adæquato, in quo non est vnquam in toto illo motu: Et proinde, si rogetur quando fuit Socrates in tali loco, respondeti potest in hoc, vel illo instanti, & tamen illud non fuit initium permanentiæ in loco, quia Socrates, cum con-

IV.

Richard.

tinue

tinue moueretur: immediate post illud instans non fuit in eodē loco: prēterea incarnatio, conuersio sacramētalis panis in corpus Christi, remissio culpæ, & infusio gratię per absolutionem sacramentalem, productio characteris per sacram ordinationem, & sexcenta alia non nisi per instans fuerunt: nam quamuis quædam dicantur manere reipsa, tamen sub eadē omninò ratione formali nequaquā manent: cum itaq; interrogari queat quando Verbum diuinū est incarnatū, quando panis conuertitur in corpus Christi, &ad has quęstiones respōderi per verba significantia durationem, profecto ea nō consistit in permanētia, cuius expertes sunt res, de quibus fit quęstio: si verò fieri non potest naturaliter, vt res duret tantum per instans, saltem non repugnat fieri virtute diuina: cur enim Deus nō posit immediate post instās creationis desistere à conseruatione Angeli? tunc vero, si Deus id faciat, rogo num Angelus ille aliquando fuerit, respondebit alter Angelus, cui nota sit eius creatio, fuisse in instāti B. ac proinde reddet formā pertinētem ad genus quando, siue durationis: cum tamen nulla permanentia interceſſerit. Hęc argumenta apertè cōuincunt primam partē responsionis: secunda vero adhuc nō videtur impugnata: nam dicet aliquis instās, & alia indiuisibilia spectātia ad genus durationis esse imperfecta in eo genere: & ideo non opus esse, vt dicant permanentiā, sed initiū ipsius. Quæ respōsio in facta hypothesi de creatiōe, & annihilatione Angeli nō habet locū, siquidē nunc æui Angelici nō differt ab æuo, hoc vero cùm sit indiuisibile totū, est perfectissime in quouis instāti, nec aduenit post instans creationis: quare, si in eo instanti dicitur esse tanq; sub forma aliqua prædicamenti quanto, ea nō est imperfecta, & incōpleta, sed cōpleta, atq; absoluta: semper enim est tota simul, etiam quando respōdet ipsi nunc tēporis indiuisibili. Est vero longè diuersa ratio in punctо, & nunc indiuisibili tēporis: nam punctum nō afficit illum subiectum per se primo, & adæquate, sed inadæquate ratione partiū, quas copulat: neque ad quęstionem, qua petitur quanta sit substantia, respōdetur per concretū puncti: at ipsū nunc potest per se adæquate afficere aliquod esse, & respondetur ad quæstionē quādo res est, vt patet ex dictis: & idcirco participat formaliter ipsā rationē communem durationis: nō participaret aūt, si solum pertineret ad illam reductitie tanquam pars proprię durationis.

V. Dico secundum. AEternitas non cōsistit formaliter in permanentia vitæ diuinæ. Hæc apertè deducitur ex prima: nā, si ęternitas est formaliter duratio vitę diuinæ, vt cōstat ex c. 2. & duratio nō consistit in permanentia existentiæ actualis rei durantis, neq; æternitas, qua æternitas, in ea cōsistit. Deinde verò ostēditur ex propria ratione ipsius æternitatis, quoniā permanentia esse præhabiti non potest intelligi sine ratione prioris, ac posterioris: hæc repugnat stabilitati, & indiuisibilitati æternitatis: ergo permanentia nequit esse de ratione ęternitatis. Maior propositio ostenditur, quoniā esse præhabitum nequit connotari, nisi intelligatur antecessio eius ad permanentiā, non solum prioritate naturę, tūc enim quę in instanti incipiunt, dici possent durare in eo, quod non admittunt Autores oppositæ sententiæ: sed etiā prioritate durationis, ita vt verum sit dicere id, quod permanet, est modo, & antea fuit: in hoc aūt necessario inuoluitur ratio prioris, ac posterioris. Respondebit aliquis æternitatem esse permanentē, ac indiuisibilem quoad positiuū, quatenus scil. est vita Dei, non vero quoad connotatū: at vero ipsā permanentiam solum includere successionē in connotato, quatenus supponit fuisse iam prius tempore illud esse, cuius duratio est. Contra obijcitur primo, quoniam perfectiones diuinæ absolutæ sunt perfectę, & cōpletæ secundū proprias rationes formales in eo priore, quo antecedunt creatas ab ipsis exemplatas: ęternitas ergo, cum sit perfectio absoluta prior tempore, & quauis alia duratione creata, cuius ipsa exemplar est, habet rationem cōpletam durationis absque habitudine ad tempus: atq; adeo cōnotatio tēporis nō est ipsi essentialis, & cōsequenter neq; permanentia, q̄ intelligi nequit absq; ordine ad tēpus. Secundo successio includitur intrinsece in ipsa permanentia, non quidē secundū materiale vitæ, cuius dicitur permanentia, sed secundum respectus, quibus cōpletur in ratione permanentiæ: nam hi variātur iuxta variabilitatem desitionum, quibus permanentia interrumpi potest: atq; adeo permanentia, etsi nō dicat vnum esse post aliud, vt tempus, ac motus, dicit tamen idē esse quasi succedēs sibi ipsi iam prius existenti, quod apertè videre est in Angelo: Nam, si modo Lucifer vertatur in nihilum, vere quis post aliquot annos potest asserere illum non habuisse æqualē permanentiam in sua existentia, ac cæteri Angeli: id vero non est ob defectum existentiæ ipsius indiuisibilis, sed quoniam permanentia, vt sic inuoluit rationem, siue ordinem prioris, ac posterioris: quo finito per desitionem Angeli in aliquo

instanti,

instanti, definit permanentia, quia pro instanti desitionis existentia Angeli in nihilum versi, cùm iam non sit, nõ habet ordinem posterioris ad se ipsam præhabitã, nec prioris ad seipsam post idẽ instans habendam. Deniq; si ita sumatur ratio durationis, Deus ipse nondum habet permanentiã vitæ sempiternæ: hoc verò est absurdum, & contra cõmunem doctrinam Patrũ, atq; Doctorũ, qui volunt ꝑternitatẽ esse totam simul, & perfectã, & nihil ipsi deesse: quare nõ est cõstituenda in eiusmodi permanentia: Maior propositio probatur, quoniam æternitas in hoc instanti nõdum habet respectus rationis, quos habebit tẽpore futuro ad se ipsam nunc habitã: atq; adeo ipsa perfecta, atq; indiuisibilis in se iuxta temporũ decursus formaliter dicetur ꝑmanere, hoc est persistere in proprio esse ꝑ eiusmodi respectus ad se ipsã præhabitam: hi verò pro temporũ varietate variantur: adeo vt, si per impossibile fingamus diuinam essentiã raptim trãsire, ac definire, nunc nõ foret verum dicere id, quod ait Apost. ad Hebr. 1. *Ipsi peribunt, tu aũt permanebis*: quandoquidẽ, vt ex ipsa Apostoli cõtrapositione constat, qui perit, non permanet: Et ratio huius est, quoniã permanentia dicit negationẽ actualis desitionis: & sicut in quouis momento esset diuersa desitio, ita quoque est diuersa negatio: & ex huius successione permanentia quoq; successiua est: nõ quidẽ quoad ipsum positiuum, quod permanet, sed quoad respectus aut negatiões, quibus formaliter cõpletur in ratione permanentiæ: Nemo verò vnquam dixit in proprio conceptu æternitatis, quo ab alijs distinguitur, inuolui successionem.

Ad Hebr. 1.

VI. *S. Thomas.*

Porrò D. Thom. in contrariũ adductus non fauet oppositæ sententiæ: nam locis citatis nõ vsurpat permanentiã, prout opponitur desitioni, sed vt opponitur successioni: vt videre est apud ipsũ in 2. loco, siquidẽ in argumento, cui respondet, obiecerat omnẽ mensurã durationis creatæ esse diuisibilẽ: & idcirco æuũ debere esse successiuum, respondet aũt non sequi, quoniã successio sequitur in tempore ex motu, per quẽ fit successio: quæ ratio nõ cernitur in ꝙuo, aut ꝑternitate: & subdit hęc verba: *Sicut enim tẽpus est numerus prioris, ac posterioris in motu, ita etiam & æuum est vnitas permanentiæ actus, qui est esse, vel operatio creati, & similiter æternitas increati*: Ex quibus patet D. Thõ. opponere permanentiã successioni tẽporis secundum prius, & posterius, nõ vero desitioni: Caiet. aũt vtitur verbo *retinet* prout valet idẽ, ac tenet, siue habet, iam verò Boet. vt illũ interpretatur: D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. ad primum: & Caietan. ibidem, nõ loquitur de eo, quod re ipsa fit, sed secundũ apprehensionem nostrã: nam, sicut non aliter cõcipimus tempus, q̃ apprehendendo nunc indiuisibile fluere successiue, ita non aliter apprehendimus æternitatẽ, quã concipiendo nunc indiuisibile permanens, ac fixũ: ibi tamen nõ est reipsa aliq̃d nunc ab æternitate distinctũ, aut prius illa. Iam verò fundamentũ sumptum à vulgari vsu vocabuli infirmum est: quandoquidẽ, vt patet ex dictis, verbum *durare*, accipitur aliter à sapientibus: itaq;, quamuis existentia, & perseuerantia ipsius, sola ratione distinguantur, non proinde duratio in permanentia consistit. Ad argumentum neganda est assumptio: etenim, cum durare, atq; existere formaliter sint diuersa, vt res dicatur durans, opus est forma ratione distincta ab ea, qua dicitur existens: ad hanc aũt diuersitatẽ denominationis nõ sufficit permanentia, vt probatum est; requiritur ergo alia forma positiua, vel negatiua ab existentia distincta, quæ constituant rem formaliter durantem.

Ratio formalis durationis non est proprie, ac formaliter quanta sed metaphoricè; vel identicè.

Caput IV.

QVæri deinde potest vtrum duratio, & consequenter æternitas, quatenus duratio est, sit forma intrinseca, & absoluta rei durantis, an verò extrinseca, vel saltẽ compleatur habitudine aliqua extrinseca. In primis autẽ habere rationẽ quantitatis, sumi videtur ex August. lib. 12. de Ciuitat. cap. 12. vbi vocat annorũ quantitates, & tẽporis spatium appellat magnitudinem. Ad idem facit Basil. lib. 1. contra Eunom. versus finem vbi reprehendit eũ, quod tẽpus appellauerit, *qualẽ quendã motum stellarũ*: & addit, *non. n. qualem, sed si stellarum motus est, quantum potius erat dicendum*: suadetur autem, quoniam proprietates quãtitatis conueniunt durationi: est enim diuisibilis finita, vel infinita, secundum eam res dicuntur magnæ, vel paruæ, æquales, vel inæquales: nam tempora in plures partes secamus: sæcula finita, vel infinita dicimus: vitam breuem, vel longam, Homines alios iuniores, alios coꝰtaneos, alios seniores appellamus: deniq; ipsũ esse rerũ durationẽ metimur: esse vero mensuram maximè proprie spectat ad quantitatem: quare duratio habet rationẽm quantitatis. Secundo ita se habet res existens in tẽpore ad tẽpus,

I.

Augustin.

Basilius.

vt res

vt res exiſtens in loco ad locum: ſed res exiſtens in loco habet quantitatẽ intrinſecã, ratione cuius cõmenſuratur loco: ergo & res durans habebit quãtitatem intrinſecã, ratione cuius cõmenſuratur tempori: Et confirmatur, quoniam tẽpus à Philoſopho in prædicamentis cap. de quantitate recenſetur inter ſpecies quantitatis: ergo etiã id, ratione cuius res exiſtens illi commẽſuratur, ad idem genus pertinebit: quæ .n. pertinẽt ad diuerſa genera, nequaq̃ commenſurantur. Deniq; vt ait D. Thom. in 1. d. 8. q. 2. ar. 1. ad 6. duratio dicit quandã diſtenſionẽ, quam Henric. quodlib. 5. q. 13. lit. B. Aureol. in 1. d. 9. q. 2. art. 1. & alij Autores moram appellant: moram vero, ac diſtenſionem ſine diuiſibilitate concipere non poſſumus: diuiſibilitas autem non reperitur ſine quantitate: quare duratio pertinet ad genus quantitatis.

Ariſtot. *D. Thom.* *Henricus.* *Aureol.*

II. Quantitas, vt ſumitur ex S. Thom. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 1. alia eſt propria, alia virtualis, & metaphorica: illa cõſiſtit in multiplicitate partiũ, quã ſequitur diuiſibilitas: hæc in virtuali quadã extẽſione, ſiue multiplicitate partiũ virtualiũ. Prima nõ reperitur abſque veris, ac realib. partibus: poſterior, quamuis veras partes interdũ admittat, nõ tamen exigit: nam quantitas metaphorica põderis, & aliarũ qualitatũ, quę ſunt capaces intenſionis, ac remiſſionis, habet partes graduales, in gradibus vero ſubſtãtialibus nequaquã: differentia. n. ſpecifica hominis habet quantitatẽ metaphoricã perfectiõis eſſentialis, nec tamen admittit vllã diſtinctionẽ, aut vetitatẽ partium actualiũ. Si ergo propoſita ſentẽtia intelligatur de duratione in tota ſua latitudine analogica, ſub qua cõtinetur duratio vitæ diuinę, angelicæ, & exiſtentiæ cęterarũ omnium rerũ, & nomine quantitatis accipiatur vera, & propria ratio quantitatis prædicamentalis, eſt omnino falſa. Ratio eſt, quoniam propria ratio formalis analogica debet competere omnibus analogatis: propria vero ratio quantitatis nullo modo cadit in Deum, vt fuse oſtendã lib. 4. tract. de perfectionibus diuinis: nunc breuiter probatur, quoniam ratio partiũ propria quãtitati nullo modo cadit in rẽ omnino ſimplicẽ, qualis eſt duratio vitę diuinæ: idem quoq; patet in æuo Angelorum, q̃ iuxta veriorẽ ſententiã eſt expers partiũ, & indiuiſibile. Si verò quantitas metaphoricè accipiatur, non ineptè poteſt duratio appellari quantitas, cũ cut. n. attributa quantitatis metaphorice tribuũtur durationi, vt patet ex argumẽtis initio adductis, ita etiã quantitas ipſa metaphorice dici poteſt de eadẽ. Verum, quę ſubeunt aliquam denominationẽ metaphoricam, habere debẽt aliã propriã, in qua fundetur metaphorica: quod .n. non habet vllã propriã rationẽ formalem entitatiuã, nihil eſt: Et ideo oportet indagare propriã rationẽ durationis, qua duratio eſt. Et quoniã res creatæ notiores nobis sũt, dicam de ratione durationis creatæ: hac enim explicata, conſtabit, quænam ſit ratio diuinæ: inter creatas verò omniũ manifeſtiſsima eſt tẽpus, p̃ reſpectũ ad quod cęteras cõcipimus.

D. Thom.

III. Illud certum eſt, tẽpus quatenus ſpectat ad prædicamentũ, *quando*, nequaquam eſſe ſpeciẽ quantitatis, hoc .n. eſſet confundere rationes formales prædicamentorum. Sed ſola dubitatio eſt, vtrũ, ſicut locus eſt identice ſuperficies, & cõſequenter quantitas, q̃ ſub habitudine cõtinentis dicitur locus, & afficit, ac denominat locatũ, ita tempus ſit identicè ſpecies aliqua quãtitatis, quæ quatenus cõtinet, vel mẽſurat eſſe rerũ corruptibiliũ, dicatur duratio. Illi, qui tempus, ac motum reijciunt à prædicamento quantitatis, negatiue reſpondent: tẽpus enim, vt pertinet ad prædicamentũ, *quando*, non eſt idẽ per ſe cum alia quantitate, quæ habeat rationẽ continentis, ac mẽſurantis vitã, aut exiſtentiã rerũ: ſola enim ſupereſt magnitudo, qua illa minimè menſurantur. Mihi verò multo probabilior eſt ſententia, q̃ ſaltem motum reuocat ad quantitatẽ: nam cõtinuitas omnis pertinet ad genus quantitatis, continuitas aũt ſucceſsiua nulli alteri rei, q̃ motui per ſe primo cõuenit: quare is pertinet ad genus quantitatis. Aſſumptio cõſtat: quoniam, etſi in motu locali poſſumus recurrere ad continuitatẽ ſpatij, ſupra q̃ fertur mobile, ex quo vult, Ariſtot. li. 5. Met. c. 13. t. 19. deſumi continuitatẽ motus localis, tamẽ in motu alterationis hoc minimè cernitur, aut requiritur: ſi enim ſupponamus totũ aliquod corpus ſine interm iſsione alterari, in toto illo, ac ſingulis ei⁹ partibus, datur motus cõtinuus ſecundum ſucceſsionẽ, non ratione continuitatis partium corporis: non enim partes ſucceſsiuæ alterationis neceſſario tranſeunt ſuper diuerſas partes mobilis, ſed in eadẽ ſibi parte ſuccedunt: ergo cõtinuitas ſucceſsionis nõ ſumitur à cõtinuitate corporis, quod alteratur: atq; adeo cõuenit per ſe primo motui, q̃ proinde eſt quãtus per ſe: Cùm vero communis opinio aſſerat tẽpus eſſe, vel intrinſecã quandam diſpoſitionẽ, & menſurã motus, vel ipſum motum prout extrinſece denominat exiſtentiam rerum corruptibilium, ſi motus pertinet ad prædicamẽtum quantitatis, tempus quoque ad idem ſaltem identice, & materialiter pertinebit.

Ariſtotel.

Qua

IV. Qua sententia suppositâ explicari potest ratio durationis sumpta similitudine à ratione loci, qua vtitur Aristoteles lib. quarto Physicorum capi. 12. t. 117. nam, quemadmodũ locus materialiter, & identice est aliquid pertinens ad prædicamentum quantitatis, formaliter vero addit habitudinem continentis ad corpus locatum, ita tempus quatenus est duratio mensurans rerum existentiam, materialiter quidem est quantitas per se extensa, addit vero habitudinem continentis, ac mensurantis ea, quæ sunt in tempore: Et quemadmodum ex parte loci, & locati datur fundamentaliter quantitas, ratione cuius sibi inuicem respondent, & adæquantur, & locatum habet veram magnitudinem, ratione cuius est repletiuum loci, ita ex parte eorum, quæ per se primo immediate mensurantur, & continentur tempore, datur quantitas materialis eiusdem rationis cum ea, quæ datur ex parte temporis: nam, sicut in primo mobili, in cuius motu constituitur ratio temporis, est successio continua, ita quoque reperitur in singulis corporibus, quæ mouentur: nam quæcunque entitas, ac formalitas datur in motu primi mobilis, reperitur etiam in motibus corporum reliquorum, si excipiatur habitudo cõtinentis, quę nõ datur in motibus inferioribus respectu primi; & sicut in loco præter superficiem ambientem, & continentem concipimus spatium replendum à locato: ita in ipso quoque tẽpore concipimus spatium quoddam, siue interuallum successiuum, quod occupat motus inferiorum, quo nomine appellatur à Magn. Basilio, vbi supra Nazianzen. orat. 3. de Theologia, quæ est in ordine 35. post initium, & oratione tricesimaoctaua, quæ est de Natiuitate ante medium, & quadragesimasecunda, quæ est 2. in Pascha etiam ante medium: & quemadmodum in loco non solum sunt corpora quanta, sed etiam substantiæ immateriales, ita quoque in tempore: Et sicut substantiæ immateriales non habent propriam quantitatem, ratione cuius adæquentur loco, sed virtualem, ratione cuius sunt in maiore, vel minore loco, ita etiam per se non habent propriam quantitatem successiuam, ratione cuius adæquentur loco, sed virtualem, ratione cuius ipsi coexistant, & nostro modo intelligendi sint repletiuæ spatij successiui temporis labentis. Denique, quemadmodum, vt aliquid sit in loco, non est satis habere quantitatem propriam, vel metaphoricam repletiuam loci, nisi per eam actu cõstituatur in loco, ita vt dicatur esse in tempore, non sufficit habere quantitatem virtualem duratiuam, ratione cuius res possint coexistere tempori, nisi actu coexistat: quâ de causâ, vt inferiùs patebit, quamuis Angelus habeat propriam durationem intrinsecam naturaliter interminabilem à parte posteriore, si per miraculum substrahente Deo concursum, quo illum conseruat, nunc esse desinat, non dicetur coexistere tempori crastino, quia deest actualis correspondentia durationis propriæ ad tempus crastinum.

Basilius. Nazianz.

V. Vnum tamen est discrimen inter tempus, ac locum: nam locata, qua præcisè considerantur in se ipsis, nec comparantur ad alia corpora, quæ intra se contineant, non habent rationem temporis intrinseci, vel durationis, ratione cuius sublato motu primi mobilis, & astrorum dicentur esse in tempore, vt volunt Basilius, & Augustinus, vbi suprà: nam, si primum mobile in nihilum redigatur, ratio communis temporis adhęrere poterit proximæ sphęrę: & ideo tempus, à quo motus cæteri extrinsece denominantur, per accidens non coniungitur cum primo mobili, & coniungi potest cum secundo: quod perinde habere debet omnia requisita ad rationem temporis, sub qua motus eius constituitur per intellectum, qui apprehendit illum tanquam regulam, & mensuram motuum reliquorum. At inquies, hoc probare quemuis motum habere rationem fundamentalem temporis: hæc vero non sufficit, vt in quouis dicamus reperiri rationem ipsam temporis: si vero de sola fundamentali sermo sit, quoduis locatum corporeum habet etiam rationem fundamentalem loci, hoc est superficiem. Respondeo discrimen consistere in hoc, quod locatum secundùm se solum cõsideratum non habet, nec habere potest rationem loci nisi comparatione alterius quod possit continere: at verò quiuis motus sublato omni alio motu, siue corporis superioris, & continentis, siue ciusuis alterius, dicetur habere tempus, vel esse in tempore: nam, si nullus omninò alius motus esset in vniuerso, quam horologij, accepto signo primæ horæ transactæ verè possumus dicere lapsum fuisse tempus vnius horę: hoc vero tẽpus, cum nullibi alibi sit, necessario debet concipi in ipso motu: & cum eadem sit ratio in vno motu, atque in alio, omnibus adest propria ratio temporis.

Basilius. Augustin.

VI. Propter huiusmodi discrimen aptius exemplum sumitur ad explicandam rationem tẽporis ab ipsa magnitudine, & mensuris

suris ipsius, quam à loco: etenim magnitudo vel considerari absolute potest, vel quatenus subsistat certæ, ac determinatæ mensuræ: absolute enim considerata est linea, corpus, vel superficies sumpta vero sub determinata mẽsura est palmus, vlna, cubitus, stadium, &c. Et hoc modo accepta non habet diuersam extensionem, à se ipsa absolute considerata, sed eandem sub præfixis terminis ab intellectu: non enim in ligno cubitali est duplex extensio, altera ab absoluta ratione quantitatis, altera à ratione cubiti: cubitus enim non est aliud, quam quantitas determinata contenta intra terminos præscriptos: & quamuis detur cubitus aliquis communis ex designatione publica deputatus ad mensurandas res quantas, in singulis tamen, quæ mensurantur, datur propria ratio cubiti, aut cuiusuis alterius mensuræ sibi adæquatæ. Eodem modo, quamuis motus primi mobilis, quia est maximè vniformis, & perfectus, vsurpetur tanquam mensura extrinseca durationis omnium motuum inferiorum, tamen in ipsis quoque motibus potest reperiri propria ratio mensuræ intrinsecæ: ita vt, sicut tempus, vel motus cœlestis cõceptus sub diuersis terminis dicitur hora, dies, mensis, lustrum, sæculum, sic etiam corpora inferiora, dum mouentur, dicãtur habere durationem vnius horæ, diei, vel mensis, quæ duratio vtique manebit eadem, si sub eodem interuallo successiuo, intra eosdem terminos creantur, quamuis motus cœli conquiescat.

VII. Ex dictis quoque apparet proprie loquendo non esse idem durare, ac esse proprie in tempore: nam esse in tempore, vt *Aristotel.* ait Philosophus lib. 4. Physic. tex. 117. est contineri, ac mensurari tempore: quod solum competit ijs, quæ sunt obnoxia mutationi, ac tempori, ab eoq; patiuntur: durare vero conuenit ijs etiam, quæ non sunt obnoxia tempori, vt est Deus, & reliquæ substantiæ separatæ: Si verò esse in tẽpore sit idẽ, quod coexistere, ac respõdere tempori, tunc competit omnibus, sicut esse in loco, si accipiatur pro quacunque simultanea existentia cum loco: Et hoc modo ipse quoque Deus dicitur esse, vel operari in *Ad Heb. 13.* tempore: *Iesus Christus heri, & hodie*: ad Heb. 13. Ex quo deinde colligitur aliud discrimen inter tempus, ac locum: nempe, quod à loco non sumitur aliud cõcretum, quam esse in loco, contineri loco, & similia, quæ dicant habitudinem ad locum: à tempore vero non solum res dicitur esse in tempore, sed durare. Ex quo prouenit, vt sublato loco non maneat completa ratio positiua, à qua res denominetur esse alicubi, sublato vero tempore, adhuc maneat denominatio positiua durationis: nam Deus durauit ab æterno ante omne tempus, ac motum, & verè dici potest esse in æternitate, quamuis actu nõ concipiatur sub habitudine ad tempus: item, si modo cesset omnis motus, & maneant substantiæ separatæ, vere dicentur durare. Ratio huius discriminis est; quoniã, vt supra indicaui, cuilibet rei inest propriũ tempus, aut duratio, à qua denominari potest absq; habitudine ad aliq; extrinsecũ: locus verò etiã quoad materiale, non inest cuilibet rei, nã superficies solum conuenit reb. corporeis quoad formale vero, hoc est quoad rationem ambiendi, & continendi locatum, non conuenit etiam plurimis corporibus, quę solum continentur, non cõtinent: & idcirco hoc ipso, quo tollitur locus, & habitudo ad illum, non potest dici aliquid esse in loco: hoc ipso vero, quo tollitur tẽpus, aut duratio extrinseca, nõ dicitur quidem res proprie esse in tempore, dicetur tamen durare.

VIII. Denique, vt concludam id, cuius gratia hæc dicta sunt de tempore, constat ex dictis durationem in tota sua latitudine, nec formaliter, nec identice participare propriam rationem quantitatis: secũdùm speciem vero nobis notiorem, hoc est secundum tempus, esse identice quãtitatem. Ex quo colligitur alia genera durationis habere rationem quantitatis virtualis, vt docet Henricus in sum. ar. 31. q. 2. & quod- *Henricus.* lib. 5. q. 13. lit. B. Bassol. in 2. dist. 2. q. 1. art. *Bassol.* 1. & alij: nam, quemadmodum immensitas diuina, & locabilitas substantiæ Angelicæ, quæ potest respondere loco diuisibili, habent rationem quantitatis virtualis, qua adæquantur extensioni loci, ita æuum Angelicum, æternitasq; diuina, quatenus sunt apta replere quoduis spacium temporis diuisibilis, ac successiui, habent rationem quantitatis virtualis, quod in particulari de æternitate docent Alensis. p. q. 12. *Alensis.* m. 7. Albert. in 1. d. 8. ar. 9. d. 9. art. 2. ad 3. *Albertus.* Bonauen. d. 19. 1. p. q. 2. in corpore. Henri. *Bonauent.* in sum. art. 31. q. 3. lit. M. & quodlib. 5. q. 13. *Henricus.* à lit. P. Hispalens. in 1. d. 9. qu. vnica, art. 3. *Hispal.* notab. 5. & art. 4. ad 3. contra 6. conclusionem Bassolis cit. & Isaac Philosop. lib. de- *Bassol.* finitionũ, quem refert Vdalric. apud Car- *Isaac.* thusianum in 1. d. 8. q. 3. æternitatem vocat mensuram spatiosam spatiositate non molis, aut distensionis, sed virtutis, quæ ambit totum esse inferius, & infinitũ, & per hoc omnem quantitatiuam spatiositatem temporis. Et sicut docti recentiores explicant rationem formalem quantitatis perma

nentis per aptitudinalem adæquationem, & correspondentiam corporis ad partes loci, quæ reperitur in corpore, etiã quãdo actu non cõmensuratur loco, vt videre est in corpore Christi sub speciebus consecratis, ita ratio durationis intrinsecæ cuiusq; rei potest explicari per aptitudinalẽ coexistentiam, siue accommodationem ad tempus extrinsecum per interualla succedens. Et quamuis non sit actu tempus extrinsecum, cui res ipsa respondeat, per propriam tamen durationem disponitur vt si tempus detur, statim illi coexistat.

IX. Argumenta initio proposita non conuincunt durationẽ habere propriam rationem quãtitatis, sed solum metaphoricam, vel quoad aliquã eius speciem, hoc est tempus, non tamen formaliter, sed materialiter. Et ad hunc sensum interpretandus est D. August. cit. loco de Ciuitate Dei, cum tẽporis spatiũ appellat magnitudinẽ: nam, si in sensu proprio accipiatur, fatendum quoq; est spatium temporis esse magnitudinem, atque adeo quantitatem successiuam confundi cum permanente, quod est apertum absurdum: sicut ergo spatiũ temporis appellat metaphorice magnitudinem, ita etiam annos vocat metaphorice, vel identice quantitatem. Iam verò Diuus Basilius redarguit Eunomium ex proprijs dictis: nempè quod tempus appellet motũ qualem, cum potius, si motus est, appellare debuisset quantum: ipse verò nihil horũ dicit, sed oppositũ, cum negat tẽpus esse motũ. Ad primum argumentũ respõdetur proprietates quantitatis accõmodari etiam aliis rebus identice, vel metaphorice, sicut accõmodatur ipsamet ratio quantitatis: identice, vt cum locus dicitur æqualis locato, quæ æqualitas prouenit ex eo, quod locus fundamẽtaliter, ac realiter est superficies; metaphorice, vt cũ filius æternus dicitur æqualis Patri: & primũ in vnoquoque genere dicitur mensura cæterorũ: At verò proprietates de quibus fit mentio in argumento, cõueniunt durationibus identice, vel metaphorice, identice ratione tẽporis, metaphorice ratione aliarũ specierum. Ad secundum distinguẽda est assumptio, ac dicendum non omnia, quæ sunt in loco, habere veram, ac propriam rationẽ quantitatis, sed veram, vel metaphoricam, eodemq; modo se rem habere in his, quæ sunt in tempore, vt explicatum est suprà. Ad confirmationem respondetur tempus, vt per se pertinet ad genus durationis, non esse formaliter quãtitatem, sed identice: & ideo ex hoc capite minimè sequi, vt duratio intrinseca, qua singulæ res coexistunt tempori, sit formaliter quantitas: præterea etiam non repugnare, vt inter res generum diuersorum sit commensuratio quædam ratione conuenientiæ metaphoricæ, quæ est inter durationes indiuisibiles, ac tempus in ratione quãtitatis. Ad vltimum respondeo D. Thom. ibidem se explicare: ait enim illam significationem esse vulgarem ex modo significandi vocabuli, quam propterea negat conuenire æternitati: nõ est autem mirũ, siquidem nescimus quidditatem rerum superiorum, & consequenter, neque rationum formalium illis communiũ, vt ad eas significandas applicemus nomina specierum, quas nouimus. Et quia durationẽ temporalem per modũ distensionis cõcipimus, ad eundẽ modũ intelligimus, ac nominamus durationes rerũ indiuisibilium, quæ tẽpori minimè subiacent.

AEternitas distinguitur à vita diuina non à parte rei, sed secundùm rationem, posita verò opinione de distinctione actuali temporis à motu dicendum est distingui virtute secundum rationes positiuas.

Caput V.

OMnis quantitas virtualis, & metaphorica habet propriam rationem formalem distinctam ab essentia quantitatis propriæ: hanc habet æternitas, quatenus duratio est: duratio quippè differt ratione formali, à quantitate proprie dicta: &, vt docent cõmuniter Theologi, immediate afficit existentiam: res enim secundũ quod existunt dicuntur durare: Est verò inprimis cõtrouersia vtrum, & quomodo æternitas distinguatur ab existentia diuina; cõmunis sententia docet distingui, & non solum ratione ratiocinante. Distingui patet, quoniam, vbi nulla omnino distinctio intercedit, nõ potest cõcipi ratio mẽsuræ, ac mensurati: nam de ratione mẽsuræ est, vt sit notior mẽsurato: idem verò respectu sui non est magis, ac minus notũ, distingui vero non solum ratione ratiocinante, sed ratiocinata cõstat, quoniã æternitas & existentia non sunt nomina synonyma, & in creatis existẽtia secundùm suũ præcisum conceptum non pertinet per se ad vllum prædicamentum, duratio verò maximè in diuinis autem ea, quæ respondent perfectionibus distinctis prædicamẽto, distinguuntur ratione ratiocinata. Præterea, si æternitas sola ratione ratiocinante distingueretur ab existentia, perperam dis- I.

finire-

finiretur per vitam Dei in obliquo, vt diffinitur à Boet. communiter recepto, quæ enim sola ratione ratiocinante distinguũtur mutuò de se ipsis in recto prędicantur.

II. Porrò distinctio secundum rationẽ ratiocinantem, aut est virtualis, ratione cuius vna, eademq; res æquipollet pluribus actu ex natura rei distinctis, vel per solam connotationẽ alicuius negationis, aut habitudinis extrinsecæ, sub quib. eadẽ res apprehẽditur nouo cõceptu, & nequaq; identico cum eo, quo apprehenditur simpliciter, & absolute absq; eiusmodi connotationibus. Est aũt controuersia vtro ex his modis distinguatur ęternitas ab existentia, siue vita Dei. In primis æternitatẽ esse modũ ex natura rei distinctũ ab essentia diuina docet Mayrõ. in 1. d. 8. q. 5. §. *Viso quid sit formalitas*, & d. 9. q. 1. art. 1. quam sententiã probabilem existimat Scot. quodlib. q. 6. §. *Contra istud* infine; sed est omninò falsa, vt cõstat ex dictis tract. 5. vbi ostendi nihil esse in Deo formaliter, vel modaliter ab eo ex natura rei distinctum. Vt autem appareat vtra ex prædictis distinctionibus secundùm rationem competat æternitati comparatæ vitæ diuinæ obseruandum est, eiusmodi quæstionem tractari posse absolute, vel suppositа distinctione temporis à motu, vel durationis creatæ ab existentia, cuius duratio est; iuxta hunc sensum dicam hoc capite, iuxta priorem in sequente.

III. Nonnulli igitur recentiores supponentes motũ, ac tempus ex natura rei distingui, volunt nihilominus æternitatem non dicere rationem positiuam, sed solam negationem additam existentiæ diuinę. Probari verò potest, quoniam si illa ratio positiua virtutẽ distincta colligeretur ex distinctione temporis à motu, vel esset, quia æternitas coexistit omni tempori, vel quia continet eminenter omne tempus: sed ad neutrũ est necessaria ratio positiua distincta ab existentia diuina: ergo æternitas nihil addit vitæ diuinæ præter negationem. Assumptio quoad priorem partem probatur, quoniam ad respõdentiam, siue coexistentiam Dei cum omni tempore sufficit vita diuina sub negatione principij, ac finis: quod enim semper viuit, existit in omni differentia temporis. Dicet aliquis æternitatem ita commensurari omni tempori, vt secundum alias, atque alias partes virtuales respõdeat diuersis partibus eius. quod non cõuenit vitę, quia vita: ut enim sub ratione vitæ, vel existentiæ non æquipollet variis partibus temporis, sed varijs modis vitæ creatæ participantibus diuinam: atque adeo æternitatem esse ratio nem formalem positiuam virtute distinctam ab existẽtia, infinitate sua secundum alias, atque alias partes virtuales respondentem diuersis partibus temporis. Hæc tamen responsio non soluit argumentum: tum quia duratio omninò indiuisibilis, ac permanens, nequit hoc modo commensurari diuisibili, & successiuæ: tum quia ex hac commensuratione non sequitur infinitas partium virtualium: alioquin æuum Angelorum, quod suapte natura potest respondere successiue infinito tempori, iam nunc haberet infinitas partes virtuales: atq; adeo esset infinitum actu in genere durationis, quod tamen est absurdum. Posterior pars assumptiõis probatur: quoniam, vt Deus cõtineat aliquid eminenter minime requiritur in ipso entitas positiua eiusdem nominis, ac rationis analogicæ cum ea, quam continet, vt multis exemplis patet; nam Deus continet eminenter figuram, magnitudinẽ, & vitam vegetatiuam: nec tamen cum ijs conuenit nomine, aut ratione communi analogica.

IV. Nihilominus, posita distinctione ex natura rei inter tempus & motum, dicendum est æternitatem distingui virtute ab existentia diuina: Probatur quoniam, vt constat ex dictis tract. 6. c. 8. distinctio virtualis sumitur ex æquipollentia vnius rei indiuisæ actu ex natura rei continentis plures perfectiones in alijs actu distinctas: sed posita illa opinione de distinctione temporis ab existentia motus, diuina perfectio in se maxime vna æquipolleret existentiæ motus, & ipsius durationi, quæ in maximè cõmuni abstractione dicunt perfectionem: ergò in ea opinione datur fundamentum distinctionis virtualis inter æternitatẽ, & existentiam diuinam: respondent durationem quidẽ, quatenus significat permanentiam existẽtię, & præsentiam ad tẽpus imaginariũ, dicere perfectionẽ, non tamen diuersam ab existentia, & eius modo intrinseco: quatenus autẽ duratio importat aliquid ex natura rei distinctum ab existẽtia, non est aliud quam quantitas successiua, quæ dicitur tempus; & ideo quemadmodũ quantitati permanenti nihil correspondet in Deo æquipollenter, quod ipsum formaliter denominet, ita neq; respõdere debet quantitati successiuæ. Addunt verò durationem in cõmuni dicere moram existẽdi, quæ nihil est aliud, quam existentia semel habita cum negatione desitionis: & ideo ex eo, quod duratio sit perfectio simpliciter, & Deo formaliter conueniens, minimè sequi, vt æternitas sit ratio formalis positiua virtute distincta ab existentia Dei.

V. Hæ tamen solutiones nequaquam expediunt difficultatem: nam inprimis id, quod cõtraria sententia supponit, nempe durationẽ esse moram, siue permanẽtiam existentiæ cum negatione desitionis, iam impugnatũ est c.3. deinde verò, si duratio in cõmuni dicit formaliter existentiam sub negatione desitionis, tẽpus nõ est duratio, vel nõ distinguitur ex natura rei ab existẽtia motus; cuius oppositum ipsi supponũt: sequi vero alterũ ex his facile ostenditur: nam ratio cõmunis analogica conuenit omnib' analogatis: ergò, si duratio in communi est formaliter existẽtia rei durantis, aut tẽpus, quod est duratio motus, non distinguitur ex natura rei ab eius existentia: aut, si distinguitur, nõ est eius duratio. Iam verò id, quod primo loco dicitur, durationem solum dicere perfectionẽ, quatenus sumitur pro existentia cum præsentia ad tempus imaginariũ; cùm vero importat aliquid ex natura rei distinctum ab existentia, nõ esse aliud, quam quantitatẽ successiuam, minimè soluit difficultatẽ argumẽti: nam omnis ratio analogica cõmunis Deo, & creaturis hoc habet, vt secundum se prẽcise non distinguatur ab aliis perfectionibus, sed sit indifferẽs, vt pro varietate analogatorum modo sit actu distincta, modo non: idq; patet discurrẽdo per singulas: nã sapientia v.g. in communi ratione non distinguitur actu ex natura rei à ratione substãtiæ, vel iustitiæ: Si enim distingueretur, sapientia diuina esset actu ex natura rei distincta à iustitia, & substantia diuina, quod est falsum. Et tamen quia ratio illa communis reperitur in rebus creatis distincta actu à ratione substantiæ, atque iustitiæ, dicimus Dei sapientiam distingui virtute ab eius substantia, atque iustitia: quoniam vna, eademque indiuisibili entitate Deus ęquipollet tribus illis perfectionibus creatis actu distinctis: neq; hoc impeditur ex eo, quod ipsæ in se includant imperfectiones repugnantes Deo: quoniam Deus non æquipollet ijs ratione imperfectionũ, sed pfectiõis simpliciter, q̃ inuoluũt: sicut ergo ratio sapiẽtiæ, ac iustitię creatæ, quãuis sit accidens, continetur in Deo, sublata imperfectione, & ratione huius continentiæ, & æquipollentiæ eminentialis distinguitur virtute, ita etiam quamuis duratio creata sit accidens, continetur æquipollenter in Deo, non qua accidens, aut qua successiua est, sed qua duratio est: ipsa vero secundùm entitatem, & rationem durationis, quam habet, distinguitur ex natura rei ab existentia motus; ergò etiam duratio diuina distinguitur virtute ab existentia Dei. Et cõfirmatur, quoniam ad æquipollentiam requisitam, vt perfectiones diuinę distinguantur virtute, solum opus est, vt perfectiones simpliciter secũdum rationes communes analogicas sint in creatura distinctæ ex natura rei: hoc autem cernitur in præsenti materia, si tempus, ac motus ex natura rei distinguuntur: ergo posita distinctione actuali temporis à motu, necessario admittenda est distinctio virtualis æternatis ab existentia. Maior propositio patet ex dictis tract.6.c.8. Assumptio ostẽditur, quoniam duratio, & existentia sunt perfectiões simpliciter, quas melius est inesse cuiuis subiecto, quam abesse eæ vero sunt in motu, & distinguũtur actu inter se: ergò datur sufficiens fundamentum, vt in Deo distinguantur virtute. Deniq; si tempus distinguitur ex natura rei à motu, non est ratio, cur æuum non distinguatur ab existentia æui ęterni: si vero hoc distinguitur ab illa, pari ratione æternitas distinguetur virtute ab existentia Dei.

VI. Ad argumentum in contrarium negãda est assumptio; ad rationẽ vero, qua prima radix impugnatur, rectè ibidẽ responsum est: nempè æternitatẽ, quaten⁹ duratio est, vendicare infinitas partes virtuales respõdentes partibus temporis, quę partes non conueniũt vitæ, quatenus præcise vita est. Ad eius verò impugnationem respõdetur indiuisibile, ac ꝑmanens nõ haberere ipsa partes actuales, sed eadem entitate indiuisibili respõdere pluribus partibus successiuis: Et hac ratione æternitas est tota semper, vt ait Anselm. in Prosolog. c.18. *Nec tu* inquit cùm Deo loquens *habes partes, nec tua æternitas, quatues: nusquam, & nunquam est pars tua, aut æternitatis tua, sed vbique totus es, & æternitas tota est semper.* Verum cum in diuisibilitate actuali non repugnat multiplicitas virtualis, vt se res habet in omni re simplici infinita: nam, quia simplex est, caret partibus actualibus: quia vero est infinita admittit virtuales: & hoc modo æternitas ratione simplicitatis caret partibus, & tota respõdet fæculis omnibus successiue fluentibus: ratione vero infinitatis habet multiplicitatẽ partiũ virtualiũ, quibus respondet diuersis partibus temporis. Ad aliam impugnationem eiusdem respõsionis negandum est antecedens: Ad eius vero probationẽ neganda est sequela: nam æuũ Angeli, licet habeat infinitatẽ virtualem ex infinitã, quatenus ratione eius potest Angelus respõdere successiue temporibus infinitis, nõ tamen habet infinitatem entitatiuã: quoniam ex præcisa coexistentia successiua vnius rei ad plures minimè

sequitur multiplicitas virtualis: vt patet in ipso Angelo, qui secundum sphæram suæ locabilitatis potest successiue respondere infinitis spatiis locorum, si daretur, nec tamen habet infinitã extensionẽ virtualẽ secundum locabilitatẽ: requiritur itaq; præterea continentia eminentialis singularum partium successiuarum, quarum perfectio continetur eminenter, & æquipollenter in æternitate diuina, vt patet ex doctrina D. Anselmi in Prosolog. ca. 21. nam cum c. 20. egisset de æternitate, & præsentia eius ad omne tempus, ca. 21. sic incipit. *An ergo hoc est sæculum sæculi, siue sæcula sæculorum, sicut enim sæculum temporum continet omnia temporalia, sic tua æternitas continet etiam ipsa sæcula temporum, quod sæculum quidem est propter indiuisibilem vnitatem, sæcula vero propter interminabilem immensitatem.* *Anselm.*

VII. Ad probationem secundæ partis assumptionis, qua impugnatur necessitas distinctionis virtualis inter existentiam diuinã, & æternitatẽ, dicendum est eorũ, quę cõtinentur eminenter in Deo, quædam dicere perfectionẽ simpliciter, quædã verò minime: Vt vero ea, quæ illã non dicunt, qualis est figura, & alia in argumẽto adducta, cõtineantur eminenter in Deo, non est opus propria ratione entitatiua ab aliis virtute distincta, q̃ sit formaliter in Deo, vt bene probat argumentum: requiritur tamen vt cõtineantur ea, quæ dicunt perfectionem simpliciter, qualis est duratio. At, inquiet aliquis, tempus, de quo est controuersia, & ex cuius cõtinentia eminentiali colligitur propria ratio positiua ęternitatis ab existẽtia virtute distincta, non est duratio, aut perfectio simpliciter secundũ rationẽ specificam, sed secundũ genericam: ex continentia vero eminentiali eorũ, quæ ita habent rationẽ perfectionis simpliciter, non colligitur propria ratio formalis entitatiua in Deo, quæ ipsis præcise respondeat, vt patet in figura, quæ saltem in ratione entis habet modum perfectionis simpliciter: & in brutis animantibus, quæ saltem ratione cognitionis eandẽ continent, nec tamen in Deo est propria ratio formali virtute distincta, qua præcise contineat figuram, cedrum, aut Elephantum, sed figuram cõtinet ratione perfectionis essendi, cedrũ ratione vitæ, Elephantum ratione cognitionis, quibus rationibus continet alia plura: quare, cum tempus secundũ differentiam specificã non dicat peculiarem rationẽ perfectionis simpliciter, vt contineatur in essentia diuina, minime requiritur ex parte Dei propria ratio formalis entitatiua, quæ illi correspondeat. Respondeo ex hac obiectione solum colligi, quãdo plura cõueniũt in aliqua ratione perfectionis simpliciter, nõ respondere singulis ipsorũ specialem aliquam rationem, sed omnibus ratione cõmunis gradus, qui primum illam participat: hoc tamen nõ obstat, quominus si eadẽ res habeat duas rationes perfectionis simpliciter actu distinctas, etiam si illas nõ habeat ratione propriæ differentię specificę, sed genericę, respondere ipsi debeãt in Deo duæ rationes formales entitatiuæ virtute distinctæ. Exempli causa Gabriel habet actus scientiæ, & amoris distinctos inter se realiter, qui non cõueniunt ipsi ex propria ratiõe specifica, nam similes quoque habent alij Angeli specie diuersi: & tamen quia hæ duæ perfectiones in rebus creatis distinguuntur actu, in Deo distinguuntur virtute: Similiter, quia existentia, & duratio sunt perfectiones simpliciter, & in tempore, ac motu distinguũtur actu ex natura rei, etiamsi non conueniant ipsi per se primo, sed ratione gradus cõmunioris, respondere illis debet in Deo duplex ratio entitatiua virtute distincta: quod etiam constat in Elephanto, qui in contrariũ adductus est: nam in ipso & est perfectio substantialis, itemq; operationis vitalis, quibus ex parte Dei respondet duplex perfectio virtute distincta: in figura vero non est alia perfectio simpliciter, quam ratio essendi, & idcirco ex continentia eminentiali ipsius non colligitur ex parte Dei alia ratio positiua.

AEternitas non distinguitur à vita diuina ratione aliqua positiua, sed per negationes, habitudines, aut connotationes superadditas.

CAPVT VI.

I. NVnc absolute videndum est vtrum æternitas, prout ratione distinguitur à vita Dei, addat ipsi rationẽ aliquã positiuam virtute distinctam; an verò solis negationibus, aut diuersa cõnotatione cõpleatur in ratiõe formali æternitatis: distingui aũt virtute, & ratione quasi positiua indicat Henric. in sum. art. 31. q. 1. lit. I. quatenus ęternitatem vocat dispositionẽ, & modum durationis, dispositio enim, ac modus sonãt aliquid positiuũ; & q. 4. ad 2. ait principalius, & perfectius significari rationem æternitatis per conceptũ positiuum, quam priuatiuum; itemq; Albert. Magn. in 1. d. 8. art. 8. ad 1. sic ait: *Interminabilitas est negatio consequens differentiã positiuam, quæ propter simplicitatem æternitatis nominari à nobis affir-* *Henricus.* *Albertus.*

matiuè non potest : interminabilitas autem secundum durationem sequitur rationem durationis siue æternitatis, quæ de sententia Alberti Magni est differentia positiua: quod etiã est de mente eorum, qui censent tẽpus distingui ex natura rei à motu, & cũ à substãtia Angeli: Ostenditur verò ratione; quoniãpeculiaris modus infinitatis requirit, ac supponit peculiarem rationẽ positiuam entitatis: Deo verò ratione æternitatis cõpetit peculiaris modus infinitatis: ergo æternitas est peculiaris ratio entitatiua distincta virtute à reliquis perfectionibus diuinis. Maior est manifesta, quoniã infinitas, vel est negatio, vel modus positiuus supponens quantitatem virtualem entitatis, quæ dicitur infinita: atque adeo supponit in re, quam immediate afficit rationem positiuã. Assumptio verò probatur: quoniam, si præscindamus per intellectum perfectiones alias diuinas, & infinitates singularũ secundũ proprias rationes, & cõsideremus solum rationẽ æternitatis, adhuc erit in Deo infinitas secũdum durationem, vt per se patet: cõtra verò, licet consideremus perfectiones alias, & ipsarũ infinitates, præscindamus autẽ ab æternitate, deerit infinitas durationis: ergò hęc est peculiaris ratio infinitatis, & consequenter æternitas peculiaris ratio entitatis. Secũdo ita se habet æternitas ad existentiã comparatam tempori, vt se habet immensitas ad eandẽ comparatã loco: immensitas autem, quatenꝰ est repletiua omnis loci, dicit modum positiuũ essentię diuinę distinctũ virtute à reliquis eius perfectionibus: ergò etiam æternitas, quatenus est apta correspõdere omni tẽpori, erit modus positiuꝰ virtute distinctus ab existẽtia, ac reliquis perfectionibus diuinis. Maior ostẽditur: quoniam, sicut existẽtia cõcipitur sub negatione principij, ac finis durationis, ita etiã cõcipi potest cũ negatione distantiæ ab omni loco: quapropter, si existẽtia sub negatione principij, ac finis, & correspõdentia ad omne spatiũ successiuum dicitur æternitas absq; alia ratione entitatiua virtute distincta, ita quoq; ipsa sub negatione terminationis ad certũ locum, & aptitudine coexistẽdi omnibus dicetur immẽsitas absq; alia ratione formali virtute distincta; vel, si ad coexistendum omni loco requiritur noua ratio positiua virtute distincta, requiretur etiam ad coexistendum omni tempori.

II. Tertio, si æternitas non addit rationem formalem positiuam existentiæ, aut addit connotationem aliquam extrinsecam ad creaturam, aut negationem: neutrum sufficit: ergo addit rationem positiuam. Assumptio probatur in primis, quod attinet ad connotationem, quoniam æternitas est perfectio Dei absoluta prior natura, & cognitione creaturis omnibus: & cõsequenter durationibus creatis, quibus est apta coexistere: ergo non inuoluit intrinsece habitudinem, aut connotationẽ ad durationem extrinsecam. Et confirmatur; quoniam, si per impossibile non esset dabilis duratio creata, adhuc permaneret æternitas Dei, nec enim diuina pendent à rebus creatis: Probatur deinde eadẽ assumptio, quatenus negat sufficere negationem ad complementum æternitatis, quoniam abstrahendo considerationẽ à carentia principij, ac finis, adhuc possumus concipere diuersis conceptibus formalibus Deum existentem, atque durantem; ergo secluſa negatione finis, ac principij intelligitur in Deo ratio durationis distincta à ratione existentiæ: quare duratio Dei non distinguitur ab existẽtia solum per eiusmodi negationes: Si quis neget concipi posse Deum durantem, quin intelligatur negatio desitionis, similiter ipse dicam concipi non posse Deum existentem quin intelligatur eadem negatio desitionis: ex æquo enim necessaria est ad vtrumq;: quare, quemadmodũ id non cogit, vt dicamus negationẽ desitionis pertinere intrinsece ad conceptũ formalem existentiæ, ita quoq; non cõcludit pertinere intrinsece ad formalẽ conceptum durationis. Quartò tẽpus distinguitur realiter à motu: ergo & æternitas virtute ab existentia diuina: Consequentia patet ex dictis cap. proximo: antecedẽs verò ostenditur primo: quoniã, vt ait Aristotel. lib. 4. Phys. t. 133. tẽpus, ac motus sunt sibi mutuo mẽsuræ: nõ essent autẽ, si tempus solum distingueretur à motu p designationem, & apprehensionẽ intellectus: ergo in re ipsa tempus habet aliquid distinctum à motu, quod apprehendi possit tanquam mensura illius: & vice versa motus habet aliquid distinctum à tempore, sub quo cõcipi queat, vt mensura temporis. Assumptio ostenditur; quoniam, si tempus non esset aliud, quam motus sub determinata mẽsura, vel spatio designatus, quoties motus sumitur sub hac designatione erit tempus: non potest vero sumi, vt mensura nisi sub designatione aliqua: ergo, si tempus non distinguitur à motu, nunquam motus accipi potest vt mensura temporis. Secundo tempori, ac motui conueniunt diuersa accidentia realia: ergò distinguuntur ex natura rei. Patet consequentia: nam, quæ non distinguuntur ex natura rei subsiant ijsdem accidentibus realibus:

Aristotel.

nega-

negationes enim, aut relationes rationis non possunt esse fundamenta, cur eadem res subsistet, ac non subsistet ijsdem accidentibus realibus. Antecedens vero ostenditur: siquidem motus est velox, & tardus, tempus vero minimè: econtra vero tempus potest esse magnum, motus autem perexiguus.

III. Dico primum. Ratio communis durationis creatæ non dicit aliquid ex natura rei distinctũ ab existentia. Hæc est expressa sententia Ocham. in 2. quæst. 10. & 12. & quodlibet. 7. quæst. 10. Gregor. in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 1. Gabriel. quæst. 1. art. 1. & communior inter Philosophos, & Theologos docentes æuum non distingui ex natura rei ab existentia Angeli, & tempus nihil aliud esse quam motum per intellectum numeratum, ac proinde nihil reale illi addere. Fundamenta varia adducuntur à Doctoribus, inprimis arguit Ochamus quodlibet. citato, si in re durante ponendus esset respectus aliquis distinctus à rebus absolutis pertinens ad prædicamentum, *quando*, inhærens rei duranti, poneretur æque ratione omnium temporum, & consequenter respectu temporis futuri, quę est vna differentia prędicamenti, *quando*: hoc autẽ repugnat: nam cum die crastina sint infinitæ partes temporis, & infinita instantia, in quibus res erit, sequitur in puero hodie nato, iam nunc esse infinitos modos reales, ratione quorum habeat habitudinem ad instantia in quibus erit: quod argumentum applicari similiter potest ad tempus præteritum. Secundo, quoniam posita eiusmodi habitudine, siue modo reali prædicamenti, *quando*, sequitur res omnes vel fore necessario, vel necessario non fore: quod est falsum: nam, quamuis hoc disiunctum, *hæc res erit, vel non erit*, sit necessarium, non semper tamen altera disiunctionis pars est determinate necessaria: sequelam ostendit: nam vel Socrates hodie habet modum realem, quo dicitur futurus cras, vel non habet: si habet, ergo necessario erit cras: sicut enim repugnat habentem candorem non esse candidum, ita repugnat vt quis habeat modum realem, quo formaliter dicitur futurus cras, & tamen non sit cras: & similiter repugnat, vt non habens eiusmodi modum sit futurus cras. Tertio quoties propositio de præsenti est vera, transit in necessariam de præterito, vt si hæc: *Christus sedet ad dexteram Patris*, nunc est vera, immediate post manet necessaria, *Christus sedit ad dexteram Patris*, etsi hæc sit falsa: *Lucifer est beatus*: hæc, *Lucifer fuit beatus*, manet postea impossibilis.

Ocham. Gregorius. Gabriel.

Si vero admittantur modi illi reales, *quando*, si Socrates nunc habet modum, quo erit cras, immediate post erit necessariũ ipsum habuisse talem modum: si vero non habet, erit impossibile: Deus autem efficere nequit, vt ipse nõ habuerit modum, si habuit, vel vt habuerit, si non habuit: ergo etiam non poterit efficere, vt si illũ habuit, nõ sit cras, vel vt sit, si non habuerit: quod tamen derogat omnipotentiæ diuinæ, nempè vt positione, vel negatione cuiusdam modi accidentalis impediatur quo minus possit conseruare, aut annihilare aliquam substantiam.

Verum hoc fundamentum non est firmum: quoniam ex eo, quod duratio absolute sit modus ex natura rei distinctus ab existentia, minimè sequitur dandos singulos, & infinitos modos in re durante respectu cuiusuis partis temporis fluentis: nam, sicut corpus eadem quantitate potest commensurari, ac respondere successiuè diuersis locis, ita res existens potest eadem duratione commensurari, ac respondere successiuè diuersis partibus temporis. Et proinde negata prima consequentia corruunt omnia absurda, quæ postea inferuntur. Secunda quoque negari debet: non enim, si duratio distinguitur ab existentia rei durantis, Socrates, qui hodie existit, debet proinde cras necessario existere, vel necessario non existere: nam existentia de se est sufficiens fundamentum coexistendi tempori successiuo, sine nouo modo existentiæ: nec tamen proinde, si hodie Socrates existit, cras necessario existet, aut necessario non existet: Similiter igitur, quamuis duratio esset ratio positiua, qua res existens responderet tempori extrinseco, non proinde ex vi illius necessario existet, vel non existet. Ratio huius est, quoniam denominatio sumpta à forma sub ordine, aut connotatione ad terminum extrinsecum, non verè tribuitur subiecto destituto eiusmodi habitudine, aut connotatione. At vero, cùm res dicitur fore crastino die, vel perendino, præter formam intrinsecam, qua res est apta esse in illis diebus, importatur coexistentia, & commensuratio cum illis diebus: hæc vero in rebus corruptibilibus, est incerta, & contingens: Et proinde ex eo, quod res nunc duret per modũ ab existentia diuersum, non necessario durabit cras. Importari vero eiusmodi commensurationem patet à simili: nam quemadmodum esse in loco connotat ipsum locum, & exigit in locato indistantiam ab eodem, vt denominationem ex illo sortiatur, ita esse in tempore

IV.

connotat tempus, & indistantiam ab eodem, qua non interueniente deficit completa ratio essendi in hoc, vel illo tempore. Et confirmatur, quoniam Deus verè habet fundamentum sufficiens coexistendi omni tempori: nec tamè dicitur coexistere nunc diei crastino, dicitur tamen necessario futurus cras: quoniam existentia, quæ ex parte ipsius est adæquatum fundamentum coexistendi omnibus, est à se indeficiens: similiter Angelus, quoniam physicè loquendo non habet causam desitionis: & ita, licet duratio distingueretur ex natura rei ab existentia ipsius, non esset cras necessario ex eo præcisè quia habet modum durationis positiuum: sed quia in se habet principium naturaliter permanendi, quod à nulla causa extrinseca impediri potest. Ad confirmationem itaque consequentiæ responderi poterit, Raphaëlem iam hodie habere ex se sufficiens principium durationis pro die crastino, si cõstituatur indistans ab illo: & consequenter, si hodie est, necessitate physica sequitur futurum cras: quoniam spectatis principijs naturæ non potest impediri indistãtia eius à die crastino. Verum, quoniam argumentũ Ocham procedit de necessitate, & impossibilitate Logica, infert enim Deum non posse oppositum, Respondetur physicam necessitatem non tollere indifferentiam ad oppositum in ordine ad omnipotentiam Dei: & ad primam confirmationem dicendum est aliter subiectum esse candore candidum, & aliter futurum cras Angelum duratione, quam iam nunc intrinsecè, & permanenter habet: nam candidum est primarius, & adæquatus effectus formalis candoris, qui ineuitabiliter omnino ponitur posita forma in subiecto: ideoque ea posita, nulla potentia etiam infinita impedibilis est: at vero durare cum ordine ad diem crastinum non est primarius effectus durationis intrinsecæ, alioquin quandocunque res esset, haberet huiusmodi ordinem, quod est falsum, vt benè concludit argumentum Ochami, sed solum durare absolute abstrahendo ab omni extrinseca duratione, quamuis semper adsit habitudo aptitudinalis ad coexistendum illi: habitudo vero actualis ad determinatã differentiam temporis est extrinseca, atque accidentaria durationi intrinsecæ, quemadmodum actualis habitudo quantitatis ad locum: & sicut hæc tolli à Deo potest, ita & illa. Ex quo etiam patet tertiam confirmationem non habere vim: etenim quamuis repugnet, vt propositio, quæ semel fuit vera, vel falsa transeat in oppositam qualitatem, tamen propositiones de futura duratione in aliqua differentia temporis, Verbi gratia die crastina, non asserunt rem habere iam completam rationem existendi cras, sed habituram cras, vt si dicam: *Cras concipietur Antichristus*: non intendo affirmare ipsum iam nunc habere rationem formalem conceptionis, sed habiturum cras: cùm vero in dispositione causarum naturalium continetur effectus necessario futurus, verè dicimus futurum: quomodo Astrologus, computatis motib' corporum cœlestium dicit futuram Ecclypsim post aliquod tempus, & tamen ex virtute illius propositionis Ecclypsis erit iuxta causas naturales non tollitur, quo minus impediri possit à Deo: ita, quamuis posita duratione hodierna Angeli, verè dicatur futurus cras habita ratione naturalis ordinis causarum, adhuc poterit non esse ex efficacitate causæ primæ destituentis, seu impedientis secundas.

Præcipuum igitur fundamentum propositæ assertionis est, quoniam posita solum existentia, & præcisa per intellectum quauis alia entitate positiua res dicetur durare: hoc autem fieri nequit, si duratio est ratio positiua distincta ex natura rei ab existentia: ergo non est. Assumptio constat, quoniam effectus formalis primarius nulla virtute cõmunicari potest absque propria forma: si ergo forma, qua res est, ac dicitur formaliter durans, distinguitur ex natura rei ab existentia, repugnat, vt concepta solum existẽtia absque omni alia ratione formali positiua res possit durare. Maior vero ostenditur, quoniam res existens coexistit successioni motus, ac proinde tempori extrinseco, & cõsequenter dici potest esse, vel fuisse in hoc, aut illo tempore, quæ denominationes pertinent ad prædicatũ quãdo, atque adeò supponunt rationẽ formalem durationis in obiecto denominato. V.

Dico secundum, æternitas non distinguitur per rationem formalem positiuam virtute distinctam ab existentia diuina, sed per habitudines, vel negationes: Hæc sententia est communis inter Theologos: In primis S. Thomas in 1. d. 8. quæst. 2. art. 1. ad 1. asserit in ratione æternitatis esse quandam negationem, in quantum æternitas est vnitas, & vnitas est indiuisio, & 1. p. quæst. 10. art. 1. in corpore asserit rationem æternitatis cõsistere in apprehensione vniformitatis, quasi id, quod à parte rei respondet conceptui æternitatis, sit vniformitas, quæ negatio est. Alexand. vero Alens. 1. p. quæst. 12. memb. 2. idem indicat, dum æternitatem definit diuturnitatem VI. *S. Thom.* *Alensis.*

sine

sine Principio, fine & mutabilitate, itemque Ægidius in 1. dist. 8. 2. p. primæ partis principalis, quæst. 2. art. 2. dum asserit tria esse de ratione æternitatis, videlicet interminabilitatem, inuariabilitatem, & simultatem, Durand. in 1. dist. 19. qu. 2. num. 5. Interminabilitatem, quæ est impossibilitas habendi terminos durationis, esse de ratione æternitatis: Scotus quodlib. quæst. 6. §. *Contra istud:* docet æternitatem præter vitam diuinam, quam connotat, dicere solum triplicem negationem, nempè terminationis, successionis, & dependentiæ, vel relationem rationis aptitudinalem coexistẽdi cuicunque durationi, & existentiæ, Scotum sequitur Lychetus & Nicolaus de Orbellis in 1. dist. 19. quæst. 1. Bassolis in 2. distinct. 2. quæst. 1. art. 2. ad 3. Marsilius in 1. quæst. 22. art. 3. in responsione ad primum dubium, vbi sic ait: *AEternitas est essentia diuina, in quantum consideratur tota simul, & absq; principio, & ideò æternitatis ratio addit supra rationem essentiæ interminabilitatem Vitæ*, quam sententiam præcipui Thomistæ sequuntur, nempè Capreolus in 1. distinct. 9. quæst. vnica art. 2. ad primum argumentum ex primo loco positis, & ad 1. ex vltimo loco inductis vbi docet rationem formalem æternitatis esse Vnitatem ipsius esse diuini, idem ferè docent Caiet. 1. p. quæst. 10. art. 1. §. *Quoad secundum*, vbi ait consistere in vnitate, vel vniformitate, Ferrariens. 1. contra Gent. cap. 15. §. *Proportionaliter*, docens consistere in vnitate omnimodæ immutabilitatis, itemque Sylvest. in conflato quæst. 10. art. 1. §. 1. asserens consistere in esse diuino, prout est sub vnitate, & vniformitate in durando, Hispalens. in 1. distinct. 9. quæst. vnica, art. 3. Notab. 4. at differentiam, quæ complet rationem æternitatis, esse vnitatem, quam intellectus apprehendit in permanentia diuini esse, in quantum est vniformis, interminabilis, & tota simul, & art. 4. ad 3. contra 3. conclusionem, idem docet Soncinas quæst. 2. ad 1. contra 1. conclusionem, & ad 3. contra 3. Accedunt etiam alij Recentiores Thomistæ. Huic sententiæ fauent Plotinus, Boëtius, & Anselm. citati cap. 2. qui æternitatem definiunt per vitam & negationes prædictas.

Ægid. *Durand.* *Scotus.* *Lychetus.* *Orbellis.* *Bassol.* *Marsilius.* *Capreol.* *Caietanus.* *Ferrarienſ.* *Sylvest.* *Hispalens.* *Soncin.* *Plotinus.* *Boetius.* *Anselm.*

VII. Ostenditur vero, quoniam duratio creata, vt patet ex dictis, non distinguitur actu ex natura rei ab existentia: ergo neque duratio increata distinguetur virtute ab existentia diuina. Patet consequentia: nam distinctio virtualis, vt cõstat ex dictis tractat. 6. cap. 8. solum reperitur inter eas perfectiones diuinas, quæ æquipollent pluribus creatis ex natura rei distinctis: ergo, si existentia, & duratio creata nõ distinguuntur ex natura rei, æternitas etiam nõ distinguetur ab existentia diuina. Deinde duratio diuina, qua diuina, non habet aliquid speciale, propter quod vendicet peculiarem rationem positiuam distinctam virtute ab existentia: ergo, si duratio in communi illam non vendicat, neque æternitas vendicabit. Maior propositio patet, quoniam omnes rationes, quæ assignari possunt in æternitate, militant in duratione communi: si enim quis dicat requiri ad coexistendum tempori, omnis duratio intrinseca id vendicat: si ad mensuram intrinsecam existentiæ, hoc idem duratio in communi postulat: si ad continendum per æquipollentiam eminentialem durationem omnem, & tempus, hęc ratio supponit durationem creatã distingui ex natura rei ab existentia: nam, si nõ distinguuntur, non opus est, vt respondeant ipsis in Deo duæ perfectiones positiuæ virtute distinctæ, sed contineri possunt æquiualenter in eadem ratione, absque distinctione virtuali positiua: quare ex propria ratione æternitatis nõ apparet vlla necessitas, distinguendi ipsam per rationem formalem positiuam ab existentia. Denique hoc ipso, quo Deus concipitur semper, & immutabiliter esse, concipitur æternus: ergo æternitas solam dicit existentiam sub negationibus, vel habitudinibus. Antecedens constat ex etymologia nominis ἀιὼν capi. 1. adducta, cõsequentia vero patet, quoniam semper intelligitur per negationem principij, ac finis: etsi solummodo consideraverimus aliquid existere sine principio, & fine, hoc ipso concipiemus semper esse: ergo æternitas solam dicit existentiam sub negatione principij, ac finis.

VIII. Pro solutione primi argumenti initio adducti supponendum est dari in Deo multiplicem infinitatem: nec repugnare, vt duo virtute minimè distincta, sed per solam negationem, connotationem, vel habitudinẽ extrinsecam subeant diuersam rationem infinitatis: vt videre est in ipsis rationibus transcendentibus, quæ in Deo non differunt virtute positiua, sed per negationes, aut respectus rationis: & nihilominus diuersa formaliter est ratio infinitatis entitatiua sub ratione entitatis, & ratio infinitatis sub ratione bonitatis, aut veritatis diuinæ: similiter, quamuis existentia, & duratio diuina solum differant penes negationes, aut habitudines, sicut ipsa formaliter differunt eo modo,

ita

ita vendicare possunt infinitudines eodem modo differentes. Quod vt clarius eluceat, considerare debemus motum, ac tempus, quorum vtrunque habet partes successionis, & proprium terminum ipsarum, motus quidem sub ratione actualitatis, tempus vero sub ratione durationis, etsi vtrunque fuisset ab æterno diceremus vtrunque habere suam infinitatem: hæc tamen infinitas esset eadem entitatiuè, diuersa solum penes habitudines, vel connotationem, vt sunt illa, quorum est modus. Existentia vero diuina, quatenus actualitas essendi, æquipollenter cõtinet infinitatem actualitatis motus æterni: æternitas vero quatenus duratio eodem modo cõtinet infinitatem durationis motus æterni. Verum hæ infinitates, cùm sint modi rerũ nõ differentium penes rationes formales positiuas, sed penes connotationem, aut negationes, ipsæ quoque eodem solum modo differunt. Hoc posito distinguenda est maior propositio: nam, si intelligatur de modo infinitatis distincto ratione formali positiua, cõcedenda est: in hoc tamen sensu falsa est assumptio. Si vero intelligatur de modo infinitudinis diuerso solum per negationes, aut cõnotata, neganda est. Ratio vero, qua suadetur, nõ cõcludit: licet enim infinitas supponat entitatem positiuam, non tamen proinde quiuis modus infinitatis supponere debet distinctam rationẽ positiuam, sed solum ille, qui ipse est ab alijs positiuè diuersus. Ad probationem vero assumptionis respondetur, illa quidẽ ostendi infinitudinẽ durationis esse distinctam formaliter à quauis alia, non tamen modo positiuo, quod requiritur, vt ex ipsa arguatur virtualis distinctio positiua æternitatis ab exi stentia: nã etiam præcisis per intellectũ reliquis perfectionibus diuinis, & cõsiderata solum bonitate transcendente, adhuc in Deo erit infinitas bonitatis: contra vero, etiamsi considerentur reliquæ omnes, & earum infinitates, præscindatur autem bonitas, non erit infinitudo bonitatis: & tamen bonitas non distinguitur ratione formali positiua ab entitate, ac reliquis transcendentibus.

IX. Ad secundum argumentũ facilè respondebit, qui existimauerit immensitatẽ etiam dicere solum substantiam diuinã cum negatione terminationis, & circunscriptionis ad locum, & ideò eandẽ esse vtrobique rationem. Qui vero defenderit immensitatem importare rationẽ positiuam virtute distinctam à diuina substantia, dicet inter ipsam, & æternitatem dari similitudinem quoad aliqua, nõ tamẽ quoad omnia. Præcipua vero ratio discriminis est: quoniam, vt sæpè dictum est, distinctio virtualis positiua in diuinis attenditur penes æquipollentiam rerum creatarum: at vero existentia, & duratio creatæ, quibus diuinæ eminenter æquipollent, nõ distinguuntur actu ex natura rei, ideoque diuinæ non distinguuntur virtute positiuè, sed solum per negationes, aut habitudines cõnotatas: at vero substantia corporea creata, & quantitas eiusdem, per quam est apta replere locum distinguuntur ex natura rei actu, vt contra Nomin. ostendi solet in materia de Eucharistia: & ob eam causam ratio substantiæ diuinæ, quæ est in se, & ratio immẽsitatis, qua est repletiua loci, distinguuntur per rationes formales positiuas. His positis neganda est absolute maior propositio, siquidẽ immensitas, & æternitas non habent se prorsus eodem modo, vt dictum est. Ad eius vero probationẽ respondetur in ipsa correspondentia esse discrimen ex parte termini: ex quo à posteriore colligitur differentia inter ipsas perfectiones Dei: nam locus, cui respondet immẽsitas, exigit in substantia corporea rationem commensurationis ab illa ex natura rei distinctam: nempè quantitatem, per quam substantia corporea correspondet loco: tempus vero, cui respondet æternitas, non requirit aliquid distinctũ ab existentia rei durantis, sed eam solam sub aliqua negatione, vel habitudine. Et ob eam causam, etsi æternitas respondeat tempori, & immensitas loco, minimè sequitur æternitatẽ distingui per rationem formalem positiuam ab existentia diuina, sicut distinguitur immensitas.

Tertium argumentum inquirit quidnam propriè addat æternitas supra existentiam Dei, negationem ne, an habitudinem rationis, quod infra instituto explicabo. Nunc absolute neganda est assumptio, & ad probationem primæ partis distinguendum est antecedens: si enim intelligatur de æternitate quoad rationem positiuam, quam includit, verum est: nam existentia diuina est prior natura & cognitione existentia & durationc creata: sed ex antecedente iuxta hunc sensum minimè sequitur consequens, quod procedit de æternitate, quæ præter esse positiuum inuoluit negationem, vel habitudines rationis, si vero intelligatur de æternitate, prout solum inuoluit negationes, verum est: & qui dixerit solas negationes additas existentiæ diuinæ complere rationem æternitatis, concedet etiam consequentiam: quandoquidem iuxta hanc sententiam absque habitudine ad durationem extrinsecam sufficienter concipitur æternitas ap- X.

prehensa

prehensa existentia diuina sub negatione principij, ac finis, & variationis intrinsecæ. Qui vero crediderit ad rationem æternitatis pertinere etiam habitudinem ad durationem extrinsecam, negabit antecedens, si intelligatur de æternitate quoad suam completam rationem. Et ad confirmationem respondebit non esse absurdum perfectiones quasdam diuinas distinctas ab alijs per connotationem, & respectum ad creaturas, quoad totam suam rationem compleram non esse secundum rationem intelligendi prius creaturis, quæ sunt termini habitudinum: vt videre est in scientia Visionis, quæ præter rationem formalem positiuam scientiæ diuinæ importat habitudinem terminationis ad obiectum creatum existens in aliqua differentia temporis, cumque habitudo intelligi nequeat absque termino, etiam scientia Visionis intelligi nequit non præconcepta existentia termini. Eodem modo, cùm æternitas sit duratio, & hoc ipso repletiua spatij successiui præterlabentium sæculorum, intelligi nequit absque habitudine ad tempus successiuum: itaque diuina quidem secundum se, & secundum rationem formalem positiuam à creatis minimè pendent quoad esse, vel cognosci. Verum quia nos non intelligimus ipsa, prout in se sunt, sed prout possumus ex creaturis, concipimus ea sub habitudine ad easdem creaturas, & ita conceptis nomina imponimus: quæ nõ significant solam ipsam perfectionẽ entitatiuam Dei, verumetiam habitudinem ad creaturam connotatam. Ex quo sequitur, si per impossibile tollatur eiusmodi creatura, eo ipso destrui obiectum nominum, & conceptuum eisdem respondentium: & hac ratione, si per impossibile non esset dabilis vlla duratio creata, etiam non esset æternitas Dei sub ratione durationis, quamuis esset sub ratione existentiæ: sublata enim spatij possibilitate tollitur etiam ratio repletiua spatij, vt videre est in ipsa immensitate diuina: si enim per impossibile fingamus non esse possibilem quantitatem vllam, vel locum, intelligi nequit ratio immensitatis, quatenus est repletiua omnis loci: eodem modo sublata possibilitate spatij successiui intelligi nequit ratio æternitatis, quatenus est repletiua eiusdem. Neque ex hoc sequitur diuina quoad suam entitatem pendere à creatis, quoniam sublatis terminis, solum tolleretur habitudo rationis, non autem perfectio ipsa Dei absoluta, quæ sub alijs, atque alijs habitudinibus diuersa nomina sortitur. Ad probationem secundæ partis eiusdem assumptionis respondetur aliud esse cõcipere Deum absolute durantem, aliud vero cõcipere æternum durantem. Ad primum enim sufficit concipere existentem sub aliqua mensura, vel negatione desitionis: Ad secundum vero requiritur, vt concipiatur sub tribus negationibus prædictis. Ad obiectionem vero, qua primum impugnatur, respondetur, vt Deus, aut creatura concipiatur existens minimè requiri, vt actu, & formaliter concipiatur sub negatione desitionis, nõ enim quicunque concipit aliquam formam, eo ipso actu, & formaliter concipit negationem formæ oppositæ: tamen, sicut ipsa negatio virtute cõtinetur in forma apprehensa, virtute etiam concipitur ea concepta: & ideò, quamuis existentia, & desitio sint formæ oppositæ, non opus est, vt qui concipit existentiam, concipiat negationem desitionis actu, & formaliter, sed virtute tantum. Ad rationem vero durationis pertinet intrinsecè negatio desitionis, & idcirco concipi nequit, quin actu formaliter ipsa quoque negatio concipiatur.

XI. Ad quartum negandum est antecedens. Ad cuius confirmationẽ respondetur apud Aristotelem tempus reperiri solum in motu primi mobilis secundum designationem intellectus apprehendentis illum sub certis terminis: cùm itaque ait nos mensurare tempus per motum, & motum vicissim per tempus, loquitur de tempore, vt est duratio motus primi mobilis: motum vero accipit pro mutationibus successiuis rerum inferiorum: solemus enim ex nota mensura temporis mensurare diuturnitatem, vel breuitatẽ motuum, actionumque nostrarum: & quando non adest ad manum horologium, aut quoduis aliud signum temporis, siue motus primi mobilis, ex mora, quam experimur in ipsis nostris motibus, & actionibus, iudicamus quantum temporis transactum sit. Ad quintum dicendum est solam distinctionem formalem penes connotata sat esse, vt res eadẽ subeat diuersas denominationes accidẽtales: nam quantitas, & palmus, aut quæuis alia mensura magnitudinis nõ differunt ratione formali positiua: in corpore enim vnius palmi, ipse palmus nõ est aliquid ex natura rei aut virtute distinctum à magnitudine corporis, sed est ipsamet magnitudo sub designatione intra certos terminos: & tamen magnitudo per rarefactionem, vel cõdensationem potest minimi, vel augeri, quod est accidens reale, quin palmus minuatur, uel augeatur: Ratio vero est, quoniam termini illi per palmum connotati nõ admittunt rationem augmenti, vel decrementi:

Eodem

Eodem modo, quia tempus addit ſupra motum deſignationem certam, ac ſtabilem ſpatij ſucceſsiui, fieri poteſt, vt motus ſit tardior, aut velocior, non vero tempus: velocitas enim motus habet ſe per modum denſitatis, ſiquidem motus velox ſub minori, vel æquali menſura ſucceſsiua continet plures partes magnitudinis: contra vero tarditas habet ſe per modum raritatis, cùm in longiori, vel æquali menſura temporis contineat pauciores partes motus: Et ſicut ex eo, quòd quantitas creſcat, vel decreſcat per rarefactionem, & condenſationem, quin creſcat, vel diminuatur palmus, minimè ſequitur ipſum addere rationem formalem poſitiuam magnitudini, ita ex eo, quòd motus ſit velox, & tardus, non verò tempus, minimè ſequitur hoc addere rationem formalem poſitiuam ſupra illum.

AEternitas eſt menſura omnis durationis creatæ.

Caput VII.

I. CVm æternitas, prout ab exiſtentia diuina diſtinguitur, non addat rationem aliquam poſitiuam, vt conſtat ex cap. præcedente, ſequitur vt inquiram, quidnam propriè addat. Recentiores aliqui cenſent addere negationem menſuræ, exiſtimant enim æternitati repugnare rationem menſuræ, tum reſpectu durationum creatarum, tum vero reſpectu vitæ diuinæ: Ex quo ſequitur vitam, ſiue exiſtentiam expertem menſuræ eſſe completã rationem æternitatis. Claritatis verò gratia hoc capite dicam de ratione menſuræ in ordine ad res creatas, ſequente vero in ordine ad exiſtentiam diuinam: Eſt vero hæc ſententia inprimis de mente Gregorij Nazianzeni in oratione 38. quæ eſt de Chriſti natiuitate ante medium vbi ſic ait: *AEternitas nec tempus, nec temporis pars vlla, nec enim in menſuram cadit.* Præfati verò auctores vt probent inſtitutum, ſupponunt nihil aliud eſſe menſurare, quam quantitatem ignotam per magis notam certificare: quod colligitur ex definitione menſuræ traditæ ab Ariſtotele, vt enim ait lib. 10. Metaph. cap. 2. *Menſura eſt id, quo cognoſcitur quantum:* at verò quidquid eſt ratio cognoſcendi aliud debet eſſe notius illo. Ex qua ſuppoſitione eliciunt tres proprietates menſuræ: Prima eſt, vt menſura, & menſuratum ſint eiuſdem rationis, ſiue homogenea, vt etiam dixit Philoſophus eodem libro cap. 3. Secunda eſt, vt diſtinguatur ex natura rei: quam conditionem expreſsè attigit Scotus in 2. d. 2. quæſt. 2. §. *Ad ſecundam partem:* Tertia denique, vt ibidem notat Scotus menſuram ſemper debere eſſe aliquid extrinſecè adhibitum ad metiendum, ſiue ſit res extrinſeca participans eandem quantitatem, ſiue pars ſæpius repetita, ſiue ipſa ratio formalis vnitatis, qua ſæpius iterata numerus diſcernitur.

Nazianzen. *Ariſtot.* *Scotus.*

II. Hoc poſito oſtenditur æternitatem non eſſe menſuram durationis creatæ: primò quoniam æternitas, vel dicitur menſura perfectionis reliquarum durationum, vel quantitatis, ſiue extenſionis ipſarum: de primo non eſt controuerſia: Omnes enim cõcedunt cum Philoſopho lib. 10. Metaph. cap. 2. primum in vnoquoque genere eſſe menſuram reliquorum. Secundum eſſe nõ poteſt: quoniam menſura eius generis vel eſt vnitas, vel numerus, qui ab intellectu aſſumitur ad dignoſcendam rei quantitatem: æternitas autem non poteſt ad hoc eſſe apta vlli intellectui non inprimis diuino, cui omnia per ſe nota ſunt: non creato etiam Angelico: nullus enim ex æternitate Dei diſcernere poterit, quanta ſit alterius rei duratio: nam, ſi hæc ſit finita ex vna parte, vel ex vtraque, nullam habet proportionem cum æternitate vtrinque infinita: & conſequenter nequit ab ea menſurari: ſi vero ſupponamus eſſe coæternam Deo abſque principio, ac fine durationis, adhuc duratio ipſius non poſſet nobis innoteſcere ex æternitate Dei: nam, quamuis duraret æque, ac Deus, non proinde illam metiremur æternitate, vtraque enim ex æquo ignota nobis, atque indiſtincta maneret. Deinde menſura omnis, vt ſit notior, reduci debet ad vnitatem: ideò enim cum vitam, vel alia id generis metimur, vtimur motu primi mobilis, vt menſura, quia nobis notior eſt, ac diſſinitus certa ſui parte, qua ſæpius inſtar vnitatis repetita metimur dies, menſes, & annos: quod locum nõ habet in æternitate, quæ partium expers eſt. Tertio æternitas non eſt homogenea durationibus creatis, quæ illi comparatæ habent inſtar momenti: ſicut ergo punctus non eſt menſurabilis linea, nec inſtans tempore, ita neque durationes creatæ æternitate. Quæ ratio magis elucet in tempore: quod, cùm ſit diuiſibile, ac ſucceſsiuum, proportionem non habet cum æternitate indiuiſibili, ac permanente. Denique menſura, vt indicet quantitatem rei menſuratæ, debet habere aliquid deſignabile nobis notius, cui vel ſemel applicato, vel ſæpius repetito commenſuretur menſuratum: nihil hu-

Ariſtot.

hil huiusmodi habet æternitas: ergo subire nequit rationem mensuræ. Propositio est manifesta: nam, si designari nequit per intellectum mensura adæquata mensurato, non fiet notius, quam antea erat: vt conspicuum fiet, si quis totam cœli molem cogitatione applicet exiguæ auri bracteæ: non enim ex hoc agnoscere poterit quãtitatem eius: æternitas autem infinitate sua magis excedit quamuis durationẽ finitam, quam cœlum quoduis aliud corpus minimum: neque ratione propriæ indiuisibilitatis designare in ipsa possumus partes aliquas commensurabiles durationi creatæ, quemadmodum designamus in motu cœli dies, menses, & annos, quamuis ipse sit maior quauis alia re, quam mensurat.

III. Pro solutione obseruandum mensuram multipliciter diuidi: quod vero attinet ad præsens institutum, quadruplex diuisio attendenda est: prima sumitur ex ipsa ratione mensuræ: secunda ex modo mensurandi: tertia ex obiecto mensurato: quarta denique ex modo coniunctionis ad illud. Primo modo diuiditur in propriam, & impropriam: quam diuisionem tradit Capreolus in 1. distinct. 9. quæst. vn. art. 2. conclusion. 1. & Soncin. quæst. 2. in 2. solutione primi argumenti contra primam conclusionem: mensura propria est quantitas finita, per quam dignoscimus certam magnitudinẽ mensurati. Ita accepit Arist. lib. 5. Physic. cap. 3. text. 24. cùm ait mensuram simpliciter debere esse quid finitum: & Christus Dominus in Euangel. Ioan. 3. *Pater non dat filio Spiritum ad mensuram*: & à negatione huius res infinitæ dicuntur immensæ: quia scilicet eorum magnitudo certa, ac præfinita mensura explorari nequit. Impropria vero mensura est, qua cognoscimus quantitatem mensurati, siue ea sit finita, siue non: quomodo accipiunt Doctores referendi num. 7. Ex modo mensurandi diuiditur à Scot. in 2. d. 2. q. 2. §. *Ad secundam partem*, & alijs in mensuram æqualem, & inæqualem: prima dicitur per adæquationem: & vnica applicatione sui ad mensuratum manifestat eius quantitatem. Secunda vero vel est maior, vel minor mensurato: maior vt tempus primi mobilis respectu motuum rerũ corruptibilium: vt perfectissimum in vnoquoque genere, quod est mensura reliquorum: minor plerunque metitur per repetitionem, de qua loquitur Philosophus lib. 10. Metaph. cap. 2. cùm ait vnitatem, & minima quæque in suo genere sumi, vt mensuram cæterorum. Tertio ex parte obiecti mensurati, dicitur mensura quantitatis, & veritatis: Hanc diuisionem tradit Henricus in sum. art. 31. q. 2. litera C. de mensura veritatis non est hic agendi locus: mensura vero quantitatis est multiplex sicut ipsa quantitas, siue propria, siue metaphorica. Et quoniam duratio pertinet ad quantitatem metaphoricam, eius mensura est etiam mensura quãtitatis, vt patet in tempore, quo metimur longitudinem, ac breuitatem vitæ. Denique ex modo coniunctionis ad obiectum mensuratum, quædam est mensura intrinseca, quædam extrinseca, vt tradit D. Thomas in 2. d. 2. quæst. 1. art. 2. ad 1. & Henric. q. citata ad 2. intrinseca inest obiecto mensurato, extrinseca vero non, sed extrinsecus applicatur.

IV. Suppono deinde ex Durando in 2. d. 2. quæst. 5. num. 6. mensuram extrinsecam, de qua solum loquitur, interdum esse causam mensurati, interdum vero non: itaque de ratione communi mensuræ non est causalitas, sed solum quantitas, cuius comparatione innotescat quantitas mensuratorum. Ex quo vlterius colligitur mensuram aliam esse practicam, aliam speculatiuam: practica est, quæ rebus faciendis præscribit numerum, ac pondus: de qua loquitur Salomon Sapient. 11. cùm ait Deum fecisse omnia in numero, pondere, ac mensura: quomodo Architectus antequã operi manus admoueat, vniuersam fabricam mente, & cogitatione delineat, ac describit, certamque figuram, & magnitudinem singulis eius partibus præfinit: speculatiua illa est, quæ non habet rationem causæ, sed solum comparatiuè, ac indirecte ducit in agnitionem mensurati, quomodo se habent mensuræ communes, quibus homines vtuntur in rebus contrahendis expendentes magnitudinem, numerum, ac pondus ipsarum: non enim ideò res habent tantam magnitudinem, numerum, aut pondus, quia adæquantur mensuris: imò ideò adæquantur, quia habent: itaque mensura speculatiua non dat quantitatem rei, sed quam habet ostendit: practica vero quantitatem confert mensuratis, & in eius cognitionem ducit: nam, quod est causa in essendo, est etiam in cognoscendo. Non placet tamen id, quod inquit Durandus vbi supra num. 12. nempè præordinationem diuinam, & eius beneplacitum esse per se mensuram durationis æuiternorum tanquam per se causam: non enim quæuis ratio causæ ducentis in agnitionem effectus sufficit ad rationem mensuræ: sed opus est, vt ipsa causa sit particeps quantitatis, & vt ex eius quantitate dignoscatur quantitas rei mensurandæ: Volitio vero diuina sub ratione

Henric. *S. Thom.* *Henric.* *Durand.* *Sapient. 11.* *Capreol.* *Soncin.* *Aristot.* *Ioan. 3.* *Scotus.* *Aristot.*

volitionis non est quantitas virtualis duratiua: & ideò, quamuis, is, qui agnouerit voluntatem diuinam præordinantem certam mensuram annorum vitæ hominis: iuxta illud B. Iob capit. 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt*, agnoscat etiam durationem præordinatam, nihilominus præordinatio illa secundum propriam rationem formalem non habet rationem durationis: & proinde quantitas vitæ nostræ non cognoscitur ex præordinatione diuina, tanquam ex quantitate duratiua, sed tanquã ex causa libera determinatæ mensuræ vitæ nostræ.

V. Vltimo est obseruandum, cùm dicitur mensuram esse notiorem mensurato, intelligendum proportionaliter: hoc est mensuram habitualem debere esse suapte natura notiorem aliquo genere notitiæ, actualem vero actualiter. Ex quo prouenit, vt actu mensurare nequeat, nisi sit aliquo modo notior, quàm res mensurata: & idcirco, vt benè notauit Scotus vbi supra, si quis mensuram sibi ignotam accommodet rei mensurabili, non proinde subibit rationem mensuræ actualis, nec licet in agnitionem quantitatis mensuratæ. De ratione vero mensuræ fundamentalis applicabilis alteri solum est, vt suapte natura possit esse notior comparatione alicuius intellectus: idcirco enim *Aristot.* Philosophus lib. 4. Physic. t. 33. dixit nos mutuo metiri & motum tempore, & tempus motu, quia alterum est nobis notius altero, vel simpliciter, & suapte natura, vel à posteriori, & ex sensu. Et ideò, quamuis ex defectu intellectus non attingentis agnoscibilitatem mensuræ proueniat, vt nequeat vti illa, ad discernendam quantitatem rei mensuratæ, non proinde desinit esse mensura: nam, vt D. Augustin. Epistol. 49. quæst. 4. agens de mensuris geometricis, quibus Mathematici solem metiuntur: *Siue hoc*, inquit, *illi possint, siue non possint, constat eum tamen propriam sui orbis habere mensuram: quia, etsi comprehendunt quantus sit, mensuram eius comprehendunt: & si hoc non assequuntur, mensuram eius vtiq; non comprehendunt: nec ideò nulla est, quia homines eam nosse non possunt.* Nec vero etiam impedit rationem mensuræ, si mensuratum sit iam cognitum ab intellectu, dummodo mensura sit suapte natura ratio cognoscendi quantitatem eius: nam, quoties intellectus vtitur mensura non solum ad agnoscendum de nouo quantitatem mensurati, sed ad repetendam, vel continuandam eiusmodi notitiam, exercet rationem mensuræ, quantumuis mensuratum sit notum mensuranti: quomodo essentia diuina est mensura perfectionis creatæ non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo: nam, sicut sicut rebus ipsis est ratio exemplaris, vt sint tantæ perfectionis, ita etiam est ratio agnoscendi quantitatem perfectionis cuiusque: & ita diuina mens in rationibus idealibus agnoscit quantitatem virtualem perfectionis rerum omnium creatarum, de quibus explicat Augustin. lib. *Augustin.* 4. de Gen. ad literam cap. 3. & 4. illud Sapientiæ 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, & appellat mensuram sine mensura. Et tamen licet nunquam Deus caruit agnitione quantitatis virtualis perfectionis rerum creatarum, essentia, vt idea, est illi mensura cognitionis earum: quia intelligit quantitatem perfectionis ipsarum per comparationem ad essentiam, cuius imitabilitati æquantur creaturæ singulæ pro ratione propriæ mensuræ: vt indicat Augustinus vbi supra cap. 4. appellans Deitatem, *Mensuram sine mensura, cui æquatur, quod de illa est.* Non enim vult, vt perfectio creaturæ adæquetur perfectioni Deitatis absolutè sumptæ, sed vt æquetur illi, quatenus præcisè est mensura, atque idea propria rei: Et hæc adæquatio non est in essendo, sed in participando, quia diuina essentia ita, ac tantum participatur à quauis creatura, quantum præcisè imitabilis est secundum eius speciem. Non solum autem habet Deus apud se mensuram perfectionis, sed etiam magnitudinis, numeri, temporis, & reliquorum, vt indicat Ambrosius lib. 1. de Abel, & Caim *Ambrosius.* cap. 8. *Etsi*, inquit, *immensus Deus, tamen mensuram omnium tenet, sicut scriptum est. Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu?* Esai. 40. *Isai. 40.*

His positis dico primum. Æternitas **VI.** non est mensura propriè, sed impropriè dicta, est expressa Capreoli, & Soncinatis *Capreol. Soncin.* vbi supra. Quoad priorem partem, consentio cum auctoribus initio relatis, quam probant argumenta initio proposita. Ex eo enim, quod æternitas sit infinita, rectè concluditur non esse mensuram propriè dictam, de cuius ratione est finitudo. Ægid. tamen in 1. distinct. 8. 2. p. quæst. *Ægid.* 1. art. 3. contendit Deum dici mensuram propriè, non per translationem, quia scilicet non considerat finitudinem, vel infinitudinem, sed alias proprietates mensuræ,

ſuræ, quæ propriè conueniunt Deo, in quo ſenſu rectè docet. Tamen, ſi attendamus vulgarem vſum menſuræ, accipi videtur pro finita, ad quem ſenſum non rectè adaptatur Deo. Poſterior pars eſt de mente omnium ferè Theologorum, qui æternitatem appellant menſuram. Suadetur vero: quoniam aut æternitati repugnat eſſe menſuram, quia diuina, aut quia infinita eſt: neutra ratio impedit: ergo non repugnat. Aſſumptio conſtat, inprimis quoad rationem diuinitatis: quoniam, vt patet ex dictis Ambroſ. & Auguſtin. paulò ante relatis, in Deo eſt menſura rerum omnium: Deinde quoniam exemplar eſt menſura exemplatorum: eſſentia diuina eſt exemplar rerum omnium creatarum: ergo ratione eſſe diuini non repugnat æternitati, vt ſit menſura. Eſſe vero Deum menſuram entium reliquorum, fusè probat Ægidius quæſt. 1. citata per tres articulos, & Henric. quodlib. 11. quæſt. 11. non repugnare vero ex eo, quod ſit infinita, colligitur ex Diuo Auguſtin. ſuperius relato: qui Deum appellat menſuram ſine menſura, hoc eſt ſine termino, ac fine, & conſequenter infinitam. Ratione vero probatur: quoniam de ſententia Philoſophi mundus fuit ab æterno, & conſequenter motus, ac tempus infinitum: & ratio cognoſcendi infinitatem motus eſt infinitas temporis: ergo infinito non repugnat ratio menſuræ. Et confirmatur, quoniam ita ſe habet tempus infinitum ad motum infinitum, vt certa portio temporis ad motum certum, ac finitum: tempus autem certum menſurat motum finitum: ergo tempus infinitum menſurabit motum infinitum. Denique ratio menſuræ conſiſtit in applicatione quantitatis notæ ad dignoſcendam ignotam: finitum, vel infinitum, ſunt paſsiones quantitatis, quarum vtraque cohærere cum illa poteſt: ergo, ſi vna quantitas infinita ſit notior altera ſimiliter infinita, poterit eſſe menſura alius: non repugnat autem, vt ſicut inter finitas vna eſt notior alia, ſit etiam inter infinitas.

Ambroſius. Auguſtin.

Ægid. Henric.

VII. Dico ſecundum. Æternitas eſt menſura extrinſeca omnis exiſtentiæ, & durationis creatæ. Eſt expreſſa Alenſis 1. p. quæſt. 12. m. 9. art. 3. ad 2. & art. 4. in fine, & 4. p. quæſt. 21. m. 2. art. 2. ad 2. Alberti in 1. diſtinct. 8. art. 8. quæſt. 10. 12. 13. & diſt. 9. art. 1. ad 1. S. Thomæ diſtinct. 19. quæſt. 2. art. 1. ad 2. & art. 2. ad 1. Capreoli diſt. 9 quæſt. vnica, art. 2. ad 1. ex 4. loco poſitis. & diſtinct. 36. quæſt. vn. art. 2. ad 8. & 9. Ferrarienſ. lib. 1. contra Gentes cap. 66. §. *Conſiderandum ſecundo*, & ſequentibus, & Hiſpalenſ. in 1. diſtinct. 38. quæſt. vn. art. 3. notab. 2. poſt medium. Fundamentum primum eſt: quoniam, quando aliqua ſunt comparabilia penes magis aut minus ſub eadem forma, oportet vt habeant menſuram aliquam communem, vel ſaltem vnum ipſorum ſit menſura reliquorum: omnis enim comparatio reſpicit menſuram per acceſſum, vel receſſum, à qua innoteſcit proportio comparatorum: omnes autem durationes creatæ comparari poſſunt inter ſe, imò, & cum diuina ſecundum magis, aut minus: ita naturalium rerum durationem componebat Dauid cum æternitate, dicens Pſalm. 101. *Ipſi peribunt, tu autem permanens, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Non poteſt autem dari menſura communis durationi creatæ, atque increatæ, alioquin iam daretur prima menſura ſuperior, ac prior Deitate, cuius oppoſitum, vt per ſe notum ſupponit D. Auguſtin. vbi ſupra, cum Deitatem appellat menſuram ſine menſura, & Gregor. Nazianzen. loco citato, cùm æternitatem negat cadere in menſuram: ipſæ autem durationes creatæ deficiunt ab æternitate, neque illam exæquare poſſunt vnica applicatione, aut per repetitionem, quoniam infinitum nunquam exhauritur applicatione, vel repetitione menſuræ finitæ: reſtat ergo, vt ipſa æternitas ſit prima creatarum durationum menſura: & ideò eſt alterius menſuræ expers: nam omnes aliæ menſuræ communes, vt primum tempus, & æuum, quamuis ſint in ſuo genere primæ ex diſpoſitione diuina, non tamen ſunt abſolute primæ: hoc enim ſolius Dei proprium eſt, qui earundem eſt menſura prior, & potuit ſecundas alias menſuras ſimpliciores, & perfectiores conſtituere: & ita in genere menſuræ durationis non eſt dabilis prima inter creatas, quæ non poſsit eſſe prior: Et ideò diuina eſt ſimpliciter prima.

Ferrarienſ. *Hiſpalenſ.* *Pſalm. 101.* *Auguſt.* *Nazianzen.*

VIII. Fundamentum ſecundum eſt: quoniam ita ſe habet prima, & perfectiſsima eſſentia comparatione eſſentiæ participatæ: ſicut prima, & perfectiſsima duratio comparatione durationis participatæ: illa habet rationem menſuræ, comparatione quantitatis virtualis in eſſendo, hoc eſt perfectionis eſſentialis, vt omnes admittunt: ergo & hæc habet rationem menſuræ comparatione quantitatis virtualis in durando. Reſpondent recentiores, primum æuum, ſiue æternitatem eſſe quidem men-

Alenſis. Albertus. S. Thom. Capreol.

ſuram perfectionis durationum reliquarum, non tamen extenſionis earundem. Verum non ſoluunt: etenim in æternitate duplicem quantitatem virtualem poſſumus agnoſcere, alteram intrinſecam, quæ dicitur quãtitas perfectionis, alteram quaſi extrinſecam, quæ propriè eſt quantitas durationis, quemadmodum in motu primi mobilis eſt quantitas perfectionis, quia eſt perfectior, ſimplicior, & vniformior cæteris, ſecundum quam metimur reliquos motus quoad perfectionem: & quantitas durationis, qua cõtinuè, & indefinenter fluit: & ſecundum hanc metimur durationem motuum reliquorum: cur ergo non menſurabitur æternitate omnis duratio quoad extenſionem virtualem in exiſtendo, ſi in hoc genere æternitas eſt prima, & vniformis, ac ſimpliciſsima.

IX. Tertium. Æternitati nulla deeſt conditio requiſita ex parte menſuræ: nam ipſa eſt ſuo modo quantitas virtualis, ſicut duratio creata habet ſufficientem diſtinctionem ab illa: eſt ſuapte natura notior illa: & penes illam fieri poteſt collatio ſecundum maius, vel minus in ratione durationis. Dicet aliquis æternitatem eſſe quantitatem Eterogeneam, cùm qua non poteſt eſſe collatio durationis creatæ. Hæc tamen reſpoſlio non ſatisfacit: nam, quando Philoſophus lib. 10. Met. cap. 3. dixit menſuram debere eſſe homogeneam, nequaquã intellexit opus eſſe, vt ſit eiuſdem ſpeciei: alioquin numeri minores nõ menſurarent maiores, neque vnitas numerum: quod tamen ipſe concedit. Præterea nõ magis eterogenea eſt æternitas in ratione durationis collata durationibus creatis, quam eſſentia diuina in ratione perfectionis collata eſſentijs creatis: vtraque enim in ſuo genere eſt infinita, & eſſentialiter diuerſa à creatis: ſi ergo eſſentia, quatenus concipitur vt quantitas virtualis intenſiua perfectionis, & conuenit cum creatis in ratione communi eſſentiæ, poteſt eſſe menſura perfectionis, cur æternitas quoque, quatenus concipitur vt quantitas virtualis extenſiua durationis, & cõuenit cum creatis in ratione communi durationis, non erit menſura durationis creatæ? Vt enim menſura dicatur homogenea, ſat eſt, vt conueniat formaliter cum menſurato in ratione communi, ſecundum quam fit comparatio penes magis, vel minus, vel æquale: Et hoc eſt, quod ait Ægid. in 1. diſtinct. 8. 2. p. quæſt. 1. art. 3. menſuram dici homogeneam, ſiue vnigeniam menſurato propter analogiam: hoc modo conuenit æternitas in ratione communi durationis cum creatis. Reſpondebit aliquis æternitatem non eſſe aptam, vt per illam dignoſcatur quantitas durationum creatarum: cùm enim ſit infinita, manet ignota proportio durationis creatæ ad ipſam. Sed neque hæc reſponſio ſufficit: nam eſſentia diuina eſt etiam infinita in ratione perfectionis, & tamen eſt menſura perfectionis rerum creatarum: quare ratio infinitatis non impedit, quo minus ex menſura poſſit innoteſcere quantitas menſurati: Reſpondent aliqui de ratione menſuræ ſecundum Philoſophum lib. 10. Metaph. cap. 2. & 3. eſſe, vt ſit minimum in illo genere. Verum hoc non eſt de ratione cuiuſuis menſuræ in communi: nam Philoſophus lib. 4. Phyſic. cap. 12. text. 116. vult, vt à tempore menſurentur ſolum ea, quæ ab ipſo exceduntur, & ita tempus non eſt minimum, imò maius menſuratis: ſolumque id intelligitur de mẽſura per repetitionem: hæc enim niſi ſumatur ſecundum partes minimas, non erit apta ad omnia menſuranda. Quare cauſa binarius, aut ternarius non eſt menſura idonea ad menſurandos numeros: nam vterque repetitus aliquoties deficiet, vel excedet à propria illorum menſura: vt patet in quinario, qui neutro ex his aliquoties repetito menſuratur: ſi enim binarius ſemel, vel bis applicetur, non accedet adquinarium, ſi vero ter excedet: æternitas vero nõ eſt menſura per repetitionem, & ideò nõ oportet vt ſit minima inter durationes. Addiderim etiam ſuo modo poſſe dici æternitatem eſſe minimam ſcilicet ratione vniformitatis, ſimplicitatis, & indiuiſibilitatis, vt explicat Ægid. quæſt. citata, art. 3. At inquies quamuis apud Philoſophum tempus ſit infinitum, & diuturnius omnibus, quæ ſunt in tempore, dari tamen in ipſo potentia partes minimas, quæ ſubeunt rationem vnitatis, verbi gratia, horas, dies, menſes, & annos, quæ multiplicatæ per numerum reddunt æqualem menſuram cuiuis rei durãti per tempus: at vero in æternitate nõ ſunt partes, vt per ipſius minimum, ſiue vnitatem multiplicantes deueniamus in notitiam durationis, quam metimur.

Hoc argumentum exigit, vt explicetur ſit ne æternitas menſura per repetitionem, vel adæquationem: item vtrum menſuret durationes creatas ſolum ſecundum communem quandã rationem diſcernendi longiores à breuioribus, an vero ducendo in ne etiam propriæ, atque adæquatæ menſuræ durationũ ſingularum. Hac in re certũ inprimis eſt per æternitatẽ dignoſci poſſe, quænam durationes creatæ ſint diu-

Ariſtot.

Ariſtot.

X.

turnio-

turniores, quæ breuiores: nam per maiorem acceſſum ad æternitatem, vel receſſum ab eadem agnoſcimus maiorem, vel minorem quantitatem durationis: æternitas quippe caret principio, ac fine, ex quo ſequitur, vt res, quæ habent maiorem diſtantiam durationis inter principium, ac finem diuturniores ſint, breuioris vero durationis illæ, quæ minorem: hæc vero inæqualitas innoteſcit ex applicatione æternitatis ad vtramque durationem, quemadmodum ex eo, quod duo, qui eodem tempore iter arripiunt, & vnus abſoluit prius, quàm alter, agnoſcimus diuturniorem fuiſſe motum vnius, quàm alterius: quia motus vnius, per maius temporis ſpatium coexiſtit motui primi mobilis, quam motus alterius: quamuis forte quia neſcimus determinatam menſuram primi motus, cui vterque coexiſtit, ignoremus determinatam quantitatem, ſiue menſuram ipſorum. At Angelus, qui ſciret menſuram motus cœleſtis, cui duo illi motus coextiterunt, in ea cognoſceret non ſolum inæqualitatem, ſed propriam, atque adæquatam durationem vtriuſque, & proportionem exceſſus vnius ad alterum. Ex quo exemplo fit gradus ad reſponſionem quæſtionis in poſteriore ſenſu. Eſt enim dicendum æternitatem ſuapte natura eſſe ſufficiens indicium, ſiue menſuram ad veniendum in agnitionem propriæ, ac determinatæ quantitatis durationis cuiuſcunque creatæ: Et proinde Deus, ſicut in eſſentia, quatenus conſideratur, vt menſura perfectionis, non ſolum agnoſcit inæqualitatem perfectionum creatarum inter ſe, verumetiam determinatam quantitatem perfectionis, ita in ſua eſſentia, quatenus æterna eſt, atque idea omnis durationis creatæ, agnoſcit durationes ipſas ſecundum proprias menſuras, & proportionem vnius ad alteram, non ſolum quoad perfectionem eſſentialem, ſed etiam quoad extenſionem durationis. Quod ſuadetur, quoniam omnis Artifex, qui non à caſu, & per accidens, ſed per ſe, atque ex arte operatur, reſpicit normam aliquam, atque menſuram, ad quam opus ſuum accommodet: Deus autem ſapientiſsimus Architectus vniuerſi non fortuito operatus eſt: adhibuit ergo menſuram in operando, fecit enim omnia in numero ponderе, ac menſura, vt dicitur Sapient. 11. quocirca ipſe ſe fingit apud B. Iob cap. 38. tanquam Architectum omnibus architectonicæ artis præceptis vtentem, vt notat ibi D. Thomas lect. 1. *Vbi eras*, inquiens, *quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam, quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam, &c.* & cap. 28. de eodem opificio Dei dicitur: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura*. Idem explicatur Prouerb. 8. illis verbis. *Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ:* Quibus locis introducitur Deus, quaſi menſurans rerum pondera, magnitudinem, numeros, & annos, quocirca dixit B. Iob cap. 14. *Numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Habet ergo Deus apud ſe menſuram, qua rerum durationem expendat: hæc non eſt alia, quàm eſſentia diuina, vt eſt æterna, & imitabilis, ſecundum certam, ac determinatam exiſtentiæ durationem participatam à creaturis: iuxta cuius menſuram Deus præſcripſit creaturis ſpatium propriæ durationis: omnis autem menſura practica talis eſt, vt & inſeruiat operi fabricando: &, poſtquam exædificatum eſt, cognoſcendo, ſi tamen opus non difformatur menſuræ: opera vero diuina ad amuſsim reſpondent menſuræ, quæ eſt in mente Dei: ergo hæc non minus apta eſt ad illa menſuranda ſpeculatiuè, poſtquam facta ſunt, quam practicè, antequam fierent: & ita diuinus intellectus in æternitate tanquam in menſura ideali finito modo participata à duratione rerum creatarum agnoſcit quantitatem durationis propriæ ſingularum. Confirmatur autem à ſimili, quoniam eſſentia diuina, ſecundum ſe eſt ſimilitudo communis rerum omnium: & tamen, quatenus ſumitur vt idea ſingularum, eſt propria, & adæquata ratio ipſarum: ergo etiam æternitas prout eſt ratio idealis ſingularum durationum creatarum eſt menſura adæquata ipſarum, ita vt ex præciſa imitabilitate paſsiua ipſius deprehendi queat quantitas propria ſingularum. Eſt tamen diuerſa ratio in eſſentijs, ac duratione: nam eſſentiæ ſunt neceſſariæ, & indiuiſibiles, & independentes ab actu libero voluntatis diuinæ: & ideò abſque ſuppoſitione illius, Deus certo, ac determinatè agnoſcit eſſentias creatas in ſua: duratio vero, & aliæ perfectiones, quæ non ſunt eſſentiales ſubſtantijs creatis, poſſunt magis, vel minus participari: & idcirco ſecundum eſſe poſsibile, quod eſt multiplex, diuerſimodè etiam menſurantur ab eſſentia: ſe-

Sapient. 11. *Iob 38.* *Iob 28.* *Prouerb. 8.* *Iob 14.* *S. Thom.*

cundum vero esse actuale determinatum, vno tantum modo illam participant, ex præscripto voluntatis diuinæ eligentis illum ex pluribus, qui esse poterant: hoc autem decreto posito, æternitas, prout præcisè est idea durationis creatæ præfinitæ à voluntate diuina, est mensura adæquata illius. Ex quo iam patet æternitatem absolutè sumptam esse mensuram per excessum durationis creatæ, sicut tempus est mensura motuum inferiorum: sumpta vero sub determinata imitabilitate esse mensuram durationis determinatæ per adæquationem.

XI. Ex quibus constat non esse adæquatam responsionem traditam: etenim, licet æternitas careat partibus formalibus, tamen quemadmodum consideratur, vt quantitas virtualis, ita admittit considerationem partium virtualium: nam quantitatis ratio sine ratione partium consistere nequit: & ideò sicut admittitur quantitas virtualis, admitti debent partes virtuales: hoc est totum ipsum prout eminenter, aut æquipollenter continet partes actuales creaturarum. Et hac ratione æternitas, sub ea ratione, qua participabilis est à tanta duratione, & non maiore, concipitur, vt pars sui absolute consideratæ: quo modo etiam essentia diuina, prout est idea hominis solius, non consideratur adæquate, quatenus est interminatum pelagus essentiæ, sed inadæquate quatenus solum continet eminenter naturam hominis: & iuxta has considerationes præcisè est mensura adæquata singulorum. Quod suadetur ex D. Augustin. superius relato asserente Deitatem esse mensuram, *Cui æquatur, quod de illa est:* quemadmodum igitur nos diuidentes tempus per intellectum, quamuis ipsum sit longius mensuratis, sumimus partes potentiales eius, vt inueniamus adæquatam mensuram durationis rerum temporalium, ita possumus concipere in æternitate partes virtuales, quatenus eminenter continent omnia tempora, quomodo concipiebat Iobus cap. 10. cùm dicebat. *Nunquid sicut dies hominis dies tui? & anni tui, sicut humana sunt tempora?* agnoscens in æternitate dies, & annos, non quidem formales, & actuales, & continuo fluxu labentes, sed virtuales, ipsam nimirum æternitatem, prout in numeris, diebus, & annis est mensura durationis, & singulis præcisè respondet: in qua sic sumpta Deus agnoscit singulorum durationes, & proportionem, excessum, & æqualitatem ipsarum inter se.

Augustin.

Iob. 10.

D. Gregor. Nazianzen. in contrarium citatus, non negat æternitatem esse mensuram, sed esse mensurabilem, quod est verum: siquidè in ratione durationis est prima mensura, cuius non est alia mensura. Responderi etiam potest ipsum loqui de mensura propriè dicta: & intelligendum iuxta sententiam primæ assertionis, quæ non contradicit secundæ. Ad primum argumentum respondetur æternitatem esse mensuram extrinsecam, non solum perfectionis, sed etiam quantitatis extensiuæ durationum creatarum. Et ad huius impugnationem respondeo tametsi nobis, qui æternitatem non agnoscimus, non sit vlus eius ad discernendam quantitatem durationis creatæ, non proinde ipsam in se carere ratione fundamentali mensuræ actiuæ: quemadmodum ipsæ quoque mensuræ creatæ, si nobis ignotæ sint, quamuis applicentur quantitati eiusdem rationis, non inseruient nobis ad dignoscendam magnitudinem ipsius. Verbi gratia, si quis mensuram vlnæ incognitæ sibi applicet panno eiusdem magnitudinis, nõ agnoscit mensuram panni esse vnius vlnæ, alter tamen, cui nota sit ratio mensuræ, agnoscet. Hoc autem me Deus, cui sua æternitas nota est, eadem metitur æui, ac temporis durationem, nõ quidem quasi indigens mensura ad cognoscendum de nouo, sed in ipsa ratione, ac mensura artis suæ agnoscens arte factum quoad omnes eius circunstantias: ex quibus vna est duratio præfinita secundum consilium voluntatis ipsius iuxta imitabilitatem suæ æternitatis. Quin vero, licet nobis viatoribus, vt benè probat argumentum, non inseruiat æternitas ad attingendam certam, ac præfinitam magnitudinem durationis creatæ, inseruit tamen ad discernendum in confuso aliam esse maiorem, aliam minorem: Et beatis videntibus Deum, & ipsius æternitatem poterit inseruire ad agnoscendam determinatam extensionem, si æternitatem videant, quatenus hoc, vel illo modo est imitabilis: quemadmodum videndo essentiam vident excessum, ac proportionem perfectionis creaturarum, quas vident in essentia, tanquam in propria mensura. Et ad confirmationem, qua ex infinitate probatur æternitatem non esse aptam ad indicandam certam mensuram rei, dicendum eadem ratione cõcludi posse essentiam diuinam, vtpote infinitæ perfectionis, non esse mensuram perfectionis creatæ, sicut vero hic nihil probat, ita neque in æternitate.

XII.

XIII. Solutio secundi argumenti patet ex

dictis:

dictis: nam, quemadmodũ ex tempore sumimus partes aliquas minimas ad metiendos motus rerum inferiorum, ita considerare possumus æternitatem, vt præcisè continẽtem certam aliquam durationem, quomodo manet adæquata mensura illius. Quin verò nos in mensurando indigemus vno, atq; minimo, quia non valemus vnico oculi, vel mentis ictu attingere mensuram adæquatam quanti, quod metimur: & ideo illã per partes inquirim⁹; si verò possemus vnico actu applicare mensuram adæquatam, non opus esset longa calculatione per minima, atque vnitates. Deus verò, qui hoc potest, in ipsa æternitate concipit mensuram, qua statim adæquat quantitatem durationum singularum: & ita non indiget plurium vnitatum aggregatione. Ad tertium neganda est maior propositio: vt enim iam dixi, sufficit ratio homogenea durationis in communi, in qua cum creatis conuenit æternitas: durationes autem creatæ dicuntur habere instar puncti comparatione æternitatis propter infinitum excessum huius ad illas: nõ vero propterea quod ipsæ sint expertes quantitatis duratiuæ, quemadmodum punctum expers est quantitatis continuæ permanentis. At saltem inquies, instans, quod in ratione durationis indiuisibile prorsus est, atq; expers extẽsionis tàm formalis, quàm virtualis nõ mensurabitur æternitate. Neganda tamen est hæc consequentia; quoniã in æternitate est considerare etiam ipsum nunc: quod, licet sit ipsamet æternitas, cõcipitur tamen, vt respondet ipsi nunc temporis, & qui, vt cap. 11. explicabo. Ad quartum patet solutio, ex modo superiùs tradito, quo æternitas mensurat durationes creatas.

AEternitas est mensura intrinseca, vitæ diuinæ.

Caput VIII.

I. ALtera pars controuersiæ reiecta in hoc caput erat, vtrũ æternitas comparatione Dei mensuræ rationem habeat. Cuius negatiuam partem ijdem tuentur Autores, idem docuit Durandus in 1. distinctio. 19. quæstion. secunda, numero octauo. Ocham. in 2. quæst. 13. liter. G. & Gabriel. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. quibus fauet D. Thomas in 1. distinct. 19. quæst. 1. art. 1. ad quartum, vbi ait quod diuina magnitudo nullo modo est mensurabilis, vel mensurata, nec ab alio, nec à se: tum quia est infinita, nec habet terminum: tum quia commensuratio non est vnius quantitatis ad se, sed duarum. Ostendunt vero in primis quoniam duratio intrinseca rei non est mensura illius: æternitas est duratio intrinseca existentiæ diuinæ: ergo non est mensura. Maior ostenditur: tum quia mensura, & mensuratum debent esse distincta: tum verò quia mensura omnis, vt sumitur ex Aristotele lib. 10. Metaphy. cap. 3. debet esse homogenea: existentia autem, & duratio sunt heterogeneæ: tum denique quia mensura est, qua agnoscitur quantum, non vero substantia rei: duratio autem intrinseca, si qua est, non mensurat aliam durationem, tunc enim esset progressus in infinitum: quare duratio non habet quid mensuret intrinsecè. Idem ostendunt à simili, quoniam quantitas magnitudinis, etsi accipi possit vt mensura extrinseca alterius quantitatis, substantiæ tamen, in qua inest, mensura non est: quare neque duratio erit mensura existentiæ rei durantis: quod etiam locum habet in æternitate, quæ est duratio vitæ diuinæ. Secundò prima mensura non est capax alterius mensuræ: substantia autem diuina est prima mensura, & ideo sine mensura, vt vocat Augustin. citat. capit. præcedente: non esset autem prima, si concipiatur æternitas, vt mensura eiusdem: ergo æternitas non est mensura vitæ diuinæ. Tertiò non potest concipi ratio mensuræ intrinsecæ sine mensurabilitate: nihil enim videtur aliud durationem, vel quantitatem esse hoc modo mensurã substantiæ, quam extẽdere illam formaliter, vel virtualiter, & reddere aptam, vt adhibita mensura extrinseca mensuretur; & hæc est communis proprietas quantitatis, cum dicitur mensura substantiæ, nempè passiua, per applicationem mẽsuræ actiuæ: æternitati repugnat mensurabilitas: ergo etiam repugnat esse hac ratione mensuram Deitatis. Assumptio per se patet: nam, quod caret terminis, mensuram subire handquaquam potest.

Durand. *Ocham.* *Gabriel.* *S. Thom.* *Aristotel.* *Augustin.*

II. Nihilominùs æternitatem mensuram vitæ diuinæ appellat Diu. Thom. 1. p. qu. 10. art. 4. & in 1. dist. 8. quæst. 2. ar. 1. ad tertium: quẽ aduersarij ita exponunt, vt tantum velit æternitatem esse adæquatam, ac proportionatam durationem vitę diuinæ, non aũt veram mẽsuram. Verùm ipse manifestè se explicat, neque aptè loqueretur, si id solũ vellet: quare rationẽ aliq̃ mensuræ adinuenit in æternitate, imò, & in qualuis intrinseca quãtitate: non solá passiuam

hæc enim non dicit ordinẽ ad ſubiectum, quod extenditur quantitate, ſed ad mẽſuram actiuã. Diuus autem Thom. agnoſcit menſuram intrinſecã, à qua ſubiectũ dicitur menſuratũ: & ita in 2. d. 2. q. 1. art. 2. ad primum, & de ver. quæſt. 1. art. 5. in corpore duplicem agnoſcit menſurã: alteram intrinſecam, quę eſt in menſurato, ſicut accidens in ſubiecto, & multiplicatur ad multiplicationem ſubiectorum: alteram vero extrinſecam, quam eo modo multiplicari non eſt opus. Quam ſententiam antequam oſtendam, aduerto conditionem illam adhibitam ab Autoribus oppoſitę ſententiæ, nimirum menſuras debere eſſe diſtinctas ex natura rei à menſuratis, neque ab Ariſtotele adductum, neque efficaci ratione fundatam: imò vero ex ipſo Ariſtotele poſſe oppoſitum deduci: aſſeruit enim lib. 4. Phyſ. text. 132. duos numeros, verbi gratia canum, aut equorum eodem numero menſurari: hic autem numerus, quo duo illi menſurantur, non eſt per ſe numerus aliquis ſingularis: hic enim non minus mẽſuratur, quam illi alij duo: neq; admittenda eſt idea numeri ſeparata more platonico: reſtat ergo, vt numerus vnicus, quo cæteri menſurentur, non ſit aliud, quã ratio ipſa talis numeri applicata diuerſis numeris materialibus. Exempli cauſa tres homines, tres equi, & tres leones eodẽ ternario mẽſurantur: & duo homines eiuſdẽ ſtaturæ, eadem mẽſura altitudinis. Ad huiuſmodi aũt menſurationem per accidens ſe habet virga, aut quæuis alia menſura materialis habens eandem rationem quãtitatis cum menſurato: nam, ſi nos poſſemus abſque eiuſmodi inſtrumento applicare menſurato rationem menſuræ, ſiue proportionem quãtitatis, quæ eſt in menſura materiali, ſiue in inſtrumento, metiremur quantę res eſſent abſque menſura materiali extrinſeca, vt facimus in numeris, quos expendimus applicata ſolum miniſterio intellectus ratione communi numeri ipſis menſuratis: quo etiam modo Angeli metiuntur rerum magnitudinem, & pondera applicando illis ſolo mentis intuitu hanc, vel ilam rationem quantitatis certæ, ac præfinitæ: nemo enim dixerit, vel Angelos ignorare menſuram rerum corporearum, vel ad eam agnoſcendam indigere corporeis inſtrumentis. Prȩcipua igitur ratio per ſe menſurandi conſiſtit in applicanda ratione menſuræ huic ſubiecto: Exempli cauſa ratione ternarij, ratione palmi, ratione anni: hæc autem ratio ſecundum ſe non eſt extrinſeca ſubiecto: nam, ſi talis eſſet, nequaquam applicari illi verè poſſet per intellectũ: ſed ſolum concipitur primo abſtracte, vt nõ determinata ad hoc, vel illud ſubiectum: deinde vero applicatur alicui certo; ex qua applicatione manet menſuratum, & agnoſcitur quantum ſit.

S. Thom.

Ariſtot.

III. Ex dictis conſequenter noto Ariſtotelem nõ dixiſſe menſuram eſſe, qua cognoſcitur quantitas, ſed qua cognoſcitur quantum: nam aliud eſt cognoſcere quantitatẽ, aliud quantum: quantitas enim agnoſcitur cognita ſola ratione formali ipſius abſque applicatione ad ſubiectũ: quod ſine mẽſura fieri poteſt, non enim ad cognoſcẽdum ternarium abſolutè menſuratione opus eſt: at quantum non cognoſcitur niſi cognita quantitate, vt applicata ſubiecto, idque afficiente. Itaq; omne id, quo metimur quantum, menſuræ rationem habet: omnis autem quantitas apprehẽſa, vt forma ſubiecti, quod extendit, eſt ſufficiens ratio intellectui, vt agnoſcat effectum formalem ipſius cõmunicatum ſubiecto; quo cognito conſequenter agnoſcit quantũ ſit ſubiectum; vt ſi quis ſciat durationẽ vnius ſeculi, & per intellectũ eandem applicet ſubiecto, hoc ipſo menſurat exiſtentiam illius, & ſcit quamdiu vixerit. Et hoc modo intellectus diuinus conſiderata ſolum periodo vitæ cuiuſque, & applicata illi durationẽ propria abſque comparatione ad menſuram extrinſecam menſurat illius exiſtentiam: nos enim ideo indigemus extrinſeca menſura, quia ſine illa non poſſumus effingere certam aliquam rationem quantitatis intra certos terminos, & eam ſubſtantijs menſurandis applicare: nam, ſi poſſemus, non indigeremus extrinſeca menſura, ſed rationem illam applicantes ſubiecto ſciremus, cuius quantitatis, ac menſuræ eſſet.

IV. His præmiſſis dico in primis de ratione menſuræ non eſſe, vt ſit quid extrinſecum ſubiecto menſurando: & ideo quamuis durationem eſſe menſuram actus, cuius eſt duratio. Ita Doctores referendi pro ſequenti concluſione. Dico autem durationem eſſe menſuram actus, quoniam, vt inquit D. Thomas in 1. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1. & alij Doctores communiter, nihil durat niſi quod eſt actu: quamuis enim Philoſophus lib. 4. Phyſ. t. 118. dicat quietem, quæ eſt priuatio actus, menſurari tempore, tamen ad hoc ipſum præſupponitur aliquis actus, nempè eſſe ſubiecti quieſcẽtis: quod prout ſubſtat quieti mẽſuratur per accidẽs tempore, quoniam actus, & priuatio ſimili durationẽ mẽſurantur. Quod autem nõ ſit opus huiuſmodi menſurã eſſe extrinſecam

S. Thom.

Ariſtot.

ſubiecto,

Averroes. S.Thomas.

subiecto, indicat Comment. lib. 4. Phys. com. 130. & 132. quem refert, & probat D. Thom. in 2. distinct. 2. q. 1. art. 2. quatenus asserit tempus comparari ad motum primi mobilis, nó tantum vt mensuram ad mensuratum, sed vt accidés ad subiectum: quo dicto supponit formam afficientem subiectum posse esse mensuram illius: loquebatur autem Commentator eo loco de mensura in propria significatione; qua Aristot. ibidem vult tẽpus esse mensurã motus: nó repugnat ergo formã intrinsecam esse mẽsurã subiecti. Idq; facilè deducitur ex prẽmissis, quoniam quæuis forma, qua agnoscitur quantũ, est mensura: applicata vero per intellectũ forma, siue quãtitate intrinseca subiecto, scitur quantum sit illud, siue quoad numerũ, siue quoad magnitudinẽ, siue quoad durationẽ: non debet ergo excludi à ratione mensuræ. Ad hoc autẽ non exigitur vt mensura, & mensuratum sint quãtitates eiusdẽ rationis, alioquin cõtradiceret sibi Philosophus, qui tempus vult esse mensuram motus, cum tamen sint diuersæ rationis; sed solum vt subiectum, quod mensuratur, consideretur sub effectu formali mensurę, qua extenditur: quomodo substãtia corporea cõsideratur sub magnitudine, existentia sub duratione. Et confirmatur; quoniam, vt ipsemet Durandus admittit, causa potest esse mensura quanti: & ideo voluntatem Dei, inquit, esse mensuram durationis rerum: non est autẽ mensura cõparatiua eiusdem rationis cum rebus mensuratis; sed cum res possent plus, minusve durare, Deus pstituit certæ durationis terminos: & ideo voluntas eius dicitur mensura durationis creatæ, quatenus contulit mensuram formalem intrinsecam: ergò ex voluntate Dei resultauit in res ipsas certa mensura durationis, seu potius certa duratio mensurans existentiam: nam, cùm hæc de se sit indifferens ad infinitas durationis variationes penes magis, vel minùs, collata hac numero duratione, determinatur ad certam mensuram: quam agnoscet, qui durationem ipsam nouerit.

Abulensis. Caietan. Ferrariens. Viguerius. Marsilius.

Ienſ. d. 9. q. vn. ar. 1. Conclusione 6. & ar. 3 notab. 4. & 5. Abulensis in c. 11. Iosue q. 22. 30. & 50. Caieta. 1. p. q. 10. ar. 5. §. *Ad euidentiam*: Ferrariens. lib. 1. cõtra Gentes c. 15. §. *Proportionaliter*, & c. 66. §. *Secundum dubium*: Ioan. Viguer. Institut. cap. 3. §. 2. versiculo 5. & Marsilius in 1. quæst. 22. a. 3. in solut. dubij primi notab. 4. Ratione ostenditur primo, quoniam mensura est, qua cognoscimus quantum, vt ex Aristotele omnes communiter admittunt: per æternitatem vero intelligitur quanta sit vita diuina, siue quantum duret existentia Dei: ergo est mensura illius. Assumptio constat, quoniam ignorata ratione æternitatis nescitur quantum duret vita diuina; ea verò cognita, & applicata existentiæ Dei actuali, tanquam forma subiecto, statim innotescit quanta sit duratio vitę Dei: ergò est mensura illius. Et confirmatur, quoniam mensura vitæ, siue actus non addit aliud supra rationem durationis, quam apprehensionem eiusdem rationis, & applicationem mente designatam circa esse, vel actum, qui dicitur durare: hæc autem applicatio fieri potest, vt experientia compertum est: concipimus enim æternitatem tanquam proprietatem vitæ diuinæ, & durationem interminabilem, atque vniformem Dei: ex quo deinde intelligimus vitam eius esse æternam. Et confirmatur, quoniam agnosci nequit quantum sit subiectum absque mensura: nos autem confusè agnoscimus Deum esse æternum: Deus autem hoc ipsum intelligit distinctè, atque euidenter: ergò tam nos, quam ille vtimur mensura aliqua ad hoc discernendum: non est alia, quam æternitas, cuius rationem quasi abstractam, & nudè sumptam primo apprehendimus, deinde vero applicamus vitæ ipsius: ex qua applicatione emergit notitia, quod Deus sit æternus. Quemadmodum igitur, quando concipimus rationem ternarij, eamque applicamus alicui ternario singulari, & quãdo concidimus rationem diei, eamque applicamus alicui motui singulari, mensurare dicimur, ita quoque, quando rationem æternitatis nudè acceptam accommodamus vitæ diuinæ, mensuramus, atque expendimus quanta sit vita Dei. Denique omnis forma est mensura adæquata sui effectus formalis quoad quantitatem eius, siue formalem, siue virtualem: in Deo vero, quamuis non sint verè effectus formales, tamen perfectiones abstractæ significatę concipiuntur, vt rationes formales sui ipsarum concrete acceptarum: dicitur enim Deus bonitate bonus,

V.

S.Thom. Alensis. Albertus. AEgid. Henricus. Richard. Argentin. Carthusian. Tarantasius. Vdalricus. Hispalens.

Dico secundùm: AEternitas est mensura intrinseca vitæ diuinæ, siue esse ipsius Dei. Ita Diuus Thomas locis citatis numero 2. Alens. 1. p. q. 12. m. 9. art. 3. ad 2. & art. 4. in fine. Albert. in 1. distinct. 8. art. 9. & 10. AEgid. eadem distinct. 2. p. q. 2. & dist. 19. 2. p. q. 2. art. 1. Henric. in sum. art. 31. qu. 2. Richard. in 1. distin. 19. art. 2. q. 1. Argentin. in 2. dist. 2. q. 1. art. 3. Conclusione 1. Carthusian. in 1. d. 8. q. 3. in solutione argumentorum, & Petrus de Tarantasia, & Vdalricus apud eundem ad tertiũ. Hispa-

æternitate æternus. Et ita mens concipiens vitam diuinam sub interminabilitate, & inuariabilitate, concipit vt æternã: & consequenter ratio æternitatis sumitur vt mẽsura esse diuini: Et quia in Deo non est distinctio ex natura rei inter formam, & effectum formalem, vt in creatis, propterea S. Thom. D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. ad 3. dixit accipi in æternitate rationem mensuræ secundũ apprehẽsionem nostram tantum, quia scil. Deus est suamet, duratio, & æternitas, creaturæ vero nequaquam.

VI. D. Thom. in contrarium adductus huic sententiæ non refragatur: non enim negat magnitudinẽ diuinam esse mensuram substantiæ Dei, sed negat magnitudinẽ ipsam esse mensurabilẽ, quod verisimũ est: nam magnitudo nõnisi alia magnitudine mẽsuratur: & ideo, cum non sit alia magnitudo cõmensurabilis diuinæ, ipsa mensurari nequit, quod etiã de ęternitate dicendum est: hoc vero nõ tollit, quominus ęternitas ipsa mẽsuret existentiã, siue vitam Dei, non quidem tanquam numerus, hoc enim repugnat infinito, vt numerãdo absoluatur, sed tanquã vnitas semel applicata vitæ diuinæ immutabili, atque vniformi: qui modus non repugnat infinito: nam quẽadmodum nõ repugnat Deitatẽ comprehẽdi ab intellectu diuino, etsi comprehẽsio tũ demum fiat, cum obiectũ finitur notitia cõprehẽdentis, quoniam eiusmodi finitio nõ fit per partes ad vltimam perueniendo, sed adæquatione actualis notitiæ ad infinitam intelligibilitatẽ Deitatis, ita quia mensuratio vitæ diuinæ per apprehẽsionem æternitatis nõ fit apprehendẽdo, aut designãdo vllũ terminũ, sed applicando adæquatam, atq; infinitam durationem vitæ diuinæ secundum similitudinem proportionis, quia sic se habet in non excedendo vitam diuinam, aut ab ea deficiendo, sicut se habet duratio finita in non excedendo vitam finitam, aut ab ea deficiendo: ideo non obstat infinitas æternitatis rationi mensuræ.

VII. Ad primum argumentum neganda est maior propositio: & ad primam eius confirmationem respondetur, non esse de ratione mensuræ in communi, sed solum de ratione mensuræ extrinsecę, vt sit ex natura rei distincta à mensurato: æternitas vero non est mensura vitæ diuinæ extrinseca, sed intrinseca. Ad secundam respondetur, quemadmodũ apud Aristotelem motus ac tempus vicissim admittunt rationẽ mensurati, ac mensuræ, quamuis homogenea non sint, ita æternitatẽ posse dici mensuram existentiæ: vnde colligitur Aristot. loco citato Metaph. cum ait mensuram debere esse homogeneam mensurato, loqui solum de mensura extrinseca. Respondeti etiã potest suo modo id cerni in mẽsura intrinseca, quatenus accõmodatur subiecto non absolute, sed ea tantũ ratione, qua capax est effectus formalis quãtitatis intrinsecè mensurantis: non enim per magnitudinem, aut pondus expenditur quanta sit vita, neque per durationem quam magnũ sit corpus. Ad tertiam eiusdẽ assumptionis confirmationem respõdetur ex dictis, per durationẽ cognosci quãta sit vita. Duratio quippè nõ mensurat absolute substantiam, sed prout est sub actu essendi, quẽadmodũ tẽpus mensurat mobile, prout est sub actu motus: & sicut ex tẽpore cognoscitur quãtus sit actus mouẽdi, ita ex duratiõe intrinseca dignoscitur quãtus sit actus essẽdi. Ad secundum argumentũ dicendũ est, tametsi diuinitas sit prima mẽsura absolute, nõ tamen secundũ omnem rationẽ: nam, quatenus solũ concipitur vt essentia, est mensura perfectionis essentialis, nõ verò accidentalis, aut durationis: quatenus vero cõcipitur vt æternitas, est prima mẽsura durationis. Et ideo non repugnat vt Deitas, quatenus solum cõcipitur sub existentiæ actu, cõcedatur adæquari vnica, & infinita mensura ęternitatis: nõ enim repugnat, vt ęq est prima mensura in vno genere secundũ vnum conceptũ, admittat mensurã per intellectũ in alio genere ratione formalitatis alterius cõceptus diuersi, sub quo apprehenditur. Pro solutione tertij distinguenda est mensurabilitas: quædam enim respicit, seu supponit terminũ quanti mensurabilis, & hæc repugnat infinito: alia solum dicit adęquationẽ passiuã ad mensurę applicationẽ, qua scitur quantum sit subiectũ mensuratum, magnum, an paruum, finitum, an infinitũ: Et hæc non habet habitudinem ad terminum, sed solum ad intellectum mensurantem, & ad formã, qua vtitur sicut mensura. Si in hoc posteriore sensu accipiatur maior propositio tertij argumẽti, concedenda est, sed assumptio neganda: infinitas enim, vt iam dixi, non excludit hunc modum mensuræ, aut mensurabilitatis; si vero sumatur in priore sensu, neganda est, vt patet ex dictis: quantitatem enim mensurare intrinsecè substantiam nõ est formaliter reddere ipsam aptam, vt ab extrinseca forma mensuretur: hoc enim etiamsi conueniat quantitatibus finitis, non est adæquata ratio mensurationis fundamentalis, quæ consistit in eo, vt inseruiat intellectui pro regula, qua apprehensa, & applicata ad subiectum agnoscat quantum illud sit: Et hoc modo

æterni-

æternitas est apta ad mensurandum existentiam Deitatis; quicunque enim intellectus conceperit rationem æternitatis, eamq; coniunxerit existentiæ diuinæ, hoc ipso cognoscet vitam Dei æternam.

AEternitas non consistit in ratione mensuræ.

Caput IX.

I. POstquam ostensum est non repugnare æternitati rationem mensuræ, restat videamus vtrum sit de ratione formali illius intrinseca, necnè? Ferrariens. 1. contra Gentes c. 15. §. *Proportionaliter*, censet rationem mensuræ pertinere ad cõplementum rationis propriæ, ac formalis ipsius æternitatis: ait aũt esse mensurã rationis, non realem: hęc enim interuenire nequit inter ea, quæ nullo modo distinguũtur. Consentit Hispalens. in 1. d. 9. q. vnic. art. 3. notab. 4. asserens rationem mensuræ esse genus ad æternitatem, & artic. 4. ad 3. & 5. contra 3. conclusionem, & ad 3. ex vltimo loco positis, formale in æternitate esse rationem mensuræ. Hanc sententiam amplectuntur recentiores Thomistæ 1. p. q. 10. art. 1. quibus ansam dedit S. Thom. eadem q. art. 1. asserens rationem æternitatis consistere in apprehẽsione vniformitatis eius, quod est extra motum, eamq; ex hac parte cõparat cum tẽpore, cuius ratio consistit in ratione numeri, secundum prius, & posterius, & consequenter in ratione mensuræ, & hoc ipsum indicat in 1. d. 19. qu. 2. art. 1. vbi asserit, sicut prius, & posterius motus, vt numerata, cõstituunt tempus, ita permanentiam actus, vt vnã vnitate, vt habet rationẽ mensuræ, esse æternitatem: quibus verbis satis indicatur rationem mẽsuræ pertinere ad conceptũ æternitatis: nam, vnitas, quâ vnitas, est indifferẽs ad omne genus entis, ad quod contrahitur, nec de se magis spectat ad vnum, quàm ad aliud: quare, si vnitas, vt habet rationem mensurę, est æternitas, profecto hæc in ratione mensuræ consistit: Et ad hanc etiam opinionem alludit Caietan. 1. p. q. 10. art. 1. §. *Quoad secundum*, explicans citata verba D. Thomę, sic enim habet: *Consistit igitur æternitatis ratio in ratione vniformitatis, vt vniformitas rationem mensuræ habet*. Etenim terminus ille reduplicatiuus, *vt*, significat rationem vniformitatis nudè sumptam, nisi consideretur prout habet rationẽ mensuræ, non cõpetere adæquatè rationẽ formalem æternitatis: Et ita sentire videtur rationem mensuræ esse intrinsecam æternitati, non vero solum accidens, aut proprietatem illius: nam formaliter loquendo, vt se loqui Caieta. ibidem profitetur, non rectè dicitur ratio humanitatis consistit in animalitate, vt habet rationem risibiliratis: deinde verò §. *Secundum est, Negatio*, inquit, *omnis successionis, & consequenter omnis numeri prioris, & posterioris adiuncta ratione mensuræ est esse vniforme, vniformitas enim nihil aliud, quam vnũ, cui primo ratio mensuræ cõuenit*: Et ideo, cum ipse vniformitatem existimet esse rationẽ formalem ęternitatis, si vniformitas ponitur posita ratione mensuræ, & ea non intellecta nondum est, profecto sentire videtur rationem mensuræ pertinere intrinsecè, ac formaliter ad æternitatem, non solum ipsi accidentaliter aduenire.

II. Ex quibus patet non aberrasse eos, qui Caietan. pro hac sententia referũt, nec proinde debuisse notari, quasi mentẽ eius non fuerint assecuti: nam ipsemet Caietan. occasionem prębuit variè opinandi de sententia eius: etenim §. illo. *Quoad secundum*, ait dictum D. Thomæ, quod æternitas consistat in apprehensione vniformitatis, non ita accipi debere, quasi significet consistere in ipsa apprehensione formali intellectus, ita vt æternitas sit cõpletiuè ab anima, sicut dicitur de tẽpore: *Eo quod vnitas* (inquit) *vniformitatis perennis actu est absq; actu, animæ non minus, quàm vnitas essentiæ diuinæ*: & ideo idem est apud Caietan. asserere, quod æternitas cõsistat in apprehensione vniformitatis, atq; in ratione obiectiua vniformitatis: & ita excludit à ratione intrinseca ęternitatis quidquid supponit apprehẽsionem intellectus, qualis est ratio mensuræ non realis: & ideo cum eodem art. videatur admittere rationem mensuræ cõplere rationem formalẽ æternitatis, siue vniformitatis in essendo, occasioni fuit aliquibus, vt crederent ipsũ sentire ęternitatẽ esse mensuram realem diuini esse, quod quidẽ ipse apertè non asseruit, & fortasis voluit id, quod Thomistæ alij Recentiores asserũt; nimirum æternitatẽ esse mẽsuram realem fundamentaliter, quatenus realiter, & actu est vniformitas vitæ immutabilis, quã intellectus potest apprehendere, vt mensurã diuini esse: quæ apprehensio non est fictitia, aut inanis, sed habet fundamentum in eminentia diuini esse æquipollentis perfectionibus creatis: & ideo, sicut formare possumus de eadem indiuisibili entitate distinctos conceptus sub ratione iustitiæ sapientiæ, & misericordiæ, possumus eandem concipere sub ratione durationis, atque mensuræ.

III. Quidquid tamen sit de mente Caiet. rem ipsam

ipsam oportet expendere; sententiæ verò Ferrarienſis, & Recẽtiorum ſuperius relatæ, fauet Dionyſ. cap. 10. de diuin. nomin. *Magn. Diony.* vbi tradens æui, hoc eſt æternitatis proprietates, vltimo loco ait proprium eius eſſe, *totum ſecundum totum eſſe metiri*, quaſi ratio menſuræ, ſit vltima, qua completur definitio æternitatis; & conſequenter pertineat intrinſece ad rationem eius quidditatiuam. Oſtenditur verò primo: quoniam, vt patet ex cap. 5. duratio non eſt entitas poſitiua diſtincta virtute ab ipſa exiſtentia rei, nec ſupra illam addit rationem formalem poſitiuam, ſed vel negationem, vel reſpectum rationis: non ſe offert vlla negatio, quæ per ſe conueniat durationi in communi, nec alius reſpectus rationis, quam relatio menſuræ: ergo hic eſt, qui additus vitę diuinę, complet rationem formalem æternitatis. Aſſumptio quoad priorem partem oſtenditur: quoniam durationi in communi ſola competit negatio deſitionis: hæc vero non complet propriam rationem durationis: nam, ſi compleret, nõ eſſet eſſentiale diſcrimen inter particulares durationes quoad negationem inceptionis, ſed deſitionis: hoc autem eſt falſum, quoniam æternitas diſtinguitur eſſentialiter ab æuo, quia ſuapte natura eſt duratio ſine initio, æuum vero minime. Poſterior verò pars oſtenditur quoniam non eſt alius reſpectus magis intrinſecus durationi, quam ratio menſuræ: cognita enim comprehenſiue duratione dignoſcitur quantitas virtualis vitę durantis: *Ariſtotel.* menſura verò, vt ait Philoſophus 10. Met. cap. 2. eſt, qua cognoſcitur quantum. Secundò, ſi ratio æternitatis & cuiuſuis durationis non conſiſteret in ratione menſurę, daretur ante apprehenſionem intellectus completa ratio durationis: non datur autẽ, ergo ad completam rationem æternitatis, & cuiuſuis durationis pertinet aliquis reſpectus rationis, qui non eſt alius, quam ratio menſuræ. Aſſumptio oſtenditur ex *Boet.* Boetio lib. 5. de conſolat. proſ. vltim. aſſerente, ſicut nũc fluens facit tempus, ita nũc ſtabile, ac permanens facere æternitatem: hoc vero intelligi nequit de vera cauſalitate, quaſi re ipſa tempus fiat ex fluxu inſtantis, aut æternitas ex permanentia nunc diuini, ſed ſecundum apprehenſionem noſtram: ergò ratio durationis non eſt completa ante operationem intellectus noſtri. Tertiò ex duratione nobis nota colligimus communem durationis rationem: ſed tempus, quod eſt duratio magis nota nobis, includit rationem mẽſuræ: ergo etiam æternitas, & omnis alia duratio. Et confirmatur, quoniam ſcriptura, & Sancti ita loquuntur de æternitate comparationem diuini eſſe, ſicut de tempore comparatione rerum corruptibilium: dicunt enim Deum eſſe in æternitate ſicut res corruptibiles in tempore, vnde D. Grego. Nazian. *Nazianz.* orat. 38. quę eſt in Chriſti Natiuitatem ante med. & orat. 42. quæ eſt ſecunda in Paſcha etiam ante med. inquit, æuum eſſe idẽ æternis, quod tempus temporalibus: Et Eſai. cap. 57. Deus dicitur habitare æterni- *Eſai. 57.* tatem: ergo, ſi tempus importat rationem menſuræ in ſua ratione formali, æternitas quoque importabit; alioquin non eſt, cur potius æternitas, quam aliud quoduis attributum tempori cõtraponatur. Quartò æternitas definitur per vitam diuinam in obliquo, vt patet ex definitione Boetij ab omnibus recepta, nihil autem definitur per aliquid in obliquo, niſi reſpectus ad illud pertineat intrinſece ad eius eſſentiã: non eſt autem alius reſpectus, qui pertinere queat ad completam rationem æternitatis, quam relatio menſuræ: ergo, &c. Denique bonitas diuina eſt vera proprietas realis Dei, & tamen in obliquo includit reſpectum quendam rationis: ergo etiam æternitas, quamuis in obliquo includat relationem menſurę, erit verum attributum reale; & ſicut ens eſt bonum realiter & habet bonitatẽ ſecluſa operatiõe intellectus, quoniam in ipſa re eſt fundamentum talis habitudinis, ita ſecluſa operatione intellectus Deus vere eſt æternus, & æternitas attributum reale; quoniam propter eminentiam perfectionis diuinæ, eſt in Deo fundamentum relationis menſuræ, quæ in obliquo ſignificatur.

IV. Dicendum nihilominus eſt relationem menſuræ non pertinere ad rationem intrinſecam æternitatis: Hæc ſententia eſt communior apud Recẽtiores, & eſt de *Durand. Ocham. Gabriel.* mente Durand. Ocham. & Gabriel. qui non agnoſcunt in æternitate rationẽ menſuræ. Porrò alij ex antiquis citati cap. 6. eo ipſo, quod rationem æternitatis aſſignantes dicunt conſiſtere in negationibus, & alijs reſpectibus, vel etiam in ratione poſitiua, nec ibi faciunt mentionem menſuræ, ſatis indicant non complere intrinſece rationem formalem ipſius: Et vero D. Thõ. ſolum ſentire videtur id, quod ait Caieta. nempè vniformitatem obiectiuam, prout ſcilicet poteſt eſſe fundamentum menſuræ per modum vnitatis, eſſe de ratione æternitatis: ipſam vero vniformitatem, vt eſt in re ipſa, hoc eſt in duratione vitæ diuinæ, tametſi apprehendi poſſit ab intellectu, vt menſura adæquata Deitatis, potius

eſſe

esse fundamentum relationis mensuræ, quam ipsam mensuram formaliter. Et ita ex dictis Diui Thomæ non colligitur mensuram esse de ratione formali intrinseca æternitatis, sed solum proprietatem aliquam consequentem ad propriam rationem formalem illius prout distinguitur ab alijs attributis: Tripliciter autem intelligi potest mensuram esse de ratione intrinseca æternitatis; primò ita vt sit mensura realis; secundò vt sit mensura rationis formaliter, & in recto pertinens ad conceptum æternitatis: tertiò vt in obliquo, & indirecte. Primus modus est impossibilis: quoniam mensura realis concipi nequit, vbi nulla est distinctio, sicut non est inter vitam diuinam, & æternitatem: & idcirco
D. Thom. D. Thom. 1. p. qu. 10. art. 2. ad 3. hac ipsa de causa inquit in æternitate sumi rationem mensuræ tantummodo secundum apprehensionem nostram. Huic argumento respondent quidam dicentes ad rationē mensuræ realis non opus esse, vt relatio ipsa mensuræ sit realis, sed vt fundamentum sit reale, quemadmodū Deus est realiter Dominus, & creator, quia potentia creandi, & coercendi subditos, quæ est fundamentum relationum, cuiusmodi est realis, quamuis relationes ipsæ non sint reales sed rationis tantum: at relatio æqualitatis inter personas diuinas est purè rationis, quoniam eadem prorsus diuinitas est fundamentum ipsius in omnibus personis absq; omni distinctione etiam virtuali. Verum, quamuis non sit eadem prorsus ratio in relatione mensuræ æternitatis ad esse diuinum, quæ est æqualitatis inter personas: tamen etiam non est eadem, quæ in relatione dominij: nam in hac datur distinctio realis inter extrema, & fundamentū: nempe inter Deum cum potentia dominatiua, & creaturam cum natura dependente, & solum propter incapacitatem Dei, vt referatur realiter ad creaturas, non est realis: at inter vitam diuinam, & æternitatem, inter quas cernitur relatio mensuræ durationis, nō est distinctio realis: Et ex hoc cap. magis recedit relatio mēsurę à cōditionibus relationis realis, quam relatio æqualitatis personarū diuinarum: nam hæc saltem habet realem distinctionem extremorum, quæ denominātur æqualia, illa vero nullam distinctionem habet ex natura rei inter mensuram, & mensuratū: Et ideo æternitas non est re ipsa mensura Dei, nisi virtute fundamentaliter, quamuis apprehensa, vt coniuncta vitæ diuinæ potest gignere notionem ipsius, quatenus durans est.

V. Secundus modus impugnatur: quoniam aut hoc vēdicat æternitas ex ratione communi durationis, aut ex sua propria, & speciali ratione: ex neutra vendicat: quare ratio mensuræ nō est ipsi intrinseca, & essentialis. Maior patet; Assumptio ostenditur: in primis autem æternitatem nō includere formaliter rationē mensuræ, quatenus duratio: nam fieri nequit, vt idem omninò absque vlla distinctione reali, vel rationis subtlet rationi mensuræ, ac mensurati: duratio vero, vt dictum est supra, non distinguitur ex natura rei ab esse, vel actu, quem mensurat: sed solum superaddita negatione aliqua, vel habitudine rationis, si vero hæc habitudo est relatio mensuræ, quæ immediate fundatur in ipsa rei existentia, & illi addita constituit rationē formalem durationis, ipsamet existentia indistincta re, ac ratione à se ipsa est simul mensurata, & mensura: mensurata vt patet, mensura vero, quoniam id, in quo immediate fundatur relatio, denominatur ab ipsa, non vero compositum ex subiecto, & relatione: ergo, si relatio mensurę immediate fundatur in ipsa rei existentia, illam per se, & immediate denominat. Quæ ratio conuincit etiam non posse hoc conuenire æternitati ex propria, & speciali ratione ipsius: nam ipsa quoque non distinguitur ratione positiua ab existentia diuina, vt probatū est: ergo, si completur in ratione æternitatis sola relatione mensuræ, existentia diuina præcise sumpta subtlabit relationi mensuræ, & mensurati respectu sui ipsius: Et confirmatur præterea, quoniam quando ratio aliqua conuenit pluribus contentis sub aliquo communi analogo, cui per se primo conuenit, & ratione eius conuenit formaliter aliis sub ipso contentis, si analogo in communi non cōuenit intrinsece, & essentialiter, eodem modo non conuenit analogatis: ratio mensuræ per se primo conuenit durationi: non cōuenit autem essentialiter, & intrinsecè, sed tanquam passio: ergo eodem modo conueniet æternitati, ac reliquis durationibus.

Denique tertius modus impugnatur; VI.
quoniam, si æternitas dicit in obliquo rationem mensuræ, hæc est quasi extremum extrinsecum, & connotatum ab æternitate: quemadmodum, quia limitas dicit in obliquo nasum, hic non est illi intrinsecus, sed solum terminat habitudinē eius intrinsecam: fieri vero nequit, vt relatio mēsuræ terminet tanquā extremū connotatum habitudinem æternitatis: quare non significatur in obliquo nomine æternitatis, nec indirectè, aut ex cōnotato pertinet ad rationem formalē completiuam essentiæ ipsius

Assumptio ostenditur, quoniam tunc daretur alia relatio rationis terminata ad relationē mensuræ, quæ pertineret intrinsecè ad rationē æternitatis, non datur autem talis relatio. Sequela probatur quoniam in re, cuius ratio formalis completur, connotatione alicuius termini extrinseci inest habitudo ad terminum connotatū intrinseca rationi formali cōnotantis: intelligi quippè nequit cōnotatio sine respectu aliquo connotantis ad cōnotatum. Non dari vero eiusmodi relationem probant nonnulli Autores, quoniam ad relationem nō est relatio. Quod fundamentum licet sit probabile, & supponatur ab aliquibus Doctoribus, nō tamen recipitur ab omnibus: & ideo facilè negari potest: Probant alij, quoniam habitudo æternitatis ad rationē mensuræ, si daretur, deberet immediate fundari in ipsa vita, siue existentia diuina: hanc autem esse fundamentum connotationis ad respectum rationis, absurdum videtur: nam in se ipsa est ens perfectum, & absolutum, & independens ab omni respectu rationis. Hæc etiam ratio non sufficit: nam responderi potest non repugnare, vt res perfecta, & absoluta subeat respectum ad id, à quo non dependet, & ab eo respectu significetur nomine connotatiuo: quemadmodum volitio diuina potest habere respectum rationis ad creaturam, à qua minimè dependet, & ipsa simul cum tali respectu significari nomine connotante terminum, siue obiectum respectus, quomodo dicitur volitio Dei libera. Et hac ratione existentia diuina concipi potest sub habitudine ad relationem mensuræ, & simul cum illa significari nomine connotatiuo. Pæcipuum itaque fundamentum est, quoniam nō datur talis relatio. Id verò patet, quoniam non assignatur à doctoribus. Nec verò potest fingi alia habitudo existentiæ diuinæ ad relationem mensuræ actiuæ, quam aptitudinis, vt sit actu mensura: hæc autem non pertinet intrinsecè ad æternitatem, aut quamuis aliā durationem: alioquin non posset concipi æternitas, nisi concepta eiusmodi aptitudine: hoc verò est falsum; quoniam nec in diffinitione æternitatis fit mentio huius aptitudinis, nec in communi modo illam concipiendi formatur eius conceptus.

VII. Ex his patere potest responsio ad ea, quæ in contrarium obiecta sunt. In primis vero autoritas Dionys. probat quidem æternitatis proprium esse, vt sit mensura, non tamen rationem mēsuræ pertinere intrinsece ad eius essentiam. Ita verò habent eius verba: *Verùm seculi proprietas est antiquum, & immutabile, & totum impartibiliter secundum totum esse metiens:* cum ipse proprietatem appellet, non est vnde ex illis verbis colligatur esse rationē formalem: maximè cum eodē modo loquatur de ratione antiquitatis, & immutabilitatis: nec vero est credē-dum illū existimasse hæc omnia pertinere intrinsecè ad rationem æternitatis. Ad primum argumentum neganda est assumptio: & ad eius confirmationem patebit solutio ex dicendis cap. seq. vbi explicabitur quid addat duratio supra existentiam. Nunc verò breuiter respondetur ad confirmationem prioris partis solam negationem desitionis nequaquam complere rationem durationis, vt credunt ij, qui aiūt durationem cōsistere formaliter in permanentia existentię. Ad probationem verò secundæ respōdetur in duratione priorē esse habitudinem ad terminos existentiæ, quam rationem mensurę: hęc enim supponit illam, in eaq; fundatur: non enim potest concipi ratio mensuræ sine apprehensione quantitatis propriæ, vel virtualis sub aliqua habitudine ad suos terminos. Ad secundum respondetur ex eo, quod ratio mensuræ non sit essentialis, atq; intrinseca durationi, minimè sequi ipsam non compleri formaliter in ratione durationis per apprehensionem intellectus: potest enim consistere in alia habitudine rationis: ex particulari vero negando non valet cōsequentia ad vniuersale. An verò consistat in aliqua alia dicam cap. seq. vbi etiam explicabo dictum Boetij. Ad tertium neganda est assumptio: tempus enim vt ostendam cap. seq. non includit formaliter rationē mensuræ. Quæ vero adduntur in confirmationem huius argumenti, non egent solutione; solum enim concludunt æternitatem in ratione durationis habere aliquam cōuenientiam cum tēpore, quod est verum. Ad quartum respondetur in primis cū definitione ęternitatis dicitur, *est interminabilis vitæ possessio*, habere sensum intransitiuū, quasi dicatur *est vita possessa*, vt colligitur ex Anselmo Monolog. c. 24. vbi sic ait: *Cùm diuina substantia nō sit aliud, nisi vita sua, & æternitas sua, nec sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfectè tota, quid aliud est vera æternitas, quæ soli illi conuenit, quam interminabilis vita, simul, & perfectè tota existens.* Respondetur deinde, cum æternitas abstracte sumatur per modum proprietatis, definiri per vitam, tanquam per propriū subiectum, nō vero tanquam per terminum mensurationis. Vltimum argumentū probat quidem non repugnare, vt sit aliquod attributū fundamentaliter positiuum reale sub habitudine

Magn. Dionys.

Anselm.

aliqua

aliqua rationis, vel connotatione ad aliquem terminum: & consequenter ex hoc capite non repugnare, vt æternitas, quæ est fundamentaliter ens reale positiuum, compleatur vltimo formaliter respectu alicuius rationis, vel negatione, quod admitto. Ex hoc tamen minimè sequitur respectum mensuræ complere rationem formalem æternitatis, quoniam ex indefinita non colligitur vniuersalis, aut particularis determinata, sed sub disiunctione.

AEternitas non primo distinguitur à cæteris durationibus per negationem mensuræ, sed termini.

Caput X.

I. Ostendi capit. superiore æternitatem non consistere in ratione mensuræ, nũc videndum est per quid cõpleatur eius ratio formalis. Quidam recentiores existimant rationem æternitatis compleri negatione aliqua rationis: nam, negationes, quibus excluduntur formæ reales, suo modo reales appellantur; eæ verò, quibus negantur habitudines aliquæ rationis, suo modo dici possunt negationes rationis. Aiunt autem eam, qua vltimo videtur absolui ratio æternitatis, esse negationem mensuræ, quæ est relatio rationis, vtpotè dependens ab intellectu mensurante, & competit omni durationi creatæ. Exprimitur vero eiusmodi negatio illis verbis definitionis, *possessio vitæ interminabilis*, interminabile enim non solum dicit negationem principij, ac finis, in duratione reali, sed vel maximè mensuræ: idcircò enim æternitas dicitur interminabilis, quia nec determinari, nec definiri aliqua mensura potest. Probatur autem hæc sententia, quoniam oppositarum rerum differentiæ debent esse oppositæ, tempus autem, & æternitas opponuntur: sicut ergo tempus non est solum duratio primi mobilis, sed etiam duratio numerata, ac diffinita per intellectum, vt esse possit aliarum durationum mensura, ita æternitas ex oppositio est duratio omni mensura carens. Quod indicatum videtur cap. 24. Iob. *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora*: hoc est rerum creatarum durationes, quas tempora appellat, & subditur; *qui autem noverunt eum, ignorant dies illius*, hoc est illi, qui veram scientiam Dei habent, certo sciunt æuũ ipsius non posse diebus, aut annis diffiniri: ideo enim dies eius ignorãt, quia reuera definiti non sunt. Deinde ita se habet æternitas ad durationem creatam, vt immensitas ad quãtitatem finitã formalẽ, vel virtualem, qua creaturæ definiuntur loco: immensitas vero completur negatione mensuræ, vt vox ipsa sonat: ergo & æternitas similiter complebitur eadem negatione.

Iob. 24.

II. Hæc sententia duplicem sensum habet; alter est æternitatem nullo modo esse mensuram, imò consistere in negatione omnis omninò mensuræ: alter est, quamuis admittat rationem mensuræ actiuæ, prout extenditur ad finitam, & infinitam, consistere tamen in negatione mẽsuræ certæ, ac determinatæ, & per hanc distingui per se primo à duratione creata: Iuxta primum sensum est falsa; iam enim suprà ostendi æternitatem habere rationem mensuræ comparatione vitæ diuinæ: & consequenter negationem omnimodæ mensuræ non posse ad ipsam pertinere. Et quamuis Autores eius sententiæ iuxta hunc primum sensum loquantur, tamen quia non agnoscunt rationem mensuræ, nisi certam, & determinatam, reipsa loquuntur iuxta secundum sensum existimantes æternitatem distingui per se primo à durationibus creatis, eo quod non patiatur certam, determinatamque mensuram: Iuxta hunc quoque sensum adhuc potest eadem sententia intelligi dupliciter. Primò quidem ita, vt æternitas consistat vltimo in apprehensione huius negationis, & compleatur tota eius ratio hac diffinitione, *æternitas est duratio apprehensa, vt immensurabilis*. Secundò ita vt apprehensio non ingrediatur rationem formalem æternitatis, quæ proinde solum consistat in ipsa duratione, & immensurabilitate, & consequenter sufficienter definiatur in hunc modum, *æternitas est duratio immensurabilis*. Porrò prædicti Autores non planè explicant in vtro horum sensu loquantur.

III. Ad solutionem præsentis difficultatis statuendum in primis est, in quo consistat ratio durationis in communi. Ea verò vltimo completur habitudine ad apprehensionem suimet sub ordine ad terminum: ex quo prouenit, vt duratio sit esse actuale rei apprehensum cum habitudine ad terminum. Quod vt clariùs explicem sumo exemplum à mensuris, quæ vsurpantur ad dignoscendam magnitudinem quantitatis continuæ: si enim interrogemus, quid sit vlna, vel quid palmus, reperiemus non esse aliud quam ipsammet quantitatẽ continuam sub certis terminis comprehensam: ita vt comprehensio, & designatio

per terminos sit de ratione cuiusuis: idemque patet in tempore: nam dies, vel annus non est aliud, quam motus primi mobilis, sub designatis terminis cõprehensus. Quoniam verò duratio de se, & in commune sumpta nec est finita, nec infinita, sed potest terminis circumscribi, aut carere, propterea in ratione durationis absolute posui habitudinem ad terminum, non declarando in particulari, quęnam habitudo sit, vtrũ negatio termini, an verò positio: quæ à parte posteriore explicatur per negationem vlterioris existentiæ, ab anteriore vero per inceptionẽ nouæ, & negationem antiquæ existentiæ. Quomodocumque igitur existentia concipiatur sub habitudine ad terminum, siue positum, siue negatum, habet rationem durationis: Et ad sensum huius assertionis trahi possunt autores, qui rationem mẽsuræ volunt pertinere ad rationem durationis, quia scilicet duratio ita sumpta est fundamentaliter mensura: nam quidquid apprehẽditur sub habitudine ad terminos ex vtraque parte, est aptum mẽsurare, si cætera adsint: Et sicut vlna est mẽsura materialiter, quatenus est quantitas, apprehensa sub habitudine ad terminos, apta mensurare res quantas, nec tamen formaliter includit relationẽ mensuræ, ita duratio propter eandem habitudinem ad terminos existentiæ, est mensura materialiter, nõ vero formaliter: Et hoc ipsum dicẽdum est de ęternitate: est enim vita diuina sub habitudine, siue negatione terminorum.

IV. Obijciet aliquis negationem termini repugnare rationi mẽsuræ: ideoq; in ratione formali durationis includi non quamuis habitudinem ad terminum, sed certam eius designationem: hæc verò non conuenit æternitati, quæ respuit omnẽ terminũ: quare vel ea nõ est duratio, quod repugnat dictis c. 2. vel duratio non cõsistit in habitudine ad terminũ. Antecedens patet: quoniam de ratione mensuræ est, vt sit notior mensurato: quod verò terminis caret, est infinitũ: infinitum verò, vt ait Philosoph. *Aristotel.* lib. 1. Phys. c. 4. tex. 35. est ignotum, & consequenter ineptum, vt deducat in notitiã quantitatis. Ad hanc obiectionẽ respondetur distinguendo antecedens: quod, si intelligitur de mẽsura certa, ac determinata, verum est, sed non facit ad institutũ: quoniam duratio non recurrit cum determinata mẽsura existentiæ; si vero intelligatur de mẽnsura in communi prout abstrahit à finita, & infinita, negandum est. Dari verò mensuram infinitã constat, quoniam omne prædicatũ, quod respõdetur ad quęstionẽ, quantum est, capax est mensurę: non enim percipi potest quantũ sit aliquid absq; mẽsura: idcircò enim dixit Philosoph. lib. 10. *Aristotel.* Met. c. 2. mensuram esse, qua cognoscitur quantũ; si verò Mundus fuisset ab æterno, & rogaret aliquis quanto tẽpore durasset motus primi mobilis, rectè responderetur durasse infinito: item si quis rogaret, quãta sit duratio vitæ diuinæ, aptè respõdebitur esse infinitum. Ad huius verò impugnationem respõdetur, cum D. Thom. 3. p. q. 10. *S. Thom.* ar. 3. ad 1. & alijs, infinitũ aliud esse potentiale, aliud actuale; potentiale, cum habeat se ex parte potentiæ, ac materiæ, est ignotum, & cum aliter nõ agnoscatur, quam cognoscendo partem post partem, est simpliciter ignotum, quia hoc modo numerãdo fieri non potest, vt perueniatur ad finẽ cognitionis, & consequenter, vt cognoscatur perfectè ratio infiniti potentialis. Infinitũ vero actuale est maximè notum potentiæ proportionatæ: Aristot. vero loquebatur iuxta primum modũ, non iuxta secundum de infinito, & eius cognitione: æternitas verò est duratio infinita secundo modo, & ideo penetranti ipsam, potest esse vsui ad mensurandam vitam diuinam.

V. Dico primum: AEternitas non distinguitur per se primo à cęteris durationibus per rationẽ immensurabilitatis: Hęc est de mente Doctorum, quos retuli c. 6. num. 6. qui æternitatem compleri aiunt per negationẽ termini: nam propria ratio termini non est mensurabilitas, sed fundamentum illius. Ostenditur vero; quoniã, si ex duob. analogatis conuenientibus sub ratione cõmuni analoga, vnũ differt ab altero negatione, alterũ differt, & cõstituitur positione formaliter, & immediatè oppositа eidẽ negationi: duratio verò creata nõ cõstituitur per se primo, & formaliter relatione mensuræ, sed ratione termini saltẽ potentialis, quæ prœcedit rationẽ mensuræ: ergo æternitas opposita durationi creatæ nõ distinguitur per se primo ab illa per negationẽ mensuræ: sed termini. Maior ꝓpositi patet exẽplo substantię, & accidentis: nam, quia rationẽ substãtiæ intelligimus per negationẽ propriæ rationis accidentalis, hoc aũt est inhærentiæ, substantiã describimus per non esse in subiecto. Et ratione cõuincitur, nam rationes analogatorum immediatè oppositorum debent per se primo, & immediatè opponi. Negatio verò solum opponitur immediatè formæ, cuius est priuatio: ergò, si vnum ex analogatis per se primo differt ab alio negatione, alterum debet constitui, ac differre ab illo per formam, quam negatio illa tollit per se

primo,

primo, & immediatè. Assumptio vero constat ex dictis cap. prœcedente: nam rationes ibi adductæ probant nullam durationem constitui per se primo relatione mensuræ. Secundò; ea, quę conueniunt in aliquo cõmuni, non possunt differre primo relatione rationis, & negatione eiusdẽ: tempus, & æternitas conueniunt in ratione communi durationis: fieri ergo nequit, vt primo distinguantur habitudine rationis, ac negatione ipsius. Probatur maior propositio quoniam omnis relatio rationis habet aliquod fundamentũ, vel rationẽ fundandi ratione cuius conueniat potius huic subiecto, quam illi: hoc aũt fundamentum esse nequit ratio ipsa, in qua conueniunt, tunc enim relatio conueniret vtrique: ergò aliquid aliud: atq; ita inter rationẽ communem vtriq; subiecto, & relationẽ alteri cõuenientẽ intercedere debet aliquid, quod subeat vicẽ fundamenti: semper enim fundamentũ est prius relatione: quapropter opus est indagare fundamentum mensurabilitatis, quæ conuenit tẽpori, & repugnat æternitati: nam eiusmodi fundamento, & negatione ipsius prius differunt tempus, & æternitas, quam habitudine ipsa mensurabilitatis. Et confirmatur primo, quoniam semper ratio est prior effectu, seu quasi effectu, cuius est ratio: sed, si quis roget, cur tempus sit mensurabile, non aũt æternitas, accõmodate respondebitur, quia tẽpus est finitum, æternitas aũt infinita; prior igitur reperitur in æternitate ratio infinitudinis, quã negatio mensurabilitatis, sicut in tempore ratio finitudinis est prior mensurabilitate. Confirmatur secundo, quoniam nihil cõcipi potest absq; propria ratione formali cõpleta: potest autem concipi æternitas, quamuis nõ concipiatur formaliter negatio mensurabilitatis: ergo hæc non pertinet per se primo ad rationẽ illius, sed tanquam proprietas consequens. Assumptio manifesta est; nam, si quis apprehẽdat animo durationẽ principio, ac fine carentem, habet aliquam notionẽ æternitatis, qua distinguitur à duratione creata, vt constabit ex sequentis assertionis probatione. At inquient oppositæ sententiæ assertores, non posse ita cõcipi, quin simul concipiatur vt immensurabilis: falso tamen, quoniam id, quod est prius, ac independens in essendo, est etiã prius, & independens in cognoscẽdo: Mensurabilitas autem est posterior terminis, quibus res finitur in se ipsa, & immẽsurabilitas posterior negatione terminorum: idcircò enim res est immensurabilis in se ipsa, quia caret terminis: ergo concipi potest interminabilitas, non concepta immensurabilitate.

VI.

Dico secundum: Negatio finis, siue termini est id, quo primum intelligitur æternitas distingui ab omni alia duratione creata. Hæc sententia fundatur in ipsa definitione Boetij, in qua primum ponitur particula illa, *interminabilis*, quæ significat negationem termini ex omni parte, vt exponunt cõmuniter Doctores, ex quibus D. Thom. 1. p. q. 10. ar. 1. cùm dixisset æternitatem notificari ex duobus, subiungit. *Primo ex hoc, quod id, quod est in æternitate, est interminabile, id est principio, & fine carens, vt terminus ad vtrumq; referatur*: quæ sententia est expressa Gregor. Nazianzen. orat. 2. in Sanctum Pascha, vbi cùm immensitatẽ dixisset cõsiderari secundũ principiũ, atq; finem, subdit, *cum in supernum, profundũ mens aspexit, non habens vbi cõsistat, atq; imaginationibus illis, quas de Deo concipit, innitatur, immẽsum hoc, atq; inacceßibile anarchũ, hoc est principio carẽs appellauit, cum aũt ad inferiora hæc, & posteriora aßectũ detorserit immortale, atq; interius expers: cum aũt vtrumq; contraxerit, & collegerit, æternum*; satis indicans æternitatis notionẽ existere ex negatione principij, ac finis, & hoc primũ differre ab omni duratione creata, cõsentiunt Nicet. & Psellus ad eundẽ locum; & hoc idem significat Aũg. sent. collectis à Prospero, sent. 3. Richard. de S. Victore lib. 2. de Trinitate, cap. 9. *cærere*, inquiens, *principio, ac fine, & omni mutabilitate dat æternũ esse*: ostenditur aũt, quoniam eo ipso, quo apprehẽditur existentia principio, ac fine carẽs, cõcipitur ratio aliqua durationis non creatæ; hæc enim terminata est saltem à parte principij: ergo increatæ, & consequenter hæc distinguitur à creata per negationem termini. Non datur autem vlla ratio alia, qua prius distinguatur: ergo hac per se primo constituitur, ac distinguitur. Non dari vero aliã priorem probatur; quoniam vel est immensurabilitas, vt probatum est suprà à citatis Autoribus, vel permanentia, siue vniformitas existentiæ diuinę, vt volunt Thomistę, nõ immẽsurabilitas, vt superiùs probaui: Non vniformitas, quoniam si per impossibile fingamus existentiam, siue durationẽ vniformem in se, & simul capacem termini, siue finitam, non constabit ratio æternitatis: ergo hæc non consistit in vniformitate durationis. Patet consequentia, quoniã ratio formalis, qua vnumquodq; per se primo constituitur, ac distinguitur ab aliis, talis esse debet, vt ea posita, & præcisis cæteris omnibus adhuc maneat id, quod per illam per se primo cõstituitur. Deniq; vniformitas nõ distinguit æternitatẽ ab omni

Boet. *S. Thomas.* *Nazianz.* *Nicetus.* *Psellus.* *Augustin.* *Richar. Vict.*

durationecreata, sed solum à tempore, vt constat ex ipso Diuo Thoma loco citato: nam ex eo probat ad æternitatem pertinere vniformitatem, quoniam in eo, quod caret motu, & semper eodem modo se habet, non est accipere prius, & posterius, sicut in motu: & idcircò, sicut tempus consistit in numeratione prioris, & posterioris, in motu, ita æternitas in apprehensione vniformitatis: & hæc ratio non excludit æuum, in quo etiam non est ratio prioris, & posterioris, sed vniformitas: & idcircò D. Thom. ibidem recurrit ad negationem principij, ac finis, quam constituit primo loco ante vniformitatem.

VII. Dico tertium: Negatio termini durationis, qua per se primo distinguitur æternitas à duratione creata non debet intelligi actualis, sed potentialis. Prior pars est de mente Boetij in sua definitione, in qua non dicitur possessio vitæ interminatæ, sed interminabilis excludendo aptitudinem omnem habendi terminum. Facilè vero ostenditur; quoniam nihil per se primo distinguitur ab alio per rationem aliquam, quam non repugnat competere rebus aliis: negatio vero termini actualis non repugnat creaturæ tàm à parte principij, quàm finis, vt per se patet: itaque licet de facto tempus, & æuum fuissent absque principio, & fine, dici possent duratio interminata, & proinde sola negatione termini actualis non distinguitur per se primo æternitas ab aliis. Ex eodem fundamento patet secunda pars; quoniam negatio terminationis potentialis per se primo, ac solum conuenit ipsi esse diuino, & separat illud ab omni duratione creata: ergò per eiusmodi negationem constituitur existentia diuina per se primo in ratione durationis, ac distinguitur à cæteris omnibus; nulla enim duratio creata est interminabilis, quoniam omnis suaptè natura est apta incipere, ac desinere: & præterea, vt notat S. Thomas 1. p. quæst. 10. artic. 4. in tempore ratione successionis dantur partiales inceptiones potentiales, quibus incipiunt dies, menses, & anni: at in æternitate, quæ est duratio vitæ immutabilis, non est finis actualis, neque potentialis, quod indicatur sententia tertia sumpta ex libro sententiarum ex Augustino collectarum: *Vera aeternitas, & immutabilitas non est nisi in Deitate Trinitatis, quia ibi vera initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem:* vbi non solum excluditur ab immortalitate terminus actualis existentiæ diuinæ, sed etiam potentialis, qui comitatur aliquam mutationem: qua negatione inuoluuntur duæ aliæ conditiones, quibus absoluitur ratio æternitatis; nempè, quod sit tota, & perfecta: nam duratio, quæ habet partes, cum fluat, admittit inceptionem, ac desitionem earundem, & consequenter finem potentialem, & ita negatio finis, ac principij potentialis implicitè inuoluit simplicitatem, atque indiuisibilitatem, quæ significatur cùm dicitur: *possessio tota simul*; item natura, quæ distinguitur à suis perfectionibus, & secundum eas mutatur, habet etiam terminum secundum quid, nempè existentiæ secundùm perfectiones accidentales: qui etiam excluditur, cùm dicitur, *possessio vitæ interminabilis*, quoniam vita Dei, neque simpliciter, neque secundum quid vnquam terminari potest. Verum, quia hæ secundæ conditiones non ita distinctè explicantur, cùm dicitur: *possessio vitæ interminabilis*: additæ sunt duæ aliæ particulæ, de quibus inferiùs dicam.

VIII. Dico quartum: AEternitas non constituitur per se primo apprehensione immensurabilitatis, siue negatione mensuræ sub habitudine ad apprehensionem intellectus. Fundamentum est; quoniam, vt constat ex dictis, negatio termini est prior negatione mensuræ, & proinde suaptè natura prius apprehendi potest duratio vitæ diuinæ, sub negatione termini, quam sub negatione mensuræ, apprehensa vero sub negatione termini habet rationem durationis infinitæ, & æternæ: ergo apprehensio immensurabilitatis, iam supponit rationem æternitatis, nec illam per se primo constituit, aut distinguit à durationibus creatis. Neque existimo Autores oppositæ sententiæ sentire æternitatem consistere in apprehensione immensurabilitatis: nam, quamuis eam appellent negationem rationis, nō ideo credunt pendere ab operatione intellectus: sed ideo id asserunt, quoniam negationes sunt eiusdem ordinis cum affirmationibus: cumq; relatio mēsuræ sit ens rationis, negationē ipsius aiūt ad idē genus pertinere. Quę doctrina vniuersaliter accepta minimè placet: nam negatio inhærētiæ pertinet ad genus substātiæ, non vero ad genus accidentis, ad q̄ inhærentia pertinet: negatio creationis passiuę nō pertinet ad ens creatū, ad quod illa, sed ad increatū. Neque vt negatio dicatur, peculiari modo ptinere ad genus entis rationis, sufficit formā negatā esse ens ratiōis, sed opus

S. Thom.

Augustin.

est, vt

est, vt nonnisi per operationem intellectus conueniat, vt cõstat in vnitate præcisionis. & alijs similibus: qua de causa negatio vniuersalitatis, quamuis sit negatio entis rationis, non pertinet ad idem genus imò conuenit à parte rei, vt per se patet: quoniam ex duobus terminis contradictorijs, alter necessario cõuenit subiecto cõsiderato sub quauis existentia: rebus autẽ sub existentia reali non conuenit relatio vniuersalitatis: ergo competere debet eius negatio. Sed quidquid sit de modo loquendi, dicendũ non est durationem vitæ diuinæ constitui per se primo in ratione æternitatis, per apprehensionem sui sub negatione mensuræ, sed sub negatione termini: si vero præfati auctores pro eodem accipiant negationem mensuræ, ac termini, rectè sentiunt: verum non loquuntur formaliter: nam, sicut ratio termini, ac mensuræ ratione differunt, ita quoque differunt negationes eorundem.

IX. Ad motiua in oppositum respondetur inprimis termino illo, *interminabilis*, posito in diffinitione æternitatis per se primo, & formaliter nõ explicari negationem mensuræ, sed termini: mensuræ autem consequenter, sicut ipsa consequitur ad rationem termini. Nec vero æternitas ideò à priore dicitur interminabilis, quia nulla mensura definiri potest, sed quia nequit circunscribi terminis: ex hoc vero prouenit, vt mensurari nequeat, sicut explicatum est. Ad primum argumentum respondetur distinguendo maiorem propositionem, quæ si intelligatur de speciebus, aut membris eiusdem diuisionis primo oppositis vera est, sed assumptio falsa: nam æternitas, & tempus non sunt membra primo opposita: duratio enim primo diuiditur in increatam, & creatam, quæ primo distinguuntur ratione termini actualis, vel potentialis, & negatione illius: & ita æternitas habet modum durationis oppositum durationi creatæ, quo etiam distinguitur à tempore contento sub duratione creata: si vero eadẽ propositio intelligatur de membris non primo oppositis, neganda est: non enim opus est, vt membrum immediatè contradiuisum alteri habeat oppositionem directam secundum proprias differentias cum specie contenta sub membro, à quo primum contradiuiditur, vt multis exemplis patet: nam substantia, & accidens opponuntur penes esse per se, vel in subiecto inhæsionis: non tamen opus est, vt si quantitas consistit in extensione subiecti, ratio substantiæ consistat primo in negatione talis extensionis: si quidem iam hæc negatio reperit substantiam constitutam per rationem existendi per se, & nõ in subiecto inhæsionis: similiter æternitas primo distinguitur à duratione creata negatione termini actualis & potẽtialis, & quando comparatur cum tempore, etiamsi id includeret habitudinem mensuræ, nõ proinde æternitas vendicare per se primo deberet rationem aliquam formalem intrinsecam illi directè oppositam. Responderi secundo potest, in tempore nõ includi formaliter rationem mensuræ: Ex eo enim, quod sit numerus, rectè sequitur ipsum esse materialiter mensuram, nõ vero illam formaliter includere: numerus enim differt formaliter à ratione mensuræ, nec illam intrinsecè includit. Iam vero expositio, qua eadem sententia corroboratur ex auctoritate S. Iob. extorta ad modum est, & iuxta illam concedi debet hæc propositio: *Deus ignorat dies suos*: si enim illi, qui scientiam Dei habent, idcirco dicuntur ignorare dies illius, quoniam sciunt æternitatem Dei nõ posse diebus, aut annis diffiniri, cùm hoc etiam Deus optimè sciat, dici verè poterit ignorare dies suos quod quis audeat admittere? Sensus ergo planus est, quem etiam cap. præcedente B. Iob. attigerat, & D. Thom. luculẽter explicat cit. cap. 24. quod Deum nihil omnino lateat rerum creatarum, atque humanarum, ipse vero adeò sit inuisibilis, atque incomprehensibilis, vt ij etiam, qui talem eius cognitionem habent, vt ab hominibus dicantur scire ipsum longè distent ab ipsius comprehensione. Ad secundum neganda est assumptio: immensitas enim, quamuis nominetur à negatione mensuræ, est tamen quantitas Dei virtualis, quam etiam prius intelligimus negatione termini, quam mensuræ. Ex eo enim Deus non est commensurabilis loco, & quantitas eius immensurabilis, quia est interminabilis.

In æternitate non est vlla successio & proinde non distinguitur à nunc stabili.

Caput XI.

I. QVamuis nullus ex Catholicis auctoribus vertat in dubium, vtrum sit vlla successio in æternitate, tamen gratia explicandi naturam ipsius, & verba illa Boët. adhibita in diffinitione (*tota simul*) perscrutabor vtrum cadat in ipsam vmbra aliqua successionis. Arguitur autem ex sacris literis primo quoniam Iob. cap. 10. vocantur *Iob. 10.* dies, & anni Dei: non intelliguntur autem dies, & anni sine aliqua ratione prioris, ac posterioris, & consequenter sine successione. Secundo tribuuntur Deo verba

omnium temporum, dicitur enim in Psal. 2. *Ego hodie genui te*, dicitur Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, dicitur Exod. 33. *Miserebor, cui voluero, & Clemens ero, in quem mihi placuerit.* Ex quo loco sumitur speciale argumentum, quoniam ibi indicatur Deum nõdum misereri, sed habiturum misericordiam in futuro: hoc vero fieri nequit absque successione: ergo cadit successio in actus Dei intrinsecos, qualis est actus miserendi. Tertio significatur ordo prioritatis: nam Prou. 8. dicitur. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Qui locus intelligitur de actibus Dei immanentibus, hoc est de generatione æterna verbi, & ordinatione, ac dispositione mundi fabricandi: si ergo in illis fuit ante, & post, fuit etiam successio. Rationes dubitandi sunt duæ. Prima nunc æternitatis distinguitur ab ipsa: ergo æternitas est particeps successionis. Cõsequentia probatur: quoniam nunc, siue instans indiuisibile est prius, ac posterius duratione ea, cuius nunc est: nam, quatenus concipitur vt finis, est posterius, prius vero quatenus concipitur vt principium: neque cõcipi potest sub ratione nunc indiuisibilis, quin concipiatur, vt terminus initians, ac finiens secundum partem durationem, cuius est nunc: nihil vero est simul finis, & initium rei secundum eandem prorsus entitatem indiuisibilem, sed secundum diuersas: atque adeò, si est finis, & initium rei secundum esse actuale, eius duratio est successiua. Antecedens ostenditur, quoniam ita se habet nunc æternitatis ad ipsam, vt instans ad tempus: instans vero distinguitur à tempore: ergo & nunc stans distinguitur ab æternitate. Præterea nunc æternitatis adæquate existit in quouis instanti, ita vt si per impossibile solum coexisteret vni instanti, non haberet inadæquatam existentiam in genere nunc indiuisibilis: æternitas vero, si solum coexisteret instanti, non haberet adæquatam rationem suæ durationis. Secunda ratio est, quoniam Deus transit de existente hodierna die in non existentem in eadem, & de non existente cras in existentem cras: nam hodie verè coexistit præsenti diei, cui non coexistet cras: contra vero hodie nõ coexistit crastinæ diei, cui coexistet cras: omnis vero transitus de vno termino contradictorio in alium infert successionem: nam, quæ repugnant in eodem subiecto, nequeunt inesse illi simul, sed successiuè.

II. Successio duplex singi potest: nempè altera formalis, altera virtualis: formalis, cùm verè est transitus de vno termino in alium: virtualis cum non est re ipsa transitus, sed datur res permanens æquipollens transeunti. Formalis rursus alia est intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca est transitus subiecti penes formam ipsi verè, ac realiter inexistentem, siue sit inter vtrunque terminum positiuum, siue inter vnum positiuum, alterum negatiuum: extrinseca vero est, quãdo nullus ex terminis, inter quos fit transitus, est intrinsecus subiecto, sed solum extrinsecus denominat: vel quando, licet terminus quoad aliquid significet perfectionem intrinsecam subiecto, vltimo tamẽ in propria ratione formali completur habitudine, siue connotatione extrinseca, vt se habet verbum, *creat*, de sententia D. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 3. ad 1. & aliorum, qui censent illud significare actionem æternam Dei, & connotare effectum creatum in tempore. Hoc posito sunt qui dicant æternitatem, quamuis non sit formaliter successiua, esse tamen virtute, quia durationem creatam successiuam eminenter continet. Verum pura continentia eminentialis non sufficit, vt Deus dicatur esse aliquid virtute: nam Deus eminenter continet res sensus, & rationis expertes, nec tamen dicitur esse virtute insensibilis, aut irrationalis. Requiritur vero, & sufficit æquipollentia talis, vt perfectio diuina præstet id, aut aliquid proportionaliter simile ei, quod præstant res creatæ, quibus æquipollet, & quas dicitur continere virtute: qua ratione dicitur virtute quantus, quoniam vi suæ immensitatis est potens coexistere cuiuis loco, sicut substantia corporea ratione suæ quantitatis coexistit loco sibi adæquato. Hoc modo absurdum non erit admittere æternitatem esse virtute successiuam: quia nimirum ita est indiuisibilis, vt tamen non raptim transeat, sed permaneat, ac semper stans coexistat omni durationi successiuæ.

Prouerb. 8. *S. Thom.* *Gen. 1.*

III. Quod attinet ad formalem, dicendum est intrinsecam repugnare omnino æternitati diuini esse, extrinsecam vero nequaquam. Prior pars est de fide, vt constat ex illo Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, item ex illo Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, & ex omnibus locis adductis tractatu 8. ad probandam immutabilitatem Dei: nam successio omnis intrinseca est mutatio, vel cum mutatione necessario coniuncta: ideoque testimonia, quæ probant Deum esse immutabilem, probant etiam vitam eius, ac durationem esse prorsus expertem successionis omnis intrinsecæ. Et hoc ipsum indicant Patres, qui immutabilitatem

Psalm. 101. *Exod. 3.*

aiunt

aiunt pertinere ad veram æternitatem
Augustin. Augustin. locis citatis in proœmio huius
tractatus, & lib. 83. q. quæst. 19. & lib. 11.
Anselm. de ciuitate cap. 6. Anselm. in monolog.
Rich. Victor. cap. 4. Richard. Victor. lib. 2. de Trinita-
Pet. Damian. te cap. 4. & 9. & Petrus Damian. Epist. 4.
de omnipotentia Dei cap. 8. Ratione vero
ostenditur. Primo duratio est diuersa iuxta
diuersitatem rei, cuius esse mensurat: mo-
dus essendi entis per essentiam non potest
esse nisi simplex, & vniformis sine vlla va-
riatione: ergo debet ipsi tribui duratio, si-
ue mensura permanens, & vniformis abs-
que vlla successione. Secundo omnis suc-
cessio intrinseca supponit in subiecto dura-
tionis potentiam passiuam ad formam, se-
cundum quam datur successio: Deus au-
tem est actus purus: ergo in eius vitam, &
durationē nequit cadere successio intrin-
seca. Et confirmatur quoniam ea aut est
continua, aut discreta: neutra in Deum
cadit: ergo æternitas est à successione alie-
na. Assumptio constat quoad continuam,
quoniam hæc est actus subiecti imper-
fecti, & non habentis ex se quidquid ha-
bet: Deus autem, vtpote ens per essen-
tiam, ex se habet quidquid est: quare non
est capax successionis continuæ. Discreta
vero supponit transitum de vna forma in
aliam, qui repugnat Deo. Nam transitus
non est nisi inter formas oppositas: ex his
vero vna est imperfectior altera cum pri-
uatione illius coniuncta: repugnat autem
Deum subdi priuationi, aut carere for-
ma simpliciter perfecta: quare etiam re-
pugnat, vt sit in ipso transitus, vel succes-
sio secundum formas intrinsecas. Secun-
da pars sumitur ex sacris literis, ex quibus
habetur tribui Deo prædicata quædam
extrinseca secundum temporum succes-
Gen. 1. & 2. sionem: nam Genes. 1. dicitur in princi-
pio creasse cœlum, & terram, & cap. 2. re-
quieuisse die septimo ab omni opere, quod
patrarat, dicitur immisisse aquas diluuij
super terram, & sexcenta alia per tempo-
rum interualla fecisse; in quibus necessa-
riō interuenit successio ab ocio ad ope-
rationem externam, & ab hac ad quie-
tem. Nam initio mundi incepit esse creans,
cùm antea non fuisset, & septimo die ces-
sauit à noua rerum creatione, quam sex
diebus continuauerat: & singulis diebus,
ac horis huiusmodi successiones admittit,
nunc in fundendo de nouo gratiam, nunc
illam augendo, nunc ob demerita pec-
catorum suspendendo concursum, quo
illam conseruabat, nunc creando nouas
animas, & plura alia faciendo, vel ab ope-
rationibus externis cessando. Porro se-
cundum has denominationes extrinsecas
admittit successionem, tam continuam,
quam discretam: continuam quando in
ipsis rebus extrinsecis, à quibus deno-
minatur, est continua successio, vt si ex
continuo merito viatoris gratiam, & cha-
ritatem ipsius successiuè augeret: discre-
tam, quando inter res creatas est discreta
successio, qualis est in creatione anima-
rum.

Ad primum sumptum ex sacris literis IV.
respondetur dies, & annos, cum Deo tri-
buuntur, sumi metaphoricè, & non pro-
priè: ex hoc vero non colligitur successio
propria, & formalis, sed ad summum vir-
tualis. Ad secundum patebit solutio cap.
sequente, vbi explicabo non propterea di-
ci de Deo verba omnium temporum, quia
æternitas habeat differentias temporis, aut
successionē secundum prius, & posterius:
sed quia vnitate sua, & permanentia æqui-
pollet cuilibet temporum successioni. Ad
id vero testimonium, quod sumitur ex
cap. 33. Exod. respondetur, verbum mi-
sereri interdum sumi pro solo actu inter-
no mentis, quo quis vult alterius mise-
rias subleuare, vt sumitur in Euangelio
Marc. 8. *Misereor super turbam, quia ecce* *Marc. 8.*
triduo sustinent me, &c. Aliquando vero
pro opere externo misericordiæ, quo
subleuatur miseria, vt Psalm. 101. *Tu exur-* *Psalm. 101.*
gens Domine misereberis Sion, quia tempus
miserendi eius, quia venit tempus, tempus
autem designat occasionem, siue certam
temporis mensuram, postquam Deus de-
creuerat re ipsa ostendere suam erga Iu-
dæos misericordiam: loco vero illo Exod.
sumitur hoc secundo modo, non primo,
scilicet miserebor quoad effectum, quo
modo exponit D. Thom. lect. 3. in cap. 9. *S. Thom.*
Epist. ad Rom. eundem locum relatum à
Paulo secundum versionem 70. *Miserebor,*
cui misertus sum, vbi D. Thom. *Miserebor*
vocando, & iustificando, cui misertus sum prædestinando. Quamuis itaque locus ille intel-
ligatur præcisè de futuro, non arguitur suc-
cessio in actionibus internis Dei, quoniam
ibi nō sumitur verbum, *miserebor*, pro actu
interno, sed pro externo eius effectu. Ad
tertium dicendum est in actibus æternis
Dei non fuisse re ipsa ante, & post: & con-
sequenter neque successionem: nam suc-
cessio necessario importat veram diuisibi-
litatem durationis, in cuius vna parte sit
aliquid, cui in secunda succedat aliud: in
Deo vero omnia sunt simul duratione.
Tamen cum simultate re[illegible] durationis
reperiri potest ordo rationis secun-
dum modum aliquem causalitatis, vel

suppositionis: & hoc modo, quia verbum diuinum, quod ibi sapientiæ nomine intelligitur, procedit vt idea, & ars rerum creatarum, propterea dicitur ante omnes colles parturiri, quia creata omnia ab illo dependent secundum rationem sapientiæ, & artis, quæ ipsi appropriatur.

V. Prima ratio dubitandi exigit, vt explicetur quæ sit diuersitas inter nunc æternitatis, & ipsam æternitatem. Cùm vero æternitatis definitio magna ex parte tradita sit, oportet indagare naturam ipsius nunc. Est vero nunc indiuisibile aliquid secundum durationem, quod animus apprehendit præsens inter præteritum, ac futurum: de quo locutus est Boët. lib. 1. de Trinitate cap. 9. cùm dixit nunc stans causare æternitatem, nunc vero fluens tempus, quod vt notat D. Thom. in 1. distinct. 19. quæst. 2. art. 2. ad 3. non est intelligendum de vera ratione causalitatis, sed secundum rationem: quia, sicut nostro modo intelligendi ipsum esse consequitur principia entis, ita æternitas, quæ est mensura existentiæ, siue ipsius esse, cõsequitur ipsum nunc, quod est mensura naturæ, siue quidditatis rei existentis: ex quo patet de mente D. Thom. eo loco, & in corp. art. quacunque mensura mensuretur esse alicuius, rei ipsi existenti respondere nunc ipsius durationis quasi mensuram, & consequenter illud ens, cuius esse mensuratur æternitate, mensuratur nunc æternitatis: itaque æternitas tanquam mensura respicit ipsum diuinum esse, nunc autem æternitatis respicit quidditatem ipsius. Ad hoc autem astruendum inductus est sanctus Doctor ex doctrina Philosophi lib. 4. Physic. text. 104. asserentis tempus esse mensuram ipsius motus, nunc vero temporis esse mensuram mobilis: & quia in permanentibus nõ est motus, aut successio, sed esse permanens, huic esse permanenti non respondet duratio successiua, sed permanens: rei vero durãti respondet nunc tanquam propria mensura. Eandem doctrinam tradiderat prius Albertus in 1. d. 8. art. 13. & sequuntur discipuli D. Thom. Ægid. d. 19. 2. p. q. 2. art. 2. Capreol. d. 9. q. vn. art. 2. cõclusione 3. Hispal. q. vn. 3. not. 5. & Soncin. q. 2. conclusione 3.

Boetius. *S. Thom.* *Aristot.* *Albert.* *AEgid.* *Capreol.* *Hispalens.* *Soncin.* *Aureol.*

VI. Totam hanc doctrinam tanquam fictitiam reijcit Aureol. in 1. dist. 9. q. 2. art. 1. & alij: qui negant à parte rei dari vllũ indiuisibile in tempore ab ipso realiter distinctũ, sed solam ipsam entitatem temporis, siue motus prout indiuisibiliter apprehenditur. Aureoli argumenta refert, ac dissoluit Capreol. à cit. ad argumenta Aureoli 2. & 3. loco inducta, & Hispal. q. cit. art. 2. & 4. ad argumenta cõtra 4. & 5. conclusionem. Verum quamuis admittantur in tempore indiuisibilia, tum plura, quæ continuent, & copulent partes temporis, cuius sunt partes intrinsecæ, non materiales, sed formales, tum vnum, quod sit mensura ipsius mobilis, non video qua necessitate ex eo colligatur dari in duratione rerũ permanentium, nunc aliquod, quod sit mensura ipsius rei, cuius existentiæ mensura est duratio. Nam in mobili est diuersum esse substantiale ab esse actuali motus, & idcirco admitti potest duplex modus durationis: alter quo mensuretur esse substantiæ, alter esse actuale motus, siue formæ in fieri: in Deo vero, aut natura, quæ habet totum esse substantiale simul, non potest fingi duplex esse actuale, sicut enim natura est simplex, & indiuisibilis, ita quoque habet vnum esse simplex & indiuisibile: ideoque non datur duplex subiectum aptum, vt habeat mensuram durationis. Accedit, quod duratio est mensura ipsius esse: alioquin res non existens posset mensurari duratione, quod est absurdum: & ideò D. Thom. in 1. d. 19. q. 2. art. 1. & in 2. d. 2. q. 1. art. 1. docet durationem conuenire rei solum quando est actu, & quãdiu est actu: ergo, vt sit duplex modus durationis, etiam ratione distinctus, opus est vt sit duplex modus esse actualis, saltem ratione distinctus: atqui entitas, siue quidditas diuina, si præscindatur ab ipso esse actuali, non retinet aliud esse, aut modum essendi actualem: ergo nequit potest habere alium modum, siue rationem mensuræ distinctam virtute ab ipsa æternitate: quare nunc æternitatis, si concipitur per modum mensuræ durationis, non differt ex parte subiecti mensurati, sed ex parte modi, quo concipitur à nobis sub ratione mensuræ.

S. Thom.

VII. Vt vero modus hic pateat, sumenda est similitudo ex modo, quo loquuntur de punctis, & alijs indiuisibilibus illi, qui aiunt ea non dari re ipsa in quantitate continua, sed solum per apprehensionem intellectus nostri concipientis illam subesse indiuisibilitate: sicut enim de sententia ipsorum punctum non est vlla res alia à magnitudine, nec habet aliud subiectum, quam habeant partes ipsæ magnitudinis, secundum quod inuicem copulatæ, & continuæ intelliguntur: nec tamen apprehenditur sub diuisibilitate, aut continuitate, nec respondet vlli alteri quantitati continuæ, quatenus diuisibilis est, ita ipsum esse diuisum, quod consideratum secundum totam suam quantitatem virtualem cum omnimoda negatione termini habet

rationem

rationem æternitatis, qua Deus existit in se, & coexistit omni tempori, si consideretur præcisè solum quatenus est quoddam esse indiuisibile abstrahendo ab eius stabilitate, & virtuali distensione, qua est aptum coexistere cuiuis tempori creabili, & concipiendo id solum sub præsenti indiuisibili, potest dici nunc æternitatis: nunc dicetur quoniam non includit successionem virtualem, nunc vero æternitatis, quia est esse naturæ immutabilis & immensæ. Quod suadetur ex dicto Boëtij lib. de Trinitat. cap. 9. vbi sic ait. *Tantum inter nostrarum rerum præsens, quod est nunc interest, ac diuinarum, quod nostrum nunc quasi currens tempus facit, diuinum vero nunc permanens, atque consistens, neque mouens sese, æternitatem facit:* nam, si nunc stans facit æternitatem, æternitas formaliter est ipsum nunc stans: hoc enim facere non est per modum causæ efficientis, sed quasi materialis, & integrantis: ita vt solum nunc, si præscindat ab stabilitate, non sit æternitas: sit autem, si simul cum stabilitate concipiatur. Hoc etiam indicauit Augustinus. August. lib. 11. confess. cap. 14. vbi *præsens*, inquit, *si semper esset præsens nec in præteritum transiret, iam non esset tempus, sed æternitas:* ipsum præsens fuisset æternitas, si semper esset, censet ergo Augustinus ipsum nunc, quod præsens dicitur, non esse aliud à duratione, cuius nunc intelligitur, & solum differre penes indiuisibilitatem, ac diuisibilitatem formalem, vel virtualem. Ex quo deducitur quoties Deum concipimus præsentialiter existentem, vel intelligentem absque respectu ad permanentiam sine termino non concipere nos formaliter rationem æternitatis, quæ dicit vniformitatem permanentiæ, sed solum nunc æternitatis, sub quo apprehenditur Deus vt præsentialiter existens cum præcisione à virtuali distensione, quæ includitur in ratione æternitatis: quod discrimen inter nunc, & æternitatem notauit Hispalens. vbi supra, & est Hispalens. forme doctrinæ D. Thomæ, nam 1. p. quæst. 10. art. 2. ad 1. non recurrit ad vllum modum causalitatis secundum rationem inter nunc æternitatis, & ipsam æternitatem, sed solum ad apprehensionem nostram: quia, sicut non aliter concipimus, tempus, quam cõcipiendo fluxum instantis, ita æternitatem concipimus apprehendendo stabilitatem ipsius nunc: quod sanè falsum esset, si ipsum nunc non foret mensura ipsius esse diuini, sed solum quidditatis: quantumuis enim staret mensura indiuisibilis naturæ diuinæ, non esset mensura ipsius esse: atque adeò nec æternitas: ergo à contrario, si per nunc stans intelligitur ipsa æternitas, nunc erit etiam mensura ipsius esse diuini: diuersimode tamen, nempè per modum præsentis, & indiuisibilis, tã formaliter, quam virtualiter, cùm tamen æternitas concipiatur cum negatione omnis termini, & virtuali extensione ad omnem differentiam temporis.

Ex his patet solutio ad primũ argumentum oppositæ sententiæ, negandũ enim est antecedens, si intelligatur de distinctione ex natura rei: concedendum vero, si de distinctione rationis paulò ante explicata. Verum in hoc sensu non benè sequitur consequens. Nec probatio consequentiæ vim habet: quando enim nunc durationis, & ipsa duratio sola ratione distinguuntur, non est prius, ac posterius, nec ratio principij, ac finis: hæc enim exigunt distinctionẽ ex natura rei in partibus, quas nunc indiuisibile copulat, ac terminat: quando vero nunc datur solum secundum apprehensionẽ nostram, potest coincidere cum duratione ipsa absque vlla distinctione, aut ratione prioris, & posterioris. Ad primam vero rationem, qua probatur antecedens, Respondetur nunc æternitatis, ac temporis esse simpliciter diuersa, similia vero secundum quid: nempè quia, sicut ex fluxu ipsius nunc apprehendimus tempus, ita ex permanentia ipsius nunc apprehendimus æternitatem. Ex hac vero similitudine proportionali minimè colligitur, si nunc temporis distinguitur ab ipso ex natura rei, distinguendum quoque similiter fore nunc æternitatis ab ipsa: nã nunc temporis non est successiuum, ideoque potest distingui à tempore successiuo: at æternitas non est successiua, sed permanens, quod etiam competit ipsi nunc, in quocunq; enim temporis instanti concipi potest vnum, atque idem nunc æternitatis. Ad secundã negandum est antecedens: nam, sicut æternitas eminenter continet omnes partes temporis successiuas, ita nunc æternitatis eminenter continet omnia instantia temporis indiuisibilia, & propterea ita coexistit singulis, vt ratione huius cõtinentiæ eminentialis possit coexistere cæteris. VIII.

Obijcies saltem concedendum esse nunc æternitatis adæquate existere in instãtibus collectiuè sumptis, æternitatẽ vero nequaquam: quoniam cõtinet equipollenter omnia tempora, & ratione huius diuersitatis dari inter ea distinctionẽ ex natura rei. Neganda tamen est consequentia: quoniam modus continendi eminenter res distincta ex na- IX.

x natura rei non arguit distinctionem actualem in continente: nam intellectus continet eminenter omnes sensus, nec tamen habet quinque rationes formales ex natura rei distinctas, quibus respondeat quinque potentijs sensitiuis: & omnia attributa diuina sunt idé ex natura rei, vt ostensum est tractatu 5. & tamen sapientia continet eminenter genus omne scientiæ creatæ, quam nó ita continet iustitia: similiter, etsi nunc æternitatis cõtineat instãtia creata, æternitas vero tempora, non propterea sequitur, vt nunc æternitatis, & æternitas ipsa ex natura rei distinguantur. Ad secundũ respondetur, cùm Deus dicitur existens hodie, vel cras, nõ prędicari solam existentiam diuinam, sed simul cum connotatione temporis hodierni, vel crastini: cùm vero connotatio respiciat aliquid extrinsecum subiecto ad varietatem prædicationis, & transitum de vno termino contradictorio in alium nõ requiritur successio in subiecto ipso, quod à forma extrinseca denominatur, sed sat est, vt sit in ipso termino connotato: variata enim connotatione variatur etiam denominatio, etiamsi nullo modo varietur subiectum denominatum. Et hoc modo variata existentia diei hodiernæ, vel crastinæ, quam connotant propositiones illæ, *Deus hodie existit*, *Deus existet cras*, variatur etiam veritas propositionum: & Deus successiuè susçipit denominationes contradictorias, quin sit vlla successio in existentia ipsius, aut duratione intrinseca. His positis distinguenda est minor: nam, si intelligatur de transitu ipsius subiecti denominati, vel de successione alicuius formæ ipsi intrinsecæ, neganda est: Si vero intelligatur de transitu vel ipsius, vel alterius termini extrinseci, aut cõnotati, concedenda est. Verum ex ea in hoc sensu minimè colligitur consequens: ex veritate propositionis constante termino disiuncto non benè infertur veritas propositionis constantis termino certo, ac determinato.

In quo consistat vniformitas æternitatis.

Caput XII.

I. EX dictis superiori capite facilè ostendi potest, quæ, & quanta sit vniformitas æternitatis, quam Boëtius in sua definitione explicat duobus illis verbis, *Tota simul*, & Aug. lib. 11. confess. cap. 11. per *totum esse præsens, & semper stans*, quibus explicatur vniformis stabilitas, siue stabilis vniformitas æternitatis: quæ innotescet magis ex comparatione ad tempus, & motum, qui recedunt ab huiusmodi vniformitate. Etenim quamuis vt notat Caiet. 1. p. quæst. 10. art. 1. §. *Secundum est* tempus, & motus dicantur vniformes, quatenus in sua mutabilitate, & successione seruant quandam proportionem velocitatis, atque æquabilitatis, ratione cuius motus primi mobilis dicitur ab auctoribus inter cæteros maximè vniformis, hæc tamen non est vniformitas simpliciter, & absoluta, sed cum summa prœterlabentium partium difformitate coniuncta: quod enim semper aliter, atque aliter se habet, vt tempus, ac motus, nunquam sibi simile, sed dissimile prorsus, ac difforme est: quæ difformitas explicatur à Philosopho lib. 4. Physic. cap. 11. text. 101. cùm tempus appellat numerum motus secundum prius, ac posterius: nam, cùm numerus opponatur vnitati, distinctionem, ac diuisionem inducit, qua dissoluitur vnitas, & consequenter vniformitas, quæ non est aliud quam vnitas coniuncta, siue concreta formæ, vt loquitur Caiet. & alij Thomistæ: est vero tempus numerus successiuus, hoc enim indicant verba illa, *Secundum prius, ac posterius*, quæ adhibuit Philosophus, nè quis existimaret tempus esse numerum motuum simul existentium, sed vnius, atque eiusdem, cuius partes sibi iugiter succedentes, & sub multis vnitatibus apprehensæ tempus, hoc est numerum motus efficiunt. Ex quo duplex emergit difformitas temporis: altera consistit in numero, ac multiplicitate durationum, quarum vna fluit post aliam, vna sequitur, alia præterit: altera vero in vnitatum ipsarum intrinseca instabilitate, quæ ipsæ secundum partes proprias, & intrinsecas non seruant vniformitatem, & permanentiam, non enim sunt totæ simul, sed successiuè fluunt. Prior difformitas reperitur in tempore tam continuo, quã discreto: vtrunque enim est numerus vnitatum nõ simul stantium, sed succedentium: v. g. annus est numerus dierum, quorum priores transeunt, posteriores succedunt: tempus discretum est numerus instantium, siue vnitatum non continuarum, sed tamen ita subordinatarum, vt vna succedat alteri, nec possit illi coexistere: & ita in vtroque est difformitas numeri oppositi vnitati. Posterior per se nonnisi in tempore continuo reperitur: nam de ratione temporis discreti non est, vt vnitates ipsæ, ex quibus constat, sint intrinsecè successiuæ, sed solum vt altera vnitas succedat alteri: tempus enim, quod metitur operationes Angelicas,

Caietanus.

Aristot.

licas, eo solum successiuum est, quatenus instantia, quibus singulæ mensurantur habent inter se ordinem prioris, ac posterioris: non vero quod in ipsis detur formalis, ac intrinseca successio continua: quandoquidem sunt permanentia, atque indiuisibilia, quemadmodum operationes ipsæ, quas metiuntur.

II. Vtraque difformitas est aliena ab æternitate, & vtraque excluditur per illa verba diffinitionis, *Tota simul*, vt notat Alensis 1. p. quæst. 12. m. 3. nam, quod est totum simul, non potest habere partes secundum prius, ac posterius: simultas enim opponitur successioni, & ita non potest esse numerus, qui nō intelligitur absque pluribꝰ vnitatibus: neque etiam potest esse vnitas intrinsecè successiua: nā talis vnitas est etiam numerus potentialiter, vt videre est in die, qui quatenus concipitur sub designatis terminis, vt trigesima pars mensis, est vnitas componens mensem, qui est numerus dierum: quatenus autem cōcipi potest, vt conflatus ex horis, iam habet rationem numeri, est enim numerus horarum viginti quatuor: at æternitas ita est vnitas, vt neque actualiter, neque potentialiter sit numerus. Quæ omnia complexus est Augustinus in illa verba Psalm. 89. *Lætati sumus omnibus diebus, &c.* vbi sic ait. *Non enim succedentibus cedunt, vbi non est aliquid, quod nō veniendo nondum sit, & veniendo iam non sit: omnes simul sunt, quia vnus est, quoniam stat, & non transit, ipsa est æternitas,* ecce vnum dicit diem, quo excluditur numerus, & ipsum stantem vocat, quo excluditur successio cōtinua: similia dicit lib. 11. confess. cap. 13. Hoc ipsum ingeniosè explicauit idē Aug. verbis illis, *Semper stans*: initio relatis: nam per stabilitatem excludit successionem intrinsecam vnitati, qualis est in partibus temporis continui, non vero in instantibus discreti: per terminum vero, *semper* excludit successionem vnitatum aliarum post alias: qualis est in tempore discreto, cuius instantia, siue vnitates, quamuis in se permanentes sint, ac stabiles, non tamen semper: quod enim est semper stabile, non solum est expers successionis continuæ, & intrinsecæ, sed etiam discretæ, & extrinsecæ: nā in hac etiam id, quod non fuit, incipit esse, definit autem, quod fuit. Quod autem est semper stabile, nec incipit, nec definit: & ideò vnitates temporis discreti admittunt successionē discretam, quia vna sequitur post aliam; æternitas autem, quia semper stabilis, ac tota præsens est, excludit omnē successionem, tam continuam, quàm discretam: discretā quia est vnitas, quæ repugnat numero: continuam, quia est tota simul, & indiuisibilis: simultas enim, atque indiuisibilitas cōtinuitati opponitur: & hoc indicasse videtur. S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. art. 1. cùm permanentia, inquit, actus, vt vna vnitate vt habet rationē mēsuræ, est æternitas: alludit enim ad Philosophum, qui quædā mensurari ait vnitate, quędam numero: nam, quando dicimus Socratem vixisse vnum annum, metimur vitā eius per modum vnitatis applicantes semel mensuram vnius anni: quādo vero dicimus vixisse centum annos, metimur per modum numeri. In æternitate vero & est permanentia opposita successioni continuæ, & est vnitas opposita discretæ: vult ergo D. Thom. ipsam permanentiam actus essendi sumptam vt vnam, seu potius vnitatē permanentiæ diuini esse cōstituere æternitatē in ratione mensuræ fundamentalis: nam per vnitatem excluditur tempus discretum, quod est numerus secundum prius, ac posterius: per permanentiam vero tempus continuum, quod fluit: & hæc est vniformitas de qua loquitur D. Thom. 1. p. art. 1. q. 10. perfecta nimirū absque vlla difformitate, aut successione, quod etiam breuissimè explicauit Plato in Timæo satis ante medium: *Idcirco*, inquiens, *imaginē æui mobilem fingere decreuit, ac, dum cœlū exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis æternā quandā in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus,* notāda verba sunt illa, *æternitatis in vnitate manentis*: nā duo important: scilicet vnitatem, & permanentiam: quidquid enim in vnitate permanet, æternū est, non transiens de vno in aliud, sed semper manens idem. Quod etiam benè explicauit regius vates Psalm. 101. cùm æternitatē Dei explicare volens dixit, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*: eius enim, apud quem non est transitus de vnitate in vnitatem, sed permanētia in vna, atque eadem, anni sunt æterni, & ideò non deficiunt.

III. Ex hac æternitatis permanentia, & stabilitate prouenit, vt cum de Deo loquimur, accommodatius vtamur verbis præsentis temporis, quā præteriti, ac futuri: nā præsens dicit solummodo esse non indicando successionem: at præteritum, ac futurū iam inuoluunt prioris, ac posterioris ordinem, qui sine successione nō est. Quā rem egregiè explicat Aug. lib. de vera religione cap. 49. *AEterna*, inquiens, *vita vitā temporalem viuacitate ipsa superat: nec quid sit æternitas nisi intelligendo conspicio: mentis quippe aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate seiungo: & in ipsa æternitate nulla spatia temporum cerno, quia spatia temporis præteritis, & futuris rerum motibus constant: Nihil autem præterit in æterno, &*

S. Thom.

Alensis.

Augustinus.

Plato.

Psalm. 101.

Augustin.

nihil futurum est: quia & quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondũ esse cœpit: æternitas autem tantummodo est: nec fuit quasi iam non sit: nec erit, quasi adhuc nõ sit: quare sola ipsa verissimè dicere poterit, ego sum, qui sum, & de ipsa verissimè dici poterit, qui est misit me ad vos. Similia tradit tract. 2. in 1. Epist. Ioan. super illa verba. *Quia cognouistis eum, qui à principio est.* Lib. 83. q. q. 17. lib. 9. Confess. cap. 10. & sæpè alibi. Nazianz. orat. 38. quæ est panegyrica in Christi natiuitatem, & orat. 44. quæ est 2. in Pascha. Hieronym. in Epist. ad Damasum, quem refert Magister in 1. d. 8. Greg. lib. 18. moral. c. 20. in id Iob. 24. *Qui autẽ nouerunt eum,* ignorãt dies illius. Bern. serm. 31. in cant. initio. Isidor. lib. 1. sent. de summo bono cap. 6. Beda in id Psalm. 101. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, &c.* Anselm. in monol. cap. 19. Theodoret. lib. 2. de græcarum affectionum curatione, qui est de principijs ex Platone in Timæo, & Euseb. lib. 11. de præparatione cap. 6. ex eodem, & cap. 7. ex Plutarcho. Nec vero præsens, quod æternitati propriè cõuenire dicitur, est instar instantis, quod inter præteritum, futurumque inter iacet, & aliquando, videtur significare nondũ peruentũ ad perfectionis complementum: & ideò D. Aug. lib. 83. q. q. 37. videtur negare hanc, *Filius semper nascitur,* quatenus indicat nõ esse perfecte natum, sed hac de re in materia de Trinitate. Nunc sat est indicare Patres non ausos concedere illam propositionem propter imperfectũ modũ præsentis nostri quod limitatum, & ab æternitate etiã alienum est, qua de causa Magn. Dion. cap. 5. de diuin. nomin. satis ante med. *Deus,* inquit, *neq; erat, neq; erit, neq; fuit, neq; fit, neq; fiet, imò vero neq; est.* Quoniam scilicet ipsum præsens, si sumatur secundũ proprium modũ significandi, maximo distat ab æternitate, quia raptim transit: solum igitur propriè conuenit Deo præsens, quod abstrahit ab omni differentia temporis, & immensitate sua omnes continet, atque complectitur.

Nazianzen. Hieronym. Magist. Gregorius. Bernard. Isidorus. Beda. Anselm. Theodoret. Plato. Euseb. Cæsar. Plutarchus. Augustin. Magn. Dion.

IV.

Vt autem constet cur Patres modo negent prædicari de Deo aliquid secundum tempora, modo vero vtantur nominibus significantibus differentias temporis, obseruandum est ex Ægidio in 1. d. 8. 2. p. q. 2. art. 4. post Philosophum lib. 4. Phys. text. 114. in tempore quædã esse per se, quædam per accidens: per se sunt illa, quæ mensurantur, ac continentur tempore, ab eoque patiuntur: per accidens sunt ea, quæ sunt simul cum tempore, etiamsi ab illo non contineantur. Obseruandum deinde cum eodem Ægid. verba non significare formaliter tempus, aut eius differentias, sed solum cõsignificare indicando in qua differentia temporis prædicatum conueniat subiecto. Hoc vero dupliciter fieri potest, vel cum determinatione ad certã differentiam temporis exclusis alijs, vt cum dicitur Abac. 3. *Deus ab Austro veniet,* indicatur enim nondũ venisse: aut cum significatione positiua certæ differentiæ temporis non exclusis alijs, sed cum indifferentia vt adsint, vel absint: vt cum dicitur Matth. 18. *Angeli eorum vident faciem Patris,* ex hoc enim nõ significatur non vidisse in tempore præterito, aut nõ visuros in futuro. His positis dicendum verba, quæ tempus significant, nõ posse dici de Deo, si priore modo accipiantur, quoniam Deus non est per se in tempore, nec ita coexistit vlli eius differentiæ, quin coexistat cæteris omnibus: & ob hanc causam Patres interdum negant prædicari de Deo verba, quæ, tempus significant. Si vero posteriore modo accipiantur, verè de Deo dicuntur: vt vtrunque expresse, & docte tradit Aug. tract. 99. in Ioannem explicans illa verba Ioan. 16. *Quæcunq; audiet loquetur: In eo,* inquiens, *quod sempiternum est sine initio, & sine fine, cuiuslibet temporis verbũ ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur: quamuis enim naturæ illa immutabilis, nõ recipiat fuit, & erit, sed tantum est, ipsa enim veraciter est, quæ mutari nõ potest: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, nõ mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est: fuit in præteritis seculis, est in præsentibus, erit in futuris: fuit, quia nunquã defuit, erit, quia nunquã deerit, est, quia semper est. Neque enim, velut qui iam non sit, cùm præteritis, occidit: aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur: aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde, cùm secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, verè de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba.* Quæ ex Aug. mutuatus est Beda in commentarijs eiusdem loci, vnde ex sententia Augustini, quia Deus est per accidens in tempore, illique coexistit, habet fundamentum, vt de ipso dicantur verba omnium temporum. Quemadmodum enim, quia ex vi immensitatis suæ præsens est omnib' locis, verè dici potest esse in cœlo, & in terra, quamuis nec cœlo, nec terra claudatur: ita, quoniam æternitatis suæ immensitate amplectitur omnem differentiam temporis, verè dici potest fuit, est, & erit in hoc, vel illo tempore, vbicunque explicat Albert. in 1. d. 8. art. 14. & d. 19. art. 19. Ægid. d. 8. 2. p. q. 2. art. 4. Henr. in sum. art. 31. q. 3. & 4. Scot. in 1. d. 9. q. vn. ad finem, & alij: & hoc modo in sacris

Abac. 3. Matth. 18. Augustinus. Beda. Albertus. Ægid. Henric. Scotus.

AEgid. Aristot.

literis

literis vsus est verborum importantium differentias temporum, etiam cum sermo est de actionibus Dei immanentibus, vt
Ioan. 16. constat ex illo Ioan. 16. *Non loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur:* vbi sermo est de Spiritu sancto, cuius processio significatur verbo illo (*audiet*) vt exponit
Augustin. August. vbi proximè: *Semper*, inquiens, *audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ergo & sciuit, & scit, & sciet, ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet, quia hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est, quod esse: ab illo igitur audiuit, audit, & audiet, à quo est: ab illo est, à quo procedit.* Item de generatione æterna loquitur
Ioan. 5. Christus, cùm ait Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitã in semetipso*, id est, genuit filium, qui ipse est vita essentialiter, & de electione æterna
Ad Ephes. 1. dicitur ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Duplici autẽ de causa nominib⁹ temporis vtimur, primo quia Deus coexistit singulis temporibus verè, ac propriè, nõ minus quam illa, quæ tempore circun-
Anselm. scribuntur: vt docet Anselm. in Monol. cap. 22. quoniam sic est præsens omnib⁹ circunscriptis, ac mutabilibus, ac si ille eisdem circunscribatur locis, ac mutetur temporibus: deinde applicantur certæ differentiæ temporis, vt saltem inadæquatè explicent perfectionẽ æternitatis: præterito quidem vtimur ad indicandam negationem principij: qua etiam de causa Deus dicitur antiquus dierum: imperfecto ad significandam permanentiam: præsenti ad stabilitatem, futuro ad ostendendam negationem finis.

V. Quæ dicta sunt, solũ intelligi debent de ijs, quæ Deo intrinseca sunt, neque temporum successione variantur: nã quæ talia nõ sunt, vel saltẽ cõplentur habitudine extrinseca ad creaturas adueniente de nouo, non semper dicuntur de Deo, sed admittunt eandem variationem temporum, quę accidit rebus creatis, ad quas habent habitudinem: cuiusmodi est creare, incarnari, iustificare peccatores, iudicare mundum: non enim semper Deus creauit, aut creaturus erit, sed in principio temporis creauit, & antequam crearet, erat.

VI. Ex dictis vnũ dubium emergit: vtrum scilicet, quemadmodum æternitas ratione vniformitatis, qua excluditur difformitas temporis discreti, atq; cõtinui, propriè nõ subit differẽtias temporis, ita quoq; æuum Angelorum, quod nunc suppono esse indiuisibile, ac totũ simul, vt suo loco ex instituto probabo, ratione indiuisibilitatis, & vniformitatis actualis sit extra differentias temporis: ita vt propriè loquendo solũ habeat præsens: præteritũ vero, & futurũ solummodo p habitudinẽ ad ipsum tempus.

Pars affirmatiua asseritur à D. Thom. 1. VII.
p. q. 10. ar. 5. ad 3. vbi ait, inexistentia Angeli secundum se considerata non esse differentiam præteriti, & futuri: & quando dicimus Angelum esse, fuisse, vel futurum esse, differre solum secundum acceptionem intellectus nostri, qui accipit esse Angeli per comparationẽ ad diuersas partes temporis: fauet D. August. lib. 12. de ciuit. cap. 15. vbi tractans quæstionem illam, an Angelicum tempore facti, an Deo cœterni sint, concedit fuisse semper, hoc est in omni tempore creato, nõ vero cœternos Deo: deinde subdit, *Tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit æternitati immutabili, non potest esse cœternum*, & quoniam obijci poterat Angelos non ita transcurrere, subdit: *At per hoc etiam, si immortalitas Angelorum non transit in tempore: nec præterita est, quasi iam non sit, nec futura, quasi nondum sit: tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt: & ideò creatori, in cuius motu dicendum non est vel fuisse, quod iam nõ sit, vel futurum esse, quod nondum sit, cœterni esse nõ possunt*, quibus verbis indicat ideò solum Angelos nõ esse cœternos Deo, quoniam eorũ motus de futuro in præteritũ transeunt, quamuis substantia ipsa immortalis non ita transeat. Probatur autẽ ratione, quoniam vniformitas duplicem imperfectionẽ excludit inprimis numerum actualem, & successionẽ temporis discreti, & numerũ potentialem, & successionẽ temporis cõtinui: quæ duo excludit æternitas, quoniam est vnitas in se indiuisibilis, ac permanens. Eadem vero quoad hoc est ratio in Angelo, cuius æuum, vtpote indiuisibile, ac totũ simul, verè est vnitas expers numeri temporis discreti, & fluxus successiui temporis cõtinui: ergo, si ratione huius vniformitatis æternitas absoluitur ab omni differentia temporis, etiam æuum Angeli absoluetur: & cõfirmatur: quoniam, vt ait D. Aug. lib. 11. confess. cap. 11. omne præteritũ propellitur ex futuro, & omne futurũ ex præterito consequitur: & ita vbi propriè est præteritum, ac futurũ, semper est aliud, quod prætereat, ac desinat, aliud, quod ad ipsum consequatur: at vero in æuo Angelorum, & omnibus, quæ mensurantur æuo, cùm sint indiuisibilia, ac permanentia, nõ potest esse aliud, & aliud: ergo neque præteritum, vel futurum.

Ex altera vero parte nõ apparet quo mo- VIII.
do æuum Angeli, quod saltẽ de potẽtia absoluta Dei, potest non esse, sit totũ præsens, ita vt nõ habeat rationẽ præteriti, aut futuri: nam possumus cõcipere tres Angelos in

hoc puncto existentes, quorũ primus fuerit ab æterno productus, & in æternũ duraturus: alter vero productus quidẽ ab æterno, sed annihilandus in tempore: tertius deniq; productus in tempore, sed æternũ victurus: ex quibus primo cõuenit aliquid futurum, quod nõ cõuenit secundo, & aliquid præteritum quod nõ cõuenit tertio: alioquin oẽs tres ab æterno fuissent, quod repugnat suppositioni: & tamẽ oẽs in præsenti duratione possunt esse æquales quoad indiuisibilitatem, & permanentiam propriæ durationis, & consequenter quoad vniformitatẽ: ergo aliquid fuit, vel erit in 1. quod nõ fuit in 3. neque erit in 2. & cõsequentei indiuisibilitas, & vniformitas durationis non tollit ratio[nem] præteriti, ac futuri, & confirmatur, quoniam in instãti primo creationis Angelorũ verè dici potuit, Angelus nunc primo est, & antea nõ fuit: &, si in vltimo instanti huius horæ annihiletur, verè dicere possumus in ipsa hora Angelus nunc est, & in hora sequẽti nõ erit; ex quib⁹ sic texitur argumentum. Duratio, quæ cohærere potest cum non esse sui præterito, & futuro, non abstrahit à differentijs temporis: nam caret esse præterito, ac futuro, diuersa enim prædicata sunt, fuit, ac non fuit, erit, ac non erit: si enim ex eo, quod vnus fuit ante hoc instãs, alter vero non, nihil amplius est in vno, quã in altero, cur verum est dicere de vno, quod fuit, nõ verò de altero? duratio vero Angeli præsens cohærere potest cum nõ esse sui præterito, ac futuro: nõ ergo absoluitur à differentijs temporis. Denique nõ potest idẽ secundum idẽ esse simul actu & potentia: Angelus, qui est in hoc instãti, est actu, pro futuro autẽ est in potentia saltem obedientiali, quia suspendente Deo in fluxum conseruatiuum potest desinere: ergo non habet totum esse simul.

IX. Tametsi hoc dubium pertinere videatur ad quæstionẽ de indiuisibilitate æui Angelici, tamen non dissimulandum fuit: vt appareat, ex quo adæquatè habeat æternitas, vt absoluatur à tempore, & eius differẽtijs. Id vero nõ est sola indiuisibilitas, sed etiam perpetuitas: etenim, vt superiùs dixi, æternitas duplici successioni opponitur discretæ, & cõtinuæ: prima nascitur ex corruptibilitate eorum, quæ mensurantur instantibus temporis discreti, quod ideò datur, quoniam vnũ desinit, & succedit alterum: & hęc successio tollitur ratione perpetuitatis: quod enim semper est, nec incipiens existere succedit alteri, nec ipsi desinenti succedit alterum, sed semper stat, nõ subijcitur tempori discreto: secunda vero nascitur ex fluxu continuo eiusdem formæ secundum alias atque alias partes, & hæc excluditur per indiuisibilitatem formæ, quæ nõ potest esse in cõtinuo fluxu. Cùm igitur quæuis successio tollat rationẽ præsentis, & non sinat extrahi rem à differentijs temporis saltẽ discreti, manifestè sequitur ad hoc vt res aliqua, siue duratio absoluatur simpliciter ab omni tempore, opus esse, vt sit perpetua, siue simpliciter necessaria, atque indiuisibilis: nam, quæ subest cõtingentiæ, admittit successionẽ de nõ esse ad esse, & de esse ad nõ esse: quę vero diuisibilis admittit successionẽ de vno esse in aliud, saltem partialiter. Ex quibus patet æternitatẽ absolui ab omni prorsus successione temporis propter omnimodam vniformitatem, quæ nõ cõsistit in sola indiuisibilitate, sed etiam in perpetuitate, siue necessitate: & ideò in æternitate non est imaginabilis vlla ratio prioris, aut posterioris, aut successio vel transitus de præsenti in præteritũ, aut protensio in futurum, sed semper est ipsum esse necessario, & indiuisibiliter permanens.

Vt vero appareat discrimen inter æuum X.
Angeli, & æternitatem, supponо id, quod colligitur ex Aug. lib. 12. de ciuit. cap. 15. nempè, vt aliquid absoluatur omnino à tempore, nõ sat esse vt ipsum sit indiuisibile: quandoquidem August. admittit tempus sine successione intrinseca in motibus Angelorum, hoc est in operationibus spiritualibus eorum, quãdo fit ab eis transitus de vna in alteram: quod enim de his motibus intelligendus sit pater, quoniam eodẽ cap. censet in ipsis etiam Angelicis motibus ante motum primi mobilis, & creaturam corpoream, tempus esse potuisse: tunc autem nõ poterant alij motus, quam spirituales esse: & hoc supponit communis sententia doctorum, qui tempus discretum coalescere dicunt ex instantibus indiuisibilibus, hoc est ex multis durationib⁹ indiuisibilibus variarũ operationum sibi ordine succedentium: itaque singula instantia motus discreti indiuisibilia sunt, nec tamen absoluuntur ab ordine successionis extrinsecæ vnius ad alterum: & ideò in ipsis non est idẽ præsens, præteritum, & futurum: quoniam ita possunt esse præsentia, vt non sint præterita: ita præterita, vt nec præsentia, nec futura, ita futura, vt nec præsentia sint, nec præterita: vt discurrenti facilè patebit: nam intellectio Angeli die crastino inceptura, nec dum est modo, nec antea fuit: hesterna vero neque est, neque erit amplius: quamdiu tamen sunt, carent successione positiua, quoniam semper durant secundũ se totas, & non successiuè per partes: ratione cuius dici potest in ipsis non esse aliud præsens,

Augustinus.

aliud

aliud præteritum, aliud futurum, quoniam secundum idē prorsus sunt præterita, præsentia, atque futura, non vero secundum alias, atque alias partes: eodem modo se res habet in vita, & æuo Angelorum. Quod enim habent operationes corruptibiles, & earum durationes, siue instantia respectu causarum naturalium, hoc ipsum habet vita, & æuum Angelorum in ordine ad primā causam, cuius beneplacito transierunt de non esse ad esse, & transire rursus possunt de esse ad non esse: & proinde, licet expertes sint successionis positiuæ, atque continuæ in propria substantia, non tamen repugnat ipsis successio totius substantiæ, vel ab esse ad nō esse, ad esse, vel à non esse, quod indicauit D. Thom. 1. p. q. 10. art. 5. *S. Thom.* vbi, *cùm æternitas*, inquit, *sit mensura esse permanentis, secundum quod aliquid recedit à permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate*, & ostendens quo modo singula entia ab æternitate recedant, & accedens ad Angelos, *Similiter*, inquit, *patet de Angelis, quod habent esse transmutabile cum transmutabilitate secundum electionem, quantum ad eorum naturam pertinet*, nempè quia iuxta beneplacitum Dei pati possunt, etiam in propria substantia transmutationem. Idem sentit Scot. in 2. dist. 2. quæst. 1. §. penultimo ad finem, vbi ait propter dependentiam à prima causa posse quamlibet creaturam, *Habere esse cum vna parte temporis, & non cum alia: & pro tanto posse quasi cadere sub tempore, hoc est, vt coexistat vni parti temporis, & non alteri: & ita dicatur fuisse, & non fore, ac proinde non æterna*, quandoquidem vt idem Scotus ait, existentia æuiterni succedit suo oppositō, quod rursus eidem potest succedere: omnis autem successio, siue continua, atque intrinseca, siue discreta, atque extrinseca nonnisi cum tempore continuo, vel discreto intelligi potest. Quare absolutè dicendum est æuum Angeli de se non absolui à differentijs temporis, & in ipso non esse simpliciter idem fuisse, esse, ac futurum esse, quandoquidem subesse potest successioni discretæ; quod est de mente sanctorum Patrum, quos citaui nu. 3. qui tanquam proprietatem diuinæ æternitatis assignant carentiam præteriti, & futuri. Secundum quid tamen ratione indiuisibilitatis dici potest idem esse præsens, præteritum, ac futurum, quoniam quamdiu existit idem indiuisibiliter, perseuerat absque vlla successione partium, aut entitatis vllius positiuæ, quæ mensuretur æuo.

XI. Ex quibus facilè diluuntur rationes dubitandi in vtramque partem adductæ: & inprimis auctoritas Augustini non cogit: nec enim August. absolutè asserit immortalitatem Angelorum non ita præteritam esse, quasi iam non sit, nec futuram, quasi nondum sit, sed conditionaliter loquitur, ac permisiuè, vt patet ex ipso modo loquendi: quoniam esto id admitteret, non cogebatur admittere in Angelis eandem æternitatem, quæ in Deo est: nam in æternitate Dei nihil omnino transit nec substantia, neque operatio: at in Angelis, quamuis substantia esset omnino stabilis, operationes sunt mutabiles, & participes successionis discretæ: quod autem de facto vita Angeli fuerit aliquando futura, cùm nōdum esset, perspicuum est, quoniam non esse ipsius fuit ante esse: & tunc quādo nō erat, verè futurus erat. Ad argumentum patet ex dictis discrimen æui, atque æternitatis, quæ non absoluitur simpliciter à tempore ratione solius indiuisibilitatis, sed etiam perpetuitatis, quæ non conuenit Angelo necessitate logica, sed physica ex suppositione creationis: quando vero arguitur quod Angelus est vnitas expers temporis tam continui, quam discreti, de continuo concedendum est: de discreto distinguendū, duobus enim modis aliquid pertinet ad tempus discretum, scilicet aut tanquā numerus, aut tanquam vnitas: tanquam numerus pertinet multitudo aliqua instātium sibi succedentium, & hoc modo neque æternitas, neque æuum pertinet: tanquam vnitas pertinet omnis ea duratio, quæ succedit alteri, vel cui altera succedit, quo modo pertinent singula instantia, ex quibus coalescit tempus discretum, & hac ratione impossibile est vt pertineat æternitas, non vero æuum: nam, si ponamus diuina virtute fieri, vt vno Angelo desinente alter incipiat, sane durationes horum duorum Angelorum subeunt vicem numeri, ac proinde temporis discreti. Et ideò, quamuis æuum suapte natura spectato ordine causarum naturalium non pertineat ad tempus discretum, tanquā vnitas, quoniam non est subordinata successio durationis vnius ad alteram: spectata tamen virtute creatoris non repugnat, vt ad illud pertineat tanquam vnitas, propter successionem possibilem: ex quo patet non esse eandem rationem in æuo, atque æternitate, vt dicantur, absolui ab omni tempore, ac successione. Confirmatio eiusdem sententiæ solum probat æuum Angeli expers esse intrinsecæ successionis inter terminos positiuos, qui sint partes ipsius, quod est verum: non probat autem expers esse successionis extrinsecæ à non esse, ad esse, vel ab esse ad non esse inter terminos contradictorios:

dictorios: ad quam non requiritur aliud, & aliud, sed satis est vt sit aliquid post negationem sui, vel negatio post esse alicuius.

XII. Argumentum pro altera sententia adductum euertit quidem sententiam, quæ admittit absolute æuum Angeli absolui ab omni differentia temporis, & successione siue intrinseca, siue extrinseca: non tamen concludit ipsum habere intrinsecam successionem, & ex hac parte non absolui à tempore: nam, quamuis aliquis Angelus aliquando non fuerit, vel non sit futurus, non proinde quando est, habet esse, vel durationem diuisibilem, & intrinsecè successiuam: neque ita dicitur fuisse vt præterierit aliquid eius, & aliquid aliud successerit, neque ita futurus est quasi habiturus sit aliquid intrinsecum substantiæ suæ, quo nunc careat: sed vel hæc de illo dicuntur per eiusdem æui permanentiam quod est, fuit, & erit indiuisibiliter, ac permanenter, vel per successionem extrinsecam totius à negatione, vel in negationem sui. Admittendo igitur suppositionem, ad assumptionem respondendum est omnes eos Angelos esse æquales quoad indiuisibilitatem, ac permanentiam æui intrinsecam, nō vero quoad extrinsecam successionem, ratione cuius alij transierunt prius de non esse ad esse. Ex quo patet præteritum, aut futurum, quod conuenit vni, & non alijs, non esse distinctum intrinsecè à præsenti in quo sunt; sed discrimen esse solum penes transitum de vno termino contradictorio in alium: qui, cùm sit quædam successio, patitur ordinem prioris, ratione cuius verè dicitur vnum fuisse prius alio, aut futurum post alium. Ad confirmationem respondetur admissa suppositione, & concessa propositione absolute, in quo sensu verum est etiam consequens, tamen secundum quid falsa est maior, & consequens: nam durationes indiuisibiles, vt patet in ipsis operationibus, quæ mensurantur instantibus temporis discreti, quamdiu sunt, indiuisibiliter sunt absque successione, nec in ipsis est aliud præteritum, aliud futurum: & tamen propter inceptionem, ac desitionem possunt inæqualiter durare, quia inæqualiter incipiunt, ac desinunt: quod est in causa, vt variari possint enunciationes de præterito, ac futuro. Ad vltimum respondeo admissa maiore propositione cū distinctione assumptionis: nam, si intelligatur Angelum esse in potentia, vt in futuro tempore habeat aliquem actum substantialem, quo nunc existens caret, neganda est: & ita ruit argumentum, quatenus sumi poterat ad astruendam successionem intrinsecam æui: si vero intelligatur esse in potentia, vt coexistat tempori futuro, non patiatur extrinsecam successionem, concedenda est: verum ad hoc ita est in potentia, vt non simul sit actu, nondum enim coexistit tempori futuro: neque habet ex se, ac independenter esse permanens necessario excludens potentialitatem ad alterutram partem contradictionis: & ita absolute non abstrahit à tempore, sicut æternitas.

Vnde dicatur æternitas perfecta possessio.

Caput XIII.

VLtima pars diffinitionis, qua completur ratio æternitatis, est *perfecta possessio*, quam rationem perfectionis Doctores communiter explicant per negationem: nō aliter enim percipitur diuina perfectio, quam per negationē imperfectionum annexarum rebus creatis. Porro duæ imperfectiones conueniunt omni prorsus substantiæ duranti creatæ quantumlibet ab æterno, & tota simul esse fingatur. Prima est dependētia à causa prima, secunda componibilitas cum formis, & perfectionibus superadditis. Ratione dependentiæ redundat in durationem imperfectio aliqualis successionis, & potentiæ passiuæ, vt possit permanere, aut desinere. Omnis enim duratio dependens habet modum successionis, saltem extrinsecæ & negatiuæ, & potentialitatis ad ipsam: in quocunque enim instanti concipiatur, non habet ex se absolutam, & necessariam simpliciter determinationem, vt sit immediatè post, sed vt sit, vel non sit iuxta beneplacitum causæ primæ conseruantis: quod autem possidetur cum huiusmodi indifferentia, non perfectè possidetur, quia amitti potest. I.

Ratione componibilitatis redundat in durationem limitatio ad certum genus rerum: iuxta hos duos modos explicantur à diuersis auctoribus verba illa, *perfecta possessio*. Henric. in summa art. 31. quæst. 1. in fine corporis, Scotus quodlib. quæst. 6. §. *Contra istud*, cùm Lycheto ibidem, & alij priore modo interpretantur; ita vt possessio perfecta idem sit, atque independens: sed de hac perfectione æternitatis, qua omnino independens, & immutabilis, & proinde omnis successionis expers est, paulò ante dixi explicans rationem omnimodæ vniformitatis, quam vendicat æternitas. Alij volunt termino illo, *perfecta*, excludi imper- II.

Henric. Scot. Lychet.

imperfectionem limitationis, quæ nascitur ex componibilitate, & capacitate ad formas distinctas à substantia rei, & consequẽter ad mutationes, quibus acquiruntur. Consistit autem huiusmodi perfectio in extensione quadam virtuali interminabilitatis, & vniformitatis, non solum ad vitam ipsam Dei significatam per modum substãtiæ, sed etiam per modum operationum vitalium, & ad cætera omnia, quæ Deo intrinsecè conueniunt: nam quemadmodum ad hæc omnia extenditur immutabilitas, vt 8. tractatu dixi, ita etiam extẽditur æternitas: ideoque D. Thom. 1. p. q. 10. ar. 5. hoc vltimo distinguit ęternitatem à quauis alia duratione, quod omnis alia, vel habet successionẽ in se, vel potentiam ad illam, vel deniq; illam secum patitur, si non in substantia rei durantis, saltẽ in motibus atque affectibus: ęternitas autem nec illam admittit, nec aptitudinem ad illam, neque consortium illius: quoniam perfectio vitæ diuinæ consistit in eo, vt permanenter, ac per modũ substantiæ habeat operationes vitales, & reliqua, quæ nobis, vel successiuè, vel accidentaliter insunt: & ideo perfectio quoq; æternitatis est, vt nõ solum sit duratio vitæ Dei, quatenus significatur, & cõcipitur à nobis, vt substantia, sed etiam quatenus cõcipitur sub alia quauis perfectione, aut operatione vitali; sub quibus omnibus rationibus mensurat esse diuinum indiuisibiliter, ac permanenter. Hanc cõpositionẽ illius particulæ, *perfecta*, tradit Abulens. q. 37. in cap. 11. Iosue. In idẽ ferè recidit, quod ait Alens. 1. p. q. 12. m. 3. vbi durationẽ Angelicam ex eo negat perfectam: quia secundùm Boetium, Angelus est compositus ex eo quod est, & quo est: ad cuius differẽtiam æternitas dicitur perfecta: illud. n. summè perfectum est, cui nõ est possibilis aliqua additio: & simplicitate ista solus Deus perfectus est, quia quidquid est in eo, est ipse: quasi dicat, vita Angeli nõ est sua intellectio, volitio, & aliæ perfectiones additæ substantiæ ipsius: & idcircò duratio eius perfecta nõ est, quia non mẽsurat quidquid in Angelo est: at verò vita diuina est sapientia, iustitia, intellectio, volitio, & deniq; quidquid in ipsa est: & consequenter æternitas est perfecta possessio, quia claudit in sua duratione omnem perfectionem simpliciter, quæ inde est: Similis ferè est interpretatio, quã tradit AEgid. in 1. dist. 8. 2. p. q. 2. art. 1. qui per perfectam intelligit non participatam: quæ enim participat, partem sumit, nec includit totum esse, vt etiam loquitur S. Thom. in 1. dist. 8. quæst. 2. art. 1.

S. Thom.

Abulensis.

Alensis.

AEgid.

S. Thom.

III.

Nec verò discrimen hoc æternitatis ab æuo extrinsecum videri debet: nam, quamuis durationes aliæ cum æuo, ac vita Angeli cõpossibiles ab illo essentialiter distinguãtur, & æuũ se ipso absq; habitudine ad illas distinguatur ab ęternitate, hanc tamen distinctionẽ habẽt ex imperfectione sua: si enim esset perfecta, atque adæquata duratio indiuisibilis totius esse Angelici, quemadmodũ æternitas est totius esse diuini, nõ admitteret secum durationes alias successiuas, atq; mutabiles. Itaq; discrimen à priore sumitur à limitatione æui, & illimitatióe ęternitatis in ordine ad esse, quod mensurant: nam æternitas mensurat omne esse intrinsecũ Deo: æuũ vero, qđ est mensura intrinseca vitę Angelicę, nõ mensurat omne esse intrinsecũ Angelo, sed solũ substantiale. Et quia Angelo nõ omnia cõueniũt substãtialiter, ac necessario, fit, vt æuũ Angeli patiatur in eodẽ subiecto durationes alias participes successionis, saltem extrinsecæ, æternitas verò nequaquã. Itaque proprietas æternitatis significata verbo illo, *perfecta*, benè explicatur à posteriore p exclusionẽ omnis omninò durationis successiuæ ab eodem subiecto: hanc enim sola excludit pfecta vitæ possessio: nam, si perfecta est, nihil illi deest pfectionis, ad quod mutari possit, nec deesse potest, vt ab illo deduci queat: quod ingeniosè attigit Augustinus. tract. 23. in Ioan. vbi sic ait: *quidquid ergo & à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur nõ est hoc Deus*, & causam reddit, *quia neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera æternitas: vera autem æternitas est, vbi tempora nihil est*, satis indicans veram æternitatem non solum ipsam in se non habere successionem, sed neque illam pati in eodem subiecto.

Augustin.

IV.

Obiiciet aliquis: quoniam cõcipi potest vera ratio æternitatis absq; eiusmodi perfectione immutabilitatis circa operationes: cõtra verò ea posita nõ necessariò cõcipitur: quare hęc perfectio per accidens se habet ad æternitatem. Assumptum patet: nam, si per impossibile fingeret quispiã in Deo variationẽ, ac successionẽ penes internos actus vitales intellectus, ac voluntatis, & nihilominùs conciperet durationẽ vitæ diuinæ substantialis interminabilem, indiuisibilem, independẽtem, ac necessariam, adhuc cõstaret vera, ac formalis ratio ęternitatis: contra vero, si fingamus substantiã creatam incapacem accidẽtium, vel penes illa inuariabilem, adhuc duratio existentiæ eius non esset æternitas, quoniam esset dependens, ac mutabilis per extrinsecam potentiam creatoris. Verum hæc obie-

ctio supponit totam rationem formalem æternitatis consistere in hac perfectione, quod est falsum: hæc enim, quamuis sit vltima, supponit alias: & quemadmodum si quis ita argueret, si aliquid esset rationale, & non esset animal, nõ esset homo, non proinde concluderet rationale minimè pertinere ad vltimum complemẽtum humanitatis: quoniam ratio formalis composita dissoluitur ex negatione cuiusuis partis intrinsecæ, siue sit vltima, siue non: at vero duratio illa creata, quæ nullam haberet annexam successionem alterius durationis, quantumuis per impossibile esset perfecta negatione durationis successiuæ accidentalis, adhuc non haberet rationem æternitatis: quia adhuc esset terminabilis, saltem per potentiam Dei: & ita non esset expers suaptè natura successionis extrinsecæ abesse ad non esse. Quin verò addo tali durationi non conuenire rationem perfectionis, quæ à doctoribus intelligitur vltima hac parte diffinitionis: ea enim non consistit primo in negatione successionis alterius, sed in eo, quod sit positiuæ duratio vitæ perfectæ, seu duratio perfecta vitæ: & quoniam perfectio durationis sumitur ex perfectione esse durantis, cæteris paribus, quo vita est perfectior, ec etiam perfectior duratio: propterea enim duratio primi Angeli constituitur primum æuum, ac mensura cæterorum, quoniam est perfectior, & simplicior aliis, sicut ipsamet vita Angeli: illa autem duratio creaturæ, quæ fingitur incapax durationis successiuæ quoad accidentia, vel est etiam duratio omnis omninò perfectionis simpliciter, & hoc modo iam haberet hanc conditionem: & proinde esset æternitas: vel solum est duratio substantiæ creatæ, ac dependentis, vt supponitur in argumento: & hoc modo nõ habet conditionem perfectionis, quæ intrinsecè pertinet ad rationem æternitatis, & intelligitur à doctoribus extrema illa diffinitionis parte, qua dicitur *possessio perfecta*. Ex quo patet etiã admissa illa altera suppositione impossibili; nempè quod substantia diuina haberet durationẽ interminabilem, independentẽ, ac indiuisibilem, & nihilominùs patit posset successionẽ, ac varietatem penes actus vitales intellectus, ac voluntatis, talem durationẽ non habituram fuisse rationem æternitatis: quandoquidem iam tunc nõ esset duratio eiusdem vitæ, ac perfectionis infinitæ simpliciter in omni genere, qualem modo, sed alterius omnino diuersæ, ac limitatæ. Itaq; non minus pertinet ad rationẽ æternitatis illimitatio intensiua quoad ea, quæ simul durant intrinsecè æternitate ipsa, quam extensiua quoad aptitudinem necessariã coexistendi omni tempori possibili: Et hoc supposuit D. Augustin. Augustin. 12. de Ciuit. c. 15. cum admittens conditionaliter quod immortalitas Angelorũ nullo modo trãsiret in tempore, subdidit, *tamen eorum motus, quibus tempora peragun-tur, ex futuro in præteritum transeunt: & ideo creatori, in cuius motu dicendum non est vel fuisse, quod iam nõ sit, vel futurum esse, quod non dum sit, coæterni esse non possunt.* Hæc August. qui profecto verbis adductis non assignaret rationem adæquatam, cur Angeli non sint coæterni Deo, si successio in motibus vitalibus non dissolueret rationem formalem æternitatis: & tamen non solum loco citato, sed sæpè alias vtitur eadem ratione. V.

Ex omnibus, quæ dicta sunt de æternitate, & ipsius diffinitione, colligitur adæquata ratio formalis æternitatis: quæ conuenit cum durationibus creatis, in eo quod sit duratio, & mensura existentiæ: differt autem à tempore, quia ipsa est permanens, & indiuisibilis, tempus fluidum ac diuisibile: ab æuo autem quod ipsa sit omninò interminabilis, & independens, illud autem terminabile, & transmutabile, saltem ex arbitrio causæ primæ. Denique ab omni duratione creata, quod nulla omninò est duratio entis simpliciter, & absolutè perfecti, & idcircò patitur cõsortium mutationis, & durationis successiuæ, saltem extrinsecæ: æternitas autem est duratio adæquata vitæ simpliciter perfectæ: & ob eam causam neque mutationem, neque alterius durationis successionem in suam societatem admittit. Vnde sequitur veram æternitatem soli Deo competere, quod Patres sæpè affirmant, Basil. lib. 2. contra Eunomium ad med. Ambros. tract. in Symbolum Apostolorum cap. 1. August. lib. de natura boni aduersus Manich. cap. 39. Cyrillus Alexan. lib. 21. Thesauri c. 13. Ansel. in Monolog. cap. 24. & alij, & ex Theologis id ex professo probant Alensis 1. p. q. 12. m. 2. S. Thom. 1. p. q. 10. ar. 3. & in 1. dist. 8. q. 2. art. 2. AEgid. eadem d. 2. p. q. 2. art. 2. & plerique alij.

Basilius. *Ambrosius.* *Augustinus.* *Cyrill. Alex.* *Anselm.* *Alensis.* *S. Thom.* *AEgid.*

Deus ratione æternitatis verè coexistit temporis.

CAPVT XIV.

AEternitas ratione suæ infinitatis cõstituitur omnem durationem creatam, & omnium temporum successiones iuxta dictum Anselmi in Prosolog. cap. 21. I. *Anselm.*

Tua æternitas cõtinet ipsa sæcula temporũ, quod D. Thom. lib. 1. contra Gent. c. 66. explicat exẽplo centri: quod, indiuisibile cum sit, respondet tamen omnibus ac singulis punctis peripheriæ: & ideo indiuisibilitas æternitatis non impedit, quo minus super excedat omnẽ durationẽ creatam. Dubiũ tamen est vtrum, & quomodo durationi creatæ Deus coexistat ratione suæ æternitatis: triplex aũt hac de re sentẽtia est. Prima, negat simpliciter Deum coexistere tempori, aut rebus, quæ tempore mensurantur. Secunda ait, omnia quæcunq; sunt in aliqua differentia temporis simul, ac semper coexistere Deo in æternitate. Tertia, deniq; admittit quidem tempus, & ea, quæ in eo sunt, coexistere præsentialiter Deo, non tamen simul, ac semper, sed successiuè iuxta ordinem, quo habent existentiam realem in se ipsis.

S. Thomas.

II. Vt à prima incipiam Aureol. in 1. d. 9. q. 2. ar. 2. post secundam propositionem, & d. 36. q. vn. ar. 1. propositione 1. & 2. ait absolutè loquẽdo dicendũ non esse Deũ coexistere alicui rei creatæ: quoniã simpliciter abstrahit ab omni tempore, & præsentia ad illud, aut ad quamuis rem creatã in illo existentem: per quam abstractionem concipitur vt superior entitas, & eminentior tẽpore, & quamuis re temporali: eaq; de causa neque intellectus potest cõparare totum discursum temporis, etiam infiniti, per coexistentiam, aut simultaneam coextensionem cum entitate æterna: hæc enim nullo modo est applicabilis, aut comparabilis ad tẽpus, quod omnino à se præscindit. Hæc sententia videtur etiam de mente Commentatoris libri de Causis, propositione 29. vbi *substantia*, inquit, *simplex est stans per essentiam suam, quia non est nisi in non tempore: & quia est altior, & superior omni tempore*: quæ vera non essent, si Deus haberet præsentialitatem ad tempus, aut intelligeretur durare simul cum illo per præsentialitatem: hæc enim dicit simultatem, siue vnitatem in aliquo vno: ex quo sequitur Deum nõ esse aliquid altius tempore stans per essentiam suam: idem deducitur ex Anselmo in Prosolog. cap. 19. vbi cum Deo loquens: *Non ergo*, inquit, *fuisti heri, aut eris cras: sed heri, & hodie, & cras es: imò nec hodie, nec cras es, sed simpliciter es extra omne tempus: nam nihil aliud est heri, & hodie, & cras, quam in tempore. Tu autem, licet nihil sit sine te, nõ es tamen in loco, aut tempore.* Ostenditur deinde ratione prioris, quoniam præsens non coexistit præterito, & futuro: nam in præsenti præteritum iam non est, futurum vero nondum est: æternitas sola est præsens, tempus, & quæ in eo sunt, non habẽt præsens, sed præteritum, & futurum: sicut ergo instantia temporis nõ possunt coexistere partibus tẽporis præteritis, ac futuris, ita præsens æternitatis nequit coexistere tempori, aut vlli rei creatæ existenti in tempore. Secundò, non est admittenda relatio realis Dei ad creaturam: simultas autẽ durationis, siue coexistentia cum tẽpore importat relationem realem; quare non conuenit Deo, si quis vero respondeat relationẽ præsentialitatis habere se ex parte creaturæ: ideoque Deum dici præsentem non à relatione, quæ sit in ipso, sed in creatura, quod non est incõueniens, obiicit Aureol. quoniam relatio præsentiæ est relatio æquiparantiæ: & consequenter debet dari ex vtraq; parte. Tertiò, entitas Dei non est minus abstracta, quã humanitas, si poneretur subsistere in tanta abstractione, in quanta est dum concipitur humanitas simpliciter: si verò ita poneretur, re ipsa abstraheretur à loco, & tempore, & coexistentia cum eisdẽ, vt dicebat Plat. Ideas nunquam, & nusquam esse: ergo Deus secũdum propriam substantiã, & durationẽ abstrahit à loco, & tẽpore, & coexistentia cum eisdẽ. Quartò id, quod coexistit simul cum alio, debet esse simul cum eo in aliqua mensura vna, v. g. in eodem loco, vel tẽpore; non est aũt aliqua vna duratio, quæ claudat, & mensuret simul nunc temporis, & esse Dei: ergo esse diuinũ non coexistit vlli instanti temporis. Quintò, nihil potest coexistere alteri, quod non existit propriè in aliqua mẽsura duratiua: sed est ipsa mensuratio, & ratio, cur aliqua sint simul: ita verò se habet instans temporis, vt per se patet: ergo nihil potest illi coexistere: & cõsequenter neq; Deus: Si quis dicat, licet non coexistat ipsi nunc temporis, coexistere tamen rebus in ipso existentibus, obijcit, quia nihil coexistit, nisi sit in eodem nunc durationis. Deus non est in instanti temporis; ergo neque coexistit rebus in ipso existentibus.

Aureol.

Plat.

Commens.

Anselm.

III. Contra hanc sententiam sunt testimonia sacrarum literarum, nam Exod. 15. ait Moyses in Cantic. *Dominus regnabit in æternum, & vltra*, quo loco terminus ille, *æternum*, non accipitur pro vera æternitate, sed pro participata, quæ est duratio creata, vt post Anselmum in Prosol. cap. 20. explicat Henric. in sum. art. 31. q. 1. ad vltimum: si ergo Dominus dicitur regnaturus in æternum, hoc est in omnem durationẽ creatã, habet aliq̃ habitudinẽ coexistentiæ ad illã: si. n. secundũ illãm nullo modo cõparabilis est cum duratione creata, ineptè dicitur

Exod. 15.

Anselm. Henricus.

regna-

regnaturus *in æternum, & vltra:* ineptè quoque dicitur Psal. 73. *Deus noster ante sæcula:* nam ante, & vltra non dicitur, nisi de ijs, quę quoad existentiam comparari possunt secũdùm simultatem, vel prius, aut posterius. Idem docent S. Patres Anselm. in Monolog. c. 19. nam, *vel*, inquit, *summa essentia est nunquam, & nusquã, siue in nullo tempore, & in nullo loco: vel aliquando, & alicubi, vel semper, & vbique*; priora duo reijcit vt absurda, & ideo concludit dandum esse tertium, & proinde vult Deum esse in omni tẽpore, & ca. 22. ait per esse in loco, aut tempore duo significari: nempè præsentiam rerũ ad tẽpus, & locum, & quod ab ijs contineatur: in Deo verò datur primum sine secundo. Et ideo, si vsus loquendi admitteret, conuenientius, inquit, diceretur Deum esse cum loco, vel cum tẽpore, quam in tempore, & loco; asserit deinde, si proprie loquendum sit, nó posse de Deo dici differentias tẽporis, vel loci: addit tamen quodãmodo dici posse, quoniã sic est præsens omnibus circumscriptis, ac mutabilibus, ac si ijsdé circumscribatur locis, & mutetur tẽporibus. Richard. de S. Victor. lib. 2. de Trinitate, cap. 23. *Sicut in omni loco*, inquit, *est præsentialiter, in nullo localiter, sic in omni tempore est æternaliter, in nullo temporaliter: sicut enim per loca non distenditur, qui summe simplex, & incompositus est, sic nec per tempora variatur, qui æternus, & incommutabilis est*: & Augustin. tractat. 99. in Ioannem; *Quamuis natura illa immutabilis non recipiat fuit, & erit, sed tantum est, ipse enim veraciter est, quia mutari non potest, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus nostra versatur mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est: fuit in præteritis sæculis, & in præsentibus, erit in futuris.*

Psalm. 73. *Anselm.* *Richar. Vict.* *Augustin.*

IV. Prætereà Aureolus hæc, & similia, quæ contra sententiã ipsius afferri possent, ait æternitatem dicere quandam impossibilitatem non essendi per abstractionem omnimodam à quacunque formali duratione, connotare tamen aliquo modo tempus, non ita vt includat vllam præsentialitatem ad illud, sed quia est entitas quædam superior immutabiliter existens: & ex hoc habet, vt nullum tempus omninò illi desit: nam, si deest, iam concipitur vt mutabilis: igitur secundum suam immutabilitatem, & abstractionem cõparatur ad infinitam durationem tãquam ad aliquid inferiùs sibi, & veluti sub se positum, non verò tanquam ad aliquid simultaneum, & coexistens: hæc enim est ipsa necessitas essendi abstracta ab omni duratione creata, apprehenditur vt quid eminentiùs, ac præsidens illi, à quo subtrahitur. Et hoc modo nullum instans, aut partem temporis potest intellectus noster designare, quin apprehendat entitatem diuinam ab illo entitatiuè abstractam, & per modum excellentiæ præsidentem; & ita diuina entitas existens connotat tempus per modum inferiùs stantis; quod videtur importare modum quendam præsentialitatis: nõ est autem præsentialitas simultatis, aut coexistentiæ, sed subsidentiæ ad modum, quo res, à qua fit abstractio, dicitur subsidere abstracto: èconuerso autem Deus dicitur præsidere, & præsidendo præsens non per modum simultatis, sed per oppositum, nempè per abstractionem, vt iam supra explicatum est: & ex hoc eodem principio tuetur dicta Patrum asserentiũ non aliter se habere ad Deum præterita, quam futura, quia Deus vniformiter se habet ad omnia abstrahendo ab eis, & à coexistentia simultanea cũ eisdem.

V. Hæc tamen minimè satisfaciunt dictis Patrum, & modo loquendi sacrarum literarum. Nam falsò, dicitur vnum esse, quando aliud fit, aut est, nisi habeant simultaneam durationem: in libro autem Prouerb. cap. 8. quo loco iuxta communem Patrum interpretationem sermo est de sapientia genita, hoc est de verbo diuino dicitur, *quando præbarabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram, &c.* Res, quarum hic mentio fit, sunt creatæ, & actiones, per quas fiebant, non sunt æternæ, sed in tempore, creatio enim, & dispositio vniuersi, quæ ibi describitur, fuit in principio temporis, vt habetur capit. 1. Geneseos, & tamen sapientia diuina de se asserit, *aderam, quando appendebat fundamenta terræ*; ergò cum per verbum illud, *aderam*, significetur existentia verbi diuini, si aderat quãdo Deus primũ condebat orbẽ, necessario sequitur habuisse simultaneam coexistentiã cum ipsa prima rerũ molitione, & rebus ipsis creatis. Testimonia verò Patrum manifestè continent communem sententiam, quam deinceps confirmabo. *Prouerb. 8.* *Genes. 1.*

VI. Vt certa ab incertis separentur, obseruandum est esse in tempore, vel in aliqua duratione, si propriè accipiatur, solum dici de ijs, quæ continentur, & mensurantur ea duratione: in quo sensu dixit Philosophus li. 4. Phys. tex. 116. ea esse in tẽpore, quæ mẽsurantur tempore, & cũ ipso mutantur, & senescunt: & hoc modo, vt post Anselm. in Monolog. cap. 22. notat *Aristot.* *Anselm.*

Alens. Alensis. AEgid. Aristotel. Altisiodorens. Alensis. Vdalricus. AEgid. Henricus. Durand. Scotus. Richardus. Carthus. Hispal. Caietan. Aristotel.

Alens.1.p.q.12.m.6. AEgid.in 1.d.8. 2.p. q.2.ar.4. & alij, certum omninò est Deum non esse in tempore: clauderetur enim, ac contineretur intra terminos tẽporis, quod repugnat æternitati, quę, vt superiùs dictũ est, est extra terminos: etsi substantiæ omnes separatæ de mente Philosophi lib.1.de Cœlo, tex.100. non sunt in tempore, multo minùs erit prima substantia, quæ est à se, & prima rerum causa. Vtrum verò sola ea, quę sunt per se in tẽpore, illi coexistant, an verò etiam alia, quæ tempore minimè continentur, dubium est, cuius partem negantem amplectitur Aureol. cæteri verò affirmantem, ita Altisiodorens. lib.1.ca.15. alias 16. quæst. vltim. Alens.1.p.q.12.m.6. & m.9. artic.4. in fine, & m.10. Vdalricus apud Carthus. in 1.dist. 8.q.3. AEgid.cit. Henric.quodl.5.q.13. à lit. P. Durand.in 1. d.38.q.3.num.17. Scotus quodlib.q. 6.art. 1.§. *Contra istud*, & in 1.d.9.q.vnica ad finẽ, & d.40.q.vn.ad 1. Richard.quodl.3.art.1. q.1. Carthus.q.citata ad 6. Hispalens.in 1. d.9.q.vn.ar.3.not.5. & art.4.ad 3. cõtra 6. conclusionem. Caietan.1.p.qu.10.art.2.§. *Ad hoc breuiter*, & cæteri referendi cap.seq. Fundamentum est; quoniam, vt duo coexistere dicantur, non requiritur vtrumque cõtineri sub alio, aut ab alio mensurari: ergo quãuis Deus non contineatur sub tempore, nec eius æternitas differentijs temporis mensuretur, si tamen cætera adsint, dici vere poterit coexistere tempori. Antecedens patet: nam cœlum supremum dicitur coexistere localiter, siue esse simul secundùm locum cum orbe sibi contiguo, vt enim ait Philosoph. lib.5. Phys. tex.22. illa sunt contigua, quorum extrema sunt simul: atque adeo cœlum supremum secũdum superficiem concauam est simul cum cœlo sibi immediato secundum superficiẽ cõuexam: & tamẽ cœlum supremum non continetur ab inferiori: item tempus ipsum est successiuè simul cũ rebus, quę fiunt in tempore; atque adeo coexistit illis: nec tamen sub ijs continetur. Consequentia verò probatur; quoniam, sicut tempus est mensura excedens singulos motus, qui in ipso fiunt, ita Deus ratione suę æternitatis, vt probatum est supra, est mensura superexcellens omnis durationis creatæ: ergo verè habet cum illa simultaneam existentiã. Secundo, quæcunque habent negationem distantiæ ab aliquo loco, vel tempore, habẽt simultaneam existentiam, & præsentiam secundum locũ, vel tempus: Deus autem ratione suæ durationis indiuisibilis habet negationẽ distantię à quolibet tẽpore: ergò & habet coexistentiã respectu eiusdem. Assumptio admittitur ab eodem Aureolo, quatenus concedit nullum tẽpus deesse Deo: quod non est aliud, quam nullum tempus distare à Deo secũdum interualla durationis. Et cõfirmatur, quoniam proportione seruata eodẽ modo se habet æternitas Dei ad tempus, & ad ea, quæ sunt in tempore, quo immensitas ad locum, & ad ea, quæ sunt in loco: Deus verò ratione immensitatis habet negationem distantiæ à loco, & ijs, quæ sunt in loco, iuxta illud Apostoli Pauli, Act.17. *Non longè est ab vno quoque nostrum*: ergò etiam habet negationem distantiæ à tempore, & ijs, quæ sunt in tempore. Maior verò probatur, quoniam simultas colligitur ex indistantia: ideo enim indiuisibilia duorũ corporum cõtiguorũ sunt simul, quoniam vnũ non distat ab alio: nec est alia notio simultatis, quãdo coincidit cũ relatione præsentialitatis secundum locum, vel tempus, quam existentia duorum cum negatione distantiæ vnius ab alio: & propterea æternitas dicitur tota simul, quia nihil illius existit seorsim, siue procul secundum durationem ab alio: & hic est communis sensus doctorum, cùm dicunt Deum esse vbique & semper, quia, si est vllum tempus, aut locus, ipse nõ distat ab eo duratione, vel situ: hoc verò nõ importat vllam imperfectionem, propter quam remoueri debeat à Deo. *Act.17.*

VII.

Dicendum secundo: Coexistentia temporis, & rerum creatarum cum Deo nõ est adæquata, sed inadæquata. Hæc est cõmuis doctorũ, quos referam cap.seq. & per se patet ex terminis: nã coexistentia adæquata est, cum duo ita se habẽt secundum existentiã, ac durationem, vt quandocunq; est vnũ, sit etiam aliud, ita vt neutrum definat esse quando est aliud: vnde Philosophus in post prædicamẽtis definiens maximè proprium modum simultatis, secundum durationẽ vult, vt eorum, quę hoc modo sunt simul, neutrum sit alio prius, aut posterius: coexistẽtia verò in adæquata exigit, vt ea, quæ hoc modo coexistũt, sint simul in aliquo nunc durationis, & vnum respectu alterius sit prius, aut posterius, hoc est, existat ante, vel post illud. His explicatis facilè patet assertio: nam Deus est ab ęterno, *ante secula*: Psal.73. *ante tempora secularia*; ad Tit.1. *ante omnem creaturam*: Eccles.24. *antequam quidquam faceret à principio*: Prouer. 8. Atque adeo habuit existentiam pro aliquo tẽpore, saltem possibili, quin creatura simul existeret: ergo coexistentia inter ipsum, & creaturas non est adæquata; & confirmatur, quoniam ea, quæ mutuo, & adæquatè sibi coexistunt, ita se habent, *Aristot.* *Psalm.73.* *Ad Tit.1.* *Eccles.24.* *Prou.8.*

vt vnum-

vt vnumquodque coexistat præsentialiter omnibus, quibus alterum coexistit, coexistentia vero rerum creatarum, & essentiæ diuinæ non ita se habet: nam, quamuis Deus coexistat rebus omnibus, quibus omnia, & singula tẽpora coexistunt, ex parte tamen creaturæ est defectus: quãdoquidem singulæ res creatæ nõ coexistunt omnibus, quibus Deus coexistit: non enim Adamus coexistit Antichristo, aut Romulus Iulio Cæsari: quibus tamen omnibus æterna diuinitas coexistit propter immensitatem durationis suæ: quare coexistentia rerum cum essentia diuina non est adæquata.

VIII. Vt autem satisfiat argumentis Aureoli notandum est ex summa perfectione, & independentia naturæ diuinæ prouenire, vt ipsa in se simpliciter sit independens à loco, ac tempore: qui modus existendi est simpliciter absolutus, & abstractus ab omni loco, ac tempore: eodem enim modo est in sua æternitate, atque immensitate cum non est locus, & tempus creatum, ac quando est: neque ex horum positione, aut coexistentia ipsius ad illa prouenit vlla varietas, aut modus aliter se habendi ex parte ipsius, sed solum ex parte temporis, ac loci datur dependentia, & mensuratio passiua: ex parte verò diuini esse negatio distantiæ, quæ addita æternitati, siue existentiæ diuinæ complet rationem formalem coexistentiæ, siue fundamentum illius, si coexistentia, siue præsentia sumatur pro relatione inter res simul existentes: Neque per illam Deus vllo modo contrahitur, aut permiscetur creaturis, sed adhuc manet ab illis segregatus, sicut antea: nam denominatio extrinseca, vel negatio, nequaquam contrahunt res: quemadmodum ipse Aureol. cogitur fateri, qui non negat ex parte æternitatis connotationem aliquam temporis, vt eius, cui supereminens æternitas præsidet. Neque ex eo, quod æternitas abstrahat à tempore, sequitur non posse cum illo comparari: nam natura vniuersalis per intellectum abstrahit ab inferioribus, & dum manet in hac abstractione potest cõparari cum illis tanquã superiùs cum inferioribus: ita æternitas cõparari potest cum tẽpore tanquam cum duratione sibi inadæquata. Ex quo patet rationẽ abstractiõis, qua nititur Aureol. nihil efficere coexistentiæ æternitatis ad tempus. Dictum Commentatoris lib. de causis intelligitur de propria ratione existendi in tempore, & de coexistentia adæquata: hoc enim significant illa verba, *non est nisi in non tempore, & est altior ac superior omni tempore*, quia scilicet nec continetur tempore, nec est in illo tanquã in propria, & adæquata mensura: eodemque modo intelligendus D. Anselm. Negat enim Deum esse hodie, cras, vel in tempore eo modo, quo nos hæc apprehendimus cum loquimur de creatis: non tamen proinde censet nullo modo hæc posse enunciari de Deo: quin verò cõcedit, in diuerso tamen sensu, vt patet ex ijs, quæ docet in Monolog. cap. 23. *Quamuis*, inquiens, *de illa re, & de temporalibus naturis vna sit probatio propter loquendi consuetudinem, diuersus tamen est intellectus propter rerum dissimilitudinem*: censet itaque in diuerso sensu posse adaptari Deo verba significantia temporum differẽtias: quia scilicet in creatis indicant successionem: in Deo verò stabilitatem: quia verò res creatæ propriè dicũtur esse in tempore ratione præsentiæ, & commensurationis, quia continentur, ac mensurantur tempore, Deus autem non continetur, aut mensuratur: & ideo in Prologio cap. 19. ait Deum non esse heri, hodie & cras, sed esse simpliciter extra omne tempus, reddit autem rationem. *Nam nihil est aliud heri, & hodie, & cras, quam in tempore, tu autem licet nihil sit sine te, non es tamen in loco, aut tempore, sed omnia sunt in te, nihil enim te continet, sed tu contines omnia*, hoc tamen non obstat quo minus ratione præsentiæ dicatur esse in tempore, vt docet idem Anselm. citato loco Monolog. *Anselm.*

Ad primum argumentum respondeo IX. tẽporis esse aliquid præsens, nempè ipsum nunc, cui æternitas coexistit: an verò coexistat illi solum dum est, an verò etiã, cum non est, dicam in sequentibus. Ad exemplum vero petitum ex puncto respondetur, quamuis punctum vnius lineę non habeat coexistentiam situalem cum partibus integrantibus alterius lineæ, habere tamen cum punctis ipsius: similiter, quamuis æternitas non coexisteret partibus temporis, quatenus sunt præteritæ, vel futuræ, posse tamen coexistere instantibus, per quę partes temporis continuantur. Respondetur secundo cum D. Thom. 1. p. qu. 8. art. 2. ad secundum, & quæst. 52. art. 2. disparem esse rationẽ indiuisibilis copulantis continuũ, cuius pars formalis est, atque indiuisibilis, quod est extra genus continui: nam primum nequit esse in pluribus locis, temporibus, ac partibus; secundum verò potest, vt patet in anima rationali, quę est in pluribus partibus corporis: in Angelo, qui est in pluribus partibus loci: & æuo eiusdem, quod est in pluribus temporibus: & ideo, cum punctũ sit indiuisibile de genere continui, *S. Thomas.*

tinui, æternitas vero extra genus illud, punctum nequit coexistere partibus diuisibilibus lineæ, æternitas autem potest coexistere tempori diuisibili.

X. Ad secundum neganda est assumptio, & probanda solutio eius ibidem assignata: ad cuius impugnationem respondetur esse quasdam relationes æquiparantiæ nomine tenus, quæ tamen ex vna parte sunt reales, ex altera rationis tantũ: vt videre est in relatione vnionis inter verbũ diuinũ, & naturam assumptam: non minus enim denominatur verbũ vnitum humanitati, quàm hæc illi: & ex parte Verbi est relatio rationis longè diuersa à relatione reali ex parte naturæ assumptæ. Eodem modo se res habet in coexistentia Dei, & rerũ creatarũ: hę namq; coexistunt Deo cũ dependentia ab existentia illius, sub cuius æternitate cõtinentur: Deus verò absq; vlla dependentia dicitur coexistere ob solam negationẽ distantiæ aduratione creata. Ad 3. negandum est antecedens: quoniam natura abstracta dicitur separari ab ijs omnib⁹, quæ ipsa apprehensa nõ apprehenduntur: & ideo abstrahit ab omni extrinseco rationi essentiali, siue sit negatio, siue relatio: Deo vero multæ cõpetunt negationes, relationes, ac denominationes extrinsecæ, à quibus abstrahit natura diuina: Sicut ergo non valet argumentũ; si quis arguat Deus nõ est minus abstractus, quam natura, si esset eo modo, quo concipitur in abstractione: natura vero sic abstracta p̃scindit ab omni actione extrinseca: ergò etiã Deus præscindit, & cõsequenter non agit: in quo argumento cõsequens est manifestè falsum: ita quoq; non valet in materia, de qua agimus. Neq; ex hoc sequitur naturam illã, etiam in illa suppositione, fore magis simplicẽ, ac perfectam: nam maior abstractio à rebus corporeis, & facientibus cõpositionem arguit maiorem perfectionẽ: & hoc modo Deus est maximè simplex, & abstractus: abstractio vero à negationibus, & habitudinibus extrinsecis, non arguit maiorem, imò minorem perfectionem: nam, quo res perfectior est, plura ab ipsa pendent, & ad plura refertur: & ideo, quamuis hoc modo natura creata abstracta, si per se existeret, foret magis abstracta, non propterea foret perfectior Deo.

XI. Ad quartum negandum est etiam antecedens: nã res corruptibiles coexistunt tẽpori, & corporea loco proprio, in quo sunt neque tamen ad hoc opus est tertio aliquo tẽpore, aut loco, in quo sint: & id quoniã æternitas Dei continet tempus creatũ, & ea, quæ in ipso sunt, excellẽtiore modo, quam tempus res corruptibiles, quamuis non sit alia tertia duratio, ratione cuius dicantur esse simul, verè tamen dicuntur durare simul & coexistere: ratio est quoniam tẽpus, & res ipsi obnoxiæ cõtinentur æternitate: & hæc cum illis cõparata habet negationem distantiæ secũdum durationem. Ex quo etiã patet solutio ad vltimũ: nam tẽpus no propriè, aut denominatiuè durat: sed est ipsa duratio, & ratio, à qua cætera dicuntur esse in tempore: & tamen ea verè coexistunt tempori: & ita neganda est maior propositio. Ad rationẽ verò, qua suadetur Deum nõ coexistere rebus illis, quæ sunt in tẽpore. Respondetur si antecedens intelligatur de existentia in eodem nunc durationis per se, vel per accidens, esse veram: in hoc vero sensu assumptio est falsa, quoniam Deus per accidens est in tẽpore: si vero maior intelligatur solũ de existẽtia per se in eodem nunc durationis, neganda est: quoniam, vt dictum est suprà, ad coexistentiam, sat est existentia duorum cum negatione distantiæ secũdùm durationem vnius ab alio: ad hoc autem non requiritur, vt vtrumque existat per se in tertia aliqua duratione: sed sat est, vt in interuallo durationis, quod concipimus, designari per intellectum possit vnum nunc, à quo neutrum distet.

Deus ratione æternitatis coexistit rebus existentibus in omni differentia temporis.

Caput XV.

I. QVamuis Deus non mensuretur tempore, dicitur tamen esse per accidens in tempore ratione coexistentiæ: & quãuis æternitas secundũ propriam rationem nõ sit homogenea, & adæquata mensura temporis, est tamen mẽsura superexcedens, vt obseruat Ferrarien. lib. 1. cont. Gent. c. 66. §. *Considerandum tertio*, ratione cuius ea, quę sunt in tempore, sunt etiam in æternitate. Et quoniam hæc est duratio indiuisibilis, & tota simul, dubium est vtrum res coexistens æternitati in aliqua differentia temporis, semper illi coexistat. Pars affirmatiua tribuitur D. Thomę, sed illius mens explicabitur cap. sequ. videtur autem esse de mente doctorum, qui absolutè affirmant non solum præsentia, sed etiam futura esse realiter præsentia æternitati; ita Richard. quodlib. 3. art. 1. qu. 1. ar. 2. & in 1 d. 38. q. 5. & d. 39. ar. 1. qu. 1. Capreol. d. 36. q. vn. art. 2. Hispalens. d. 38. q. vn. art. 3. notab. 2

Ferrarienſ. *Richard.* *Capreol.* *Hiſpalenſ.*

Soncinas. Abulenſis. Catharinus. Caietan. Marſilius. Raynerius. Ferrarienſ. Viguerius. Cordubenſis. Molina. Anſelm. Auguſtin. Auguſtin.

poſt med. Soncin. q.2. concluſ.2. Abulenſ. in c.11. Ioſue q. 20.21.& 22. Ambr. Cathar. opuſculo de præſciẽtia, & prouidentia Dei ca.3.& 4. Caietan. 1.p.q.14.ar.13.à §. *Ad has obiectiones*, Marſil. in 1.q.40.ar.2. in 6.ſuppoſitiõe. Rayner. in ſumma verbo, *præſcientia diuina*, c.16. Ferrarienſ. l.1.cont. Gentes cap.66. dum ſoluit primum dubiũ circa ſextam rationem S. Thom. & cap.67.§. *Ad rationem*, Ioan. Viguer. inſtitutionum, c.20.§.7. verſic.1. in fine. Antonius Cordubenſis in quæſtionario Theologico qu.55. dubio 8. dum tractat ſecundam opinionem, qui falſo refertur pro oppoſita ſententia: tandem Molina 1.p.q.14.ar.13.diſp. 13. & Recentiores Thomiſtæ eodẽ art. fauent patres, in primis Anſel. in Monolog. cap.22. videtur eam expreſsè aſſerere: nam cùm c.19.20.ac 21. tractaſſet hãc quęſtionẽ, vtrum Deus ſit in omni tẽpore, c.22. concludit tandem his verbis: *Quoniam ſummam eſſentiam totã ineuitabilis neceſsitas exigit nulli loco, aut tempori deeſſe, & nulla ratio loci, aut temporis prohibet omni loco, aut tẽpori ſimul totam adeſſe, neceſſe eſt eam ſimul totam in omnibus locis, ac temporibus præſentem eſſe*, ſi ſimul eſt omnibus præſens: ergo quando eſt præſens hodiernæ diei, eſt quoque præſens heſternę, craſtinæ, & cęteris omnibus: ergò omnia ſimul ſunt illi præſentia in eſſe reali: nam Anſelm. loquitur de ſumma eſſentia, non autem de ſapientia, & propterea non poteſt explicari de præſentia notitiæ, ſed ſecundùm indiſtantiam realem. In Proſologio autem cap.20. ſic habet. *An hoc quoque modo tranſis omnia æterna quia tua, & illorũ æternitas totã tibi præſens eſt: cum illa nondum habeant de ſua æternitate, quod venturum eſt, ſicut iam non habent, quod præteritum eſt: ſic quippè ſemper es vltra illa, cum ſemper ibi ſis præſens, ſeu cum illud ſemper ſit tibi præſens, ad quod illa nondum peruenerunt.* Fauet Auguſt. in id. Pſal. 49. *Et pulchritudo agri mecum eſt*: Et lib.83. quæſt. q.17. & alij Patres, qui frequenter aſſerunt reſpectu Dei nihil eſſe præteritum, vel futurum: ſed omnia præſentia: nam videntur ſignificare aliquid proprium Deo: hoc vero non eſt, ſi intelligatur de præſentia ſecundum eſſe intellectum: nam id quod eſt alicui præſens intelligibiliter, poteſt eſſe abſens duratione, & futurum, ſiue præteritum ſecundùm realem exiſtentiam: quo modo multa futura naturalia poſſunt eſſe præſentia Angelo ſecundùm eſſe intellectum: ergò, cum patres aiunt omnia eſſe præſentia Deo, non loquuntur ſolum de præſentia ſecundùm eſſe cognitum, ſed de præſentia realis coexiſtentiæ. Accedit quod Auguſtinus lib.2. ad Simplicianum q.2. Boetius lib.5. de conſolat. proſa vltima. Gregor. lib.20. Moral. c.23. alias 24. ſuper illa verba Iob. cap.30. *Mutatus es mihi in crudelem*: Anſel. de Concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cum libero Arbitrio, cap.2. ad med. & Dialogo de caſu diaboli cap.21. ante med. & Hugo Victorin. in ſum. ſentent. tract.1. cap.12. circa principium: aiunt præſcientiam non dici propriè de Deo, quia nihil ei eſt futurum, ſed omnia præſentia: ſola vero præſentia obiecti ſecundùm realem coexiſtentiam cum potentia cognoſcente tollit rationem præſcientiæ: ergo res nobis futuræ, quas Deus intuitiuè cognoſcit, ſunt illi præſentes ſecũdùm coexiſtentiam realem in omni æternitate.

Boet. Gregorius. Anſelm. Hugo Victor.

II. S. Thomas.

Fundamentum perſtringit D. Thom. lib.1. contra Gent. cap.66. quoniam æternitas non eſt ſucceſsiua, aut diuiſibilis, ſed tota ſimul, & indiuiſibiliter permanet: atq; adeo ea, quę ipſi coexiſtunt, toti coexiſtũt: nihil verò poteſt coexiſtere toti, ſi aliquando nõ coexiſtat: ergò, cum quidquid creatum exiſtit in aliqua differentia temporis, æternitati coexiſtat, ſemper coexiſtet. Aſſumptio patet, quoniam totalitas in genere durationis eſt ſemper eſſe: quare, ſi res aliquando nõ coexiſtit alteri exiſtenti, non eſt præſens toti durationi illius: & cõfirmatur, quoniã totalis, & perfecta ratio æternitatis amplectitur, & continet omnẽ durationẽ: ergo quidquid illi coexiſtit reſpondet omni durationi, ac tẽpori: explicatur autem exemplo pũcti, quod eſt centrum circuli, cui reſpondent omnia puncta circumferentiæ, quamuis ipſa inter ſe diſtent: eodem namq; modo res per temporũ decurſus ſuccedẽtes inter ſe durationis interuallis diſtant, neq; aliæ aliis coexiſtunt, omnes tamen reſpondent, & coexiſtunt æternitati. Poteſt etiã adhiberi exemplum à coexiſtentia rei diuiſibilis cum indiuiſibili: quæuis enim pars diuiſibilis coexiſtit indiuiſibili, vt videre eſt in corpore humano comparato animæ rationali: licet enim ſingulæ partes inter ſe diſsitæ ſint, omnes tamen reſpondent toti animæ, cum qua ſunt ſimul loco. Quæ comparatio maiorem vim habet, ſi conſideretur immenſitas diuina, & coexiſtentia cum reb. creatis ſecundũ locũ: tametſi enim ſingula corpora ſint inuicem diſiuncta, omnia tamen ſunt ſimul cum Deo, & coexiſtũt toti eius immenſitati, ratione cuius coexiſtentię eſt Deus præſens omnibus ſecundùm locum, & omnia Deo: ergò etiã ratione durationis immenſæ erit ſemper præſens rebus creatis exiſtentibus in omni differentia tẽ-

poris

poris. Secundò, quidquid nũc æternitatis potest attingere, attingit semper actu, & non potentia: potest autem attingere secundum coexistentiam omnes differentias temporis, & res in ipsis existentes: ergo actu attingit illas. Maior propositio patet, tum quia, vt ait Philosoph. lib. 3. Aristotel. Physicor. textu. 32. in æternis non differt esse, & posse: tum quia instans temporis per coexistentiam attingit actu simul omnia, quę potest attingere: ergò multo magis id cõpetet nunc æternitatis, quod excellenter continet omnia instantia creata. Tertiò, si tempora permanerent, neq; fluerent successiuè, absque dubio æternitas coexisteret omni tẽpori: sed fluxus cõtinuus temporis hoc nõ impedit: ergo coexistit. Assumptio probatur, quoniam æternitas continet simul, & indiuisibiliter infinitatem durationis, & successiuæ extensionis, ratione cuius simul coexistet tempori fluenti.

III. Contra vero omnia esse Deo præsentia in æternitate expressè negant. Alens. 1. p. q. 23. m. 4. ar. 3. S. Bonau. in 1. dist. 35. in Commentar. dubio 6. & dist. 39. ar. 2. q. 3. & dist. 41. ar. 2. q. 1. ad vltimum. AEgid. in castig. corruptorij in primã partem S. Thom. ar. 3. Scot. in 1. dist. 39. quæst. 1. §. *Contra istud*, cum Lycheto, Bargio, & Viguerio ibidem. Durand. dist. 38. q. 3. nu. 13. 14. 15. & 17. Aureol. dist. 36. q. 1. ar. 1. propositione 3. & dis. 38. q. vn. ar. 1. propositione 4. & ar. 2. propositione 2. Henric. eadem dist. quẽ refert, & sequitur Sylvest. in Conflat. q. 14. ar. 16. §. 1. Bassol. eadem dist. q. vn. ar. 1. Mayron. q. 1. ar. 4. conclusione 3. Gregor. q. 2. ar. 2. ad finẽ. Gabriel. q. vn. ar. 2. post secũdam concluſ. Aquilan. q. 2. a. 2. Stephan. Brulef. d. 39. ar. 2. q. 3. Gulielm. Vorrillong. q. vni. art. 2. in fine. Nicol. de Nysse, tractat. 1. p. 3. portione 1. qu. de diuinæ scientiæ certitudine, conclusione 3. & Palat. in 1. d. 38. disp. 2. ante med. Est etiã sententia August. l. 12. de Ciuit. ca. 25. in fine, vbi de creaturis loquens; *Antequam fierent*, inquit, *non fuerunt, sed ante dico æternitate, non tempore*, apertè significans creaturas, antequam in suo tempore producantur, præcedi ab æternitate, ac proinde illi non coexistere. Probat aũt Scotus: quoniam ità se habet æternitas ad tempus, sicut immensitas ad locum: sed ratione immensitatis Deus solum coexistit loco existenti: ergo etiam ratione æternitatis solum coexistet tempori existenti. Assumptionẽ ostendit; quoniam, etsi Deus causare posit locum supra cœlum, cui existenti coexisteret, nũc tamen nequaquam coexistit: & confirmatur, quoniam id, quod non est alteri coexistere minime potest: res vero creatę non semper sunt: ergò neq; semper coexistunt æternitati. Secundò; effectus, qui respectu causæ primæ dicitur esse, simpliciter est in se, nullius enim alterius respectu habet verius esse: ergo, si futura contingentia sunt quoad esse actuale præsentia Deo, sunt simpliciter actu: atque adeo nõ sunt in potentia, vt producantur, & consequenter impossibile est, vt fiant. Tertiò, si quæuis res futura non solum secundum esse cognitum, sed secundum esse reale existentiæ est nunc præsens æternitati, iam nunc est producta secũdum proprium esse realis existentiæ; nihil enim creatum habet esse nisi per productionem: sed Deus eandem rem producet eo tempore, quo incipiet coexistere durationi creatæ: ergò bis producetur. Quartò: arguit Durand. nu. 14. quoniam sequeretur differentiam temporis, quo fiet iudicium, coexistere creationi mundi, quod est apertè falsum. Sequela ostenditur: quoniam, si duo coexistant vni tertio: ita, vt neutrũ coexistat illi, quin alterum quoque coexistat, ipsa quoque coexistunt inter se: ita vero se habent dies creationis, ac dies iudicij; nam vterque coexistit toti æternitati, neq; concipitur dies iudicij illi coexistens, quin etiam dies creationis coexistat. Maiorem explicat: quoniam, licet duo coexistant vni tertio, nõ tamen simul sed vnum prius, alterũ posterius, nõ necessario coexistent inuicẽ sibi ipsis: tamen, si concipi nequeat vnum coexistere, quin coexistat alterum: necessario sibi quoque coexistent.

IV. Præsens controuersia vel potest esse de absoluta coexistẽtia, & præsentia rerum in æternitate, vel de peculiaribus. loquẽdi modis, quos nõnulli Autores vsurpant, alij reijciunt. De priore sensu dicam hoc capite, de posteriore vero ca. 17. Quod ad primũ attinet, existimo re ipsa nõ esse contentionem inter Autores, sed verbotenus. Vt vero id conspicuũ fiat obseruandũ est verba, si accipiantur iuxta cõmunem vsũ, connotare simpliciter tẽpus: & ideo absolutè loquendo, si de rebus nõ existentibus prædicetur coexistentia cũ Deo, per verbũ præsentis tẽporis: v. g. si dicatur, *Romulus coexistit æternitati, dies iudicij est præsens Deo realiter*, sunt propositiones falsæ: quoniã verba illa cõnotant tẽpus præsens: falsum vero est res, quę non sunt in tẽpore præsenti, in eodem coexistere æternitati, quoniã coexistentia supponit existentiã: & in hoc cõueniunt oẽs Doctores nõ solum relati n. 3. sed etiã alij, qui dicunt res futuras esse præsentes Deo in æternitate: oẽs enim existimant, si verbũ consignificet tẽpus, propo-

Caietan. Ferrarien. Hispalens. sitiones non esse veras: quod expresè asserit Caietan. a. citat. §. *Praterea si instans.* Ferrarien. cap. 66. §. *Sed tamen aduertendum,* & sequenti, & capit. 67. §. citato. Hispalens. artic. 4. ad octauum, contra tertiam conclusionem. *Molina.* Molina, & reliqui citati num. primo idem sentiunt, imò *Richardus. Catherinus.* Richard. & Catherinus expresè affirmant æternitatem, prout correspõdet, & coexistit vni instanti, non coexistere subsequenti: ac proinde, si verbum consignificet æternitatem, solum prout correspondet tempori præsenti, propositiones, in quibus affirmantur res futuras coexistere Deo, non esse veras.

V. Si verò verba traducantur ex proprio modo significandi, ita vt non consignificent instans temporis præsentis, sed ipsum nunc æternitatis, tunc verisimæ sunt omnes propositiones de præsenti, quibus enũciatur coexistentia rerum creatarum cum æternitate, siue res ipsæ actu existant, siue nõ, siue sint præteritæ, siue futuræ. Exempli causa, si quis modo dicat, *Alexander Magnus coexistit æternitati, Antichristus coexistit æternitati,* verũ dicet; neq; hoc negant Doctores citati nu. 3. qui impugnant. S. Thõ. quia putant ipsum existimare res coexistere Deo in æternitate, ita vt in omnibus, & singulis partibus temporis ipsi coexistant, vt patet ex impugnationibus ipsorum. Fundamentum est, quoniam æternitas est tota simul, & indiuisibilis: & consequenter verba ipsam connotantia nihil illius relinquunt nõ connotatiuum: & sicut ipsa amplectitur omne tempus, ita connotatio extenditur ad ipsam pro omni tempore: vt vero aliquid dicatur coexistere alicui durationi, non opus est vt coexistat illi adæquatè, sed sufficit vt coexistat inadæquatè pro aliqua parte illius formali, vel virtuali: ergò, cum ea, quæ sunt in aliqua differentia temporis, coexistant inadequatè æternitati, simpliciter, & absolutè dici potest, *coexistunt æternitati,* si verbum non consignificet nunc temporis, sed æternitatis. Assumptio patet etiam in durationibus diuisibilibus: nam, cum per aliqua Syncathegoremata extendimus connotationem verbi ad certam aliquam durationem diuisibilem, omnia, quæ successiuè coexistunt eius partibus, dicuntur coexistere tali durationi, & enunciatio, quæ id significat, vera est, etiamsi pronuncietur, quando res actu non sunt: ita enim solemus loqui de diebus, mensibus, & annis, nam dicimus mane dicere solemus: *hodie habetur concio in hoc, vel illo templo;* item initio mensis dicimus, *hoc mense est eclypsis lunæ:* initio verò anni rectè dicimus, *hoc anno intercalatur, dies Paschæ incidit in diem trigesimum Martij,* & vtimur sexcentis aliis loquendi formulis eiusdem modi, qui vsus fundamentum habet in eo, quod verba per aduerbia, aut nomina designantia certam mensuram temporis extrahuntur à limitata connotatione eius instantis, in quo oratio profertur: & extenduntur ad consignificandum per modum præsentis totum tempus, quod voces illæ additæ significant. Ex quo patet, quamuis in rebus ipsis sit distantia, successio, & ratio prioris, ac posterioris, si tamen referantur ad æternitatem, quæ est expers omnium illorum, & est parum præsens indiuisibile, semper verè dici posse, *hæc, vel illa res coexistit ipsi nunc æternitatis,* quamuis non sit actu pro eo instanti, quo oratio profertur: quoniam sensus propositionis non est rem coexistere Deo in illo instanti, sed in æternitate: & in hoc sensu non impugnatur D. Thomas ab Scoto, & alijs vt patet ex ipsorum argumentis.

VI. Ad autoritatem Diui Anselmi in Monolog. Respondetur terminum illum, *simul,* posse coniungi vel cum verbis illis, *præsentem esse,* vel cum termino illo, *totam,* si priore modo coniungatur, negari non potest Anselmum fuisse in oppositæ sententia, vt in argumento ostenditur: tunc enim sensus est, *æternitas est tota præsens simul omnibus temporibus,* si vero copuletur termino, *totam,* nullo modo illi fauet, quoniam facit hunc sensum, *æternitas simul tota,* hoc est, non per partes, sed totalitate sui esse, *est præsens omnibus temporibus,* qui sensus est verissimus, & conformis communi sententiæ: nunc vero ex instituto, & discursu ipsius Anselmi oportet mentem *Anselm.* eius exquirere. Indagabat autem, vtrum Deus sit in omni tempore, & cap. 21. proposuit hanc difficultatem, *quo modo est aliquid totum simul in singulis temporibus, si ipsa tempora simul non sunt?* Si vero quis responderet esse separatim, ac distinctè totam in singulis tẽporibus, subinfert, *ergo eius ætas, quæ nihil est aliud, quam eius æternitas, non est tota simul, sed est partibus extensa per temporum partes:* deinde verò vt hunc nodum soluat cap. 22. docet sola ea, quæ tempore mensurantur, & continentur, subire hanc legem, vt partium rationem admittant, neque tota simul possint esse in diuersis temporibus: tunc verò subdit verba in argumento adducto: Ex quo discursu patet solum voluisse excludere diuersitatem partium pro diuersitate temporis, &

induce-

inducere simultatem totalitatis in quouis tempore, cui coexistit æternitas: si quis vero contendat debere quoque terminum, *simul*, copulari verbis illis, *præsentem esse*, quasi Diuus Anselmus intendat æternitatem esse simul præsentem omni tempori, adhuc responderi potest solum intendere simultatem æternitatis, non temporis: nam, cum æternitas sit expers partium, tota simul est, & quæ illi in diuersis temporibus coexistunt, habent simultatem æternitatis, non temporis, cuius rei exemplum esse potest instans temporis, in quo sunt res aliquæ habentes ordinem prioris, & posterioris, quia alia aliis prius natura incipiunt, aut desinunt: omnes enim, quia coexistunt instanti illi indiuisibili, dicuntur aliquo modo esse simul duratione, quamuis alioquin fuerint aliæ aliis priores quoad inceptionem, vel desitionem; ita, quia æternitas est duratio indiuisibilis, & tota simul, non absurdè dicetur res esse simul in æternitate: hoc est non in alia, atque alia parte ipsius, quamuis secundùm tempus habeant ordinem prioris, ac posterioris.

VII. Testimonium quoque ex Prosolog. sumptum non conuincit: nam eodem capite concedit Deum esse ante omnia, & vltra omnia: at si omnia simul ab æterno realiter coexisterent Deo, falsum esset ipsum esse ante, & vltra omnia. Respondetur ergo, cùm ait totam rerum æternitatem esse præsentem Deo, solum velle durationes creatas coexistere Deo secundum eius æternitatem totam simul, & indiuisibilem; cùm vero ait, *sic quippe semper es vltra illa, cum semper ibi*, hoc est in tuamet æternitate, *sis præsens, seu cum illud semper sit tibi præsens, ad quod illa nondum peruenerunt*, sumit terminum, *semper*, tanquam nomen ac si dicat ipsum, *semper*, siue æternitas, ad quam creaturæ futuræ nondum peruenerunt, tibi præsens est: si vero *semper*, sumatur aduerbialiter, & sit hæc sententia illius dicti, id, ad quod creaturæ nondum peruenerunt, semper tibi præsens est, adhuc patitur duplicem sensum, vel enim illud, ad quod nondum peruenerunt, est ipsa Dei æternitas, ad quam creaturæ futuræ per coexistentiam nondum peruenerunt, vel est ipsamet creaturarum existentia, ad quam creaturæ, dum futuræ sunt, non peruenerunt; & quidem si in priore sensu accipiatur, non repugnat traditæ doctrinæ, vt per se patet: si verò in posteriori, planè significat creaturas, etiam antequam sint, esse Deo præsentes in æternitate: sed est sensus omninò alienus à mente Anselmi, illa enim responsione explicare intendit, quo modo Dei æternitas sit vltra omnia creata, etiam æterna, id verò in eo constituit, quod Dei æternitas, vt potè tota simul, statim præuenit, vel potius semper continet totam suam extensionem virtualem: creaturæ vero omnes non nisi cum aliqua successione: ac proinde Deus æternitate sua præuenit, & est vltra omnem durationem creatam. Hæc verò responsio non constat cum posteriore sensu, sed cum priore, vt consideranti patebit.

VIII. Fundamentum sumptum ex doctrina Patrum asserentium res creatas esse præsentes, non autem præteritas, vel futuras, exigit, vt exponam quo sensu hoc verè dici possit. In primis quædam ipsorum dicta exponi possunt ratione cognitionis, secundùm quam sunt omnia præsentia Deo ab æternitate: quo modo loquitur Diu. Augustin. in citatum locum Psalm. vt patet ex verbis ipsius, sic enim habet. *Augustin.* *Cum illo erant omnia futura; Et cum illo sunt omnia præterita: Futura ita, vt non detrahantur ei omnia præterita: cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabilis sapientiæ Dei in verbo constituta:* Et infrà, *Et quare apud ipsum omnia? quia & antequam essent omnia, aut crearentur, ei nota erant omnia:* Eodem modo interpretandus illa quæstione 17. & similiter alij Patres communiter explicant se loqui de præsentia rerum in ordine ad diuinam sapientiam. Gregor. libr. secundo Moral. cap. decimo quarto, in id Iob. cap. primo. *Gregorius.* *Quadam die cùm venissent filij Dei*, de luce diuinæ sapientiæ loquēs, *sic*, inquit, *in se transeuntia condidit, vt apud se transire nequaquam posset, nec tempus intus in conspectu eius desluit, quod apud nos foris decurrit. Vnde fit, vt in æternitate fixa maneant ea, quæ non fixa exterius seculorum volumina emanant*; Et libr. 4. cap. vigesimo septimo super illud Iob capit. tertio. *Cùm regibus, & consulibus terræ, fuisse*, inquit, *& futurum esse æternitas non habet, cui nimirum, nec præterita transeunt, nec, quæ futura sunt, veniunt:* & subdit causam, *quia cuncta per præsens videt:* & lib. 9. cap. 24. super id Iob. cap. 9. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, &c.* de diuina æternitate loquens; *eique*, inquit, *nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt*, additque rationem, *quia is, qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cumq; aspiciendo post, & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* Petrus Damian. epist. 4. de omnipotentia Dei, cap. 8. *Illud*, inquit, *hodie æternitas est incommutabilis, indefectiua, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet minui: & omnia, quæ apud nos elabendo*

discurrunt, & per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie stant, & immobiliter perseuerant. In illos hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem, in illo iam & ille nihilominus est, quo iudicandus est per æterni iudicij æquitatem. Sed hæc intelligẽda esse de præsentia obiectiua respectu diuinæ sapientiæ cõstat ex ijs, quæ subdit, *neq; enim in eam lucem, quæ sine accessu ea, quæ elegit, illustrat, & sine recessu ea, quæ respuit, deserit, defectus mutabilitatis venit: quia in semetipso permanens immutabilis mutabilia cuncta disponit, sicq; in se transeuntia condidit, vt apud se quæ condita sunt transire nequaquam possint: nec tempus intus in conspectu eius defluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit*; Et paulò pòst notat, *sæpè in scripturis præterita pro futuris poni, & longè post agenda velut iam transacta narrari, quia videlicet in oculis illius sapientiæ, vnde ista manabant, omnia tempora illa simul stant, futura, atque præterita, vt reuera præsentia, fixa, atque immobilia semper assistunt.* Ex quibus constat prædictum modum loquendi apud Patres quod omnia sint Deo præsentia in æternitate sæpè significare solam præsentiam obiectiuam.

IX. Quædam tamen non patiuntur eiusmodi expositionem, quale est, quod sumitur ex D. Isidor. libr. 1. sententiarum de summo bono cap. 6. sic enim habet, *Omnia tempora præcedit diuina æternitas: neq; in Deo præteritũ, præsens, futurumve aliquid creditur, sed omnia præsentia in eo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur:* Respondebit aliquis hæc verba exponi posse de ijs, quæ sunt intrinseca Deo, vt colligitur ex verbis illis, *in Deo non est præteritũ*, &c. Solum. n. videntur excludere successionẽ in Deo ipso: vt etiã colligitur ex ratione, quã subdit, *alioquin mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporũ ascribuntur*, non enim sequitur mutabilitas ex successione extrinseca rerũ, quib. aliquid coexistit si ipsum in se idem, & immutabile perseuerat: & idcircò D. Isidor. non significat res creatas nõ esse præteritas, vel futuras secundum esse, sed nihil ipsius Dei esse præteritum, aut futurũ. Hęc expositio, licet adaptari queat verbis relatis, non tamen illis, quæ infrà habentur, sic enim ait, *præsens, præteritum, & futurum nostrum est habere, nõ Dei verbi causa dicimus pro præsenti, teneo codicem, pro præterito tenui, pro futuro tenebo, vniuersitatem vero Deus tenet, & pro tenuit, ac tenebit, tenet dicitur*, sanè tentio, siue conseruatio rerum in esse terminatur ad creaturam, & cum ipsa simul manet, ac præterit: & tamen dicitur ab Isidoro præsens Deo. Debet ergò explicari de præsentia in æternitate: quæ, quia indiuisibilis est ex parte sui, non admittit temporis differentias, aut successionem, sed purum præsens: in quo sunt omnia, quæ quomodo libet sibi ipsis in tempore succedunt. Similiter Richard. Victorin. libr. 2. de Trinitate capit. vigesimo tertio, de inuariabilitate diuinæ æternitatis loquens sic habet, *sicut eorum, quæ nondum sunt, nihil est ei futurum, sic eorum, quæ iam non sunt, nihil est ei præteritum, sic eorum omnium, quæ iam præsentialiter sunt, nihil est ei transitorium. Est igitur in omni tempore inuariabiliter.* Quæ intelligi non possunt de pręsentia obiectiua rerum, non enim concluderet inuariabilitatem diuinæ æternitatis. Ad hæc igitur testimonia, etsi quæ eiusmodi apud Patres reperiantur intelligenda, oportet exactius explicare, quare verè dicatur Deo secundum esse reale nihil esse præteritum, vel futurum: nam ex sacris literis videtur oppositum deduci, in quibus vsurpantur voces significantes prioritatem, vt Eccles. iast. 24. *Primogenita ante omnem creaturam:* Et Christus Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum:* Et Paul. ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vbi vero datur ante, & post, interuenit ratio futuri, ex parte eius, qui erit post; item dicitur Exodi. *Dominus regnabit in æternum & vltra:* ergò res vltra quas regnabit, erunt illi præteritæ. *Exod. 15.*

X. Pro solutione aduertendum cum Richardo quodlib. 3. art. 1. q. 1. ar. 2. eandem proportionaliter esse comparationem nominum, vel aduerbium loci ad locum, & temporis ad tempus: nam, sicut respectu loci dicitur antè, retrò, infrà, suprà, anterior, posterior, superior, & inferior, ita respectu temporis dicitur, ante, post, vltra, prius, ac posterius, præsens, præteritum, futurum; & quoniam in loco res est clarior, ex ipso philosophandum est de tempore: cùm vero res propter suam perfectionem, & simplicitatẽ est talis naturæ, vt secundum eandẽ indiuisibilẽ magnitudinem virtualem coexistat pluribus locis, loca nõ dicuntur esse antè, retrò, infrà, vel suprà eandẽ rem: vt patet in anima, quę existit in pedibus, & capite: nec tamen caput est supra illã, aut pedes infrà: quod similiter patet in mũdo corporeo respectu Dei: non enim cœlum dicitur esse suprà, aut terra infrà Deum: dicitur tamen anima ratione virtualis diuisibilitatis esse suprà pectus, quia est in capite, & infrà pectus, quia est in pedibus: eodemq; modo Deus dicitur esse supra terram, quia est in cœlo: & infrà cœlum, quia est in mundo elementali: ce[illegible] tamen non dicitur superior Deo,

neque

neque terra inferior, quia eiusmodi nomina significant cœlum esse in loco superiore, quin ibi sit Deus, & terram in loco inferiore, in quo non sit Deus. Eodem modo Deus quidem dicitur ante, & vltra tempus, dicitur esse prius in Psalm. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, & vsq; in sæculum tu es Deus,* dicitur primus, ac nouissimus Isai. 44. vel *primus & post hæc,* vt vertunt septuaginta. verba tamen illa, *primus, ac nouissimus,* habent peculiarem emphasim: nam quod est nouissimum non solum est post aliqua, sed etiam post omnia, quod optimè conuenit Deo, cuius causas assignat Anselm. in prolog. cap. 20. his verbis. *Tu es ante, & vltra omnia: & quidem ante omnia es, quia antequam fierent tu es. Vltra omnia vero quo modo es, qualiter enim es vltra ea, quæ finem non habebunt? an quia illa sine te nullatenus esse possunt, autem nullo modo minus es, etiamsi illa redeant in nihilum, sic enim quodammodo es vltra illa; an etiam quia illa cogitari possunt habere finem, tu vero nequaquam: nam sic illa quidem habent finem quodammodo, tu vero nullo modo, & certè quod nullo modo habet finem vltra illud est, quod aliquo modo finitur:* ideò etiam dici potest vltra omnia: quoniam, licet futura sit duratio creata infinita Syncathegorematicè, cui Deus coexistet, tamen nunquam erit de facto infinita categorematicè, ita vt sit verum dicere est, vel præterijt duratio infinita, sed semper erit actu finita, cum potentia ad infinitam: Deus autem est actu, quidquid est, durat infinita duratione æquipollente omnibus futuris sæculis finitis in infinitum: & propterea duratio omnis creata continuo transiens de potentia in actum, semper inuenit, ac relinquit Deum actu existentem: & ita Deus, quatenus præuenit omnem durationem creatam, dicitur primus: quatenus autem subsequitur, dicitur nouissimus. Ex his constat tempus, ac res temporales, quamuis inter se collatæ sint præteritæ, vel futuræ, Deo simpliciter esse præsentes, non futuras, si attendamus ad ipsam æternitatem, quod fusè, & benè probat Abulens. in cap. 11. Iosue quæst. 20. Ratio est quoniam, eæ, quæ comparatione nostri sunt præteritæ, non antecesserunt durationem diuinam, sed coexistunt indiuisibili nunc æternitatis: eæ vero, quæ nobis sunt futuræ, non erunt post Deum: quia in eodem nunc æternitatis coexistit illis: ergo quemadmodum loca nobis superiora, aut inferiora non sunt Deo superiora, aut inferiora, quia in vtrisque Deus est, etiam tempora nobis præterita, aut futura, non sunt Deo præterita, vel futura: quia vtrisque præsens est in suo nunc indiuisibili æternitatis.

Psalm. 89. Isai. 44. Anselm. Abulens.

XI. Contra se offerunt duo argumenta. Primum est, quoniam res sunt Angelis præteritæ, ac futuræ, & nihilominus ipsorum duratio ratione propriæ simplicitatis, & indiuisibilitatis secundum substantiam est tota simul, & indiuisibilis, vt communior sententia docet: ergo, quantumuis æternitas sit tota simul, & indiuisibilis, semper præsens absque successione, ea, quæ nondum sunt, dici possunt illi futura: illa vero quæ iam non sunt, præterita. Secundum vt res dicatur alicui præterita, sat est vt esse desierit illo permanente in sua existentia, quantumuis aliquando simul illi coexiterit: vt vero dicatur futura sat est, vt non sit in præsenti tempore, quando illud est, etiamsi postea in futuro simul cum illo sit: ergo res, quæ iam desierunt, quamuis coexiterint Deo in æternitate, possunt dici illi præteritæ, quia iam modo, Deo in suo esse permanente illæ non sunt: & illæ, quæ nondum sunt, erunt autem postea, dici possunt illi futuræ, quia non sunt in præsenti duratione, in qua ille est. Antecedens patet, quoniam diem hesternam, in qua ipsi viximus, appellamus præteritam Psalm. 89. *Dies hesterna, quæ præterijt,* crastinam vero futuram, quantumlibet in ipsa victuri simus, sic Esdr. lib. 4. cap. 10. ait Angelus ad Esdram, *Nocte autem, quæ in crastinum futura est, manebis hic:* quamuis autem liber ille non sit canonicus, satis tamen ex eo colligitur in communi more loquendi dici futura ea, quæ nondum sunt, erunt autem postea etiam manentibus his, quibus futura dicuntur.

Psalm. 89. 4. Esdr. 10.

XII. Sylvester vbi supra existimat eandem esse rationem quoad coexistentiam cum rebus successiuis in Angelo, atque in Deo, sed contra communem sententiam, & rationem. Vt vero satisfiat primo argumento, suppono nihil præter Deum habere in diuersis temporis differentijs idem prorsus esse, & eodem modo. Quod per se patet in rebus corruptibilibus, quæ mensurantur tempore: & quoad esse accidentale in Angelis, qui mouentur per tempus discretum, sed quoniam non repugnat Angelum breui aliqua temporis mora manere absque nouo actu, aut receptione accidentis, inquiet aliquis pro eo tempore manere ipsum absque vlla successione durationis. Verum, si rem penitus consideremus, comperiemus dupliciter aliquid mutari, vel transeundo de potentia passiua,

vt sit, in actum, quo caret, vel de potentia, vt conseruetur in conseruationem passiuam actus, quem habet: nam cum nulla res creata sit actus purus, & à se, in quocunque instanti temporis consideretur, est in potentia passiua respectu primæ causæ, vt immediate post ab ea conseruetur, vel annihiletur: & sicut iugiter perseuerat in esse, ita iugiter transit de potentia in actum conseruationis passiuæ: atque adeò, licet in diuersis partibus temporis non habeat nouum esse, habet tamen antiquum sub noua ratione actualitatis, qua priuari poterat: quod locum habet etiam in materia prima, Angelo, & quauis alia re incorruptibili: & ratione huius successionis non dicuntur res esse præsentes Angelo, & rebus alijs corruptionis expertibus, sicut Deo. Nam Deus est actus purus, neque vlla ratione transit de potentia in actum, sed est ipsum esse stabile: & consequenter est semper in nunc præsenti æternitatis, in quo coexistunt illi omnia, quæ sibi in tempore succedunt.

XIII. Hoc posito ad primum respondetur rationem adæquatam, cur res non dicantur præteritæ, vel futræ Deo, non esse solam indiuisibilitatem æternitatis, sed independentiam, & actualitatem, quæ non reperitur in duratione Angelica, aut quauis alia creata. Ad secundum respondetur distinguendo antecedens: nam, quando id, quod permanet, est expers omnis prorsus mutationis, & successionis, non dicitur simpliciter ipsi præterita res, quæ in propria duratione esse desijt, neque futura ea, quæ illo existente nondum existit: ratio est, quoniam duratio rei prorsus immutabilis est semper præsens, & proinde sub illa non potest intelligi ratio præteriti, aut futuri: quando vero res, qua permanente alia desijt, vel nondum est, transit aliquo modo de potentia in actum, duratio ipsius non est simpliciter, & absolute præsens, sed patitur aliquam successionem: & idcirco potest in ipsa fingi modus aliquis præteriti, aut futuri: ratione cuius res aliæ, quæ entitatiuè transeant cum tempore, dici possunt præteritæ, ac futuræ respectu eiusdem. Testimonia vero, quæ adducuntur, agunt de rebus creatis corruptibilibus, respectu quarum habent rationem præteriti, ac futuri ea quoque, quæ in aliqua duratione simul cum ipsis existunt, dictum est. Responderi etiam poterit, quemadmodum ratione indiuisibilitatis, actualitatis, permanentiæ, & independentiæ durationis diuinæ dicuntur omnia Deo præsentia, non vero præterita, vel futura, quia in ipsa æternitate non est successio, quam rationem Patres respexerunt, cùm id asserunt, sic etiam propter æquipollentiam, qua continet durationem successiuam non repugnare, vt etiam res temporales dicantur illi præteritæ, vel futuræ: quod sumi potest ex sacris literis, in quibus interdum, cùm de actionibus diuinis sermo est, adhibentur aduerbia, quæ important præteritum, vel futurum vt illud Genes. 6. vbi dicitur de Deo, *præcauens in futurum*, & similia: & ita res temporales possunt suo modo dici præteritæ æternitati, quatenus coexstiterunt illi secundum eminentiam, qua continet tempus præteritum, non coexistunt autem quatenus continet præsens: futuræ vero quatenus coexistent eidem secundum eminentiam, qua continet tempus futurum, nõ vero præsens, & sic patet solutio ad loca Scripturæ, & ratio cur patres dicant respectu Dei nihil esse præteritum, vel futurum. *Genes. 6.*

XIV. Aliqui recentiores vt soluant testimonia Patrum afferentium in Deo non esse præscientiam, notant præscientiam apud homines dicere quandam rei præcognitionem confusam, vt plurimum ex causis, & aliquibus indicijs collectam, quæ non peruenit ad eam claritatem cognitionis, qua videntur res præsentes, cùm autem omnia creata siue existentia, siue futura eadẽ semper claritate obijciantur diuinæ scientiæ, inde est quod patres negant Deo conuenire nomen præscientiæ. Hæc quidem vera sunt. Verum patres plus aliquid indicant, id vero est coexistentia rerum in æternitate: ratione cuius non solum videntur in se ipsis secundum existentiam, quam habent, sed etiam videntur semper sub præsentia reali, & nunc æternitatis indiuisibili, & hoc est quod ait D. Thom. cùm videri inquit à Deo res non solum quatenus sunt futuræ, & cõtinentur in causis, sed etiam quatenus sunt in se ipsis sub præsentialitate propria. Verum de sententia D. Thom. fusius cap. seq.

XV. Restat vt respondeam argumentis vtriusque sententiæ, quatenus dictis aduersantur. Ad primum, primæ distinguenda est assumptio: nam totalitas alia est entitatiua, ac realis, altera secundum rationem, ac virtualis: prima adhuc est duplex, nempè aut per negationem imperfectionis, & partium, aut per positionem partium: essentia vero diuina dicitur tota entitatiuè per negationem, non autem per positionem partium realium, virtualis enim non respicit, quoniam totalitas virtualis ad-

mittit

mittit etiam partes virtuales, ac ſecundum rationem. Hoc poſito, ſi aſſumptio intelligatur de totalitate entitatiua conſtante partibus, vera eſt, non enim fingi poteſt coexiſtere aliquid toti anno, ſi ſit tantum in aliquibus, non vero in omnibus eius partibus: in hoc tamen ſenſu non inſeruit ad inſtitutum: nam æternitas non eſt hoc modo tota. Eodem quoque modo vera eſt ſi intelligatur de totalitate virtuali, & ſecundum rationem, quod enim coexiſtit alicui ſecundum totam eius durationem virtualem, & ſecundum omnem rationem durationis ipſius, non poteſt non ſemper coexiſtere, creaturæ autem non coexiſtunt hoc modo æternitati: nam ſecundum virtualem extenſionem æquiualet omni durationi, ac tempori, etiam poſsibili, nulla vero res creata præſens eſt omni tempori poſsibili. Si vero intelligatur de totalitate entitatiua priori modo accepta, falſa eſt aſſumptio: quoniam ſicut id, quod coexiſtit ſecundum locum toti alicui ſubſtantiæ indiuiſibili, non vbicunque illa eſt, ſed in certo, ac determinato loco illi coexiſtit, ita etiam quod coexiſtit toti, ac indiuiſibili durationi, non opus eſt, vt ſemper, ſed ſufficit vt aliquando illi coexiſtat. Confirmatio eiuſdem argumenti ſupponit quidquid coexiſtit alicui rei actu indiuiſibili, & æquipollenter diuiſibili, coexiſtere omnibus, quibus illa coexiſtit: quod falſum eſt, vt patet exemplo animæ, & partium corporis: quamuis enim caput ſit præſens animæ ſecundum locum, non proinde eſt præſens pedibus, quibus anima præſens eſt. Exemplum vero puncti ſolum eſt aptum ad oſtendendum quo modo æternitas, quamuis ſit indiuiſibilis, & extra, vel potius ſupra omne tempus, reſpondere poſsit diuerſis partibus temporis, quamuis hæ inter ſe diſtinctæ ſint: non valet autem ad probandum ſimultatē coexiſtentiæ omnium cum æternitate: nam puncta circunferentiæ non habent ſimultatem ſitualem inter ſe, neque cum centro, à quo diſtant ſecundum locum: ſed ſolum ſimultatem temporis, licet ſimul habeant certam habitudinem ad centrum, & æqualem diſtantiam ab illo: vt vero comparatio eſſet idonea, neceſſe erat, vt puncta omnia circunferentiæ eſſent ſimul loco cum centro. Alterum quoque exemplum non concludit: nam membra corporis coexiſtunt toti animæ, ſolum prout eſt quoddam totum entitatiuum negatione partium, non vero quatenus eſt quoddā totum virtuale reſpondens toti quantitatiuo, ac diuiſibili proinde nō coexiſtunt illi vbique, vt pote ante dixi, eademque ratione ſe habent res corporeæ reſpectu immenſitatis diuinæ, cui non ſunt præſentes adæquatè, ſed inadæquatè. Ad ſecundum neganda eſt maior propoſitio: ad cuius probationē ſumptam ex Philoſopho reſpondetur, dictum illud ſolum habere locum in his, quæ cōueniunt Deo neceſſario, vel intrinſecè, non vero in contingentibus, quæ complentur connotatione extrinſeca ſumpta à creatura exiſtente, qualis eſt creatio, gubernatio & alia ſimilia prædicata, quæ non dicuntur de Deo, niſi cū actu producit, ac dirigit creaturas, ad quas creatio, vel gubernatio terminatur. Huius autē generis eſt coexiſtentia, quamuis enim dicat ipſam diuinam exiſtentiam, ſiue durationem, completur tamen connotatione creaturæ actu exiſtentis: quam cum Deus libere condiderit, conſtat coexiſtentiam non eſſe prædicatum neceſſarium, aut prorſus intrinſecum Deo, & proinde non opus eſſe, vt conueniat ipſi ab æterno.

XVI. Quod attinet ad fundamentum ſecundæ ſententiæ Aureolus vbi ſupra diſt. 36. art. 1. dum recitat 3. opinionem exiſtimat primum, quod eſt Scoti, verum concludere, non tamen benè procedere ad mentem primæ ſententiæ: & ideò ſoluit illud aſſignando diſparem rationem, quoniam æternitas ex parte Dei æquipollet omni durationi ſucceſsiuæ, & ratione huius æquipollentiæ poteſt omnem illam actu attingere: immenſitas vero, cùm æquipolleat quantitati permanenti, non ponitur vt ratione illius Deus attingat ſucceſsiua, ſed permanentia: & ideò ex vi æternitatis poteſt Deus non exiſtentibus coexiſtere, ex vi autem immenſitatis nequaquam. Verū hæc ſolutio minimè ſatisfacit argumento: quoniam eadem eſt ratio immenſitatis ad omnem locum, & æternitatis ad omne tempus: ſed immenſitas non præſtat, vt Deus coexiſtat in omni loco omnibus, ac ſingulis rebus actu exiſtentibus, & ita non coexiſtit rei, niſi in loco, in quo ipſa exiſtit: ergo etiam æternitas non erit ſufficiens ratio, vt Deus coexiſtat rebus non exiſtentibus. Aſſumptio eſt euidens: quoniam ea, quæ coexiſtunt Deo in vno loco, non coexiſtunt in alio, in quo non ſunt, quamuis locus actu ſit: v. g. terra, quæ in ſuo loco coexiſtit Deo, non coexiſtit ipſi in cœlo: & ita nec vice verſa Deus coexiſtit terræ in cœlo, aut in aëre, ſed in loco infimo. Cùm vero dicitur, *Deus coexiſtit plurib. locis ſimul*, eſt æquiuocatio in termino illo, *ſimul*: nā modo ſignificat ſimultatē durationis, modo loci: & ſi accipiatur, *Aureol.*

tur, prout significat simultatem loci, falsa est propositio: non enim simul in eodem situ coexistit Deus pluribus locis, cùm non possint esse plures in eodem: si vero accipiatur prout significat simultatē durationis, vera est propositio, quia in eodē nunc non solū æternitatis, sed temporis coexistit Deus pluribus locis distantibus. Verum in hoc sensu inepta est comparatio: vt enim inseruiret ad institutum, opus erat vt Deus ratione immensitatis esset simul loco cum rebus loco distantibus, ita vt Conimbricæ esset præsens Olysipponi, & rebus inibi existentibus, quemadmodum à quibusdam dicitur esse simul prēsens secundum durationem rebus prēteritis, ac futuris pro eo ipso tempore, quo coexistit prēsentibus. Ex dictis constat argumentum Scoti, si solum intendat probare Deum ratione æternitatis non coexistere rebus pro eo tempore, quo non sunt, verum, & rectè concludere: & quoad hoc eadem est ratio immensitatis, & æternitatis, vt patet ex dictis. Si vero intendat ostendere res creatas non coexistere, aut esse prēsentes æternitati ipsi in se abstrahendo ab hoc, vel illo tempore, nō concludit: quoniam, sicut quoduis corpus, vbicunque sit, dicitur esse prēsens Deo ratione immensitatis, & nusquam illi abesse, ita creatura in quacunque mora temporis sit, dicitur esse prēsens, & nusquam abesse æternitati.

XVII. *Aureol.* Ad secundā & tertiam, respondet idem Aureolus nō esse creaturæ antecedere tempore esse eiusdem: at vero æternitatem simul existentem attingere & non esse, quod præcedit, & esse quod sequitur: atque adeò ex hoc non tolli creationem, quia res futura nō est ꝓ nunc, sed erit aliquando in actu respectu virtutis creatiuæ: quæ actualitas nunc ab æternitate attingitur. Et idcirco duæ illæ rationes non valent: quoniam ita procedunt, ac si poneretur res creatas coexistere æternitati, prout eminenter continet præteritum, & prēsens, & prout ipsis coexistit: non sic autem ponitur, sed tantum prout habet vim, qua actualiter attingit futurum. Quæ responsio quatenus recurrit ad æquipollentiam durationis successiuæ in æternitate, idonea est, vt mox explicabo: quatenus vero indicat æternitatem simul attingere non esse rei præcedens, & esse subsequens, non est admittenda, vt plenius constabit cap. 17. Respondeo itaque ad secundum, supponi falsum in argumento: nempè futura, quatenus futura, & pro eo tempore, quo nondū sunt actu sed futura, esse secundum esse reale prēsentia Deo: nam sunt præsentia æternitati secundum se considerata, quatenus est duratio indiuisibilis sine determinatione ad tempora, in quibus non sunt: vt sic autem abstrahunt à ratione futuri. Eodem quoque vitio laborat tertium argumentum: supponit enim futura coexistere Deo nunc, hoc est in præsenti instanti temporis, quod est falsum: neque à D. Thom. aut vllo ex eius discipulis asseritur, vt amplius constabit cap. sequenti.

Ad argumentum Durand. neganda est sequela. Ad cuius probationem respondetur maiorem propositionem esse veram, si coexistentia duorum cum vno tertio sit adæquata, & vtrumque ipsorum respondeat illi tertio, secundum omnem extensionem durationis illius, tam formalem, quam virtualem, falsam vero si sit inadæquata. Quod patet à simili exemplo: Etenim pedes, manus, & caput coexistunt secundum locum animæ rationali, sibi tamen minimè coexistunt, sed distant secundum locum, quoniam non coexistunt adæquate animæ. Argumentum vero, quo eadem maior ostenditur, eadem solutione dissoluitur: nam, si neutrum ex duobus ita coexistit vni tertio, quin alterum quoque illi coexistat pro omni durationis extensione tam formali, quam virtuali, habent mutuam coexistentiam inter se: si vero id solum verum est respectu durationis realis, non vero extensionis virtualis, non habent. At vero, vt patet ex superioribus, coexistentia, siue præsentia rerum cum Deo in æternitate non est adæquata, sed inadæquata: & idcirco non sequitur ex illa, vt res tempore, ac duratione discretæ coexistant inter se. XVIII.

D. Thomæ sententia statuit res esse præsentes realiter Deo in æternitate, non tamen simul, aut semper.

Caput XVI.

EXplicata re ipsa supereſt dicendum de sententia D. Thomæ, quem plerique auctores impugnant, quasi dixerit res omnes esse prēsentes Deo in omni tempore: imò inter ipsos eius discipulos controuersia est, quæ nam fuerit eius mens. Capreolus enim in 1. d. 36. quæst. vn. art. 2. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 66. in explicatione sextæ rationis. Caietan. 1. p. quæst. 14. art. 13. §. *Ad has obiectiones*, Ambrosius I. *Capreol.* *Ferrarien.* *Caietan.*

Cathe-

Catherinus.

Catherinus opuſcul. de præſcientia & prouidentia Dei. Cap. 4. & alij Thomiſtæ recentiores aſſerunt D. Thom. exiſtimaſſe omnia ſimul prę ſentialiter coexiſtere Deo in æternitate: id vero ſuadetur ex verbis ipſius D. Thom. ſic vero ait citato loco cõtra Gentes in 6. ratione, *Quidquid in quacunque parte temporis eſt, coexiſtit æterno quaſi præſens eidem, etſi reſpectu alterius partis temporis ſit præteritum, vel futurum: æterno autem nõ poteſt aliquid præſentialiter coexiſtere niſi toti, quia ſucceſſionis durationem non habet:* Qui locus non poteſt intelligi ſolum de prę ſentia obiectiua, ſecundum quã res terminat actum viſionis diuinæ, per hanc enim res non dicitur coexiſtere Deo videnti: ſed de reali, qua res eſt in ſe ipſa. Et confirmatur, quia eo modo aſſerit D. Thom. ea, quæ ſunt in tempore, eſſe præſentia æternitati, quo ait quædam ipſorum reſpectu diuerſarũ partium temporis eſſe præterita, vel futura: hæc vero ſunt præterita, vel futura ſecundum proprium eſſe reale: ergo ſecundum id aſſeruntur à D. Thom. prę ſentia æternitati. Accedit quod ibidem aſſerit æternitatem præſentialiter adeſſe cuilibet tempori, vel inſtanti temporis ex eo, quod eſſe æternum nunquam deficiat: æternitas vero nõ adeſt præſentialiter tempori ſecundum eſſe cognitum, quaſi ſit in intuitu temporis, hoc enim non eſt cognitio, aut potentia cognoſcens, ſed tantum ſecundum eſſe reale, quia ipſius eſſe nunquam deficit. Et confirmatur ex fundamento eiuſdem rationis, quod eſt huiuſmodi. Proportio æternitatis ad totam temporis durationem eſt, ſicut proportio indiuiſibilis, quod eſt extra continuum, ad ipſum continuum: v. g. qualis eſt proportio centri, quod eſt extra circunferentiam, ad quodlibet punctũ in circunferentia deſignatum: ſed hæc proportio eſt ſecundum eſſe reale exiſtentiæ centri ad puncta circunferentiæ: ergo etiam proportio æternitatis ad tempus eſt ſecundũ realem præſentiam, & coexiſtentiam. Denique tota illa ratione 6. ex eo concludit diuinum intellectum in ſua æternitate intueri quaſi præſens, quidquid ſucceſsiuè fit in tempore, quia intelligere Dei ſucceſsionem non habet, & eſt totum ſimul, ac ſemper permanens: quæ ratio ſupponit diuinam intellectionem ratione ſuæ indiuiſibilitatis, & permanentiæ coexiſtere rebus omnibus ſucceſsiuis: & propterea ad ipſas ſecundum propriam, & realem exiſtentiam terminari.

S. Thom.

II.

Capreol. Caietanus. S. Thom.

Idem exiſtimauit Capreo. & Caiet. colligi ex verbis D. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. vbi inquirens, vtrum, & quomodo Deus cognoſcat futura contingentia, reſpondet cognoſcere ſimul: ſubdit autem rationem his verbis, *Quia ſua cognitio mẽſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe: æternitas autem tota ſimul exiſtens ambit totum tempus, vt ſupra dictum eſt: vnde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia.* Reſpondent recentiores hunc locum intelligi de præſentialitate ſecundum eſſe obiectiuum, non ſecundum eſſe reale: neque D. Thom. ex eo probare Deum cognoſcere futura contingentia, quia ſunt ipſi præſentia ſecundum eſſe reale. Primum oſtendunt, quoniam cum dixiſſet omnia, quæ ſunt in tempore, eſſe Deo ab æterno præſentia, addit, *Non ſolum ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate*, ex quibus patet de ſententia D. Thom. ea, quæ ſunt in tempore, non ideò eſſe Deo præſentia ab æterno, quia illi realiter coexiſtunt in æternitate, ſed quia eius intuitus fertur ſuper illa. Ex quo ſolum arguitur præſentia ſecundum eſſe obiectiuum. Secundum oſtendunt, quoniam D. Thom. ex eo probat Deum ſcire omnia futura, quia comprehendit omnia, quæ ſunt in ſua, vel creaturæ potentia. Hæ tamen ſolutiones non omnino eximunt D. Thom. ab ea ſententia. Nam D. Thom. eo art. inquirit, & reddit cauſam, cur Deus cognoſcat contingentia ſimul, & non ſucceſsiuè: eam vero ait eſſe, quia cognitio ipſius menſuratur æternitate, quæ ambit omne tempus: & ex hoc ipſo colligit omnia eſſe præſentia Deo ab æterno, quia eius intuitus fertur ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate: quæ verba non poſſunt reduplicari ſupra præſentialitatem obiectiuam: ridicule enim diceret, intuitus diuinus fertur ſuper omnia, prout ſunt formaliter præſentia per eundemmet intuitum. Quapropter reduplicari debent ſupra aliquam præſentialitatẽ præuiam obiectiuæ, quæ ſit quaſi ratio, & conditio ex parte obiecti, cur diuinus intuitus feratur ſupra res exiſtentes in tempore: hæc autem non poteſt eſſe alia, quam præſentia ſiue coexiſtentia realis temporis, & eorum, quæ in ipſo ſunt cum æternitate. Secunda quoque reſponſio non eſt de mente D. Thomæ: non enim eo loco aſſerit ideò futura contingentia cognoſci à Deo, quia comprehendit omnia, quæ ſunt in ſua, & creatura potentia, id vero manifeſte conſtat ex eo, quod loquitur de cognitione cõtingentium, prout ſunt actu, non vero prout ſunt in potentia ſua, vel creaturæ: agit enim de ſcienti-

Dei certa, & infallibili: ipse vero eodem art. ex instituto probat contingens prout est in sua causa, non subdi per certitudinem alicui cognitioni: quod adeò verum putat de mente D. Thom. Hispal. in 1. dist. 38. q. vn. art. 3. not. 2. in principio, vt non solum intelligi debeat in ordine ad causas proximas, sed etiam in ordine ad primam, propterea q̃ est causa libera, & ad vtrumlibet, idque colligit ex loco, de quo agimus, & pluribus alijs: Et confirmatur: quoniam, vt ait D. Thom. loco proximè citato, falsum est effectum contingentem esse determinatum in causa sua: quare fieri nequit, vt in ipsa determinatè cognoscatur, & ideò lib. 1. sent. dist. 38. q. vn. art. 5. in corpore sic ait, *Contingentia ad vtrumlibet in causis suis nullo modo possunt cognosci.* Ex quo patet nõ existimare D. Thom. Deum scire futura, quia comprehendit omnia, quæ sunt in sua, vel creaturæ potentia. Quod patet etiam ex eo quod addit loco cit. 1. p. nempè Deum non solũ cognoscere contingentia, prout sunt in causis, sed etiam prout vnumquodque eorũ est actu in se ipso: cur autẽ hoc modo certò, & infallibiliter à Deo cognoscantur, causam reddit non penetrationem potentiæ, sed præsentiam in æternitate: nam penetratio potentiæ, in qua continetur res contingens, de mente D. Thom. non inseruit ad cognitionem certam, & determinatam existentiæ ipsarum, sed solum vt cognoscatur habitudo causæ ad effectum, & ratio indifferentiæ ad futurum: quod solum deprehendi potest ex vi penetrationis causæ non determinatæ: & lib. 1. contra Gent. cap. 66. ad finem, cùm dixisset Deum cognoscere ea, quæ sunt nobis futura, secundum quod sunt in potentia sua, & in suis proprijs causis, & in se ipsis: subdit, *Nõ enim Deus rerum, quæ apud nos nondum sunt, videt solum esse, quod habent in suis causis, sed esse illud, quod habent in se ipsis, in quantum eius æternitas est præsens sua indiuisibilitate omni tempore.* Ex quib⁹ verbis perspicuè cõstat mentẽ sancti Doctoris esse Deum minimè cognoscere certo illud esse, quod res habent in se ipsis, ob penetrationẽ causarum, sed ob existentiam, ac præsentiam suæ æternitatis, ad omnia tempora.

S. Thom. Hispalens.

III. Alij auctores absolutè existimant D. Thom. minimè loqui de præsentia, vel coexistentia reali rerũ creatarum in æternitate, sed solum de præsentia secundum esse obiectiuum, ita Ægidius in castigatorio corruptorij in 1. p. S. Thom. art. 3. Heruæus in 1. d. 38. quæst. vlt. ac sequitur Sylvester in conflato, quæst. 14. art. 16. §. 1. & nõnulli recentiores, qui pro eadem sententia retulerunt Hispalensem, sed immerito, vt constabit inferius. Probatur inprimis quoniam 1. p. quæst. 14. art. 5. in corpore, & ad 1. & q. 2. de ver. art. 3. ad 10. docet Deum intelligere res in se ipso, non vero in ipsis rebus. Sentit ergo Deum videre res secundum potentialitatem obiectiuam, quam habent in ipso, nõ vero secundum realem, quã habent in se ipsis. Secundo D. Thom. 1. p. quæst. 20. art. 2. ad 2. expresè ait creaturas ab æterno non fuisse nisi in Deo, & & lib. 2. sent. q. 1. art. 5. ad 7. docet Deum præcedere mundum, nõ solum natura, sed etiam duratione, nõ tamen duratione temporis, sed æternitatis, quia ante mundum non fuit tempus existens in rerum natura. Ex quibus facilè colligitur intentum: nam, si res contingentes semper fuerunt præsentes Deo in æternitate, fuerunt vtique ab æterno. Item, si fuerunt semper in æternitate, impossibile est vt Deus præcesserit illas duratione æternitatis, quæ repugnant doctrinæ traditæ, à S. Thom. locis citatis. 3. idem. S. Doctor asserit res futuras nõ esse nunc, vt patet in 1. dist. 38. quæst. vn. art. 4. ad 2. vbi ait non scire Deum esse nunc ea, quæ erant post mille annos, sed solum scire esse futura tunc, & quæst. 12. de ver. art. 3. ait futura contingentia, antequã sint, præexistere in duobus, nempè in præscientia diuina, & in causis creatis, quarum virtute adducuntur in esse: ergo de mente D. Thom. contingentia non fuerunt ab æterno præsentia Deo secundum propriam, ac realem existentiam: tunc enim cognosceret illa vt præsentia non vt futura, quod 1. loco ait: & ipsa existerent alibi, quàm in præscientia diuina, & proprijs causis, quod negat, q. illa de veritate. Vltimo existimat Sylvest. esse hanc sententiam expressam 1. 2. quæst. 91. art. 1. ad 1. vbi sic ait D. Thom. *Ea, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt in quantum sunt ab ipso cognita, & præordinata.* Vbi non cognoscit aliam existentiam rerum, quam vel in se ipsis pro tempore, quo sunt, vel in notitia, & præordinatione diuina. Deinde addit Sylvest. & nonnulli recentiores, credendum non esse D. Thom. tenuisse sensum inexcogitabilem, irrationabilem, & contra communẽ sententiam.

S. Thom.

Sylvest.

IV. Apud Thomistas circa sententiam D. Thom. quædam sunt certa, quædam versantur in controuersia. Certum in primis est non omnia contingentia esse nunc præsentia Deo secundum esse reale existentiæ, si Syncategorema, *nunc*, consignificet differentiam temporis presentis, hoc expresse aiunt non solum Ægidius, Heruæus, & Sylvest. sed etiam alij Thomistæ, vt notaui

cap.

cap. præcedenti quorum aliqui addunt alios auctores sine causa calumniari D. Thom. cùm illum perperam intellexerint, quasi senserit res præteritas, ac futuras esse præsentes Deo in nunc temporis præsentis, cùm tamen D. Thom. id nullo modo indicarit, imò oppositũ, vt ex multis locis fusè ostendit Hispalens. notab. 2. cit. ante med. certum quoque est omnia præsentia, præterita, & futura esse præsentia Deo obiectiuè, quatenus terminant actus visionis diuinæ: hoc enim & fides docet, & D. Tho. frequenter asserit, nempè 1. p. q. 14. art. 5. & sæpè alibi. Verum præsentialitas obiectiua est duplex, altera in actu primo, secundum quam res dicitur præsentialiter intelligibilis, altera in actu secundo, iuxta quam dicitur præsentialiter intellecta. Et quidem ex secunda necessario colligitur prima, nõ tamẽ vice versa, nisi ratione materiæ: quoniam actu secundo necessario præsupponit primum, hic autem non necessario coniungitur cum secundo, vt patet in homine, cui sunt præsentia intelligibiliter, siue in actu primo, quęcunque repræsentantur per species intelligibiles, nec tamen omnia cognoscit actu. In Deo vero, cuius intellectio actualis adæquatur perfecte intelligibilitati obiectiuæ, quidquid est vno modo præsens, est etiam altero: atque adeò, si res contingentes, quæ existunt in aliqua differentia temporis, sunt præsentes ipsi secundum esse intelligibile, quatenus, priusquam intelligantur, nostro modo intelligẽdi obijciuntur intelligibiliter intellectui diuino, debent quoque esse præsentes secundum esse intellectum, quatenus actu terminant intuitum intellectus diuini.

V. Difficultas tamen est circa præsentiam secundũ hoc ipsum esse intelligibile: vtrum nimirum præter præsentiam in ipsa essentia diuina, in qua res sunt intelligibiliter præsentes Deo in rationibus idealibus, detur aliqua præsentia secundum esse reale, quæ sit veluti conditio, siue ratio obiectiua, sine qua res non sit præsens Deo intelligibiliter. Quæ controuersia, quatenus pertinet ad scientiam diuinam, non est huius loci, sed solum quatenus præcisè petit vtrum detur aliqua præsentia realis rerum in æternitate. De qua dicturus hic ex instituto, de prima dico breuiter sententiam D. Thom. esse ipsam coexistentiam actualem rerum in æternitate esse rationem obiectiuam, siue conditionem, sine qua non res contingentes sunt intelligibiliter præsentes in essentia, sentitque D. Thom. ipsam præsentiam realem non esse rationem cognoscendi, quasi ipsa tanquam in principio formali, quo contingentia intelligantur: & ideò negat cognosci in se ipsis, vt patet ex locis citatis num. 3. & 1. p. quæst. 20. art. 2. ad 2. nam, cùm dixisset res ab æterno nonnisi in Deo fuisse, subdit, per hoc ipsum Deum cognouisse eas in proprijs naturis, *Sicut nos per similitudines rerum, quæ in nobis sunt cognoscimus res in se ipsis existentes:* Sicut ergo respectu intellectus nostri ratio, siue principium formale cognoscendi res nõ est ipsa earũ existentia, sed species intelligibiles, ita quoque de sententia D. Thom. præsentia rerum in æternitate non est Deo ratio, siue principium cognoscendi, est tamen conditio, siue ratio sine qua non obiectiua: quoniam Deus nõ intelligit nisi id, quod est: & ideò, cùm res sibi præsentes intelligat, opus est vt habeant aliquẽ modum præsentiæ respectu ipsius, ita vt existentia realis illarum sit præsens æternitati, quod frequenter asserit D. Thom. nam lib. 3. contra Gent. cap. 154. inter princip. & med. ait futura contingentia soli diuinæ cognitioni subesse, *Quia ea in se ipsis videt, cùm sint ei præsentia ratione suæ æternitatis:* Vbi ex præsentia rerum in æternitate colligit Deum videre eas in se ipsis, quod etiam docet 1. p. q. 14. art. 13. in corp. & ad 3. 22. quæst. 95. art. 1. quæst. 2. de ver. art. 12. & alijs in locis, quæ referunt Hispal. & Capreol. vbi supra.

VI. Ex dictis patet etiam responsio ad propriam quæstionem huius loci. Dicendum est enim D. Thom. præter præsentiam obiectiuam rerũ agnouisse aliam realem, quæ daretur, etiamsi per impossibile fingeremus Deum nõ habere notitiam cõtingentium: & ideò sanctum Doctorem nõ posse commode explicari per solam præsentiam obiectiuam, sed in eius sententia admittendam præsentiam aliquam realem rerum in æternitate, ad quẽ modum illũ intelligunt Capreol. Ferrar. Caiet. & Catharin. citati, imò etiam Hispal. notab. 2. citato, quem tamen aliqui recentiores pro opposita sententia, decepti nimirum ex eo quod illo notab. ante med. fusè probat ex sententia S. Thomæ, res non fuisse præsentes Deo ab æterno secundũ aliquem modũ præsentialitatis, quẽ in se ipsis extra Deum ab æterno habuissent, per id tamen solum negat creaturas fuisse Deo præsentes ab æterno ratione existentiæ, quam ab æterno habuerint, inferius autẽ, cùm statuisset duplicem modum præsentiæ, alterũ secundum esse obiectiuum, quo vix doctrinã D. Thom. 1. p. q. 8. art. 3. illud dicitur alicui præsens, quod in prospectu eius est, alterũ secundum differentiam temporis præsentis cõtra diuisam à

Capreol. Ferrarienſ. Caietanus. Catherin. Hiſpalenſ.

prēterito, ac futuro, ratione cuius res exiſtit in nunc durationis æternæ, nec eſt illi præterita, vel futura, vtroque modo ait res eſſe præſentes Deo, & de ſecundo loquens ſic ait, *iſto modo accipiendo nomen præſentis omnes creaturæ etiam futuræ contingentes dicuntur eſſe Deo præſentes ab æterno in Dei æternitate.* Idque confirmat ex dictis D. Thom. quorum vnum, vel alterū expendam. Primum habetur q. 2. de ver. ar. 12. in corp. *Tunc aliquid cognoſcitur, vt futurum eſt, quādo inter cognitionem cognoſcentis, & rei euentum inuenitur ordo præteriti ad futurum: hic autē ordo non poteſt inuenire inter cognitionem diuinam, & quamcunq; rem contingentem: ſed ſemper ordo diuinæ agnitionis ad rem, quamcunq; eſt, ſicut ordo præſentis ad præſens,* quo loco ordinē cognitionis ad obiectum, ſicut rei præſentis ad præſens, contraponit ordini præteriti ad futurum: huic vero nō opponitur ordo cognitionis ad obiectū tanquā ad præſens ſolummodo obiectiuè, ſed ordo prēſentis ad præſens ſecundū differentiam durationis, qua excluditur prēteritum, & futurum: ergo de hac intelligitur D. Thom. & ibidē paulò infra, *Contingens*, inquit, *eſt futurum alteri rei, cui ſuccedit in tempore, ſed ipſi diuinæ viſioni, quæ nō eſt in tempore, ſed extra tempus, nō eſt futurum, ſed præſens,* vbi ſimiliter prēſens contraponit futuro, & in 1. d. 38. q. vn. art. 5. in corp. explicat prēſentialitatem, quam habent res ad æternam Dei cognitionem ſimilitudine præſentiæ, quā haberent quinque res contingentes ſibi inuicem ſuccedētes reſpectu quinque cognitionum ſimiliter ſibi ſuccedentium, vel vnius, in quā omnes illæ coaleſcerent: quæ prēſentia proculdubio realis eſſet, & nō tantum obiectiua, & lib. 1. cōtra Gentes cap. 66. cùm fuiſſet vſus exemplo centri, quod æqualiter ſe habet ad omnia puncta circunferentiæ, ſubdit: *Quidquid igitur in quacunq; parte temporis eſt, coexiſtit æterno, quaſi præſens eidem, & ſi reſpectu alterius partis temporis præteritum ſit, vel futurum.* Ex quibus conſtat mentē S. Doctoris eſſe res exiſtentes in aliqua differentia temporis ita eſſe prēſentes æternitati, vt nō ſint illi prēteritæ, vel futuræ: atque adeò, cum prēteritū, ac futurum opponatur præſentiæ, ſiue coexiſtentiæ reali, hanc agnoſcit inter res exiſtentes, & æternitatem. Denique vt refert Hiſpalenſ. opuſculo 2. cap. vlt. ſic ait *puncto, quod eſt extra lineam, ſcilicet centro quodammodo ſimilatur æternitas, quæ cum ſit ſimplex, & indiuiſibilis, ad decurſum temporis comprehendit, & quælibet pars temporis eſt ei æqualiter præſens, licet partium temporis vna ſequatur aliam:* Ecce quomodo nulla facta mētione viſionis, ſed æternitatis, aſſerit omnia illi eſſe prēſentia, quia omnia comprehendit, ſcilicet imméſitate, & indiuiſibilitate ſua: cùm itaque recurrat ad indiuiſibilitatē æternitatis, & non ad perſpicacitatē intellectus diuini, ſignū eſt agere de præſentia reali, non vero de obiectiua per puram repræſentationem in mente diuina in actu primo, vel ſecundo. Hæc & alia referunt prædicti auctores, ex quib⁹ planè colligitur D. Thom. exiſtimaſſe inter Deum, & res exiſtētes dari aliquam rationem præſentialitatis realis ſecundum coexiſtentiam in æternitate, ratione cuius res ſint, ac dicantur præſentes Deo, & nullo modo prēteritæ, ac futuræ.

VII. Reſtat, vt ſatisfiat vtriuſque ſententiæ motiuis, quatenus aduerſantur dictis. Et quidem priora ſuadent contingentia de mēte D. Thom. eſſe prēſentia Deo in æternitate, nō tamen ſemper, ſed prout reſpondet tempori, in quo ſunt: quia tamen æternitas eſt duratio indiuiſibilis, ac tota ſimul, ex parte ipſius non eſt aſſignabile aliquid, cui res creata nō coexiſtat: & proinde ſimpliciter dicitur res cōtingentes eſſe prēſentes Deo in æternitate, & hoc ſolum vult. D. Tho. 1. loco adducto ex lib. 1. cōtra Gent. & ſolum cōcluditur ex ſimilitudine centri ad circunferentiam: quæ ſimilitudo nō eſt applicanda quoad omnia, ſed quoad id prēcisè, ad quod illuſtrandum adducitur: ſcilicet, vt dicamus æternitatē de ſe habere ſufficiens fundamentum coexiſtendi præſentialiter omni tempori, idque nō ſecundum diuerſas ſui partes, ſed per idē nunc indiuiſibile, quod de ſe eſt æquè præſens omni tempori, ſicut centrum eadē prorſus indiuiſibili entitate reſpondet omnib⁹ punctis, quæ ſunt in circunferentia. Ex quo rectè ſequitur tempora omnia eſſe præſentia eidem nunc æternitatis indiuiſibili abſque ſucceſſione ex parte ipſius: non tamen opus eſt, vt ſicut centrum in eadē inſtanti temporis correſpondet omnibus punctis circunferentiæ, reſpondeat etiam in eadem duratione creata nunc æternitatis omnibus temporibus. Itaque locus adductus ex lib. contra Gent. ſolum concludit res creatas verè coexiſtere Deo in æternitate, ita vt ſi abſtrahamus à tempore, & ſucceſſione, quā res in ipſo habent, in æternitate non habeant prēteritum, aut futurum, ſed ſolum præſens, ſicut ipſum nunc æternitatis ſolum eſt præſens ſine variatione prēteriti, vel futuri. Teſtimonium vero ſumptum ex 1. p. rectè probat dari aliam præſentiam rerum in æternitate præter obiectiuam, nō concludit autem hanc præſentiam conuenire ſimul ac ſemper omnibus rebus, ſed ſolum pr[illegible] tempore, quo ſunt, & pro æter-

nitate

itate absolute sumpta, quatenus est duratio indiuisibilis tota simul, ac perfecta, cui nihil est præteritum, vel futurum: vt frequenter asserit D. Thom. ex doctrina Boëtij, & aliorum Patrum.

VIII. Primum testimonium adductum pro secunda sententia solum probat præsentiam rerum in æternitate de sententia D. Thom. nõ esse rationẽ motiuam, siue principium formale cognoscendi ipsos, quod est verissimum, & certum in doctrina D. Thom. vt cõstat ex locis superius adductis. Secundum solum probat mentẽ D. Thom. nõ esse res creatas coexistere semper Deo, quod admitto: nõ tamen concludit nõ coexistere illi in æternitate: quæ ratione suæ immẽsitatis, & indiuisibilitatis absque vlla successione ex parte sui coexistit rebus successiuè fluentibus, &, cùm in diuersis partibus temporis existant termini cõtradictorij, æternitas vtrique coexistit, & quatenus coexistit vni, vel alteri dici potest præcedere alium: & quia nõ esse mundi, cui æternitas coexistit, ab æterno fuit ante mundum, cui etiam æternitas coexistit, verè dicitur Deus præcedere mundum duratione æternitatis, quia mundus non est adæquate præsens æternitati. Exemplum sumi potest à duratione finita, v.g. ab hodierno die: nam abstrahẽdo à singulis eius partibus, & connotando totam eius durationem, verè dicitur hodie prandetur, cœnatur, fit res diuina, habentur scholæ, itẽ prandium, cœna, sacrificium missæ, lectio sacra, coexistunt præsentialiter hodiernæ diei, & tamen singula horũ possunt esse separata ab inuicem in diuersis partibus temporis; & comparando motũ cœli diurnum cum ijs, quæ simul cum ipso non cœperunt, etiamsi sint in eodem die, verè dicetur motus cœli hodiernus antecessit lectionem vespertinam non alia duratione, quam ipsius temporis diurni, quo adæquatè, & ab initio mensuratur, cùm tamen illa, quæ præcedit inadæquatè, & post initium eadẽ mẽsurentur. Sicut itaque ex eo quod hodiernus dies se ipso præcedat aliqua, quæ in ipso sunt, minimè colligitur illa non esse hodierna die, ita ex eo quod Deus duratione æternitatis præcedat mundum, minimè sequitur mundum non esse præsentem Deo in æternitate, sequitur tamen non esse præsentem adæquate, ita vt sit illi præsens pro omni duratione successiua, cui æternitas respondet. Ex testimonijs tertio loco adductis solum colligitur de sententia D. Thom. res non esse præsentes Deo in æternitate considera[illegible]lo illam, vt respondet huic, vel illi temp[illegible]ri, nec in tempore, quo non sunt, falsa enim erit pro positio, si quis ante natum Antichristum dicat, *Antichristus nunc coexistit æternitati*, & hoc solum vult cum locis citatis ait res futuras non esse nunc, terminus enim, *nunc*, respicit differentiam temporis præsentis: item cum dicit antequam sint, præexistere solum in duobus, scilicet in præscientia diuina, & in causis creatis, verba enim illa, *antequam sint*, respiciunt ordinem prioris, ac posterioris in tempore. Ad locum 12. respondeo D. Thom. non agere eo loco de præsentialitate, quam res habent in æternitate abstrahendo ab hoc, vel illo tempore, sed de existentia rerum in Deo pro omni tempore: hæc vero non est alia nisi illa, quã habent in præscientia, & præordinatione diuina, pro quouis enim tempore verũ est dicere, res omnes cõtingentes esse illo modo in Deo, & hæc sufficiant pro declaratione sententiæ D. Thom. quæ non discedit à communi, quam præcedenti cap. explicaui.

Non est absolutè dicendum res contingentes esse simul, aut semper, aut ab æterno præsentes Deo in æternitate.

Caput XVII.

I. QVamuis in doctrina tradita cap. 15. Doctores omnes conueniant, tamen circa peculiares loquendi modos est cõtrouersia, quæ versatur solum inter sectatores doctrinæ D. Thom. nam, cùm is asserat res coexistere Deo in æternitate, exinde nonnulli sumpserunt occasionem vsurpandi quosdã loquendi modos, quos cæteri non admittunt. Inprimis vero Abulens. in cap. 11. Iosue q. 21. ait res esse simul præsentes Deo, & consequenter rem vnã nõ esse prius præsentem, quam alia præsens sit: idẽ significant Capreol. in 1. d. 36. q. vn. art. 2. ante solutionem argumentorũ, dicens æternitatẽ simul attingere omnia tempora, nõ successiuè vnũ prius, quam aliud, & Molin. 1. p. q. 14. d. 13. dicens omnia simul Deo coexistere in æternitate. Probat autem Abulensis, quia duratio Dei, secundũ quã res illi sunt præsentes, est indiuisibilis, nec habet prioritatem, & posterioritatem: & ideò, quãtumcunque res inter se comparatæ habeant ordinẽ prioris, & posterioris, cùm Deo tamẽ habent simultaneam coexistentiam. Deinde idem Abulens. vbi supra, [illegible]. 22. & [illegible] addit semper esse præsentes Deo, quod etiã admittit Richard. quod[illegible] art. 1. q. 1. art. 3. ad 2. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 66. §. *Si autem quæratur*. Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. §.

Abulens. *Capreol.* *Molina.* *Richard.* *Ferrariens.* *Caietan.*

Prætereà si instans: probat autem Abulens. quoniam id, quod est toto tempore, quo aliud est, dicitur semper illi præsens, vt si aliquis viuat ab instanti natiuitatis alterius vsque ad obitum eiusdem dicitur semper illi præsens: ergo, si aliquid est in tota duratione Dei, dicetur semper illi præsens: quidquid autem semel exiſtit in rerum natura, est in tota duratione Dei, nempè in æternitate, quæ est tota simul: ergo est semper illi præsens, & confirmatur primo quoniam id, quod conuenit pro tota aliqua duratione, enunciari verè potest per terminos consignificantes coexistentiam cum tota illa: quæcunque vero coexistunt Deo, pro tota æternitate coexistunt: ergo verè dici potest, quod semper coexistant. Patet consequentia, quoniam per verbum, *semper*, nihil aliud significatur, quam coexistentia cum tota æternitate. Assumptio vero constat: quoniam æternitas est indiuisibilis, & tota simul: atque adeò, quidquid illi coexistit, toti coexistit: neque ab æterno fuit aliquid ipsius, cui res in tempore creatæ non coexistant. Confirmatur secundo quoniam verbum illud, *semper*, nihil plus dicit, quam dicat ipsum nomen æternitas: ergo, si verum est dicere res esse præsentes, vel coexistere Deo in æternitate, verum quoque erit esse semper præsentes Deo in æternitate. Antecedens patet, quoniam nomen Græcum ἀιὼν, vt notatum est supra, est idem atque semper existens: & ideò D. Bonauent. in 1. dist. 37. art. 2. quæst. 2. ait, *semper*, importare diuinam immensitatem secundum durationem, & sic esse idem quod æternitas, & Anselm. in Monolog. cap. 24. ait, *semper*, verius designare æternitatem, quam totum tempus: nam, si non fuisset vllum tempus, adhuc tamen Deus diceretur fuisse semper. Secundo si falsò dicitur, *Res sunt semper præsentes Deo in æternitate*, verum erit, vel quod nunquam sint, vel quod aliquando non sint: neutrum vero dici potest: ergo, &c. Assumptio patet: non enim dici potest primum: nam æternitas comprehendit omnia tempora, atque adeò quod aliquando exiſtit in tempore, exiſtit etiam aliquando saltem in æternitate: non item dici potest secundum, quoniam duratio indiuisibilis non patitur, vt aliquid in ipsa aliquando sit, aliquando non sit, sed si aliquando est, semper est, si aliquando non est, nunquam est.

Bonauent. *Anselm.*

III. Denique dici etiam præsentes Deo ab æterno, vel [illegible] æternitate admittit Rich. *Richardus.* bi proximè, & in 1. dist. 39. art. 1. quæst. . ad 2. Capreol. dist. 36. quæst. vn. art. 2. *Capreol.*

in explicatione conclusionis. Hispalens. distinct. 38. quæst. vn. art. 3. notab. 2. versus finem. Caietan. & Molin. vbi supra, fauet D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 13. & in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 2. vbi docet res esse præsentes Deo ab æterno. Fundamentum est, quoniam præpositiones illæ, *ex* vel *ab*, nõ determinant præsentiam, aut coexistentiam ad tempus, sed ad æternitatem: ergo sunt veræ. Probatur consequentia, quoniam si determinant æternitatem, solum significant nihil illius esse, cui res creatæ non coexistant: hoc autem verum est, vt per se patet: quia æternitas est tota simul, & indiuisibilis: & ideò, quidquid illi coexistit, nihil illius omittit, cui nõ coexistat. Secundo præsentia realis est prior obiectiua: hæc autem est ab æterno, vt omnes admittunt, & fides docet: ergo etiam realis est ab æterno. Antecedens patet, quoniam obiectum notitiæ intuitiuæ præsupponitur ad illam: res vero sub præsentia reali est obiectum notitiæ intuitiuæ: ergo prior est præsentia realis rerum in æternitate, quam obiectiua secundum esse intellectum in ordine ad scientiam diuinam. *Hispalens.* *Caietanus.* *Molina.* *S. Thom.*

IV. Communis sententia docet oppositum. Et quidem si consideremus propriam vim vocabulorum, vt à nobis vsurpantur, certum omnino est eiusmodi propositiones esse falsas: nam terminus, *semper*, vt ait Alens. 1. p. quæst. 12. m. 1. post Augustinum lib. 12. de ciuitate cap. 15. sonat idem, atque omni tempore, certũ verò est creaturas non coexistere Deo omni tempore. Item verbum, *simul*, significat coexistentiam in eodem tempore: vnde Apostolus ad Rom. 6. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo, simul viuemus*, ait, *non viuimus*, quoniam nondum habemus in tempore præsenti vitam beatam, quamuis vita nostra beata futura, & vita Christi, si respiciant nunc æternitatis, sub illo non inueniant rationem prioris, & posterioris. Item verba illa, *ex* vel *ab æterno*, dicunt negationem principij in coexistendo diuinæ æternitati, quod colligitur ex illo Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum*, hoc est absque principio durationis: est vero apertè falsum creaturas non habere principium coexistentiæ cum Deo: nam, cùm sint in tempore creatæ, fuissent antequam essent. Verum dubium esse potest vtrum sicut non coexistere Antichristo, hæc præpositio, *Antichristus coexistit Deo*, simpliciter prolata est falsa, quia verum, *est*, iuxta communem modum loquendi consignifica *Alensis.* *Augustin.* *Ad Rom. 6.* *Prouerb. 8.*

nunc

nunc temporis, in quo re vera Antichristus non coexistit Deo, & tamen si traducatur à communi modo significandi ad connotandum nunc æternitatis, est vera, quia sensus eius non est, Antichristus coexistit Deo in hoc tempore, sed in ipso nunc æternitatis, quod est verum, ita quamuis prædicti modi loquendi, si accipiantur in communi significatione sint falsi, possint esse veri si sumantur solum ad consignificandam sempiternitatem, & simultatem coexistendi in æternitate. Doctores citati in hoc sensu affirmatiuè respondent.

V. Dicendum est nihilominus prædictos loquendi modos non posse verè vsurpari quomodocunque accipiantur, hęc est mens omnium doctorũ quos retuli cap. 15. nu. 3. Suadetur vero inprimis quoad verba illa, *ab æterno* quoniam eorum, quę sunt ab æterno, vnum non præcedit aliud in ipsa æternitate, sed Deus præcedit res creatas ipsa æternitate: ergo illa nõ coexistunt Deo ab æterno. Maior propositio est euidens: quoniam, vbi est antecessio vnius ad alterũ secundum aliquã durationem, nõ verè significatur coexistentia eorũ per verba excludentia proprietatem, vel antecessionem secundum durationem, qualia sunt ea, quib⁹ dicitur aliquid esse ab æterno scilicet ex æternitate: æternum enim vt ait Bonauent. in 1. d. 31. art. 1. q. 3. dicit priuationem initij durationis: & ideò quidquid ab æterno est, necessario dici debet esse absq; initio: hoc vero non cadit in rem, quæ præceditur ab alia æternitatis duratione. Assumptio vero probatur ex omnibus locis sacræ Scripturæ, quibus Deus dicitur fuisse, aut habuisse aliquem actũ ante mundi constitutionem, vel ante creaturas, vt Prouerb. 8. ad Ephes. 1. & alibi sæpè: nam, cùm ante mundum non fuerit tempus, aliqua duratio designari debet, in qua Deus præcesserit creaturas, non alia, quam æternitas, vt per se patet, & colligitur ex D. August. lib. 12. de ciuit. cap. 25. in fine vbi sic ait, *Si potentiam suam, vt ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent non fuerunt: sed ante dico, æternitate, non tempore:* ecce ipsas creaturas ait non fuisse in ipsa æternitatis duratione, intellige ab æterno.

Bonauent. Prouerb. 8. Ad Ephes. 1. Augustinus.

VI. Deinde probatur quoad illa verba sunt, vel coexistunt simul in æternitate, quoniam vt obseruat S. Bonauent. in 1. dist. 37. p. 1. art. 2. quæst. 2. præsentia importat habitudinem inter duos, scilicet inter eum, qui præsens est, & eum, cui præsens: & ideò, cùm dicitur res omnes creatas coexistere, vel esse præsentes simul Deo in æternitate, significatur omnes habere simul durationem habitudinem præsentiæ ad Deum, ita vt habitudo vnius non antecedat habitudinem alterius: ex quo sequitur res quoque ipsas fuisse sibi inuicem simul omnes præsentes in æternitate: hoc vero est absurdum: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela constat: quoniam quæcunque sunt simul in aliqua duratione absque prioritate vnius ad alterum, sunt simul sibi inuicem præsentes in eadem. Falsitas vero consequentis ostenditur: quoniam nihil creatum est, vel fuit in æternitate, quod non sit, vel fuerit in tempore, vel æuo: nam prius est rem esse in mensura sibi propria, & adæquabili, qualis est tempus, & æuum respectu rerum creatarum, quam in communi, & excedente, qualis est æternitas respectu earundem: simultanea coexistentia rerum in æternitate, si datur est res creata, & identificatur cum ipsis creaturis: etsi sit rerum, quæ non fuerunt simul in eadem duratione creata, nunquam fuit in duratione sibi propria, & æquabili: ergo impossibile est, vt sint simul in æternitate. Et confirmatur primo, quoniam distinctio virtualis satis est, vt rei simplici tribuantur ea, quæ tribui solent pluribus alijs rebus, quibus æquipollet: sed æternitas diuina continet eminenter omne tempus, & æquipollet omnibus, & singulis eius partibus successiuis, quæ vero coexistunt diuersis partibus temporis, non dicuntur esse simul in tempore: ergo etiam illa, quæ coexistunt æternitati prout respondet, & æquipollet ijsdem partibus temporis, non possunt dici esse simul in æternitate. Confirmatur secundo: quoniam, si mora vnius diei sicut est vna successiuè, foret tota simul, & permanens, & duæ res existerent in ea, altera quatenus respondet tempori matutino, altera vero quatenus respondet vespertino, nequaquam dicerentur esse simul in illa duratione, sicut re vera non dicuntur esse simul in nostro die: quoniam, licet sint intra eius terminos, vna tamen non coexistit alteri in eadem parte diei: ergo etiam quæ in diuersis partibus temporis coexistunt æternitati non coexistunt simul æternitati. Confirmatur tertio, quoniam simultas, & successio repugnant simul in eadem duratione respectu eiusdem: datur vero successio rerum in æternitate: ergo non simultas. Assumptio constat: quidquid est in tempore, necessario est etiam in æternitate, successio rerum est in tempore: ergo & in æternitate. Respondebit aliquis non repugnare contraria in æterni-

Bonauent.

tate: nam idem homo est in æternitate bonus, & malus: & proinde, quamuis simultas, & successio repugnēt respectu eiusdem durationis creatæ, non repugnare respectu increatæ, & immensæ. Hæc tamen solutio non sufficit: nam aliud est loqui de prędicatis oppositis, quæ non conueniunt adæquatè pro tota æternitate, sed inadæquatè prout respondet huic, vel illi durationi creatæ, aliud de prędicatis, quæ nonnisi adæquatè possunt conuenire: priora quippe possunt esse opposita, quia non conueniunt pro duratione omnino eadem, scilicet re, ac ratione: posteriora vero debent necessario conuenire secundum eandem omnino durationem: at hoc modo cōuenire opposita repugnat: simultanea vero prędentia rerum in æternitate, si detur, debet secundum eam totā adæquatè competere: nam, cùm non conueniat ratione alicuius temporis, in quo res prędteritæ, ac futuræ simul fuerint, conueniet vtique ratione ipsius æternitatis: atque adeò semper, & adæquate, cùm non sit maior ratio, cur conueniat in ordine ad vnum tempus, quam ad aliud. Denique simultanea prędentia duorum ad vnum tertium non dicit solum simultatem essendi illius tertij, sed etiam simultatem coexistentiæ duorum inter se. Hæc vero non datur inter res prædteritas, & futuras: ergo non verè dicitur res omnes coexistere simul Deo. Et confirmatur exemplo coexistentiæ rerum cum Deo in loco: nam quamuis omnia, quæ sunt in loco, coexistant immensitati diuinæ, non tamen dicuntur coexistere illi simul loco, quoniam differunt secundum modū prædentiæ localis: ergo similiter, etiam si æternitas in se sit duratio tota simul, & singulæ res creatæ sint illi prędentes secundum durationem, non proinde dici possunt esse simul prędentes Deo in æternitate.

VII. Non posse etiam dici res omnes coexistere semper Deo satis confirmat illud testimonium Prouerb. 8. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nondum montes graui mole constiterant*, & reliqua quæ significant Deum vel esse, vel aliquem actum habuisse ante omnem creaturam: de eo enim, quod semper coexistit alteri, dici nunquam verè potest, quod non sit altero existente: sed sapientia diuina dicit se conceptam, cùm nondum essent abysi, montes, & colles: ergo hæc illi non semper coexistunt. Confirmatur, quoniam semper vel significat in omni tempore, vt vult Augustin. cit. num. 7. vel in æternitate, vt Anselm. vbi supra, & id non quomodocunque, sed ita vt id, quod est in æternitate, nunquam non sit, at res omnis creata in ipsa æternitate aliquando non est: ergo non semper est in illa. Ratione vero sic ostenditur: ita se habent proportionaliter membra corporis humani respectu animæ rationalis, qua informatur, sicut res existentes in diuersis temporis differentijs se habent ad æternitatem: de singulis autem membris non verè dicitur quod sint vbique præsentes animæ: ergo etiam non verè dicitur de rebus creatis, quod sint semper præsentes Deo. Maior propositio constat: quoniam, sicut membra corporis distant inuicem secundum locum, ita res creatæ sibi continuò succedentes distant secundum tempus: & sicut anima rationalis est indiuisibilis, & tota in singulis membris, quibus propter virtualem extensionē respondet, ita quoque existentia, æternitasque diuina propter summam indiuisibilitatem actualem est tota simul in singulis partibus temporis, quibus respondet ratione extensionis, & successionis virtualis. Assumptio vero est etiam manifesta: quandoquidem, licet manus sit præsens toti animæ, quæ est in omnibus membris, non tamen est illi præsens in capite, aut cęteris membris. Probatur secundo, quoniam terminus ille, *semper*, additus æternitati aliquid significat, quod non significatur nomine illo, *æternitas*: id vero non est aliud, quam vel totum tempus, quod æternitas continet, vel ipsa æternitas prout est virtute diuisibilis, & æquialenter continet omnes partes temporis: & siue hoc, siue illo modo intelligatur, falsa est illa propositio: inprimis, si intelligatur pro omni tempore, vt per se patet: deinde vero, si intelligatur pro æternitate, vt æquialet omni tempori: quoniam extensio virtualis æternitatis diuinæ est infinita, & secundum eam prędcisè rationem, siue partem virtualem, qua coexistit vni tempori, non coexistit alteri: & proinde, vt aliquid dicatur semper illi coexistere, non sufficit, vt coexistat secundū vnam, vel alteram partem virtualis extensionis, sed requiritur, vt coexistat adæquatè secundum totam extensionem virtualem. Hoc vero nulli prorsus creaturæ conuenit, vt per se patet: ergo neque verè dici poterit creaturas semper coexistere Deo in æternitate.

VIII. Pro solutione argumentorū supponendum est, *nunc*, aliud esse de genere successiuorum nullo modo permanens, sed fluens, cuiusmodi sunt instantia temporis nostri: aliud verò permanens: primum est re, & ratione indiuisibile, neque coexistere potest alicui durationi diuisibili, & successiuæ:

Secun-

Secundum verò est solum re ipsa indiuisibile, ratione autem, ac virtute diuisibile: & idcircò respondere potest durationi diuisibili. Hoc posito ad argumentum, quo probatur res omnes esse simul Deo præsentes; respondetur, si sermo sit de prioritate, cui respondeat aliquid prius in ipsa æternitate, rectè concludere: æternitas enim caret partibus, & omnipotentialitate: & ideo ex parte ipsius sicut nō est successio actualis, ita neque prius, aut posterius. Tamen, quia rei indiuisibili, & immobiliter permanenti nō repugnat plura successiuè coexistere, vt saxo in medio fluminis posito successiuè coexistunt partes aquę iugiter fluentis, dici merito potest rerum creatarū alias prius, alias posterius coexistere Deo, neque oēs simul esse illi præsentes.

IX. Ad primum eorum, quibus ostenditur res esse semper præsentes Deo, neganda est consequentia. Ratio diuersitatis est: quoniam duratio successiua non habet nisi totalitatem compositionis actualis, & proinde quidquid coexistit alteri secundū totum tempus, semper illi coexistit, quia nunquam nō est quandiu aliud est. At verò æternitas habet totalitatem entitatiuā, hoc est perfectam rationem durationis cum negatione partium: & habet totalitatem virtualem ratione æquipollentiæ, qua continet durationem successiuam: & ideo, quamuis aliquid coexistat ipsi toti secundum totalitatem entitatiuam, non dicetur coexistere semper, nisi coexistat etiam toti, secundum totalitatem virtualem: nisi enim ita coexistat, aliquando non est, atque adeo non semper coexistit æternitati. Ad primam cōfirmationem distinguenda est maior propositio: nam, si aliquid coexistat alteri secundum totam eius durationem actualem, & virtualem, verè dici potest semper illi coexistere: nequaquam verò, si non ita coexistat vt res temporales non coexistant Deo: & ita in sensu, quo maior est vera, est assumptio falsa: & proinde neganda est consequentia. Ad secundam confirmationem, respondetur verbum *semper*, non dicere aliquid positiuum, quod non dicat æternitas: connotare tamen aliquid, quod nō connotat æternitas, quando cōsignificatur per verba: nam terminus *semper*, quando afficit connotationē verbi, significat indefectibilitatē eius, de quo prædicatur verbum. Falsum verò est hoc modo creaturam semper coexistere Deo, quoniam ex parte ipsius deficit coexistentia. At, cum æternitas ponitur forma vt extremum coexistentiæ, vel connotationis, sensus est rem, de qua verbum prædicatur, habere præsentiam realem ad æternitatem, siue habeat indefectibiliter, ac sine principio, siue non. Exemplum aliquale sumi potest ex duratione creata: nam, si pluat vna hora præsentis diei, falsò dicitur, *semper hodie pluit*, verè autē, *hodie pluit*: & tamen vox *semper*, addita hodiernæ diei non significat aliquid durationis, quod non significet etiam terminus ille *hodie*, qui significat totam durationē hodiernam clausam duobus extremis instantibus: tamen, quia vox *semper*, determinat illum alium terminum ad connotationem adæquatam, quam ipse de se non necessario exigit, idcircò, si pluat vna tantum hora, verè dicitur *hodie pluit*, falsò autem *semper hodie pluit*. Et quod in duratione diurna præstat successio formalis, hoc in æternitate præstat virtualis: nam æternitas, cū afficit copulam verbi per modum cōnotationis, nō necessario extendit illā ad omnē suam extēsionem virtualē: & proinde, si res in aliquo solū tēpore coexistit Deo, verè dicitur *coexistit, vel est præsens Deo in æternitate*, falsò vero dicitur *coexistit semper in æternitate*, quoniam terminus *semper*, determinat verbū ad connotationem adæquatam, pro omni extensione virtuali æternitatis, quomodo nulla res tēporalis coexistit Deo. Ad secundum argumentum concedenda est sequela, & dandū secundū membrū disiunctionis: res enim creatę aliquādo nō sunt in æternitate. Ad impugnationē respondetur quāuis in æternitate nō sit multiplicitas, siue vniuersalitas entitatiua durationis, ratione cuius possit dici aliquādo, & aliquando non, esse tamen multiplicitatē virtualē, ratione cuius vtrunq; verificari potest: nam res, quæ adæquatè coexisterent æternitati, verè dici possent esse semper præsentes Deo in æternitate: quæ vero adęquatè nō coexisterent, possent dici nunquam præsentes: illæ autē, quæ non coexistunt adæquatè, atq; adeo non correspondent omni extensioni virtuali ipsius, quatenus illi respōdent secundum propriā existentiam, dici possunt esse aliquando in æternitate, quatenus vero non respōdent, dici possunt aliquando illi non coexistere.

X. Ad primum eorum, quibus probatur res esse præsentes Deo ab æterno, neganda est consequentia. Ratio verò est, quoniam coexistentia ad æternitatem potest determinari dupliciter: nempè vel absolutè, vel indefinite absque vlla alia extensione, vel adæquatè ad certo aliquo modo, & extensione. Et quidem, si verba illa *ex*, & *ab*, solum determinarēt coexistentiam ad æternitatem absolutè, & indefinite, verę forēt propositiones, de q bus

agitur; nõ tamen ita determinant, sed cum extensione ad infinitam durationem absq; initio: quomodo minimè conuenit rebus creatis. Ad probationê consequentiæ negãdum est antecedens: quoniã, si termini illi determinant coexistentiã ad æternitatem sine principio coexistendi, nõ solum significant nihil æternitatis esse, cui res creatæ non coexistant, sed etiam res easdm coexistere Deo absque initio; quod est falsum. Ad secundum distinguendum est antecedens: &, si intelligatur de prioritate durationis, negandum est: si vero de prioritate suppositionis obiectiuæ, concedendum. Et hoc solum probat argumentum adductum ad confirmationem eiusdem antecedentis: notitia enim intuitiua supponit obiectum, quod videtur existens pro aliqua duratione, existere actu in ea duratione: nam, quia est notitia vera, & euidens, est de obiecto vero: & idcircò prius nostro modo intelligendi verum est creaturas pro aliqua differentia temporis coexistere æternitati, quam videri à Deo: Deus enim non videt, quod non est. Non igitur obiectum notitiæ intuitiuę necessario prę-supponitur notitiæ ipsi secundũ esse reale, sed secũdum esse obiectiuum intelligibile repræsentans præsentiam realem cum æternitate, non pro tota æternitate adæquatè, sed indefinite sumpta, quatenus respondet certis partibus temporis.

Præsentia, siue coexistentia rerum cum Deo in æternitate est simpliciter successiua, secundum quid permanens.

Caput XVIII.

I. VNa supereſt difficultas ex superioribus: dictum est enim, res omnes absolute loquendo coexistere, & esse prę-sentes Deo in æternitate: non tamen semper, aut simul. Ex quo videtur sequi simpliciter loquẽdo coexistentiam inter creaturas, ac Deum esse successiuam: atq; adeo æternitatem admittere aliquam successionem: nam coexistentia Dei cum creaturis mensuratur æternitate: ergò, si admittit successionem, æternitas quoque illam admittet. Mensurari verò coexistentiam, æternitate co[illegible], quoniam non habet aliud esse distinctum ab existentia ipsius Dei: hæc mensuratur æ[illegible]itate: ergo & coexistentia. Videndum est itaque hoc loco vtrum aliquo modo coexistentia Dei ad creaturas sit successiua. Partem negantem sequitur Aureol. in 1. distinct. 36. quæst. 1. art. 1. propositione 2. non quidem ex eo, quod existimet posita coexistentia Dei ad creaturas, eam non posse esse successiuam: sed quia credit Deum non coexistere creaturis, sic enim inter cætera arguit eodem loco: æternitas aut attingit sua præsentialitate res successiue existentes, ita vt nunc coexistat prius vni parti, deinde alteri: aut totum decursum temporis attingit simul, aut nec successiuè, nec simul est præsens omnibus partibus tẽporis, sed omninò abstrahit à coexistentia cum toto tempore infinito: priora duo membra sunt absurda, primum, quia contra dicta Patrum: secundum, quoniam attingentia illa necessario est diuisibilis, & consequenter nequit esse permanenter: ergo dandum est tertiũ. Ex quibus patet ideo negare successionem in coexistentia, quia est contra dicta Patrum, & quia ipsam coexistentiam negat: quæ enim nullo modo coexistunt, nec permanenter, nec successiuè coexistunt. *Aureol.*

II. Eandem sententiam ex alijs fundamentis tenet Abulens. in cap. 11. Iosue, qu. 21. 22. 51. 53. & 54. Probatur autem primò: quoniam, vbi est successio, ibi est pars, & pars, prioritas, & posterioritas: hæc verò repugnat Deo: ergo coexistentia eius ad creaturas non est successiua. Maior patet: quoniam, vbi est successio, est vnum post aliud, & cõsequenter in vna re nequit esse successio absq; actuali in multiplicitate partium, quarum vna transeat, altera succedat: & absque ordine prioris, & posterioris. Assumptio constat ex definitione æternitatis, quæ dicitur esse vitæ possessio tota simul: quibus verbis excluditur ratio partium, & ordo prioris: secundò, duratio rerum successiuarũ habet ordinem ita, vt coordinetur secũdum prius, ac posterius: hæc vero coordinatio repugnat essentię diuinę: quare etiam repugnat, vt coexistentia Dei cum creaturis admittat successionem. Assumptio ostenditur: quoniam eiusmodi coordinatio aut erit secundum propria, & intrinseca Deo, quasi aliquid ipsius sit prius, aliquid posterius: aut in ordine ad res creatas: vtrumq; est absurdum: primum, quoniam repugnat immutabilitati, & æternitati Dei: nam, si aliquid ipsius transit, aliquid vero incipit, ac succedit transeunti, Deus secundùm id mutatur, & admittit principium, finemque durationis: secundum quoque repugnat æternitat[illegible] nam, si aliquid diuinum succedit cr[illegible]to, incipit post illud: & consequenter [illegible]abet initium durationis: si vero *Abulensis.*

creatum

creatum succedit diuino, hoc desinit, & consequenter habet finem. Tertiò, coexistentia Dei ad creaturas mensuratur per se primo, & immediatè æternitate: hæc autem est supereminenter abstracta ab omni alia duratione, neq; habet aliquem ordinem, aut habitudinem ad illam: ergo coexistentia non est successiua. Consequentia patet, quoniam coexistentia non potest aliunde sortiri successionem, quam vel ex propria duratione intrinseca, vel ex habitudine ad extrinsecam: ergò, si duratio eius intrinseca est expers successionis in se ipsa, & ordinis ad illas durationes extrinsecas, fieri nequit vt ipsa sortiatur illum modum successionis. Id verò explicatur exemplo instantis, si esset separatum à tempore, & per se stans, neque medians inter duas partes temporis, aut principium alicuius durationis: nam tale instans, cum non coordinaretur aliis instantibus, aut partibus temporis, non haberet vllum ordinem ad illa: atque adeo nec esset prius, aut posterius: & consequenter expers omnis prorsus successionis. Denique in Deo non est admittenda vllo modo ratio potentiæ passiuæ: erit autem, si coexistentia eius ad creaturas sit successiua: ergo non est. Assumptio constat: quoniam subiectum aptum habere formam, & carens illa est in potentia passiua respectu illius: hæc enim non est aliud, quam aptitudo ad formam, qua subiectum caret: si vero coexistentia est successiua, Deus pro aliqua duratione est sub negatione illius: & cum aptitudine ad ipsam: hoc enim est proprium successiuorum, vt non semper insint, sed pars post partem: atque adeo subiectum, cum substat prioribus partibus formæ successiuæ, caret posterioribus, & est aptum illas recipere.

III. In coexistentia diuina cum creaturis duo possunt considerari, nempè proprium, & formale significatum, & connotatum. Proprium significatum est ipsamet existentia diuina, connotatum est habitudo simultatis ad existentiam creaturæ, seu ipsa existentia creaturæ, vt est terminus habitudinis, non enim potest intelligi coexistentia non conceptis pluribus, quæ habeant simul existentiam. Si verò loquamur de præcisa existentia diuina non habita ratione simultatis cum existentia creata, planum est ipsam esse permanentem, ac totam simul: vt habetur ex communi sententia Patrum, definitione Boetij, & expositione doctorum. Neque ad hoc astruendum opus est maioris argumentis, nititur enim doctrina reuelata: hoc enim significat illud Domini, Exod. 3. *Ego sum, qui sum*: hoc illud Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Et si hoc intendit probare Abulens. facilè conceditur. Verùm ipse non hoc solum contendit, imò vult nihil omnino, etiam extrinsecum conuenire Deo successiuè. *Exod. 3.* *Psalm. 101.*

IV. Dico primum: Coexistentia Dei ad creaturas ratione respectus, siue connotati est successiua. Hæc est expressa Capreoli in 1. distinct. 36. quæst. vnica, artic. 2. ad vndecimum in 2. solutione. Molinæ 1. p. quæst. 10. art. 1. dist. 2. conclusione 3. & est de mente omnium, qui negant res omnes esse præsentes Deo in æternitate, qui, vt iam suprà dixi, solum volunt non esse semper præsentes, sed tantum pro tempore, quo sunt. Ex quo euidenter deducitur eiusmodi præsentiam, siue coexistentiam esse successiuam: nam vbi reperitur esse post non esse, & è contra, necessario interuenit successio: at si Deus non semper coexistit rebus creatis, sed solum pro tempore, quo sunt, datur coexistentia post non coexistentiam, & vice versa: ergo & successio, atque ita in sententia illorum Doctorum necessario est admittenda successio. Imò & in sententia Caietan. Ferrarien. & reliquorum Thomistarum: omnes enim admittunt Deum in hoc instanti non coexistere Adamo, qui iam non est, aut Antichristo, qui nondum est: coexistere vero rebus nunc existentibus. Ex quo euidèter deducitur Deum in tempore præterito non coextitisse Adamo. Deinde verò desiisse coexistere: item pro aliquo tempore non coextitisse Paulo V. qui nunc est Summus Pontifex, post eius vero natiuitatem coextitisse: vbi verò est transitus de forma in negationem ipsius, aut vice versa, necessario est successio. At inquient, hæc successio est in tempore, nõ vero in æternitate: quæ est propria mensura coexistentiæ. Hæc tamen respõsio haud quaquam diluit argumentum. Nam coexistentia significat aliquid æternum, nempè existẽtiam Dei: & importat aliquid tẽporale, hoc est simultatem, siue relationem præsentiæ inter Deum, & creaturas: & ideo quamuis ex parte existentiæ absolutè consideratæ non sit successio, aut mensurabilitas secundum tempus, est tamen ex parte simultatis, siue habitudinis [illegible] hęc est in tẽpore successiuè, coexistẽtia, dicẽda est simpliciter successiua. Esse aũt relationẽ præsentiæ temporalẽ constat: quoniam, quãdo relatio exigit fundamentũ ex *Capreol.* *Molina.*

parte

parte vtriusque extremi, si desit ex parte vnius, non datur relatio, licet adsit fundamentum ex parte alterius: coexistentia autem, siue relatio præsentiæ requirit existentiam realem ex parte vtriusque extremi: ergò, quamuis hæc semper sit ex parte Dei, non erit præsentia, quandiu desideratur existentia realis creaturæ: atque adeo antequam sit, vel postquam fuit, creatura, non erit coexistentia Dei ad ipsam, sed solum cum actu extiterit: eius autem existentia est temporalis: ergò etiam coexistentia, siue relatio præsentiæ ad ipsam est temporalis. Hoc ipsum probat Aureol. quoniam etsi id, quod aliud contingit, sit indiuisibile, si tamen id, quod attingitur, continuum est, ac diuisibile, tactus quoque erit continuus, ac diuisibilis: atqui tempus, & ea, quæ tempore continentur, sunt diuisibilia, & successiua; ergo, si attinguntur ab æternitate per realem coexistentiam, ipsa erit diuisibilis, & successiua, quantumlibet æternitas sit indiuisibilis. Maior ostenditur ratione, & exemplo. Ratio est, quoniam tactus hic, siue præsentia concipitur per modum habitudinis mediæ inter extrema, quæ se tangunt: & ideo, vno eorum præterfluente, transit etiam habitudo ipsa. Exemplum est, si impossibile supponatur punctum moueri successiuè super continuum tangendo illud: tunc enim attingentia, qua coexisteret primæ parti continui, esset distincta ab ea, qua coexisteret alteri. Verùm non opus est suppositione impossibili, cùm detur possibilis: est verò, si supponatur moueri Angelum continue suprà aliquod spatium diuisibile: in hoc motu habitudo præsentiæ Angeli ad partes spatij variatur successiuè iuxtà varietatem partium: eodemq; modo se res haberet, si Angelo non moto moueretur propè illum aliud corpus.

Aureol.

V. Suaderi potest idem ex locis sacrarum literarum, quibus significatur antecessio Dei ad creaturas, vt *ante omnes colles ego parturiebar*. Prouerb. 8. *Deus rex noster ante sæcula*. Psalm. 73. *Egit nos in ipso ante mundi constitutionem*: Ad Ephes. 1. *Antequam Abraham fieret ego sum*: Ioan. 8. *Qui est ante sæculum*: Ecclesiast. 24. *Præcogniti ante mundi constitutionem*: 1. Petri capit. 1. Respondet Abulens. q. 53. hæc, & eiusmodi alia non esse accipienda in propria significatione: omniam Deus non est ante, aut post creaturas, neque hæ ante, vel post illum. Tamen in sacris literis ad explicandam supereminentiam æternitatis supra durationes creatas esse vsum vocabulorum, quibus vtimur ad significandum excessum vnius durationis creatæ ad aliam. Quæ responsio, si esse, *ante*, intelligit cùm desitione in præsenti, & esse, *post*, cum inceptione in futuro, rectè supponit hæc minimè reperiri in Deo: quoniam ipse est *primus, & nouissimus*, vt habetur Isai. 44. & ante ipsum, vel post ipsum non est alius, vt habetur cap. 43. non enim ita fuit ante, vt iam modo non sit: nec ita erit postea, vt nondum sit: hæc tamen acceptio vocabulorum non est semper in vsu, sed *antea*, significat etiam antecessionem sine desitione: & *postea*, significat etiam fore aliquid absque noua inceptione. Verba, quæ apud nos significant antecessionem, non necessario significare desitionem patet Sapient. 8. vbi de sapientia dicitur *signa, & monstra sunt antequam fiunt, & euentus temporum, & seculorum*: Et Daniel. 13. *Noßi omnia antequam fiant*: Hier. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te*: & tamen scientia diuina non desinit, cum res præteritæ esse incœperunt, & Christus ait de se Ioan. 6. *Si ergò videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius*, hoc est in cœlum, in quo tamen non desierat esse. Si quis autem dicat hæc omnia posse similiter exponi, quoniam sermo in illis est de Deo, non de creatura, facilè conuinci potest exemplis sumptis ab autoribus profanis, qui de rebus humanis loquũtur; ita Autor lib. de Causis, causa 30. *Omne quod est*, inquit, *aut est ante æternitatem, vt Deus: aut cum æternitate, vt Angelus, & anima: aut post æternitatem, vt tempus, & temporalia*: Nomine verò æternitatis, vt constat ex Alens. 1. p. qu. 12. m. 2. intelligitur ibi duratio rei non habentis finem, vt est Angelus. Ex quo patet id, quod præcedit tempus, & si postea simul cum illo sit, posse ante illud dici, vt dicitur æuum Angelorum ante tempus. Itaque, si loquamur de existentia diuina, & actionibus immanẽtibus, possumus vsurpare aduerbia, quę significant antecessionẽ Dei respectu creaturarũ: non vero quæ significẽt antecessionem harum respectu Dei: nam diuina saltem æternitate præcedunt tẽpora, & ea, quæ fiunt de tempore: hæc vero in nullo signo præcedunt, aut sunt æqualia Deo in existentiæ duratione.

Isai. 44. *Isai. 43.* *Sapient. 8.* *Daniel. 3.* *Ioan. 6.* *Autor. lib. de Caus.* *Alensis.*

Prouerb. 8. *Psalm. 78.* *Ad Ephe. 1.* *Ioan. 8.* *Eccles. 42.* *1. Petr. 1.* *Abulensis.*

VI. Si verò loquamur de actionibus Dei ad extra, & quocunque prædicato, ad cuius conuenientiã requiritur actualis, & simultanea existentia creaturæ, accommodare possumus eadem verba in propria significatione. Nam posita sententia vera de creatione vniuersi per sex dierum interualla verissimè, & in rigore dicitur Deus

prius

priùs creauit cęlum,& terram, quam plantas: priùs eduxit filios Israel de AEgypto, quam tulit legem: & sexcenta alia, ita Paulus ad Rom. 1. *Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis Sanctis:* Et Deuter. 31. ait Deus; *Antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum:* & Malach. 4. & Act. 2. dicitur; *Antequam veniat dies Domini:* Dies autē est iudicium, quod Deus exercebit, Idem sonant alij modi loquendi, vt libro secundo Reg. capit. 17. *Ex die, qua constitui iudices super populum meum Israel.* Iam verò aduerbia significantia futuritionem, frequenter vsurpantur: nam eodem loco 2. Reg. dicitur, *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo:* Et Genes. 7. dicitur, *Post dies septem ego pluam super terram.* Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Oseæ 6. *viuificabis nos post duos dies.* Actor. 15. *Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit.* In his omnibus, & similibus assertionibus tribuitur Deo actio aliqua, vel habitudo, quę cępit in tępore, vel etiam in tempore desijt. Hæc verò prædicari possunt cū modificatione aduerbiali importāte propriè ordinē prioris, vel posterioris ad ea, quæ illa præcedunt, vel subsequuntur.

Ad Rom. 1. Deut. 31. Malach. 4. Actor. 2. 2. Reg. 7. Genes. 7. Baruch. 3. Oseæ. 6. Actor. 15.

VII. Ad primum argumentum Abulens. distinguenda est assumptio: Si enim intelligatur de his, quæ sunt intrinseca Deo, vera est: falsa autem si de habitudine extrinseca ad obiecta creata. Et idcrcò illo argumēto rectè concluditur coexistentiam ratione existentiæ diuinæ, quæ est perfectio Dei intrinseca, nullam admittere successionem: cum quo tamen stat, vt illam vendicet ratione habitudinis ad extrinsecum connotatum. Indiuisibilitas autem, quæ sumitur ex definitione æternitatis, solum competit ijs, quę sunt intrinseca Deo, non autem extrinsecis. Secundum argumentum supponit dari successionem in ipsa duratione existentiæ diuinæ, quod tamen est absurdum: in coexistentia tamen, quatenus ratione habitudinis est successiua, datur coordinatio partium eiusdem inter se: quoniam habitudo præsentiæ ad priores partes tęporis est prior habitudine ad posteriores: etsi de hoc intelligatur assumptio neganda est: quoniam ex ea non sequitur vllus ordo prioris in existendo secundum intrinseca Deo, sed secūdum habitudinem extrinsecam: quæ coordinatur iuxta successionem eorum, ad quæ terminatur. Ex quo non sequitur vlla mutatio Dei: nihil enim ipsius incipit, aut desinit, sed solū habitudo: ex varietate vtra habitudinum extrinsecarum non mutari Deum patet ex tractatu de immutabilitate Dei. Tertij argumenti maior propositio distinguenda est: nam, si intelligatur de coexistentia quoad esse reale positiuum, vera est, & in eodem sensu est etiam verum consequens. Si verò intelligatur quoad habitudinem, siue connotationem extrinsecam, neganda est: quoniam hæc incipit, aut desinit incipientibus, aut desinentibus creaturis, ad quas terminatur: quod autem incipit, aut desinit, non potest per se primo, & immediatè mensurari æternitate. Exemplum verò instantis ostendit quidem in ipsa æternitate, quatenus est mensura intrinseca existentiæ diuinæ, itemque in ipsa existentia non dari successionem, aut coordinationem cum rebus creatis: non tamen probat ipsam coexistentiam carere successione: nam illud quoque instans seorsim consideratum à coordinatione temporis, si non transiret, esset stans, & consequenter haberet relationem præsentiæ ad tempus fluens: eaque relatio non esset permanens, sed fluens ad instar temporis, cui respondet. Ad vltimum neganda est assumptio: ad cuius probationem respondetur fundamentum illud esse verum, si forma, ad quam subiectum est aptum, sit realis intrinseca: non verò, si sit solum habitudo extrinseca. Nam, cùm hęc nō sit actus subiecti, quod denominat, etiam aptitudo ad ipsam non est potentia passiua, sed solum quædam non repugnantia, vt ab ipsa denominetur. Habitudo autem, qua vltimo completur ratio coexistentiæ, non est forma realis intrinseca Deo: & idcircò aptitudo ad ipsam non est potentia passiua, sed solum non repugnantia.

VIII. Ex dictis absolutè constat non repugnare Deo, vt subeat denominationes extrinsecas successiuè, vel etiam vt successiuè denominetur à formis intrinsecis, prout habent annexam habitudinem extrinsecam, vt patet in coexistentia. Duo tamen restant dubia: alterum vtrum formæ omnes, quæ habent extrinsecum connotatum ita denominare possint: alterum est, cum successio alia sit cōtinua, alia discreta, vtrū cōueniat vtraq; coexistētię Dei ad creaturas, & actionib. ipsius ad extra. Vt verò ab hoc 2. incipiā probabit aliquis repugnare, vt detur successio continua: primùm, quoniam nullum indiuisibile de pertinet existere continua successione. A quantitate diuisibili, æternitas est indiuisibilis: non potest ergo habere coexistentiam continuè successiuam. Patet consequentia,

quoniam

quoniam sicut correspondentia puncti habentis positionem in continuò immobili ad aliud continuum, quod suprà illud successiuè mouetur, non est continua, sed discreta, quia sunt discreta puncta alterius continui, quibus respondet, ita coexistentia ipsius nunc indiuisibilis æternitatis cum tempore, quod continuo labitur, non erit continua, sed discreta. Præterea successio omnis continua est de genere quantitatis per se, vel per accidens, & habet duo genera partium: nam aliæ sunt diuisibiles, & continuæ; aliæ vero indiuisibiles, quibus priores copulantur, & continuantur: hæc vero repugnant coexistentiæ diuinæ, quæ est omninò partium expers.

IX. Dico secundùm, successio coexistentiæ Dei ad creaturas partim est continua, partim discreta. Ostenditur, quoniam, vt ex dictis patet, successio hæc non se habet ex parte diuinæ existentiæ, sed ex habitudine extrinseca ad connotata, quibus coexistit: horum vero alia habent successionem cõtinuam, aliam discretam: ergo eodem modo se habet ipsa coexistentia diuina. Assumptio constat: nam, si cõparetur coexistentia Dei ad tẽpus, cum hoc cõtinuè fluat absq; interruptione, ita quoq; coexistentia Dei ad ipsũ habet successionem cõtinuam: cùm enim extremum connotatum continue varietur, habitudo quoque ad ipsum continue variatur: & ideo continue etiam transit successio coexistentiæ Dei ad ipsum. Si vero comparetur existentia Dei cum rebus indiuisibilibus subiectis tempori discreto: verbi gratia, cum intellectionibus Angelicis, cum existentia gratiæ in homine habente vicissitudinem secundum statum peccati, & gratiæ, successio coexistentiæ, siue præsentiæ Dei ad illas erit discreta. Patet, quoniam hæc extrema præsentię, vtpotè indiuisibilia, sunt expertia successionis continuæ, solamque admittunt discretam: quatenus transeunt de esse ad non esse, aut vice versa: ergò habitudo, quæ variatur iuxta variationem extremorum, non erit continua, sed discreta.

X. Ad primum argumentum, quo impugnatur successio cõtinua, respondetur cum distinctione: nam, si maior intelligatur de indiuisibili pertinente ad genus continui, vera est: æternitas autem non est indiuisibile huius generis. Ratio verò, cur indiuisib[illegible] continui, nequeat respondere continuo, est quoniam habet positionem in continuo: estque ante, & post partes continui: & ideo, si vnum continuum applicetur alteri successiuè, indiuisibilia respondebũt indiuisibilibus, non vero partibus integrantibus, quæ sunt ante, & post quodlibet indiuisibile designatum. Indiuisibile verò, quod non est de genere continui, non habet in illo positionem, nec per se ordinem prioris, & posterioris ad partes alicuius continui: & idcirco potest respondere adæquatè alicui continuo diuisibili, vt anima respondet corpori, quod est continuum permanens: eodemque modo respondere potest indiuisibile durationis tempori, quod est continuum successiuum. Ex quo patet exemplum puncti, supra quod mouetur aliquod corpus continuum non esse ad rem: quoniam punctum est indiuisibile pertinens ad genus continui. Secundum, rectè probat non dari successionem ex parte ipsius existentiæ diuinæ: non probat autem repugnare, vt detur ex parte habitudinis, & extremi connotati. At inquies, quomodo ex parte habitudinis intelligi possunt partes materiales, & formales, diuisibiles, & indiuisibiles, cùm ipsa sit quoddam ens rationis, in quod non cadit hæc varietas partium? Sanè difficilè est has minutias explicare. Verùm quemadmodum intelligimus tempus successiuè fluere, & continuari per instantia indiuisibilia, ita concipimus præsentiam illius ad Deum continuam secundum partes diuisibiles, instantaneam vero secundùm partes indiuisibiles.

Primum verò dubium facilè expeditur dicendo non omnes formas, siue actiones Dei, quæ inuoluunt habitudinem extrinsecam ad creaturas admittere successionem, etiam secundùm cõnotata, quamuis extrema ipsa connotationis admittant. Patet verò in actibus liberis voluntatis diuinæ, & intellectus: nam prædestinatio, electio, reprobatio, & similes actus connotant obiecta, supra quæ cadunt, in quibus est vera successio, saltem discreta: effectus enim prædestinatiõis, circa quos versatur actus volũtatis, & intellectus diuini, fiunt in tempore, non simul, sed alij post alios: & tamen actus omnes liberi voluntatis diuinæ, & intellectus sunt ab æterno, & tota æternitate indiuisibiliter permanẽt, ac durant. Ratio verò huius rei est, quoniam actus immanentes suaptè natura sunt, ac denominant subiectum, quantumuis obiecta non sint secundum esse reale, sed sufficit, vt adsint secundum esse obiectiuum: & proinde, sicut ad denominationem non requirunt actualem existentiam obiecti, ita etiam vt permanenter, & absque successione denominent, non requirunt permanẽtiam obiecti: siue enim permaneat, XI.

siue

siue fiunt, actus ipse manet, & indiuisibiliter denominat. Actiones verò ad extra, & quæuis alia forma denominans, quæ requirit ad denominãdum actualem existentiam extremi connotati, necessariò variaridebet iuxta varietatem, & successionem ipsius.

AEternitas veram contradictionem nunquam, terminos tamen contradictorios interdum admittit.

CAPVT XIX.

I. HOc vnum dubium supereſt circa amplitudinem æternitatis, quæ eadem semper tota, ac diuisibiliter existẽs vastissimo sinu immensitatis suæ oẽs temporũ differentias amplectitur: & ita, quẽadmodum coexistit omni tempori, sic etiam transmutationibus, quæ in illo fiunt, ac terminis ipsarum. Cùm verò mutatio omnis inter terminos saltem contradictorios, ijs quoque coexistet æternitas: & proinde, cum terminus omnis, siue categorema enunciari verè possit de subiecto, cui ineſt, pro eadem duratione qua ineſt, concedendum videtur posse dari in æternitate duas contradictorias simul veras: verbi gratia, hæc propositio ante primum aduentum Christi erat vera, *Verbum diuinum non est homo*: at verò post incarnationem vera erat hæc altera, *Verbum diuinum est homo:* veritas autem vtriusque coexistit æternitati: ergo in æternitate erit vtraque vera. Præterea autore Aristotele *Aristotel.* libro secundo Perihermenias cap. primo, valet consequentia à terminis infinitis ad finitos variata qualitate essentiali: exempli causa si hæc est vera, *Adamus est nõ iustus*, rectè sequitur quod non sit iustus: sed verum est dicere in æternitate, *est non iustus*, sicut reipsa fuit pro eo tempore, quo fuit in primo illo peccato: ergo de eodem verè enunciabitur, *in æternitate non est iustus:* simul autem est vera eius contradictoria, nempè *Adamus est iustus in æternitate:* non enim est ratio cur ex negatione iustitiæ pro breui tempore conueniente dicatur in æternitate non iustus, & non dici possit iustus ratione iustitiæ in omnem æternitatem inhærentis.

II. Pro hac sententia nonnulli referunt *Durand. Caietan.* Durand. in 2. distinct. 2. quæstion. tertio, numero duodecimo, & Caietan. 1. parte quæst. decimoquarta, articul. 13. *Præterea si instans*, sed immeritò, non enim affirmant propositiones contradictorias esse veras, si earum copulæ consignificent instans æternitatis, sed propositiones pro eodem nunc temporis contradictorias, si sumantur in diuersis, posse esse veras, quia non sunt contradictoriæ: & quia æternitas coexistit omnibus partibus temporis, dicunt eidem etiam verè coexistere propositiones, quæ sumptæ respectu eiusdem instantis essent contradictoriæ, quod est verum. Cuiuscunque tamen sit illa sententia in duplici sensu potest sumi: alter est, si dicatur in æternitate non esse veram rationem contradictionis inter propositiones: quoniam, si verba connotent nunc æternitatis, quod est virtute multiplex, de se manet indifferens enunciatio, vt accipiatur pro diuersa temporis differentia: hoc autem pugnat cum vera ratione contradictionis: quemadmodum enim propositiones indefinitæ, quamuis altera sit affirmatiua, altera negatiua, non sunt verè contradictoriæ, quia verificari possunt ratione diuersorum particularium, ita prædictæ propositiones non erunt contradictoriæ: si connotent æternitatem, quia verificari possunt ratione diuersorum temporum. Alter sensus est, si dicatur, etiamsi vera contradictio interueniat, non requiri vt altera eius pars sit vera, altera falsa: quoniam vera contradictio solum respicit eandem durationem, quæ si ratione suæ eminentiæ admittit coexistentiam obiecti significati per affirmationem, & negationem, admittet etiam affirmationem, & negationem simul veras.

III. Dicendum est tamen in æternitate dari posse veram rationem contradictionis: & eius alterum partem esse veram, alteram falsam. Hæc est Scoti in 2. distinct. *Scotus.* 2. quæstion. prima §. *Ad argumenta propria opinione*, ad confirmationem secundi argumenti cum Lycheto. Ferrariensis *Lychetus. Ferrarien.* lib. 1. contra Gentes cap. 66. §. *Patet etiam*, Michaelis de Palatio in 1. distinct. 38. *Palat.* disputat. 2. ante med. Molinæ 1. par. quæst. 14. articul. 13. dist. 13. ad quartum. & recentiorum Thomistarum eodem art. Prior pars est, contra oppositam sententiam acceptam in primo sensu. Probatur, quoniam de quolibet verum est affirmare, vel negare, neque fingi potest vlla enunciatio, cui non possit intellectus effingere contradictionem præfixa. Quia enim negauerit duas has propositiones, *DEVS est trinus*, *DEVS non est trinus*; esse vere contradictorias, quantumcumque copula est

connotet æternitatem. Et confirmatur, quoniam in enunciationibus, quarum verba connotant durationem diuisibilem, datur vera contradictio, in illis autem est eadem ratio, propter quam in æternitate negaretur vera ratio contradictionis: ergo non est neganda. Maior patet in his complicationibus oppositis, *pluit heri, non pluit heri: hoc sæculo celebratum fuit Concilium Tridentin. non celebratum fuit Concilium Tridentinum hoc sæculo*, qui enim secundas enunciationes proferret, verè censeretur velle contradicere primis, & velle negare id ipsum, quod per illas asseritur. Assumptio verò constat: quoniam, si propositiones de eodem subiecto, & prædicato oppositæ secundùm affirmationem, & negationem non censentur contradictoriæ, propterea quod possunt verificari ratione diuersarum partium temporis, quibus æternitas æquipollet, multò maiore cum ratione non erunt, quando verba per terminum additum trahûtur ad consignificandam durationem diuisibilẽ, quæ formaliter habet partes diuersas, ratione quarum possunt verificari prædicata contradictoria: secunda pars excludit eandem sententiã in posteriori sensu acceptã. Patet verò, quoniã vera contradictio constat enunciationibus, quarũ altera negat idem eodẽ modo pro eodem subiecto, ac duratione, quod altera affirmat: impossibile est aũt idem simul esse, & nó esse pro eadẽ duratione adæquatè distributa saltem in altera propositione. Et confirmatur, quoniam de ratione veræ cõtradictionis est, vt si est capax alicuius vniuersalitatis quoad subiecta, tempus, vel locum, vna affirmet, vel neget vniuersaliter quod altera particulariter affirmat, vel negat: ideo enim hæ non sunt contradictoriæ, *aliquando currit, aliquando non currit*, sunt verò hæ, *semper currit, aliquando non currit*, quia in prioribus non negatur, aut affirmatur vniuersaliter cursus pro omni tẽpore, in posterioribus verò maximè. Cùm vero æternitas habeat duo modo vniuersalitatem durationis, & complectatur virtute plures partes temporis diuisibilis, si vera sit contradictio, debet in altera propositione vniuersaliter negari, aut affirmari prædicatum de subiecto pro tota æternitate: si verò hoc fiat, necessario altera propositio erit vera, altera falsa: nam, si affirmatio vniuersalis [illegible] & vera, negatio nequit esse vera: & vicissim, si negatio accipiatur vniuersaliter, vt reuera accipienda est, & sit vera, affirmatio nequit esse vera.

IV. Vt verò dicta clariùs eluceſcant obſeruandum eſt propoſitiones conſiderari poſſe: vel vt à nobis communiter vſurpantur connotando diuerſam differentiam temporis, cui reſpondet æternitas, aut abſolutas ab omni tempore, & relatas ad ſolam æternitatem: ſi priore modo conſiderentur, nequaquam ſunt contradictoriæ, quoniam non reſpiciunt eandẽ durationẽ tẽporis, ſed ſumuntur pro diuerſis momẽtis: vt patet in illa, *Chriſtus incarnatus eſt, Chriſtus incarnatus non eſt*, intelligendo ſecundam tẽpore legis ſcriptæ, primã, poſtquam venit plenitudo temporis. Si verò proponantur nõ indicata vlla indifferẽtia tẽporis diuerſi, ſed abſolutè, & abſque expreſſa connotatione æternitatis, cenſentur accipi pro eodem temporis momento, conſueto more loquendi inter homines: & ita manent verè contradictoriæ: vt ſi dicã *Antichriſtus natus eſt, Antichriſtus natus non eſt*, quandoquidem intelligitur pro tempore præterito ante hoc inſtans: nam, cum actiones, & paſſiones humanæ tempore menſurentur, illud deſignamus per verba, quibus aliquid enunciamus. Quod ſi velimus enunciationem referre ad æternitatem, opus eſt addere expreſsè eiuſmodi deſignationẽ, quam verba noſtra ſumpta ſine addito cõmuniter non important dicendo, *Chriſtus eſt homo in æternitate, Chriſtus non eſt homo in æternitate*: tũc enim ſatis oſtenditur verbum extendi ad durationẽ æternitatis: & hoc modo eſt vera cõtradictio: & ideo, illa quoque proprietas aderit, quod vna ſit vera, altera falſa, vt patet in propoſito exemplo: nam prior eſt vera, ſecũda falſa. Ratio eſt quoniam affirmatio, vt ſit vera de ſubiecto indiuiſibili, & virtualiter quãto, ſiue reſpondente ſubiecto diuiſibili, ſatis eſt ſi prædicatũ conueniat illi prout reſpondet alicui parti diuiſibili, quanuis non conueniat prout reſpondet alteri: exempli cauſa, hæ propoſitiones, *Anima videt in oculo, anima non videt in pede*, ambæ ſunt veræ, non tamen oppoſitæ: quia referũtur ad diuerſas partes corporis, quas anima indiuiſibilis ipſa, diuerſimode tamen actuat, atq; informat: ſi verò tollamus additamẽta illa partiũ, & abſolutè dicamus, *anima videt anima non videt*, iam manent cõtradictoriæ, & prima vera, 2ª. falſa, quandoquidem ad affirmationem veram ſat eſt vt forma ſimpliciter denominans adſit ſubiecto indiuiſibili prout reſpondet alicui parti diuiſibili: cùm vero affirmatiõis, ac negatiõis ſit oppoſita natura, ad negationẽ requiritur vt ſeparetur ab omni eo, & reſpectu cuiuſque, pro quo verificari poteſt affirmatio: Si-

militer

militer in æternitate, quæ indiuisibilis ipsa, ac permanens respondet aliis, atque alijs diuisibilis temporis partibus, ad verificandam enunciationem affirmantem sat est, vt pro aliqua differentia temporis prædicatum insit subiecto: nam eo ipso conuenit in æternitate, cui tale tempus coexistit: ad veritatem vero negantis nequaquam sufficit hoc idem: quanuis enim negatio conueniat pro vno tempore, non proinde excludit formam à subiecto in tota æternitate: quod requiritur ad veritatem negantis: etenim negatio præfixa verbo excludit à subiecto formam, quam importat pro omni duratione eodem verbo connotata: quare in hac propositione, *Deus non creat in æternitate*, verbum creat ratione illius additi, *in æternitate*, connotat ipsam æternitatem: atque ita propositio illa remouet à Deo creationem in omni æternitate, & proinde est falsa. Idem explicari potest exemplo sumpto à tempore certæ mensuræ continente formaliter diuersas partes: verbi gratia à die, mense, vel anno: nam ad veritatem huius, *hodie pluit*, non opus est, vt pluat tota die, sed aliqua saltem parte illius: ad hanc vero *non pluat hodie*, requiritur vt in nulla hodierni diei parte pluat: quandoquidem vt inquiunt Dialectici negatio distribuit quidquid inuenit indistributum, in propositione vero affirmatiua terminus ille hodie non distribuebatur pro omni parte diei, sed pro aliqua indeterminatè, & ideo in negante distribuitur determinate pro omnibus, ita vt in singulis verum sit dicere, *nunc non pluit*, &c. Quod autem contingit in duratione successiua ratione partium, id ipsum locum habet in æternitate indiuisibili, ac permanente ratione suæ eminentiæ, qua respondet partibus ipsi temporis fluentibus.

V. Vt autem soluantur argumenta in contrarium, videndum est, quomodo se habeant propositiones affirmatiuæ constantes terminis contradictoriis, vt *iustus, non iustus, volens non volens*. Et quidem in terminis diuinis, & omnibus ijs prædicatis, quæ conueniunt Deo absque ordine ad coexistentiam temporis, certum est respectu eiusdem omninò subiecti non posse fieri propositiones veras constantes terminis contradictoriè oppositis: dixi respectu eiusdem omninò subiecti, quoniam, vt traditur in materia de Trinitate, ratione diuersarum personarum verificantur de Deo enunciationes constantes terminis contradictoriis, verbi gratia: *Deus est generans*, *Deus est non generans*. Nunc autem non attendimus diuersitatem subiecti, aut eorum, pro quibus supponit, sed solam diuersitatem quæ sumitur ex coexistentia æternitatis cum diuersis partibus temporis. Huius dicti ratio est in promptu: quoniam eiusmodi prædicata mensurantur immediate æternitate ipsa, & idcircò non admittunt successionem: si verò vtrunq; conueniat, necessario erit successio, quoniam non possunt conuenire simul: ergo vnum post alterum: & ita modo erit hoc, modo illud: ex quo necessario sequitur successio, siue tempus, quod repugnat æternitati. Sequela patet: quoniam, vt ait D. August. tractat. 23. in Ioan. *vbi modo hoc, & modo illud, iam tempus admissum est, æternum non est*: & ex eo, quod voluntas diuina æterna sit probat Deum transire non posse de volente in nolentem: etenim hoc ipso, quo aliquid intrinsecum Deo existit in æternitate, non est variabile: siquidem vt ait idem August. serm. 38. de verbis Domini, cap. 7. *in æternitate omnia stant*, nimirum ea, quorum duratio, & mensura intrinseca est æternitas: imò ea, quæ durant formaliter, atque intrinsecè ipsa æternitate, prius nostro intelligendi modo sunt immutabilia, quam æterna: & idcircò est aperta cõtradictio admittere in ijs propositiones affirmatiuas constantes prædicatis contradictorie oppositis.

VI. Porrò, quando propositiones constiterint terminis contradictoriè oppositis, qui per se primo non mensurantur æternitate, possunt esse verę in ęternitate de eodem subiecto, siue id mẽsuretur æternitate, siue non: exempla sunto, *Deus in æternitate est homo, Deus in æternitate est non homo. Adamus in æternitate est iustus. Adamus in æternitate est non iustus*. Ratio est, quoniam huiusmodi prædicata non sunt necessaria, aut æterna: & proinde cadere potest in illa successio ab vno in aliud: ita vt vtrunq; coexistat æternitati, & successiuè conueniat eidem subiecto: neque eadem est ratio de negatione prædicati post copulam affirmatam: vt cùm dicitur, *Adamus est non iustus*, & de propositione negatiua eiusdem prædicati, vt cùm dicitur, *Adamus non est iustus*: nam in priore, cum non negetur, sed affirmetur copula, sensus est quod subiectum cohæreat in æternitate sub negatione formę significat[ę] per terminum infinitum, v. g. quod Adamus existens in æternitati sub negatione iustitiæ, seu quod Adamus existens non iustus sit in æternitate: hoc autem verum est, quoniam pro aliqua differentia temporis respondente

æternitati fuit non iustus: in posteriori verò, cum negetur copula, sensus est quod non sit in æternitate sub forma iustitiæ, quod est falsum: aliud quippè est affirmare coniunctionem negationis cum subiecto, aliud negare coniunctionem subiecti cum forma: primum in duratione eminenter continente tempus diuisibile non repugnat cum affirmatione formæ: quemadmodum in ipsomet tempore non repugnat, in eo namque die, quo peccator iustificatur, verè dicitur, Paulus est hodie iustus, Paulus est hodie non iustus. Secundum verò semper, & in omni duratione repugnat: nam, si forma pro duratione aliqua est coniuncta subiecto, & vere de illo affirmatur, nullo modo verè poterit ab eo per negationem remoueri.

VII. Prima ratio dubitandi initio proposita solum probat terminos contradictorios affirmari posse in æternitate, de eodem subiecto: quandoquidem hoc sub illis verè coexistit æternitati: non probat autem propositiones propriè contradictorias esse simul veras in eadem: nam propositiones illæ, quæ successiuè sunt veræ in æternitate, non sunt verè contradictoriæ: quandoquidem connotant diuersa tempora, vt patet in ipsis exemplis in argumento adductis: quod si absoluantur ab illa temporum varietate, & solum æternitatem connotent, manebunt quidem contradictoriæ, non tamen simul veræ: sed illa erit vera, *verbum diuinum est homo in æternitate*, falsa vero eius contradictoria, *verbum diuinum non est homo in æternitate*, vt patet ex dictis. Ad secundum, respondeo non valere regulas consequentiæ ab infinitis ad finitas, quando termini finiti, & infiniti verificantur respectu diuersorum: vt patet in illa consequentia, Deus est non generans, ergo non est generans: quæ est vitiosa, quoniam generans, & non generans verificantur de Deo ratione diuersorum suppositorum: & in hac, *Sacerdos hodie est non sacrificans, ergo non est hodie sacrificans*, quoniam sacrificans, & non sacrificans verificantur respectu diuersarum partium dici: at vero cùm dicitur non est sacrificans, copula negans præfixa verbo distribuit negationem sacrificij per omnes, quæ sunt omnis diei partes: & hoc modo se res habet in æternitate: in qua duo termini contradictorij enunciari verè possunt de eodem subiecto ratione diuersorum temporum coexistentium æternitati, non tamen proinde alter verè poterit negari. Causa vero propria huius est: quoniam quando copula non negatur, si duratio connotata est diuisibilis, saltem virtute explicatur sub disiunctione: verbi gratia hæc: *Socrates hodie est non iustus*, explicatur, Socrates in hac, vel illa parte huius diei est non iustus: ad veritatem vero disiunctiuæ sufficit vt verificetur saltem pro vno singulari: quando verò copula negatur, explicatur distributiuè, & vniuersaliter pro omnibus: vt si dicatur Socrates non est hodie iustus, sensus est, non est iustus hoc die, aut vlla eius parte; eodemq; modo se res habet in æternitate: & ideo, si prædicatum semel saltem in æternitate conueniat, negatiua est falsa, potest autem esse vera affirmatiua de prædicato negato.

VIII. Ex his quoque patet responsio ad motiua eiusdem sententiæ iuxta duos illos sensus. Ad id verò, quo suadetur primus sensus: respondetur enunciationem, cuius verbum connotat æternitatem, si sit affirmatiua, manere indifferentem, vt accipiatur vt respondet huic, vel illi parti temporis: ratio est quoniam verbum affirmatum, nisi attingatur à signo vniuersali, aut determinetur à singulari, exponitur indefinite, aut disiunctiuè: cumque ad disiunctionem veram sit satis vna ex singularibus, manet verbum indifferens, vt verificetur pro hoc, vel illo: cum verò æternitas sit virtute multiplex, cum connotatur per verbum affirmatiuum, verificari potest propositio ratione cuiuslibet partis temporis, cui æquipollet: si verò propositio fuerit negatiua, cum negatio distribuat, quod non inuenit distributum, distribuit etiam verbum cõnotans æternitatem pro omnibus, ac singulis partibus temporis, quibus illa æquipollet: & proinde significat prædicatum non conuenire subiecto in tota æternitate: quod est falsum, si conuenit saltem in aliqua eius parte virtuali. In propositionibus autem indefinitis est diuersa ratio, quoniam negatio non præponitur subiecto, & ideo relinquit illud non distributum, vt erat in affirmatiua: sed solum præfigitur verbo, quod se habet ex parte prædicati, quod vniuersaliter distribuit, & negat vniuersaliter à subiecto disiunctiuè accepto. Hoc tamen non sufficit ad veram cõtradictionem: quia adhuc propositiones subcontrariæ relictæ suæ naturæ possunt verificari respectu diuersorũ, vt docent Dialectici:

propo-

propositiones vero constantes eisdem terminis, & oppositæ secundum affirmationem, & negationem, quarum copula connotat æternitatem non ita se habent, vt patet ex dictis. Ad motiuum pro secundo sensu dicendum est, contradictionem respicere eandem durationem indiuisibiliter, ita vt affirmatio, & negatio extendantur ad omnem extensionem tàm formalem, quàm virtualem durationis, quam connotant: nam, si vna extendatur ad aliquam rationem durationis, vel existentiæ quam altera non respiciat, iam non est vera cõtradictio: & ideo enunciationes connotantes æternitatem, si sunt verè contradictoriæ, non solum re ipsa connotant eandé durationem indiuisibilem, verumetiam indiuisibiliter: quoniam affirmatiua connotat tantummodo eius successionem virtualem disiunctiuè, negatiua autem distributiuè: hoc autem modo fieri nequit, vt vtraque verificari possit, quamuis termini contradictorij verè affirmentur, si copula non negetur.

Nonnulla alia se offerebant discutienda: sed ne tractatus de æternitate fine careat, vt ipsa æternitas, illis omissis hic finem dicendi faciam, & simul concludam secundum hunc librum de vnitate essentiæ diuinæ, & attributis, quæ ad ipsam reuocantur. Sequenti verò libro agam de prima veritate, & ijs, quæ veritati affinia sunt, faxit Deus Optimus Maximus vt noster omnis labor Theologicus à veritate incipiat, & ad veritatem terminetur. Id verò sine diuinæ gratiæ adiutorio fieri nequit. Et ideo ipsam primam veritatem inuoco, cui sit laus, & gloria sempiterna.

FINIS.